51



C. II. 130

RVARDI TAPPERI AB ENCHVSIA, ECCLESIAE COLLEGIATAE S. PETRI LOVANIENSIS DECANI, ET EIVSDEM FLORENTISSIMAE ACADEMIAE CANCELLARII, OMNIA, QVAE HABERI POTVERVNT,

OPERA.

Quorum Indicem beneuole lector, vide pagina ſequenti.

Adiecto Indice rerum neceſſario.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
In Officina Birckmannica.
cIↃ.IↃ.LXXXIII.
Cum gratia & Priuilegio S. Cæſareæ Maieſtatis.

OPERVM D. RVARDI TAPPERI INDEX.

Explicatio Articulorum viginti, venerandæ facultatis Sacræ Theologiæ Generalis ſtudij Louanienſis, circa dogmata Eccleſiaſtica, noſtro hoc tempore controuerſa, vnà cum reſponſione ad argumenta aduerſariorum.
Orationes Theologicæ.
Quodlibeta.

IN COMMENDATIONEM OPERIS.

Caluini fraudes, & dogmata falſa Lutheri
Quidquid & infauſto Brentius ore vomit;
Quidquid Saxonico, docuit vel ſcripſit in orbe
A terra dictus, nigrior ipſe, nigra;
Quidquid & exuuijs Monachi & pietate relicta
Bucerus tradit; miles & Heluеticus,
Tapperus tanta cum dexteritate refellit
Solus, vt haud alio ſit tibi Lector opus.
Cuius commendant diuina volumina morum
Integritas, vitæ cum pietate viri.
Fatidici hic reſonant oracula pneumatis, Auctor
Cuius in his ſcriptis gnauiter egit opus.
Quæ ſi tunc cura maiori amplexa fuiſſet,
Non iam Gueſiacum Belgica ferret onus.
Quidquid ab ingenio tam ſacro prodijt olim,
Extabat ſparſim quod variante typo,
Rurſus ad incudem reuocauit Milius, vnum
Et tibi limatum dat pie Lector opus.

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IVLIO, DEI GRATIA EPISCOPO HERBIPOLENSI, FRANCIAE ORIENTALIS DVCI &c. DOMINO SVO CLEmentiſsimo.

INTER eos, qui de rebus ſacris, illuſtriſsime Princeps, in articulis controuerſis hodie ſententiam ſuam populo proponunt, rectè ij facere potiſsimum videntur, qui eam non ſolum ſacræ Scripturæ locis, verum etiam rationibus, & alijs ſolidis argumentis confirmant. Variè enim detorqueri videmus, quæ ex ſacra Scriptura depromi ſolent. Quod ſi autem ij etiam ad contrariæ partis obiectiones plene reſponderint; omnibus certè numeris muneri ſuo ſatisfecerunt. Veritas enim, quæ omnis diſputationis ſcopus eſſe debet, in profundo demerſa, ſubtili ignorantia, quæ ſpecioſa quidem multa comminiſci ſolet, quibus vera obſcurari atq; inuolui ſolent, ea ratione depulſa, in lucem prodit. Quamobrem arguta ſæpè & diligenti opus eſt diſputatione, vt falſitate ob oculos poſita, quæ multis inuolucris tecta, ſe mundo pro veritate plerunq; venditat, veritas ab ea diſcerni & agnoſci poſſit & à pijs & bonis omnibus ambabus vlnis amplecti. Qui verò in tot ac tantis de religione diſsidijs aduerſariorum argumenta nō ſatis expendunt, nec ea, qua decet, ratione impugnant & euertūt, ij raro vllis aliquid in re, qua de agitur, multo minus viris eruditis, perſuadent: Quo fit, vt quemadmodū ipſi omnem laborē & operam perdunt, ita Eccleſia Chriſti ex eiuſmodi indiligenti, importuna & indocta ſæpè docendi & diſputandi ratione plurimum damni capiat. Quid enim aliud viri docti, qui de ſacris ſcribunt, ſpectare debent, quàm vt proximum doceant, immò eum, qui forte errat, etiam renitentem armorum vi ac pondere quaſi hoſtem premant, preſſum vincant, victo demum, id quod verum obtinet, aptis argumentis perſuadeant. In quo dimicandi genere cùm non deſint hodie varij, qui ſeſe veluti fortes Heroes, ſtrenuos præbeant: tamen quantum in hac parte vni Ruardo Tappero noſtro, Enchuſiano, præ cæteris multis tribuatur, Catholici omnes per totum orbem, & iam pridem teſtati ſunt, & etiamnum planiſsimè teſtantur. Hic à prima pueritia in litteris Louanij, præclara omnis doctrinæ Academia, inſtitutus, omnem porrò ætatem in ediſcendis Theologiæ myſterijs illic ita triuit, vt aſsiduis indefeſsiſq; laboribus & acris ingenij contentione, æqualibus ſuis ſuperior, Doctorum Theologorum princeps, quem illi Cancellarium appellant, tandem euaſerit.

Quoniam igitur initia ille progreſſus ac fines doctrinæ Proteſtantium & eius, quam Caluinianam nominant, vidit, & vtrorumque fundamenta, rationes, & argumenta diligenter perſcrutatus eſt; de ijs etiam cum præſtantiſsimis Theologis ſæpè ac multum communicauit: publice deniq; ac priuatim diſputauit; ſummo in Deum & Eccleſiam Catholicam amore ſtudioq; excitatus,

Caroli verò Quinti Imperatoris cohortatione & iuſſu prouocatus, ea, quæ illi per errorem ſecus, quàm Catholici, ſentiunt, libriſque comprehenderunt, ipſe articulis triginta duobus examinare, explicare, & confutare ſtatuit. Eas lucubrationes, poſt quàm cum collegis, quos in partem laboris etiam vocauit, cumque vniuerſa Academia Louanienſi aſsiduè cõtuliſſet, & ſingulas ipſi ſeduloq́ perpendiſſent, ne hoc tantum in Eccleſia lumen ſub modio, quemadmodũ Chriſtus Dominus noſter Ieſus ait, reconderetur, ipſe in libros aliquot collectas, vt ijs piorum cœtus iuuaretur (tum enim Concilium Tridentinum ſanandis tot ſacræ religionis vulneribus habebatur) partim euulgauit. Articulos enim duodecim poſteriores morte præuentus non abſoluit nec edidit. In his editis oſtenditur, quid de ſingulis illis viginti, hodie controuerſis articulis, patres in vniuerſa Catholica Eccleſia vbiq; & ſemper, & ex quibus Scripturis, ſenſerint, crediderint ſcriptiſque & vſu docuerint ac conſtituerint. In adſtruendis ſuis de religione ſententijs & concluſionibus, quas veras, firmas, credendaſq́ proponit, & in confutandis aduerſariorũ opinionibus argumenta eruit, vel ab auctoritate, vel à ratione, aut ea ab vtriſq́ ducit. Ab auctoritate quidem ſacræ Scripturæ, in qua & ſincera eius explicatione arcem doctrinæ præcipuam conſtituit. Deinde etiam ab auctoritate traditionum Chriſti & Apoſtolorum, Conciliorum potiſsimum generalium, & eorum quoque, quæ Prouincialia vocantur, item ſanctorum Patrum & eorum, qui ſcholaſtici Theologi dicuntur, qui omnes proprij ſunt Theologicæ facultatis loci. Quæ verò argumenta à ratione colligit, ea in primis à naturalis rationis, quæ per omnes ſcientias, lumine naturali latiſsimè ſeſe porrigit, auctoritate depromit, deinde ab auctoritate Philoſophorũ, qui naturam ducem ſequuntur. tertiò etiam ab humanæ Hiſtoriæ auctoritate quædã adfert. Qua in re quanta laude dignus ſit, ipſemet lectori ſuo facilè probabit. Certè etſi veteres Theologi abundantiſsimam rerum ſupellectilem & copiam in Theologiæ diſciplinam inuexerint, vt ipſis ſolis inuentionis & materiæ ſubminiſtratæ laus longè præclara meritò debeatur: iunioris tamẽ Scholæ magiſtri eas res à veteribus inuentas noua ratione, via & arte ita ad communem vſum accommodarunt, vt quæ olim à veteribus fusè & liberè diſputabantur, ea nunc faciliore & cõmodiore ordine tradita, articulatim, & quaſi punctis quibuſdam ſtrictè ac preſsè diſſerantur & ad viuum reſecentur. Quapropter ſcholaſtici doctores, inſigni operâ iſta præſtita, de hac diuina philoſophia, quam optimè meriti cenſeri debent. Quod ad orationem attinet, ornatius Ruardus hic noſter diſputat, quam Scholaſticis mos eſt. Tametſi verò rarò inueniuntur, qui de difficilimis rebus, hoc eſt, de Theologicis controuerſijs, dilucidè ac ſimul ſententijs argutè & verbis ornatè dixerunt, vel ſcripſerunt, tamen quantum hic auctor noſter vtroq; genere valuerit, præſtiteritq́, poſtquam hæc eius ſcripta quis legerit, facilè erit aſſequi. Nemo in ſcholaſtica diſputatione terſam orationem tanquam neceſſariam requirit, quare ipſe Rhetorum phaleris eam minimè veſtiuit, nec ſcholæ propria verba & peculiares loquendi modos à ſe remouit, ne duplici labore Lectorem, vno rerũ, altero verborum intelligentia inueſtiganda fatigaret, nec ad Theologum cognoſcendũ Grammatico interprete opus eſſet.

Quoniam

Quoniam verò, omnium, maximè autem eorum, quibus Eccleſiæ adminiſtratio & Religionis cura à Deo Opt. Max. commiſſa eſt, plurimum intereſt, veras ſententias de controuerſis Chriſtianæ noſtræ fidei articulis exquirere & penitus noſſe; vt ipſi officio ſuo rectè in tanta pugnantium opinionum diuerſitate perfungantur, alios rectè ſentientes confirmando ac ſtabiliẽdo, alios verò nutantes fortè, inſtruendo ac iuuando, vel etiam, ſi qui aberrarunt, in viam reuocando; rectè me facturũ exiſtimaui, ſi hoc opus, nunc in Germania, quaſi renatum, Celſitudini tuæ, Illuſtriſſime Princeps, inſcriberem, quippe quæ non modo à Deo Opt Max. conſtituta ſit, vt populum, ciuili iure adminiſtrando gubernet; ſed etiam, quod præcipuum eſt, vt gregis Chriſtiani ſuæ diœceſeos curam diligenter, vti Epiſcopus, gerat. Non autem Illuſtriſ. C. T. putabit ideò hoc à me fieri, quaſi aliquid ſuppleri poſſe credam, quod Illuſtriſ. C. T. deſit: ſed potius, vt ad cætera multa quibus Illuſt. C. T. in hac parte abundare ſcio, hic etiam, quaſi nouus quidam artifex accedat, quò quæ hactenus benè inſtituta ſunt & geſta, huius conſultoris ſententia accedẽte, magis ac magis probentur ac confirmentur. Adiunctæ ſunt explicationi controuerſiarum graues etiã Orationes eiuſdẽ, auctoris Theologicæ, itẽ Quodlibeta, quæ vocantur, quæ quemadmodũ ſpero, cùm alijs omnib. tum verò in primis nouæ iſti Academiæ, quam recens Illuſt. C. T. in ciuitate ſua VVirceburgi erexit, perutilia futura, ad quã ea, T. Illuſt. C. auſpice ac patrono, à Louaniẽſi Academia, quaſi à matre quadã filiæ benè cupiente, veniunt, ita quoq; futura quàm gratiſſima. Poterunt enim hæc non modo iuuare eã: ſed etiã, inter quamplurima pietatis & litterarum monumenta, quibus dictã illam ciuitatẽ, nulli ſumtui parcens ad communem Reipub. vtilitatem mirificè Illuſt. C. T. exornat, lumine aliquo ſuo illuſtrare. Hæc omnia æternùm poſteris teſtabuntur memorabilem ingenij Ill. C. T. & animi magnitudinem, quippe quæ antiquiſſimã nobilitatem generis, quæ tanti à plurimis aliquando fit, vt, qui ea præditi ſunt, cætera omnia contẽnere præ ea & nihili facere videãtur, etiam pietate & doctrina morumq; grauitate & elegantia, veluti obſcuram lucem, immiſſa face, illuſtrare non dubitauerit. Spero Illuſt. C. T. hoc opus animo clementi & beneuolo ſuſcepturam, vt quod Caroli Quinti Imperatoris inuictiſſimi iuſſu in Belgio natum eſt & ſereniſſimi Philippi Hiſpaniarum Regis dein autoritate creuit, in Germania T. Illuſt. C. auſpicijs ad propugnanda & aduerſus hoſtes ſtabilienda Catholicæ doctrinæ dogmata ſedulo legatur, vigeat, ac perpetuo viuat. Deus Opti. Maxi. Reuerendiſſ. ac Illuſtr. Celſitudinem tuam Eccleſiæ ſuæ, Reipu. ac nobis quàm diutiſſimè conſeruet incolumem, atq; omnia feliciſſima benignè largiatur. Kalendis Auguſti, M. D. LXXXII. Ex Vbiorum Colonia.

I. C. T.

ex animo addictiſsimus famulus

Arnoldus Mylius Vrymoerſenſis.

SERENISSIMO AC PIEN- TISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D. PHILIPPO REGI ANGLIAE, FRANCIAE, HI- BERNIAE, NEAPOLIS, HIERVSALEM, &c. DVCI

Mediolanenſi: Principi Hiſpaniarum, Domino ac Principi noſtro.

NON abs re admirari poteris Sereniſſime Rex, quòd quũ inclytæ Maieſtati tuæ nō modò facie, ſed & nomine ignotus ſim; auſus fuerim ſub eius protectionem in lucem edere nouum hunc meum fœtum Declarationis Articulorum, quos Theologica facultas noſtrę almę Academię Louanienſis ex iuſſu Clementiſſimi Domini noſtri Imperatoris Caroli V. Sereniſſimæ Maieſtatis tuæ genitoris collegerat, veluti ſymbolum quoddam circa dogmata eccleſiaſtica, noſtro hoc ſeculo ab annis triginta quatuor cœpta à quibuſdam in quæſtionē vocari. Sed mihi auſum hunc præbuerunt quidam hic præclari, tuæq; Maieſtatis ſtudioſiſſimi viri: inter quos præcipuus fuit prudentiſſimus ille vtriuſq; Iuris Doctor D. Viglius Zuichemus Phryſius Secreti Conſilij eiuſdem patris tui Præſes. Iudicabat enim omninò decere, vt liber in hoc conſcriptus, quò Eccleſiæ fides à multis iam annis in plurimorum animis veluti lacera, ſuæ integritati reſtitueretur, ſub eius quoq; patrocinium prodiret, qui eodē quo parens ſtudio, Catholicæ religionis tutelam ſe ſuſcipere cunctis oſtendit: Rerum enim concentus omnibus in rebus ſemper eſt gratiſſimus. Si enim ab vnguibus (vt in Prouerbijs eſt) leonem cognoſcimus, quis vnquam regum tam exiguo ſui principatus tempore adeò ſeſe impēdit Chriſti fidei priſtino ſuo nitori reſtituendæ? deinde Chriſtianis principibus in hoc mutuò conciliandis, vt vno animo toti vacare poſſent religioni ac fidei Chriſtianæ reparandæ ac propagandæ? Agnoſcimus enim ipſius tuæ Maieſt. miniſterio Chriſtum dominum peregiſſe, quod primum per Sereniſſimam & nunquam ſatis laudatam reginam Mariam tuam coniugem inchoauerat, vt inclytum Angliæ regnum ad ſui corporis & ſanctæ Eccleſiæ vnitatem, ac ſacroſanctæ ſedis Apoſtolicæ obedientiam reuocaret. Et quoniam qui cœpit in vobis opus bonum (Apoſtolus Paulus loquitur) perficiet in diē Chriſti Ieſu: certiſſimā poſſumus ſpem concipere de eadem Maieſtate tua, quod vbi gubernacula ſuſceperis ampliſſimorum ac plurimorum aliorum regnorum, quorum hæreditario iure ſucceſſor fore cognoſceris, eodē quo cœpiſti duce Deo, vniuerſas in illis omnibus funditus extirpabis hereſes. Cuius quidem certum indicium etiam hinc colligimus, quòd commodiſsimum ad hoc inſtrumentum, dico ſacræ Theologiæ ſtudium, exemplo Clementiſs. Imperatoris patris tui, iamdudum amplificare cœpiſti: plurimos in his ſtudijs paſsim ſuſtentans, variosq; accerſens doctiſsimos viros, qui in huius Anglici tui regni florentibus Academijs gnauiter eadem hęc ſtudia promoueant, quiq; ſacrarum litterarum recondita ſenſa ex communi patrum cōſenſu petere doceant ac tradant. Quod quantū momenti habeat ad veram fidem Catholicam reparandam, ac deinceps propagādam, modò Deus ſuū adiungat auxilium, docet freques vſus & experientia patrum ac Conciliorum. Ad quod, cum Deo propitio ſperem non nihil fructus & commoditatis allaturos hos meos labores, non eſt, quod quis miretur cur ſub tanti Principis protectione, adhortantibus (vt dixi) amicis, quorum conſiliū reſpuere non potui, in publicum eos prodire iuſſerim: quo (ſi fortè me iā prouectæ ætatis ſenem, ex hac vita breui diſcedere contingat) poterit ille ſua authoritate à calumniatoibus quibuſque tueri. Quòd ſi Deus tribuat vt hoc

tuo

tuo tempore œcumenicum redintegretur Concilium, placueritque princi-
pibus ac concilij patribus in eo procedere, modo quo religioſiſſimus quon-
dam imperator Theodoſius ab epiſcopo Nectario perſuaſus proceſſit, dum
Arrianis in varias hæreſes diſſectis mundus plurimum tumultuaretur, vt
eſt in Annalibus. Conſiderãs enim Imperator ille, quòd diſputationibus a-
criores redduntur hæreſes potius quam ſopiantur: dum pertinaciſsima hæ-
reſis, nec ferro, nec igni, nec rationibus, nec ſcripturis, nec veterum authori-
tatibus vnquam cedit, dum omnia hæc ad ſuum ſenſum detorquet: congre
gatos vndique hæreſiarchas rogat, num in precio habeant illos eccleſiæ do-
ctores, qui ipſorum tempora præceſſerant: vt ſi illos reprobarẽt, aut anathe-
mate damnare auderent, protinus à populi multitudine profligarentur. Dũ
igitur ſe faterentur illos, vt præceptores in honore habere, rogat rurſum Im
perator, num ergo ipſos vt fide dignos Chriſtianorum dogmatũ teſtes am-
plecti velint: vt hoc ab eis conceſſo, quod omninò conſequens eſſe debue-
rat, non aliud reſtaret Catholicæ fidei propugnatoribus, quàm veterum li-
bros proferre, quorum teſtimonijs vera dogmata ſtatuebantur & confirma
bantur. Sed hoc audito ortum eſt inter illos multiplex diſsidium: alijs qui-
dem aſſentientibus, alijs verò negantibus, quod viderent ſcopo ipſorum id
non conducere. Atq; ita non modo ſecta à ſecta diſſentiebat: ſed nec illi mu
tuò concordes erant, qui antea in vnam conuenerant hæreſim. Quorũ re-
ſponſo aduertit Imperator eos in ſola cauilloſa diſputatione, non autem
veritate aut veterum auctoritate ſeu expoſitione cõfidere. Si hoc, inquam,
modo in œcumenico concilio placuerit procedere, poterunt hæ noſtræ lu-
cubrationes non paruo eſſe adiumento, dum minimo negotio circa ſingu-
los articulos controuerſos hinc ſtatim inuenire licebit, quid de illis patres
& concilia ſenſerint ac ſtatuerint, quibusq; ex ſcripturis. Qui modus ſi ini-
tio harum ſectarum, quibus nunc Eccleſia affligitur, Clementiſsimo Impe-
ratori tuæ Maieſtatis parenti ſuggeſtus fuiſſet, & ille vt omnes eum modũ
ſequerentur curaſſet, iam olim extinctas putarem omnes hæreſes, ſopitaq;
vniuerſa ſchiſmata. Imò & nunc eo modo, ſi noſtris iniquitatibus non per-
gamus à nobis repellere Domini auxilium, poterit tandem, abiectis errorũ
& hæreſum tenebris, fidei ſplendor & claritas toti orbi illuceſcere. Accipe i-
gitur Sereniſsime Princeps, qua ſoles humanitate, noſtrum hoc opus: non
quale decet tuam inclytam Maieſtatem, ſed quale nobis exhibere concedi-
tur per ætatẽ, innumerasq; occupationes, quibus hinc inde quotidie emer-
gentibus, tantum non obruimur. Speramus tamen ipſas fore non inuti-
les: ſed per eas id tandem nos aſſecuturos, vt omnes vnum vno ritu Deum
colamus, qui inclytam ac ſereniſsimam tuam Maieſtatem ſuo obſequio,
& Eccleſiæ ſuæ Catholicæ vtilitati, plurimis annis ſeruet in omnibus proſ-
peram atque incolumem. Louanij Kalend. Auguſti, Anno 1555.

Socrat. eccl. hiſtor. libr. 5. ca. 10. & tripart. hiſt. lib. 6. cap. 19.

Tuæ Sereniſs. Maieſtati addictiſsimus

Ruardus Tapper ab Enchuſa.

ARTICVLI HOC PRIMO TOMO CONTENTI ET EXPLICATI.

Primus.

Credendum eſt ſeptem eſſe Eccleſiæ Sacramenta à Chriſto inſtituta, quæ ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Vnctio, Ordo, & Matrimonium. Per quæ quamuis externa & corporalia ſigna, Deus inuiſibiliter (ſiue per bonos, ſiue per malos miniſtros) noſtram ſalutem operatur.

Secundus.

Baptiſmus ad ſalutem omnibus eſt neceſſarius, etiam infantibus: per quem peccata plenè tolluntur, & fiunt filij Dei ac hæredes vitæ æternæ, nec vnquam eſt iterandus.

Tertius:

Pœnitentiæ Sacramentum (quod poſt Baptiſmum omnibus relapſis eſt ad ſalutem neceſſarium) complectitur Contritionem, Confeſſionem, & ſatisfactionem.

Quartus.

Contritio eſt dolor de peccatis propter Dei offenſam ſuſceptus, cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi: non autem (vt quidam hoc ſeculo pernitioſè docent) terror conſcientiæ, propter apprehenſum gehennæ ſupplicium peccatis debitum. Præparat tamen hic terror, & gehennæ metus, ad veram animi contritionem.

Quintus.

Confeſſurus diligentiam legittimam adhibere debet, quò ſacerdoti Iudici ſuo manifeſtet omnia peccata ſua mortalia, etiam occulta cordis, vt ab eis per illum abſoluatur: cuius abſolutionis miniſter eſt ſolus ſacerdos, ſecundum Eccleſiæ ritum conſecratus.

Sextus.

Satisfactio eſt perſolutio pœnæ plerunq; adhuc debitæ, remiſſa iam culpa. Nam omnem pœnam peccato debitam ſemper condonari culpa remiſſa, erroneum eſt, & ſcripturis ſacris aduerſatur.

Septimus.

Certa fide tenendum eſt hominem habere liberum arbitrium, quo poteſt malè, & cum gratia Dei benè agere, & poſt mortale peccatum admiſſum, Deo adiuuante pœnitere, ac peccatorum remiſſionem conſequi.

ARTI-

ARTICVLVS PRIMVS.

*Credendum eſt ſeptem eſſe Eccleſiæ Sacramen-
ta à Chriſto inſtituta, quæ ſunt Baptiſmus, Confir-
matio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema vnctio,
Ordo, & Matrimonium, per quæ quamuis exter-
na & corporalia ſigna, Deus inuiſibiliter (ſiue
per bonos ſiue per malos miniſtros) no-
ſtram ſalutem operatur.*

Articulorũ epitome atq; methodus.

ARticulus primus proponit nu
merum, authorem, vſum, &
miniſtros Sacramentorum,
eaq; ſequentes ordine proſe-
quuntur, & poſt Sacramenta
perpetuitatem & vnitatẽ Ec-
cleſiæ catholicæ, & præpoſiti eius ex Chriſti
inſtitutione, naturam & efficaciam conſtitu-
tionum Eccleſiaſticarum: deinde de Sanctis
qui cum Chriſto regnant inuocandis, de ſta-
tu animarũ in futuro ſeculo, libertate Chri-
ſtiana, & alijs quæ nunc controuertuntur, &
hæc omnia ſimplicisſime proponunt: in hoc
enim collecti ſunt, vt populus Chriſtianus
doceatur, quid ſequi debeat in dogmatibꝰ fi-
dei, quæ ab annis triginta ſunt controuerſa.
Hæc autem cum magna ex parte contingant
Sacramenta Eccleſiæ, & initio in libro con-
cluſionum & in captiuitate Babylonica cœ-
pta ſit per Martinum Lutherum Fides Eccle-
ſiæ circa Sacramenta (in quibus periculoſiùs
apud plebem erratur) corrũpi, & poſtea pro-
greſſus ſit ad reliquam eius doctrinam, quam
ferè vniuerſam temerauit, ideo ab illis ex-
ordiri conueniebat, & ordine proſequi, quid
de vnoquoq; credit & credidit ſemper Eccle-
ſia Chriſti catholica: & deinde quid de alijs
nunc controuerſis, quæ apud maiores noſtros
nunquam in dubium ſunt vocata. Porrò hũc
ordinem circa ſingulos articulos ſequuturi
ſumus: Primo veritatem articuli oſtende-
mus per ſacrarum Scripturarum teſtimonia,
per Conciliorum generalium definitiones,
& per concordem Patrum doctrinam: Dein-
de explicabimus, in quo aduerſarij à nobis
disſidiant, & rurſum in quo nobiſcum con-
ueniant: Tertiò, argumentis, Scripturis, & ra-
tionibus quæ opponuntur reſpondebimus.

Qua metbodo ſinguli tractandi.

Sacramentũ eſt efficax ſignum gratiæ.

Sunt autem Sacramenta, maiorum traditi
one & vſu & Eccleſiæ catholicæ, externa &
ſenſibilia gratiæ ſigna efficacia, hoc eſt, per
quæ ſua pietate miſericors Deus certò & in-
fallibiliter ſalutares gratię effectus, in eo cui
adhibentur, modò præparatus ſit, operatur,
illosq; fieri ſignificat: permanent autem hi
effectus, Sacramento tranſeunte, nec in actu
tantum conſiſtunt: nam per Baptiſmum con-
fertur naturæ diuinæ conſortium, iuxta ſen-
tentiã B. Petri, ad quod conſequitur ex rege-
neratione adoptio, filiatio & ius ad hæredi-
tatem æternam, quæ poſt Baptiſmũ manent,
& per Pœnitentiam reparãtur & reſtituun-

1. Pet. 1.

tur, & in alijs Sacramentis idem fieri oſten-
detur. Cùm enim huiuſmodi ſigna ſacrum
Chriſti Euangelium nobis tradat, conueniе-
bat, nomen aliquod eſſe, quo propriè ſignifi-
carentur: & quia Latino deſtituebamur, eò
quod res Latinę linguæ Magiſtris fuerat inco
gnita, oportebat nomen aliquod illis accom-
modare, nec viſum eſt commodius quàm Sa-
cramentum, vt Sacramentum ad inſtar ſimi-
lium nominum dicatur, per quod ſanctifica-
mur, quodq; ad effectum ſanctificationis ad-
hibetur, ſicut ornamentum quo ornamur, &
veſtimentum quo veſtimur. Nam Latinis au-
thoribus ſacramentum eſt iuſiurandum, &
quod iuſiurandi ſacratione interpoſita geri-
tur, aut natum eſt. Maiores itaque noſtri Sa-
cramentum appellauerunt, quod eſt ſignum
& modo quodam cauſa ſanctificationis, ſimi
liq́ue neceſsitate Dominus noſter Ieſus & A-
poſtoli nominibus, Fidei, Fidelis, Spiritus
ſancti, & alijs multis per accommodationem
vſi ſunt in alia ſignificatione quàm habebat
eorum proprietas, & propter Arrianos ap-
propriata ſunt nomina Perſona & Hypoſta-
ſis, ne deeſſent nobis quæ eis reſponderemus
quærentibus, quas tres res cõfitemur, Patrẽ,
& Filium, & Spiritum ſanctum, tres ſcilicet
Perſonas aut Hypoſtaſes in eſſentia ſimplici,
& omnibus modis vna ſubſiſtentes. Neceſſa-
rium enim erat, quòd noſtræ religionis noua
myſteria ſua haberent vocabula, quibus pro
priè tradi & explicari poſſent. Et tam ſacrum
hoc nomen habitum eſt ſemper, vt Germa-
nicum idioma ipſum ſeruauerit illibatum,
ſacratiusq; habitum ſit, quàm vt in aliam lin
guam verteretur, ſicut B. Auguſtinus docet
lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 11. de no-
minibus Amen & Alleluya: quorum, inquit,
propter ſanctiorem authoritatem, quamuis
interpretari potuiſsẽt, ſeruata eſt in ſcriptu-
ris antiquitas: Et ideo, vt ſcribit D. Ioannes
Eckius homilia 1. de Sacramentis, Vlricus
Zuinglius omnium Sacramentorum exter-
minator & euerſor, etiam nomen hoc odit,
cupitq; Germanis vocem hanc nunquam fu-
iſſe receptam. Cùm enim hãc vocem, inquit,
Sacramentum, audiunt, aliquid magnũ ſan-
ctumq; intelligunt, quod videlicet ſuam cõ-
ſcientiam à peccato liberet.

De nominibus Hypoſtaſis Magiſter in Sent. diſtin. 26. ex Hier. ad Damaſũ Papam in epiſtol. quæ incipit. Quoniam vetuſto oriens, Tom. 3.

HViuſmodi autem ſignorum res & effi-
caciam nobis tradit ſanctum Chriſti
Euangelium, dum docet nos renaſci
ex aqua & Spiritu ſancto. Et Marci vltimo:
Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus e-
rit. Nam infantes nulla adhibita operatione
propria, per aquam Baptiſmi, ex filijs iræ fi-
unt filij Dei & hæredes vitæ æternę. Docet &
ſaluatorem dixiſſe de Sacramento Pœniten-
tiæ Apoſtolis: Quorum remiſeritis peccata,
remittuntur eis. Nam Baptiſmus ante Chri-
ſti inſtitutionem & priuſquam ſacramentum

Baptiſmus. Ioann. 3. Marc. vlt.

Pœnitentia Ioann. 20.

eſſet,

eſſet, mera lotio erat & actio humana, nullumq́; gratiæ effectũ operabatur. Ex Chriſti autem inſtitutione mundat à peccatorũ ſordibus, hocque fieri ſignificat. Quę, inquit venerabilis Doctor Auguſtinus, tanta eſt vis aquę, vt corpus tangat & cor abluat, tractatu 8. ſuper Ioannem: Et B. Chryſoſtomus homi. 24. in Euangelium Ioannis: Si quæris, inquit, quomodo aqua poteſt generare, interrogabo & ego, quomodo ſemen & ipſum aquoſum exiſtens, poteſt in hominem transformari? ſicut igitur in ſemine corporali eſt totũ gratiæ diuinæ, ita in baptiſmate aqua ſubdita eſt, & ſpiritus omnia operatur, & innocatio per preces, imò Dei præſentia. Et de Confirmatione teſtatur B. Lucas in Actibus, cap. 8. Quod cùm Petrus & Ioãnes veniſſent Samariam, & oraſſent pro baptizatis, in nomiue Domini Ieſu, imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum. Et idem de Paulo narrat Act. 19. Quòd acceperunt ſpiritum ſanctum, quibus manus imponebat. De ſacra Euchariſtia Dominus ſaluator: Qui manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem, habet vitam ęternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die. De Ordine ſcribit Apoſtolus Paulus ad Timot. à ſe ordinatum. Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitiore manuum presbyteri: & in epiſtola ad eundem 2. Admoneo te vt reſuſcites gratiã Dei quæ in te eſt per impoſitionem manuũ mearum. Docet idem & Saluator Ioan. 20. cap. quando inſufflauit & dixit: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: quæ explicans B. Auguſtin. libr. 4. veteris & noui teſtamenti, cap. 93. Inſpiratio hæc gratia quædam eſt, quæ per traditionem infunditur Ordinatis, per quã cõmendatiores habeantur. Vnde Apoſtolus dicit ad Timot. Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum presbyteri: ſemel ergo fieri oportuit, vt de cætero traditio iſta non ſine dono ſpiritus ſancti eſſe credatur. Sicut enim in Saluatore forma data eſt viſibiliter, vt poſt baptiſmum ſpiritus ſanctus credentibus de cætero inuiſibiliter dari non ambigeretur, ita & in ſupradicta cauſa forma data eſt in principio, vt ex eo traditioni Eccleſiaſticæ ſpiritus ſanctus infuſus credatur. Sacramentum autem extremæ Vnctionis clarè docet Iacobus: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Eccleſię, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio Fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eũ Dominus, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei. Et Matrimonium eſſe Sacramentum nouæ legis oſtendit Apoſtolus Paulus ad Epheſ. 5. non tam ex nomine ſacramẽti, quam ex deductionis ſerie, in qua docet Matrimonium fidelium in gratuitorum & gratiarum ordinem ſublimatum. Viri, inquit, diligite vxores veſtras: non vt vxores aut carnem veſtram tantùm, ſed ſicut Chriſtus Eccleſiam ſuam, vt in vxore, maritus Eccleſiam ſpectet Chriſti ſponſam: & vxor virum, quaſi Chriſti typum. De quibus pleniùs circa articulos peculiariter ſingula ſacramenta proſequentes, vbi etiam euacuabuntur reſponſiones aduerſariorũ ad ſcripturas citatas: Et in hac ſignificatione rectè definitur Sacramentum à Magiſtro in Sententijs, quod eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma, hoc eſt, ſenſibile ſignum, cuius imaginem gerit & cauſa exiſtit: Cauſa autẽ ſaltem ex virtute Dei aſsiſtente.

Auguſtinus. *Chryſoſt.* *Confirmatio* *Actuum. 8* *Actuum. 19* *Euchariſtia* *Ioan. 6.* *Ordo.* *1. ad Tim. 4.* *2 ad Tim. 1.* *Ioan. 20. c.* *Auguſtinus.* *Extrema vnctio.* *Iacobi vlti* *Matrimonium.* *Epheſ. 5.* *Sacramenti quid.*

Ex qua nominis Sacramẽti ratiõe & citatis ſcripturis, ſequitur, quod à Chriſto, vt habet articulus, ſunt inſtituta. Quod enim noſtram ſalutem operãtur, & eam fieri ſignificant, naturalem rerum ex quibus conſtant, virtutem excedit: nec earũ tantum, ſed & omnis creaturæ etiam Angelicæ: gratiam enim & gloriam dabit Dominus, & is ſolus. Ab eo autem eſt ſacramentorum inſtitutio, à quo eſt eorum efficacia, viſque operatoria & ſignificatio: ſicut legis inſtitutio ab eo, à quo eſt virtus ſubditos obligãdi: detrahe (inquit Auguſt.) verbum (etiam inſtitutionis & ordinationis ſacramẽti, quo diſpoſuit in baptiſmo, mundare conſcientiam) quid eſt aqua niſi aqua? nec enim ſalutẽ ſignificat, nec efficit. Chriſtus autem & res & verba, in quibus ſacramenta conſiſtũt, elegit, & dedit eis ſignificationem, mortiſq́; ac paſsionis ſuæ merito fecit ea efficacia: & ideò ab eo, vt hominum & Dei mediatore, ſunt inſtituta, vt noſtræ infirmitati de eis quaſi pharmacis prouideret, quibus ſemper aſsiſteret operando effectus quos ſignificãt, quando id ſuſcipiente non eſſet impedimẽtum: qui tamen vt Dei filius vnà cum Patre & ſpiritu S. primarius eſt eorum author & largitor.

Auguſtinus.

Potuiſſe Chriſtum cõmunicaſſe & commiſiſſe Sacramentorum inſtitutionem, quo ad ſignificationem & efficaciam, miniſtris, vt in nomine miniſtri conferrentur, & eorum etiam virtute & merito eſſent efficacia, docet beatus Auguſtinus tractatu 5. in euangelium ſecundum Ioannem, ſicut eis communicauit poteſtatem miracula faciendi, ſed quia non conueniebat vnitati & ſaluti fidelium, non fecit. Miniſterium (inquit) dedit Chriſtus ſeruis, ſed poteſtatem ſibi retinuit, quam ſi vellet, poterat ſeruis dare, vt ſeruus daret baptiſmum ſuum tanquam vice ſua, & poteſtatem ſuam conſtituere poterat in aliquo vel aliquibus ſeruis, vt tanta vis eſſet in baptiſmo ſerui, quanta eſt in baptiſmo Domini, ſed noluit, ne ſeruus in ſeruum ſpem poneret, & tot eſſent Baptiſmi, quot ſerui, vt ſicut dictus eſt Baptiſmus Ioannis, ſic diceretur Baptiſm' Petri, vel Pauli, quod ne fieret, retinuit ſibi poteſtatem Baptiſmi Dominus, ſeruis autem dedit miniſterium. Et Beati Auguſtini ſententiam ſequuntur Magiſter in Sententijs 5. Diſtinct. 4. Sententiarum: & beatus Thomas in 3. parte, quæſt. 64. Quod tamen alijs non contulerit miniſterium Sacramẽta inſtituendi, quoad ſignificationem & determinationem materiæ & formæ in quibus conſiſtunt, & eorundem altera-

Aug tract. 5 in Euangelium Ioannis.

alterationem & mutationem, quando Fidelium ſaluti expedire videretur, non ſatis ex ſcripturis conſtat. Et ideo quidã doctores catholici probabiliter docent, ab Apoſtolis quędã ſacramẽta, ex Chriſti cõmiſsione & ſuggeſtione ſpiritus eius, eſſe inſtituta & alterata in forma & materia. Quòd verò ſoli⁹ Chriſti virtute & meritis ſacramenta ſunt efficacia, & ab eo inſtituta immediatè, vel ſaltem aliorum miniſterio ex eius commiſsiõe, certa fide tenendum eſt, Scripturis hoc manifeſtè docentibus: & veriſimilius eſt, quòd ſicut leges inſtitui poſſunt, & publicari ex regis mandato per miniſtros, quos populo prępoſuit: Ita & Chriſtus per ſuos poſsit ſacramenta inſtituere, ſicut & mortuos ſuſcitauit, & per Ioſue imperauit Soli & Lunæ ne mouerentur. vt docet beatus Auguſtinus: vnde baptizauerunt Apoſtoli in nomine Chriſti: Et in ſacramento Confirmationis & Ordinationis, magna eſt facta mutatio in forma & materia, ſalua tamen & integra manente ſignificatione, imò explicatiore facta ex obſcura & confuſa. Poteſt enim eſſe, quòd Apoſtoli quaſi per æquitatem & rationem ex Spiritu Chriſti interpretati ſint mutationẽ, alterationem, vel ſignorum determinationem eſſe faciendam ad tempus, vel ſemper, magis ſequendo mentem Chriſti, quàm verba: ſiue quòd docti ac illuminati à ſpiritu didicerunt Chriſtum velle ſigna certa inſtitui, vel alterari. Et ſi hęc poteſtas fuerit apud Apoſtolos, an fuerit ſolum apoſtolica, an in Eccleſia manſerit apud eorum ſucceſſores, inquiri poſſet, ſed nihil horum requirit articulus, qui ſolùm habet, quòd omnia ſacramẽta ſunt a Chriſto inſtituta: non autem quod ab eo ſunt inſtituta immediatè.

Sacramenta à quibus inſtituta.

SVnt autem hęc ſeptem ſacramenta, Baptiſmus, hoc eſt, ablutio in aqua, paſsiua magis, qua baptizandus abluitur, quàm actiua: Vnctio frontis cum Chriſmate ab Epiſcopo: Euchariſtia, hoc eſt, ſpecies ſenſibiles panis & vini, ſub quibus poſt conſecrationem corpus & ſanguis Chriſti continentur: Abſolutio ſacerdotis audita Confeſsione pœnitentis: Et Vnctio qua infirmus ſacro oleo inungitur à ſacerdote: Ordinatio & cæremonialis actio Epiſcopi, quando ſacrum Ordinem confert, qua ſcilicet, dum ſacerdotem ordinat, præſcriptis verbis porrigit ei calicem & patinam cum pane & vino aqua mixto: Matrimonium, hoc eſt, verba quibus mutuam corporum poteſtatem in ſe inuicem transferunt vir & mulier, hęc ſcilicet, accipio te in meam vxorẽ, & accipio te in meum maritum. Hæc ſunt ſeptem ſacramenta Eccleſiæ quando adſunt miniſter & materia debita ad verba Euangelica: in quibus ſunt à Chriſto inſtituta. Omnia enim ſacramenta nouæ legis tribus perficiuntur, vt docet Concilium Florentinum, videlicet Rebus tanquam materia, Verbis tanquam Forma, & Perſona miniſtri conferentis ſacramentum, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia: quorum ſi aliquid deſit, non perficitur ſacramentum, & addit, quòd inter ea tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio & Ordo, quæ characterem, id eſt, ſpirituale quoddam ſignum à cæteris diſtinctiuum imprimunt in anima indelebile, vnde in eadem perſona non iterantur: reliqua verò ſacramẽta characterem non imprimunt, & reiteratiõnẽ admittunt. Habentque hæc omnia teſtimonia, vt diximus, in ſcripturis Euangelicis & Apoſtolicis, in quibus ſingula tradunt.

Concil. Flo.

Characterẽ non omnia Sacramenta imprimunt.

NVmerus tamen hic Sacramentorum, non clarè Scripturis ſacris exprimitur, quę ne nomine quidem in hac ſignificatione vtuntur, ſicut nec numerus librorum Moyſi vel Euangeliorum: nec quòd nouem ſunt chori Angelorum, & tres Hierarchiæ, ſed vt à maioribus ex Apoſtolorum traditione horum numerum accepimus: ita ſeptem eſſe Eccleſiæ catholicæ Sacramenta à Chriſto inſtituta. Ex ſcripturis tamen Sacramentorum hic numerus deduci & colligi poteſt, cùm ſeptem, & non plura ſigna gratiæ efficacia in eis tradantur, & ideo ſeptenarius hic numerus Sacramentorum ab Eccleſia catholica comprobatus eſt in ſacroſancta Cõſtantienſi Synodo, ſeſsione 15. Vbi inter cæteros articulos Ioannis Hus condemnatos ſic habet vnus: Vt filij infideles ſentiunt infideliter de ſeptem Sacramentis Eccleſiæ, de Clauibus, & Ordinibus. Et in concilio vniuerſali Florentino, præſidente Eugenio 4. S. Petri in Cathedra Chriſti ſucceſſore celebrato, poſt multas diſputationes, collocutiones, tractatus, poſtque non mediocrem teſtimoniorum inſpectionem, quæ ex ſanctis Eccleſiæ Patribus & Doctoribus deducta ſunt, omnibuſque exactè diſcuſsis, (vt habent acta Concilij) & Epiſcopis Græcis & Armenis Oratoribus auditis, pronunciatum eſt ſeptem eſſe Eccleſiæ Sacramenta, quæ gratiam continent, & eam dignè ſuſcipientibus conferunt. Vetera verò Sacramenta ſolùm figuraſſe per paſsionem Chriſti eam eſſe dandam. Et eadem numerantur quæ in articulo: & ſingulorum explicatur vſus: horum enim quinque, prima (ait Sacroſancta hæc Synodus) ad ſpiritualem vniuſcuiuſque hominis in ſeipſo perfectionem: duo vltima ad totius Eccleſię regimem multiplicationemque ordinata ſunt: per Baptiſmum enim ſpiritualiter renaſcimur: per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in Fide: Renati autem & roborati nutrimur diuina Euchariſtiæ alimonia. Quòd ſi per peccatum ægritudinem incurrimus, per Pœnitentiam ſpiritualiter ſanamur, ſpiritualiter etiam & corporaliter, prout animę expedit, per extremam Vnctionem: per Ordinem vero Eccleſia gubernatur & multiplicatur ſpiritualiter: per Matrimonium corporaliter augetur, quæ latè explicat B. Thomas in 3. parte. q. 63. in articulo primo. Quam Concilij definitionem licenter amplexi ſunt Græci viri doctiſsimi, qui magno numero cum ſuo Imperatore Ioanne Paleologo aderant, pariter & Armeni, ſententijs, quas priùs ſe-

Conc. Conſtant. Seſſ. 15

Con. Flor.

cuti fuerant, relictis: Concilium hoc quàm fuit celebre & numeroſum frequentia doctiſsimorum virorum, hiſtorici & præcipuè Blondus qui intererat, in ſuis hiſtorijs teſtantur.

Blondus.

Edictũ Martiani Imperatoris

Ad Epheſ. 4.

Vere hic licet adducere ſententiam religioſi Imperatoris Martiani, in edicto quo mandat ſeruari definitiones Concilij Calcedonenſis: Impius & ſacrilegus eſt qui poſt Eccleſiæ & tot ſacerdotũ ſententiã, ſuę opinioni aliquid tractandum relinquit. Quid enim ſtabile & conſtans in noſtra erit religione, ſi ſemel iudicata & rectè diſpoſita reuolui & publicè diſputari permittantur? ne ſimus paruuli, qui circunferamur omni vento doctrinę in nequitia & aſtutia hominum, ad circumuentionem erroris, dedit Chriſtus ſuæ Eccleſiæ paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, & voluit tanquam Ethnicum & publicanum haberi, qui Eccleſiam non audiret. Cuius certè vocem nuſquam ſecurius & certius audire poſſumus, quàm in Concilio Oecumenico, ex toto orbe Chriſtiano conuocato.

Nuſquam ſecurius auditur vox Eccleſiæ quam in concilio Oecumẽico.

Habet enim Eccleſia catholica ſenſum & ſpiritum ſponſi ſui, quo diſcernere nouit ſcripturas diuinas à prophanis, vt docet & ipſe Martinus in captiuitate Babylonica: nouit & ſponſi ſui inſtituta ſeparare ab inuentionibus & inſtitutis hominum. Promiſsiões quas fecit ſuæ ſponſæ Eccleſiæ catholicæ, & amor quo eſt erga eam incenſus, non patiuntur quòd à temporibus Apoſtolorum reliquerit eam quaſi proſtitui figmentis hominum, eiſque illudi, videlicet quòd ſuæ ſalutis antidota ſub inanibus & egenis elementis, quaſi ſub inſtitutis & Sacramentis Dei ſalutaribus, & ad vitam ſpiritus efficacibus quæreret & amplecteretur.

Ad Gal. 4.

Non minus abſurdum eſt in his diſcernẽdis falli Eccleſiam, quàm in ſcripturis diſcernendis. Et Canõ, Ad abolendam, vinculo perpetui anathematis ligat vniuerſos, qui de Sacramento corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, vel de Baptiſmate, de peccatorum Confeſsione, Matrimonio, vel reliquis Eccleſiaſticis ſacramentis aliter ſentire & docere non metuunt, quã ſacro S. Rom. Eccleſia prædicat & obſeruat, & Innocentius primus in epiſt. ad Decentium Eugubinum ante annos mille & centum: & Innocentius tertius in Canone, Cum veniſſet, de ſacra vnctione, clarè tradunt, Confirmationem per manuum impoſitionem, & extremam Vnctionem eſſe Sacramenta, in quibus gratia confertur.

Innoc. 1.

Innoc. 3.

Et de eiſdem & ſacro Ordine teſtatur B. Auguſt. quòd ſunt Sacramenta Eccleſiæ, in libro 2. contra epiſtolam Permeniani cap. 13 & lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 1. Nulla inquit cauſa oſtẽditur, cur ille qui ipſum Baptiſmum amittere non poteſt, ius dandi poſsit amittere: vtrumque enim Sacramentum eſt, & quadam conſecratione vtrumque homini datur: illud cùm Baptizamur: iſtud cùm Ordinamur: ideoque in catholica Eccleſia vtrumque non licet iterari: Et de Confirmatione lib. 2. contra epiſtolam Petiliani, cap. 104. Sacramentum Chriſmatis in genere viſibilium ſignaculorum ſacro ſanctum eſt, ſicut Baptiſmus: & lib. 3. contra Donatiſtas. de Baptiſmo cap. 16. Et de extrema Vnctione libro. 2. de viſitatione infirmorum, cap. 4.

Auguſtin. li. 2 contra epiſtolam Permen: & lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas

Auguſt. li. 2 contra epiſtolam Petilia.

Auguſt. li. 3. contra Donatiſtas.

Fuſius hæc circa articulos, qui peculiariter de ſeptem Sacramentis loquuntur, dicentur. Et hanc de Sacramentis doctrinam Eccleſia ſequuta eſt ſemper, & poſteritati tradidit. Non enim Maiores noſtri, Concilia & ſacri Canones aliud tradiderunt de Sacramentis, quàm priùs in ſchola Eccleſiæ catholicæ, quam Apoſtolus docet eſſe columnam & firmamentum veritatis, didicerant.

PER hæc, quamuis externa & corporalia ſigna, noſtram ſalutem operatur Deus (Hic enim verus & proprius eſt Sacramentorum vſus) pœnitentiam agite, inquit B. Apoſt. Petrus & baptizetur vnuſquiſque veſtrũ in nomine Ieſu Chriſti in remiſsionem peccatorum, & accipietis donum ſpiritus ſancti. Et Paulus Apoſtolus ſcribit Epheſijs, quòd Chriſtus Eccleſiam ſuam mundat lauacro aquæ in verbo vitæ, quod de ſeptem Sacramentis ex ſcripturis & definitione Eccleſiæ catholicæ ſuperiùs eſt monſtratum.

Act. 2.

Epheſ. 5.

Quibus autem rationibus viſum eſt ſapientiæ Dei Patris, non ſolum in verbis, ſed & in rebus externis & corporalibus hæc animarum noſtrarum antidota inſtituere, & per ea noſtram operari ſalutem, doctè & piè proſequitur venerabilis doctor Hugo de ſancto Victore lib. 1. de Sacramentis, parte 9. cap. 3. Dona inquit gratiæ ſpiritualia quaſi quædam inuiſibilia antidota ſunt, quæ dum in Sacramentis viſibilibus, quaſi quibuſdam vaſculis homini porriguntur, quid aliud quàm ex patenti ſpecie virtus occulta oſtenditur? Æger enim medicamentum videre non poteſt, ſed vas in quo medicamentum datur, videre poteſt, & propterea in ipſa vaſis ſpecie virtus exprimitur medicinę, vt agnoſcat quid accepit, & per ipſam agnitionem proficiat ad dilectionem Et paulò ſuperius: Nemo ſiquidem eſt qui neſciat hominem rationalem mutis & inſenſibilibus elementis ſuperiorem exiſtere, & tamen cùm idem in his ſalutem quærere iubetur ad experiendam obedientiæ ipſius virtutem, quid aliud quàm ſuo inferiori ſuperior ſubijcitur? Et hoc eſt propter quod infidelium oculi, qui viſibilia ſolum vident, Sacramenta ſalutis venerari deſpiciunt, quia in eis tantùm quod foris eſt contemptibile in ſpecie viſibili cernentes, inuiſibilem virtutem intus, & fructum obedientiæ non agnoſcunt. Non enim ſciunt, quod fideles ſalutẽ ex iſtis elemẽtis non quærunt, etiam ſi in iſtis quęrunt: ſed ex illo & ab illo quærũt in iſtis, à quo iubentur quærere, & credũt ſe percipere in iſtis: nõ enĩ iſta tribuũt, ꝙ tribuitur per iſta, ſed ille, per iſta ſalutẽ præbet, qui in iſtis ſalutẽ quærere iubet: Ad noſtrã igiť eruditionẽ, exercitationẽ & humiliationẽ, in externis & corporalibus rebus inſtituta ſunt Sacramenta

menta: & quia per hæc ſigna corporalia lotionem ſcilicet in aqua, & alia, Deus dignatur remittere peccata, & effectus ſalutares operari ex Chriſti filij ſui ordinatione, ex opere operato dicuntur ſalutem & iuſtitiam nobis conferre, hoc eſt, non ob noſtram, aut miniſtri fidem vel deuotionem, ſed propter ſolam Filij ſui victimam, de quo late poſtea dicemus. Quòd æquè malorum & bonorum miniſterio Deus noſtram ſalutem ſub Sacramentis operatur, docet Apoſtolus Paulus primo & tertio capite primæ epiſtolæ ad Corinth. Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus, & ex ſuperioribus etiam ſequitur: Nam cum efficacia ſint Sacramenta ex merito mortis Chriſti, nec vitæ bonitas ſit ratio ea miniſtrandi, nihil eorum virtuti & efficaciæ decedit aut accedit, ſiue malus fuerit miniſter ſiue bonus: ſicut non refert, æger ſit medicus an ſanus, modò peritus ſit & expertus, vt morbum ſanet: nec quod argētea ſit, vel plūbea fiſtula, per quam tranſit aqua ad terram fertilem, de qua venerabilis Doctor Auguſtinus tract. quinto, in Euangelium Ioannis. Non exhorreat columba miniſterium malorum, ſed reſpiciat poteſtatem Domini. Quid tibi facit miniſter malus, vbi bonus eſt Dominus? quid te impedit malitioſus præco, vbi beneuolus eſt Iudex? Sed miniſtros (inquiunt) tanti Iudicis, iuſtos eſſe oportet, per quos baptizat. Et ego (inquit) dico, & omnes dicimus, quod iuſtos eſſe oportet (per quos baptizat) tanti iudicis miniſtros: Sint miniſtri iuſti, ſi volunt: ſi autem noluerint eſſe iuſti, qui in cathedra Moyſi ſedent, ſecurum me facit Magiſter meus, de quo Spiritus eius dixit, Hic eſt, qui baptizat: Si fuerit miniſter iuſtus, computo illum cum Paulo, computo illum cum Petro, cum iuſtis computo iuſtos miniſtros, qui gloriam ſuā non quærunt: miniſtri enim ſunt, pro iudicibus haberi nolunt, ſpem in ſe poni exhorreſcunt? Ego ergo cum Paulo computo miniſtrum iuſtum: Quid autem dicit Paulus? Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed DEVS incrementum dedit: neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat DEVS. Cùm verò fuerit ſuperbus miniſter, cum diabolo computatur, ſed non contaminat donum Chriſti. Quod per illum fluit, purum eſt: quod per illum tranſit, liquidum: venit ad fertilem terram, per lapideum canalem tranſit aqua ad areolas. In canali lapideo nihil generat, ſed hortus plurimum fructum adfert. Et paucis interpoſitis: Poſt Ioannem baptizatum eſt, poſt hæreticos non baptizatur, quia hæretici baptiſma Chriſti dederunt, quod baptiſma non dedit Ioannes. Sic ergo quos baptizauit Iudas, quos ebrioſus, aut adulter, ſi baptiſma Chriſti erat, Chriſtus baptizauit. Non igitur timeo adulterum, non ebrioſum, non homicidam, quia columbam attendo, pro qua mihi dicitur: Hic eſt, qui baptizat: Et talis eſt baptiſmus, qualis ille in cuius poteſtate datur: non qualis ille, per cuius datur miniſterium, & idem Auguſtinus libro tertio cap. octauo, contra Creſconium Grammaticum: Si inter bonos miniſtros non eſt melior Baptiſmus, qui per meliorem datur: nullo modo malus eſt, qui per malum datur, quia idem Baptiſmus datur. Et ideo per miniſtros diſpares, Dei munus eſt æquale: quia non illorum, ſed eius eſt. Et libro 4. contra Donatiſtas, cap. quarto. Dicitur mihi, Ergo hæreticus dimittit peccata? Sic & ego vrgeo, Ergo qui cœleſtia mandata non ſeruat, auarus, raptor, fœnerator, inuidus, verbis non factis ſeculo renuncians, dimittit peccata? Si per vim Sacramenti Dei, ſicut & iſti, ita & ille: Si per vitæ meritum, nec ille, nec iſti. Et damnatus eſt articulus quartus Iohannis VVyclef in Concilio Conſtantienſi. Si epiſcopus vel ſacerdos exiſtat in peccato mortali, non ordinat, non conſecrat, non conficit, non Baptizat, & beatus Bernardus ſermone lx. ſuper cantica, iudicat eos hæreticos, qui dicunt: peccatores ſunt epiſcopi & presbyteri, & per hoc nec ad dandum, nec accipiendum Sacramentum ſunt idonei.

Miniſtri nulla habetur ratio.

Auguſtinus.

Auguſtinus.

D. Bernardus.

NEC tantum malorum miniſterio, quādiu occulti ſunt, Deus noſtram in ſacramentis ſalutem operatur, vt quoſdam nunc docere non pudet: ſed quamdiu ab Eccleſia tolerantur. Nam beatus Auguſtinus in ſuperioribus, de ſceleratis, qui manifeſti ſunt, loquitur, citans verba Cypriani ex epiſtola quarta, libro quarto, cuius frequenter meminit ſcribens contra Donatiſtas. Hi enim arbitrabātur ex merito ſanctimoniæ miniſtri ſacramenta eſſe ſalutaria, vt libro tertio contra epiſtolam Permeni. cap. 2. & epiſtola vigeſimatertia, quæ eſt ad Bonifacium, & in plerisq; locis libro ſecundo contra epiſtolam Permeniani, capite decimo. Quidam inquit ineptiſsimè & imprudentiſſimè dicere ſolent, tunc poſſe a malo baptizari quemquam, ſi lateat malitia baptizantis, & quæ ſuperius ex ſcripturis in probationem eius, quòd efficacia ſunt ſacramenta à malo miniſtro, diſputata, æqualiter conuincunt de vniuerſis malis etiam manifeſte, quia Chriſtus eſt, qui baptizat in ſpiritu, quamdiu miniſter toleratur, & ſecundum Apoſtolum non nominatur malus, de quo idem Auguſtinus in homilia quinquageſima ad Corinthios quinto, eam nominationem intelligi voluit, quæ fit quum in quenquam ſententia, ordine iudiciario atque integritate profertur. Et paulò ſuperius: Nos communione prohibere quenquam non poſſumus, niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſiue ſeculari, ſiue Eccleſiaſtico iudicio nominatum atque conuictum. & Auguſtinus capite ſecundo, de Fide & operibus exponit Nominantur, hoc eſt, noti, famoſique ſunt, hos vitare oportet, non quia peccatores ſunt, ſed quia per Eccleſiæ ſententiam prohibita eſt communio. Et ſunt anni ferè ſeptingenti, quòd Nicolaus Papa à Bulgaris

Nicolaus P.

conſultus, Auguſtini & Patrum ſecutus doctrinam ſciſcitantibus, ſi à ſacerdote, qui fuerat comprahenſus in adulterio, ſiue de hoc ſola fama reſperſus eſſet, deberent communionem recipere, nec ne: Reſpondemus (inquit) non poteſt aliquis quantumcunq; pollutus ſit Sacramenta diuina polluere, quæ purgatoria cunctarũ contagionum exiſtunt. Qualiſcunque enim ſacerdos ſit, quæ ſancta ſunt, coinquinari non poſſunt, idcirco ab eo, quouſque iudicio epiſcoporum reprobetur, communio percipienda eſt, quoniam mali bono adminiſtrãdo, ſe tantum lędunt: fax accenſa ſibi detrimentum præſtat, alijs vero lumen in tenebris adminiſtrat, & vnde alijs commodum exhibet, inde ſibi detrimẽtum præbet. Et Lucius 3. in cap. Veſtra, de cohabitatione clericorum, concordans Decretalem iſtam Nicolai & aliam eiuſdem, & Alexandri ſecundi, quæ mandat, quod nullus audiat miſſam ſacerdotis, quem ſcit indubitanter concubinam habere: dicit has nouiſſimas loqui de ſacerdote, notoriè per ſententiam vel facti euidentiam habente concubinam. Et illam Nicolai in cap. Sciſcitantibus, de eo qui toleratur. Vnde dicit: Sine dubitatione teneatis, quòd a clericis & presbyteris, quanquam fornicarijs, quam diu tolerantur, & non habent operis euidentiam, licitè diuina myſteria audiantur, & alia recipiantur ſacramenta Eccleſiaſtica: & beatus Auguſtinus libro ſecundo capite quarto de Baptiſmo, contra Donatiſtas dicit, quod plenario Concilio Eccleſiæ definitum eſt, quòd Baptiſmus Chriſti ſic dari poteſt ab ijs, qui foras exierunt, quemadmodum amitti non poterat, cùm foras exirent. in Concilio autem Conſtantieñ. miſericorditer indultum eſt, quòd nemo deinceps à communione alicuius in ſacramentorum adminiſtratione vel receptione, aut alijs quibuſcunque diuinis intùs & extrà, prætextu cuiuſcunque ſententiæ, aut cenſuræ Eccleſiaſticæ, a iure vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere vel quemcunq; vitare, niſi in quem ſententia vel cenſura huiuſmodi fuerit à iudice publicata vel promulgata ſpecialiter & expreſſe, & cæt. excepto caſu iniectionis manuum in clericum adeo notoriè, vt nulla poſſit tergiuerſatione celari, &c. Per malos igitur manifeſtos & notorios, quamdiu tollerantur, Deus ſub Sacramentis ſalutem operatur, quando ſuſcipientes, per peccatum non ponunt ſalutifero effectui obicem & impedimentum: imò & per Ethnicos & Iudæos à Chriſti cognitione alienos in ſacramento baptiſmi. Nam a Iudæis & paganis docent ſacri Canones verum Baptiſma miniſtrari, vt Nicolaus Papa ad conſulta Bulgarorum in cap. A quodam Iudæo, de conſecr. diſtinct. 4. & cap. Romanus, dicitque Romanus Pontifex, non hominem iudicat, qui baptizat, ſed ſpiritum DEI ſubminiſtrare gratiam baptiſmi, licet paganus ſit, qui baptizat: & quamuis beatus Auguſtinus libro ſecundo, contra epiſtolam Permen. cap. tertiodecimo, ſuper iſto dubitare videatur. Vtrum inquiens, & ab his, qui nunquam fuerunt Chriſtiani, poſsit Baptiſmus dari: nihil temere affirmandum ſit ſine auctoritate tanti concilij. quantum tantæ rei ſufficit: in libro tamen ſeptimo contra Donatiſt. cap. 53. propenſior eſt in eam partem, quòd efficax & ſalutaris huiuſmodi ſit baptiſmus: aduertit enim ſententiam Dei, qui eum miſerat baptizare, locum habere. Hic eſt, qui baptizat, ſuper quem videris Spiritum deſcendentem. Et nunc per Concilium generale Florentinum hoc definitum eſt. Nam miniſtri infidelitas, fidem Chriſti non euacuat. Ipſe ſemper verax in ſua diſpoſitione manet. Ponunt autem obicem, qui conſentiunt aut fauent malorum peccatis, vel contra Eccleſiæ prohibitionem communicant, vt docet Auguſtinus libro tertio contra epiſtolam Permeniani, & epiſtola 166. contra Donatiſtas: Peccatis eorum nõ communicamus niſi conſentiendo & fauendo. Apud quos tamen ſacramenta non minùs ſunt efficacia & operatoria, ſed ipſe effectus, & ſacramentorum efficacia per indiſpoſitionem ſuſcipientis impeditur: ſicut ignis, quamuis eſt ſemper calefactiuus, non calefacit tamen, quando deeſt ſubiectum caloris capax.

Lucius P. — *Concil. Conſtant.* — *Non Chriſtiani Baptiſmum etiam adminiſtrãt.* — *Auguſtinus* — *Auguſt.*

EX his quæ dicta ſunt, ſatis conſtat, quòd totus articulus certa fide credendus eſt. Nam ex verbo Dei, & definitione Eccleſiæ catholicæ in Concilijs generalibus, & Maiorum traditione certum habet teſtimoniũ. Et in ſacris Canonibus velut hęretici excommunicantur, qui de Sacramento corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, vel de Baptiſmate, ſeu peccatorum Confeſsione, Matrimonio, vel reliquis eccleſiaſticis ſacramentis aliter ſentire aut docere non metuunt, quàm ſacroſancta Rom. eccleſia prædicat & obſeruat. Hanc autem docere & ſemper docuiſſe de numero & efficacia ſacramẽtorum, & toto articulo, quod poſtea definitum eſt in Concilijs, & ſequitur articulus, omnibus manifeſtum eſt, qui epiſtolas decretales legerunt. Et totum articulum confirmant Canones Concilij Oecumenici ſub Paulo & Iulio tertijs ſui nominis pontificibus celebrati, quorum

Primus eſt.

Si quis dixerit ſacramenta nouę legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura vel pauciora quàm ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationẽ, Euchariſtiam, Pœnitentiam, extremam Vnctionem, Ordinem & Matrimonium, aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe verè & propriè Sacramentum, anathema ſit.

Secundus.

Si quis dixerit ea ipſa nouæ legis ſacramẽta à ſacramentis antiquæ legis non differre, niſi quia cæremoniæ ſunt aliæ & alij ritus externi, anathema ſit.

Tertius.

Si quis dixerit hæc ſeptem ſacramenta ita eſſe

eſſe inter ſe paria, vt nulla ratione aliud ſit alio dignius, anathema ſit.

Quartus.

Si quis dixerit ſacramenta nouæ legis nō eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua, & ſine eis aut eorum voto per ſolam Fidem homines à Deo gratiam iuſtificationis adipiſci, licet omnia ſingulis neceſſaria non ſint, anathema ſit.

Quintus.

Si quis dixerit omnia hęc ſacramenta propter ſolam Fidem nutriendam inſtituta fuiſſe, anathema ſit.

Sextus.

Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis nō continere gratiam quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non cōferre, quaſi ſigna tantùm externa ſint acceptę per Fidem gratiæ vel iuſtitiæ, & notæ quædam Chriſtianę profeſsiōis, quibus apud homines diſcernuntur Fideles ab infidelibus, anathema ſit.

Septimus.

Si quis dixerit non dari gatiam per huiuſmodi ſacramenta ſemper & omnibus quantum eſt ex parte Dei, etiam ſi ritè ea ſuſcipiant, ſed aliquādo & aliquibus, anathema ſit.

Octauus.

Siquis dixerit ipſa nouæ legis Sacramenta opere operato non conferre gratiam, ſed ſolùm Fidem diuinæ promiſsionis ad gratiam conſequendam ſufficere, anathema ſit.

Nonus.

Si quis dixerit in tribus Sacramentis Baptiſmō ſcilicet Confirmatione, & Ordine nō imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, vnde ea iterari non poſſunt, anathema ſit.

Decimus.

Si quis dixerit Chriſtianos omnes in verbo & in omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem, anathema ſit.

Vndecimus.

Si quis dixerit in miniſtris, dum ſacramēta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, ſaltèm faciendi quod facit eccleſia, anathema ſit.

Duodecimus.

Si quis dixerit miniſtrum in peccato mortali exiſtentē, modò omnia eſſentialia quæ ad conficiendum aut conferendum pertinent, ſeruauerit, non conficere aut conferre ſacramentum, anathema ſit.

Errorum qui cū primo articulo pugnant refutatio.

DEclarata articuli veritate, per ſe manifeſti fiunt errores qui aduerſantur, nec contra eos prolixiùs agere oportet. Nā vt ſcribit S. Dionyſius Areopagita ad Palicarpum Epiſcopum: dicit ferè quiſq; numiſma ſe habere regium, & habet illa fortaſſe quandam particulam, fallacemque veritatis imaginem, ac ſi quidem illud confutaueris, alius rurſus atque alius eadem de re pertinaci intentione contendet. Porrò ipſa veritatis ratione comparata, & ritè firmiterq; conſtante, atq; ita vim ſuam præferente, vt à nullo prorſus hominum coargui poſsit, quicquid illud erat quod in aliquo diſsideat, ipſum ex ſeipſo inſuperabili ſtatui veritatis obiectum detegitur atque proſternitur: & quantumuis veritatem ſimulet, arguetur, aliudq; eſſe quàm id quod verè eſt, deprehendetur. Manifeſtum eſt autem ex articulo & eius declaratione, quod definitio ſeu ratio Sacramenti, quam habet articlus 13. Confeſsionis proteſtantium Auguſtæ Cæſari exhibitæ anno 1530. aperte ſcripturis ſacris & Conciliorum generalium definitionibus aduerſatur, verumq; tollit ſacramentorum vſum, & ideo aduerſarij in ratione nominis, quaſi primo principio, à catholica eccleſia diſsidētes, in nullo ferè cum ea in doctrina Sacramentorum conſentiunt. Docent quidē Baptiſmum, ſacram Euchariſtiam & Pœnitentiā eſſe Sacramenta, ſed ſenſu & ratione longè diuerſis quàm eccleſia catholica, imò magna temeritate & arrogantia rationem Sacramenti & vſum, quæ ex ſcripturis & ſacroſanctis ſynodis tradidim⁹, dicunt Scripturis aduerſari, & ita re vera nullum relinquunt in eccleſia catholica Sacramentum, eamque ſpoliant vniuerſis, ſuaque ſomnia & adinuētiones, nouaque Sacramenta huc vſque eccleſiæ ignota ſine ſcripturis ſubſtituunt. alia enim eſt ſignificatio, alius & effectus Baptiſmi, vt ipſum Sacramentum eſſe docent, quā tradit doctrina eccleſiaſtica, & ita aliud Sacramentum eſt Baptiſmus Confeſsionis & Apologię, quam Eccleſiaſticus & Euangelicus, vel potius non eſt propria ratione Sacramētum, quamuis in lotione aquæ conſiſtat vtrumque: Sic enim habet confeſsio articulo. 13.

Confeſſio Auguſtana refutata.

De vſu Sacramentorum docent, quòd Sacramenta inſtituta ſunt, non modò vt ſigna profeſſionis inter homines, ſed magis vt ſint ſigna & teſtimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam & confirmandā Fidem in his qui vtuntur, propoſita: Fidem inquam qua credunt ſe in gratiam recipi, & peccata remitti propter Chriſtum, qui ſua morte pro nobis ſatis fecit, vt habet articulus Confeſſionis quartus, eundemq́; propterea eſſe vſum Euangelij & Sacramentorum docet articulus quintus.

Manifeſtum eſt enim ex ſuperioribus, quòd Sacramentorum vſus eſt in operando ſalutares effectus, eoſq; ne lateat nos gratia, quā in nobis Chriſtus operatur, ſignificare. Nam B. Petrus ait nos baptizari in remiſsionem peccatorum, & quòd ſimilis formæ ſaluos fecit Baptiſma: & B. Paulus, quòd Chriſtus mundat Eccleſiam ſuam lauacro aquæ, & ſaluos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis: Et paruuli clamant adhuc infantes, alium eſſe Sacramentorum vſum, quàm excitare & confirmare Fidem. Nam plenè fructum Baptiſmi accipiunt, quando per ætatem credere nequeunt, quibus & ſuperuacaneè verba fierent, vel facta adhiberentur ad excitandum & confirmandum in eis Fidem. Et valde mirandum eſt, quod efficaciam Sacramentorum

Actuum 2. 1.Pet.5. Epheſ.1. ad Titum 3.

(vel tanquam cauſarum inſtrumentalium, quibus Deus, noſtram ſalutem operando, vtitur, vel tanquam ſignorum certorum & infallibilium ob virtutis diuinæ aſsiſtentiam, ſicut infallibile eſt verbum inſtitutionis eorum) quæ apertis Scripturis & a Maioribus noſtris concorditer docetur, negat Confeſſio: & ſignificationem, quæ magis ex traditione quàm expreſsis ſcripturis docetur, ita pertinaciter vrgent, nec eam tamen quam re vera habent, ſed aliam quam ſuo ſenſu & ingenio ſine Scripturarum teſtimonio inuenerunt. Sunt enim Sacramenta ſecundum eos ſigna remiſsionis peccatorum, ad quam tamen non conducunt, niſi ſignificando, & illius Fidem excitando.

Sacramenta quo ſenſu ſint aduerſarijs ſigna.

EX qua nominis ratione docent primò aduerſarij, non eſſe ſalubriorem & magis efficacem vſum Sacramentorum nouæ legis quam veteris. Nam in ſignificádo conueniunt, & idem ſecundum eos ſignificant, contra definitionem generalis Concilij Floren. & doctrinam Apoſt. Pauli ad Rom. 6. & ad Herb. 7. cap. & ſequentibus, & ad Galat. 4. ad Epheſ. 5. & ad Titum 3. Et B. Auguſt. in expoſitione tituli Pſalmi ſeptuageſimi tertij, hæc Sacramenta comparans, præcepta, inquit, veteris & noui teſtamenti ſunt eadem, Sacramenta non ſunt eadem: quia alia ſunt Sacramenta dantia ſalutem, alia promittentia Saluatorem: Sacraméta noui teſtamenti dant ſalutem, Sacramenta veteris legis promiſerunt Saluatorem.

Aduerſariorum dogmata.

Mart. Bucer.

2 Docent etiam ex eadem eundem eſſe vſum ac fructum Baptiſmi Ioannis, imò & purificationis Iudæorum, ac cineris vitulæ aſperſi, & Baptiſmi, quod ex Chriſti inſtitutione in nomine Trinitatis confertur. Docet enim eis commune eſſe bonam Dei voluntatem, eiuſq; in Chriſto promiſsiones ſignificare, vt prolixè Martinus Bucerus docet in Comment. epiſtolæ ad Romanos cap. 3. 3 Docēt tertio tam nudam valere abſolutionem impenſam à muliere, quantum ſi à ſacerdote conferatur: eadem enim verba ſignificant, eandemq; habent vim ſignificandi, excitandi & confirmandi Fidem in his qui ea intelligunt. Hinc & aliud paradoxum, tantum crede te abſolutum, ſiue ſacerdos ludat, ſiue ſerio abſoluat, æquè es abſolutus. 4. Ex eodem fonte peſtilenti, eademq; Sacramenti ratione nata eſt Anabaptiſtarum hæreſis, docentium paruulos non eſſe baptizandos, eò quòd credere nō poſsint, nec eorum Fides baptiſmi ſignificatione excitari & confirmari. 5 A qua hæreſi vt Martin. Luthe. ad quem eiuſq; doctrinæ principia ſuum dogma Anabaptiſtæ referebant, & poſt eum Ioannes Caluinus ſe purgarent, docent (id quod per ſe abſurdiſsimum eſt) paruulos intelligere ſignificationem myſteriorum Baptiſmi & ſpiritu Chriſti intus mouente verè credere propter Chriſtum ſibi peccata remitti, quando baptizantur. Martinus in ſermone tertiæ Dominicæ ab Epiphania, & Caluinus in prima inſtitutione Chriſtianæ religionis, quod tamen in poſterioribus tanquam noto riam abſurditatem recantat & mutat. 6 Sextò ex hac nominis ratione tradunt eundem eſſe Sacramentorum vſum & Euangelij.

Mart. in aſſertione art. 11. & 12.

Anabaptiſtarum hæreſis à Lutheraniſmo nata. De hac abſurditate licet videre Aug. in epiſtol. ad Dardanum, quæ eſt lvij.

Calui. Palinodiā canit.

Inter quæ Apoſtolus Paulus apertiſsime diſtinguit, declarans, quod Euangelium eſt virtus Dei in ſalutem omni credenti, ſed tantum credenti: quia ſcilicet reuelatur in eo iuſtitia Dei, ex fide in fidem quæ ex auditu eſt, hoc eſt annunciatione boni nuncij quod in eo adfertur: aquam verò Baptiſmi eſſe virtutem Dei in ſalutem omnibus quibus adhibetur, modò non ſit obex ſalutis, quia mundat à ſordibus peccatorum, & ex Chriſti inſtitutione regenerat & renouat etiam eos, qui ſignificationem per ætatem intelligere nequeunt. Nam paruuli ſine vllo motu bono cordis, ſola adhibita cæremonia Baptiſmi, fiunt ex impijs filij Dei: nullum enim rationis vſum habere poſſunt vt teſtatur experientia & docet Auguſt. lib. 1. de peccatorum meritis & remiſsione, cap. 35. & lib. 21. de ciuitate Dei, cap. 16. & lib. 22. cap. 24. Et quamuis in adultis Sacramenta Fidem præſupponant, ſaltem confuſam, eius affectus, ad quem ſunt inſtituta, eamque excitent & confirmēt, propriè tñ ſunt inſtituta vt ſalutē operentur, & eā fieri ſignificēt: nō igitur ſacramenta ſunt in ſalutē credenti, quia in eis reuelatur iuſtitia Dei, ſed quia in eis Deus eā operatur, etiam in non credente, quādo per ætatem vel impedimēta credere non poteſt.

Rom. 1.

Paruuli nullum rationis vſum habere poſſunt.

EST igitur differentia inter Sacramentū & Euangelium, quòd Euangelium operatur ſolum ſignificando per apprehenſionem eius quod ſignificatur: Sacramentum vero ſignificat & operatur non mediante ſignificationis apprehenſione, quanquam prior natura ſit ſignificatio efficientia: ſicut verbū Principis operatorium ſignificando operatur, & mediante ſignificatione actiua, non autem mediante intelligentia eius quod ſignificando dicitur, ſic Sacramentum media ſignificatione operatur, non autem intelligentia quæ ſequitur effectum. ſicut ex ſermone Domini: Adoleſcens tibi dico ſurge: Lazare veni foras, Iuuenis & Lazarus reuixerunt ſignificante prius natura, quàm ſermonem audierunt aut intellexerunt. Nam & hic ſermo operatorius fit etiam non potentibus intelligere, ſicut dixit Ioſue Soli & Lunæ: Sol contra Gabaon non mouearis, & Luna contra vallem Hailon: & Dominus in Euangelio: Si monti huic dixeritis, tolle & iacta te in mare, fiet. Sententia hæc eſt beati Thomæ, diſt. 1. 4. q. 1. artic. 3. quòd virtus in rebus eſt ex verbis ſignificantibus, & ita ex ſignificatione eſt virtus & efficacia in Sacramētis effectus ſuos producendi. Et ſignificando efficiunt ſalutem, quamuis hæc ſignificatio non tam manifeſtè ex ſcripturis habeatur, vt diximus, ſicut efficientia. Salutem igitur noſtram Deus operatur per Euangelium: Ego, inquit Paulus Apoſtolus, per Euangeliū vos genui, & B. Iacobus: Voluntariè nos genuit verbo veritatis, ſed ſolùm in eo qui audit verbum, intelligit & credit, hoc eſt, quia reuela-

Sacramenti ab euangelio diſcrimen.

reuelatur in eo iuſtitia & virtus Dei, non autem ex Euangelio prędicato propriè. Non profuit, ait Apoſtolus Paulus, ſermo auditus, nō admixtus fidei ex his quæ audierunt. Eſt enim vſ⁹ verbi Euangelici proponere quę Deus locutus eſt, & annunciatione excitare mentem ad conſiderationem & fidem eorū quæ proponuntur, nec tamē ſalutem operatur in omni diſpoſito, ſed magna parte pēdet eius operatio ex Dei electione & interna vocatione. Sacramenta autem ſalutē operantur, vbi nullum eſt impedimentum ex antiqua Chriſti diſpoſitione, nō autem propriè ex æterna Dei electione, quanquam ex ea quibuſdam applicantur. Nā Paulo & Barnaba prædicantibus crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam ęternam, vt ait B. Lucas Act.13. & donum Dei eſſe, audito Euāgelio credere, docet B. Auguſt. lib. de ſpiritu & litera, cap.33. & 34. & de prædeſtinatione Sanctorum, ca.8. & de bono perſeuerantiæ, cap.8. De Baptiſmo aūt dicit Apoſtolus Paulus: Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Non eſt ergo Iudæus neque Græcus, non eſt ſeruus, neque liber, &c. Eſt tn̄ & Sacramentū verbū viſibile, ꝙ quaſi ſpectaculū ſeu pictura in oculos incurrit, ſicut Euangeliū eſt verbum audibile, vt dicit B. Aug. tract.80. ſuper Ioan. & in hoc cōueniūt, ſed vltra hāc verbi ſignificationē ſacramentū habet ex Chriſti inſtitutione efficaciā in eo cui adhibetur, quæ non pendet ab auditu vel intellectu eius quod ſignificatur, ſicut efficacia Euangelij prædicati: ſimilem tamē efficaciam quaſi ex opere operato poteſt habere Euangelium, ſicut & Sanctorum reliquiæ ac alia ſacra, non vt annunciatur, ſed vt adhibetur ad morbos curandos: ſic B. Barnabam Apoſtolum, Euangelium Matthię Hebraicè ſcriptum, ſcribit Sigebertus in Chronicis, poſuiſſe ſuper infirmos & curaſſe, & Act.19. ſudaria & ſemicincta Pauli delata ad infirmos, pellebant languores & ſpiritus nequam quaſi ex opere operato.

Sigebertus.

Sacramenta non neceſſario lingua vulgari ad miniſtrāda.

EX quibus ſequitur, quod non oportet Sacramenta miniſtrari in vulgari idiomate, cùm ſignificationis Sacramentorum intelligentia, non ſit neceſſaria ei qui illa ſuſcipit: Nō enim minorem effectum habent in homine ſurdo, paruulo, amente, & nō intelligente quod dicitur, quàm in alijs. Sed contra iſtud obijcitur: quòd ſacramentū eſt verbum viſibile & audibile, nec hominis verbum tantum, ſed & Dei: Deo autem loquente auſcultare oportet, & intelligere quid loquatur, & vanū eſt homini loqui idiomate ignoto quod non intelligit: videntur igitur ſacramenta miniſtranda eſſe in lingua vulgari, vt cognoſcatur quod loquatur Dominus, quid operetur in ſacramentis, eiuſq; dona cum gratiarum actione ſuſcipiantur. Cui reſpondetur, admittendo quòd Deus in ſacramentis loquitur per verba miniſtri, & res adhibitas: ſed quia ſermo eſt operatorius, & non ſolū mediante intelligentia eius ad quem dirigitur, quo modo Deus loquitur & operatur per Euangelium, non oportet eum cui adminiſtrantur, ſignificationē intelligere, quod manifeſtū eſt in paruulis, quib⁹ dicitur, Ego te baptizo, vt iā dicimus. Et quia populus Chriſtianus inſtructus eſt ſuper ſacramētorum effectibus, nulla eſt neceſſitas, imò nec maior vtilitas in ſermone vulgi ſacramenta miniſtrare. Nā forma baptiſmi primario ſenſu ſignificat, ego te abluo vel immergo, quod nemine admonente res ipſa loquitur. Significatio autē ſacramentalis quā populus niſi inſtructus nō nouit, occulta eſt, & inſtructus ex ſola immerſione meminiſſe poteſt: & ita in alijs ſacramentis. Inſtructio igitur idē operatur, quod intelligentia ſignificationis verborū. Et vanū eſt loqui nō intelligenti, ſi locutio fiat intelligentiæ gratia tātum: ſecus aūt ſi finis eius principalis eſt effectus ſalutaris quem operatur: & ſermone qui ſolum eſt ſignificatiu⁹ Deo loquenti auſcultare oportet, nō autē ſi efficaci ſermone loquatur, ſcilicet vt ſalutem operetur, quomodo in Euangelijs loquitur: Adoleſcēs tibi dico ſurge, & Lazare veni foras. Si tamen cognoſcatur ſaltē confuſè quid in nobis agit Deus, vt cū gratiarum actione id ſuſcipi poſſit, quod ex re ipſa quę agitur, vt diximus, etiam nō intellectis verbis nouit popul⁹ Chriſtianus: qui enim ſacramenta ſuſcipit, non actiuè propriè, quaſi per intelligentiā ſignificationis, vel fidem apprehēdentem, ſed paſſiuè ſiue receptiuè ſe habere debet ad eorū effectus, ſicut & ad ipſum ſacramentum prout in omnibus Dei promiſſis quod prętatur ſuſcipimus. Baptizetur vnuſquiſq; veſtrū, ait B. Petrus, & accipietis donū ſpiritus ſancti: adultos tamen ſe præparare oportet ad ſuſcipiendū ſacramentorū effectus, in quo ſe actiue habent à Deo gratioſe præuenti & moti. Et ſacramentorum effectus ſūt varij, ita & præparationes. Nam ſicut Canonicus inquit beatus Bernardus, inueſtitur per librum. Abbas per baculum, Epiſcopus per baculum & annulum ſimul, ſic & diuiſiones gratiarum diuerſis ſunt traditæ ſacramentis. Nam purgatio delictorum gratia eſt, qua inueſtimur per baptiſmum, & cætera. vbi beatus Bernardus amplectitur rationem ſacramenti, quam articulus hic indicat & nos explicuimus, videlicet ꝙ eſt ſignū viſibile ſub quo inuiſibilis gratia præſtatur ſed alia in baptiſmo, quā in Euchariſtia & alijs ſacramentis propter quod & diuerſa in eis requiritur pręparatio. Non igitur ſacramenta ſunt in ſalutem credenti, quia in eis iuſtitia Dei, aut bona volūtas, vel remiſſio peccatorum ſignificatur & reuelatur: ſed quia in eis Deus eam operatur, etiam non credentibus, quando per ætatem vel impedimēta actu credere nequeunt, & credētibus non quia credunt, ſed quia ſacramenta adhibētur, quāuis in incredulis & impœnitentib⁹ nullū habeāt ſalutis effectū.

Variæ ſūt variorū ſacramentorū præparationes.

EX quibus manifeſtum fit, quod ſacramēta nouæ legis rectè dicuntur ex opere operato conferre gratiā, ſicut ex ſcripturis & Patribus ſcholæ docent, modò tamē ſana huius

na huius ſermonis habeatur intelligentia, quem fatemur quidem à Patribus non vſurpatum: ſenſus tamen ab eis eſt nobis ex ſcripturis traditus, non enim ſcholæ intelligunt ex opere operato ſacramentorum, quaſi ex conditione & natura operis, aut ſine vllo motu cordis, vt fingunt nos docere aduerſarij, adultis conferri gratiam: nouerunt enim ſententiam catholicam B. Auguſtini, Nemo ſuę voluntatis arbiter conſtitutus nouam vitam inchoare poteſt, niſi eum veteris pœniteat: & diximus quodque Sacramentũ in adulto ſuam exigere peculiarem præparationem, ſine qua inania ſunt & inefficacia: nouerunt etiam, quod ſine Chriſti inſtitutione nihil ſit aqua Baptiſmi, quã aqua tantũ: nec verbum Euangelicum quo conſecratur, niſi ſonus tantùm inanis, & in aera tranſiens: ſed quòd ſalutaria ſunt, ex Chriſti habent inſtitutiõe, qui eis adhibitis ſalutares effectus operari infallibiliter decreuit, & in ſcripturis reuelauit, non ex deuotione aut fide miniſtri vel ſuſcipientis: operãtur enim ſalutẽ quaſi ſigna efficacia, vel vt diuinæ miſericordiæ inſtrumenta, quæ ex ſe ſuaque natura nullam habent virtutem, ſed vt mota & applicata à principali agente, & ex diuinæ virtutis aſsiſtẽtia. Non igitur ex opere operato, hoc eſt, ex natura vel qualitate operis, quod fit in ſacramentis, gratiam conferunt: ſicut nec ex fide, deuotione, & pietate affectus miniſtri vel ſuſcipientis, quomodo dũtaxat ſacramenta vetera gratiam conferebant. Rogabit, ait in Leuitico Dominus, pro eo ſacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei: ſed ex Chriſti perpetua ordinatione decernentis, quòd per ea nos ſaluabit. Et hoc ſenſu ſacramenta ex opere operato gratiam conferre ex ſcripturis ſuperius citatis eſt manifeſtũ, & ſępe palã hoc teſtatur Auguſtinus. Nam lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſt. cap. 24. apertè dicit, ipſum per ſe Sacramentum plurimum valere: & de peccatorũ meritis, & remiſsione, libro. 1. cap. 19. & 33. Totum, inquit, hoc fit (quòd ſcilicet paruuli inter credentes numerantur) virtute ſacramenti & diuinæ gratiæ, quam Dominus Eccleſiæ donauit. & tract. 80. ſuper Ioan. Quæ eſt tanta vis aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi, &c. Et quod Auguſtinus dicit ipſum per ſe ſacramentum plurimum valere, & virtute ſacramẽti peccata dimitti, hoc ipſum eſt, quod ſcholæ peccata ex opere operato dimitti, & ſacramenta gratiam conferre docent. Et ſimiles ſententias habet B. Ioan. Chryſoſtomus, explicans verbum Domini. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c. homilia in Ioannẽ. 24. & 35. de probatica piſcina: quẽ admodũ huius aquæ natura, piſcinæ videlicet probaticæ, per ſe non ſanabat, ſiquidem ſemper ſanaſſet, ſed duntaxat cùm ab angelo mouebatur: ita & in nobis non ſimplex aqua operatur in baptiſmo, ſed cùm ſpiritus gratiam accipit, omnia abluit peccata: & vniuerſi ſcriptores Eccleſiaſtici concorditer docent hoc, ex ſcripturis ſuperius citatis.

Quid ſit ex opere operato conferri gratiam. *Auguſt.* *Leuitici. 4.* *Auguſt.* *Chryſoſt.*

Quando igitur ſacramenta dicuntur gratiã conferre ex opere ſecundum præſcriptum Chriſti operato, excluduntur merita cõferẽtis & ſuſcipientis, non Fides, nec pœnitẽtia, pręparatio aut bonus motus cordis in adultis: & Chriſti inſtitutio, virtus & aſsiſtẽtia includentur, quod clarè explicat venerabilis Hugo de S. Victore loco ſuperius citato, dũ dicit: quòd fideles ſalutem ex iſtis elementis non quærunt, etiamſi in iſtis quęrunt, ſed ex illo & ab illo quærunt in iſtis, à quo iubẽtur credere, & credunt ſe percipere in iſtis. Non enim, ait, iſta tribuunt, quod tribuitur, ſed ille per iſta ſalutem præbet, qui in iſtis, ſalutem quærere iubet. Sunt enim ſacramenta veluti medicamenta & emplaſtra vulneri appoſita, quæ morbos ſanant, & ſua virtute vulnera curant, quaſi ex opere operato, hoc eſt, ſumpto medicamine & emplaſtro vulneri appoſito: ſed ſacramenta ex virtute Chriſti aſsiſtentis morbos animæ pellunt, illa verò virtute naturali, quibus natura tanquam inſtrumentis vtitur, & ſacramentis vtitur Deus. Et hoc ſenſu ſemper docuit Eccleſia Chriſti catholica per ſacramenta Deum ſalutem noſtram operari. Nam hac Fide infantes & amantes ſemper baptizauit, vt fierent filij Dei remiſsis peccatis, ornatoſque vſu rationis per claues Eccleſię abſoluit, vt docet Leo Papa in epiſtola 67. quæ eſt ad Theodorum Epiſcopum Foroiulienſem, & beatus Auguſt. lib. 1. de adulterinis coniugijs, cap. 26. & vltimo, & multos Patrũ Canones, videlicet Iulij & Celeſtini ſuper iſto citat Gratianus 26. q. 6. de quo etiã eſt capitulũ Maiores, de Baptiſmo & eius effectu.

Leo. *Auguſtinus*

Temeritas Philippi Melanch.

Quapropter valde mirandum eſt, quòd Philippus Melanchthon in Apologia cõfeſsionis Auguſtanæ audet ſententiam de opere operato Sacramentorum improbare tamquam pernicioſam, & totam Eccleſiam catholicam (quòd eam ſequamur) damnare impietatis.

Sic enim habet apologia: Damnamus totum populum ſcholaſticorum doctorum, qui docent, quod ſacramẽta nõ ponenti obicem conferunt gratiã ex opere operato ſine bono motu vtentis. Hæc ſimpliciter Iudaica eſt opinio, quod per cæremoniam iuſtificamur ſine bono motu cordis hoc eſt ſine Fide, & tamen hæc impia & pernicioſa opinio magna authoritate docetur in toto regno Pontificio. Paulus reclamat & negat Abraham iuſtificatum eſſe circunciſione, ſed circunciſionem eſſe ſignum propoſitum ad exercendam fidem.

Quis precor, te Philippe Iudicem conſtituit ſuper totum populum ſcholaſticorum doctorum & ſuper totum regnum Pontificium, vt vniuerſum impietatis damnes? an ignoras regnũ Pontificium eſſe regnũ Chriſti, & Eccleſiã catholicam toto orbe diffuſam, cui toti vnum præpoſuit Pontificem, vnum paſtorem, quem oriens & occidens, & vniuerſi fideles ante mille etiã annos ſemper ſunt venerati? Regnum igitur Pontificiũ *Math. 2.*

dampans

damnans, condemnas Chriſti ſpõſam, quam Paulus pronunciat columnam & firmamentum veritatis, & ita ab omni impio dogmate immunem, quã qui non audierit, Saluator haberi voluit veluti ethnicum & publicanum, & hanc tu non ſolùm non audire, ſed & damnare audes? nimium de tua præſumis ſapientia, & totum ſcholaſticorum populum damnans, damnas eos quos Chriſtus in ſua Eccleſia conſtituit Paſtores & Doctores in ædificationem corporis ſui, vt iam nõ ſimus paruuli, & circumferamur omni vento doctrinæ. Et quæ precor cauſa tam ſeueri & crudelis iudicij? Apoſto. inquis, reclamat & negat Abraham iuſtificatum eſſe circuncisione. An quia Abraham non eſt iuſtificatus per circunciſiõem, ideò nec nos per baptiſmum iuſtificamur? de quo idem Apoſtol. mundans Eccleſiam lauacro aquæ. Sed per circunciſionem Iſaac, Iacob, & vniuerſi prohetæ renati ſunt, & iuſtificati, & ipſum per ſeipſum Sacramentum Circumciſionnis multum eis valebat, vt habet Auguſt. lib. 4 de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 24. & lib. 16. de ciuitate Dei, cap. 27. Nam ſicut in Abraham præceſſit Fidei iuſtitia, & acceſsit circunciſio ſignaculum iuſtitiæ Fidei, ita in Iſaac ſecuta eſt Circumciſionem iuſtitia. Et textus Geneſis teſtatur, quòd maſculus circumciſus obtinebat per circunciſionem, quod anima eius nõ periret de populo ſuo. Ex quo enim inſtituta eſt Circumciſio in populo Dei, ad purgationem valebat magnis & paruulis originalis veteriſque peccati, ſicut Baptiſmus ex illo valere cœpit ad innouationem hominis ex quo inſtitutus eſt, vt idem docet lib. 2. de nupt. & concupiſc. cap. 11. & venerabilis Beda in Commen. Euangelij ſecundũ Lucã cap. 2. Idem ſalutiferæ curationis auxilium Circumciſio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod Baptiſmus agere reuelatæ gratiæ tempore cõſueuit, excepto quòd regni cæleſtis ianuam nondum intrare poterant. Qui enim nunc per Euangelium ſuum terribiliter & ſalubriter clamat: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non intrabit in regnum Dei, ipſe dudum clamabat per ſuam legem: Maſculus cuius præputij caro circumciſa non fuerit, peribit anima illa de populo ſuo, hoc eſt (interpretante B. Auguſt. lib. 2. de gratia cõtra Cœleſtinũ cap. 30.) in æternum morietur & damnabitur. Et vt ſuperius diximus, B. Petrus baptizauit in remiſsionẽ peccatorũ, & ait ſaluum facere Baptiſma. Et B. Paul. appellat ipſum lauacrũ regenerationis & renouationis, & Saluator, quæ ſæpè iterare nõ piget: Niſi quis renat[9] fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, &c. Quod exponens poſt Ioãnem Chryſoſt. Theophilactus: Si quæris, inquit, quomodo aqua poteſt generare, interrogabo & ego, quomodo ſemen & ipſum aquoſum exiſtens, poteſt in hominem trãsformari? Igitur ſicut in ſemine corporali totum eſt gratiæ diuinæ: ita & in baptiſmate aqua ſubdita eſt, & ſpiritus omnia operatur, & inuocatio per preces, imò Dei præſentia. Quæ longius proſequitur Ioann. Chryſo. homil. 24. in Ioannem, & homil. 35. Quod enim, inquit, matrix eſt embrioni, hoc fideli, aqua: ſiquidem in aqua fingitur & formatur. Ei nanq; placuit per ſymbolum æquæ animabus noſtris aſpergere calidum ſanguinem ſuum, vt à peccatis nos lauet. Et loquẽs de probatica piſcina: Quemadmodũ huius aquæ natura per ſe non ſanabat, ſiquidẽ ſemper ſanaſſet, ſed dũtaxat dum ab angelo mouebatur: ita & in nobis non ſimplex aqua operatur in baptiſmo, ſed cùm ſpiritus gratiam accipit, omnia abluit peccata. Et B. Ambroſ. lib. 2. de pœniten. cap. 2. impoſsibile videbatur, vt peccatum ablueret aqua. Nec Naaman Syrus lepram ſuam mundari per aquam poſſe credidit: ſed quod impoſsibile erat, fecit Deus poſsibile eſſe, qui tantam donauit nobis gratiam: ſimiliter (inquit) impoſsibile videbatur per pœnitẽtiam peccata dimitti. Conceſsit hoc Chriſtus Apoſtolis ſuis, quod ab apoſtolis ad ſacerdotum officia tranſmiſſum eſt.

Circũciſione veteres iuſtificabãtur. Auguſt. Geneſis 17.

Ad Titum 3.

Ioannes Chryſoſt. Theophyl.

Ambroſius.

Ex quibus patet, quod Philippus damnãs totum populum ſcholaſticorum doctorum, totumq; regnum Pontificium impietatis & pernicioſæ opinionis, damnat & B. Auguſt. B. Ambr. Chryſoſt. omnes denique Maiores noſtros, imò & Apoſtolos, & Chriſtum qui hanc doctrinam nobis tradidit: & tota Eccleſia Catholica à Chriſto inſtituta, ſemper credidit paruulos à peccato originali baptiſmate mundari, & in filios Dei renaſci, nullo motu cordis eis accedente. Et quãuis adulti non regenerantur niſi credant, & veteris vitæ eos pœniteat, ex virtute tamen baptiſmi regenerantur, & peccata eis remittuntur, & non ex deuotione, vel bono motu cordis, qui tamen (vt diximus) regeratneioni prærequiritur. Vulgata eſt enim ſententia B. Auguſtini. Omnis qui ſuæ voluntati arbiter eſt conſtitutus, cùm accedit ad ſacramentum fidelium, niſi pœniteat eum veteris vitæ, nouam inchoare nõ poteſt: Et qui gratis impiũ iuſtificat, quomodo ſibi placet, iuſtificare poteſt, aliquãdo adhibita cæremonia, & quandoq; ſine ea ſolo motu cordis ad Deum conuerſi & pœnitentis concurrente, ſicut Ioannis 9. Cæcum à natiuitate illuminauit, non ſine multis cæremonijs & obſeruationibus. Nam expuit in terram, fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos eius, & dixit: Vade & laua in natatoria Syloë, abijt, lauit, & venit videns: Cæcos verò de quibus Matt. 9. & 20. cap. illuminauit ſolo oculorum attactu, ſine huiuſmodi cæremonijs: & alio loco iuſſu, ſine attactu: ait enim. Reſpice, fides tua te ſaluum fecit, & confeſtim vidit. Frequens eſt enim in ſcripturis ſacris, quòd beneficia largitur per ſymbola & cæremonias corporales. Nam Ezechiam regem ſanauit appoſito emplaſtro ex ficubus, & Iſraelem à morſibus ſerpentum per aſpectum ſerpentis ænei. Et Ioan. 5. ægrum qui primo deſcendiſſet in aquam ab Angelo motam. Et Naaman Syrum à lepra mundauit, poſtquam fuerat

ſepties

ſepties lotus in aqua Iordanis. Qui omnes ſanabantur non fide vel animi deuotione, ſed appoſitione emplaſtri, aſpectu ſerpentis, & deſcenſu atque attactu aquæ: non quidē propria virtute, ſed Deo operante in illis mirabiliter, & ita quaſi ex opere operato & Dei diſpoſitione: Nec hi ſoli à Chriſto ſanabantur, qui certa & infallibili credulitate hoc expectabant: nam certum eſt Naaman non ſic expectaſſe à lepra purgationem. Sicut igitur ipſe dat viſum, ſanat morbos quomodo vult, vel per adhibitas cæremonias, vel ſine illis: Ita & impium iuſtificat quomodo vult, nec eſt qui ei dicat, quare ſic facis? vel regulā aut legem præſcribat, ſecundum quam noſtram ſalutem operetur, qui omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.

Per cæremonias iuſtificari an Iudaicum.

NEc, vt putat Philippus, Iudaica eſt opinio, ſentire quòd per cæremonias iuſtificemur, Deo ſua virtute in eis operante, ſicut nec Iudaicum eſt dicere, quòd per eas ſanamur, viuificamur, & à lepra mundamur. Sed ſentire quòd cæremoniæ per ſe, ſine fide & bono motu cordis iuſtificant adultos, ſuaque virtute, quodque per ſe ſanant, aut à lepra mundant, ſuperſtitioſum eſſet & impiū. Nam virtute paſsionis & mortis Chriſti paruulos per baptiſmum iuſtificari, & tempore legis per circuncisionem à peccato originali fuiſſe purgatos, doctrina eſt Apoſtolica, quam ſecuti ſunt omnes maiores noſtri, & contrarium docentes damnati ſunt vt hæretici ſemper.

Aliæ definitiones ſacramenti apud Philippum.

ALias ponit definitiones Sacramenti Philippus, *vt in Catechiſmo, quòd eſt cæremonia in Euangelio inſtituta, cui addita eſt promiſſio gratiæ, & fauoris Dei ac remiſſionis peccatorum, quæ ſcilicet Fide apprehendatur: et alio loco, Sacramētum eſt ritus habens mandatum Dei, & promiſſionem gratiæ, quæ eſt nouo teſtamento propria,* hoc eſt remiſsionis peccatorum: ſed quia hāc docet ſola Fide in Sacramentis apprehendi, ideo neutra explicat rationē Sacramenti, vt ex ſuperioribus patet, & eędem abſurditates ex eis ſequuntur, quæ ex definitione confeſsionis, & Apologiæ, quam ſuperius poſuim⁹. Nec neceſſe eſt ſacramenta habere mandatū Dei, ſed ſufficit inſtitutio Chriſti, & Ioanni Caluino omnes hæ definitiones Philippi etiam diſplicent, & aliam ponit, quę etſi verbis eadem eſſe videatur cum ea quam habet Confeſsio & Apologia, ab ea tamen ſenſu eſt diuerſiſsima, eique contraria: ſic enim definit cap.10. ſuæ inſtitutionis.

Caluino diſplicet Melanchthon.

Sacramentū quid Caluino

Sacramentum eſt ſignum externum, quo bonā ſuam erga nos voluntatem Dominus nobis repræſentat ac teſtificatur, ad ſuſtinendam Fidei noſtræ imbecillitatem: vel inquit, eſt teſtimonium gratiæ Dei, qua grati ſumus ei, hoc eſt fauoris quo nobis fauet ob Chriſtum, externo ſymbolo declaratum, quod adhibetur verbo promiſſionis, veluti ſigillum appenſum diplomati, alijsq; publicis actibus, per quod renouatur memoria, & firmatur Fides, quā prius ex verbo habemus.

Bona voluntas Dei Caluino.

Intelligit autem bonam voluntatem Dei, qui nos tanquam filios, hæredes, & gratos ſibi propter filium complectitur, non in baptiſmate vel Sacramentis tantum, ſed ſemper à tempore quo concepti ſumus & nati, ſic quòd ſignificatio Sacramentorum nō propriè eos reſpicit, quibus applicantur, quaſi annexam haberet ſymbolum externū promiſſionem peculiariter pertinentem ad eum cui applicatur, ſed abſoluta eſt eorum ſignificatio. Non enim in baptiſmo infantis, ſecundum eum ſignificatur, quòd ei tūc peccatum remittitur, & in filiū Dei ſuſcipitur, & ideo nouum & abſurdiſsimum tradit paradoxū, quòd paruulus non ſaluatur quia baptizatus moritur: multi enim, vt ait, baptizati infātes damnantur. & multi non baptizati ſaluātur. quæ omnia docet ſine ſcripturis, ſine Patribus, ſine legitima ratione, imò contra ſcripturam & Patrum concordem ſententiam: indigniſsima certè res eſt & hominis inſani, huiuſmodi paradoxis moueri, in eisq; refutandis laborare, quæ ſola abſurditate prolata ſeſe falſitatis côuincunt: ait enim B. Aug. epiſt. 28. Quiſquis dixerit quòd in Chriſto viuificabuntur etiam paruuli, qui ſine ſacramenti eius participatione de vita exeūt, hic contra Apoſtolicam prædicationem venit, &c. Philippus autem, & Apologia intelligunt bonā Dei voluntatem in ſua definitione, qua præſtat promiſsionem factam cæremoniæ, modo Fide apprehendatur: vt promiſsio Chriſti eſt, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: & hæc ipſa baptiſmum reſpicit: qui igitur baptizatur, ſecundum eorum ſententiā ſaluus fit, ſi credat hoc ſibi in Chriſto pręſtari, & ideo docent ſine baptiſmo paruulos non ſaluari morietes: Nos autem dicere poſſumus, ſacramenta eſſe teſtimonia bonæ voluntatis, qua operatur effectus ſacramentorū in his quibus adhibentur. Nam hanc ſignificant ſecundario tanquam cauſam ex qua ſalutaria ſunt Sacramēta, quomodo B. Auguſt. lib.19. cap.16. & 17. contra Fauſtum dicit, noſtra ſacramenta ſignificare Chriſtum paſſum & mortuum tanquam cauſam ſcilicet, ex qua eorum efficacia procedit: propriè autem primò & per ſe ſignificant effectus, quos Deus per ea operatur. De hac bona voluntate, cuius teſtimonia Caluinus vult eſſe Sacramenta, dicetur circa articulum 9. qui eſt de Fide, cuius per ſe obiectum docet eſſe hanc Dei bonam voluntatem: hîc ſuffecerit dicere, quòd Sacramenta in reprobis eſſent falſa teſtimonia Dei, teſtificantis eos ſibi eſſe filios & hæredes, cùm tamen non ſint ex Deo, ſed ex patre diabolo, quando etiam recens ſunt baptizati:

Infantes quidā non baptizati ſaluantur Caluino. quidā baptizati damnātur.

In antidoto contra definitiones conci. Trident. & ante cū Mar. Buc. in comment. Euangelij ſecundum Matthæum.

Bona Dei voluntas quid Melanchthō.

Quo ſenſu intelligi poteſt Sacramentū eſſe ſignū bonæ volūtatis

Sacramenta quid propriè ſignificent.

Reprobis nunquam remittitur peccatum originale Caluino.

Quibus & docet nunquam remitti peccatum, quod ex Adam contraxerunt, nunquam fieri filios Dei.

EX quibus clariſsimè patet, quòd catholica eſt ſententia, & ſcripturis ſolidè fundata, quòd Sacramenta nouæ legis gratiam conferunt his, qui non ponunt obicem, & ex opere operato, qua ſermonis phraſi vſa eſt etiam ſynodus Œcumenica Tridentina, in ſeptima ſeſsione Canone 8.

ET

De numero Sacramentorum.

ET ſicut in vera ratione Sacramenti diſſentiunt à nobis aduerſarij, & inter ſe non minùs: ita & in Sacramentorum nu mero, ſuper quo etiam inter ſe nihil conueniunt. Nam Martinus Lutherus in ſua captiuitate initio tria ponit Sacramenta, in fine verò duo tantum:

Luthero tria ſunt Sacramenta poſt duo.

Principio (inquit) neganda ſunt mihi ſeptem Sacramenta, & tantum tria pro tempore ponenda: Baptiſmus, Pœnitentia, & Panis. Quanquam ſi vſu ſcripturæ loqui velim, non niſi vnum Sacramentum habeam, & tria ſigna ſacramentalia. Nã Euchariſtia & Abſolutio ſunt rememoratiua promiſſionis & adoptionis Baptiſmi.

Quem ſequitur in hoc numero Confeſsio Auguſtana, & Philippus Melanchthon (vt ferè in omnibus tanquam Magiſtrum diſcipulus) in Apologia Confeſsionis.

Verè (inquit) tria ſunt ſacramenta: Baptiſmus, Cœna Domini, & Abſolutio, quæ eſt Sacramẽtum Pœnitentiæ. Nam hi ritus habent mandatum Dei, & promiſſionem gratiæ (quæ eſt propria noui Teſtamenti) quæ ſcilicet eſt remiſſio peccatorum. Nã ſi diceretur eſſe Sacramenta, quæ habent mandatum Dei & promiſſionem gratiæ in genere, Oratio (inquit) veriſsimè eſt ſacramentum, ſimiliter Eleemoſynæ & afflictiones, æquè & ipſæ habent ſigna, quibus Deus addit promiſſiones. Et ſi verè eſt Sacramentum quicquid habet mandatũ Dei, Matrimonium & omnis ſtatus vitæ & officia ſunt ſacramenta.

Tria ſacramentorum genera Melancht.

Vbi tria genera Sacramentorum recenſet: Primum, quod eſt ritus ſiue cæremonia, vel ſignum diuinitus inſtitutum, habens mandatum Dei & promiſsionem remiſsionis peccatorum, quomodo tria ſecundum eũ ſunt Sacramenta, quæ vniuerſa ſecundum eius ſententiam ſignificant peccata remitti. Nec Euchariſtia eſſet Sacramentum, ſi ſolùm haberet promiſsionem reficiendi animam, ſicut cibus & potus corpus reficiunt: Secundum genus eſt eorum operum, quæ habent mandatum Dei & promiſsionem gratiæ in genere, quamuis non remiſsionis peccatorũ, nec ſunt ritus ſiue cæremoniæ: Tertium eſt operum, quæ habent mandatum Dei, quomodo omnia opera Decalogi erunt Sacramenta. Sed precor te Philippe, quis vnquam maiorũ vſus eſt hoc nomine in hac ſignificationis diuerſitate? quis precor ante te? ne Martinus quidem ſic auſus eſt ludere in Sacroſancto hoc ſacramenti nomine. Vtendum eſt nominibus ab eccleſia receptis ea ſignificatione, qua recepta ſunt. Apoſtolus Paulus mandat vitari prophanas vocum nouitates, eo quòd ex eis non parua Fidei peſtis & iactura ſequatur. Omnes confitentur etiam hæretici, ac Philippus ipſe, ſacramentum eſſe cæremoniam ſiue ſignum à Deo inſtitutum: quæ igitur ſunt virtutum officia, quantumcunque ſint vitæ cœleſtis promiſsione ornata (quum non ſint ſigna inſtituta à Deo) non poſſunt, nec ſecundum quod ipſe ſacramentum definit, dici ſacramenta. Nec oportet ſacramenta habere mandatum Dei, ſed ſufficit, vt diximus, promiſsio gratiæ & inſtitutio Chriſti, vt ſit ſcilicet ſignum gratiæ efficax. Sed ſic libet Philippo nugari de ſacramenti nomine, vt ex varia nominis acceptione perſuadeat nihil referre, quid ſacramentum vocetur, & ita vera eccleſiæ ſacramenta obſcuret, & minus æſtimari faciat, & ideò addit ſe putare non multum referre, quomodo numerentur ſacramenta. Et ſicut Mart. Luthe. in fine captiuitatis Babylonicæ, Si rigidè (inquit) loqui volumus, tantum duo ſunt in Eccleſia Dei ſacramenta, Baptiſmus, & Panis, cum in his ſolis & inſtitutum diuinitus ſignum & promiſsionem remiſsionis peccatorum videamus. Ita & Philippus in libello contra Anabaptiſtas docet, propriè tantùm duo eſſe ſacramenta. Quam ſententiam de duobus ſacramentis ſequuntur conſtanter & perpetuò Vlricus Zuinglius & Caluinus, nec tamen eo ſenſu, quo Martinus & Philippus: Non poteſt (inquit Ioannes Caluinus) abſolutio vel pœnitentia eſſe ſacramẽtum, quia ſacramentum eſt ſignum viſibile, habẽs Dei promiſsionem: hic autem ſignum eſt ſolùm audibile, nec aliam habet cæremoniam, quàm quæ eſt merum inuentum hominum. Cui argumento in Catechiſmo reſpondet Philippus, Euangelium hoc videlicet, quòd propter Chriſtum gratis remittuntur peccata, priuata abſolutio ſingulis applicat, & à Chriſto inſtitutum eſt hoc miniſterium annunciandi remiſsionem peccatorum multis & ſingulis, iuxta illud: Quorum remiſeritis peccata, &c. & ita Abſolutio eſt illuſtre teſtimonium in Euangelio à Chriſto inſtitutum, habens promiſsionem remiſsionis peccatorum, & Deum mendacij arguit & accuſat, ſentitq́; inania eſſe, quæ promittit, qui illi promiſsioni non aſſentitur, nec referre an ſignum ſit viſibile an audibile.

Duo ſacramenta Luthero & Melancht.

Caluinus cũ Melancht. pugnat.

IN omnibus ferè hic diſsident inter ſe, vt à nobis, vt certum ſit teſtimonium, quòd nec ſcripturis, nec veterum auctoritate nitãtur: ſed ſuo ingenio, ſine ſcriptũris, ſine Patribus, ſine ſolida ratione, quiſque adfert, quod ſibi bonum videtur. Et ſępè idem nunc vnum, & ſtatim poſt docet contrarium, vt clariſsimè patet legenti libros eorum.

De ſacramẽtorum vſu.

NEc minus diſcordant in ſacramentorũ vſu & fine, quàm in numero & ratione. Nam in vſu conuenire nõ poſſunt, qui in ratione nominis, ſiue definitione diſcordant, & varias eorum ſententias ipſe Philippus in locis communibus refert:

Variæ Lutheranorum ſententiæ ex Melancht.

Quidam, inquit, ſunt belli homines, qui cum velint videri ciuiliter interpretari cæremonias, dicunt ſacramenta non eſſe ſigna voluntatis Dei erga nos, ſed tantum notas noſtræ profeſsionis, quibus diſcernamur à reliquis gentibus, ſicut Romanos toga diſcernebat à Græcis, aut ſicut forma veſtitus diſcernit monachos: Sed hæc ciuilis interpretatio non ſatis explicat vſum ſacramentorum: etſi enim ſunt notæ profeſsionis, & ſigna confeſsionis, tamen hic non eſt principalis finis, nec iuuat conſcientiam.

Nos autem principalem finem, & qui conſcientijs proſit, quærimus. Anabaptiſtarum verò opinio eſt, quod ſacramenta ſunt quædam allegoriæ bonorũ operum: vt circunciſionem interpretantur ſignum fuiſſe coercendarum cupiditatum: Baptiſmum ſignum afflictionũ, eò quòd oporteat Chriſtianos ſubire fluctus & omnis generis pericula perferre, ſicut aquis in Baptiſmo immerguntur. Et cœnam faciunt quandam mutuæ beneuolentiæ ſignificationem, cuius ſympoſia apud omnes gentes ſunt ſigna. Quãquam autem, vt ait, hæ allegoriæ bonorum operũ non ſunt abſurdæ, tamen nondum de principali fine & vſu loquuntur. Sacramenta enim ſunt ſigna non tantum charitatis aut operum, ſed Fidei principaliter, item voluntatis Dei erga nos. Euangeliũ enim non tantum concionatur de operibus, ſed præcipue de voluntate Dei erga nos, & de fide: at illi, ſigna Euangelij tantum ad vnam partem, videlicet ad opera accommodant. Eſt igitur vera ſententia, quod ſacramenta noui Teſtamenti principaliter inſtituta ſunt, vt ſint ſigna voluntatis Dei erga nos, vt incurrẽdo in oculos nos admoneant, vt certo credamus promiſſioni in Euangelio propoſitæ. Coniungimus enim Sacramentũ & promiſſionẽ: & ſicut promiſſio fide accipienda eſt, ita & in vſu ſacramentorum fides accedere debet, quæ ſtatuat nobis ſpecialiter ea verè contingere, quæ in promiſſione proponuntur generaliter. Et ſe explicans in Apologia artic. 13 dicit, quòd certò debemus ſtatuere cum baptizamur, cùm veſcimur corpore Domini, cùm abſoluimur, q̃ verè ignoſcat nobis Deus propter Chriſtum, & hic vſus ſacramenti verè conſolatur pias & pauidas mentes. Eandẽ enim triũ quæ ponit ſacramentorum docet eſſe ſignificationẽ & vſum, videlicet excitare fidem, qua certi ſimus peccata nobis remitti.

Sententia Melanch. de vſu Sacramentorum.

Sed non placet Martino Bucero præclara hæc ſententia & conſolatoria, quam veluti primarium fidei articulum ſæpè Philippus poſt M. Luth. repetit & inculcat, reiectis aliorum de vſu ſacramentorum opinionibus. Nam in Comment. ſuper Matth. c. 3. eam totam euertit & improbat tanquam humanam inuentionem, vt reuera eſt, & ſine ſcripturarum fundamento. Error, inquit, recens natus eorũ eſt, qui affirmant Baptiſmum eſſe certum teſtimonium diuinæ erga baptizatum voluntatis, & connumerant eum inter ſigna, quæ miraculo quibuſdam ad cõfirmandam eorum fidem data legimus, vt reuocatam vmbrã in horologio Ezechiæ: & ſiccum nunc, nunc madidũ vellus Gedeonis, atq; ſimilia (his enim exemplis vtitur Philippus) eoq; putant vix alia re æquè ac ſignorum iſtorũ vſu conſolari atq; confirmari conſcientiam. Sed video hoc dogmate à Chriſti admiratione ſenſim ſimplicium animos ad ſuſpicienda plus æquo ſigna deduci & certè nulla ſcriptura hoc nomine nobis ſigna vel baptiſmum commendat. Deinde quomodo certum diuinæ gratiæ teſtimonium erit, eſſe baptizatũ aut Euchariſtia cõmunicaſſe, cùm vtrumq; cum impijs pij cõmune habeãt? Quæro ſi quis fidei imbecillitate de gratia Dei dubitet, tu verò volens illum confirmare, admones Baptiſmi & Euchariſtiæ: Confide, inquiens, non potes nõ Deo gratus eſſe poſtq̃ es baptizatus, poſtq̃ Euchariſtia cõmunicaſti, certa illa teſtimonia ſunt diuinæ erga te beneuolẽtiæ, nunquid trepidãs illius conſcientia mox reſpõderet: Qui poſſũt iſta certa eſſe diuinæ erga me gratiæ indicia, quæ multis impijs video eſſe cõmunia & multis noxia? Qui fingũt igitur iſti hanc ſignificationẽ ſacramẽtorum, ſine vllo ſcripturarum teſtimonio, & faciunt Deũ eſſe mendacem in ſacramentis, quando per ea ſignificat ſibi eſſe gratos & amicos, qui ſunt hoſtes & inimici?

Martinus Bucerus contra Philippum Melãchi.

Et ante Mart. Bucerum Vlricus Zuinglius: Alij, inquit, tradiderunt ſacramenta eſſe ſigna quædam, quæ dum fiant certum reddunt hominẽ de eo quod interius fit: quaſi, dum aqua tingitur homo, iã aliquid in eo fiat, quod ipſe ſcire nullatenus potuiſſet, niſi aqua ſimul perfuſus eſſet, quod tanq̃ abſurdum improbat in lib. de vera & falſa religione.

Zuinglius reijcit Melanchi. Sacramenti definitionem.

Nullam enim ſcripturæ mentionem faciunt huius bonæ voluntatis & fidei eius, quãdo docent de Baptiſmo, ſacra Euchariſtia, & Abſolutione. Argumento Philippi de eo quòd fides & promiſsio inuicem connectuntur, quodq; fide promiſsio accipitur, ſatisfiet quando reſpõdebitur argumentis M. Lutheri in aſſertionibus, ex quibus eã deſumpſit.

ADuerſantur etiam articulo Apologia, & alij quidam nouæ doctrinæ magiſtri, in eo, quòd dicit generaliter ſine exceptione ſacramenta per malos miniſtros diſpenſata eſſe efficacia.

Opinantur aduerſarij, quoddam eſſe malorum magiſtrorũ genus, per quod ſacramenta ita ſunt inefficacia miniſtrata.

Hi enim excipiunt peccatores manifeſtos, & illa excipit circa articulũ Confeſſionis Auguſtanæ Pſeudodoctores: Sacramẽta, inquit, ſunt efficacia, etiamſi à miniſtris malis tractẽtur, quia miniſtri funguntur vice Chriſti, non repræſentant ſuã perſonam, iuxta illud: Qui vos audit, me audit. Impij doctores deſerendi ſunt, quia hi iã non funguntur perſona Chriſti, ſed ſunt antichriſti, & ait Chriſtus: Cauete à pſeudoprophetis. Et Paulus: Si quis aliud Euangelium euangelizauerit, anathema ſit.

Quam ſententiam etiam Magiſter in Sententijs ſecutus videtur, diſtinctione 13. & 14. quarti Sententiarum, & beatus Cyprianus poſt Agrippinum prædeceſſorem ſuum eam tradit in epiſtola ſexta primi libri epiſtolarum, quæ ſcribitur ad Magnum, & 12. quæ eſt ad Cornelium Papam, & in epiſtola ad Iubaianum de hæreticis baptizandis, & monitus ſuper hoc dogmate à Romanis Pontificibus, prolixè reſpondet, & magna libertate in epiſtola ad Pompeium, contra epiſtolam Stephani Pontificis Romani, hoc dogma varijs argumẽtis ex ſcriptura collectis tuetur, videlicet quòd irrita ſunt & inualida Sacramenta ab hæreticis, & ſciſmaticis (ex eo quòd ſunt extra eccleſiam) miniſtrata, & ideò iteranda: nec Cyprianus ſolus, ſed totum Concilium Carthaginenſe hoc ſequitur, vt perſpicuum eſt ex actis illius ſynodi, quæ continet 7. libr. Auguſtin. contra Donatiſtas de Baptiſmo: nec ab hac ſententia abhorruit no-

Cyprianus.

ſtro

Eraſmus. ſtro ſeculo Deſiderius Eraſmus in epiſtola quam præmittit operibus Cypriani, qui diuerſam inquit à Cypriano & hac ſynodo ſententiam ſequi maluerunt, mihi quidem non tam argumentis videntur commoti, quàm fauiſſe ei parti, quæ magis abhorret à ſciſmate Donatiſtarum, ſimulq; perſpexiſſe, quàm non eſſet tutum eam aperire feneſtram, ſi ſacerdos impius nihil agere crederetur. Nam quantum habeant momenti, quæ diuus Auguſti. adfert de Sacramento & effectu Sacramenti, de characteribus, de diuerſa ratione baptizandi & remittendi peccata, prolixius ſit, quam vt conueniat hic expendere. Certè Chriſtus eiſdem baptizādi ius tradidit, quibus mandauit abſoluendi poteſtatem, nec tamen protinus abſoluit ſacerdos, quiſquis in hoc nomen inuocat Trinitatis. Quod ſi rês ab argumentis penderet humanis, & niſi concordia fauorem vbique mereretur, potius haberi poterat, quod ſequitur Cyprianus, quàm quod eſt receptum, quæ tamen in poſtremis editionibus omitti voluit: aduertit enim maius eſſe pondus argumentorum Auguſtini, authoritatis Eccleſiæ, ac generalis ſynodi, quàm exiſtimauerat prius, quantiq; ſit periculi & arrogantiæ poſt iudicium eccleſiæ, quod in generali ſynodo præceſsit, etiam tempora B. Auguſtini adhuc ſententiæ damnatæ fauere. *Auguſtin.* Nam B. Auguſtinus libro 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 7. & ſequêtibus dicit, ſaluberrimam conſuetudinem eccleſiæ, quæ venerat ex Apoſtolica traditione, ſecundum quam corrigebatur in hæreticis, quod paruum erat non iterabatur, quod datum fuerat, per Agrippinum prædeceſſorem Cypriani in Concilio Epiſcoporum fuiſſe correctam & mutatam, & poſteà plenario Concilio eccleſiæ fuiſſe probatam, & nouitatem inductam per Agrippinum, & Concilium Epiſcoporum Numidiæ damnatam. Et quam debilia ſint argumenta, quibus nititur Cyprianus, & patres concilij, oſtendit beatus Auguſtinus in libris contra epiſtolā Permeniani, & contra literas Petiliani Donatiſtæ, & plurima eorum, vt ipſe docet, ita probarent irrita eſſe, & adulterorū & homicidarum Sacramenta, quod non admittit Cyprianus, imò palam teſtatur malorum ſacramenta, etiam ſi moribus ſint peſsimi & notorij, quamdiu tolerantur, valida eſſe, rata & efficacia, modo nō reliquerint eccleſiam, hoc eſt, modò non ſint hæretici, ſciſmatici, vel excommunicati, vt patet ex epiſtola 4. libri 4. & in ſermone de lapſis, quam ſæpè citat, vt diximus, ad hanc ſententiam comprobandam beatus Auguſtinus, vt libro 3. contra epiſtolam Permeniani, & libro 4. Donatiſtas cap. 2. & in epiſtola 23. ad Bonifacium: & hoc argumento libro 4. contra Donatiſtas, cap. quarto, Cypriani & aliorum Epiſcoporum illius concilij argumentationem retorquet. Dicitur mihi, Ergo hæreticus dimittit peccata? ſic & ego vrgeo, Ergo qui cœleſtia mandata non ſeruat, auarus, raptor, fœnerator, inuidus, verbis non factis ſeculo renuncians ſacerdos, dimittit peccata? Tales enim multos Collegas ſuos eſſe confitetur Cyprianus: Si per vim Sacramenti Dei, ſicut & iſti, ita & ille: ſi per meritum vitæ, nec ille, nec iſti: latè hanc materiam diſputat Gratianus 1. quæſt. 1. & ſuccinctè tradit veritatem, diſtinct. 32. cap. Præter quam etiam clariſsimè probant, quæ ſuperius circa articulum adduximus.

Secunda ſententia aduerſariorum, de malis ſacramentorum miniſtris.

ALij verò, vt diximus, excipiunt vniuerſos manifeſtos peccatores. Nam Dominus, inquiunt, ſeueriter prohibet ne in huiuſmodi opere diuino cum palam peruerſis miniſtris communionem habeamus: qui non Cyprianum ſequuntur, ſed hæreſim Donatiſtarum: aduerſus quos dicit Auguſti. libr. 2. contra epiſtolam Permeniani cap. 10. Hic dici non poteſt, quod ſolent ineptiſsimè & impudentiſsimè dicere, tunc poſſe à malo baptizari quenquam, ſi lateat malitia baptizantis. Nec Dominus prohibet communionem in opere diuino cum palam peruerſis miniſtris quamdiu tolerantur: tales enim erant ſacerdotes & Pontifices tempore Chriſti, quos tamen ob cathedram in qua ſedebant, honorari & audiri mandauit. *Math. 21.* Quales etiam conqueritur Cyprianus ſuo tempore multos fuiſſe ſacerdotes, à quibus tamen nō vetabat ſacramenta ſuſcipi, imò & ipſe communionem & conſortium habebat cum eis. Sed Philippus in locis nouiſsimis Apologiæ ſententiam correxit: inſtructus enim quod ſacramenta non miniſtrātur in perſona Chriſti, docet ea miniſtrari etiam ab hæreticis vice Eccleſiæ, quamdiu tolerantur.

Phil Melan. veterem ſuā opinionem caſtigat.

Valuit, inquit, baptiſmus eorum, qui baptizati ſunt in Eccleſiis, vbi regnauerunt mali Doctores, quia fiebat vice veræ eccleſiæ, ſi tamen retinentur verba inſtitutionis. Arrianorum, inquit, baptiſmus non valebat, quia ſententiam verborū: Baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, non retinebant, valet igitur miniſterium quod retinēt in his ſacramentis, quæ non ex profeſſo corrumpūt, & ſi baptiſmus eorum valet, tamen quia docent impia de cæteris rebus, cauſſam præbent cur neceſſario Eccleſia ab ipſis diſcedat.

Adſtipulatur igitur articulo noſtro in locis, quando ſine vlla malorum exceptione hæreticorum baptiſmum valere dicit, quando verborum ſententia retinetur.

Tertia ſententia Lutheranorū de malis ſacramentorum miniſtris.

ALij verò, qui excipiunt peccatores manifeſtos, Donatiſtarum hæreſim ſequūtur ante tempora B. Auguſt. in eccleſia damnatam, & ideo ſeipſos damnant non articulum: & vt diximus, aliud eſt ſacramenta eſſe irrita ab hæreticis miniſtrata, aliud non licere ſacramenta ab eis ſuſcipere, quæ tamē ſuſcepta vera eſſent & rata, quamuis propter indiſpoſitionem à fructu impedirentur.

Miniſtri intentio à Caluino reijcitur.

ET quod diximus Concilium Florentinū & receptam in eccleſia doctrinam imitati, intentionem in miniſtro baptiſmi & ſacramentorum eſſe neceſſariam, damnat Ioannes Caluinus in antidoto Concilij Tridentini. Nam Concilio definiente, Si quis dixerit

xerit in miniſtris dum ſacramenta conficiūt & conſerunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod eccleſia facit, anathema ſit: ait ipſe, quid facere intendat miniſter, noſtra parum refert, & quod de intentione conſecrandi garriunt, à ſophiſtis nulla probabili ratione fuit proditum, ſed noſtrum eſt magis an[illegible]re Eccleſiam in Concilijs loquentē, quàm Caluinum ſine ſcripturis, vllàue probabili ratione, quàm ſi ſolam etiam conſulamus, inueniemus opus ad multa indeterminatum per intentionem applicandum eſſe ad effectum & ſignificationem Sacramenti, vt eius induat rationem, quæ ſuperuacaneū fuerit longius proſequi: hæc tamen prolixius diximus circa primum articulū, vt manifeſtum faceremus, quod noui Euangelij Doctores non minus inter ſe diſſentiunt, quam ab eccleſia Catholica, mutuiſque gladijs ſe confodiunt, vt ſecundum ſententiam beati Auguſtini tota victoria ſit apud Eccleſiam catholicam, cuius dogmata omnes hæreſes ex inſtituto impugnant.

Auguſtinus.

Argumenta aduerſariorum contra baptiſmum refutantur.

NVnc verò declarata veteris, hoc eſt Eccleſiaſticę doctrinę veritate, & contrarietate ac pugnantia aduerſariorū inter ſe, in noua, quam antiquitatis faſtidio inuenerunt, reſtat expendere argumēta, quibus ſe cogi ſcribunt relinquere concordem maiorum traditionem, quanti ſint ponderis & momenti, cum tamen tanti Origines faciat traditionem Eccleſiaſticam, vt hæreticū eſſe definiat, qui Chriſto ſe credere profitetur, & aliud de veritate Chriſtianæ fidei credit, quàm habet definitio traditionis Eccleſiaſticæ in commentarijs epiſtolæ ad Titum, & in homilia 29. ſuper Matthæum eam comparat, & modo quodam præponit ſcripturis Canonicis: quoties Canonicas, inquit, ſcripturas, quibus omnis Chriſtianus conſentit & credit, videntur dicere: Ecce in domibus, verbum eſt veritatis, ſed nos illis credere nō debemus, nec exire à paterna & Eccleſiaſtica traditione, nec aliter credere, niſi quemadmodum per ſucceſsionem Eccleſiæ nobis tradiderunt. Argumentatur autem contra Sacramentorum efficaciam, à qua reliqua ferè pendent, & eius & ſequacium de Sacramentis dogmata:

Origines.

Lutheri argumenta.

Martinus Lutherus in aſſertione primi articuli per Leonē Pōtificem damnati, qui habet: quòd hæretica eſt ſententia ſacramenta noua legis conferre gratiam illis, qui non ponunt obicem, hoc eſt, ex opere operato, & primo ex Scripturis, quæ paſſim docent nos fide iuſtificari, nulla facta Sacramentorum mentione.

Nam ſcriptura, inquit, ſic dicit ad Rom. 1. & Abacuc 2. ad Hebræos 10. Iuſtus ex fide ſua viuet: non dicit, iuſtus ex ſacramentis viuit.

Marci vltimo:

Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui autem non crediderit, condenmabitur, etiam ſi baptizatus fuerit. Neq; enim Baptiſmus ſaluat, ſed fides baptiſmi: Et ad Rom. 10. Corde creditur ad iuſtitiam, non dicitur: corpore ſuſcipiuntur Sacramenta ad iuſtitiam ad Roman. 4. Geneſis 15. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.

SEd hic mirandum eſt, quod non aduerterit B. Paulum poſt mirificam commendationem fidei factam, c. 3. 4. & 5. epiſt. ad Romanos, cap. eiuſdē ſexto palam docere, quod mortui ſumus peccato, & conſepulti cū Chriſto per Baptiſmū, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, nulla facta fidei mentione. Et ne arbitremur diuerſa eſſe peccato mori & iuſtificari, ipſe ſui interpres addit: qui enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato. Non igitur impugnant (vt aduerſarij ſupponunt) nos fide iuſtificari & ſacramētis, quando vtrunque docet beatus Paulus in eadem epiſtola: oportebat igitur credere vtrunque verum eſſe, quando vtrunque ſpiritus Chriſti in ſcripturis per beatum Paulum & alios Apoſtolos docet, & ex ſcripturis & doctrina eccleſiæ Catholicæ inquirere, quomodo verum ſit vtrumque, quod verum eſſe firma fide ex verbo Dei credere oportet. Nam & beatus Petrus, qui Actuum. 15. ait, Fide purificari corda, in prima ſua concione Iudæos monet, quod baptizentur in remiſsionem peccatorum in nomine Domini Ieſu: & in epiſtola priori ſcribit, quod baptiſma ſaluos non facit. & Apoſtolus Paulus, quod Chriſtus Eccleſiam ſuam mundat lauacro aquæ in verbo vitæ, & quod ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis, quæ ſæpè repetere cogimur: falſum eſt igitur, quod in ſcripturis nō reperitur, quod iuſtus ex Sacramentis viuit: Qui manducat me (inquit Saluator) viuet propter me: Et, panis quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita. Et nos accipere vitam & remiſsionem peccatorum per ſacramentum baptiſmi & pœnitentiæ, & ad hoc eſſe inſtituta, clarè docet Saluator, dum ait: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, & cæt. Et quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Per renaſcentiam enim accipitur vita, & remiſsione peccatorum iuſtificamur: & ita nō ſolum iuſtus, ſed & impius ex ſacramentis, ſcripturarum teſtimonio, viuit & iuſtificatur accepta peccatorum remiſsione, & corpore ſacramenta ſuſcipiuntur ad iuſtitiam: Quæ (inquit beatus Auguſtinus) tanta eſt vis aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat? Quomodo autem hæc duo conſentiant, & ſi intelligere non poſsimus, ſcripturis tamen ſine vlla diſputatione credere oportet, & noſtri intellectus imbecillitatem in penetrandis noſtræ iuſtificationis myſterijs agnoſcere, veluti religioſè & eruditè quidam confitetur: Qua via, inquit, Deus per Sacramenta gratiam infundit, mihi iudicium non arrogo, neque valde veſtigo, cum ſint inueſtigabiles viæ eius: certè aliqua via Deum feciſſe credo, vt illic aqua non ſit ocioſa, vbi Deus tam multa & magna per aquam prædicat

Iuſtificamur & fide & ſacramentis.

Actuum 15.

Epheſ. 5.

ad Tit. 3.

Iuſtus ex ſacramentis quoq; viuit

Ioan. 3.

Ioan. 20. c.

Iuſtificationis modus eſt occultiſſimus.

cat facienda. Aqua è latere Chriſti manans, ſpiritualem vitæ vim fonti generationis infudit: Dei benignitas ſacramenti ſui ſernore teporem credétium adiuuat, & multi per ſacramenta ſalutem conſequuntur, qui de ſua fide nõ amplius polliceri poſſunt, quam is, qui dixit: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Nec tamen difficile eſt intelligere, quomodo hæc conſentiant, ſi ſcripturis Canonicis attendamus, & Patrum volumus ſequi veſtigia. Nam, vt diximus: ſicut ſanamur per medicamentum & operationem naturę medicina vtentis, ſic ſacramentis iuſtificamur, & vitam gratiæ accipimus, perficiente per ipſa Deo, quod ſua gratia per fidem inchoauerat: Sacramenta itaque perficiunt Fidem, & ei, quæ infirma, mortua, aut ſterilis erat, ſpiritum addunt & efficaciam, vt per dilectionem operetur & iuſtificet.

Sacramenta quomodo vitam adferant & iuſtitiã.

Fides quæ D. Paulo iuſtificet.

De qua fide ſit perfecta docet ſe loqui Apoſtolus Paulus in epiſtola ad Romanos, quando fide dixit nos iuſtificari. Nam capit. decimo explicans quam fidem intellexiſſet, hoc (inquit) verbum, de quo Moyſes in Deuteronomio cap. trigeſimo, quod prope eſt in ore tuo, & in corde, eſt verbum fidei, quod prædicamus iuſtificare, & de quo propheta: Iuſtus ex fide viuit, hoc eſt fidei, quæ per dilectionem operatur. Nam fidei explicitè Moyſes ibi non meminit, ſed dilectionis & reuerſionis ad ipſum ex toto corde, quæ ſine fide eſſe nequit, ſicut nec fides viua ſine ea, propter quod ſeſe includunt mutuo, & vna intelligitur in altera. Et in epiſtola ad Galat. poſt multam fidei commendationem expreſſe interpretatur ſe intelligere eam fidem, quæ per dilectionem operatur. hac enim ſola iuſtificamur: ex Scripturis enim certũ eſt non quamlibet fidem iuſtificare: Ex principibus enim (ait Ioannes Apoſtolus) multi crediderunt in Ieſum, qui propter Phariſęos nõ confitebantur, vt e ſynagoga non eijcerentur: dilexerunt enim hominum gloriam magis, quam gloriam Dei.

Rom. 10.

Abacuc. 2.

Galat 5.

Ioan 12.

Non fides quælibet iuſtificat.

Cum igitur fides quędam ſit puſilla, ſit infirma, ſit mortua, ac ſterilis teſtimonio ſcripturarum, Deus qui eam inchoauit, eam & perficit, ſpiritum ſuum ei afflando, quo viuat, firmetur, & fiat operoſa. Et ſi hoc facere ſtatuit per ſacramenta, qui ſine eis, & modo quo vult, vt inchoauit, ſic eam perficere poteſt, quis ei dicere poteſt, quare hoc ſic facis? Eum autẽ hoc facere per ſacramenta, pręcipue baptiſmi & Pœnitentiæ, ſuperiora teſtantur. Nec mirandum eſt, quod per ſacramenta, quæ opera Dei ſunt, ex Chriſti inſtitutione hæc fiant, quando beatus Iacobus docet ex fide & operibus nos iuſtificari, fidemque ex operibus conſummari. Vides, inquit, quod fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides eſt conſummata. Quid igitur impediet quo minus per Sacramenta fidem conſummet, viuificet, & ſpiritum vitæ aſpiret? Nam hoc apertè docet beatus Petrus, quod ex fide & corde compuncto pœnitentes per baptiſmum acceperunt remiſsionem peccatorum, & donum ſpiritus ſancti, quo prior pœnitentia & fides viuificarentur & formarentur. Nam vt beatus Chryſoſtomus ait: qui creauit & formauit hominem ex terra, poteſt reformare ex aqua. Et corde quidem creditur ad iuſtitiam, modo tamen ſic credatur, quòd aſpergatur cordibus noſtris ſanguis Chriſti, qui plerunque per ſacramenta nobis in iuſtificationem applicatur. Nam: ſicut credidit Abrahã Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam, ſic circunciſus eſt Iſaac, & annumeratus eſt populo Dei, ne in æternum periret. Et Phinees ſtetit & placuit, & ceſſauit quaſſatio, & reputatũ eſt hoc ei ad iuſtitiam, Pſal. 105. Fide itaque iuſtificamur, & in Chriſto viuimus, modò acceſſerit ſpiritus vitæ, ſpiritus viuificans quem plerunque nobis impertitur & donat per ſacramenta, quæ inſtituit in ſupplementum noſtræ infirmitatis, vt per ea ſuppleat & perficiat, quod in opere noſtro deſideratur & deficit. Nam ſępe præparatio pœnitentis ad iuſtificationem non ſufficit: accedente autem ſacramento iuſtificamur, ſupplente ſcilicet ex merito Chriſti, quod minus erat & deficiens ex parte noſtra.

Iacob. 2.

Actuum 2.

Chryſoſt.

Per ſacramẽta ſanguis Chriſti nobis applicatur.

Sacramenta ſupplent noſtram præparationem imperfectam.

DIces, Apoſtolus dicit, quòd iuſtitia Dei eſt ſuper omnes, qui credunt in eum, Chriſtum ſcilicet, ergo omnis fides iuſtificat. Sed ipſe interpretatur, quòd ſuper omnes, qui credunt in eum toto & pleno corde ad eum conuerſi. cap. 10. Nam idem eſſe docet verbum fidei, qua iuſtificamur, & verbum de quo Moyſes Deuter. 30. quod certum eſt eſſe verbum conuerſionis ex toto corde ad Deum, vt diximus. Hanc autem fidei plenitudinem & perfectionem vel tribuit, vel ſupplet plerũq; ſacramentum, ſpiritum vitæ ex Chriſti merito adducens, quæ plenius explicabuntur circa articulum de contritione & pœnitentia: oſtendetur enim, quòd nõ quilibet dolor de peccatis ſufficiat ad remiſſionem peccatorũ ſine ſacramentis, nec quælibet fides, quæ tamen adhibitis ſacramentis ſufficeret, imo ſecundum aduerſarios, ſola fides ſpecialis, qua infallibiliter credimus, quaſi ex verbo Dei, nobis ob Chriſtũ remiſſa eſſe peccata, iuſtificat & peccata remittit.

Rom. 3.

Fides perficitur ſacramẽtis.

EX quibus manifeſtum eſt, ſcripturas in articulo Martini Lutheri citatas non tollere ſacramentorum efficaciã, cùm fides non excludat ſacramenta. ſicuti nec pœnitẽtiam & Dei dilectionem, quam ex Pauli interpretatione includit, ſed potius virtutem habet plerunque iuſtificandi à ſacramentis, per quæ aſpirat Deus, vt diximus, Spiritum vitæ iuſtificãtem. Reſpondet autem prolixè his ſcripturis ſigillatim Reuerendiſsimus epiſcopus Roffenſis, circa primum articulum aſſertionis. Quemadmodum enim Deus vtitur miniſterio hominum in noſtra ſanctificatione, ita & rebus inſenſibilibus vti poteſt, ſine iniuria mortis Chriſti: homine namque plantante & rigante, incremẽtum dat Deus, & ad vocem ſalutationis Mariæ, exultauit in gaudio infans in vtero Elizabeth, & ipſa impleta eſt Spiritu ſancto.

 Deinde

Alia Luthe ri argumen.

DEinde ratiocinatur Martinus eodē loco, in omni ſacramento eſt verbū promiſſionis diuinæ, quod affirmatiuè promittit & exhibet gratiā Dei eis qui ſuſcipit ſacramentum. Vbicunq; autē Deus promittit, ibi exigitur fides audientis, ne Deū faciat mendacem ſua incredulitate. quare in ſacramentis ſuſcipiendis neceſſaria eſt fides ſuſcipientis, qua credat id quod promittitur, ſic baptiſmus datur in verbo iſtius promiſſionis: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, ergo neceſſe eſt, vt baptizandus credat ſe saluū fore, vbi baptizatus fuerit. alioquin Deum in ſua iſta promiſſione facit mendacem, quod eſt horrendum. Sic in ſacramento pœnitentiæ datur abſolutio in verbo iſtius promiſſionis: Quodcunq; ligaueris ſuper terrā, ligatū erit & in cælis: Quare oportet, vt abſoluendus credat & non dubitet, ſeſe verè abſolui in cœlis apud Deum, dum abſoluitur in terris per ſacerdotem, ne Chriſti promiſſionem mendacem faciat.

Sic in ſacramento Panis datur corpus Chriſti in verbo iſtius promiſſionis: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum. quod pro vobis tradetur. Oportet ergo manducante omninò & firmiter credere, corpus Chriſti non tantum pro alijs, ſed & pro ſe eſſe datū, & ſanguinē Chriſti pro ſe fuſum in remiſſionē peccatorum, ſicut verba promiſſionis apertè ſonant, alioqui irridebit promiſſionē iſtam Chriſti, & iudicium ſibi manducabit. Ex quibus euidens eſt neceſſariā eſſe fidem ſuſcepturo ſacramētum qua credat ſe conſecuturū id, quod ſacramentum promittit & donat, vt ſic verū ſit, quod dicitur: Non ſacramentū, ſed fides ſacramenti iuſtificat. Cū enim in omni ſacramento ſit verbū Dei vt dicit B. Auguſt. ſuper Ioannem, accedit Verbū ad elementum, & fit ſacramentum. Vbicunq; autem verbum Dei eſt, ibi fides hominis in ipſum requiritur. Multi enim ſacramentū ſuſcipiunt, & tamen non iuſtificantur, ſed magis damnantur, quia ſine fide ſuſcipiūt. Sola ergo fides iuſtificat, vt prædictæ autoritates probauere. Quare hæretica ſententia eſt, quæcunq; cōtraria eſt huic Apoſtolicæ & catholicæ ſententiæ. At talis eſt eorū qui dicunt ſacramēta nouæ legis dare gratiam ijs, qui non ponunt obicem, quorū auctor Scotus eſt. Quod probo ſic: quia docent non modo non eſſe neceſſariam fidem, qua credas te accepturum id, quod ſacramentum promittit, ſed quod ſufficiat, vt non ponas obicem. Obicem autē vocant peccatum mortale vel propoſitū eiuſdem, quale eſt homicidium, libido, & ſimilia: adeò vt ſatis ſit ſuſcepturo ſacramentum, ſi deſinat peccare, & propoſitū deponat, etiamſi nullū bonū propoſitum formet: quidā enim ex eis dicunt, nec motum bonū cordis requiri. Hæc omnia, quia ſupradictis contraria ſunt, verè hæretica ſunt. Incredulitatem verò pro nullo obice habent, ſcientes quod non eſt in poteſtate noſtra ponere incredulitatem, ſed ſolius Dei, qui infundit ſolus fidem. Quidam autem ex eis addunt requiri attritionem & fidem acquiſitam: quæ duæ res, quid ſint, nemo illorum potuit vnquam docere.

Quæ omnia hoc ordine Martinus Lutherus in aſſertione primi articuli ſui damnati proſequitur. Hic ante reſponſionem conſiderandum eſt, quod ex hac argumentatione concludit Martinus, nos iuſtificari non ex ſacramentis, nec ex fide Euangelica, quæ verbū Dei in genere reſpicit, ſed fide ſpeciali, qua credit de ſe quiſque, quod ſibi remiſſa ſunt peccata, ſe ſaluum fore, ſe vere abſolui in cœlis: quam articulus nonus dicit nullum habere in ſcripturis fundamentum, immò & ſcripturis aduerſari, quod & in illius tractatione oſtendemus, quod tandem agnoſcens & Philippus in Locis nouiſſimè editis, dicit fidem accipi pro fiducia miſericordiæ DEI, quando fide Apoſtolus dicit nos iuſtificari. Hæc enim, ait, fiducia nobis applicat mortem Chriſti, non notitia hiſtoriæ, quæ non adfert pacem, imò auget pauores & deſperationem, ſicut in diabolo. Quod enim terribilius eſt ſignum iræ Dei, quam placari non alia victima potuiſſe, niſi filij morte? hæc fiducia, quod Filius Dei paſſus eſt, vt tibi ignoſcat, quanquam male merito, conſolatur mentem perterrefactam & pacem adfert: de qua Apoſtolus, iuſtificati fide, hoc eſt fiducia, nunc pacem habemus: ſic & locum Geneſis ex Auguſtino interpretatur: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam: & ſententiam beati Bernardi in concione de annunciatione Mariæ, Adde vt credas & hoc, quòd per ipſum peccata tibi donantur, credas, hoc eſt, confidas. Aduertit namque, quod non poteſt infallibiliter credi, quaſi verbum DEI, à quoquam, quod ſibi ſunt remiſſa peccata, cum de hoc nullum ſit verbum DEI in ſcripturis, & vnuſquiſque ſic credendo multis modis falli poteſt, propter cordis humani profunditatem. Nam prauum, inquit Propheta, eſt cor hominis & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes: intelligit igitur fide hoc eſt fiducia miſericordiæ Dei nos iuſtificari, quod nec conſtare poteſt. Nam Apoſtolus Paulus refert fidem non ſolum ad auditum verbi promiſſionis, ſed in genere verbi Dei, & ad intellectum magis quam affectū: quis, inquit ex Propheta, credit auditui noſtro? ergo fides ex auditu: auditus autem per verbum Chriſti: & eodem loco, gentē incredulam inſipientem dicit, & in Act. cap. 26. refert Dominum dixiſſe: Ego mitto te aperire oculos eorum, vt conuertantur a tenebris ad lucem, de quo circa articulum nonū videbitur.

Philipp. Melanchton ſententiam ſuā reuocat fide iuſtificari i. fiducia miſericordiæ.

TOta igitur hæc argumentatio ſupponit eſſe hanc fidem ſpecialem, & ex ea ſola nos iuſtificari, quando ſacramenta ſuſcipiuntur, quam eſſe ſcripturæ non patiuntur, nec rei natura: cordis ſcilicet noſtri profunditas. & ſi eſſe poſſet, & impium iuſtificare, non tamen ſequeretur, quod ſacramētis non iuſtificamur, vt declaratum eſt in ſolutione ſcripturarum, quas adduxit Martinus. Reſpondeamus tamen ad ratiocinationem.

nem. In omni, inquit, ſacramēto eſt verbum promiſsionis diuinæ, quod affirmatur, &c. falſum eſt hoc aſſumptum, quia ſacramentum conſtat ex elemento & verbo, in quo ſacramentum inſtitutum eſt, non autem ex verbo per quod inſtitutum eſt, quod eſt verbum promiſsionis, vel potius infallibilis ordinationis. Illud autem eſt verbum exhibitionis gratiæ promiſſæ in inſtitutione ſacramenti, vt in ſacramento Pœnitentię verbum promiſsionis eſt: Quorum remiſeritis peccata &c verbum autem ex quo ſacramentum conſiſtit: eſt, Ego te abſoluo à peccatis, quod & peccata remittit, eſtq́; in ſacramento, ſicut pars in toto: verbum autem promiſsionis eſt in ſacramento, ſicut cauſa in ſuo effectu. cum ex inſtitutione ſacramenta habeant quòd ſacramenta ſint, & efficacia, & ideo nō plene cognoſcitur efficacia & ratio ſacramenti, niſi habito reſpectu ad verbum promiſsionis, quo ſēſu improprio ſcilicet admitti poteſt quod aſſumitur. Quod in omni ſacramento eſt verbum promiſsionis diuinæ, quod affirmatiuè promittit gratiam, ſed valde impropriè dicitur ſimul exhibere gratiam. Nam promittens promittendo non exhibet, ſed promiſsionem implendo: ſed admittatur, ꝙ promittit & exhibet gratiā, quia eſt cauſa exhibitiōis quādo ſacramentum ſuſcipitur, & ita propoſitio primo aſſūpta. admittatur. Quando aūt ſubſumitur, vbicunque autē Deus promittit, ibi requiritur fides audientis: ad hoc itē reſponſum eſt, quòd in ſacramētorum applicatiōe nullum eſt verbum promiſſionis, ſed exhibitionis gratiæ tantum. Sed replicabitur, Qualecunque fuerit verbum ſiue promiſsionis ſiue exhibitionis, ſi eſt verbum Dei loquentis ſe gratiam exhibere, neceſſaria eſt fides in audiente: cui reſponſum eſt negando conſequētiam, quando verbum Dei eſt operatorium, & non mediante intelligentia eius, quale eſt verbum Sacramentorum, quod manifeſtum eſt in paruulorum Baptiſmo, & his qui inculpabiliter diſtracti Sacramenta ſucipiunt: qui negatiuè non credendo, non propterea faciunt Deum in promiſsis mendacem. & admiſſo quod adſit in ſacramentis fides verbi Dei quo promittit & exhibet hoc ipſum etiam ſignificando, non propterea oportet eſſe abſolutam Fidem qua credat ſibi remiſſa peccata, & ſaluum fore, quia verbum Dei promittentis & Sacramenta inſtituentis generale eſt, & verificatur ſub modo & conditione ſubintellectis. Non enim omnis qui abſoluitur à ſacerdote in terris, abſoluitur in cœlis, vt ſi impœnitēs eſt, & ſide promiſsionem, ſecundum Martinum, non apprehendat, nec Baptiſmus cuiuslibet baptizati tollit peccata. requirit enim fidem & pœnitentiam veteris vitæ. Quamuis igitur in me ſuſcipiente Sacramentum eſſet fides promiſsionis, ſecundum quam eſt inſtitutū, & non ea fides, qua creditur in me promiſsio impleri propter defectum modi & conditionis, ſub qua intelligitur promiſſio (quod videtur mouiſſe Philippum in Locis, quod intelligeret fiduciam, per fidem iuſtificantem, & Credere iuſtificans eſſe Fidere) non ideo tamen facit Deum mendacem, ſi credat verbo ſecundum intellectum ab eo intentum, hoc eſt ſub modo & conditione, ſine quibus ſi crederet verbo Dei adderet vel admiret: ſic autem verbo quo deus in Sacramentis loquitur credere poteſt, non tamen infallibiliter credendo ſibi eſſe remiſſa peccata. Quando ergo additur: quare in Sacramentis ſuſcipiendis, neceſſaria eſt Fides ſuſcipientis qua credat id quod promittitur. Reſpondeo, neceſſariam eſſe fidem in adulto dignè ſuſcipiente Sacramenta omnes docemus. Nouimus enim Philippum reſpondiſſe Eunucho quærenti: Ecce aqua, quid me prohibet baptizari? ſi credis ex toto corde, licet: & accepto reſponſo eius, quòd crederet Filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum, eum baptizauit. Nec ſolùm Fidem docemus neceſſariam in Sacramentorum ſuſceptione, ſed & certam fiduciam conſequendi eorum effectus, vt habet articulus. 9. Sed quam Fidem requirat Baptiſmus, inter nos cōtrouertitur. Et docēt Philippus & Eunuchus, quod nō promiſsionis, imò nec exhibitionis gratiæ promiſſæ, ſed quòd Ieſus Chriſtus eſt Filius Dei in hunc mundū à Patre miſſus: admitti tamē poteſt, quòd requiritur in Sacramentis Fides eius quod promittitur, ſed confuſa & in genere ſufficit, non autem Fides vt apprehendens effectum Sacramentorum, ſed tanquam diſpoſitio ſuſcipientis Sacramentum, ſine qua fructum non parit: Et in verbo quidem huius promiſsiōis, hoc eſt, virtute eius, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, datur Baptiſmus: ſed ex eo non ſequitur, quòd neceſſe ſit quòd baptizādus ſimpliciter credat ſe ſaluum fore, vbi baptizatus fuerit: cum ſalus æterna & à peccatis in Baptiſmo multis modis impedire poſsit. Fides autem quæ verbo Dei nititur, eſt infallibilis. Verba igitur hæc inſtitutionis Baptiſmi ſub modis quibuſdam & conditionibus ad mentem Saluatoris ſunt intelligenda, & hoc ſenſu infallibiliter credere oportet eum qui baptizatus eſt, ſe ſaluum fore: ſi ſcilicet credit vt oportet, & nullum ponat ſalutis impedimētum. Et ſimiliter quia is qui abſoluitur à ſacerdote, poteſt habere fructus ſacramēti obicem, qui tamen eū lateat, non oportet quòd credat ſe verè abſolui in cœlis, niſi intelligatur: Credat, id eſt, non dubitet, & confidat, prout interpretatur Philippus. an tamen dubitanti remitti poſsint peccata in pœnitentia, vel Baptiſmo, ſi dubitatio eſt propter ſuā indiſpoſitionem, non de Chriſti promiſsione, vel Sacramenti efficacia, dicitur circa. 9. articulum. Certum eſt igitur non requiri abſolutam fidem in eo qui abſoluitur, & ſufficere fiduciam de effectu conſequendo. Similiter reſpondendum ad hoc quod addit: Māducantem omnino & firmiter credere oportet, Corpus Chriſti non tantum pro alijs ſed & pro ſe datum eſſe, & ſanguinem pro ſe fuſum in remiſsionem peccatorum. Nec

Actuum. 8.

Fides Baptizando quæ neceſſaria.

Actuum 8.

hoc concludi poteſt ex verbis Lucæ, quæ habent, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur, Apoſtolis ſcilicet, quorum vnus me eſt traditurus, quamuis modo quodam pro omnibus traditum eſt, & Sanguis effuſus, ſed non ſecundum efficaciam, ſed ſufficiẽtiam tantum, vt poſteà dicetur. Et ideo Matthæus dicit: Hic eſt Sanguis noui teſtamenti, qui pro multis effundetur, pro ſe tamen quiſque corpus traditum, & ſanguinem fuſum certò confidet, ſed diuerſa ſunt Credere & Fidere, quod intellexit etiam Philipp⁹. Nam prius ad intellectum, poſterius ad affectũ pertinet. Ex quibus patet improbabile eſſe quod infertur: Ex quibus euidens eſt, neceſſariam eſſe fidem, &c. vt ſic verum ſit, non Sacramentum, ſed fides ſacramẽti iuſtificat. Nam ex dictis patet, quòd fides, quia credit ſe certo conſequuturum id quod ſacramentum promittit & donat, temeraria eſt, non neceſſaria: quãquam in adulto ſit neceſſaria de hoc fiducia. Nec vllo modo cõſequens eſt quòd fides ſacramenti, & non ſacramentum iuſtificat. Nam de fide ſacramẽti nulla hactenus eſt facta mentio, ſed de fide promiſsionis: & ex dictis patet, quòd ſacramentum iuſtificat, & ſimiliter fides quę per dilectionem operatur, non propriè ſacramenti: ea enim eſt fides qua credimus ſacramentum ſuſcipere. Et quando dicitur: Vbicunque verbum Dei eſt, ibi fides hominis in ipſũ requiritur, ſæpè reſponſum eſt non eſſe verum, quando verbum Dei eſt operatorium ſine intelligentia eius ad quem dirigitur. Et verum eſt quòd multi ſacramenta ſuſcipiunt, qui tamen non iuſtificantur, ſed damnantur magis, quia ſine fide ſuſcipiunt, illa ſcilicet, quã vnumquodque requirit: ſingula enim peculiarem requirunt vt præparationem, ita & fidem, modo tamen quem diximus. Non autem ideo damnãtur, quia ſine fide hac ſpeciali vel apprehẽdente iuſtitiam ſuſcipiunt, quæ propter temeritatem ſic credendi potius impedit effectum, quam cooperatur: nullo igitur modo, conſequens eſt quòd ſola fides iuſtificat. Nec alia ſequuntur quæ conſequenter concludit Martinus, ſcilicet hæreticam eſſe ſententiam & catholicæ ſententiæ contrariam, Quòd ſacramenta nouæ legis conferunt gratiam his qui non ponunt obicem. Quod nullum motum cordis bonum, nullum bonum propoſitum ſcholæ requirunt in adulto ſuſcipiente ſacramenta, iam doctum eſt falſiſſimum eſſe, & incredulitatem habent pro obice, quando ſine fide docent ſacramenta non eſſe ſalutaria. De attritione & fide acquiſita dicetur circa articulos 4. & 9. Ex dictis manifeſtum eſt, quòd nec ſola fides iuſtificat, ſed & ſacramẽtũ: nec omnis fides, ne promiſſionis quidem diuinæ, ſed ea ſola quę amore Dei animum inflammat, & veteris vitæ inducit pœnitentiam, vt ipſimet aduerſarij cõfitentur. Docet enim, quod fide nemo apprehendit iuſtitiam & remiſsionem peccatorum, niſi noui diuinique in eo ſequantur effectus, & in nouum hominem transformetur. Magnam enim fidem habebant, qui in nomine eius eijciebant dæmonia, prophetabant, & virtutes multas faciebant: quibus tamen aliquando confitebitur Dominus, quod nunquã eos nouit, quibus tamen ſi per ſacramenta ſpiritum ſuum aſpiraſſet, fuiſſent iuſtificati, & inter filios Dei computati. Et ideo in hoc etiam peccat argumentatio Martini, quod ſupponit omnem fidem Sacramenti, vel promiſsionis Dei, iuſtificare, quod palam ſcripturis aduerſatur. Et quamuis neceſſaria eſſet fides in ſacramentis ſuſcipiendis, non tamen ad hanc excitandam, vt ſæpe diximus, ſunt inſtituta principaliter. Nec aliqua ratione fide apprehenditur iuſtitia aut remiſsio peccatorum, niſi ſicut diſpoſitione præuia iuſtificationi.

Sacramẽtũ, non fides ſacramenti iuſtificat.

EX quibus patet ſolutio ad argumentum Philippi propoſitum fo. 23. Sacramenta, inquit, noui teſtamenti principaliter inſtituta ſunt, vt ſint ſigna voluntatis Dei erga nos, &c. Nam falſum hoc eſſe ex ſcripturis, & Patribus monſtratũ eſt. Nec ſatis erat hoc dicere ſine ſcripturis, ſine patrib. ſine cõciliorũ definitionibus ad ſtabiliendũ hoc dogma nouum, nunquam in eccleſia auditum, quo etiam vniuerſa ſacramenta euertuntur & tolluntur. Scio Philippe quòd nullam potes hic adducere ſcripturam perſuadentem, nullum veterum ſcriptorum. Primus hanc ſacramenti rationem excogitauit præceptor tuus Martinus, vt fidem ſuam ſpecialem & fictitiam auditoribus ſuis obtruderet & cõmendaret, & vniuerſa eccleſiæ ſacramenta aboleret, & quaſi nouus legiſlator abolitis veteribus noua inſtitueret & obtruderet, nouaſque leges ea ſuſcipiendi. hic certè oportebat certiſsimas & clariſsimas adducere ſcripturas, quę cogerent contra omnium veterum & totius eccleſiæ catholicæ ex ſcripturis iudicium tuæ hic ſubſcribere nouitati, quam etiam alij doctrinæ veteris hoſtes, vt Hulricus Zuinglius, Martinus Bucerus, & doctores Tigurini, vt erroneam, & ſcripturis aduerſantem improbant. Nec tu hanc fidem ſpecialẽ ad mentẽ Magiſtri tui Martini tueri potes, imò improbas & ad affectũ & fiduciã eam transfers. An nõ crederetur promiſſioni & verbo Dei, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, niſi admonitione eius facta per Baptiſmũ? Nemo Baptiſmũ vtiliter ſuſcipit, niſi ex fide huius verbi ſaltem implicita præcedente, accedat: Ex ea enim in ſalutem & remiſsionem peccatorũ ſe baptizãdum confidit. Sed audiamus eum hoc dogma probantem: Ita inquit coniungimus ſacramentum & promiſsionem quaſi ſignum videlicet ad ſignatum, ſed vos primi ſic coniungitis, ante vos nemo, ſed ſacramentũ coniunxerunt promiſsioni omnes, quaſi diſpoſitioni ac ordinationi diuinæ & rationi, ex qua efficaciã habet, & ſalutẽ operatur: rei aũt promiſſę tanq̃ efficaciter ſignificatæ. Et ſicut promiſsio, inquit, fide accipiẽda eſt: ita & in omni vſu ſacramẽtorũ fide accedere debet, q̃ ſtatuat nobis verè cõtingere: quę in ꝓmiſsione

Lutherus refellunt Melancth. Bucerus, Zuinglius.

miſsione generaliter promittuntur. Nullas hic audimus ſcripturas, nullũ verbum Dei, quod totius regni Pontificij, quod dicunt, hoc eſt totius Eccleſiæ catholicæ, ſubuertat ſententiam. Eſt quidem fide accipienda promiſsio Dei, ſic & comminatio, & omne eius verbum: ſed qua cõſequentia, propterea oportet in vſu ſacramentorum fidem accedere, quæ ſtatuat mihi verè contingere, quæ generaliter tantum & ſub modo & conditione promittuntur, vt tu quaſi primarium fidei articulum doces & ſi fides accederet, non propterea huiuſmodi fides quam doces tu hic, & in Locis retractas. Nam ſtatuere ad intellectum pertinet. Et quid abſurditatis eſt, ſi negetur hæc hypotheſis, quam repetis frequenter tanquam fidei articulum, quòd promiſsio fide accipienda eſt, & quòd non niſi fide apprehenditur: magis enim pendet eius impletio à veracitate promittentis, quã à fide & credulitate eius, cui eſt ex promiſſo aliquid præſtandum. Nunquid incredulitas, eorum, inquit, Apoſtolus, fidem Dei euacuauit? abſit. Eſt autem Deus verax, vt in promiſſis, ita & in comminationibus, & in omni verbo ſuo: omnis autem homo mendax: multa enim promiſſa præſtantur non credentibus, & vni plerumque promittitur, quod præſtabitur alteri. Multa largitur Deus beneficia ignorantibus, multa non petentibus, quibus & ingrata ſunt, multa diffidentibus. Quòd enim ſumus, quod paſcimur, quòd in vita ſeruamur, Dei ſunt beneficia, quæ accipiunt etiam amentes & infideles, qui ea non credunt a Deo donari: & ex Chriſti promiſsione infantes accipiunt in baptiſmo beneficia promiſſa, quorum nullam fidem habere poſſunt, nullámve notitiam: & Naaman Syrus a læpra ſanatus eſt de hoc diffidens: & in ſcripturis promittuntur beneficia vni, quę præſtanda ſunt alijs promiſsionum ignaris, quales ſunt promiſsiones factæ ad Abraham: nec fide accipimus promiſsionem aut rem promiſſam, ſed animo & affectu cum gratiarum actione complectente, quod certa ſpe priùs ex promiſsione expectabamus: ſicut ſi corporale eſt quod promittitur, manibus ipſum apprehendimus quando donatur, nam ſpei ſiue expectationi, apprehenſio eius quod expectabatur, ſuccedit: ſicut quod comminatur Deus, non fide, ſed animo patiente ſuſcipiendum eſt, vt dicamus cũ Iob: Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quare non ſuſtineamus? Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut domino placuit, ita factum eſt. Nunquam igitur propriè fide accipimus bona vel mala à Domino, ſed animo & affectu, quaſi manibus extenſis.

Melanchton ſuum dogma in Locis retractat.
Promiſsio.
Deum promittentẽ reſpicit, non credentẽ hominem aut fidentem.

Sed pro hac fide, qua certò & infallibiliter ſe credat quis iuſtificari, & affectus ſacramentorum ſuſcipere, adhuc obijcitur: ſacramentum ſignificat effectum fieri ad quẽ eſt inſtitutum, quaſi verbum Dei viſibile, qui vt operatur ſacramentorum effectus, ita eos fieri, & ſe illos operari loquitur, non ſolum in genere ſicut promiſsio, ſed ſingulatim in ſuſcipiente. Nam ſicut baptiſmus operatur remiſsionem peccatorũ in eo qui baptizatur, ita & hoc ſignificat. Cum igitur omni verbo Dei debeatur certa & infallibilis fides, oportet eum qui baptizatur credere, quòd lauatur anima à peccatis, ſicut foris à ſordibus per aquam corpus: hoc enim dicit Deus per verbum ſacramenti viſibile & audibile, dicit & eis qui abſoluuntur à ſacerdote, peccata remitti in cœlis. Suſcipiẽs igitur hæc ſacramenta debet credere ſibi remitti peccata quaſi ex verbo Dei. Et inſtituta ſunt ad hanc fidem excitandam, qua credimus peccata nobis remitti. Hoc enim Deus per ſacramenta ſingulis loquitur: ſignum autem eſt inſtitutum ad repræſentandum ſignatum. Reſpondetur, quod hanc ſignificationem aduerſarij cum quibus agimus, non tribuunt ſacramentis, ſed ſolum commemorationem promiſsionis ſcriptæ in Euangelio: Qui crediderit, & ſimilia, quas qui fide apprehenderit, ſaluus erit, Fide ſalutem apprehendente, & ideo eorum ſententiæ patrocinari non poteſt. Nec tamen concludit ſuppoſita etiam hac ſignificatione: multi enim hypocritæ, multi ſcelerati, qui nulla vitæ præteritę pœnitentia tanguntur, ſacramenta ſuſcipiunt, quibus nec ipſi concedunt peccata remitti. Et niſi quis crediderit ea fide quæ ſpiritum innouat, & in Deum transformat, non docẽt eum per baptiſma ſaluum fieri à peccatis: ſignificatio autem baptiſmi reſpondet huic ordinatiõi Chriſti, & ſignificat Chriſtũ offerre gratiam, & operari ſalutem quantum in ipſo eſt ſub modo quodam & conditione. Si ſcilicet crediderit, vt oportet, fide ſcilicet pœnitentiam adducente, nullumq; ſalutis inueniatur impedimentum. Et ideo beatus Petrus compunctis corde dixit, pœnitẽtiam agite, & baptizetur, &c. poſt fidem, & cordis compunctionem adhuc requirens pœnitentiam ad accipiendam per baptiſmum remiſsionem peccatorum. Et Eunucho dicẽte, Ecce aqua, quid me prohibet baptizari? dixit Philippus: Si credis ex toto corde, licet: ex quibus fidem non ſufficere ſine ſacramento ad peccatorum remiſsionem oſtendit. Similiter beatus Ambroſius interpretatur verbum Apoſtoli dicentis, quòd Deus vult omnes homines ſaluos fieri: omnes; inquit, qui ſalui fieri volunt: ita in ſacramentis ſignificat ſe offerre gratiam, & operari in his qui ea ſuſcipiunt, ſi tamen ipſi velint accipere, ſi ſint ipſi capaces & diſpoſiti. Nam nulli inuoluntario Deus obtrudit remiſsionẽ peccatorum & iuſtitiam.

Actuum. 8

Multiplex enĩ eſt ſermo dñi, quidã ſecũdũ conditionẽ & modũ certũ, ali⁹ abſolutus: quidã comitationis, & ſecũdũ voluntatẽ antecedentẽ: alius ſecundũ æternũ eius propoſitũ & volũtatẽ conſequẽtẽ. Qui autem aliter intelligeret verba domini, quam intelligit ipſe, falleretur, & ſuum ſenſum adderet verbis eius. Sic deceptus eſt Ionas intelligens verba comminationis quaſi pręſcientiæ: Inſtitutio autem ſacramentorum habet, quòd Deus ſemper aſsiſtet & opera-

Sermo Dei nõ vnius eſt generis.

& operabitur ſecundum ſuam ordinationē effectus eorum, hoc eſt, quando non eſt obex in ſuſcipiente, nec deeſt debita præparatio. Et ſecundum hanc inſtitutionem intelligenda eſt efficax eorum ſignificatio. Oportet enim in omni ſermone Dei diligenter obſeruare & cum reuerentia, quid loquatur, & accipere eo ſenſu quo loquitur. Et ſermoni Domini ſecundum abſolutam eius diſpoſitionem, firma, abſoluta & infallibilis fides adhibenda eſt. Ei autem qui eſt conditionalis, aut ſecundum voluntatem Dei antecedentem, aut qui eſt comminationis, non abſoluta fides ſed conditionata, hoc eſt, ſecū dum eum ſenſum quem intendit Chriſtus loquens, eſt adhibenda. Et eſſet temeritas & abuſus verborum Domini, quando loquitur conditionaliter, aut ſub modo, aut ſecundū voluntatē antecedentē, (ſicut in ſacramentis loquitur) abſolute & ſimpliciter credere.

Peccatorum remiſsio, qua certitudine ex ſacramentis ſperanda

SEd obijcitur: Non minus Deus operatur & loquitur per miniſtros ſuos in ſacramētis, quàm ſi per ſe ſacramēta miniſtraret. Sed Deo dicenti mihi: abſoluo te à peccatis tuis, deberem credere, quòd mihi verè eſsēt peccata remiſſa: ergo ſimiliter ſacerdote me abſoluente & domino baptizante & dicente: Ego te baptizo, & cæt. quaſi verbo Dei oporteret credere, quòd abluit animā à peccatis, ſicut Maria Magdalena tenebatur credere verbis Chriſti: Remiſſa ſunt tibi peccata tua. Et paraclyticus, Confide fili, remittū tur tibi peccata tua. Cui reſpondetur: quòd verbis Chriſti abſolutè aſſerentis peccata mihi eſſe remiſſa & me ſaluandum, ſimpliciter credere oportet infallibili fide, ſed verbis quibus loquitur per ſe vel miniſtros in ſacramentis, credere oportet in eo ſenſu, quo Chriſtus ea intelligit: intelligit autem ſiue per ſe, ſiue per miniſtros loquatur conformiter ſacramētorum inſtitutioni, vt iam dictū eſt. Et ideo etiam Chriſto dicente: Ego abſoluo te poſt auditam peccatorum confeſsionem, quaſi miniſtro in ſacramentorum adminiſtratione, vel ego te baptizo, non eſſem certus infallibili fide, peccata mihi eſſe remiſſa, ſecus dum quaſi poteſtate excellentiæ ſine ſacramentorū adminiſtratione diceret: Abſoluo te à peccatis tuis, aut remittuntur tibi peccata tua, qua vſus eſt apud paralyticum, Magdalenam, & latronem. Nam hæc affirmatiuè dixit verbo efficaci, non ſacramentali. In cœna autem miniſtrādo ſacram Euchariſtiam miniſtrum ſe exhibuit ſacramenti. Et ideo apud Iudam non habuit effectum ſacra Euchariſtia, quem ſignificabat, nec baptiſmus fortaſsis quo eum baptizauit. Eſt igitur ſacramentorum ſignificatio ſecundum voluntatem antecedentem ſub modo, aut conditione, vel eſt ſignificatio effectus præſtandi quantum in ipſo eſt: & ſuſcipiente diſpoſito, & magis quod offertur quam quod ſimpliciter cauſatur. Sæpe enim nō accipimus gratiam non quia non offertur, ſed quia oblatam non accipimus, vt docet B. Anſelmus in lib. de caſu diaboli.

An fides in ſacramento iuſtificet, an ſacramentū potius.

QVod autem fides in ſacramento iuſtificat, & non ſacramentum, Martinus cōfirmat ex Auguſtino, tractatu ſuper Ioannem: Vnde inquit iſta tanta virtus aquę, vt corpus tangat & cor abluat? niſi faciēte verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur. Nam & ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens, hoc eſt, verbum fidei quod prædicamus, ait Apoſtolus. quia ſi confeſſus fueris in ore tuo, quia Dominus eſt Ieſus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum ſuſcitauit a mortuis, ſaluus eris. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem. Vnde in Actis Apoſtolorum legimus, fide mundans corda eorum. Et in epiſtola ſua beatus Petrus, Sic & vos, inquit, Baptiſma ſaluos facit, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio, hoc eſt, verbum fidei quod prædicamus, quo ſine dubio vt mundare poſsit conſecratur & baptiſmus. Ex quibus videtur, quòd ſecundum mentem eius ſola fides in baptiſmo operatur ſalutem: ait enim quòd aqua cor abluit faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur, & multa proſequitur de fide, quòd corde creditur ad iuſtitiam, & ex actibus fide mundans corda eorum. Pro huius ſententiæ beati Auguſtini, quæ obſcuritatē habet, intellectu, quod eam præcedit & quod ſequitur, hic inſerere oportet: tractat enim verbum Domini Ioannis, 15. Iam vos mundi eſtis propter verbum quod locutus ſum vobis: & quærit quare non ait, Mundi eſtis propter baptiſmū quo loti eſtis? ſed ait propter verbum quod locutus ſum vobis, niſi quia & in aqua verbum mundat, verbum, inquā, quod locutus ſum, per baptiſmum diſponens mundare conſcientiam, Detrahe verbum huius diſpoſitionis, & quid eſt aqua niſi aqua? accedit verbum hoc ad elementū, & fit ſacramentum, etiam ipſum tanquam viſibile verbum. Nam & hoc quod ſcilicet aqua & elementum mundat, & quòd mundi eſſent propter baptiſmum, hoc vtique dixerat quando pedes diſcipulis lauit, dū ait, Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus: ibi namq; dixit, quòd mundi eſſent propter baptiſmū quo loti erant: & quęrit, Vnde iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat? & reſpondet, quòd faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur. Docet igitur Auguſtinus Chriſtum priùs dixiſſe, quod mundi eſſent propter baptiſmum: nūc autem dicens, quod mundi eſſent propter verbum quod locutus fuerat, inſinuat cauſam ob quā virtutem hanc habeat Baptiſmus, ob verbū inſtitutionis ſacramenti. Quomodo autem intelligat: Quòd hanc virtutem aqua habet faciente verbo, nō quia dicitur, ſed quia creditur (vnde iſtud ducitur argumentum) ipſe explicat: Lege, inquit Apoſtolum, & vide quid dicat vt eccleſiā ſanctificaret mundans eam lauacro aquæ in verbo. mundatio igitur nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, niſi adderetur in verbo, hoc verbum

Aug. tracta in ſuper Io. 81.

Baptiſmi efficacia vnde.

verbum Fidei, quod ſcilicet hîc loquitur Apoſtolus, loquitur & Dominus, tantum valet in eccleſia Dei, vt per ipſam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiã, paruulum mundet infantem, quamuis non valentem corde credere ad iuſtitiam. Et explicans quod nam ſit hoc verbum quod locutus eſt Dominus, & quo accedente ad elementum fit ſacramẽtum, totum, inquit, hoc fit per verbum de quo Dominus ait: Iam vos mundi eſtis propter verbum quod locutus ſum vobis, verbum videlicet: Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, & ſimilia: non autem propter verbum in quo conſiſtit forma Baptiſmi: & ſeries orationis hunc ſenſum requirit. Mundat igitur aqua propter verbum non quia dicitur, ſed quia ſemel dictum eſt à Domino, & nunc creditur impersonaliter, non à miniſtro vel offerentib^9, vel eo qui baptizatur: Et virtus verbi ſemel dicti in æternum manet, & in ipſo verbo, inquit Auguſtinus, quod locutus eſt Dominus, aliud eſt ſonus tranſiẽs, aliud virtus manens, ſicut ſemel dictum eſt: Germinet terra herbam virentem, & illius verbi virtute adhuc germinabit ſemper. & quando citat Apoſtolum dicentem, verbum Fidei eſſe quod ipſe prædicabat, & ſcriptum fuerat in Deutero. intelligit, & verbum illud quo accedente ad aquam fit Sacramẽtum, eſſe verbum fidei quod nos prædicamus, per quod ſanctificamur, & virtutem accipit Baptiſmus, & verbũ B. Petri, Baptiſma ſaluos facit, verbum Fidei eſt. & ſimiliter quod ait Dominus: qui lotus eſt nõ eget niſi vt pedes lauet: hoc igitur verbum quia creditur ab eccleſia, ab offerentib^9 & tingentibus, paruulus baptizatur, & aqua virtutem accipit ab eodem verbo, vt corpus tangens cor abluat, eademq́; virtute à peccatis mundat.

VErum tamen eſt, quod adultus nõ mundatur, niſi credat ſaltem cõfusè quod Baptiſmus eſt in remiſsiõem peccatorum, & ita hoc verbum credi debet ab eo etiam qui baptizatur, vt ſuperiùs diximus. Non igitur ex hoc verbo Auguſtini dicere oportet, ꝙ in ſacramentis vt efficacia ſint, neceſſaria ſit fides eccleſiæ, ſicut dicit B. Bonauentura in 4. diſt. 3. q. 3. & Petrus de Palude diſtinct. 1. q. 5. art. 5. quanquam hoc propoſito ſit impertinens. Non enim alicuius fides, ſed ſola victima crucis in baptiſmo ſaluos facit, & peccata remittit, facit tñ fides quòd ſacramenta miniſtramus & ſuſcipimus. Et ſi beatus Auguſtinus loqui intelligatur de verbo in quo forma ſacramenti conſiſtit; rectè dicit. Nam & hoc verbo accedente ad elementum, virtutem habet animam mundandi, nõ ratione ſoni dicẽdo tranſeuntis, ſed myſterij crediti & ſignificati ex Chriſti inſtitutione.

Zuinglij argumentũ cõtra ſacramenti efficaciam.

OBijcit etiam Hulricus Zuinglius contra hãc efficaciam operis operati ſacramentorum. Deus ſolus liberare poteſt conſcientiam: ſoli enim ei nota eſt, ſolus eam penetrat: qui ergo fieret vt aqua, ignis, oleum, ſal, lac & craſſæ iſtæ res ad mentem vſque peruenirent. quod dum nõ poſſunt, quo pacto mundare poterunt? Nemo igitur conſcientiam purgare poteſt niſi ſolus Deus, quod nouerant Phariſæi dicentes Luc. 5. Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus? quo argumẽto quanq́; infirmo Zuinglius ſe communi dicit, quòd nulla eſt ſacramentorum efficacia, & dolet Germanis hãc vocem ſacramentum fuiſſe receptam eò quod dum hoc nomen audiunt, iam aliquod magnum ſanctumq́; intelligunt quod vi ſua conſcientiam à peccato liberet. vt & ſuperius diximus.

In libro de vera & falſa religione

Cui argumento reſpondemus, quod Saluator corrigit Phariſæorum ſententiã, & docet, quod & filio hominis data eſt hæc poteſtas remittendi peccata, quã transfudit ipſe, vt ſcribit Ioannes Chryſoſt. in Apoſtolos & ſacerdotes lib. 3. de ſacerdotio. Neq́; enim Pater iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem. & beatus Ambroſius lib. 2. de pœnitentia, cap. 2. & lib. 1. cap. 2. & ſi modo quodam ſolus Deus peccata dimittit, dignatur tamen vti hominum miniſterio & rebus externis, quæ imaginem & ſimilitudinem habent effectus gratuiti, quem in anima operatur, vt eis tanquam ſignis ſenſibilibus inſtruamur, quæ à Deo nobis per ſacramenta donantur. Nec oportet, quòd craſſa iſta & ſenſibilia ad mentem perueniant: de hoc enim non eſt quæſtio fidei, videlicet an virtutem in ſe habeãt, qua inſtrumentaliter mentem contingant, verè gratiam in ea, vt inſtrumenta, operando (quod tamen vt faciant, Deus facere poteſt, cũ non ſit impoſsibile apud Deum omne verbum) ſatis eſt quod Deus ſub ſacramentis corpori adhibitis ad mentem perueniat, hocq́; fieri per ſacramenta ſignificet, qui cum eis & per ea mentem purgare poteſt, ſicut ſine eis. Quod autem placuit ei mentem mundare, & peccata dimittere eis adhibitis, ex ſcripturis probatum eſt; & ex magiſtro Hugone de ſacto Victore ſuperius monſtrauimus hoc conuenire diuinæ clementiæ & noſtræ infirmitati.

OBijcit præterea Zuinglius. Nõ alligat Deus virtutem ſuam ſacramentis, vt debeat ſemper operari in eis ſalutem, qui ſacramenta ſuſcipiunt, & negligere alios ſed quos ante mundi conſtitutionem elegit, hos vocat, iuſtificat & ſaluat quando & quomodo ſibi placet, & multos, ſine ſacramentis. ſicut olim beatum Iob ſine circumciſione & ſacramentorum legis obſeruatione. indignum diuinæ Maieſtati videtur, quod quaſi ſeruus & nobis obligatus debeat operari noſtram ſalutem adhibitis ſacramentis, & non ſine eis. Eius enim eſt opinio, quam poſt eum ſequitur Mart. Bucerus in comment. ſuper Matth. 3. c. (vt diximus) quod ſacramenta nihil ad ſalutem conducunt, ſed ſigna tantum ſunt apud homines: Nec ideo inquit, paruulus ſaluatur, quia baptizatus eſt: multi enim baptizati, ſtatim poſt baptiſmum morientes dãnãtur. & alij nõ baptizati ſaluantur.

In qua eorum aſſertione licet intolerabilẽ agnoſcere horum aduerſariorũ temeritatẽ & arrogantiam, quibus in hoc reclamant Martinus Lutherus, Philippus, & eorum ſequaces: ſequuntur autem Doctores Tigurini vt etiam dictum eſt ſuperius. Cui reſpondetur: Quod verax eſt Deus in promiſsis, & in omnibus verbis ſuis, & cùm ſit veritas, non eſt in eo Etiam & Non, ſed ſemper Etiam: eius autem verba ſunt: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: &, Quorum remiſeritis peccata, &c. & ſimiles ſunt eius de alijs ſacramẽtis ordinationes, vt diximꝰ. Nihil itaq; agit cõtra ſuas promiſsiones, q̃ omnia ſuauiſsimè ordinat, & ſapiẽtiſsimè diſponit. Sacramẽta autẽ vt eſſẽt noſtrę ſalutis media & adiutoria in ſua ſapientia, vt diximus, diſpoſuit, vt p ea nos iuſtificaret & ſaluaret: ſequendo autem ſuæ ſapientiæ conſilium per ea nos iuſtificaret & ſaluaret: ſequendo autem ſuæ ſapientiæ conſilium per ea iuſtificat & ſaluat, & alios negligit,, qui ſua culpa ſacramentorum adminiculo deſtituũtur: vel electi non ſunt vt eis applicentur, & ſalui fiant. Nec tamẽ ſeruantur, niſi quos elegit ab æterno, & hi omnes: hos enim, ſicut gratioſe elegit vt iuſtificaret & ſaluaret, ait etiam peruenire facit ad ſacramenta ſalutis. Abſit (inquit beatus Auguſtinus libro quinto cõtra Iulianum) vt prædeſtinatus ad vitam ſine ſacramento mediatoris finire permittatur hanc vitam: & lib. 2. de origine animæ cap. 9. Non ſaluãtur prædeſtinatione niſi baptizati, & cap. 7. de cor. & gratia. Qui prędeſtinati ſunt audient Euangelium, & lib. 5. Hypognoſticon: Et beato Iob non erat data circuncíſio, nec ſacramenta legalia, quæ multo tempore ipſe præceſsit, ſed ſacramentis & ſacrificijs ſibi ſuæq; genti datis, ſaluatus eſt ex gratia & merito Chriſti, quem venturum expectabat. Nec quicquam Chriſtus ſe iudicat indignum: quod electorum promouet ſalutem, & præſtat quod diſpoſuit & promiſit, vt ſic in verbis ſuis verax & fidelis inueniatur: Plurimum autem, vt diximus, eorum ſaluti conducit, quòd ſalutem operando ſimul per ſigna, hoc ipſum nobis manifeſtet. Nec ſeruitus eſt Dei, ſed magna benignitas & veracitas implere & facere quod ſua voluntate miſericordi in noſtram ſalutẽ facere diſpoſuit. Nam ſicut ordinauit, Qui percuſſus à ſerpentibus aſpexerit ſerpentẽ æneum viueret: & Quicunq; primus deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem, ſanus fieret à quacunq; detineretur infirmitate: Ita quòd quicunque lotus fuerit in nomine Chriſti in piſcina ſalutis, qua ipſe mundat Eccleſiam ſuã renouabitur, & à peccatis mũdabitur, quãdo igitur hoc præſtat, non ſeruitus eſt, ſed veracitas, & ſuæ ordinationis impletio. Nam & in principio naſcentis Eccleſiæ in linguis igneis & impoſitione manuũ dabat Spiritum ſanctum. Quod videns Simon, dicebat Apoſtolis: Date & mihi hanc poteſtatem, vt cuicunque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum.

Diluuntur obiectiones contra Sacramẽtorũ et numerum & efficaciam.

ARguitur etiam contra numerum & efficaciam Sacramentorum. Nam ſi credendum eſt ſeptem eſſe eccleſiæ Sacramenta, &c. oportet de hoc eſſe verbum Dei Scripturam ſcilicet, vel ſaltem generalis cõcilij dèfinitionem. ſed Scripturis apparenter reſpondent aduerſarij & in concilio Florentino, quod pro articulo citatur, magis proponitur doctrina quam de Sacramentis docebat eccleſia Romana, quàm ſiat ſynodalis definitio eius, quod firma Fide de Sacramentis tenendum eſt, & ſententię ſãctorum & præcipuè B. Auguſtini, non poſſunt facere doctrinam Fidei, & probabiliter multi doctores catholici docent Matrimonium non eſſe propriè ſacramentum gratiam conferens, & ſola ratiocinatione colligitur Ordinem conferre gratiam: & Confirmatione tam abſurda videntur loqui Melchiades Papa, & alij quidam illius temporis, vt meritò tota eorum reijciatur ſententia, & Euchariſtia continet quidem corpus & ſanguinem Domini, & ideo eſt ſacramentum tanquam rem ſacram continens: ſed nuſquam ſcriptura docet, quòd ſuſcepta gratiam conferat, niſi ſpiritualiter Fide & amore ſuſcipiatur. Ex quibus eadem ſequetur gratia non ſuſcepto ſacramẽto, & de Pœnitentia docet Magiſter in ſententijs, & poſt eum quidam doctores Alexander de Hales, & ſanctus Bonauentura, quòd ſolum declarat remiſſa eſſe peccata, non autem quòd ea remittat: quòd autẽ gratiam auget, nuſquam habet ſcriptura. & extrema Vnctio teſtimonium quidem habet à Iacobo, ſed quãdo gratia curationum adhuc erat in Eccleſia. Cui argumento reſpondetur (quod circa ſingulos articulos oſtendemus) aduerſarios Scripturis non ſatisfacere Et ne vlla in futurum de Fidei veritate apud Armenos fieret hæſitatio, vt Acta teſtantur, ſub quodam compendio, ſacroſancto approbante concilio, Eugenius tradit orthodoxæ Fidei veritatem. & ita definit quidem firma Fide de Sacramentis credendum eſſe, & concilium Tridentinum dicit anathema his, qui docent non eſſe ſeptem Sacramenta gratiam conferentia, vel non habere virtutem ſanctificandi ex opere operato, & quę Auguſtinus, & Patres de ſacramentis docent, ipſi in Eccleſia catholica priùs didicerant, & ideo non ſuam, ſed eccleſiæ tradunt doctrinam, quæ columna eſt & fundamentum veritatis. Et doctores qui tradiderunt Matrimonium nõ eſſe propriè ſacramentum, & per pœnitentiam non remitti peccata, mutarunt ſuam ſententiam audita definitione eccleſiæ in Oecumenicis Concilijs, quæ cõformis eſt & cõſentanea Scripturis ſacris, ex quibus ſolis Auguſtinus & alij maiores docuerunt, per ſacramentum Pœnitentiæ & claues eccleſiæ, peccata verè remitti, & Cõfirmationem, & Ordinem eſſe ſacramenta: quæ latiùs in ſequentibus proſequemur. Et quia dominus dicit: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, omnem effectum quem materialis cibus & potus quo ad vitam efficiũt corpora-

poralem ſuſtentando, augendo, reparando & delectando, eum ſacra Euchariſtia, quatenus vitam ſcilicet operatur ſpiritualem, vt docet ſacrum Concilium Florentinum: Proprius enim eius effectus eſt, adunatio hominis ad Chriſtum: Qui manducat, inquiebat, meam carnem, & bibit meum ſanguinē, in me manet, & ego in eo. Et quamuis beatus Auguſtinus exempli gratia aliquando duo tantùm ſacramenta nominat, vt in libro 3. de doctrina Chriſtiana, vbi ait: Dominus tempore libertatis reuelatæ pro ſignorum veteris legis multitudine, quædam pauca pro multis, eademque factu facilima, & intellectu auguſtiſsima, & obſeruatione caſtiſsima tradidit, ſicut eſt Baptiſmi ſacramentum, & Celebratio corporis & ſanguinis Domini. & contra Fauſtum libr. 19. cap. 14. Et in epiſt. 118. ad Ianuarium, & circa Pſal. 103. vbi ait: Reſpice ad munera eccleſiæ, munus Sacramētorum in Baptiſmo & Euchariſtia, vbi addit, & in cæteris ſanctis ſacramentis, quale munus eſt & ipſe Symon Magus adeptus. Sed vt diximus, exempli cauſſa hæc nominat, & ideò dicit: Sicuti eſt, & non dicit: Quæ ſunt. Nam ſecundo libro contra epiſtolam Petiliani cap. 104. & libro tertio contra Donatiſtas cap. 16. dicit Confirmationem eſſe Sacramentum & Ordinem lib. 2. contra epiſtolam Permeniani cap. 13 & de adulterinis coniug. lib. 1. cap. 28. dicit Pœnitentiam eſſe Sacramentum eandem Baptiſmatis & reconciliationis eſſe cauſſam, ſi fortè Pœnitentiam finiendæ vitæ periculum præoccupauerit: & idem dicit cap. 6. 2. lib. & circa Pſal. 103. addit Baptiſmo & Euchariſtiæ etiam alia Sacramenta, ſic in alijs locis explicans, quod exempli cauſſa alibi dixerat.

Plura ſacramenta duob. D. Auguſt.

COntra formas ſacramentorū argumentatur Ioan. Brentius in explicatione baptiſmi: *Chriſtus non collocauit fundamentum Baptiſmi ſuper certis literis, ſyllabis aut dictionibus, nec alligauit nos ad certa verba: non enim inſtituit Magiam, quæ ad certam verborum formam aut ritus alligata eſt, ſed inſtituit cœleſtia ſacramenta, quæ conſtant ſua ipſius ſententia & voluntate, his vel illis verbis nobis ſignificat: itaque ſi quis poſt recitationem ſymboli Apoſtolici in Baptiſmo diceret ad baptizandum hæc verba: audiui iam ex te confeſſionem fidei tuæ, quod credas in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ, & in vnigenitum Filium eius Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & in Spiritum ſanctum: In hanc igitur confeſſionem & fidem intingo te in aquam, ſeu perfundo te aqua, vt hoc ſignaculo certus fias te inſertum eſſe in Ieſum Chriſtum. & communionem omnium bonorum, &c. vade ergo in pace: hic certè Baptiſmus eſſet verè Baptiſmus, quia continet ea, quæ ad Baptiſmū neceſſaria ſunt, & recitata eſt ſententia verborum Chriſti, & ſi ſonus ipſe verborum paululum immutatus videtur. Hæc, inquit, viſum eſt addere, non quod prætermittenda ſit forma vſitata verborum. Ego baptizo te in nomine Patris: ſed vt verba Chriſti rectè intelligantur, & Magiam à verà cœleſtium ſacramentorum conſecratione longe diſcernere diſcamus.*

Ioan. Brentij argumenta contra ſacramentorū formas.

Et contra diſcrimen ſacramentorū veteris & noui teſtamēti argumentatur Mart. Luth. *Cauſa quæ mouet*, inquit, *docere ſacramenta nouæ legis dare gratiam, hæc eſt, quod alioqui non videatur differentia diabolus inter noua & veteris legis ſacramenta: vetera enim in fide ſuſcepta iuſtificabant, hoc eſt, his qui boni erāt vtilia fuerūt, ergo noua debet efficaciora eſſe & prodeſſe etiam his, qui boni non ſunt, vt boni fiant, cum noui teſtamēti omnia perfectiora, quàm veteris eſſe debeant. nos autem dicimus, nec noui, nec veteris teſtamenti Sacramenta ſed ſolam fidem iuſtificaſſe, ſicut Paulus dicit: Iuſtus ex fide ſua viuet, & corde creditur ad iuſtitiā: potius differūt Sacramēta nouæ legis, nō à ſacramētis, ſed à ſacrificijs & cæremonijs ſacerdotij Aaronici, quòd per hæc mūdabantur corpora, veſtes, cibi, & vaſa, ab immūditijs quæ ex natura nō erēt. ſed ex lege Moſi: ideo vt nulla promiſsio, ita nulla fides in eis erat, at per illa noſtra Sacramēta mundātur conſcientiæ à vitijs veris, quæ ex natura vitia ſunt: ideo promiſsio & Fides hic vigent, quòd & in multis ſignis Patrū videre eſt, quæ ad ceremonias legis non pertinebant.* Confirmat autem hanc ratiocinationem Martini Ioannes Caluinus, in Antidoto actorum Concilij Tridentini, circa Canonem ſecundum ſeptimæ ſeſsionis: *Si quis dixerit ea ipſa nouæ legis ſacramenta, à ſacramentis antiquæ legis non differre, niſi quia cæremoniæ ſunt aliæ, & alij ritus externi, anathema ſit: quando, inquit, ſacramentorum vtriuſque teſtamenti idem eſt author, eædem promiſsiones, eadem veritas, idem in Chriſto complementū, meritò dicimus externis ſignis inter ſe differre, & ſūmatim in re ipſa conuenire. ſunt enim doctrinæ appendices, atqui doctrinæ eadem ſubſtantia: ſequitur ergo id quoq; in ſacramenta competere, quod eadem ſit eorum ſubſtantia, & res eadem. Mouet autem, vt ait, Patres Tridentini Concilij, vulgare apud ſophiſtas dogma. Sacramenta legis Moſaicæ figuraſſe gratiam, noſtra verò exhibere: nos autē aſſerimus Deum ſemper in ſuis promiſsis fuiſſe veracem, nec quicquam figuraſſe ab initio, quod non Patribus reipſa exhibuerit. Nam ſub Moyſe conſtabat circumciſionis veritas, & tunc eandem fuiſſe eſcam ſpiritualem, eundemq; potum, teſtis eſt Paulus. Neq; tamen interea negamus, quin vberior ſub Chriſti regno percipiatur gratia. & duplicem ſolemus notare differentiam. Primò, quod ſacramenta noſtra non procul Chriſtum tanquam abſentem indicent, ſed quaſi digito oſtendant exhibitum: deinde quòd pro ampliore reuelationis modo, ſit etiam gratiæ communicatio vberior.* Et ſimili argumento improbare nititur primum Canonem de baptiſmo, quo dicitur anathema ei, qui dixerit baptiſmum Ioannis habuiſſe eandam vim cū baptiſmo Chriſti:

Argumenta contra diſcrimen ſacramentorum nouæ & veteris legis.

Vbi, inquit, eadem eſt doctrina, eadem gratia offertur, idem ſeruatur ritus, ſtatuenda eſt ibi ſimi litudo: ſi quid in tribuiſtis diuerſum habuerit Chri ſti baptiſmus à baptiſmo Ioannis, viciſſe eos fateor.

Reſponſio ad Brentij argumenta. Nihil momenti argumenta hæc habent, & vehementer dolendum eſt, quod viri docti ob ſophiſticam huiuſmodi rationum apparentiam, veterem relinquunt doctrinam: nõ enim Magia eſt, nec ſuperſtitio, ſi determinatæ ſignificationis verba, certosq; ritus requirat baptiſmus, illisque vt ſalutem operetur ex Chriſti inſtitutione ſit alligatus: ſicut Magia non erat, quòd Naaman Syrus ſepties in Iordane lauaretur, & ſanitatem expectaret: Nec quòd qui reſpiceret in ſerpentem æneũ in palo erectum, a morſibus ſerpentum ſanaretur: ſed ſuperſtitio eſt & Magia, quando ex pacto ſaltem tacito cum dæmone expectatur effectus, vt docet beatus Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 22. & lib. 3. cap. 9. *Trinitatis inuocatio in bapt. neceſſaria.* Periculoſa etiam & erronea eſt ſentẽtia, quod Baptiſmus ſine Trinitatis inuocatione celebratus, verum eſt ſacramentum, cum S. Baſilius, Didymus, Ioannes Damaſcenus, & alij veteres doceant, quòd vel vna ſuppreſſa aut tacita perſona, baptiſmi tamen fruſtretur effectu. & beatus Auguſtinus frequentiſsimè, quod Baptiſmus in verbis Euangelicis debeat celebrari. Et Didymus libro 2. De Spiritu ſancto: Licet quis poſsit exiſtere mentis alienæ, qui ita baptizare conetur, vt vnũ de prædictis nominibus, trium ſcilicet perſonarũ prætermittat, ſine perfectione tamen baptizabit: vbi tamen aduertendum eſt, quòd inuocatio & expreſsio Trinitatis in forma baptiſmi, magis ex traditione eſt per manus acceptа, quàm ex ſcripturis. Quando enim dicit Saluator, Euntes, docete omnes, baptizanter eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, potius baptizandi actum in profeſsione Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſecundum formam prius traditam præcepit, quàm nomina perſonarum exprimi, & nouam inſtituere formam, vt ait B. Thomas in 4. Senten. Diſtinct. 3. arti. 2. q. 1. ad 3. & arti. 5. quæſt. 2. Multum igitur auctoritatis habet traditio eccleſiæ, non ſcripta, ex qua cum inuocatione triũ perſonarũ toto orbe Chriſtiano ſemper celebratus eſt Baptiſmus.

Reſponſio ad argumenta Lutheri & Caluini. Argumentatio autem Ioannis Caluini & Martini Lutheri falſum ſupponit, videlicet, ſacramenta inſtituta eſſe ad ſignificandum, & non ad ſanctificandum, quod ſuperius eſt improbatum. Et dicit Martinus ſe ſuosque dicere, nec noui, nec veteris Teſtamenti Sacramenta, ſed ſolam fidem iuſtificaſſe. Sed oſtendimus ſuperiùs, quòd hoc dicunt contra ſcripturas, & concordem Conciliorum, & Patrum ſententiam, & B. Pauli ſententijs *Verum ſacramentorũ nouæ & veteris legis diſcrimen.* quas hic citant, reſpondimus. Et reclamat Apoſtolus Paulus 9. cap. ad Hebræos. & 1. ad Corinth. 10. ei, quod dicit nullam promiſsionẽ, nullam futuri Chriſti prænuntiationem fuiſſe in figuris & cæremonijs ſacerdotij Aaronici. Et ait B. Auguſtinus libr. 18. de ciuitate Dei, quod Moyſes Chriſtum prophetauit per figuras obſeruationum carnalium in tabernaculo & ſacerdotio & ſacrificijs, alijsque myſticis, plurimisque mandatis. Et quia ſignificabant myſteria Chriſti venturi ſacrificia illa ſicut ſacramenta, ideò & fide in eis apprehendebantur.

Alia promiſſio ſacramentorũ veterũ, alia nouorũ. NEC verum eſt, quòd eædem ſunt promiſsiones veterum & nouorum Sacramentorum: hæc enim nõ promittunt, ſed largiuntur gratiam, quam illa promittebant. Nam definiuit Concilium Florentinũ, ſacramenta vetera ſolum figuraſſe gratiam per Chriſti paſsionem dandam, & noua dignè ſuſcipientibus eam conferre, quam doctrinam videtur mutuatum eſſe ab Auguſtino *Auguſtinus.* ex præfatione Pſalmi trigeſimi ſeptimi, vbi ait: Si diſcernimus duo teſtamenta, vetus & nouum, non ſunt eadem ſacramenta, nec eadem promiſſa, eadem tamen pleraque præcepta, Sacramenta non eadem: quia alia ſunt dantia ſalutem, alia promittentia Saluatorem, noui Teſtamenti ſacramenta dant ſalutem, & ſacramenta veteris teſtamẽti promiſerunt Saluatorem. Cùm ergo tenes promiſſa, quid quæris promittentia, Saluatorem iam habens? Et Apoſtolus vocat Sacramenta veteris legis egena, & infirma elementa, & Baptiſmum lauacrum regenerationis & renouationis. Nec verum eſt, quòd ſacramenta ſunt doctrinæ appendices, quaſi ſigilla per quæ confirmetur, eo quòd inſtituta ſunt ad ſanctificandum & præſtandum ſalutem. *Sacramenta nõ eſſe appendices doctrinæ.* Et propterea dogma iſtud, quòd ſacramenta veteris legis figurabãt gratiam, quam noſtra exhibent, non eſt ſophiſtarum, ſed generalium Conciliorum, & beati Auguſtini ex ſcripturis deſumptum. Et quod Patribus Deus non exhibuit, quod eis promiſit, clarè teſtatur B. Paulus Act. 13. & nos, inquit, vobis annunciamus eam, quæ ad Patres noſtros repromiſsio facta eſt, quoniam hanc Deus adimpleuit filijs veſtris. Et ſacramenta noſtra non ſolum quaſi digito monſtrant Chriſtum præſentem, ſed & operantem in eis noſtram ſalutem, vetera verò ſignificabant ſalutem noſtram operaturum, in cuius fide ſaluabantur Patres. Et hic obſeruandum eſt, quod B. Auguſtin. dicit, ſacramenta eſſe diuerſa, non ſolùm ritibus & cæremonijs, ſed & efficacia & ſignificationibus, & ſimiliter diuerſa eſſe promiſſa: *Caluinus cũ D. Auguſt. pugnat.* Ioannem tamen Caluinum frequẽter hîc repetere eaſdem promiſsiones ſacramentorum vtriuſque Teſtamẽti, imò & ſubſtantia vnum & idem eſſe teſtamentum vetus & nouum, & ſolum diſcrimen eſſe in adminiſtratione & modo tradendi. *Non idẽ eſſe teſtamentũ nouum cum veteri.* Ea ſiquidẽ traditio, vt docent, quæ per typos & figuras veteribus tradita eſt religio, dicitur teſtamẽtum vetus: ea verò, quā ſine figuris atque ipſa re nobis traditur Chriſtus, qui omnia legis *Galat. 4.* & prophetarum myſteria impleuit ſolus, nouum dicitur teſtamentum, ſuper quo prolixum caput ſcribit in ſua inſtitutione. Et Henricus Bullingerus in libello quem inſcribit de teſtamento ſeu fœdere Dei vnico & æter-

no,

no. Quibus reclamat Apoſtolus Paulus palá docens in epiſtola ad Galatas, duo eſſe teſtamenta, vnum in ſeruitutem generans, & alterum adducens libertatem. Et cap. 3. eiuſdem epiſtolæ ad Galat. promiſsiones Abrahæ factas inſinuat nouum eſſe teſtamentum, & legem per Moyſen datam eſſe teſtamentum vetus: & ex Hieremia in epiſtola ad Hebræos, propter quod beatus Auguſtinus lib. 18. de ciuitate Dei, cap. 11. Educto, inquit, populo in monte Sina, Moyſes diuinitus acceptam tradidit legem, quod vetus dicitur teſtamentũ, quia promiſsiones habet terrenas, & per Ieſum Chriſtum nouum futurum fuerat teſtamentum, quo regnum cęlorum promittitur. & lib. 3. contra duas epiſtolas Pelagianorum, oſtendens Patres & Prophetas re ipſa fuiſſe Chriſtianos, & ad nouum pértinuiſſe teſtamentum: Eligamus, inquit, verum antiquos iuſtos ancillæ filios dicamus an liberæ? abſit autem vt ancillæ: ergo filij liberæ ad nouum pertinent teſtâmentum in Spiritu ſancto, quem viuificantem literæ occidenti opponit Apoſtolus. Nam quo pacto ad gratiam noui teſtamenti non pertinent hi, de quorum dictis & libris iſtos eiuſdem gratiæ ingratiſſimos inimicos refellendo cõuincimus? Sed dicet aliquis, quomodo vetus appellatur, quod poſt quadringentos & triginta annos factum eſt per Moyſen: & nouum dicitur, quod ante tot annos factum eſt ad Abraham? Cui reſpondet, qui ex hoc non litigioſe, ſed ſtudioſe mouetur, intelligat primum, quia cum ex anteriori tempore dicitur vetus, ex poſteriore autem nouum, reuelationes eorũ conſiderantur in his nominibus, non inſtitutiones: per Moyſen quippe reuelatum eſt teſtamentum vetus, per quem data eſt lex, per quam fieret non abolitio, ſed cognitio peccati. Erat autem occulta iſta lex ab initio, cú homines iniquos natura ipſa conuinceret, alijs facientes, quod ſibi fieri noluiſſent. Reuelatio autem noui teſtamenti in Chriſto facta eſt, cum eſt manifeſtatus in carne, & apparuit iuſtitia Dei: ſic enim ait Apoſtolus, nũc autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſta eſt. Ecce qua cauſa illud dicitur vetus Teſtamentum, quia priori: hoc autem nouum, quia poſteriori tempore reuelatum eſt. Deinde, quia Teſtamentum vetus pertinet ad hominem veterem, à quo neceſſe eſt hominem incipere: nouum autem, ad hominem nouum, quo debet homo ex vetuſtate tranſire. Ideò in illo ſunt promiſſa terrena, in iſto promiſſa cæleſtia: quorum tractatio alio loco erit oportunior.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Baptiſmus ad ſalutem omnibus eſt neceſſarius, etiã infantibus, per quem peccata plene tolluntur, et fiunt filij Dei, ac hæredes vitæ æternæ: nec vnquam iterandus eſt.

Baptiſmi neceſsitas.

Actuum. 2.

NEceſsitatem Baptiſmi oſtendit Petrus Apoſtolus Act. 2 Baptizetur, inquit (his qui cõpuncti petebant quid eſſent acturi) vnuſquiſq; veſtrum in remiſsionem peccatorum, & accipietis donũ Spiritus ſancti: & verbum Saluatoris, Ioan. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Nec ſolùm neceſsitatem quam præceptum adducit, verùm etiam eam, quæ eſt ex effectu ad quem eſt inſtitutus, quomodo neceſſarius eſt cibus, neceſſaria eſt & medicina ad vitam, & circuncifio poſt eius inſtitutionem. Quod enim natum eſt, inquit Saluator, ex carne, etiamſi incorrupta eſſet, caro eſt: nec vltra ea, quæ carnis, hoc eſt, naturæ ſunt, aſſurgere poteſt, & ſi ex carne Adę natum eſt, iræ Dei, æternæq; damnationi eſt obnoxium, quæ ſuper ipſum manet, quamdiu in Chriſto non renaſcitur, ſiue hoc culpa eius cõtingat, ſiue neceſsitate: damnat enim regeneratio, inquit beatus Auguſtinus. & ſicut in totam Adæ poſteritatem per carnalem generationem transfunditur peccatum, ita per Baptiſmum in Chriſto regeneramur: in vno ſpiritu, ait Apoſtolus Paulus, omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus. & ad Galatas: Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtũ induiſtis. ad hanc enim in Chriſto renaſcentiam, ab eo inſtitutus eſt Baptiſmus aquæ, quem propterea Apoſtolus Paulus in epiſtola ad Titum, nominat lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè, & mundat eccleſiam ſuam lauacro aquæ in verbo vitæ. Quod enim fœtui eſt matrix, hoc fideli eſt aqua: in aqua enim plaſmatur & figuratur, ait beatus Chryſoſtomus Homil. 25, in Euangelium ſecundum Ioannem, & Homil. præcedente. Quod perneceſſaria ſit aqua, vel indè perſpicuum eſt, quòd cum ante aquam ſpiritus inſpiraſſet, non tamen in hoc quieuit Apoſtolus, ſed ad aquæ neceſsitatẽ oſtendendam ait: Nunquid aquam quis prohibere poteſt, vt non baptizentur hi, qui Spiritum ſanctum acceperunt, ſicut & nos? Quænam ergo aquæ neceſsitas? iam abſconditum vobis aperiam myſterium: quod multis proſequitur, tandem concludens, quòd Catechumenus vſque ad aquam baptiſmi alienus à cœleſtibus regem habet, non Chriſtum, ſed diabolum: in Baptiſmo verò commutantur omnia, & fit homo totus nouus. Si enim hæc ſententia Domini ſolùm neceſsitatem, quæ ex præcepto eſt, adduceret, non complecteretur eos, qui præcepti per ætatem vel amentiam non ſunt capaces, nec inculpabiliter i-

Ioan. 3.

Titum 3.

pſum ignorantes, imò nec illos, qui ex iuſta cauſa ſuſcipere differentes morte præueniuntur, ne deſideratum ſuſcipiant. De quibus dicit B. Auguſtinus tractatu 13. ſuper Ioanné. Quantumcunque catechumenus proficiat, adhuc ſarcinam iniquitatis portat, nec illi dimittetur, niſi cum venerit ad baptiſmum. & lib. 3. de peccatorum meritis cap. 4. & in epiſtola ad Dardanũ, quę eſt 57. docet, ꝙ ſine baptiſmno emo Chriſto incorporatur Etidem lib. 5. contra Iulianum, cap. 3. & de Eccleſiaſt. dogmatibus, cap. 74. & quæſt. 2. ad Simplicianum in principio. Et de fide ad Petrum, ca. 3. In alijs locis excipit præter martyrium etiam eos, qui ad Deum ex fide conuertuntur, & neceſsitas à Baptiſmo excludit, & ideò Magiſter Sententiarum diligenter hanc quæſtionem tractans 4. diſtinct. quarti ſententiarũ, in cap. his autem, & reſpondens authoritatibus ſupra ex Auguſtino citatis, dicit, quod in his minus dixit, in alijs capitulis ſuppleuit, citat §. præcedente. Hi enim omnes à præcepti tranſgreſsione excuſantur, regnum tamen Dei ſine Baptiſmo introire non poterunt, niſi habeant, quod vices eius ſecundum legem Dei ſupplere poſsit, de quo ſtatim dicetur. Nam per vnius hominis inobedientiã, peccatores conſtituti ſunt multi, qui Deo patri reconciliari non poſſunt, niſi per alterius hominis obedientiam, cuius corpori quaſi bonæ oliuæ ſecundum Chriſti inſtitutionẽ per Baptiſmum, qui fit ex aqua & ſpiritu ſancto, inſeruntur: & ex textu Geneſ. dicit beatus Auguſtinus de circunciſione lib. 3. contra Iulianum cap. 18. quid de Iſaac dicturus es, cui quicquam nec poſsibile nec impoſsibile eſt imperatum? & tamen perditionis animæ ſuæ pœna feriretur, ſi octauo die non circunciderctur. Peribit (ait Dominus) anima eius de populo ſuo, ſi maſculus octauo die circunciſus non fuerit.

Est tamen Baptiſmus à Chriſto etiam præceptus, & tanquam præcepti Euangelici tranſgreſſor punietur, qui baptiſmum ſuſcipere negligit, vel contemnit, ſi etiam eſt iuſtificatus. Nam fidem conuincitur non habere, ait mellifluus Bernard. in epiſtol. 77. quę eſt ad Hugonẽ de S. Victore, quę Sacramẽtum negligit Baptiſmi: vera enim & plena fides vniuerſa præcepta complectitur. Eſt autem hoc vnum ipſumque præcipuum ait ex præceptis, quanquam factirium, à Chriſto pro tempore ordinatum Et ideò ſicut Abraham, tametſi teſtimonium haberet iuſtitiæ, ex præcepto Domini eſt circunciſus, ſimiliter Hieremias & Ioannes Baptiſta in vtero ſanctificati: ita ex præcepto Domini baptizandi ſunt, qui plena cordis ex fide ad Deum conuerſione ſunt iuſtificati, vt docet beatus Auguſt. lib. 4. de baptiſmo contra Donatiſt. cap. 22. 24. & vltimo, q. 84. ſuper Leuiticum, & quæſt. 33. ſuper Numeri, & in epiſt. 108. argumentum ſumens ex eo, quod B. Petrus baptizari iuſsit Cornelium Centurionem & domum eius, poſtquam in eos deſcenderat Spiritus ſanctus. poſſet (inquit) videri ſuperfluum, vt aqua etiam tingantur, in quibus iam donum Spiritus ſancti (quod non niſi baptizatos alios accepiſſe ſacra ſcriptura teſtatur) certo quoque indicio, quod illis temporibus congruebat, cum linguis loquerentur * enumerat, baptizati ſunt tamen, & in hoc facto Apoſtolica extat authoritas, vſque adeò debet in quolibet prouectu interioris hominis, ſi fortè ante Baptiſmum vſq; ad ſpiritualem intellectum pio corde profecerit, contemnere Sacramentum, quod miniſtrorum opere corporaliter adhibetur, per quod Deus hominis conſecrationem ſpiritualiter operatur: & ſerui ſui Baptiſmum Chriſtus accipere voluit, vt declararet, quantum pendendum eſſet ſuum baptiſma, quo ipſe erat baptizaturus: videbat enim tanquam peritiſſimus medicus æternæ ſalutis non defuturũ quorundam tumorem, qui cum intellectu veritatis & probabilibus moribus ita profeciſsẽt, vt multis baptizatis vita atque doctrina ſe præponere minimè dubitarent, ſuperuacaneum ſibi eſſe crederent baptizari, quando ad illum mentis ſe habitum perueniſſe putarent, ad quem multi baptizati adhuc aſcendere conarẽtur: ad quid verò baptiſmus ſanctificatis proſit, & cuius rei in eis ſit Sacramentum, Magiſter in 4. lib. Sententiarum docet diſtinct. 4. Solet etiam quæri ex beatorũ Ambroſij & Auguſtini ſententijs. prodeſt enim ad remiſsionem pœnæ temporalis peccatis adhuc debitæ, & augmentum gratiæ, omniumque virtutum: & facit membrum corporis Chriſti, eique incorporat. Quando hoc præceptum & inſtitutio cœpit obligare, an ſtatim poſt colloquium ſecretum cum Nicodemo habitum, non ſatis Patres cõueniunt. Nam beatus Auguſtinus libro de fide ad Petrum, cap. 3. dicere videtur, quòd ſtatim & ex illo tempore quo Saluator noſter dixit: Si quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei abſque ſacramento baptiſmatis, præter eos, qui in Eccle. catholica ſine baptiſmate pro Chriſto ſanguinem fundunt, nec regnum cælorum poteſt quiſquam accipere, nec vitam æternã: quem ſenſum verba Chriſti inſinuant, Quicunque poſt hac renatus non fuerit ex aqua. Rupertus verò in comment. in Ioan. & Bernard. in epiſt. ad Hugoné, apertè contrarium docent. ſed huius diſcuſsionem articulus nõ exigit. Continent igitur verba Saluatoris, Niſi quis renatus fuerit, &c. Sacramenti inſtitutionem, præceptum, & tertio poſitiuam ordinationem, qua diſpoſuit neminem ſaluum fore, niſi renatus fuerit ex aqua et ſpiritu ſancto: etiam ſi aqua perfundi non poſſet. Nam renaſcentia in ſpiritu determinata eſt per Chriſtum ad baptiſmum aquæ, tanquam medium ordinariũ, quo naſcantur filij Dei, ſicut tempore Abrahæ diſpoſuerat, quòd maſculus, cuius præputij caro circunciſa nõ fuerit, periret de populo ſuo. Qui nũc (ait V. Beda) per Euangelium ſuũ terribiliter & ſalubriter clamat: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnũ. ipſe dudum

* aduenerat.

dudum clamabat per ſuam legem: Maſculus cuius præputij caro circumciſa non fuerit, peribit anima eius de populo ſuo, hoc eſt, morte æterna interibit, non temporali tantum, vt Auguſtinus ait lib.2. de gratia & peccato originali, ca.30. lib.5. hypognoſticon. & lib.2. de nuptijs & concupiſcentia, cap. 11. quia pactum meum irritum fecit: Imo ſemper omniq; mundi ætate vtraque neceſsitate neceſſarium fuit ſacramentum inſtitutum diuinitus pro peccato originali, vt ex ſuperioribus patere poteſt. Et ideò B. Grego. 4. libro Comment. in Iob ait: Quod apud vos valet aqua Baptiſmi, hoc egit apud veteres pro paruulis ſola fides: pro maioribus, virtus ſacrificij: & pro his, qui ex Abrahæ ſtirpe prodierunt, myſterium circuncifionis. Et ſacramenti, quo paruuli ſante inſtitutam circuncifionem ſubueniebatur, meminit & B. Auguſt. lib.2. contra Pelag. & Cæleſtium, de peccato originali, cap.30. & cap.40. Quòd Deus liberat puſillos cum magnis à poteſtate tenebrarum, & lib.5. contra Iulianum, cap. 9. Nō eſt credendum ante datam circuncifionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo ſacramento eius opitulatos fuiſſe paruulis ſuis, quamuis quid illud fuerit, aliqua neceſſaria cauſſa ſcriptura latere voluerit. Et lib. 15. de ciuit. Dei, cap. 16. Non enim conſtare certo poterat de paruuli ſalute, niſi fuiſſet ſignum diuinitus inſtitutum, quod ſignificaſſet ex Dei ordinatione peccatum originale dimitti, eumque in filium Dei adoptari. Ex quo patet abſurda falſitas opinionis Martini Buceri, quòd ante circuncifionis inſtitutionem, & vſque ad Baptiſmum, per parentes proles annumerabantur populo Dei, apud homines & apud Deum electione ęterna, de quo poſtea dicetur. Nunquam enim deſtitutum fuit genus & ętas paruulorū remedio, quo in gratiā Patris venire poſsint, & peccatum, quod ex parentibus contrahunt, tolli. Eſt enim Deus & Saluator non adultorum tantum, ſed & infantum. Si enim vnius delicto, inquit Apoſtolus Paulus, mors regnauit per vnum, multò magis abundantiam gratiæ & donationis & iuſtitiæ accipientes in vita, regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum. Renaſci autem in Chriſto ex Spiritu ſancto, omni ętati, omni ſexui, & conditioni hominum ſemper fuit ad ſalutem neceſſarium, nec ſolum hominibus, ſed & Angelis neceſſarium fuit, vt ex fidei ſpiritu naſcerentur filij Dei. Nam immobiles & indiſpenſabiles ſunt, ſequunturque naturam gratiæ filiorum Dei, etiam in Angelis hæ ordinationes: Niſi quis renatus fuerit denuo, nō poteſt videre regnum Dei. Et, qui non credit, iam iudicatus eſt, quia nō credit in nomine vnigeniti filij Dei. & in hominibus, qui incredulus eſt filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Nec fidei, nec renaſcentiæ vices, quicquam aliud ſupplere poteſt. Qui non crediderit, ait Saluator, condemnabitur: ſed modus & mediū huius renaſcentiæ, cum ſit poſitiua & voluntariæ diſpoſitionis diuinæ pro qualitate temporis, & hominum conditione, quibus hæc varietas conueniebat, mutata ſunt, vt docet beatus Auguſtinus lib. de vera relig. cap. 17. Et vt certò de ea conſtare poſſet, apud homines ſemper ſignum ſenſibile, vt diximus, inſtituit per quod regenerentur, nunc baptiſmum, & prius circuncifionem & ſacrificium, vel fidei proteſtationem. Eſt tamen & mediū quoddam huius renaſcentiæ, quaſi naturale, ſecundum ordinem & naturam gratiæ ita immobile & indiſpenſabile, cui poſitiua omnia inſtituta cedere oportet, quando adhiberi deſiderantur, nec tamen poſſunt: quale eſt verbum Deutero.30. Quod prope eſt omnib. Nam ſemper immobiliter verum manet, corde creditur ad iuſtitiam, & ore fit confeſſio ad ſalutem: Et appropinquate Deo, & appropinquabit vobis: Conuertimini ad me, & ego cōuertar ad vos: Hi enim ſunt modi, quibus quaſi naturaliter omni tempore contingere potuit iuſtitia adultis. ſciens enim Dominus varios caſus & neceſsitatis articulos poſſe accidere, qui baptiſmum omninò excluderent, nolens aliquos perire, ſic in Euangelio de baptiſmo diſpoſuit, vt ſecūdum inſtituta ſua, quaſi naturalia adultis nihilominus per martyrium, & cordis ad Deū conuerſionem, gratia eius & filiorum adoptio obtineri poſſent, quando myſterium baptiſmi non contemptus religionis, ſed articulus excludit neceſsitatis. Sic docet beatus Ambroſius in oratione funebri ſuper obitu Valentiniani: & B. Cyprianum ſequutus B. Auguſtinus libro 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap.22. Baptiſmi, inquit, vicem aliquando implere paſsionem de latrone illo, cui non baptizato dictum eſt: Hodie mecum eris in paradiſo, non leue documentum B. Cyprianus aſſumit. Idem etiam atque etiam conſiderans, inuenio non tantum paſsionem pro nomine Chriſti, quod ex Baptiſmo deerat, poſſe ſupplere, ſed etiam fidem conuerſionemq; cordis, ſi fortè ad celebrandum myſterium baptiſmi in anguſtijs temporum ſuccurri non poteſt. Neque enim latro ille pro nomine Chriſti crucifixus eſt, ſed pro meritis facinorum ſuorum. Nec quia credidit paſſus eſt, ſed dum patitur credidit. Quantum itaque valeat etiam ſine viſibili ſacramento baptiſmi, quod ait Apoſtolus: Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutē, in illo latrone declaratum eſt, & multò magis in Cornelio & amicis eius: Et idem libro 3. de origine animæ, cap.9. & lib.1. cap. 9. & lib.13. de ciuitate Dei, cap.7. ait. Quicunq; etiam non percepto regenerationis ſacramēto pro Chriſti confeſsione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi ablueerentur ſacro fonte baptiſmatis: Qui enim dixit, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, nō intrabit in regnum cœlorum: alia ſententia iſtos facit exceptos, vbi non minus generaliter dixit: Qui me cōfeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cęlis eſt.

Sacramenta omniū ſunt ætatum communia.

Ex commentarijs epiſtolæ ad Rom.

Auguſt. Baptiſmi vicem quæ ſuppleant.

Et alio loco: Qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eã. Hinc ſcriptum eſt, Precioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Excepit & eos, qui toto corde ex fide ad eum conuertuntur, dum ait: Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis, vt omnis, qui credit in ipſo, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Et Apoſtolus: Iuſtitia Dei per fidẽ Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum. Et quando Auguſtinus de fide ad Petrum cap. 3. & in alijs locis ſolos Martyres excipit, intelligit beatus Thomas non eſſe plenam remiſsionem peccatorum quod ad pœnæ debitum extra caſum Martyrij. Et quia iſtæ ſunt leges fidei, charitatis, ac religionis, ideò quaſi naturales & immobiles ſunt. Nec eis præiudicare poſſunt inſtituta Dei poſitiua, quæ ad tempus ſolum ſtatuuntur. Idem eſt enim ſemper ſpiritus fidei, charitatis & religionis, eadem & præcepta & ordinationes, quæ per ſe ipſum ſequuntur: Nec contra charitatem, fidem aut religionem militare poteſt, quod pro eis eſt inſtitutum, ſi recordatus fuerit homo, ait beatus Bernardus, nec dum ſe ſalutis percepiſſe myſterium, & dolens pœnitensq; toto deſiderio expetierit: ſed aſſequi mortis celeritate præoccupatus nequierit, damnabit fidelem ſuum Deus? Damnabit, inquam, hominem pro ſe etiam paratum mori eum, qui ſaluatorem habet per fidem habitantem in corde & in ore per Confeſsionem, hunc cum Saluatore damnabit? & cum non aliundè martyrium, niſi ex fidei merito, illã obtinet prærogatiuam, vt ſingulariter vice baptiſmi ſecurè ſuſcipiatur, non video cur nõ ipſa æquè & ſine martyrio tantundem poſsit apud Deum. Duo igitur hæc, martyrium ſcilicet & cõuerſionem cordis ad Deum ex fide, ſupplere vicem baptiſmi, & ad ſalutem ſufficere, quãdo articulus neceſsitatis ſacramentum excludit, poſt B. Aug. & Amb. à quibus (inquit) duabus columnis, crede mihi difficulter auellor, clariſsimè docet B. Bernard. in epiſt. ad Hugonem de S. Victore, qui etiam ipſe idem prolixè docet lib. 2. de Sacramentis parte 6. c. 7. Erant enim, qui illo tempore docebant, neminem abſq; percepto actualiter viſibili ſacramento, vel eius vice martyrio, vllatenus poſſe ſaluari. Et quãuis paruulos ab vtroque remedio, quaſi vicario baptiſmi, in hac epiſt. videtur excludere, quia prohibẽte ætate non poſſunt habere fidẽ, hoc eſt, cordis ad Deum cõuerſionem, ex qua Deo gratũ eſt martyrium: Nam abſq; fide, inquit, quid eſt martyriũ niſi pœna? ſermone tamẽ 66. ſuper Cantica, & in ſermone de Innocentibus ait: An de innocentium coronis quis dubitet? ille pro Chriſto trucidatos infantes dubitet inter martyres coronari, qui regeneratos in Chriſto nõ credit inter adoptionis filios numerari. Et cõmunis eſt ſententia, ꝙ martyriũ pro Chriſti nomine ita ſupplet vicẽ Baptiſmi in paruulis, ſicut in adultis, quibus tamẽ ſimul adeſſe debet ex fide ad Deũ conuerſio, Paruuli enim Chriſtum confitentur, non voce, ſed opere & ſanguinis pro eius nomine effuſione: ſed ſine martyrio nulla eſt paruulis ſpes ſalutis, ſi ſine Baptiſmo hinc migrant. Hinc B. Auguſt. lib. 3. de origine animæ, ca. 9. Noli credere, noli dicere, noli docere infantes antequam baptizentur, morte præuentos peruenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum, ſi vis eſſe catholicus. & idẽ lib. 1. ca. 9. & epiſt. 28. prope finem, & de fide ad Petrum cap. 27. firmiſsimè tene, & nullatenus dubites, non ſolum homines iam ratione vtentes, verùm etiam paruulos, qui ſiue in vteris matrum viuere incipiunt, & ibi moriuntur, ſiue cum de matribus nati, ſine ſacramento S. Baptiſmatis, quod datur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, de hoc ſeculo tranſeunt, ignis æterni ſupplicio puniendos: quia & ſi propriè actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione & natiuitate traxerunt. Capite 30. tamẽ, & de dogmatibus eccleſiaſticis cap. 74. excipit ab hac regula eos, qui pro nomine Chriſti in ſuo ſanguine baptizantur, etiam paruulos. loquens enim de infantibus ab Herode occiſis: Ille de veſtra, inquit, corona dubitabit in paſsione pro Chriſto, qui etiam paruulis baptiſmum prodeſſe non æſtimet Chriſti. Non habebatis ætatem, qua in paſſurum Chriſtũ crederetis, ſed habebatis carnem, in qua pro paſſuro Chriſto paſsionẽ ſuſtineretis. & lib. quarto cõtra Donatiſt. ſimiliter excipit eos, qui ex fide ad Deum conuertuntur. Nam ex fide in Chriſtum hanc conuerſionem naſci oportere, docet melliflnus Bernard. & non ſufficere eam, quæ proficiſcitur ex naturali cognitione, quam de Deo & peccatis noſtris habere poſſumus. Et B. Auguſt. ex epiſt. Apoſtoli Pauli ad Rom. & ad Galat. lib. de natura & gratia. cap. 1. 2. 4. 8. & in epiſt. 105. ad Sixtũ Romanum presbyterum, & lib. 18. de ciuitate Dei, cap. 47. & de correptione & gratia, c. 7. Nam ſi ex lege aut natura eſt iuſtitia, Chriſtus gratis mortuus eſt: non enim ſupplet vicem Baptiſmi conuerſio ad Deum, niſi fiat ex fide in Chriſtum, & adducat veram vitæ veteris & peccatorum pœnitentiam, mentemque innouet. Et docet beatus Thomas Quodlib. 4. artic. 10. libro quarto contra Gentiles, cap. 72. quod baptiſmus & ſacramentum pœnitentiæ ſolo voto ſuſcepta, quaſi ex opere operato remittunt peccata, quem Cardinalis Caietanus ſequitur in quæſtione 4. de cõtritione, adiecta tertiæ parti ſummæ, cui etiam fauet. B. Ambroſius in oratione funebri ſuper obitu Valentiniani: ventrem, inquit, meum doleo, quia quem regeneraturus erã, amiſi: verum tamen gratiam, quam ille popoſcit, non amiſit. Et Canones de presbytero non baptizato, cap. Apoſtolicam, & ca. debitum, de baptiſmo & eius effectu. Sed cùm ſcripturæ ſacramentis hoc priuilegium adſcribant, certum non eſt, quod ad votum ſiue deſiderium eorum extendi debeat, vt docet ſanctiſsimus noſter Hadrianus, præceptor meus

Paruulis nõ Martyribus nulla eſt ſine baptiſmo ſpes ſalutis. Auguſtinus.

meus colendiſsimus in Quodlibetica.queſt. 5.artic.5. ſed huius diſcuſsio argumento noſtro eſt impertinens.Nec conuerſio hęc mentem verè renouans,ſupplet vicem baptiſmi, niſi apud eum ipſum qui ſic conuertitur. Nō enim ex fide aliena, adiuncto etiam ſacrificio, nūc paruuli ſaluari poſſunt ſicut olim. Nec tunc quidem, quando articulus neceſſitatis baptiſmum excludit.Tunc enim fides, vel ſola, vel potiùs proteſtata, verè ſacramentum erat,vt ſuperiùs diximus ex ſententia B. Auguſtini & Gregorij, quæ ſola ratione efficax erat ad ſalutem:ſicut poſtea circūciſio, & nunc baptiſmus, quo inſtituto vt circunciſio, ita & hęc fides virtutem paruulum iuſtificandi habere ceſſauit. Eſt enim proprium Chriſto, tanquam capiti Eccleſiæ, ſua actione & influxu per ſe & per ſacramenta,quæ inſtituit,alium iuſtificare.De quo eſt aperta ſententia B.Auguſtini lib.1.de peccatorum meritis, cap.23.Nulla, inquit, ex noſtro arbitrio præter baptiſmum Chriſti, ſalus æterna promittatur infantibus, quam nō promittit ſcriptura diuina humanis omnibus ingenijs præferenda. Ex quibus patet, quòd ſine fundamento eſt opinio Durandi, probabile eſſe, quòd ante circunciſionem paruuli ſaluabantur per fidem & merita Eccleſiæ in opere externo,precibus ſcilicet aut benedictione applicata,quodq; Fides Eccleſiæ, non priuatæ perſonæ,ad iuſtificationem alterius ſufficit,Et quòd ſententia Cardinalis Caietani,& ante eum clariſsimi doctoris Ioannis Gerſon cancellarij Pariſienſis, & Gabrielis,Diſtinct.4.quarti lib. quæſt.2. quòd paruuli in maternis vteris conſtituti, & etiam nati, in caſu neceſsitatis ſaluari poſſunt per baptiſmum voto parentum ſuſceptum, cum aliqua benedictione prolis ſeu eius oblatione ad Deum cum inuocatione Trinitatis,nec ſcripturis,nec veterum traditioni cōſentanea eſt:quorum argumentis poſtea reſpondebimus. Hæc autem ſupplementa Baptiſmi, an ex virtute Baptiſmi habeant quòd ſalutem operantur, ſicvt in eis oporteat Baptiſmū aquę quaſi in ſuis vicarijs ſuſcipere, & ad illum in iſtis reſpicere, vt virtus iuſtificandi in ea quaſi ex Sacramento deriuetur(vt ſentit venerab.& reuerend.pater Thomas Vualden in opere inſigni, quod de Sacramentis ſcripſit, & Ioannes Capreolus diſtinct.1. quarti ſentent. in ſolutione tertij argumenti Durandi,contra tertiam concluſionem ex B. Thoma dicit, quòd contritus non conſequitur gratiam,niſi virtute Sacramenti,quod actu vel in voto ſuſcipit,quodq; Chriſtus per ſacramentum operetur vtroq; modo ſuſceptum) an quod veriſimilius eſt, ex ſe vt à ſpiritu Chriſti proficiſcuntur, hanc virtutem habeant(nam vt diximus,medium quaſi naturale ad renaſcentiam, ſuppoſita Chriſti victima,eſt hæc cordis ad Deum conuerſio) non multum ad articuli declarationē pertinet. ſicut nec hîc diſcutere oportet, vnde habeat propoſitum ſuſcipiēdi Baptiſmum,quando ſacramentum excluditur articulo neceſsitatis virtutem iuſtificandi: nobis magis videtur quòd eā habet ex Fide per charitatem mouente, nullumq; habeat ex opere operato effectum ex Sacramento quaſi deriuatum.

Improbātur opiniones Durandi Caietani, Gerſonis, Gabrielis.

PAruulis igitur Baptiſmum eſſe neceſſarium,& magis quàm adultis,eiſq;ſufficere ex ſuperioribus patere poteſt, cum nullum habeant aliud remedium,niſi Martyriū, quo ſaluari ſine Baptiſmo poſſunt: Adulti autem ſemper habent in ore ſuo & corde verbum conuerſionis ad Deum. De quo Moyſes Deutero.30.& Apoſt.Paulus ad Rom.10. Cui tanquam verbo immobili & ſempiternæ veritati, nec inſtitutio Baptiſmi, nec quæuis alia poſitiua,vt diximus,ordinatio præiudicare potuit.ſicut nec præceptum Confeſsionis peccatorum faciendæ ſacerdoti legibus quæ ſequuntur charitatem, vel naturam rationabilem.Non enim leges quæ naturalem ſequuntur rationem magis ſunt immutabiles,quàm quæ ſequuntur in filijs Dei conſortium diuinæ naturæ. Infantes verò recenter natos per Baptiſmum ſaluos fieri,nec octauum diem expectandum, ex ſcripturis, probat in epiſtola 8.tertij libri quæ eſt ad Fidum B.Cyprianus. Et ſcripturæ teſtantur, quòd domos & familias Apoſtoli baptizauerunt quæ complectuntur & paruulos, vt 1. ad Corinth.1.& Actuum 18.& Geneſis 17.mādatur, quo infans octo dierum circuncidatur,& Paulus ad Rom.6. Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis abundantiam gratiæ & donationis, & iuſtitiæ accipientis in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum. Pueri autem ex peccato Adæ, peccatum originale contrahunt: multò igitur magis poſſunt per Chriſti gratiam ſuſcipere vt regnent in vita æterna. Multò tamen certiùs & ſolidius hoc probatur ex Patrum & Maiorum traditione, ac Eccleſiæ totius. Quod ſanctus Auguſtin. intelligens ex Maiorum concordi traditione paruulos eſſe baptizandos, probat potiſsimum lib.4. de Baptiſmo capit.23. Sicut inquit in latrone, quia per neceſsitatē corporaliter Baptiſmus defuit,perfecta ſalus eſt, quia per pietatem ſpiritualiter adfuit:ſic cum ipſe præſto eſt, ſi per neceſsitatem deſit quod latroni adfuit, perficitur ſalus: Quod traditum tenet vniuerſitas Eccleſiæ cum paruuli baptizantur, qui certe nondum poſſunt corde credere ad iuſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem, quod latro potuit,quin etiam flendo & vagiendo, cum in eis myſterium celebratur,ipſis myſticis vocibus obſtrepunt, nullus tamen Chriſtianorum dixerit eos inaniter baptizari, & ſi quiſpiam in hac re authoritatem diuinam quærat, quanquam quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum,ſed ſemper retentum eſt, non niſi Apoſtolica authoritate & diuina traditum rectiſsimè creditur: Tamen veraciter cōijcere poſſumus,quid valeat

Baptiſmum infantibus eſſe neceſſarium.

D.Cyprian.

Auguſtinus.

Paruulos Baptizādos tradiderunt Apoſtoli.

leat in paruulis baptiſmi ſacramentum ex circuncíſione carnis, quam prior populus accepit, quam priuſquam acciperet, iuſtificatus eſt Abraham, ſicut Cornelius etiam dono ſpiritus ſancti, priuſquam baptizaretur, ditatus eſt. (Et paucis interpoſitis.) Cur ergo Abrahæ præceptum eſt, vt omnem deinceps infantem maſculum octauo die circunciderer, qui nondum poterat corde credere, vt ei deputaretur adiuſtitiam, niſi quia & ipſum per ſeipſum ſacramentum multum valebat; quod proſequitur toto hoc capite. 24. & ſequenti. De eo autem quod tota per orbem frequentat Eccleſia diſputare an ita faciendum ſit, inſolentiſsimæ inſaniæ eſſe, idem docet in epiſtola ad Ianuarium, quæ eſt 118. Eadem probationis forma vtitur aduerſus Donatiſtas in libro contra Petiliani Donatiſtæ epiſtolam capite 19. oſtendens, quod hęreticus ad Eccleſiam rediens, ſuſcipiendus eſt ſicut eum ſuſcipit, & ſuſcipere ſolet Eccleſia Chriſti. Ait enim: Dicat mihi nunc hęreticus, quomodo me ſuſcipis? citò reſpondeo: ſicut ſuſcipit Eccleſia, cui Chriſtus perhibet teſtimonium: Nunquid tu melius noſſe potes quomodo ſuſcipiendus ſis, quàm Saluator noſter medicus vulneris tui? Hîc fortè dicis, Lege ergo mihi, quemadmodum Chriſtus ſuſcipi iuſſerit eos, qui ab hæreticis tranſire ad Eccleſiam volunt? hoc apertè atque euidenter nec ego lego, nec tu. Nunc verò cum in ſcripturis non inueniamus aliquos trãſiiſſe ad Eccleſiam ab hæreticis, & ſicut ego dico, aut ſicut tu dicis eſſe ſuſceptos, puto ſi aliquis ſapiens extitiſſet, cui Dominus Ieſus teſtimonium perhiberet, & de hac quæſtione conſuleretur à nobis, nullo modo dubitare deberemus id facere quod ille dixiſſet, ne non tam ipſi quàm domino Ieſu Chriſto, cuius teſtimonio commendabatur, repugnare iudicaremur: perhibet autẽ teſtimonium Chriſtus Eccleſiæ ſuæ. quomodo ergo ſuſcipit iſta Eccleſia per omnes gentes, remotis omnibus ambagibus & tergiuerſationibus, ſic ſuſcipiendus es, quod ſi non vis, non mihi aut cuiquam homini qui vult ita ſuſcipere, ſed ipſi Saluatori contra ſalutẽ tuam perniciosiſsimè reluctaris, cui te ſic ſuſcipiendum eſſe non vis credere, quemadmodum ſuſcipit illa Eccleſia, quam teſtimonio ſuo commẽdat ille, cui fateris nefarium eſſe non credere. Quæ reſponſio valet & efficax eſt ad diſſoluendas vniuerſas quęſtiones, quę nunc controuertuntur: ſic enim pro defunctis orandum eſt, ſic inuocandi Sancti, quemadmodum docet Eccleſia, cui teſtimonium perhibet Chriſtus, eodemq; argumento conuincitur in omnibus dogmatibus controuerſis hoc ſequẽdum eſſe, hoc credendum quod ſequitur, & credit Eccleſia eadem catholica. Et ideo li. 2. ca. 29. & lib. 10. ſuper Gen. ca. 23. & lib. 3. de libero arb. cap. 23. & in epiſt. 23. quæ eſt ad Bonifacium docet paruulos eſſe baptizandos, magis ex perpetua Eccleſiæ catholicę obſeruatione, quàm ex certis ſcripturis. Nã ab incunabulis ſuis eccleſiam ſemper baptizaſſe infantes, ex Apoſtolorum ordinatione teſtatur S. Dionyſius cap. vlt. eccleſiaſticę hierarchię. Diuini inquit noſtri duces, hoc eſt, Apoſtoli, probauerunt infantes recipi ad baptiſmum, quẽ eodem loco aduerſus infidelium calumnias tuetur. Et Origenes in comment. epiſt. ad Rom. circa locum ſexti capitis, vt deſtruatur corpus peccati, Eccleſia ab Apoſtolis, inquit, traditionem ſuſcipit, etiam paruulis baptiſmum dare: ſciebãt enim illi, quibus myſteriorum ſecreta commiſſa ſunt diuinorum, quia eſſent in omnibus genuinæ ſordes peccati, quę per aquam & Spiritum ablui deberent, propter quas etiam corpus ipſum corpus peccati nominatur, de quibus & Propheta: Et in peccao concepit me mater mea. & Hireneus lib. 2. ca. 39. aduerſus hæreſes, omnes enim venit per ſemetipſum ſaluare: omnes, inquam, qui per eum renaſcuntur in Deum infantes & paruulos, iuuenes & ſeniores, & ideo per omnem venit ætatẽ, & infantibus, infans factus, ſanctificans infantes, & hanc ipſam habentes ętatem. & B. Hier. in epiſt. ad Letam. & in fine tertij lib. aduerſus Pelagianos. & Ambro. lib. 2. de vocatione gentium cap. 8. & Leo Papa in epiſt. 56. quæ eſt ad Septimum epiſcopum Altinum: à paruulo, inquit, recens nato vſq; ad decrepitum ſenem, quãlibet corporis ætatẽ gerat, ſicut nullus eſt prohibendus à baptiſmo, ita nullus eſt qui non peccato moriatur: ſed paruuli originali tantum, maiores autem his omnibus, quæcunque male viuendo addiderunt ad illud, quod naſcendo traxerunt. Et quotquot authores catholici ſcripſerunt vſq; in diem præſentem, docent ex maiorum traditione vtilem eſſe & neceſſarium paruulorum baptiſmũ. Et B. Bernardus quoſdam ſuo tempore aliter docentes, apertè pronunciat hæreticos, in Sermone 1. in ramis Palmarũ: etſi murmuret hæreticus, paruulos nõ ſinens venire, paruulorũ baptiſmo detrahẽs. Et 66. ſuper Cantica: Videte, inquit, detractores, videte canes irrident nos, quia baptizamus infantes, quòd oramus pro mortuis, quòd Sanctorũ ſuffragia poſtulamus, in omni genere hominũm, atq; vtroq; ſexu, feſtinãt proſcribere Chriſtũ in adultis & paruulis, viuis & mortuis. Propter hoc enĩ Chriſtus infans natus eſt & per ſingulos ætatũ gradus profecit in virũ, vt nulli deeſſet ætati, quod ex Hiereneo deſumpſiſſe videtur. Et ne vllus dubitationi locus relinqueretur, in generali Cõcilio ſub Innocentio 3. definitũ eſt, ſacramentum baptiſmi, quod ad Dei & indiuiduę Trinitatis, Patris & Filij, & Spiritus ſancti inuocationẽ conſecratur in aqua, tam paruulis quã adultis, ad ſalutem proficere. & in c. Maiores de baptiſmo & eius effectu. Idem Innocentius hæreticos vocat, qui docent paruulis inutiliter baptiſma conferri, & eorum reſpondet rationibus & ſcripturis ſententiam Saluatoris: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: docet ſolùm de adultis intelligendam, ne ad alios prima, & ad alios ſecunda clauſula referatur, cùm non poſsint

credere

credere paruuli,& fidem non requiri,nec vſum rationis,vt paruulus iuſtificetur, & fiat filius & hæres.teſtatur textus Geneſis de circũciſione.Et in Concilio Viennenſi ſub Clemente 5. definitur, quòd baptiſma vnicum eſt,& baptizatos omnes in Chriſto regenerat, & celebratum in aqua,in nomine Patris,& Filij,& Spiritus ſancti: Credimus,inquit, eſſe tam adultis, quàm paruulis perfectum remedium ad ſalutem, & probabilius eſſe, quòd etiam paruulis conferat gratiam informantem & virtutes.De eodem eſt cap. 2. Concilij Milleuitani: & cap. 6. Carthaginenſis Concilij 5. & cap. 4. Concilij Tridentini de iuſtificatione impij habet, quòd iuſtificatio impij poſt Euangeli promulgatum ſine lauacro regenerationis aut eius voto fieri non poteſt ſicetc ſcriptũ eſt:Niſi quis renatus fuerit,&c.

Peccata plenè per Baptiſmũ tolluntur.

QVod autem per baptiſmum ſi dignè ſuſcipitur,nec vllus ponitur obex,peccata plenè tolluntur, vt nec culpa maneat nec vllius pœnæ futuri ſeculi reatus (in his enim duobus conſiſtit plena peccatorum remiſſio)oſtendit Apoſt.Paulus,vocans ipſum lauacrum regenerationis & renouationis: & Corinthijs ſcribens: Sed abluti,inquit,eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis. vbi Auguſtin.audebo ergo dicere, ſanctus ſum, ſed gratia Chriſti ſanctificatus:accepit enim homo gratiam ſanctitatis,gratiam baptiſmi, & remiſsionis peccatorum, & hæc quidem fuiſtis, ait Apoſt. enumerans multa peccata & leuia & grauia,ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis: dicat ergo vnuſquiſq; fideliũ,ſanctus ſum,non eſt iſta ſuperbia elati, ſed confeſsio non ingrati.Nam ſi non dixeris te eſſe ſanctum,ingratus es,Pſal. 85. Et ad Rom. nihil eſſe damnationis his qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſma in mortem, & exuto veteri homine nouum induerunt, & vos exiſtimate,per baptiſmũ ſcilicet mortuos quidem peccato, & ab eo iuſtificatos,viuentes autem Deo in Chriſto Ieſu.Et Dominus pronunciat Apoſtolos eſſe per baptiſmũ prorſus mundos: Qui lotus eſt, inquit, non indiget niſi vt pedes lauet,ſed eſt mundus totus. Ex quo beatus Gregorius in epiſt.39.libro 9.ad Theotiſtam concludit, nihil peccati manere in baptizato:Nihil, ait, ei de peccati ſui contagione remanet, quẽ totum fatetur mundum ipſe qui redemit,& palmites ſibi vt vineæ inſitos mundos dicit, quamuis adhuc mundandos magis.Et Aug.li.20.de ciui.Dei, ca 26.Ex quo commiſſæ præuaricationis cauſa à paradiſo primi homines dimiſsi ſunt, excepto vno mediatore & poſt lauacrum regenerationis,quibuſq; adhuc paruulis,nemo mundus à ſorde, ſicut ſcriptum eſt, nec infans vnius diei ſuper terram .Eſt enim hominis mundicia, charitas & iuſtitia fidei, quę cùm imperfectæ ſint,& cum multa cupiditate,ſuiq; amore commixtę,magis ſemper mundãdi ſunt in hac peregrinatione palmites mundi, non ſolum à peccatis, quæ ex infirmitate ſubinde committimus, ſed & à vetuſtate, à qua renouari oportet,quæ tamen ſupplicium peccati eſt,nõ peccatum . Et lib. 1.de vocatione gentium,cap.5.Si ad illos dirigas mentis intuitum, qui longam agentes in flagitijs & ſceleribus ætatem, ſacramento baptiſmi Chriſti,in ipſo vitæ fine renouantur,& ſine vllo ſuffragio bonorum operum in regni cæleſtis conſortium transferuntur, quo intellectu iudicium diuinum comprehendes? Et B. Chryſoſt. in Comment. circa locum:Angelus Domini ſecundum tempus, &c.dicit,in baptiſmo non ſimpliciter aqua operatur, ſed cùm Spiritus ſancti ſuſceperit gratiam,tunc omnia ſoluit peccata.Et B. Bernard.de cœna Domini: In caſu primi hominis cecidimus omnes, cecidimus autẽ ſuper aceruũ lapidum,& in luto:vnde non ſolum inquinati,ſed etiam vulnerati,& grauiter quaſſati ſumus:lauari quidem cito poſſumus,ad ſanandum verò opus eſt curatione multa:lauamur autem in baptiſmo, & tanquam ſanies inueterati vulneris remouetur. Et clariſsimè ex ſcripturis B.Hieron. in epiſtola ad Oceanum docet,pleniſsimè, & penitus tolli omnia peccata: Omnia, inquit, nobis in baptiſmate donata ſunt crimina, nec poſt indulgentiam,iudicis metuenda eſt ſeueritas,dicente Apoſtolo: Et hæc quidem fuiſtis,ſed abluti eſtis,ſanctificati & iuſtificati in nomine Domini IESV Chriſti: quomodo, inquit iuſtificati ſumus & ſanctificati, ſi peccatum aliquod in nobis relinquitur? Michæas de Baptiſmi gratia vaticinatur, quòd demerget iniquitates noſtras, & proijciet in profundum maris omnia peccata noſtra. Et apud Ezechielem de baptiſmi virtute pronunciat: dum aſſumã vos de gentibus,& aſpergã aquam mundã,& mũdabimini ab omnibus immũditijs veſtris, & dabo vobis cor nouum & ſpiritũ nouum. In omnibus aũt nihil prætermittitur. Et verba Eſa.Lauamini,mũdi eſtote,ſi fuerint peccata veſtra vt coccinũ,quaſi nix dealbabũtur:& ſi fuerit rubra quaſi vermicul^9, velut lana alba erũt, interpretatur de lauacro regenerationis.

Ambroſius. *Chryſoſtom.* *Bernardus.* *D. Hieronym. ad Oceanũ.* *Auguſtinus* *Gregorius.* *Auguſtinus.* *Hominis puritas iuſtitia eſt & charitas.*

Concupiſcentiam poſt baptiſmum nõ eſſe proprij nominis peccatum.

ET quia omnes ferè ſcholæ quæ nouam doctrinam ſequuntur poſt Martinũ Lutherum,circa ſecundum articulum aſſertionis, dicunt quidem omnia peccata in baptiſmo remitti, vt non imputentur ad ſupplicium:non autem tolli,vt non mãeant peccata,ſed tollere incipit,& potiſsimum concupiſcentiam,quam certum eſt manere, nũc concorditer, præter Zuinglianos, ſectæ docẽt in baptizato manere verè & propriè peccatum Deo odibile reatu tantùm per baptiſma remiſſo,& huius dogmatis Auguſtinum ſe gloriantur habere authorem,operæ precium eſt videre,quid de hoc ipſe tradiderit,& apertiſsimè inueniemus eum docuiſſe concupiſcentiam ante baptiſmum quidem eſſe peccatum: non autẽ in baptizato, niſi ſecundum tropum tantum.Nam lib.1.de nuptijs& concupiſ.cap.25.Si, inquit, quæritur,quomodo iſta concupiſcentia carnis maneat in regenerato,in quo vniuerſorum facta eſt remiſſio peccatorum, quandoquidem per ipſam ſemina-

Auguſt. lib. de nuptijs & concu. piſ.c.25.

ſemina-

ſeminatur,& cum ipſa carnalis gignitur pro les parentis, etiam baptizati, aut certe ſi in parente baptizato poteſt, & eſſe, & peccatũ non eſſe, cur eadem in ipſa prole peccatũ ſit? Ad hæc reſpondetur, dimitti concupiſcentiam carnis in baptiſmo, non vt non ſit, ſed vt in peccatum non imputetur, quamuis autem reatu ſuo iam ſoluto, manet tamen donec ſanetur omnis infirmitas noſtra, manet autem ſicut affectio quædam malæ qualitatis, ſicut languor. Non ergo aliquid remanet, quod non remittatur cùm ſit, ſicut ſcriptum eſt, propitius Dominus omnibus iniquitatibus noſtris, & capite ſequenti: In eis ergo qui regenerantur in Chriſto, cùm remiſsionem accipiunt omnium prorſus peccatorum, vtique neceſſe eſt, vt reatus etiam huius, licèt adhuc manentis, concupiſcentię remittatur, vt in peccatum, ſicut dixi, non imputetur. Nam ſicut eorum peccatorum quæ manere non poſſunt, quoniam cùm fiunt prætereũt, reatus tamen manet, & niſi remittatur, in æternum manebit, ſic illius quando remittitur reatus aufertur: hoc eſt enim non habere peccatum, reum non eſſe peccati. Nam ſi quiſquam, verbi gratia fecerit adulterium, etiam ſi nunquam deinceps faciat, reus eſt adulterij, donec reatus ipſius indulgentia remittatur. Sed quomodo manent, ſi præterita ſunt? niſi quia præterierunt actu, manent reatu: Sic itaque fieri econtrariò poteſt, vt etiam illud maneat actu, prætereat reatu, agit enim aliquid concupiſcentia carnis, & quando non exhibetur ei vel cordis aſſenſus, vbi regnet: vel membra velut inſtrumenta quibus impleatur quod iubet, agit autem quid? niſi ipſa deſideria mala & turpiá, quo ſenſu actu dicitur manere. Sed quia hìc dicit, quòd concupiſcentia manens ablato reatu in baptiſmo in peccatum non imputatur, quamuis peccatum eſſe nequeat, quod non ſolum non in pœnam, ſed ne in peccatum quidem imputat Deus, videamus ánne ſimpliciter dicat in locis alijs non eſſe peccatum. Nam dicere poſſent aduerſarij ipſam manere peccatum, quod tamen in peccatum non imputetur, cũ & hoc Aug. in lib. de perfectione iuſtitiæ dicere videatur. Nam Cœleſtio argumẽtante: Iuſtus eſt De⁹, & homini omne peccatũ imputat, quia neq; peccatum eſt quicquid non imputabitur in peccatum: Reſpondendo negare videtur ſecundam partem aſſumpti & probationem eius. Iam olim, inquit, contra ſuperbos clamatum eſt: Beatus cui non imputauit Dominus peccatum: non enim imputat his qui fideliter ei dicunt: Dimitte nobis debita noſtra. peccatum hìc vocat, quod de peccato illo liberæ voluntatis originem ducit, vt ſe interpretatur lib. 3. de libe. arb. ca. 19. & lib. 1. retract. ca. 15. in ſimili. Docet autem frequenter, quòd non eſt peccatum niſi ſecundum tropum tantum. Nam lib. 1. de nup. & concup. ca. 23. ſuper hac quæſtione planè ſe explicat: ipſa, ait, cuncupiſcentia iã non eſt peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non conſentitur, atque vt ea perpetrent à regina mente membra non dantur, vt ſi non fit quod ſcriptum eſt: Non concupiſcas, fiat ſaltem quod alibi legitur, poſt concupiſcentias tuas ne eas. Sed quia modo quodam loquendi peccatum vocatur, quod & peccato facta eſt: & peccati, ſi vicerit, facit reum, reatus eius valet in generato, quem reatum Chriſti gratia per remiſsionem peccatorum in regenerato, ſi ad mala opera ei quodãmodo iubenti nõ obediat, valere nõ ſinit. Sic autem vocatur peccatum, quia peccato facta eſt, cùm iam in regeneratis non ſit ipſa peccatum, ſicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua: & manus vocatur ſcriptura, quam facit manus. Itemq; ſic vocatur peccatũ, quia peccatũ ſi vincit, facit, ſicut vocatur frigus pigrum, non ꝙ à pigris fiat, ſed quòd pigros facit: ſemper tamen manet vulnus generi humano inflictum de diabolo. Et quando inter calumnias alias Pelagiãi Auguſtinũ traducebant, quòd doceret baptiſmum non dare indulgentiam omnium peccatorum, nec auferre crimina ſed radere. Reſpondet ipſe in primo lib. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 13. Quis hoc aduerſus Pelagianos, niſi infidelis, affirmet? Dicimus enim Baptiſma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quaſi raſorum in capite capillorum, vnde creſcant iterum reſecanda peccata. Sed de iſta concupiſcentia carnis falli eos credo, vel fallere, cum qua neceſſe eſt vt etiam baptizatus pia mente confligat, ſi diligenter proficit, & ſpiritu Dei agitur. Sed hæc etiam ſi vocatur ab Apoſt. Paulo peccatum, non vtiq; quia peccatum eſt, ſed quia peccato facta eſt, ſic vocatur: ſicut ſcriptura manus cuiuſq; dicitur, quòd manus eam fecerit. Peccata autem ſunt, quæ ſecundum carnis concupiſcentiam vel ignorantiam illicitè fiunt, dicuntur, vel cogitantur: quæ tranſacta etiam reos tenent, ſi non remittantur. Et iſta ipſa carnis concupiſcentia in baptiſmo ſic dimittitur, vt quanquam tracta ſit à naſcentibus, nihil noceat renaſcentibus. Nec propter illam, cuius iam reatus lauacro regenerationis abſumptus eſt, dicunt in oratione baptizati: Dimitte nobis debita noſtra, &c. ſed propter peccata quæ fiunt, ſiue in eius conſenſionibus, cùm ab eo quodlibet vincitur quod placet, ſiue cum per ignorantiam malum, quaſi bonum placet. fiunt autẽ ſiue operando, ſiue loquendo, ſiue quod facilimum eſt atque celerrimum, cogitando. In quibus verbis negat in baptizato omnium peccatorum radices manere, non ſimpliciter. Nam certum eſt, teſtante Apoſt. ꝙ omniũ malorũ radix eſt cupiditas, ſed manere negat hãc cõcupiſcentiã veluti radices quaſi raſorũ in capite capillorum vnde iterum creſcant, vt capilli, reſecanda peccata. Nam in capite raſo capillorum raſorum, quibus ſcilicet adhærebant, radices manent, quæ & ipſi capilli ſunt, & eiuſdem cũ capillis abraſis rationis, non ſic concupiſcentia peccatorum omniũ radix

Concupiſcẽtia in renatis manet, ſicut affectio quædam malæ qualitatis.

Non habere peccatũ eſt reum nõ eſſe peccati.

Quo ſenſu cõcupiſcentia actu manet.

Auguſtinus de perfectione iuſtitia.

Concupiſcẽtiam nõ eſſe peccatum in Baptizatis.

Auguſt. li. 1. de nup. & cõcupiſcẽt. c. 23

Quo tropo cõcupiſcẽtia in renatis eſt peccatum

Baptiſmus non radit, ſed aufert crimina.

Peccata quæ.

radix peccatum eſt, nec etiam peccati cauſa, niſi voluntatis conſenſione vel negligentia: quantumcunque enim ad peccata ſollicitat & inclinat, non tamen admittuntur ſine hominis voluntate. Nam concupiſcentia cùm conceperit per voluntatis conſenſum, parit peccatum. Et lib.6. contra Iulianum ca.5. tu qui putas quòd ſi malum eſſet concupiſcentia, careret ea qui baptizatur, multum erras: omni enim peccato caret nõ omni malo. nunquid enim caret corruptione corporis? nũquid caret ignorantię malo, per quod à naſcentibus innumerabilia perpetrantur mala? An paruum malum eſt per quod homo non percipit quæ ſunt Spiritus Dei? de baptizatis nempe dicebat Apoſt. Animalis homo nõ percipit quæ ſunt ſpiritus Dei. ſtultitia enim ſunt illi. Et ſicut ignorãtia accedente doctrina minui poteſt poſt baptiſmum, ita concupiſcentiam quis ambigat in hac vita poſſe minui, non poſſe conſumi? remittuntur in renaſcentibus, minuuntur in proficientibus: Ignorantia magis magiſque lucente veritate, & concupiſcentia charitate magis magiſq; feruente: nihil tamen boni horũ duorum eſt à nobis: non enim huius mundi ſpiritum accepimus, Sed Spiritum qui ex Deo eſt: Falſò igitur tribuitur B. Auguſt, quòd peccatum iſtud, concupiſcentia ſcilicet, reatu tranſit, & actu peccatum manet in Baptizato: quod ſi alicubi tamen apud illum legatur, intelligendum eſt peccatum, vt ipſe interpretatur, ſecundum tropum. Nec ſolum Concupiſcentiam hanc quaſi habitualem dicit non eſſe propriè peccatum, imò & deſideria eius & motus quos in nobis excitat, docet non eſſe peccata, niſi conſenſio vel negligentia voluntatis accedat. Nam lib.2. de gratia & peccato originali cap.40. Non ſolum inquit, peccata omnia quorum nunc remiſsio fit in baptiſmo, quę reos faciunt, dum deſiderijs vitioſis conſentitur atque peccatur, verum etiam ipſa deſideria vitioſa, quibus ſi non conſentitur, nullius peccati reatus contrahitur, & cætera quę ſequuntur, & lib.1. de nup. & concup. cap.23. Ipſa quidem concupiſcentia non eſt peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non conſentitur: & lib.2. contra Iulianum verſus finem: & lib.1. de ciuitate Dei, cap.25. Si illa concupiſcentialis inobedientia, quæ adhuc in mẽbris moribundis habitat, præter noſtræ voluntatis legem quaſi lege ſua mouetur, quanto magis abſque culpa eſt in corpore non conſentientis, ſi abſq; culpa eſt in corpore dormientis? & lib.12. de Geneſi ad litterã ca.15. Ipſa phantaſia quæ fit in cognitione ſermocinantis, cùm iſta expreſſa fuerit in viſione ſomniantis, vt inter illam & veram commixtionem corporum non diſcernatur, cõtinuo mouetur caro, & ſequitur quod eum motũ ſequi ſolet, cum hoc tam ſine peccato fiat, quàm ſine peccato à vigilante dicitur, quod vt diceretur ſine dubio cogitatum eſt. Et hęc videtur eſſe expreſſa ſententia Domini Saluatoris Marci 7. Quæ de homine exeunt, illa

Baptizatus omni peccato non omni tamen malo caret.

De motibus concupiſcentiæ ſententia Auguſtini.

Deſideria cõcupiſcentiæ non faciunt reos niſi accedat conſenſus.

Mar.7.

coinquinant hominem, ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, &c. omnia hæc mala ab intus procedunt, & coinquinant hominem, non lotis autem manibus, & quicquid ex corde non procedit, hominem coinquinare non poteſt. & Apoſt. Paul. Si quod nolo illud facio, iam nõ ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum, propter quod peccatum mihi imputari nõ poteſt, quẽ locum tractans B. Aug. lib.1. retract. cap.15. Poteſt, inquit, putari falſa eſſe illa ſententia, nuſquam niſi in volũtate eſſe peccatum, quia dixit Apoſtolus: Si autem quod nolo hoc facio, iam non ego operor illud: hoc enim peccatum vſq; adeo non eſt in voluntate. vt dicat, quod nolo hoc facio. Sed hoc peccatum de quo ſic loquutus eſt Apoſtolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum eſt, & pœna peccati eſt, quandoquidem de concupiſcentia carnis hoc dicitur, quod aperit in conſequentibus dicens: Velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum nõ inuenio, perfectio quippe boni eſt, vt nec ipſa concupiſcentia peccati ſit in homine, cui quãdo bene viuitur, non conſentit voluntas. Et lib.3. de lib. arb. ca.19. explicans quæ cap.18. dixerat, quòd quædam per ignorantiam facta improbantur, & quædam neceſsitate facta: hic, inquit, occurrit illa quæſtio, quam inter ſe murmurantes homines rodere conſueuerunt, qui quodlibet aliud in peccando, quàm ſe accuſare parati ſunt: dicunt enim: Si Adam & Eua peccauerunt, quid nos miſeri fecimus, vt cum ignorantię cęcitate, & difficultatis cruciatibus naſceremur? & primò erraremus neſcientes quid nobis eſſet faciendum, deinde vbi nobis inciperẽt aperiri pręcepta iuſtitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiſcentiæ neſcio qua neceſsitate, non valemus? Quibus breuiter reſpondetur vt quieſcant, & aduerſus Deum murmurare deſiſtant. Rectè enim fortaſſe quererentur, ſi erroris & libidinis nullus hominum victor exiſteret. Cùm verò vbique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſeruientem auerſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras, ſed quòd negligis quærere quod ignoras, neque illud quòd vulnerata membra non colligis, ſed quòd volentem ſanare contemnis. Iſta tua propria peccata ſunt. Nulli enim homini ablatum eſt ſcire vtiliter, quod inutiliter ignoratur. Et humiliter confitendam eſſe imbecillitatem, vt quærenti & confitenti ille ſubueniat, qui nec errat dum ſubuenit, nec laborat. Nam illud quod ignorans quiſque non rectè facit, & quod rectè volens facere non poteſt, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt: illud enim præcedens meruit iſta ſequentia. Nam ſicut linguam dicimus non ſolum membrũ quod mouemus in ore dum loquimur, ſed etiam illud quod huius mẽbri

Non niſi in volũtate peccatum.

Dei pietas abundè conſulit noſtræ ſaluti.

Quæ ex neceſſitate & ignorantia facimus dicuntur peccata.

motum

quia de peccato liberæ voluntatis originem ducunt.

motum conſequitur, id eſt, formam, tenoremque verborum, ſecũdum quem modum dicitur, alia lingua Græca, alia Latina: ſic nõ ſolum peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum (libera enim voluntate illud, & ab ſciente committitur) ſed etiam illud quod iam de huius ſupplicio conſequatur, neceſſe eſt. quam ſententiam repetit & approbat in primo lib. retracta. cap. 15. & libro 2. contra Iulianum: Iám ne percipis & in baptiſmate fieri omnium peccatorum remiſsionem, & cum baptizatis quaſi ciuile bellum interiorum manere vitiorum? non enim talia ſunt vitia quæ iam peccata dicenda ſint, ſi ad illicita opera ſpiritum concupiſcentia non trahat & concipiat, pariatq; peccatum. Ex quo manifeſtum eſt, improbabile & abſurdum eſſe ſecundum ſententiam etiam B. Auguſtini, quod Martinus circa ſecundum articulum aſſertionis tanquam inſanos improbat eos, qui dicunt commixtioné coniugalem ſanctorum coniugum eſſe ſine peccato. Eò, inquit, peruenerunt inſaniæ, vt etiam libidinem ineuitabilem parentum ſanctorum dum generant quantumuis indomitam, & ſummo inuictoque furore contra legem Dei concupiſcentem, defectum vocare ſint coacti, hoc eſt, verè nimis extenuare peccatum dicere, tam atrocem libidinis impetum eſſe defectum. Eſt autem huius erroris Lutherani radix & principium, quòd credit concupiſcentiam per ſe, & ex propria ratione culpam eſſe Deo odibilem & imputabilem ad ſupplicium, etiam ſi nobis eſſet ſine culpa parentum congenita, quodque ad rationem peccati arbitretur etiam in renatis non requiri arbitrij noſtri libertatem, & ita nos peccare concupiſcendo & ex concupiſcentia operando, imò & pueros recenter natos, quamuis naturaliter & neceſſario hæc fiant: contra apertam ſententiam Euangelij, Quòd ea ſola hominem coinquinant, quæ ex corde procedunt, hoc eſt, ex libera hominis voluntate, de quo eius dogmate circa art. 7. tractabimus, cum multorum peſtilentium dogmatum fons ſit & ſcaturigo. Conſtat igitur ſecundum doctrinam B. Aug. concupiſcentiam in baptizatis nõ eſſe peccatum, nec eius deſideria & motus, quando rationem præueniunt, niſi ſecundum tropum tantum, quod manifeſtè definiuit Concilium Trident. dum ait, Quòd in renatis nihil odit Deus, quodque innocentes, immaculati, puri, innoxij, & Deo dilecti effecti ſunt per baptiſmũ. imò difficile eſt intelligere, & ſaluare quòd in nondũ baptizatis concupiſcentia verè & propriè peccatum eſt, & non ſecundum analogiam vel tropum tantum, quo pœna vel reatus peccati nominatur peccatum, maximè pœna quæ conſiſtit in priuatione iuſtitiæ & perfectionis, quæ ex transfuſione quaſi hæreditaria à parentibus tranſijſſet ad proles, quo modo Adam iuſtitiam transfudiſſe quam pro ſe & poſteritate a Deo acceperat: quod enim iniquitas patris filium boni & mali ignarum in conſpectu Dei iniquum faciat ſine eius voluntate, iuſta Dei iudicia ferre non videntur, qui ait apud Ezechielem: Non erit vltra vobis parabola hæc in prouerbium, Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt: vt anima patris, ita & anima filij mea eſt, cap. 18. Anima quæ peccauerit ipſa morietur, propter quod nullum aliud patris peccatum iniquum poteſt facere filium, imò nec in anima nocere, ſi etiam dæmonibus offeratur & conſecretur, vt docet B. Auguſt. epiſt. 23. quæ eſt ad Bonifacium. Et quãdo obijciebat Iulianus beato Auguſt. vt hic ſcribit l. 2. ca. 28. de nup. & concupiſ. Non peccat iſte qui naſcitur, non peccat ille qui genuit, nec ille qui condidit: per quas igitur rimas inter tot præſidia innocentiæ peccatum fingis ingreſſum? Reſpõdet quidem Auguſt. originale peccatum ex voluntate eſſe, quia ex voluntate primi hominis ſeminatũ eſt, vt in illo eſſet, & in omnes tranſiret: ſed quòd Deo odibilem faciat eum qui ignarus & quaſi inuitus hoc fermento & peccato conſperſus eſt, inſcrutabilia ſunt eius iudicia, & ſcripturæ hoc docenti creditur magis quam intelligitur. Nec ſibi plenè ſatisfacere potuit B. Aug. vt ipſe confitetur in epiſt. ad B. Hieron. & lib. 3. de baptiſmo paruulorum, cap. 4. Facit etiam hîc difficultatem, quòd peccatum propriè dictum in actu non in habitu vel eius carentia cõſiſtit, cũ in hoc pœna à culpa differat, q̃ hęc ſit malũ, & inordinatio operationis: illa verò malum agentis, hoc eſt carentia formæ & integritatis rei. Nam docente B. Aug. cap. 26. cõtra Adamantinũ, dupliciter malum appellatur, vnum quod homo facit, & alterũ quod homo patitur, & Deus tanquam iuſtus iudex facit. Quia tamen manifeſtè clamant ſcripturæ, quòd per inobedientiam vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi, & nos in iniquitatibus naſci, & experimur carnem concupiſcere aduerſus ſpiritum & repugnare etiam in renatis legi mentis: perplexiſsima eſt hæc quæſtio, & ob eius difficultatem variæ ſunt & in ſpeciem contrariæ catholicorum Patrum ſententiæ, nec catholicorum tantum, ſed aduerſariorum ſuper eo: An cõcupiſcentia, vel aliquid aliud cum quo paruulus naſcitur, verè peccati habeat rationem, quod ſupplicium mereatur? Nam in libello de peccato originali Vlricus Zuinglius docet originalem contagionem morbum eſſe non peccatum, quod cum culpa iunctum eſt, eò quòd culpa ex commiſſo vel admiſſo eius naſcitur, qui facinus deſignauit. Exemplum dat: ſeruum naſci miſera conditio eſt, non culpa eius qui ſic naſcitur, neque crimẽ: ſed maiores eius commiſerunt, vt in ſeruitutem redigerentur tam ipſi, quam ex ſeſe prognati: ergo crimen fuit, ex quo culpa, quã deinde ſeruitus, ſeu mulcta, ſiue pœna ſecuta eſt. Hoc ipſum inquit, volo culpam originalem non verè, ſed Metonymicè à primi parentis admiſſo culpam vocari: eſſe autem nihil aliud, quàm conditionem miſeram, multò tamen leuiorem quam crimen meruerat.

Fons erroris Lutherani.

Per quas rimas peccatũ originale in omnes irrepat.

Duplex malum.

Rom 5. Pſalm. 50.

An peccatũ originale veri nominis ſit peccatũ.

Zuinglij opinio quod mors eſt non peccatum.

ruerat. Et aduerſus impugnationem Martini Lutheri ſuum hoc dogma defendens, repetit, quòd originalis iſta contagio nô tale peccatum ſit, quod culpam ſibi coniunctum habeat, ſed morbus potius qui propter peccatum ab Adamo admiſſum nobis adhęrere ſolet. Nec tamen, inquit, obſtamus, quò minus peccati nomen morbus iſte accipiat, a cuius dogmate non multum diſsident Doctores Tigurini, quem tanquam magiſtrum venerantur, & ferè ſequuntur, atque hanc eius opinionem ſua interpretatione moderâtur.

Tigurini moderare conātur impium Zuinglij dogma.

Hæreſes de peccato originali

Pelagianorū opinio.

INter ſententias autem & opiniones de concupiſcentia & contagione, quæ in poſteros Adæ transfunditur, duæ ſunt extremæ & hæreticæ, quarum prior eſt Pelagij & Iuliani, & altera Martini Lutheri, Buceri, & Ioannis Caluini. Ambæ enim derogant gratiæ redemptionis factæ in Chriſto, & ſcripturis aduerſantur. Nam Pelagius docet, concupiſcētiam & defectus in quibus naſcimur, eſſe naturales, & à naturæ conditore Adæ concreatos, talesq; nos naſci, quales eſſemus ſi Adam non peccaſſet, hoc eſſet, ſine peccato & peccati pœna, qualis videlicet homo eſſet ſibi relictus ex natura & compoſitione corporis atque animæ, appetituumq; contrariorum. Hoc enim modo conſideratus homo, ſicut naturaliter eſt mortalis proptera quod ex contrarijs eſt compoſitus, ita ex contrarietate appetituū ſenſitiui & intellectualis, naturaliter & neceſſario ſequitur rebellio virium inferiorum contra ſuperiores. Non conſiderauerunt iſti, quòd Deus fecit hominem rectum & inexterminabilem, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, quodque virtute eum veſtiuit, iuſtitia, & veritate: per vnū autem hominem peccatum in hunc mundum intraſſe, & iuſtitia ac virtutibus eum ſpoliaſſe. Quia docent ſanam eſſe naturam, & qualis in creatione erat, cōſequitur, quod non eſt ei opus medico nec redemptore. à quod ogmate haud ita multum abhorret D. Eraſmus in encomio matrimonij, cùm ait ſe non audire eum qui dicat fœdam illam pruriginem, & veneris ſtimulos non a natura, ſed à peccato profectos: quid, inquit, tam diſsimile veri? In cæteris animalibus vnde hi ſtimuli, an à natura, an à peccato? ſed in declamatione hæc dicit, cōtra quæ ſcribit Iudocus Clichthouæus in 2. li. propugnaculi c. 32.

Refutantur Pelagiani.

Sapient. 2.
Rom. 5.

Eraſmus in encomio matrimonij.

Luthranorū opinio.

MArtini vero Lutheri & aliorum dogma eſt omnino contrarium, quod concupiſcentia etiam habitualis ſit ex ſe & ſua ratione peccatum ad ſupplicium imputabile, ſicut adulteriū vel periuriū: ne eſſe poſsit, niſi Deo diſpliceat, & reum faciat æternæ damnationis: quamuis his qui ſunt in Chriſto Ieſu, & ei aduerſantur, ad cānō imputetur: quos hac duntaxat ratione & reſpectu habet pro non habentibus, & in gratiam Chriſti non imputat quamuis imputabilis maneat, & eam habens reus & dignus æterna damnatione. Et in aſſertione tertij articuli per ſedem Apoſtolicam damnati, addit hanc concupiſcentiam habitualem eſſe peccatum actuale, eo quòd eſt res viua, & quotidie mouens, actualis carentia eius rei quæ adeſſe debet, & actualis poſitio effectuum, qui deeſſe debent. Et Buce. aduerſus Pighiū dogma hoc Lutheri explicans: Nos, inquit, dicimus, quòd hæc naturæ deprauatio poſt baptiſmum ſemper dum in homine ineſt, Deo aduerſatur & diſplicet, & iniuſtum & Deo odibilem facit. Per quæ valde extenuatur gratia Chriſti, per quam dicit Apoſtolus, gratiam Dei & donum magis abundaſſe, quàm peccatum Adæ: ſi enim iniquitas, vel peccatum per eam non tollitur, quo conſtituti ſumus in Adam peccatores, iniqui & Deo odibiles, abundauit peccatum ſuper gratiam Chriſti: multò enim maius eſt hoc malum, vt pote culpa, quàm quodcunque ſupplicium cuius ſolius reatum abſtuliſſet: nec tamen reatum propriè, ſed hoc ſolum à patre impetraſſet, quòd in eum fidentibus iniquitas manens ad ſupplicium nô imputetur.

Mar. Buce.

Rom 5.

Catholicorū ſententia.

ALiæ autem ſunt catholicorum opiniones de hac concupiſcentia, & inter extremas hæreticas medię, quæ tametſi in forma ſermonis cōtrariæ videatur, ſentētia tamē & reipſa quæ fidei eſt, ſi piè intelligantur, conſentiunt, & ſua veritate ad rei huius obſcuriſsimæ explicationem & intellectum faciunt plurimum, quarum duas recitat Magiſter in ſententijs diſtinctione. 30. Improbata enim hæreſi Pelagiana, diligenter, inquit, inueſtigandum eſt quid, ſit peccatum originale, quod per Adam tranſiuit in omnes, per eius carnem vitiatā concupiſcentialiter generatos. De hoc enim ſancti doctores ſub obſcuritate locuti ſunt, atque ſcholaſtici doctores varie ſenſeruut: Quidam enim putāt originale peccatum eſſe reatum pœnæ pro peccato primi hominis, id eſt debitum, vel obnoxietatem, qua addicti ſumus pœnæ tēporali & æternæ pro primi hominis actuali peccato, pro quo, vt aiunt, omnibus debetur pœna æterna, niſi per gratiam liberētur. Et ea ratione aſſerunt peccatum originale eſſe in paruulis, quia paruuli pro illo primo peccato rei ſunt pœnæ, ſicut pro peccato iniqui parentis, aliquando exultant filij ſecundum iuſtitiam fori: reatus enim pœnę plerū que in ſcripturis peccatum nominatur, quia peccati eſt effectus. quam opinionem ſequitur Durandus, dicens peccatum originale formaliter conſiſtere in dignitate ſeu debito carendi iuſtitia originali, vel indignitate ipſam habendi, ipſumq; eſſe carentiam iuſtitię originalis debitæ haberi cum indignitate eam habendi, vel cum reatu dignitate, vel debito ea carendi. Et docet in paruulo recēs nato nihil inueniri quod verè & propriè rationem peccati habeat. Ad quam opinionem accedit etiā VVilelhmus epiſcopus Pariſienſis in lib. de vitijs & peccatis docens concupiſcentiam, ſiue peccatum originale, vt eſt in paruulo, non eſſe propriè culpam, nec paruulum propter ipſum eſſe culpandum nec puniendum. Quomodo, inquit, culpandus eſt aliquis pro eo quod non agit, nec e-

Durandi opinio.

VVilhelmus Paraſienſis.

git?nò neſciens & inuitus patitur? præſertim cum tã ignorantia & violentia, quã contra agendo illud patiũtur, inuincibiles ſint. priùs tamẽ oſtenderat, ꝙ vitiũ eſt peccatum & culpa, non abuſiue, ſed propriè iuxta vſitatas nominũ ſignificationes, eò quòd gratiæ & virtuti aduerſatur, ſolũ tamen actuale peccatũ propriè eſſe peccatũ, vbi etiã docet iuxta duos modos, ſiue intentiones, dici peccatũ originale: vno, peccatum primorum parentum, quo Dei mandatum ſunt tranſgreſsi, ꝙ origo & cauſa fuit omnium in toto humano genere ſequentium peccatorum: altero autẽ modo vitium hæreditarium ad omnes eorũ poſteros transfuſum, quod velut lepra eſt, propter quam longius à caſtris Sanctorum, quorum cohabitatione ſunt indigni, ſeparãtur: hoc eſt, in exilium mittuntur, qui ea inueniuntur infecti. Nec propriæ ſecundum eum carentia diuinæ viſionis pœna eſt huius peccati, eo quòd ſecluſa culpa originali & parentum peccato, ſola carentia gratiæ cauſa eſt carentiæ viſionis Dei, ſicut gratia ipſa cauſa eſt viſionis, & ſi Adam antequam gratia illuſtratus fuiſſet & peccaſſet, deceſsiſſet in ſtatu ſcilicet innocentiæ naturalis, viſione Dei careret.

Pigij & Catharini opiniones.

SEcunda eſt opinio Alberti Pigij & Ambroſij Catharini, quod peccatum originale, quod in omnes transfunditur, eſt peccatum Adæ non quidem propagantis & proles generantis, ſed inobedientiæ, quo præceptum in Paradiſo datum eſt tranſgreſſus: hoc enim ſolùm eius corrumpit poſteritatem, & omnibus ex eo ſecundum ſeminalem rationem propagatis, imputatur ad damnationem, & ob hoc ſolùm, quòd ex eo propagantur, & dicunt concupiſcentiã, ignorantiam, viriumq; rebellionem & inobedientiã, dum vniuerſis miſerijs in quibus naſcimur, ſequi principia naturæ hominis iuſtitia originis deſtitutæ, eandemq; in ſubſtantia eſſe concupiſcentiam eorum, quę carni ſuauia & commoda ſunt ante & poſt Baptiſmum, imò & ante peccatum (ſicut eædem ſunt vires beſtiæ ligatæ & ſolutæ vinculis) quòd tamen aduerſus Spiritum nunc concupiſcit, quodque calamitatibus quas nimium experimur, ſumus obnoxij, effectus eſſe & ſupplicium inobedientiæ Adæ iuſtitiam originalem, quę plenam feciſſet ſubiectionem, pacem, & tranquillitatem in homine, omnesq; excluſiſſet miſerias, remouentis: ablato autem ob præuaricationem gubernaculo & freno iuſtitiæ, quæ ordinem, harmoniã, ac pacem in toto homine cuſtodiuiſſet, quæq; hominis vires ſuas ſequuntur propenſiones, nullo Dei vel rationis habito reſpectu. Cuius exemplũ ponit B. Anſelmus lib. de cõceptu virginali. cap. 5. de fera indomita, quæ ruptis vinculis turbat omnia, & diſcurrendo ſæuit, & naue quæ gubernaculo deſtituta & rectore, in quælibet pericula impellitur. Sic enim vires hominis iuſtitia, quam in origine accepit deſtitutę, ſine ordine, & effrenatè concupiſcunt, & ad ſua commoda feruntur: ſed quia ſuppoſita huius iuſtitiæ ſupernaturalis carentia, huiuſmodi concupiſcentia ſequitur principia naturæ, & in tali ſtatu naturalis innocentiæ, atq; naturalium proprietatum & defectuum, Deus creare hominem poſſet & potuiſſet, non poteſt ſecundum eos huiuſmodi concupiſcentia eſſe peccatum Deo odibile, quod ſupplicium mereatur.

Tertia opinio de peccato originali. Eckius.

TErtia eſt opinio auctoris libri pro concordia controuerſiarum à Cæſarea Maieſtate oblati, in quam colloquutores an. 1544. wormaciæ conuenerunt, inter quos erat D. Ioannes Eckius, quod reatus eſt formale in peccato originali: & ideo hoc ſoluto per Baptiſmum, concupiſcentiam non manere propriè peccatum, quamuis in ſe maneat, qualis erat priùs. Quam opinionem videntur accepiſſe à beato Auguſtino, qui peccati huius remiſsionem ſemper referre videtur ad ſolutionem reatus: & libro 1. de nupt. & concupiſcen. ca. 26. Hoc eſt, inquit, non habere peccatum, reum non eſſe peccati: ſed cũ reatus ſit effectus peccati & peccatum reum faciat, & dignum ſupplicio, non poteſt reatus eſſe formale, à quo nominetur aliquid vera ratione eſſe peccatum, ita vt eo ſoluto ex hoc ratio tollatur peccati. Et beatus Auguſtinus intelligens reatum inſeparabiliter comitari peccatum, dixit, quòd non habere peccatum eſt, non eſſe reum peccati: formale enim in vnoquoque ratio eſt denominationis. a reatu autem fornicatio non eſt mala, nec peccatum Deo odibile, nec concupiſcentia: ſed quæ peccata ſunt, ex hoc reos faciunt ſecundum leges, quia ſunt peccata, quod etiam intelligens auctor libri docet concupiſcẽtiam verè manere peccatũ in baptizatis, ſed non imputari in peccatum: impoſsibile enim eſt (ſaltem manente Dei ordinatione, quam in ſcripturis nobis inſinuat) quòd propria ratione peccatum & culpa eſt in aliquo maneat, nec tamẽ ſupplicij facere reum, hoc eſt dignum qui puniatur. non enim poteſt admitti adulterium, odium & inuidia proximi, aut in Deum blaſphemia, quin dignũ ſupplicio faciant auctorem pro voluntate & opere ſuo peruerſo, vt idem Auguſtinus docet libro 6. contra Iulianum cap. octauo, & in lib. de perfect. iuſtitiæ. quod autem Cœleſtius propoſuerat imputare Deum homini omne peccatum, neque peccatum eſſe quicquid non imputabitur ad peccatum, tanquã rectè dictum non putauit Auguſtinus refutandum.

Refutatio.

Peculiare autem eſt concupiſcentiæ, quod reatu ſoluto per Baptiſmum, eadem maneat & immutata, non tamen ſit propriè peccatum, eò quòd peccatum eſt ante baptiſmum, non vt talis concupiſcentia eſt, ſed propter vetuſtatem mentis & carentiam gratiæ. qua infuſa mens renouata ad Deum conuertitur, & tollitur inordinata eius auerſio virtualis ſcilicet & habitualis, & conuerſio ad commoda & ſuauia huius vitæ. Et hæc intelligens etiam Martinus Lutherus, videlicet, quòd omne peccatum reum facit & dignum ſupplicio, dicit concupiſcentiam

rema-

remanentem dignum facere puerum baptizatum æterna damnatione, quamuis in gratiam Chriſti ad eam non imputetur. Nam ſi culpa eſt, culpabilem facit & dignum ſupplicio, quod tamen miſericorditer & ex gratia poſsit non exigi: dicit enim in reſolutionibus ſuarum concluſionum: Error eſt, inquit, quòd peccatum quoad formale tollatur (formale autem appellant priuationem gratiæ, materiale autem ipſum fomitem) reatus autem tantùm tollitur & formale manet ſicut materiale. Et alio loco improbat Sophiſtas, quia cogitauerunt peccatum originale poſt Baptiſmum non eſſe peccatum in primam tabulam. Fieri quidem poteſt quòd ob perſolutionem pœnæ & remiſsionem peccatum admiſſum & tranſiens non ampliùs poſt pœnitentiam reum faciat, quia ſoluta eſt vel remiſſa pœna qua dignus erat: tunc enim habetur quaſi nũquam admiſſa fuiſſet, ſicut homicidium quando per Principem eſt condonatum: ait enim Dominus apud Ezechielem, Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum quas operatus eſt, non recordabor: quòd autem ſua malitia manẽs, non faciat reum & ſupplicio dignum, nec ad pœnã imputari poſsit, fieri nõ poteſt. nec ſcripturis eſt conſentaneum, quòd perſeueranti culpæ ſic indulgeat Deus, vt propter remiſsionem reum non faciat, & peccati permittat inordinationẽ ſine iuſtitiæ vindicatiuæ per pœnam decore, vt docet B. Auguſtinus cap. 8. ſexti lib. contra Iulianum de peccato actuali.

Eckius in replica aduerſus Bucerũ.

Quarta opinio de peccato originali. D. Thomas.

QVarta eſt opinio B. Thomæ, qui explicans in prima ſecundæ ſententiam quã in 2. ſenten. ſequutus fuerat, & opinionem VVilhelmi Pariſienſis Epiſcopi, & eã quæ eſt Alberti Pigij & Ambroſij Catharini, aliorumq; catholicorũ ſententias docet ſecundum Fidem catholicam tenendum eſſe, quòd primum primi hominis peccatum originaliter tranſit in poſteros, propter quod pueri mox nati deferuntur ad Baptiſmum, tanquam ab aliqua infectione culpæ abluẽdi, & contrarium eſſe hæreſim Pelagianam, & hoc patere per Auguſtinum in plurimis eius libris. Quo autem modo primi parentis peccatum poſsit in poſteros tranſire, vt in eis verè peccatum ſit, quod transfunditur, diuerſos doctores diuerſis vijs proceſsiſſe dicit, & reprobatis quibuſdã docet, quòd hoc ipſum quod eſt, Ex origine aliquem defectũ habeo, videatur excludere rationem culpę, de cuius ratione eſt quòd ſit voluntaria: & ideo poſito etiam quòd anima rationalis ad aliam traduceretur, ex hoc ipſo quòd infectio animę prolis nõ eſſet in eius voluntate, culpæ ad pœnã obligãtis rationem amitteret, quia vt Philoſophus dicit in tertio Ethicorum ex naturalis luminis ratione, Quod nullus improperabit cæco nato, ſed magis miſerebitur. Vt igitur culpæ ratio habeatur in eo quod transfuſum eſt in paruulum, rationem voluntarij inueniri oportet: nulla autem hic eſt propria paruuli voluntas, nec alia inueniri poteſt quàm primi principij generis humani, Adæ videlicet, qui iuſtitiam & rectitudinem naturæ & omnium virium pro ſe & poſteritate tota acceperat, & ideo per peccatum eam amittens & expellens, ſe & totam poſteritatem corrupit fermento & veneno concupiſcentiæ, omnes totius naturæ hominis vires corrumpentis. Et hac ratione corruptio iſta totius poſteritatis voluntaria eſt Adæ voluntate: qui rectitudinẽ pro ea tota acceperat. Et quamuis ad peccati rationem externa non ſufficiat voluntas: non enim, vt diximus, filio nocet, ſi dæmonibus conſecretur, eius tamen ſufficit & requiritur voluntas, qui perfectionem, hoc eſt, iuſtitiam & rectitudinem voluntatis accepit pro alio. Et ideo ſecundum B. Thomam peccatum originale non eſt huius perſonæ peccatũ, vt in hac perſona eſt, vel à proximis transfuſum parentibus, ſed ſolùm in quantum hæc perſona recipit naturam à primo parente, vnde & natura peccatum vocatur: ſecundum illud ad Epheſ. 2. Eramus natura filij iræ. Vnde ad argumẽtum quintum quòd inquit philoſophus in Ethicis propter naturam turpes nullus increpet, hoc eſt, eos qui ex origine habent turpitudinem, ſed eos qui propter deſidiam & negligentiam ſunt turpes, ergo neque peccatum increpabile eſt quod eſt per originem: Reſpondet, quod per originem eſt, non eſt increpabile ſi conſideretur iſte, qui naſcitur ſecundum ſe, ſed ſi conſideretur prout refertur ad aliquod principium. ſic poteſt ei eſſe increpabile, ſicut ignominiam generis patitur is, qui naſcitur ex culpa alicuius progenitorum cauſatã. Eſt igitur ſecundum eius opinionem, in hoc paruulo concupiſcentia peccatum, vt eſt filius Adæ & eius quaſi membrum, hoc eſt, reſpectu habito ad eius inobedientiam, ad quam in ipſo & tota poſteritate hæc rebellio & virium corruptio ſecuta eſt, & eius cõſideratione voluntaria, ſicut actus peccati exterior voluntarij, & peccati rationem habet ſola comparatione ad voluntatem imperantem. De actionibus, inquit beatus Anclemus, voluntarijs quæ iniuſtè fiunt, ſi arguuntur mẽbra & ſenſus quibus fiunt, reſpondere poſſunt: Deus nos & poteſtatem, quæ in nobis eſt, ſubiecit voluntati, vt ad imperium eius non poſsimus non mouere nos, & facere quod vult: imò illa mouet nos vt inſtrumenta ſua, & facit quæ videmur facere, nec nos poſſumus illi per nos reſiſtere, nec opera quæ facit poſſunt non fieri. dominationi quam Deus dedit nobis nec poſſumus, nec debemus non obedire. quando illi obedimus, Deo qui nobis hanc legem dedit, obedimus, Ergo quid peccant membra vel ſenſus vel opera quæ Deus ſic ſubiecit volũtati, ſi ſeruant quod Deus illis ordinauit? quicquid igitur faciunt, totum imputandũ eſt voluntari. Poſſet & ſic dicere paruulus: Ex origine naturam accepi corruptam, nec meæ poteſtatis erat accipere aliam: mihi igitur imputari non debet quòd ad vitia propẽſus,

D. Anſelm⁹

obliquus,& ſine iuſtitia ſum natus & conceptus in iniquitatibus.Vt igitur in hoc paruulo ad omnem rebellionem internam contracta eſt habilitas & aptitudo, non habita alia conſideratione,nulla poteſt culpæ ratio inueniri:ſicut nec voluntarij, ſine quo culpa eſſe nequit, ad ſupplicium imputabilis ſecundum beati Thomæ ſententiam, ſed defectus cuiuſdam naturalis tantum.conſiderata autem relatiuè ad peccatum Adæ,materialiter ſolùm peccatum eſt,& formale docet eſſe carentiam iuſtitiæ originalis ratione gratiæ gratum facientis, quam includebat vel ſaltem requirebat coexiſtentem,hoc eſt defectum ordinis ſiue rectitudinis, quæ inerat voluntati ſecundum originalem iuſtitiam formaliter:defectum autem ordinis in appetitu inferiori materialiter in hoc peccato ſe habere.Intelligitur autem iſte omnium virium appetitus inferioris defectus nomine concupiſcentiæ:intelligitur enim eſſe habilitas ad motũ inordinatum partis ſenſitiuæ, non ex habitu propriè, ſed ex ſubtractione retinaculi rationis,quo ipſa detinebatur,ne poſſet effrenatè in ſua obiecta tendere: & quia ſolùm in huiuſmodi viribus & membris,quæ nata ſunt obedire rationi, contingit eſſe culpam & virtutem,ideò fomes morbi & mors ipſa,ſolùm pœnę & non peccata dicuntur, quamuis Adæ inobedientiam ſequantur,& referantur ad eam.

Concupiſcentia in baptizatis cur peccati malitiã non habeat.

ET quia vt diximus, formale in peccato originali eſt defectus ordinis, quem iuſtitia originalis Spiritu inhabitante faciebat, ideò gratia infuſa, & per Spiritum Chriſti innouata mente, carnis vetuſtas aut concupiſcentia non poteſt retinere rationẽ & malitiam peccati ſine mentis à Deo auerſione:(nõ enim hęc peccati ratio eſſe poteſt) quæ tollitur per gratiam ad Deum eam conuertentem.Nec tamen hæc iuſtitiæ carentia peccati rationem induere poteſt propter eãdem rationem,defectum ſcilicet voluntarij, niſi referatur ad voluntatem Adæ, ſicut dictum eſt de concupiſcentia.Et poſſet hìc diſputari,ſicut dè peccato externo, an propriã & internam habeat malitiam diſtinctam à malitia volũtatis,ita & de concupiſcentia & carẽtia iuſtitiæ originalis,& toto illo,quod peccatum originale in paruulo dicitur,an ſolùm denominetur extrinſecè peccatum ad pœnam imputabile, ſicut videntur ſonare verba beati Thomæ, an intrinſecam habeat malitiam, prout tamen voluntarium eſt in Adam.Sed hanc diſputationem hìc præterimus. Et quia minimum hic eſt de voluntario,quia ſolum voluntarium aliena, principij ſcilicet naturæ,voluntate, & hac indirecta tantum,& interpretatiua, vt latè proſequitur Durandus, per hoc quod Adam illud elegit,cui iuſtitiæ carentia & expulſio erat annexa. Et ſolùm in habitu cõſiſtit,qui dum malus eſt, incomparabiliter eſt minùs malus,quàm eius actus.Ideo docet idem beatus Thomas poſt wilhelmum Altiſſiodorenſem in 2.libro Senteu.cap.28. Quod peccatum originale quamuis maximum ſit malum, quia totius naturæ corruptio, minimum tamen eſt peccatum,& minus minimo peccato veniali.Et in quæſtione de malo, materia 4.q. 2. docet originale non eſſe eadem ratione peccatum,qua alia peccata,ſed analogice vel æquiuocè,quæ latè declarat Ioannes Capreolus eius defenſor,diſtinct.32. in ſolutione argumentorum Durandi.Et in prima ſecundæ,quæſt.87.artic.5.in ſolutione ſecundi argumenti apertè dicit,quod peccato originali non debetur pœna æterna,ratione ſuæ maculæ vel grauitatis,ſed ratione conditionis ſubiecti,ſcilicet hominis,qui ſine gratia inuenitur,per quam ſolam fit remiſsio peccati.& ita vt apparet, ob indignitatem magis perſonæ,quàm ob peccati demeritũ. Et ideò ſecundum Auguſtinum cap.16.lib.1.de peccatorum remiſsione, rectè dicitur, quòd paruuli ſine baptiſmo de corpore exeuntes, in damnatione omnium mitiſsima ſint futuri. & idem lib.5.aduerſus Iulianum non audet dicere,quòd tanta eorum eſt pœna, quòd eos non naſci potiùs expediret,cap.8.Hinc naſcitur diuerſitas ſermonis potiùs quàm ſententiarum catholicorum doctorum,quando de hoc originis peccato loquũtur: qui enim ipſum conſiderant ſecundum ſe, vt in hoc homine eſt,ſicut ſequaces primæ & ſecundæ opinionis, dicunt eſſe morbum tantum & defectum quaſi naturalem,non imputabilẽ: qui verò ipſum conſiderant & referunt ad inobedientiam Adæ, dicunt eſſe peccatum, & quia ſic etiam conſideratum parum culpæ imputabilis habet, quibuſdam non videtur debere dici peccatum,& ad actuale Adæ peccatum referendum eſſe,quicquid dicitur de culpa originali. Alij verò, quia vidẽt aliquo modo ipſum eſſe voluntarium, nominant verè peccatum, maximè quia Concilium Mileuitanum,& nouiſsimum Tridentinum, & patres peccatum ad pœnam imputabile nuncupant & indicant,conformiter ſacræ Scripturæ intellectum ſuum captiuantes in obſequium Fidei,credentes magis quàm intelligentes quod docent, propter rei difficultatem.

Peccatũ originale eſt maximũ & minimum.

Nam B. Auguſtinus de moribus eccleſiæ,Hoc inquit,antiquo peccato nihil eſt ad prædicandum promptius,nihil ad intelligẽdum ſecretius. Et cùm Pelagius & ſectatores argumentis vrgerent,ac doceri cuperent,per quas rimulas, (ita enim illi) hoc peccatum in animam illaberetur,quæ ab Optimo Deo bona creata eſſet,nec vllo proprio conſenſu aut culpa ſemetipſam inquinaſſet, cùm nec illis reſpondendo,nec ſibijpſi ad plenam ſatisfaceret ipſe ad Hieronymum ſcribens, & ad Marcellinum libro.3.de Baptiſmo paruulorum,non erubuit ſuam confiteri ignorantiam,ait enim ad Hieronymum:Cùm ad pœnas paruulorum ventum eſt, magnis mihi crede,coarctor anguſtijs,nec quid reſpondeam prorſus inuenio.Et poſt dubitationis ſuę rationes (quæ Pelagianorum erant) ſtatim adiectas,rogat illum, vt doceat quid ſit dicendum, & quomodo eis reſpondendum.

Peccatũ originale nõ ſatis ſibi cognitum ingenuè agnouit Auguſt.

Nam

Nam ferè cogebatur vt dogma illud, Quòd paruuli peccatum naſcendo contrahunt, ſtatueret in eũ venire errorẽ, Animas poſterorum ex prima Adæ anima propagari. Et libr. 3. de baptiſmo paruulorum, cap. 4. palam confitetur & ſcribit: Etſi refellere iſtorũ argumenta non valeam, ideò tamen inhęrendum eſſe ijs, quæ in ſcripturis ſunt compertiſsima. Et in epiſtola ad Hieronymum, quæ eſt 26. ferè deſperans inuenire circa hoc peccatum, quod menti eruditæ quietem adferret, huiuſmodi apologo quæſtionem hanc abſoluit: Cùm quidam ruiſſet in puteum, vbi aqua tanta erat, vt eum magis exciperet ne moreretur, quàm ſuffocaret ne loqueretur: acceſsit alius, & eo viſo admirans ait: quomodo huc cecidiſti: at ille dixit, obſecro, cogita quomodo me hinc liberes, non quomodo huc inciderim quæras. Ita quoniam fatemur & fide Catholica tenemus de reatu peccati, tanquam de puteo infantis animam Chriſti gratia liberandam, ſatis eſt ei, quòd modum quo ſalua ſit nouimus, etiamſi nunquam, quomodo in malum illud deuenerit, nouerimus. Cùm igitur difficile ſit intelligere, quòd concupiſcentia vel quiduis aliud ante Baptiſmum in paruulo peccatum eſt, & ob ſolius ſcripturę auctoritatem hoc credamus, mirum eſt, aduerſarios ratione etiam reclamante, contra ſcripturas & beatum Auguſtinum (cuius tamen ſe niti auctoritate gloriantur) docere concupiſcentiam in baptizatis manere peccatum ad ſupplicium imputabile. Vt autẽ intelligi poſsit, quomodo, quáue ratione, quod origine contrahitur, poſsit eſſe & verè ſit peccatum, conſiderãda eſt ſententia Apoſtoli ad Rom. 5. Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines (quos prius hunc mũdum appellauit) mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt.

Peccatum originale veri nominis eſſe peccatum. Rom. 5.

Adam itaque peccante in eo, tanquam principio totam naturam humanam & poſteritatem continente, peccauimus omnes. Et hac ratione, quia in eo peccauimus, peccatum in hunc mundum, hoc eſt, nos omnes intrauit, non quidem hoc ipſum tranſgreſsionis peccatum, in quo & per quod tranſgreſsi ſumus omnes, niſi ſecundum ſuos effectus. hoc enim eius perſonam, cùm actus & mala eius eſſet operatio, excedere non poterat. ſed peccatum illud, quo peracta tranſgreſsione, ipſe manſit peccator impius & Dei inimicus: quod an aliud ſit, tanquam prioris effectus, vel idem ratione diſtinctum poſtea dicetur, tales enim generauit filios, qualis factus eſt ipſe in corpore, & anima peccando. Hoc itaque modo naſcimur & nos peccatores iniuſti, & Deo inimici. quomodo & qualis ipſe factus eſt ex mandati tranſgreſsione, & non qualis erat peccando. In ipſo enim ſolum peccauimus, non in nobis perſonaliter, tamen & in noſtris perſonis facti ſumus peccatores & Dei inimici, vt clarè docet Apoſtolus Paulus. Eſt igitur hîc inquirendum, qua ratione poſt peractam tranſgreſsionem Adam verè impius & peccator erat & dicebatur, quo inuento, intelligemus quomodo impius naſcitur paruulus: per vnius enim hominis inobedientiam conſtituti ſunt peccatorès multi, vt ait Apoſtolus Paulus: intelligemus autem, ſi paucis ob oculos ponamus, qualis à Deo creatus eſt, & quomodo alteratus & mutatus per peccatum: fecit enim Deus eum rectum in plena mentis ad Deum ſubiectione: virium partis ſenſitiuæ ad rationem: & corporis ad animam, hoc eſt in plena pace & tranquillitate totius hominis, & in eo nos omnes, totamq; eius poſteritatem in eadem conſtituit tranquillitate. eo autem peccante omnia ſucceſſerunt contraria, & quaſi ſoluto freno, quod omnia moderabatur, & in ſuis continebat officijs, vnaquæque virium in ſibi commoda & ſuauia, nulla rationis vel legis Dei habita ratione, ferebatur. Nam gratiam & amicitiam Dei perdidit, & ſpiritum inhabitantem, per quẽ ad Deum, tanquam ad bonum ſuum, vnicum conuertebatur, & ab eo auerſus & fugitiuus, ad caduca & bonum facilè commutabile eſt conuerſus, quorum amore & contactu maculatus eſt & totus immundus factus, reus præterea æternæ mortis, quæ facilè ex verbis intelligitur, quibus comminatus eſt Dominus. In quocunque die comederis ex eo, morte morieris: & etiam in verbis Apoſtoli, quando dicit, Quod pertranſijt in omnes homines. Adhæc vires inferiores factæ ſunt ei rebelles, carne concupiſcente aduerſus ſpiritum, ſicut ipſe inobediens fuerat Domino ſuo: morti etiam & innumeris miſerijs in corpore & anima eſt ſubiectus: & quatuor præcipuè inflicta ſunt ei vulnera, vt ſcribit venerabilis Beda, Intellectui, ignorantia: voluntati, malitia: infirmitas, vi iraſcibili: & concupiſcibili, concupiſcentia: quæ omnia ſecuta ſunt inobedientiam tranſgreſſionis mandati de non comedendo fructu vetito. Nullum autem iſtorum propriè eſt tranſgreſsio legis, ſed ipſam ſequuntur vniuerſa in nobis, ſicut in primo parente, qui peccando morti ſubiectus eſt, cæteriſque miſerijs. Et ſicut mortalis factus, immortales generare non poterat: nec ipſe mortuus in anima, ſpiritu viuentes: ita nec carne aduerſus ſpiritum concupiſcens, & ſibimetipſi cõtrarius, filios, qui carnem haberent ſpiritui obedientem. Non enim hæc fieri poterant ſine ſpeciali Dei dono naturæ ſuperaddito, iuſtitia ſcilicet quam ſtatim conditus acceperat: hac igitur ſpoliato, ſibi quæque naturæ principijs relicto, & ipſi, & nobis euenire quæ experimur miſeri oportebat ob appetituum & elementorum, ex quibus cõſtamus, contrarietatem. Quid igitur horum eſt, à quo dicebatur & erat Adam poſt tranſgreſſionem peccator? non concupiſcentia, hoc eſt concupiſcibilitas, ſiue ad concupiſcendũ habilitas appetitus ſenſitiui, quæ proprietas eſt homini naturalis, eadem reipſa & inſeparabilis à vi appetitiua, ſicut intellectiuum cum potentia intelligendi, ſed ante pecca-

Adam poſt tranſgreſsionem verè impius.

Aerumnæ et calamitates, quæ Adæ transgreſsionem ſequuntur.

Adam quã fuerit re factus tranſgreſſor.

tum in deſiderijs ſuis per iuſtitiam, ne rationi aduerſaretur, regulabatur, eique plenè ſubijciebatur, ſicut in patria eadem perfectè Deo & menti erit ſubiecta. Hæc igitur concupiſcentia non poteſt propriè dici peccatũ. Nam Eua peccatrix erat, antequam in ea eſſet hæc rebellio, & ſi peccatum eſt in quantum deſtituta moderatione iuſtitiæ, tunc carentia iuſtitiæ, & ipſius deſideria dicentur peccata, non ipſa vt concupiſcentia eſt. Nec propriè peccatum erat in primo parente gratiæ & iuſtitiæ originalis priuatio, ſicut nec eiuſdem gratiæ carentia, peccatum eſt in nobis, quando mortaliter peccamus, nec rebellio virium, concupiſcentia, ignorantia, & impotentia, quæ tranſgreſsionem ſunt ſecuta, in eo erant peccata, nec in nobis, quãdo mortaliter peccamus. Nam & nos perdita gratia, impotentiam mortalia peccata vitandi, infirmitatem, & ignorantiam incurrimus. Cum igitur hæc & vitioſi habitus, qui naſcuntur, effectus peccati in nobis veriùs ſint, quàm peccata: nõ enim magis reum ſupplicij faciunt, nec peiorem, nec magis apud Deum odibilem, quàm inobedientia fecerat, vel mandati tranſgreſsio, quam ſequuntur, neceſſe eſt, quòd nec in Adam erant peccata, nec ab iſtis Adam erat & nominabatur poſt tranſgreſsionem peccator, & per conſequens, nec paruulus ab his dici poteſt peccator & impius. Nullum igitur iſtorum cùm tranſgreſsionem ſequantur, ſicut nec ipſum peccatum, à quo Adam denominabatur, & paruuli naſcuntur peccatores, eſt contra legem, vel eius tranſgreſsio, & ideò nec eiuſdem rationis & vniuocè cum tranſgreſsione peccatum dici poteſt. Quod autem beatus Auguſtinus libro ſextodecimo de ciuitate Dei, cap. 27. dicit paruulos eſſe præuaricatores illius legis, quæ in Paradiſo data eſt, & illud diſsipaſſe teſtamentum, quod primum cum homine eſt factum, vt ſic verũ ſit vtrunque, præuaricatores æſtimaui omnes peccatores terræ, & vbi non eſt lex, nec præuaricatio. Ex quo videri poſſet, peccatum paruulorum eſſe contra legem, legiſque tranſgreſſionem, ipſe exponit dicens, paruulos ſecundum communem generis humani originem in illo vno teſtamentum diſsipaſſe, in quo omnes peccauerunt, & ſic peccando ſimiliter legem ſunt trãſgreſsi, & facti vt peccatores, ita & præuaricatores, ſed effectiuè ab hac tranſgreſsione, non formaliter, quo modò ab ea dicimur peccantes & præuaricantes. Adam igitur dicebatur peccator poſt tranſitum actus præuaricationis: non à concupiſcentia, nec ab errore, nec aliquo huiuſmodi effectu tranſgreſsionem ſequente, ſed ab inobedientia præterita, non quidem ſimpliciter (quia tunc poſt pœnitentiam & remiſsionem æquè manſiſſet peccator & impius) ſed ab ea, prout manebat in effectibus habitualis auerſionis à Deo, inordinatæ conuerſionis, maculæ & reatus, quæ relinquebantur: qua ratione dicimus & nos peccatores actu præterito, de quo Magiſter in ſententijs:

Paruuli quo ſenſu præuaricatores legis.

Polluta eſt, inquit, anima quouſque pœniteat, ſicut erat, dum erat in eo praua voluntas: quemadmodum qui tangit morticinum, vel aliquod immũdum, pollutus manet poſt factum quouſq; lauetur, ſicut fuit dum tangeret. Ita poſt actum peccati, polluta remanet anima, ſicut fuit in actu peccati, quia ita longè eſt à Deo per diſsimilitudinem, qui eſt vita & munditia mentis, atque fuit dum peccatum ageret: Et hæc diſsimilitudo, quæ ineſt animæ ex peccato, & à Deo eſt elongatio, animæ macula intelligitur, à qua purgatur in pœnitentia. Et B. Auguſtinus lib. 6. cap. 8. contra Iulianum. Impietas, inquit, qua idolis ſacrificatur, tam diu manet, donec idolis renuntietur, & credatur in DEVM. Idolis itaq; ſacrificatum, factum eſt tranſiens, non vitium manens: impietas verò qua ſacrificatum eſt, illo peracto manet.

Hac itaq; ratione à peccato præterito, aliquo tamen modo manente, dicimur peccatores, & hæc ipſa in quibus manet, intelligi poſſunt formalis peccati ratio, à qua ſumus non peccantes: & ſimiliter reatus, qui eſt dignitas ſupplicium ſuſtinendi, & quaſi pro fundamento habet hanc maculã & mentis auerſionem & conuerſionem habituales, vel reipſa cum eis eſt eadem. Et quia peccator nomen habitus eſt, non autem actus, ab iſtis quaſi habitibus ad peccatũ relatiuè verè dicimur peccatores, vt docet Cardinalis Caietanus q. 114. circa primam ſecundæ, & q. 86. vbi B. Thomas tractat de macula, & hoc modo intelligendo reatum cum ſuo fundamento, veritatem habet, quòd reatus eſt formalis ratio peccati, nõ quo peccamus, ſed quo ſumus peccatores: duplici enim ratione dicitur peccatum, à qua ſcilicet nominamur peccare, & à qua poſt tranſitum actus dicimur peccatores: in actu enim peccati mẽs à Deo vltimo fine auertitur, & relinquitur, quaſi habituales & ſimiles auerſio, & ad caduca & pereuntia conuerſio, à quibus niſi per Chriſti gratiam extricari & expediri nemo poteſt. Et hanc à Deo auerſionem B. Auguſt. impietatem vocat, poſtquam idolis eſt ſacrificatum, manentem, quæ à Deo eſſe non poteſt, ſicut nec culpa, nec auerſio actualis, nec animæ macula, quæ eſt gratia ac nitoris carentia, vt à peccato proficiſcitur, conſiſtit. Tria autem iſta, mentis auerſio & conuerſio quaſi habitualis, & macula cum reatu, effectus ſunt peccati neceſſariò & ſemper ipſum conſequentes, in quibus conſiſtit iniquitas & impietas, quam dicit beatus Auguſtinus manere poſtquam idolis ſacrificatum eſt. Et in lib. 3. de liber. arbit. de primo homine loquens: Superbia, inquit, auertit à ſapientia: auerſionem autem ſtultitia ſubſequitur. Vnde autem hæc auerſio? niſi dum ille, cui bonũ eſt Deus, ipſe vult eſſe bonum ſuum, ſicuti ſibi eſt Deus.

Ex his videmus & clare intelligimus, qđ peccatum originale non eſt propriè concupiſcentia carnis aduerſus ſpiritum, ſed mentis à Deo auerſio cum inordinata cõ-

uerſione,

Peccatũ originale nõ eſt cõcupiſcẽtia ſed mentis auerſio.

uerſione, macula & reatu ex Adæ tranſgreſsione relicta, quibus omnes naſcimur obnoxij, quæ & Adam prçuaricatorem poſt eſum fructus vetiti, ſicut & angelum & nos omnes poſt præuaricationem, non concupiſcentia, nec iuſtitiæ carentia, faciebant. Et in hoc magnum eſt fidei myſterium, humanum & angelicum excedēs intellectum, & inſcrutabile ac ſeuerum Dei iudicium, quod ex parentis noſtri peccato non ſolum bonis, quæ ex eius ſucceſsione & propagatione eramus accepturi, priuamur (quotidie enim in iudicijs humanis videmus ob patris crimen, filios & totam poſteritatem hæreditate priuari, cunctaq; applicari Fiſco: ob crimen tamen nec contaminatur, nec culpabilis fit eius poſteritas) nos, inquam, non ſolum bonis quæ per Adā eramus percepturi, ſpoliamur, ſed & impietatem participamus, qua ipſi in nobis culpabiles & Deo abominabiles conſtituimur, paterna impietate in nos transfuſa & manente, donec ſanguine Chriſti in baptiſmo abluatur: quod omnis creaturæ excedit intellectum, quòd ſcilicet in eo ſolum, non in nobis peccatores, conſtituamur: tamē non in parente tantum, ſed & in nobiſmet ipſis peccatores. Hæc itaq; duo in hac materia ſunt fidei myſteria: primum quòd Deus Adę donauit iuſtitiam, & virium trāquillitatem: non pro ipſo tantum, ſed pro omnibus etiam ex eo propagandis, & in ipſo duntaxat, non autem pro eis ſingulatim: niſi enim certa fide iſtud ſuſcipiatur, primus homo creatus diceretur quales nūc ſumus, qualem & philoſophi ex principijs ſuis naturam humanam eſſe intelligunt, nec ægrota eſſet, nec Medico indigeret. Et ſecūdū, quòd non ſolum his bonis priuamur, ſed ex eius peccato Deo ſumus odibiles in nobiſmetipſis & filij iræ: cum tamen ob crimen læſæ Maieſt. à patre admiſſum, vt diximus, hæreditate fruſtratus miſerabilis eſt non odibilis, nec inimicus Principi, nec quicquam patitur ob ſuum peccatum, ſed patris tantum: hîc autē non ob patris peccatum niſi originaliter affligitur, ſed ob proprium. Nam in hoc eſt differentia Chriſti & Adę, quòd peccatum non tranſit in poſteros à primo parente per modum demeriti, quaſi ipſe omnibus mortem & infectionem peccati meruiſſet, ſed per modum traductionis conſequentis traductionem naturæ: non enim vnius perſonæ actus toti naturæ mereri vel demereri poteſt, niſi humanæ naturæ limites tranſcendat, qualis eſt Chriſtus qui Deus eſt & homo, atque ideo ab ipſo naſcimur filij gratiæ non per traductionem, ſed per meritum actionis & victimæ eius. Nam B. Anſelmus in lib. de conceptu virginali, docet infantem damnari non pro peccato Adæ, ſed pro ſuo. Nam ſi ipſe, inquit, non haberet ſuum peccatum, non damnaretur, & ita non portat iniquitatem Adę, ſed ſuam propriam, quāuis illius iniquitas iſtius peccati cauſa fuerit. Et B. Auguſt. lib. 3. contra 2. epiſt. Pelagianorum ca. 4. & lib. 6. contra Iulianum, cap. 4. dicere videtur,

Quidnā de originis vitio fide credēdū.

Analogia primi & ſecūdi Adæ

D. Anſelm'

quòd iniuſtum eſſet Dei iudicium, ſi paruuli innocentes mortem traherent ſine meritis, & pœna tranſiret ſine culpa, quod de vno ſolo mediatore Dei & hominum Chriſto Ieſu catholica, inquit, fides nouit. quod intelligi oportet ſecundum ordinem à Deo inſtitutum. Nam creari poſſet homo ſine iuſtitia originali, & omnibus malis quæ nunc experimur, affligeretur, morbis ſcilicet, damnatione, dæmonum vexatione, & vniuerſis alijs, quæ tamen in eo non eſſent ſupplicia & pœnę, ſed cruciatus tātum, ſicut ſunt in beſtijs: multo autem iuſtiori iudicio omnibus his calamitatibus filios Adæ affligere potuiſſet, culpa non propagata, & clementius nobiſcum ageretur. Neq; admiranda eſſet hæc Dei punitio, ſi in illa duntaxat incommoda ob Adæ culpam veniſſemus, quæ à natura nobis inhæſiſſent, niſi ſupernaturali fuiſſemus priuilegio præſeruati. Nam (vt diximus) in iudicijs etiam humanis, bonis ob patris crimen, quæ per eum eramus accepturi, priuamur. Quando autem hîc dicit beatus Auguſtinus & in alijs locis, paruulos contrahere pœnam & eius meritum extendit meritum ad dignitatem, eò quòd meritum propriè in ſola conſiſtat operatione. Nam ſicut paruulus baptizatus, ex interna diſpoſitione dignus eſt hæreditate & vita æterna, quam non meretur: ſic paruulus non baptizatus, dignus eſt damnatione ob ſuū peccatum ſuamque diſpoſitionem ſine merito ſuo & parentum. In altero tamen qui ſaluatur, Chriſti meritum operatur. Hæc itaq; duo fidei ſunt dogmata, quòd autem concupiſcentia transfunditur, ſuppoſita naturæ corruptione, naturale eſt: ſicut quòd ſibi ſimilem homo generet, mortalis mortalem. Quod verò Deo charus ei odibilem ſecundum animam ex antiquo peccato generet, & quòd in alio peccantes, in nobiſmetipſis peccatores perſonaliter conſtituamur, nullus capit intellectus. Et quamuis idem peccatum transfundatur in proles, multò tamen erat odibilius propter actualem inobedientiam in primo parente adiūctam, quam in nobis eſt: ſicut Chriſti iuſtitia nobis cōmunicata, quamuis eadē ſit ſpecie, incōparabiliter noſtra eſt maior: eſt em̄ vtrobiq; participatio quædā: hic iuſtitię illic impietatis. Nā auerſio & cōuerſio habituales, & macula, malitiæ gradū & quātitatem ſuſcipiunt à peccato ꝙ ſequuntur. Et ab eodē multū diuerſam in eo, qui in ſua perſona trāgreſſus eſt, & his qui ſolū in alio. Et quia pœnitētia eiuſq; affectus erat in Adā, & eſt in nobis (ſicuti & Baptiſmi) perſonalis nō egreditur perſonā, nec tollere poteſt auerſionē, conuerſionē, & maculā naturæ, quam totā in Adam eius trangreſsio maculabat, & corrumpendo peruertebat. Eſt & hoc admiratione dignum, quòd perſona ad Deum conuerſa, natura maneat auerſa: & vitioſa cōrrupta ac peccatrix transfundatur in prolem, ſed ceſſat hæc admiratio, ſi conſideretur, quòd conuerſio, iuſtificatio, & ſanatio, quæ fiunt in Baptiſmo & Pœnitentia, ſolùm ſint perſona-

An in paruulis pœna meritum.

Peccati originalis calamitas magis creditur, quā intelligitur.

 les,

les, dicente Domino apud Ezechielem: Iuſtitia iuſti ſuper eum, & impietas impij ſuper eum. Et ſuperuacaneum eſt hic diſputare, an peccatum originale virtualiter ſit in ſemine, vel in parente: ſiue ſancto, ſiue impio. Nã quia in Adam omnes peccauimus, & per hoc in nobis facti ſumus peccatores, nihil refert quales ſint parentes immediati, imò ſi ſanctificati, fomite penitus extincto, ſicut erat in Maria, ſine libidine generarent, proles peccatum originis contraherent, quia ex Adæ naſcerentur propagatione. Nam per vnius delictum in omnes homines in condemnationem Apoſt. dicit profectum eſſe hoc malũ, de quo B. Auguſt. lib.2. de peccatorum meritis ca. 27. Quomodo autem, & an hæc quatuor, auerſio à Deo, conuerſio ad creaturam: macula & reatus, vt manent poſt tranſitum actus peccati, inter ſe differant, & quid in peccatore maneat, à quo dicitur peccator, variè ſentiunt Doctores ſcholaſtici: atq; hinc naſcuntur variç opiniones de peccato originali, quid ſit, & in quo conſiſtat. Nam Ioan. Scotus, Gabriel, & multi ſequaces, diſtinct. 14.4. Sent. opinantur nihil manere in peccatore, niſi ordinationem ad pœnam propter peccatum admiſſum, quæ vt diſconueniens animæ, apud eos dicitur macula, vt eſt obligatio ad pœnam reatus, & vt actus diuinę voluntatis, per quem ad pœnam anima ordinatur Dei offenſa: quos ſecuti eſſe videntur Durand. & autores, quam opinionẽ ex Magiſtro recitauimus, ponentes peccatum originale eſſe indignitatem habendi iuſtitiam, aut dignitatem carendi, vel obnoxietatem æterni ſupplicij: ab his enim dicerent poſt tranſitũ actus nuncupari & eſſe peccatores. Albertus verò Pighius & Amb. Catharinus, conſiderantes hæc non propriè eſſe peccata, credebant ab his nec dici poſſe aliquem, nec eſſe peccatorem, & ideo ponebant peccatum Adæ, quo præuaricat⁹ eſt mãdatũ Domini, eſſe peccatum originale, & ita actuale peccatum Adæ omnium noſtrum eſſe originale, & ipſum vniuocè & propriè eſſe peccatum. Docent nihilominus mortem animæ vt corporis, in omnes eius filios transfundi, & ex eius peccato, gratia priuari. Secundum eos itaq;, ſicut Adam manſit peccator ab eſu pomi vetiti, quouſq; propter pœnitentiam ei condonaretur: ſic & paruulus ab eodem eſu, hoc eſt, mandati tranſgreſsione peccator manet & iniuſtus, donec per baptiſmum reatus ſoluatur, nõ ſolum pœnæ, ſed & culpæ, quia in Adã peccauit, à ſolo igitur peccato præterito, intelligunt hominem dici & eſſe peccatorem, quamdiu non condonantur, & hoc probabiliter, quo ſenſu (vt ait Pighius) dicit Bethſabee 3. Reg. ca.1. ad Regem Dauid: eritque cùm dormierit Dominus meus rex, erimus ego & filius meus Salomõ peccatores. Qui tamẽ in hoc defeciſſe videtur & erraſſe, quòd nihil in paruulo intrinſecè exiſtens agnoſcebant, propter quod eſſet odio dignus, conſiderantes duntaxat quòd in Adam peccauit, & ob ſolum eius peccatum in quo communicabat, eſſet Deo odibilis: veriſimile tamẽ eſt, quòd maculam, conuerſionem & auerſionem habituales ex peccato, in quibus diximus conſiſtere peccatum originale, non negaſſent: ſed quia in his non conſiſtit peccatum propriè dictum, quale credebant eſſe peccatum originale, ſcripſerunt ob actuale peccatum Adæ, eos eſſe filios iræ & odij, non ob proprium quod vera & vniuoca ratione eſſet peccatum, & ſic magis eſſet inconſideratio ſermonis, quàm error in ſcriptis eorum de peccato originali. Sed veriſimilius eſt quod dicit B. Thomas, tria priora eſſe priuationem gratię ex peccato, de quo Card. Caietanus prolixè tractat circa q.86. art.1. & q.71. art.6. & q.114. art.2. Cùm enim gratia ſit nitor animæ, conuerſio ad Deum, & à creaturis auerſio, eius carentia peccatum ſecuta animæ macula eſt, à Deo auerſio, & ad creaturã conuerſio quaſi habituales, & etiam reatus ſaltem per concomitantiam, imò & mors animæ, ſicut gratia eſt eius vita. De reatu verò B. Auguſt. li.6. contra Iul. ca.8. magnam facit inquiſitionem, quid ſit, & in quo conſiſtat: & quia impietatem reatum videtur nuncupare, de culpæ reatu, quo peccator indignatione & offenſa Dei ac odio dignus eſt, magis diſputat, quam de reatu pœnæ, ſiue ſupplicij ob peccatum debiti: qua ratione à Deo eſſe nõ poſſunt, ſicut nec ipſe peccati author. Dicuntur autem hæc quatuor relatiuè ad peccatum tãtum, & hac ſignificatione reatus eſt formalis ratio, à qua dicitur peccator, & idem ſunt, reum eſſe, & eſſe in peccato ſecundum B. Auguſtinum. alio loco: Quando igitur diximus peccatum originale eſſe auerſionem & conuerſionem ex tranſgreſsione relictas, conuenimus cum ſententia B. Anſelmi & B. Thomæ docentium ipſum conſiſtere formaliter in carentia iuſtitiæ ſiue potiùs gratiæ, quam in primo parente accepimus, prout tamen ex peccato ſequitur: hac enim ratione macula eſt animæ & peccatum, & ea includit quæ diximus eſſe peccatum originale, vt & Thom. docet art.3. q.82. An verò pręter hanc carentiam per peccatum fiat, & facta ſit conuerſio per inhęſionẽ affectus, & à Deo auerſio habituales, quales, ſecluſa omni iuſtitia & gratia à Deo infuſis, fortè ſecutæ fuiſſent (ſicuti ſi in naturalibus ſine gratia fuiſſet creatus) & in eis etiam conſiſtat peccatum originale, & qualis tunc animæ macula, & an illæ transfundi poſſent in poſteritatem, non eſt neceſſe hic diſcutere: ſicut nec illud, quo modo ab inuicem hæc quatuor diſtinguantur. Pro articuli declaratione ſufficit, quòd poſt tranſitum peccati, immundi & immaculati manemus peccatores & aduerſi, dicente Propheta: Abominabiles facti ſunt, ſicut ea quæ dilexerunt, & aliàs. Duo mala fecit populus meus, me reliquerunt fontem aquę viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſsipatas, quę continere non valent aquas. Et neceſſarium eſt ab his vel horum aliquo, & vt beato Auguſtino videtur, à reatu culpæ denominari peccatorem auerſum, &c. à

Quid ſit peccatum originale Doctores variant.

Ioan. Scotus, Gabriel, Durandus.

Alb. Pighius Amb. Catharinus.

Error Pighij & Catharini

D. Thomas. Caietanus.

Reatus quid.

&c.à

Peccatũ originale nõ eſſe proprie peccatum.

&c. à quibus etiam vel eorum aliquo naſcitur peccator, & iniuſtus quilibet filius Adæ: & in idem redit, ſi dicatur peccator manere ab actu peccati tranſacto, prout tamen in his manet. Et hanc eandem ſententiam, quod peccatum originale non eſt propriè peccatum, clarè docet Côcil. Arauſicanum, cap. 2. quòd ad verbum ſecutum eſt Concil. Trident. Explicant enim & interpretãtur peccatum originis eſſe mortem animæ, cùm tamen peccatum propriè dictum, potiùs ſit mortis cauſa, quodq; vnicuique eſt propriũ. Si quis, inquiunt, Adæ præuaricationem ſibi ſoli, & non eius propagini aſſerit nocuiſſe: acceptam à Deo ſanctitatem & iuſtitiam quam perdidit, ſibi ſoli & non nobis eum perdidiſſe: aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas tantum in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ, anathema ſit. Ex definitione itaque Conciliorum, non concupiſcentia proprie peccatum eſt originis, imò nec peccatum propriè, cùm nec in Adam peccatum fuerit: ſed mors animæ, trãſgreſsionem Adæ ſecuta, quæ vt in ipſo peccatũ erat & impietas, ita originale eſt in eius filijs. Placuit tamen B. Auguſtino ipſam appellare peccatum originale, eò quòd manifeſtior eius eſt effectus, quia inordinatum & iniquum eſt, quòd ſuperiora inferioribus turpiter ſeruiunt vel inferiora ſuperioribus contumaciter reluctantur: & ita magis culpa eſt ratione effectus, quam propria & ratione ſui: vt tamen ſic inordinata eſt & ſuo freno deſtituta materialiter peccatum dicitur, tanquam proximus effectus amiſſæ iuſtitiæ: non autem tam propriè, nec eo pacto, quo actio externa in peccato actuali peccatum denominatur: & ſicut in concupiſcentia carnis, totam hominis & virium eius, intellectus ſcilicet memoriæ, & voluntatis complectitur corruptionem: ita, & huius cauſam, iuſtitiæ carentiam, & Dei fontis aquæ viuæ deſertionem, in quibus iniuſtitia & peccatum magis conſiſtit, quàm in ſola concupiſcendi pronitate. Ex quibus patet, quod falſa eſt ſententia Martini Lutheri in aſſertione tertij articuli per ſedem Apoſt. damnati, quo nos partim iuſti, partim ſumus peccatores, & hoc propter concupiſcentiã, hocq; vno ſalui & ab impijs diſcreti, quòd peccatum confitemur & expugnamus, cui illi potius obediunt, quia ſecundum Iacobum, initium ſumus creaturæ Dei, non complementum, & ita partim filij Dei, partim filij diaboli. Nam & hanc calumniam, quòd doceret baptiſma non verè facere homines nouos, ſed ex parte filios Dei fieri, & ex parte filios huius ſeculi, hoc eſt diaboli remanere, inter alias ſibi à Pelagianis obiectam fuiſſe B. Auguſtinus ſcribit lib. 3. contra 2. epiſtolas Pelagianorum ca. 3. Baptiſma, inquit, non verè homines nouos facere, id, eſt nõ plenam dare remiſsionem peccatorum, ſed ex parte filios Dei fieri, ex parte autem filios ſeculi, id eſt, diaboli remanere nos contendere. Mentiuntur, inſidiantur, tergiuerſantur, non hoc dicimus: omnes enim homines qui ſunt filij diaboli, etiam filios ſeculi: non autem omnes filios ſeculi etiam filios diaboli dicimus: abſit enim vt filios diaboli dicamus fuiſſe ſanctos Patres, Abraham, Iſaac & Iacob, quando per nuptias generabant: & fideles, qui vſq; nunc & deinceps adhuc generant: nec tamen poſſumus domino contradicere dicenti: Filij huius ſeculi nubunt & tradunt ad nuptias. quidam ergo filij huius ſeculi ſunt, & tamen filij diaboli non ſunt: quamuis enim diabolus ſit author & princeps omnium peccatorum, non tamen filios diaboli faciunt quæcunq; peccata: peccant enim & filij Dei, quoniam ſi dixerint ſe non habere peccatum, ſeipſos ſeducunt, & veritas in eis non eſt, ſed ea conditione peccant, qua ſunt filij adhuc huius ſeculi: qua verò gratia ſunt filij Dei, non vtiq; peccant, quia omnis qui natus eſt ex Deo, nõ peccat. Et concludit. Baptiſmus abluit quidẽ peccata omnia, prorſus omnia, factorum, dictorum, cogitatorum, ſiue originalia, ſiue addita, quæ ignoranter, ſiue quæ ſcienter admiſſa ſunt, ſed nõ aufert infirmitatem, cui regeneratus reſiſtit, quando bonum agonẽ luctatur: filios autem Dei à filijs diaboli non ſolum lauacro regenerationis, ſed ipſius etiam quæ per dilectionem operatur fidei probatæ Deus diſcernit, quia iuſtus ex fide viuit Et c. 5. ad aliam calumniam eorum reſpondens aiunt etiam, inquit, quòd omnes Apoſtoli vel prophetæ non plenè ſancti definiuntur à nobis, ſed in comparatione peiorum, minus eos malos fuiſſe dicamus, & hanc eſſe iuſtitiam cui Deus teſtimonium perhibet, vt quomodo dicit propheta iuſtificatam Zodomam comparatione Iudæorum, ſic etiam nos criminoſorũ comparatione dicamus aliquos ſanctos exercuiſſe virtutẽ. Abſit vt iſta dicamus: audiant ergo vel ipſi, vel potius hi quos idiotas & ineruditos decipere moliuntur: Noſtra fides, hoc eſt catholica fides iuſtos ab iniuſtis, non operum, ſed ipſa fidei lege diſcernit. Cùm itaq; iuſti omnes & antiquiores, & Apoſtoli ex fide vixerunt recta, quæ eſt in Chriſto Ieſu, moreſque tam ſanctos cũ fide habuerunt, vt licet non tam perfectę virtutis in hac vita eſſe potuerint, quàm poſt hanc vitam: tamen quicquid peccati ex humana infirmitate ſurrepſerit, pietate fidei continuò deleretur: vnde & quomodo fieri poteſt, vt comparatione iniquorum, quos dãnaturus eſt Deus, iuſtos eos fuiſſe dicẽdũ ſit, cùm per piã fidẽ tantũ ab illis impijs ſint remoti, vt clamet Apoſtolus: Quę pars fidelis cum infideli? quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ conuentio Chriſti ad Belial? Et lib. 4. c. 7. & 10. omnes prophetas & Apoſtolos, vel ſanctos & euangelicos & antiquos, quibus Deus teſtimonium perhibet, non in comparatione ſceleratorum, ſed regula virtutum iuſtos fuiſſe non dubium eſt. Palã tamen cũ

Cõſ. Arauſicanum.

Cõcupiſcentia non eſt peccatum originale.

Baptizati nõ ſunt partim iuſti partim iniuſti.

Lutheri dogma D. Auguſtino olim

Falſo tributum.

Baptiſmus aufert peccata ſed non infirmitatẽ animæ.

Fidei lege iuſti ab iniuſtis diſcerni.

Iuſti adhuc ſub peccato venundati peccant.

Auguſt.

Iuſti licet ve ruſti. at ſani tamen.

Auguſt.ex ſcripturis ſacris confitemur,quòd filij Dei & iuſti,quamdiu manet infirmitas, cum qua vſq; ad corporis mortem defectu & profectu alternante contendunt, ſub peccato ſunt venundati,ſunt & carnales, vt ex Apoſt.Paulo docet B.Auguſt.lib.1. contra 2. epiſt.Pelagij,intelligens cap.7.ad Rom.in ſua perſona,& iuſtorum eum ſcripſiſſe:ſed ſecũdum corpus tales eſſe,quomodo ſunt mortales:fatemur etiam,quòd ſunt filij huius ſeculi,vetuſti etiam ſecundum animam, & tamen filij Dei redempti à Domino, iuſti, noui,& ſani:ſicut cap.20.de fide &operibus,docet cuiq; baptizato dici poſſe: Ecce ſanus factus es,iam noli peccare.Et lib.3. contra 2. epiſt.Pelag.cap.7.Noui ſumus, qui tamen de die in diem,propter vetuſtatis reliquias magis renouamur in homine interiore:& libr. 2.de peccatorum meritis cap. 7. & ſequenti.

Renouatur baptizatus quomodo.

Non enim ex qua hora quiſq; baptizatur,omnis eius vetus infirmitas abſumitur,ſed renouatio incipit à remiſsione omnium peccatorum,& in tantum quiſq; renouatur,in quantum ſpiritualia ſapit.Si enim continuo tota & plena hominis in æternam nouitatem mutatio fieret,non dico in corpore,quod manifeſtum eſt in veterem corruptionem,atq; in mortem tendere,ſed ſi in ipſo animo,qui eſt homo interior, perfecta in baptiſmo nouitas fieret,non diceret Apoſtol. Et ſi exterior noſter homo corrumpitur, interior tamen renouatur de die in diem.Et lib.2.de peccatorum meritis cap. 27. Meminiſſe debemus Baptiſmo hominis ipſius qualitem non totam continuò commutari, ſed ſpirituales primitias in bene proficientibus de die in diem nouitate creſceute cõmutare in ſe, quod carnaliter vetus eſt:Eſt igitur hic ſanitas ſimiliter & nouitas & iuſtitia,ſed non plena nec perfecta,niſi modo quodam, vt idem docet cap.7.3.lib.contra epiſtol. Pelagian. ſicut nõ plena hìc eſt dilectio,in hac vita,inquit, cap. 7. Si pio nomine dubitante,quantò amplius diligimus Deum,tantò ſumus vtique iuſtiores:quis dubitet piam veramq́ue iuſtitiam, cùm fuerit dilectio Dei perfecta, tunc perfici? Tunc ergo lex ita vt nihil omninò deſit implebitur, cuius legis plenitudo dilectio eſt.

Iuſtitia & ſanitas non plena,nec perfecta datur Baptiza tis.

Charitas hic enim imperfecta.

Nimis quippè inſipienter dicitur tantũ amari Deum, antequam videatur, quantum amabitur, cùm videbitur. Cõfitemur etiam quamuis non peccatores & impios,malos tamen in ſcripturis dici & verè eſſe, filios Dei & iuſtos.Nã filijs Dei loquebatur Dominus, Si vos,cùm ſitis mali noſtis bona data dare filijs veſtris,quantò magis pater veſter?ſed inde mali,vnde adhuc filij huius ſeculi,de quo Auguſt.eodem lib.cap.3.& prolixè in epiſtola 54.quæ eſt ad Macedonium, Quiſq;,inquit, de ſuo malus eſt,&in quantum peccat,id eſt, à veritate,charitate,& pietate deuiat,& in quantum rectè agit,id eſt, ſcienter,amanter, & piè bonum operatur,in tantum bonus eſt. Quis autem eſt in hac vita ſine aliquo peccato?ſed eum dicimus bonum, cuius præualẽt bona: eumq́ue optimum, qui peccat minimum:idcirco ipſe Dominus, quos dicit bonos propter participationem gratiæ diuinæ, eoſdem etiam malos dicit propter vitia infirmitatis humanæ.

Filij Dei quo ſenſu & boni & mali.

Bonus quis. Optimus quis. Malus quis.

Iuſti in iuſtitia proficiũt.

Et reuera iuſtos eſſe, qui in iuſtitia proficiunt,nondum adhuc plenè atque perfectè iuſti, docet in epiſtola 29. quæ eſt ad beatum Hiero.Stoicorum ſententiam improbans, qua proficientem hominem in ſapientia nolunt omninò habere ſapientiã, quo vſque omninò in ea perfectus fuerit, nõ quòd perfectum illum negent, ſed niſi ex profundo quodam emergendo repentè emicet in auras ſapientiæ liberas, nulla ex parte eſſe ſapientem.Et improbans hanc ſimilitudinem,vbi ſtultitia velut aqua, & ſapientia velut aer ponitur,vt animus à præfocatione ſtultitiæ tanquam emergens in ſapientia repentè reſpiret,tanquam ſcripturarum auctoritati non ſatis accommodam, aliam ſecundum ſcripturas ſimilitudinem ponit, vt vitium vel ſtultitia tenebris, luci autem virtus & ſapientia cõparetur,concludens quòd non ſicut de aquis in aërem ſurgens, vbi earum ſummum tranſierit repente, quantum ſufficit inſpiratur,ſed ſicut de tenebris in lucem procedens,paulatim progrediendo illuminatur,ita paulatim homo à peccatis iuſtificatur.

Baptizatos bellum ciuile verax.

Ex ſuperioribus manifeſtum eſt, quòd anima rationalis à regeneratione in duas intus diuiditur voluntates, duas ſententias & affectiones. ſecundum vnam ad ſuperiora, & ſecundum alteram trahitur ad inferiora, propter quod interior rixa & bellum inuaſit genus humanum,quando factum eſt corpus corruptibile,&pronum abſque rationis freno proruere in ea, quæ corporalem ſenſum oblectant. Eadem igitur vis appetitiua animæ, quam voluntatem dicimus, diuerſis æſtuat motibus,quod de ſe, & intra ſemetipſum expertum declarat beatus Auguſtinus in 8.libro confeſſ.cap. 9. & 10. Imperat, inquit,voluntas ſibi,vt velit,ſed quia non plenè imperat,ideò non fit quod imperat, dum partim vult,partim non vult:ſic autem partim velle, partim nolle non monſtrum eſt in duabus naturis (vt dixerunt Manichæi) ſed ægritudo eſt animi, qui non totus aſſurgit in Deum:& inclinatione quidem veritatis ſubleuatur,conſuetudine autem prægrauatur.& quamuis æternitas delectat ſuperiùs,temporalis tamen voluptas trahit & retẽtat inferiùs,& ſic anima non tota voluntate volẽs aut hoc aut illud,graui diſcerpitur moleſtia, dum præponit alterum alteri, quod non plenè vult,hacq́ue ratione totus homo in ſcripturis aliquando vocatur caro,ſi ſecũdum carnem, vel ſeipſum viuat, imò & iuſtus caro vocatur poſt regeneratiõe,& ſpiritus propter duas qualitates affectionales: quarum vnam à ſe habet ex carnali propagine,& coniunctione ad corpus & ſenſitiuum appetitum:& alteram à ſpiritu Dei intus loquentis,de quibus Apoſtolus Paulus:Lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati & mortis,ſimiliter & alijs in locis.& ideò beatus Auguſtinus exponẽs quod dicitur

Caro & ſpiritus cur dicatur iuſtus.

Lucta animæ cum corpore.

dicitur ad Galatas cap. quinto, Spiritus concupiſcit aduerſus carnem, & caro aduerſus ſpiritum: ſpiritus, inquit, Dei eſt, qui pugnat in te aduerſus carnem, hoc eſt aduerſus te: hic enim ſpiritus Dei tuus eſt aduerſari⁹, de quo Saluator: Eſto conſentiens aduerſario tuo, dum es cum eo in via: intelligit enim caput iſtud quintum ad Galat. non de ſpiritu hominis, ſed de ſpiritu Dei: & carnem totum hominem, vel animam, quæ non ſecundum Dei ſpiritum, ſed ſecũdum ſenſum viuit carnalem. Nam cum inter carnis opera annumerat hęreſim, inuidiam, ſectas, quę non carnis, ſed hominis ſunt opera, totum hominem nomine carnis intelligere oportet, vt etiam tradit B. Auguſtinus, in primis. 4. cap. lib. 14. de ciuitate Dei, Quamuis B. Amb. & Hieronymus ipſum intelligant de ſpiritu humano, liberato, deducto, & tracto à ſpiritu diuino. Vtraque autem expoſitio ſiue de ſpiritu ſancto (quod probabilius eſt) ſiue de ſpiritu hominis intelligatur, in eundem ſenſum redit, & Saluator ſubindicat eundẽ hominem ſpiritum eſſe poſſe, & carnem, dũ ait: Quod natum ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. & Apoſtolus Paulus, quod dixerat, Scio, quòd non habitat in me bonum, interpretatur, In me, in carne mea, & vt caro ſum ab Adam generatus. Nam caro, hoc eſt homo carnalis, velit nolit, concupiſcentias ſentit aduerſus Dei ſpiritum, hoc eſt ſeipſum. & beatus Hieronymus in commentarijs eiuſdem Epiſtolæ interpretatur eãdem eſſe animam quæ nunc caro, nunc ſpiritus appellatur. anima, inquit, rationalis, conſiſtens inter carnem & ſpiritum, quando ſe tradit carni, caro eſt: quando ſpiritui, ſpiritus appellatur. Et in eodem loco: Anima rationalis in quodam meditullio eſt poſita: ſi iungatur carni, id eſt appetitui, ſecundum carnales ſenſus craſſa carnaliſque efficitur, & idcirco caro appellatur: ſi vero copuletur ſpiritu ſancto, perpetuis gaudens & futuris, ſpiritus appellatur. Nam qui adhæret Deo (inquit Apoſtol.) vnus ſpiritus eſt cum eo.

Idem homo & caro & ſpiritus.

Idem igitur homo caro dici poteſt & ſpiritus, ſecundum diuerſas qualitates affectionales, quæ ſunt quaſi habitus quidam & ſimul eidem ineſſe poſſunt. Si tamen intelligatur caro, qui opera carnis ſectatur, & ſpiritus qui eius opera, & ſecundum ſpiritum viuit, non poteſt dici caro, qui iuſtus eſt & in Chriſto regeneratus. Quomodo autem caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, explicat. B Auguſtinus lib. 6. contra Iulianum cap. 5. Nam eadem eſt anima quæ concupiſcit ſecundum carnem & quę ſecundum ſpiritum: concupiſcit autem caro, quia per carnem anima concupiſcit, ſicut & per carnem ſentit & his motibus quos habet ſecundum carnem aduerſatur alijs, quos habet ſecundum legem ſpiritus: opera nanq; ſenſuũ & delectationes ſũt totius compoſiti, non autem ſubiectiuè & ſecundum denominationem, animę vel carnis vt Ariſtoteles docet in primo lib. de anima, quamuis ab anima tanquam principio procedant. Et plerumq; in anima ſecundum voluntatem contrarij hi motus inueniuntur, vnus ſecundum ſpiritum, & alter ſecundum infirmitatem nullo cooperãte ſenſuum motu: & cum conflictus ſit inter has concupiſcẽtias ſiue deſideria, ſimul plerunque ſunt, non ſolum in eadem anima, ſed in eadem etiam voluntate, ſecundum diuerſas tamen conſiderationes. In epiſtola autem ad Dardanum B. Auguſtini. docet, quod Apoſt. Paulus in epiſtola prima ad Corinth. Paruulos Chriſto incorporatos, vocat etiam prius animales, & poſtea cap. 3. carnales: erant enim quibus lacte opus erat, & a ſpiritu ſancto inhabitabantur, & ſic iuſtos quoſdam eſſe animales & carnales. Late hæc proſequitur venerandus noſtræ ſcholæ Magiſter Ioannes Driedonis à Turnhout in lib. de grat. & libero arb. Nulla tamen ratione homo idem iuſtus eſſe poteſt & iniuſtus, prout docet Lutherus & Martin. Bucerus, & ſectæ poſt eos.

Iuſtos etiam vocat animales Apoſtolus.

QVòd autem poſt baptiſmum nullus pœnę futuri ſeculi reatus maneat, teſtantur ſcripturę ſuperius citatæ à B. Hieronymo. Eſt enim baptiſmus ſacramẽtũ regenerationis & renouationis ſpiritus ſancti, quẽ effudit in nos abunde & in eo cõmunicatur paſſio Chriſti ad remedium, ac ſi ipſemet in perſona ſua paſſus eſſet, & mortuus, ac ſufficienter ſatisfeciſſet pro omnibus peccatis ſuis, & pœnam illam ſuſtinuiſſet. Et B. Amb. in comment. epiſtolę ad Roma, cap. 11. Gratia Dei, ait, in baptiſmo omnia gratis cõdonat, nõ quærit gemitum aut planctum, aut opus aliquod, niſi ſolam ex corde profeſsionem: imò nec hanc, nec pœnitentiam requirit vt concauſam ad peccati deſtructionem, ſed ſolum tanquam diſpoſitionem remouentem contrarium. Et Auguſtinus primo lib. retractationum cap. 13. Gratia Dei reatus omnium peccatorum præteritorum ſoluitur in omnibus, qui in Chriſto baptizantur: & lib. 2. de peccatorum meritis, ca. 28. Si continuo conſequatur poſt baptiſmum ab hac vita migratio, non erit omnino quod obnoxium teneat hominem ſolutis omnibus quæ tenebant, docens quòd in baptiſmo omnino plena & perfecta ſit remiſsio peccatorum inimicitijs interfectis quibus ſeparabamur à Domino, quodque mente renouata, manet in vetuſtate carnis, peccatum quaſi peremptũ & ſuperatum. Et de verbis Apoſtoli, Sermone. 5. Quicquid concupiſcentia carnis in nobis egit præteritorum peccatorum, ſiue in factis, ſiue in dictis, ſiue in cogitationibus, totum deletum eſt ſacro baptiſmate: omnia debita deleuit vna indulgentia. Per baptiſmũ igitur peccata plenè tolluntur, quo ad culpam & pœnã, quæ iudicio Dei in ſeculo futuro infligitur, ſi tamẽ dignè ſuſcipitur, & nullus plenæ remiſsioni ponatur obex: Si enim ſine fide, aut veteris vitæ pœnitẽtia ſuſcipitur, nullum remittitur peccatum. Et ſi alicuius peccati adeſt affectus, vel amor immoderatus, nec hoc peccatum remittitur, nec pœna reſpondens remiſsis alijs. Quapropter articulus

Per baptiſmũ plenè tolli reatum.

Hieronym⁹.

Ambroſius.

Plena remiſſio vniuerſorum in baptiſmo.

ticulus magis docet virtutem & efficaciam baptiſmi: quam efficientiam ſiue effectum: omnem enim effectum ſuum producit, cuius non eſt in ſubiecto impedimentum. Et veriſimile eſt, quod ſicut imprimit characterem his, qui indignè ipſum ſuſcipiunt, iuxta ſententiam B. Auguſtini, lib. 2. contra epiſtolam Permeniani, cap. 13. & cap. Maiores, de baptiſmo & eius effectu, quod etiam eos Chriſto incorporat, & infundit fidem, & ſpem (quod tamen articulo eſt impertinens) quamuis nõ ſpiritum inhabitantem, per quem charitas in nobis diffunditur, ob mortalis peccati impedimentũ: vt ſentit etiam B. Thomas. Quare autem in nobis relinquitur hæc mala concupiſcentia & alij defectus ex peccato contracti, ſcilicet, fames, ſitis, mors & ægritudines, docet B. Auguſtinus lib. 2. de peccatorũ meritis, cap. 33. & 34. vbi ait: Qui dicunt, Si mors iſta corporis peccato accidiſſet, non vtique poſt remiſsionem peccatorum moreremur. Non intelligunt, quomodo res, quarum reatum, ne poſt hanc vitam obſint, Deus ſoluit, & tamen eas ad certamen fidei ſinit manere, vt per illas erudiantur & exerceantur proficientes in agone iuſtitiæ. Et libr. 13. de Trin. cap. 16. oſtendit, quod vniuerſa mala quæ patimur, ſunt pœna peccati originalis, quodque in Baptiſmo relinquuntur pro exercitio virtutum, quamuis liber, qui inſcribitur B. Athanaſio, De incarnatione verbi, doceat ea apud fideles manere, non vt peccatorum, ſed vt iuſtitiæ exercitium: ſicut Saluator non vt pœnas contraxit, ſed ſpontaneè defectus noſtros aſſumpſit, vt fratribus ſuis aſsimilaretur, & in eo, in quo paſſus ipſe & tentatus, potens eſſet & eis, qui tentantur, auxiliari. Sunt autem in nobis pœnæ ex peccato contractæ, non illatæ propriè à Deo, ſed an pœnæ rationem ſeruent in baptizatis, & quaſi rei mortis, & in peccati ſupplicium miſerias noſtræ peregrinationis & mortem patiamur, non eſt hîc opus diſcutere. Et Natalis Beda de hoc diſputat, circa 5. & 6. capita epiſtolæ ad Romanos contra Fabrum, cuius vna propoſitio eſt, Quòd fideles Chriſtiani, ſiue viuunt, ſiue moriuntur, Chriſtum imitãtur, & paſsionesq; corporales, morſq; ipſa corporalis non illis obuenit ex obligatione, quaſi ſupplicium, ſed ex Chriſti imitatione. Et alia, Quòd virgo Maria mortua eſt, nõ ex obligatione primi parentis, ſed imitatione filij ſui, vt in hoc Chriſtiformis eſſet, & conſolaretur omnes iuſtos poſteros, qui ex imitatione Chriſtiformiter moriuntur, & non amplius ex obligatione. Et propoſitione 33. Paſsiones corporales, morſq; ipſa corporalis, fidelibus nõ obuenit ex obligatione, ſed ex Chriſti imitatione: quas propoſitiones ſumpſiſſe videtur ex beato Athanaſio ſuperius citato.

Baptiſmi effecta.

Cur fames, mors, & ſimilia nõ tollantur baptiſmo.

Mors an baptizatis ſupplicium.

Baptizati vere ſunt filij Dei.

ET per Baptiſmum naſcimur filij Dei, & hæredes vitæ æternæ, cum ſit lauacrum regenerationis. Nam qui ex Deo genitus eſt per ſpiritum Chriſti, filius Dei eſt, nõ ſola adoptione externa, quomodo apud homines adoptantur filij, ſed naturæ diuinæ participatione, vt dicit beatus Petrus 1. epiſtolæ, cap. 1. & eiuſdem ſpiritus, quo Chriſtus caput noſtrum viuit, conſortio, vitæq; eiuſdem per eum ſocietate. Quare iure prætendimus & hæreditatis communionem. Sic enim argumentatur Apoſtolus Paulus: Si filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen cõpatimur, vt & conglorificemur. Nam propter occultam communicationem & inſpirationem gratiæ ſpiritualis, qua quiſque hærens Domino vnus ſpiritus eſt, in Chriſto inſtificamur: quamuis eum & imitemur ſancti eius, vt dicit beatus Auguſtinus libro 1. de peccatorum remiſsione, cap. 10. Quo tamen deuotius ſacramentũ ſuſcipimus, eo gratiores naſcimur filij, & maioris gloriç hæredes. Numerat autem beatus Chryſoſtomus multos fructus Baptiſmi, in Homil. ad Neophytos, quæ eſt 25. ad populum Conſtantinopolitanum, vt citat Auguſtinus libro 1. contra Iulianum: Benedictus, inquit, Deus, qui fecit mirabilia ſolus. Ecce libertatis ſerenitate perfruuntur, qui tenebantur paulo ante captiui: & ciues eccleſiæ ſunt, qui fuerunt in peregrinationis errore: & in ſorte iuſtitiæ verſantur, qui fuerunt in confuſione peccati: non enim tantum ſunt liberi, ſed & ſancti: non tantum ſancti, ſed & iuſti: non ſolum iuſti, ſed & filij, non ſolum filij, ſed & hæredes: non ſolum hæredes, ſed & fratres Chriſti & cohæredes: non ſolum cohæredes, ſed & membra: nec ſolum membra, ſed & templum: non tantùm templum, ſed & organa ſpiritus. Vides quot ſint Baptiſmatis largitates, & nonnulli deputant cæleſtem gratiam in peccatorum tantum remiſſione conſiſtere: nos autem honores computauimus decem, hac de cauſſa etiam infantes baptizamus; vt nõ ſint coinquinati peccato, vt eis detur ſanctitas, iuſtitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Chriſti, vt eius etiam ſint membra. Multò igitur plura beneficia per gratiam Chriſti accepimus, vt etiam argumẽtatur Apoſtolus Paulus, quàm in Adam perdidimus: quum nec certum ſit, quòd filij Dei, & hæredes vitæ æternæ fuiſſemus, naſcituri, ſicut certum non eſt, quòd in gratia gratum faciente creatus fuerit Adam, de quo beatus Auguſtinus tom. 4. quæſt. 123. quæſtionum veteris & noui Teſtamenti: Et ſecundum eum accepit, vnde ſtare poſſet, non autem vnde proficere: & hoc ſequitur Magiſter in ſententijs. Nec ſolum omnia peccata admiſſa ante Baptiſmum eius virtute tolli, ſed etiam omnia, quæ vſque ad finem noſtræ peregrinationis ſequuntur, docere videtur beatus Auguſtinus libro 1, de nupt. & concupiſcent. cap. 33. Eadem regeneratione, quæ nunc fit per ſacrum lauacrum vſque in finem cuncta mala hominis purgante atque ſanante, eadem caro, per quam facta eſt anima carnalis fiet etiã ſpiritualis: ſic enim accipiendum eſt, quod ait Apoſtolus: Chriſtus dilexit eccleſiam, & tradidit ſeipſum pro ea, vt eam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet

Baptiſmi effecta.

Per Chriſtũ plus nobis accedit, quàm per Adam eſt deperditum.

Peccata futura virtute baptiſmi tolluntur.

hiberet

hiberet ſibi ipſe glorioſam non habentem maculam aut rugam: ſic inquam accipiendū, vt eodem lauacro regenerationis & verbo ſanctificationis omnia prorſus mala hominum regeneratorum mundentur atq; ſanentur, non ſolùm peccata, quæ omnia tunc remittuntur in baptiſmo, ſed etiā, quę poſteriùs humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur. Ipſo enim, quod ſemel datum eſt, non ſolùm anteà, verùm etiam poſteà quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetratur. Quid enim prodeſt vel ante baptiſmum pœnitentia, niſi baptiſmus ſequeretur vel poſteà, niſi pręcederet? ac per hoc, inquit, non ſolùm omnia peccata, ſed omnia prorſus hominum mala Chriſtiani lauacri ſanctitate tolluntur. Sed eo ſenſu hæc dicuntur, ſic ut ipſe explicat, quòd ſolis baptizatis ſacramentum pœnitentiæ & alia peccatorum remedia ſunt vtilia, non autem quod in eo perpetua offeratur propitiatio, ad quam ſemper habeatur recurſus, vt ex eius recordatione peccata ſemp remittantur & orationes exaudiantur, vt docent Philippus, & Ioan. Caluinus. Quęq; enī ſacramenta ſuos habent effectus peculiares, qui tñ vniuerſi baptiſmalem præſupponunt effectum. Et eodem ſenſu docet, quòd eius effectus erit perfecta renouatio ab omni vetuſtate & defectu, quæ fiet in regeneratione, quando ſedebit Filius hominis in maieſtate ſua, hoc eſt, quando fiet omnium mortuorum vniuerſalis reſurrectio, libro 3. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 3. & lib. 2. de gratia & peccato originali, cap. 39. An tamen ſicut Baptiſmus à ficto ſuſceptus, ſecundum eundem Auguſtinum ſemel valere incipit ad ſalutem, cùm fictio veraci corde receſſerit, & cum Sacramento pœnitentiæ ſuum habet effectum: ita ſemper operatur vſque in finem vitæ, quando ceſſat impedimentum, vel ſicut, qui dat eſſe ſecundum Ariſtotelem, dat & operari, propter quod motus grauium dicitur eſſe à generante, à quo eſſe accipiunt: an hoc ſenſu omnis peccatorum remiſsio, & profectus tribuatur Baptiſmo, per quem in Chriſto geniti ſumus diuinæ naturæ conſortes, & hoc intelligat Auguſtinus, præſens non requirit tractatio. Et eſt alius effectus Baptiſmi. Nam quòd per ipſum incorporamur Chriſto, dicit Apoſtolus in epiſtola 1. ad Corinth. in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus.

Baptiſmi effecta.

Per Chriſtū plus nobis accedit, quàm per Adam eſt deperditum.

NEC vnquam eſt iterandus, cùm ſit regeneratio, quæ vnica eſt, vt generatio naturalis vna eſt vnius hominis. Et tempore legis non iterabatur circuncifio. Vnde Auguſtinus tractans verba Nicodemi: Nunquid poteſt in ventrem matris iterato introire, & renaſci? dicit tractat. 11. ſuper Ioan. Sic tu intellige generationem ſpiritus, quomodo Nicodemus natiuitatem carnis: quomodo enim vterus non poteſt repeti, ſic nec baptiſmus. & lib. 2. contra literas Petiliani, ca. 72. Sicut non ſecundò circuncidebatur, qui ſemel erat circunciſus etiam à peſsimis ſacerdotibus, ita nec rebaptizandus. Et lib. 2. contra epiſt. Parmeniani, cap. 13. docet baptiſmū amitti non poſſe, nec characterem quem impreſsit, adducens exemplum de milite deſertore exercitus, qui ſeruat characterem quanquam corporalem, nec ei reſtituitur, quando ad ducem quem deſeruerat, reuertitur: ita videmus apoſtatas à fide, non carere baptiſmate, quibus nec reſtituitur per pœnitentiam redeuntibus. Et Apoſtolus Paulus ad Epheſ. ſcribit: Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptiſma. Et veriſimilius eſt, quod iteratus nō eſt ſacramentum, nec effectum habet ſalutarem, ſi etiam ſine culpa fiat iteratio, iuxta ſententiam Apoſt. ad Hebræos. Impoſsibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam. Et ad Rom. 6. docens Baptiſmum eſſe figuram mortis Chriſti, per quam peccato morimur, & in nouitate vitæ reſurgimus. Super quo celebratum eſt Concilium plenarium eccleſiæ ante tempora Auguſtini, in quo definitum eſt, nullo caſu baptiſma eſſe iterandum, vt dicit lib. 2. contra Donatiſtas, cap. 9. Et poſteà ſub Clemente Quinto definitum eſt, vnicū eſſe Baptiſma. Et in Concilio generali ſub Innocentio tertio, & in Concilio Florentino traduntur tria ſacramenta eſſe initerabilia, & in Concilio Tridentino. & Leo Papa ad Nicetam epiſcopum ſcribit, quòd nullo caſu Baptiſmus iterari poteſt. Et ad Neoniā Epiſcopum Rauennatem, eſſe inexpiabile ſcelus, quoties cogitur aliquis lauacrū, quod regenerandis ſemel tributum eſt, bis ſubire. Sed non oportet hìc multum laborare, quando in iſto nobiſcum conueniunt aduerſarij, imò & Anabaptiſtæ, qui docent infantes baptizandos eſſe, cum ad vſum peruenerint rationis, non quòd Sacramentum iterari debeat, ſed ritè conferendum, quod prius inaniter & ſine fructu contra Domini inſtitutionem fuerat miniſtratum.

Peccata ſacra virtute baptiſmi tolluntur.

Hebr. 2.

Rom 6,

EX hac articuli declaratione manifeſtum fit quòd erronea & impia eſt opinio Ioannis Caluini, quam in peſtilēti ſuo antidoto actorum Concilij Tridentini contra eiuſdē definitionem de neceſsitate Baptiſmi tradit, quòd paruuli ex fidelibus parentibus geniti, ſine Baptiſmo ſaluantur ſola Dei promiſsione facta Abrahæ, Geneſ. 17. quòd Deus erit ei, & ſemini eius poſt eum: eſt autē Deus ijs ſolis, vt ipſe interpretatur, quibus gratiam & ſpiritum ſuum impartitur, propter quam dicit Apoſto. Paul. ad Corinth. docere, ſanctos naſci filios, qui ex altero parente fideli naſcuntur.

Quòd ſine baptiſmo paruuli nō poſſunt ſaluari.

Infantes, inquit, Patribus Concilij à regno Dei arcere libuit, qui ante erepti ſunt ex hac vita, quā offerri ad baptiſmum potuerint, quaſi de nihilo dictum ſit, eos naſci ſanctos, qui ex fidelibus naſcuntur: imò quo iure ad baptiſmum eos admittimus, niſi quia promiſsionis ſunt hæredes? niſi enim iam ante ad eos pertineret vitæ promiſsio, baptiſmum prophanaret quiſquis illum daret: quòd ſi Deus in regnum ſuū eos adoptauit, quanta iniuria fit promiſsioni, quaſi per ſe ad illorū ſalutem nō ſufficiat?

Ioannes Caluinus.

incluſa eſt enim infantium ſalus in promiſſione, qua fidelibus teſtatur ſe fore illis in Deum & ſemini eorum, & hac ratione ſibi naſci pronunciabat, qui ex Abraham ducerent originem, huiusq; promiſſionis beneficio ad baptiſmum recipiũtur, quia cenſentur eccleſiæ membra: non à baptiſmo igitur initium habuit eorum ſalus, ſed quæ tam in verbo fundata erat, baptiſmo obſignatur. At obtrudunt, inquit, ſententiã Saluatoris: Niſi quis renatus fuerit in aqua & ſpiritu ſancto. Primum ſi aqua baptiſmum illis ſignificat, quis eis concedit ſimul etiã ſignificare baptiſmi ſuſcipiendi votum: habet enim definitio Concilij, quam impugnat, quod tranſlatio in ſtatum gratiæ non poteſt fieri ſine lauacro regenerationis, aut eius voto. At ſi dicam alium loci ſenſum, ac quoſdam ex veteribus ſecutus, aquæ nomen pro mortificatione accipiam, non erunt opinor tam infeſti, vt me proptereà hæreticum iudicent. Ego tamen epitheti vice additũ interpretor; vt vim naturamq; ſpiritus exprimeret: neq; enim efficient vt magis hic aqua ſumatur pro baptiſmo, quam alibi ignis pro quolibet ſacramento, cùm dicitur in Spiritu ſancto & igni.

Dogmatum Caluini depræhenſio. *Gen. 17.* Cui ſententiæ reclamant ſcripturæ ſacræ & generalium Conciliorum & omnium maiorum definitiones. Manifeſta eſt enim ſcriptura, quòd anima paruuli, qui non fuerit octauo die circunciſus, de populo ſuo peribit, hoc eſt, interibit æterna morte, vt interpretatur B. Auguſtinus lib. 2. de gratia & peccato originali, cap. 30. & 16. de ciuit. Dei, cap. 27 & lib. 6. Hypognoſticon. lib. 2. de nup. & concupiſc. cap. 11. & lib. 2. contra Iulianum in fine: Perire, inquit, de populo ſuo, eſt non introire in regnum cælorum. Idem lib. 3. ca. 18. & lib. 6. cap. 3. Per circuncifionem igitur expiatum eſt peccatum originale, infanteſque Hebræorum Chriſto inſiti, & citra illius remedium mortui damnabantur. Quod docet & B. Cyprian. de circunciſione & Baptiſmo, epiſt. 8. lib 3. Nec nouam doctrinam tradunt, ſed eam quæ ſemper fuit eccleſiæ Catholicæ, & omnium Catholicorum ſcriptorum: etenim in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, vt ait Apoſtolus Paulus & B. Petrus, corde compunctis petentibus quid facerent, vt in gratiam Dei redire poſſint, conſulens, Vnuſquiſq; veſtrûm, inquit, in nomine Ieſu baptizetur in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus ſancti. Eſt enim Sacramentum regenerationis & renouationis. Non igitur ante Baptiſmum, peccatorum remiſſionem & donum hoc acceperant.

Paruulos nõ naſci ſanctos nec filios Dei. *Rom. 4.* QVod autem naſcantur ſancti, filij & hæredes Dei, quotquot ex fidelibus naſcũtur parentibus, ſcripturis aduerſatur: qua teſtantur, oẽs nos naſci filios iræ, & peccato ac damnationi obnoxios. Nam iudicium ex vno, ait Apoſtolus Paulus, in condemnationem, & per vnius delictum in omnes homines in condemnationẽ: & in quo, inquit, omnes peccauerunt. Nec verba eiuſdem Apoſtoli, 1. ad Corinth. cap. 7. ſenſum patiuntur, quòd huiuſmodi paruuli ſancti & mundi à peccato naſcuntur. Nam eodem loco dicit, quòd ſanctificatus eſt vir infidelis in muliere fideli: certum eſt autem, quòd non ea ſanctitate, quæ eſt immunitas à peccato & à ſpiritu inhabitante, dicẽte Saluatore, quòd nõ habebit vitam, qui incredulus eſt filio, ſed ira Dei manet ſuper eum. Et cùm Pelagius B. Auguſtino obijceret hanc ſententiam Apoſtoli, ex ea concludens, fidelium filios non eſſe baptizandos, reſpondet libro 2. de peccatorum meritis, cap. 26. Si de ſancto aliqua ſanctitas trahitur, illa talis non eſt, quæ prohibeat paruulum pergere in damnationem, ſi non baptizatur: quid ergo illis iſta ſanctitas prodeſt? Nam ſi damnare faterentur immundos ex infidelibus natos, ſanctos autem filios fidelium in Dei quidem regnum intrare non poſſe, niſi fuerint baptizati, non tamen damnari, quia ſancti ſunt, eſſet qualiſcunq; diſtinctio: nunc verò natos & de ſanctis ſanctos, & de immundis immundos æqualiter dicunt, & quia peccatum non habent, non damnari, & quia Baptiſmum non habent, à Dei regno ſeparari. Hanc abſurditatem talia ingenia non videre quis credat? Noſtræ autẽ imo ipſius Apoſtoli ſententiæ, qui dixit: Ex vno omnes ad condemnationem: & ex vno omnes, ad iuſtificationem vitæ, quàm non ſit contrarium hoc, quod tradit, cum de alia re ageret, alioqui filij veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt. paululum attende. *Auguſtinus.*

Non vnius modi eſt ſanctificatio: nam & catechumenos ſecũdum quendam modum ſuum per ſignum Chriſti & orationem, manus impoſitione puto ſanctificari, & quod accipiunt, quamuis non ſit corpus Chriſti ſanctum, eſt tamen & ſanctius, quàm cibi quibus alimur, quoniam ſacramentum eſt, verum & ipſos cibos, quibus ad neceſſitatem ſuſtentandæ vitæ huius alimur, ſanctificari idem Apoſtolus dixit, per verbum Dei & orationem, qua oramus vtique corpuſcula noſtra refecturi. Sicut autem iſta ciborum ſanctificatio non efficit, vt quod in os intrauerit, non in ventrem vadat & in ſeceſſum emittatur per corruptionem, qua omnia terrena ſoluuntur, videlicet ad aliam eſcam, quę non corrumpitur, nos Dominus exhortatur: ita ſanctificatio catechumeni ſi non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum regnum cælorum; aut ad peccatorum remiſſionem. Ac per hoc & illa ſanctificatio cuiuſcũque modi ſit, quam in filijs fidelium eſſe dixit Apoſt. ad iſtam de baptiſmo, & de peccati origine vel remiſſione, quæſtionem omninò non pertinet. Nam & coniuges infideles in coniugibus fidelibus ſanctificari dicit, eo ipſo loco ita loquens: Sanctificatur enim vir infidelis, & cæt. nunc autem ſancti ſunt. Non opinor quiſquam tam infideliter intelligit, quodlibet in his verbis intelligàt, vt ob hoc exiſtimet etiam maritum non Chriſtianum, quia Chriſtiana fuerit vxor eius, neque iam baptizari oportere, & ad peccatorũ remiſſionẽ peruenisse, & in regnum cœlorum *Varia ſanctificationum genera.* *Sanctificatio filijs Chriſtianorum tributa à Paulo nihil ad baptiſmum pertinet.*

rum

rum eſſe intraturum, quia ſanctificatus dictus eſt in vxore. Quiſquis verò adhuc mouetur, quare baptizentur, qui iam de baptizatis naſcuntur, hoc breuiter accipiat. Sicut generatio carnis peccati, per vnum Adam in cõdemnationẽ trahit omnes, qui eo modo generantur, ſic generatio ſpiritus gratiæ, per vnum Ieſum Chriſtum ad iuſtificationem vitæ æternæ ducit omnes, qui eo modo prædeſtinati regenerantur. Sacramentum autem Baptiſmi profectò ſacramentum regenerationis eſt. & lib. 3. ca. 12. oſtendit, quę ſit Apoſtolo hæc ſanctificatio & ſanctitas. Et ob Pelagianos, qui ſuum dogma, hac Apoſtoli ſententia ſtabiliebant, ſæpè huius loci meminit & tractat, vt ſermone 14. de verbis Apoſtol. circa finem aduerſus Pelagianos, citans pro ſententia communi eccleſiæ beatum Cyprianum, & de ſermone Domini, lib. 1. vbi ſimplicem totius huius loci ponit intelligentiam.

D. Cyprian.

Et quanquam veteres non omninò conſentiunt in huius loci interpretatione, quæ ſcilicet ſit hæc ſanctitas & ſanctificatio: conueniunt tamen omnes, & ſine dubitatione ait B. Auguſt. lib. 3. de peccatorum remiſsione, cap. 12. hoc tenendum eſt, atque concorditer tenent omnes, quæcunque illa ſanctificatio ſit, non valere ad Chriſtianos faciendos, atq; ad dimittenda peccata, niſi Chriſtiani & Eccleſiaſtici inſtitutione ſacramenti efficiãtur fideles. Nam nec coniuges infideles quamlibet ſanctis & iuſtis coniugibus hæreant, ab iniquitate mundantur, quæ a regno Dei ſeparatos in damnationem venire cõpellit. Nec paruuli de quibuſlibet ſanctis iuſtiſque procreati, originalis peccati reatu abſoluuntur, niſi in Chriſto fuerint baptizati: id enim agit, inquit, illa diſputatio Pelagij, ſicut & nunc Caluini, contra cuius nouitatem antiqua veritate nitendum eſt, vt infantes omninò ſuperfluò baptizari videantur: ſimplex autem eſt & germana huius loci interpretatio, quam facit B. Hierony. lib. 1. aduerſus Iouinianum, quòd apud Apoſtolum ſanctum eſt fide candidatum, ſiue Chriſto iam animi deſtinatione deputatum: candidatus, inquit fidei eſt infidelis, ſi nolit à credente diſcedere. & ſimiliter interpretatur in epiſtola ad Paulinum, qui per literas ab eo petiuerat, quomodo ſancti ſunt ſecundum ſententiam Apoſtoli, qui de fidelibus, id eſt, baptizatis naſcuntur, cùm ſine dono gratię poſtea acceptæ & cuſtoditæ ſalui eſſe non poſsint. De hoc, inquit ipſe, problemate, Tertullianus in libris de monogamia diſſeruit aſſerens ſanctos dici fidelium filios, quòd quaſi candidati ſunt fidei, & nullis idololatriæ ſordibus polluãtur: ſimulq; conſidera, quòd & vaſa ſacra in tabernaculis legim', & cætera quę ad ritum cæremoniarum pertinent, cum vtique ſancta eſſe non poſsint, niſi ea quæ ſentiunt & venerantur Deum. Idioma igitur ſcripturarum eſt, vt interdum ſanctos pro mundis & purificatis atq; expiatis nominẽt, ſicut & Bethſabee ſanctificata ſcribitur ab immunditia, ſic & ipſum templum ſanctuarium nominatur. Et quamuis, vt diximus, varie hic locus intelligatur a patribus, quod intelliget, qui legit in Comment. B. Ambro. Chryſoſt. Theophilact. & Oecumenium. Nemo tamen ſequitur aut inſinuat hanc interpretationem Ioannis Caluini, Bullingeri, hoc eſt, Vlrici Zuinglij, quem huius hæreſis authorem habent, ſed alijs in locis oſtendũt eam cum ſcripturis pugnare.

Sanctificatio illa paruulorum nõ facit Chriſtianos.

Caluinus. Zuinglianus

Nam in comment. B. Ambroſius circa locum 1 Sanctificatus eſt enim vir infidelis, &c. ait: habere illos beneficium bonæ voluntatis oſtendit, quia horrorem nominis Chriſti non habent, & ad tuitionem hoſpitij pertinet, quod ſignũ in eo ſit crucis, quo mors victa eſt: ſanctificatio enim eſt, alioqui filij veſtri immundi eſſent: immundi, inquit, eſſent filij eorum, ſi dimitterent volentes habitare ſecum, & alijs ſe copularent: Eſſent enim adulteri, ac per hoc & filij eorum ſpurij, ideò immundi. nunc autem ſancti ſunt, quia de coniugijs licitis nati ſunt: & quia ſub Creatoris veneratione nati ſunt propenſiore parte: quia ſicut quicquid per dicationem Idolorum fit, immundum eſt: ita & quicquid ſub Dei creatoris profeſsione fit, ſanctum eſt. Nec minus erroneum eſt, quòd paruuli ſunt hæredes promiſsionum & membra Eccleſiæ antequã baptizãtur. Nam cùm in baptiſmo primum renaſcantur, & omnes in vnum corpus baptizati ſimus, in eo ſolo fiunt membra & filij Dei, ad quos ſolos pertinet hæreditatis promiſſio, dicente Apoſt. Si filius & hæres. Et Auguſt. de peccatorum meritis. cap. 27. lib. 1. De ouibus, inquit, Chriſti, quibus dat vitam æternam, paruuli eſſe non poſſunt, niſi per baptiſmum, & ideò ſi hoc non accipiunt, peribunt: vitam enim æternam, quam dat ſuis ouibus, non habebunt. vbi etiã oſtendit, quòd ſine baptiſmo nec Chriſtum habere poſſunt: & qui filium non habet, non habet vitam.

Paruuli per baptiſmum fiunt filij & hæredes.

ET longè aliter promiſsiones factas Abrahæ & ſemini eius interpretatur Apoſto. Paulus in epiſt. ad Rom. cap. 4. & 8. pertinere ſcilicet ad filios promiſsionis, non carnis, de quibus tamẽ Caluinus eas interpretatur: non enim omnes, qui ex Iſrael ſunt, hi ſunt Iſraelitæ: neq; qui ſemen ſunt Abrahæ, hi ſunt filij, ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemẽ, id eſt, non qui filij carnis, hi filij Dei, ſed qui filij ſunt promiſsionis æſtimãtur in ſemine. & alio loco: Ideo ex fide, vt ex gratia firma ſit promiſsio omni ſemini, non ei, qui ex lege eſt ſolum, ſed & ei, qui ex fide eſt Abrahę, qui pater eſt omnium noſtrum, ſicut ſcriptũ eſt, Quia patrem multarum gentium poſui te ante Deum, cui credidiſti. Et ideò Rupertus hæc verba pacti exponens lib. 5. Commenta. in Geneſim: Hoc pactum, inquit, in Chriſto eſt mediatore Dei & hominum, per quem ſolum Abraham factus eſt pater multarum gentium, imò pater omnium filiorum Dei: omnes enim quotquot filij Dei dicũtur & ſunt, non niſi per Chriſtum talem gratiam acceperunt, per quam redempti & Deo renati ſunt: at ille, ſcilicet Chriſtus ſecundum veritatem

Promiſsiones Abrahæ olim promiſſæ, an ad vniuerſos eius poſteros pertineant, vt Caluinus vult. Rom. 4. 8.

carnis aſſumptæ, ſemen Abrahæ eſt. igitur omnium quorum Deus pater eſt, omnium, inquit, illorum & Abraham eſt pater. Et diſtinctio, ait, quam fecit Deus, dicendo: inter me & te, & ſemen tuum poſt te, Item, vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui fœdere ſempiterno, ſic rectè accipienda eſt, vt in nomine Abraham omnes electos, qui ex carne ſimul & fide eius ſunt: in nomine autem ſeminis poſt ipſum omnes electos ex gentibus intelligamus, qui non quidem Caro & ſanguis Abrahæ, ſed per fidem ſeminis eius, quod eſt Chriſtus, ſemen eius ſunt. Et explicans quod ſequitur: Et tu ergo cuſtodies pactum meum, & ſemen tuum poſt te, tanquã diceret: meæ ſunt gratiæ, ſpontaneum cum homine pactum inire, hominis ſit tantum non negligere gratiam, & pactum Dei ſui non facere irritum. Nam ego quidem non prophanabo teſtamentum meum, & quæ procedunt de labijs meis, non faciam irrita, veruntamen quiſquis irritum fecerit, ego vltor exiſtam. Nam ex textu manifeſtum eſt, quod eſt pactum reciprocum, & promiſſio DEI conditionata. & ex hac argumentatione Caluini, & intellectu verborũ Geneſis ſequitur, paruulos ex fidelibus natos, non naſci in peccato originali, nec filios iræ: cum ſint filij DEI, & hæredes ex promiſſione Abrahæ facta, quando naſcuntur, ſicut libro ſecundo, de remiſſione peccatorum, capite vigeſimoquinto ait beatus Auguſtinus, ſuo tempore quoſdam docuiſſe, non eſſe opus, quòd paruuli baptizentur, quoniam ſicut Leui decimatus eſt per Abraham, quia in eius lumbis erat, quando decimas ſoluit Melchiſedech: ita paruulos baptizatos eſſe, quia in eorum lumbis erant: quando baptizabantur parentes.

Baptiſmus ſalutis primordium in fantibus. FAlſum eſt præterea, quòd non à baptiſmo initium habeat paruulorum ſalus, cùm Baptiſmus ſit in remiſſionem peccatorum, & in regenerationem, qua fiunt filij & cohæredes Dei: omnia tamen Dei beneficia, & paruulorũ Baptiſmus ab æterna Dei electione, vt frequenter dicit beatus Auguſtinus, originaliter proficiſcuntur? Non igitur de nihilo dictum eſt, quòd ſancti ſunt, qui ex fidelibus naſcuntur, ſed non tantum hæc ſanctitas valet, vt prohibeat ire in damnationẽ, ſi moriãtur ſine Baptiſmo. ad quid autem conducat, ſatis ex ſuperioribus conſtat. Et quos Dominus à regno ſuo arcet & excludit dicens: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei: quis tam potens, imò quis tam arrogans, qui cum Caluino eis regni aditum facere & aperire conetur? Nec ad Baptiſmum eos admittimus eò, quod ſunt promiſſionis hæredes: ſed vt filij, & ita promiſſionis hæredes fiant, ſicut olim circuncidebãtur vt fierent pacti hæredes, & in ſemine benedicerẽtur. Per Iordanem, ait Sanctus Hilarius in pſalm. 65. via nobis cæleſtis regni, & nouæ regenerationis lauacro, poſſeſſio æternorum *Hilarius.* corporum inchoatur. & beatus Hieronymus *Hieronymus.* in comment. in Ezechielem, ab eo tempore cenſemur ex quo in Chriſto renaſcimur. Falſum eſt etiam, quod prophanaretur Baptiſmus, ſi eis daretur antequam pertineret ad ipſos hæreditatis promiſſio: quia quũ ad infideles ethnicos non pertineat promiſſio, nec ipſos, nec eorum filios baptizare liceret: *Baptiſmus non prophanatur, paruulis communicatus.* Magna eſt temeritas hæc proponere, quaſi Fidei articulos, & doctrinam hanc damnatam & abſurdam per ea ſtabilire, quæ nullum habent in ſcripturis fundamẽtum, quin potius per eas dãnantur: quos autem Deus in regnũ ſuum adoptat, per Baptiſmum adoptat, ſine quo paruuli nõ fiunt filij Dei adoptiui. *Per baptiſmum adoptamur filij Dei.* Subiungit autem, quaſi omnium horum fundamentum, incluſa eſt, inquit, infantium ſalus in promiſſione, qua teſtatur ſe fore illis & ſemini eorum in Deum: Quaſi verò ſoli & omnes filij Abrahæ ſecundum carnem ad hanc pertinerent promiſſionem. Sed alienum eſſe hunc promiſſionis intellectum, manifeſtè ex ſententia Apoſtoli Pauli docuimus. Pro defenſione autem huius doctrinæ Henricus Bullingerus poſt ſuum præceptorem Vlricum Zuinglium ſic ſcribit in cõmentar. 1. ad Corinth. 7. *Henric. Bullinger. refutatus.* Hic obſeruandum, quòd Apoſtolus Paulus maritum nominat ſanctificatum, ſed liberos ipſos ex ſancta matre natos, ſanctos. hi enim virtute teſtamenti gratiæ & promiſſionis Dei, ſancti ſunt, nõ vtique virtute natiuitatis ſecundum carnẽ: ſunt enim filij promiſſionis. Nam verbum promiſſionis eſt: Ero Deus tuus, & ſeminis tui in ſempiternum, ſed maritus dicitur ſanctificatus, quantum vxorem concernit, propterea quod eius impuritas, neque vxori, neque liberis incommodat, propter quod nihil eorum refert, qualis ſit maritus. Sed vnde tibi conſtat Bullingere, quòd hi paruuli ſint filij gratiæ & promiſſionis hæreditatis cœleſtis? cum multò plures damnentur ex fidelibus nati parentibus, quàm eam conſequantur? quod certum eſt de adultis, qui in peccatis ſine pœnitentia moriuntur. Nam adultos non minùs complectitur promiſſio, quàm paruulos: ſicut igitur hanc Dei promiſſionem illis in hoc valere dices, quòd ſalutem conſequantur fidelium, hi filij adulti, ſi præſcripta ſibi in lege præſtiterint: ita & nos infantes, ſi adhibeatur baptiſmus, ſaluos fore docemus, & Dei filios. Nec omnes ſunt filij promiſſionis, qui ſunt filij ſecundum carnem: Et quos, precor, fideles intelligis parentes in ſententia Apoſtoli Pauli? Et ſi credentes vera & ſolida fide, quæ concomitantem habet charitatem Dei & proximi, & perfectam in omnibus obedientiam, hi certè pauci ſunt, nec de eis certò iudicare homines poſſunt, nec tamen, vt diximus, fidelium parentum, qui ſunt verè ſemen Abrahę filij, ſemper ſunt filij promiſſionis, ſicuti nec omnes filij Abrahæ ſecundum carnem, ſed in ſola Iſaac (ait Dominus) vocabitur tibi ſemen: nec fideles apud Apoſtolum eos intelliges, qui fide mortua & ſterili, ſicut dæ- *Fideles Bullingero, qui charitate flagrant.*

mones

mones credunt. Nam hos non agnoſcitis ſub fidelium nomine. Quomodo igitur tam audacter pronuncias filios eſſe promiſsionis & teſtamenti participes vniuerſos, qui ſecundum carnem à fideli parente naſcuntur? Infirma iſthæc ſunt Bullingere fundamenta, quibus iſthæc paradoxa ſemper ab Eccleſia damnata erigere conamini. Addit Bullingerus occurrens obiectioni: hac ſententia Apoſtoli, quod filij ſancti ſunt, non negatur inquit, originale peccatum, quod in carne quidem manet & vires in adultis exerit. Sed per gratiam & ſanguinem Chriſti tollitur, ne imputetur: manet igitur in huiuſmodi paruulis quando naſcuntur, ſicut eſt in eis baptizatis. Sed ſi non imputatur, non naſcuntur filij iræ & condemnationis, contra expreſſam ſentẽtiam Apoſtoli Pauli vt diximus, & ſe explicans, ſubdit, huius remiſsionis & pacti, inquit, Dei Sacramentum, hoc eſt ſignum, eſt Baptiſmus, cui apud veteres propter ipſam baptiſmi rem, & effectum attributa eſt originalis peccati emundatio. Non igitur in baptiſmo fit hæc emundatio ſed ſignificatur facta eſſe ex dei promiſsione. Hęc certè dicere eſt negare paruulos cum peccato naſci, ſi ad æternam mortem eius non imputetur, nec naſcentur filij iræ reclamante ſcriptura, quòd peribit anima paruuli non circũciſi octauo die de populo ſuo: & Domino Saluatore, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnũ Dei: ſed hanc autem ſuã ſententiam clarè explicat in libro quẽ ſcripſit de teſtamento ſiue fœdere Dei vnico & æterno, quod docet in hoc pacto, quod pepigit cũ Abraham Deus Gene. 17. conſiſtere, hocque ipſum nouum eſſe teſtamentum & vetus.

Parvulos nõ naſci filios iræ Bullingero.

Hîc inquit, obijciunt quidam. Ergo dum parẽs infidelis eſt, puer qui ab eo progignitur, fœdere excluſus eſt: & infidelem vocant, qui vita impuriore prophanat nomen Domini, quod aliàs ore confitetur. Cæterùm hi non expendunt, quòd parens ſemel populo Dei inſcriptus eſt, & quòd parentum culpa nõ redundat in filios, id quod Dominus apud Ezechielem capite. 18. multis indicat. Nam circunſi ſunt filij Iſrael & populus Dei appellati, tametſi prognati parentibus malis. & quouſque precor parentes intelligendi ſunt, an immediati ſoli? ſed & mediatos Ezechiel propheta complectitur: & ſi vniuerſi? vix infans inuenietur qui non aliquem parentum infidelem habuerit. & tandem verſus finem: Vnde nos colligimus infantes qui naſcuntur ex fidelibus, moriuntur autem priuſquam vel viuere cœperint, vel ſacro fœderis ſigno inter populum Dei aſſcribi potuerint, non poſſe huius loci præſidio damnari: de contemptoribus enim fœderis & de adultis loquitur Dominus: Maſculus cuius præputij caro, &c.

Bucerus cur neget paruulis baptiſmũ eſſe neceſſarium.

MArtinus vero Bucerus in Commentar. Matth. Tertio, de paruulorum ſalute ſine baptiſmo indicat, non ex hac Dei promiſsione quæ ſolum filios ſecundum ſpiritum complectitur, ſed ex æterna Dei electione.

Sacramenta, inquit, *ſigna tantum ſunt apud homines. Nec ideo paruulus ſaluatur, quia baptizatus eſt: multi enim baptizati ſtatim morientes damnantur, & alij non baptizati ſaluantur, in eadem tamen conſentit impietate, quòd ſine baptiſmo ex Dei prædeſtinatione ſaluari poteſt.*

Sicut Caluinus & Bullingerus quòd ex Dei promiſsione Abrahæ facta: & in eodem fermè errore fuit Vincentius quidam Pelagianus, contra quem Auguſtinus ſcribit libros quatuor, de anima & origine eius, vt patet libro ſecundo capite nono: & contra hunc errorem Caluini, Bullingeri, & Buceri, eſt aperta definitio Concilij Mileuitani, vt idem Auguſtinus docet lib. 2 contra 2. epiſtolas Pelagianorum, cap. quarto, citans etiam verba Innocentij Papæ ad eiuſdem Concilij Patres: illud verò, ait, quòd eos veſtra fraternitas aſſerit prædicare, paruulos æternæ vitæ præmijs, etiam ſine baptiſmatis gratia poſſe donari, perfatuum eſt. Eludunt autem & reſpondent noſtri aduerſarij ſcripturæ Geneſis decimo ſeptimo, quòd de adultis loquitur, qui ſoli poſſunt (vt aiunt) pactum iſtud facere irritum: & ſententiam Saluatoris ſecundum tropum interpretantur, & quoſdam ex veteribus dicit Caluinus nomine aquæ intellexiſſe mortificationem, neminem tamen nominans: ipſe autem epitheti vice aquam ſpiritui additam arbitratur. Bullingerus verò intelligit aquam & ſpiritum hoc eſt flatum, corporales: inſinuari tamen & intelligi vim & efficaciam ſpiritus refrigerantis, & pro hac interpretatione videtur citare beatum Cyrillum. cùm tamen is planè nobiſcum interpretetur de baptiſmo & aqua regenerante: hoc modo in ſcripturis, quando ſuo ſenſui non conueniunt, ludunt, tropos inducunt, aut ita habere dicunt veritatem Hebraicam, aut Græcè aliter legi. Certè omnium patrum & Conciliorum conſenſione de baptiſmo loquitur Dominus Nicodemo, quando dicit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c. & concordi eorum interpretatione locus Geneſis, paruulos in fœdere complectitur, quòd & ipſos in carne gerere oportebat, & ex more gentis ſecundum hanc legem octauo die circũcidebantur, quod & Euangelia de Ioanne Baptiſta & Chriſto domino teſtantur. & palam docent ſcripturæ, nos ex aqua naturali quando baptizamur, renaſci, ipſamque eſſe lauacrum regenerationis & renouationis. Et Philippo eunuchus ait, Ecce aqua, quid me prohibet baptizari? Ecquis tandem precor veterum Caluine interpretatus eſt aquam hîc mortificationem? Lege beatos doctores, Cyrillum, Auguſt. & quotquot veteres in Ioannem ſcripſerunt, & S. Baſilium, Cyprianum & alios patres Eccleſiaſticos, concorditer omnes aquam naturalẽ intelligunt in dicta ſententia Saluatoris, ſimiliter

Pelagianiſmus hodie ferè ab iſtis reuocatus.

Auguſtinus.

Conciliũ Mileuitanum.

Ridiculæ aduerſariorum eluſiones.

In aqua & ſpiritu ſancto quid.

Caluinus veteres aliquot anonymos ſibi citat.

Cyrillus falſo ab ipſis ſtare dictus.

Verus loci ſenſus, Niſi quis renatus fuerit ex aqua.

Aqua baptiſmi nõ eſt mortificatio, ſed aqua materialis & corporalis.

militer antiquus ille Clemens Petri diſcipulus in epiſtola, q̃ eſt ad Iuliũ & Iulianũ: cuius eſt & memorabilis ſentẽtia in epiſt. ad Eccleſiam Hieroſolymitanam. quòd ſcripturæ ſacræ nõ ſecundum propriam ingenij intelligentiam, & ad eum ſenſum quem ſibi vnuſquiſq; præſũpſerit, interpretãdæ ſunt, quodque ab eo intelligentiam ſcripturarũ diſcere oportet, qui eam a maioribus ſecundum veritatẽ ſibi traditam ſeruauit & cuſtodiuit Et B. Chryſo. hom. 24. ſuper Ioannem oſtendit, quod corporalis eſt aqua de qua dominꝰ: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſãcto. Et Dominus Ieſus verè baptizauit in ſpiritu & igne, quando ſub ſpecie ignis viſibilis ſuper centum & vinginti viros Spiritus ſanctus deſcendit: ſic enim hunc locum in comment. Lucæ 3. interpretatur Theophilactus & Euthymius Mat. 3. noſtris maioribꝰ hîc ſermo demonſtrat ſpiritus ſancti ſuper Apoſtolos in linguis igneis deſcẽſum: tunc enim in igne & ſpiritu ſunt baptizati. & quamuis ignis ſecundũ tropũ hîc intelligeretur tribulatio, opera gratiæ vel ipſe ſpiritus inflammãs vt etiã interpretari vidẽtur B. Hiero. & Chryſoſt. non tamen alia aqua intelligi poteſt, q̃ materialis, in verbis Saluatoris Ioannis 3. cũ paſsim ſcripturæ teſtentur in tali aqua fieri renaſcentiam. nec conſequentia ſermonis aliam intelligi permittit: & concorditer, vt diximus, Patres, & Concilia hanc aquam intelligunt. non enim ſunt ad tropos trahendę ſcripturæ, quando ſermonis proprietas nullam facit ſententię incommoditatem, & illam concorditer Patres ſequuntur & interpretãtur: nec tropis obſcuris erat inſtituendus Nicodemus adhuc Catechumenus, ſed ſermone proprio & claro. Ex quibus patet, quòd Martinus Bucerus in comment. Ioan. 6. male improbat Martini Lutheri ſententiam vere catholicam, quæ habet, quòd baptiſmus eſt viua & vera regeneratio, non quia eam ſolum ſignificat, ſed quia eſt medium & inſtrumentum, quo viua regeneratio nobis exhibetur: & aliud eiuſdem dictum, quòd Deꝰ decreuit non dare dona ſua, niſi per verbum prædicationis & ſacramenta. docet enim Buc. quòd ad perniciem ſacramenta ſuſcipit qui prius non eſt regeneratus.

Optima Martini Lutheri ſententia à Bucero peſsime damnata.

An Baptiſmi votum paruulos ſeruet.

EST autem quorundam catholicorum circa neceſsitatem baptiſmi pia quædam, ſed non ſecundum ſententiam & ſcripturas ſententia q̃ etiã magis porponunt quã aſſerunt, Quòd ſicut adultis ſufficit baptiſmus in voto ſuſceptus, ita & paruulis etiam antequam in lucem eduntur, ſuſceptus voto & fide parentum modò eius adhibeatur ſignum crucis aut aliquod huiuſmodi, & Deo offeratur in nomine Pãtris & filij, &c. & hoc quando articulus neceſsitatis baptiſmum excludit. hanc ſententiam proponit Ioãnes Gerſon, & Caietanus in commẽt. tertiæ partis, quæſt. 68. art. 2. & 11. & Gabriel diſtin. 4. quarti, quæſt. 2. ſed ſcripturæ aduerſatur: Niſi quis renatus fuerit, &c. ſine exceptione quo ad paruulos, niſi propter Chriſtum occidantur, & quò ad adultos, niſi baptiſmum excludente neceſsitate ex fide ad Deum conuertantur, vel moriantur pro Chriſto. hos enim ſolos ſecundum B. Auguſtinum aliæ ſcripturæ ab huius ſententię generalitate excipiunt. Aduerſatur & generali fidelium conſuetudini à temporibus Apoſtolorum obſeruata, de qua Auguſt. in epiſt. 28. quę eſt ad Hiero. quiſquis, inquit, dixerit, quòd in Chriſto etiam viuificabuntur paruuli, qui ſine eius participatione de hac vita exeunt, hic profectò & contra Apoſt. prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam, vbi propterea in baptizandis paruulis feſtinatur & curritur, quia ſine dubio creditur aliàs eos in Chriſto viuificari non poſſe: qui autem non viuificatur in Chriſto, reſtat vt in eadem damnatione maneat, de qua Apoſt. Per vnius delictum in omnes homines ad cõdemnationem. Eſt igitur hæc opinio quamuis in ſpeciem pia, contra Apoſtolicam prædicationem & inſtitutionem Eccleſiæ: ſed multo magis ſententia Caluini. Nam Eccleſia feſtinat & currit ad baptiſma paruulorum, quia credit ſine eo non poſſe ſaluos fieri. Et quæ eſſet religio ante rationis vſum eos baptizari? & quæ ratio huius inſtitutionis Apoſtolicæ, ſi ſine baptiſmo ſaluari poſſunt? longè enim decentius eſt vſum rationis exſpectare, vt ſua ſponte & arbitrio Chriſti familiam ingrediantur eius leges obſeruaturi, maioriq; deuotione ſuſcipiant ſacramentum, & ob hoc vberiorẽ fructũ: propter quæ quidem conſulunt differẽdum Sacramentũ Confirmationis vſq; ætatẽ adultam. imò & B. Greg. Nazianzenus in oratione in ſacrum lauacrũ, differendum infantium Baptiſmũ iudicat, quando non imminet mortis periculum. Quid, inquit, de infantibus ais, qui neq; quid gratia, quid ve ſit pœna cognorunt, non & illos baptizemus? maximè quidem ſi periculum aliquod imminet: melius eſt enim nondum rationis compotes ſanctificari, quã non ſignatos & initiatos vita excedere, idq; nobis deſignat poſt octauam diem circuncifio illa, quę figurale fuit ſignaculum. De alijs verò conſilium do, vt triennium expectent, aut paulò minus ſeu plus, vt & quid myſticum audire & reſpondere poſsint, & ſi non perfectè attamen ſingulariter intelligant. Quamdiu autem adultorum & paruulorum baptiſmus differri poſsit (nam de certo tempore nullum habemus præceptum Euangelicum: quale tamen olim erat de circunciſione) tractat B. Thom. in 3. parte, quæſt. 68. art. 3. Adducunt autem pro hac ſua opinione duo argumenta. Nam fides parentum inquiunt, non fuit maioris virtutis apud veteres, quã nunc eſt apud nos, Sufficiebat autem non ſolum ante circũciſionem inſtitutam vniuerſis, verum etiam toto tempore legis fœminis & maſculis ante octauum diem morientibus: hi enim ſaluabantur per benedictionem ſeu oblationem factam ex fide parentũ, & deſiderio circunciſionis: & fidei operanti apud veteres additus intelligitur baptiſmꝰ,

Gerſon. Caietanus. Gabriel.

Apoſtolica prædicatio de paruulorũ Baptiſmo.

Sacramentorum vſus an differendus.

Soluuntur Gerſonis argumenta.

ait Cardina. Caietan⁹ ſub ratione poſsibilis hoc eſt, ſi adhiberi poſsit, & non aliter. Cui reſpondetur, primò, quòd fides foris proteſtata ſacrificio, vel alio ſigno ſenſibili, tunc erat ſacramentum, vt ſuperius diximus ex B. Aug. & ita operabatur virtute Dei ex pacto aſsiſtentis, & non ea quā ex ſe habebat, quæ credentis perſonā excedere non poteſt, nec iuuare alterum niſi orando, &c. & per inſtitutionem circuncisionis nō fuit vetus remedium amputatū, ſed in ſua efficacia manebat quoad fœminas ſimpliciter, & quoad maſculos ante octauum diem: & ideò non mirum, ſi maſculis ante octauum diem morientibus etiam valuerit, ante quem nec licebat, nec præceptum erat, circuncidere. Sed quod in neceſsitate poſt octauum diem paruulo valuerit, ſcripturæ aduerſatur: Maſculus cuius præputij caro, & cæt. Inſtituto autem baptiſmate, vniuerſa remedia vetera penitus ſunt abrogata, dicente Domino: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & cæt. Secundò argumentantur, quòd nullum genus, nullamque conditionem vel ætatem hominum ſine ſalutis remedio Dominus reliquerit, qui vult omnes homines ſaluos fieri: Cui reſpondetur, certum eſſe multos a Domino relinqui paruulos, & adultos, quòd ſalutis remedia non adhibeantur: ex Dei enim prædeſtinatione proficiſcitur, quòd paruulus moriturus antea baptizatur. quod Beatus Auguſtinus docet lib. 2. contra 2. epiſtolas Pelagianorum cap. 7. cur ex duobus paruulis abſq; vnius diligentia & alterius negligentia, vnus abluitur Baptiſmo, & alter relinquitur? nulla certè præter voluntatem Dei, eſt cauſa, qui nemini eſt debitor, & ideo nemini facit iniuriam ſi hunc deſerat, illum verò eligat. & idē fuſius de peccatorum meritis, ca. 21. de quo copioſè tractat M. N. Dominicus à Soto lib. 2. c. 10. & Andreas de Vega. Et certè hanc Dei pietatem, qua ſine ſacramento paruulos ſaluaret, nec Patres, nec Concilia nouerunt, eò quòd ſcripturis non eſt conſentanea.

Puerorū baptiſmus miſerè torquet aduerſarios.

Circa paruulorum Baptiſmum, an ſit ex Chriſti præcepto, & cum fructu baptizari poſsint, miras Martinus Lutherus, Philippus, Caluinus, Martinus Bucerus, patiuntur anguſtias, nec plenè eas effugere valent, qui docent nihil eſſe credendum, quod non claris ſcripturarum teſtimonijs probari poteſt: atque impiam eſſe opinionem, quæ tradit ſacramenta ex opere operato conferre gratiam & peccatorum remiſsionem: hancq; non obtineri, niſi fide apprehēdatur promiſſio gratiæ, quam per ætatem infantes apprehendere non poſſunt. vtrunq; enim principium, ex quo multa dogmata peſtilentia deducunt, recantare coguntur, ſi ad remiſsionē peccatorum vtilem eſſe confitentur infantium baptiſmum: & ideò Anabaptiſtæ eis obijciunt, quod ſuum dogma ab eis didicerunt, ipſoſque habeant ſui dogmatis Magiſtros & auctores: Non enim aliam ſcripturā Philippus adducere poteſt, quantumcunque conetur in libello contra Anabaptiſtas, & in

Anabaptiſtæ ſuū ſeſe dogma à Lutheranis hauſiſſe confitentur.

Apologia circa articulum nonum ad probandum infantes ad ſalutem baptizari, quàm locum Geneſis 17. Ero tibi in Deum & ſemini tuo poſt te, quem tamen non ſicut Caluinus & Bullingerus intelligit. Docet enim & rectè poſt ſuum præceptorem Martinum Lutherum, quòd ſine baptiſmo nō poteſt ſalus paruulo contingere: ne tamen ex opere operato conſiteatur gratiam conferri ad Fidem, vel ſaltem fidei initia, hoc eſt, ad motus quoſdam fidei & dilectionis paruulorum, in quibus nulla adhuc eſt diſcretio, contra ſenſum hominum communem, eam refert. quæ ſententia tandem comprobata eſt in ſolemni ſynodo wittenbergæ celebrata anno 36. 23. Maij in ædibus Martini Luthe. cui intererant Martin. Buce. & multa ſectarum capita, vt aliqua ſaltē iniretur concordia ſuper huiuſmodi perplexitatib. quibus ex ſuis principijs implicabantur, vt in miſcellaneis narrat Ioan. Coclæus: habent autem acta hoc modo:

Melanchthoni baptiſmus eſt paruulis neceſſarius.

Concillabulum VVittenberg.

De Baptiſmo infantium omnes ſine vlla dubitatione cōſenſerūt, quòd neceſſe ſit infantes baptizari. Cùm enim promiſsio ſalutis pertineat etiam ad infantes, & pertineat non ad illos, qui ſunt extra eccleſiam, neceſſe eſt eam applicare infantibus per miniſterium, & adiungere eos membris Eccleſiæ. Cumq; de talibus infantibus, qui ſunt in Eccleſia, dictum ſit: Non eſt voluntas patris, vt pereat vnus ex illis conſtat infantibus per Baptiſmū contingere remiſsionem peccati originalis, & donationem Spiritus ſancti, qui in eis efficax eſt pro ipſorum modo. Reijcimus enim errorem illorum, qui imaginantur infantes placere Deo, & ſaluos fieri ſine actione aliqua Dei, cum Chriſtus clarè dicat: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt, &c. Etſi igitur nos non intelligimus qualis ſit in infantibus, tamen certum eſt in eis nouos & ſanctos motus effici, ſicut & in Ioanne in vtero noui motus fiebant Nam etiamſi nō eſt imaginandum, quòd infantes intelligant, tamē illi motus & inclinationes ad credendum Chriſto & diligendum Deum ſunt aliquo modo ſimiles motibus fidei & dilectionis: hæc dicimus quum infantes habere fidem dicimus: ideò enim ſic loquimur, vt intelligi poſsit, quòd infantes nō fiant ſalui & ſancti ſine actione diuina in ipſis. Quanquam igitur mos eſt alicubi. vt certis diebus publicè adminiſtretur baptiſmus, tamen docendi ſunt homines, ſi quid periculi eſt vitæ infantium, vt eos interim baptizari curent. & miniſtri debent talibus impartiri.

In qua definitione multum receſſum eſt à dogmate Lutheri, cui in ſermone Dominicæ tertiæ poſt Epiphaniam, & in comment. ad Galatas cap. 3. circa locum: Ex operibus legis ſpiritum accepiſtis, non ſufficiunt initia fidei, ſed eandem fidem in pueris requirit tēpore baptiſmi, quam ab adultis Certè clariſſimè teſtatur hęc ipſa definitio, viros alioqui doctos & in ſcripturis exercitatos, cæcitate & ſpiritu erroris percuſſos & in meridie quaſi in tenebris palpare, vt veritates apertas ſeſeque offerentes non videant, ſed palam

Lutherus ſuum dogma innouat.

auerſentur etiam, adeoque impugnent, Samenta ſcilicet ex opere operato conferre gratiam, nec ex claris ſcripturis poſſe omnia credenda probari. Rectè ſentiunt contra Anabaptiſtas & Zuinglianos, quòd neceſſe ſit infantes baptizari, vt ſalui fiant: in quo damnant apertiſsimè & hæreſim Caluini ſuperiùs ex antidoto narratam, & Martini Buceri in commentar. Euangelij ſecundum Matthæum, quanquam præſens fuerit & ſubſcripſerit. Sed inquiramus an ex claris ſcripturis adferant probationum teſtimonia. Cùm enim, inquiunt, promiſsio ſalutis pertineat etiam ad infantes, & pertineat non ad illos, qui ſint extra eccleſiam, neceſſe eſt eam applicare infantibus per miniſterium, & adiungere eos membris eccleſiæ: pugnantia ſunt iſta, & ſcripturis aduerſantur. Nam pollicitationem ſalutis & ſpiritus per fidem accipi, & ſcripturam omnia concluſiſſe ſub peccato, vt promiſsio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus, docet Apoſtolus Paulus ad Galat. ſub nomine fidei intelligens & fidei Sacramentum. Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum, ait, induiſtis. Non enim pertinet hæreditatis vitæ & ſalutis promiſsio, niſi ad eos, qui ſunt filij & oues: baptiſmus autem facit tales, & ad Chriſtum pertinere, vt docet ex ſcripturis B. Auguſtinus ſuperius citatus ex lib. 1. de peccatorum remiſsione, cap. 27. Non igitur ſalutis promiſſio ad infantes pertinet, niſi fuerint baptizati: Non enim intrabit in regnum cælorum, quod non fuerit renatum ex aqua & ſpiritu, ſed interibit de populo electorum Dei: nec ante baptiſmum magis ſalutis promiſsio ad infantes fidelium pertinet, quàm infideliũ: vtriſque baptiſmus miniſtrari poteſt. Et mirum, quòd dicunt ad hos infantes eam pertinere, & non ad illos, qui ſunt extra Eccleſiam: Nã paruulos ante baptiſmum certum eſt ex ſcripturis extra eccleſiam eſſe, cui per baptiſmũ incorporantur & inſeruntur, vt docet Paulus ad Rom. 6. & 1. ad Corinth. 12. In vno inquit, ſpiritu in vnum corpus ſumus baptizati: de quo Aug. loco nũc citato: & in epiſt. ad Dardanum, & de baptizatis dicit ſcriptura, Act. quòd adoptati ſunt & adunati numero diſcipulorum: Pugnantia itaq; ſunt, promiſſionem ſalutis pertinere ad infantes, & non ad eos, qui ſunt extra eccleſiã: cùm hi ſint extra eccleſiam, quamdiu nõ ſunt baptizati, & per Baptiſmum Chriſtum induunt, & in eccleſiam & Chriſti familiam recipiuntur. Et quibus precor ſcripturis hæc monſtroſa dogmata (ex quibus ſolis oſtenditis neceſſariũ eſſe infantes baptizari) comprobatis? & qui non permittitis nos ex Apoſtolorũ traditione & conſuetudine ſemper in eccleſia obſeruata, docere baptizandos eſſe infantes, ipſi cogimini extra ſcripturas probationem mẽdicare ex ſententijs abſurdis, & inuicem & ſcripturæ aduerſantibus: vt magis Anabaptiſtas in ſuo errare confirmetis, quàm conuincatis & errare monſtretis. Addunt autem in ſua definitione.

Lutherani Bucerũ, Caluinum, & Zuinglianos damnant.

Lutherani ſuis ſeſe verbis ipſi oppugnant.

Salutis promiſsio nõ ad baptizatorũ filios, ſed baptizatos ipſos pertinet.

Cùm enim hæc promiſsio ſalutis ad infantes etiam pertinet, quibus tamen non applicatur niſi baptiſmo, neceſſarium eſt eis huiuſmodi miniſterium, quo fiant ſalutis promiſſæ participes, & membris Eccleſiæ adiungantur.

Et hoc eſt, quod nos docemus, ex opere operato conferri peccatorum remiſsionem, hoc eſt, per baptiſmum adhibitum. Nam qui ante baptiſmum non erant ſalutis promiſſæ participes per ipſum, quia ſcilicet baptizantur, participes fiunt, ſine ipſorum operatione. Et mirum quomodo ad infantes pertineat hæc promiſsio, priuſquam eis applicatur, & tamen pertineat ſolum ad eos, qui ſunt in eccleſia? & quomodo ad quoſdam tantum, & non ad omnes etiam Turcarum filios? & ad infantes magis quam ad quoſlibet adultos? & ſi tempore legis ad omnium Iudæorum filios, fidelium tamen bonorum & malorum, etiam quando Idola colebant: & ſi ſic, quare damnantur, ſi ſine baptiſmo nunc moriantur? Et idem quæritur de Chriſtianorum filijs. Et neceſſarium eſt, quòd ſunt extra eccleſiam, qui nondum eccleſiæ membris ſunt adiuncti. Non poſſunt ad corpus pertinere, qui non agglutinantur eius membris. Et ſi dictum eſt de infantibus, qui ſunt in eccleſia: Non eſt voluntas patris vt pereat vnus ex illis, nihil commune habet cum infantibus nondum baptizatis. Et qua ſcriptura docetis hoc de paruulis puſilla ætate intelligendũ, non autem morum æſtimatione, quales ſunt infirmi, quaſi modò geniti in Chriſto, vt Chryſoſt. & Origenes interpretantur? vel ſi de puſillis ætate, vnde conſtat, quòd erant non circuncisi? Nec infans eſſe poterat hic paruulus, quem aduocauit ad ſe Chriſtus, & ſeries literę oſtendit ſenſum eſſe, Nõ eſſe voluntatem patris, vt pereat vnus ex his paruulis, qui ſcilicet ſe humiliauerint: Nam præcedit, Quicunque ergo humiliauerit ſe vt paruulus, hic maior eſt in regno cęlorum. Humilium itaque & de ſe modeſtè ſentiẽtium docet eſſe regnum cælorum. Nec ſequitur, Nõ eſt voluntas patris, vt pereat vnus ex his, ergo ad eos pertinet promiſsio ſalutis. Eſt enĩ voluntas patris, vt ad eam pertingant per ſacrum Baptiſma. Simili forma loquitur beatus Petrus, Patienter agit Dominus propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti, imo & ad baptiſmum, qui eius nõdum ſunt facti participes. Et quando iterum dicunt, per *Baptiſmum contingere infantibus remiſsionem peccati originalis & donationem Spiritus ſancti*, Nonne iterum confitẽtur id, quod in nobis impugnant: Infantibus dari gratiam ex opere operato baptiſmi, maximè quando addunt Spiritum ſanctum in eis efficacem pro ipſorum modo, quid hoc eſt, niſi ſine eorum ſpontanea cooperatione: adultis enim proprium eſt, quòd liberè cooperantur. Si autem intelligunt motus quoſdã ſimiles motibus fidei & dilectionis in paruulis, vt poſtea explicatur, & in adultis veros fidei actus, abſurdum eſt: cum per ętatem

Lutherani hic opus operatũ imprudentes ſtatuunt.

Opus operatum à Lutheranis confirmatum.

non

non habeant intellectus ſui, aut voluntatis vſum: vel ſeſe explicent qui ſint hi motus, quod non potuerunt nec experientia, nec ſcripturis. Hac autem probatione quaſi ex certiſsimis & clariſsimis ſcripturis apud hos viros conſtat, per baptiſmum infantibus contingere remiſsionem peccati originalis & donationem ſpiritus ſancti: qua probatione non mirum quòd Anabaptiſtæ in ſuo errore firmentur, cùm infirma ſit, & ex falſis aſſumptis procedat. Deinde reijciunt illorū errorem, q imaginantur infantes placere Deo, & ſaluos fieri ſine actione aliqua Dei, efficiēte ſcilicet in eis nouos & ſanctos motus ſicut & in Ioan. in vtero noui motus fiebant.

Anabaptiſtas confirmant Lutherani.

Nam etiamſi non eſt imaginandū, aiunt, quòd infantes intelligant, tamen illi motus & inclinationes ad credendum Chriſtum & diligendum Deum, ſunt aliquo modo ſimiles motibus fidei & dilectionis. Hæc dicimus inquiunt, quando infantes habere fidem dicimus.

Infātes quo ſenſu Lutheranis habeāt fidem.

Verè vos hæc dicitis primi, nec vnquam ſimile quid dictum eſt in Eccleſia catholica: & qua ſcriptura hoc veſtrum dictum probatis? Nam quod peculiari priuilegio contigit ſemel in Ioāne Baptiſta, non oportet ſtatim ad vniuerſos paruulos extendi: Ipſe enim erit magnus coram Domino, ait Lucas, & Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ. Nec tamen conſtat apud patres an hæc Ioannis exultatio & motus fuerit fidei aut charitatis ex ratiōe proficiſcens. De quo Auguſtinus in epiſtola ad Dardanum. Si vſque adeo (inquit acceleratus eſt in illo puero vſus rationis & voluntatis, vt intra materna viſcera iam poſſet agnoſcere & credere, quod in alijs paruulis expectat ætas vt poſſint, in miraculis habendum eſt diuinæ potentiæ, non ad humanæ trahendum exemplū naturæ. Nam quando voluit Deus, etiam iumentum loquutum eſt. Hi autem in ſua defenſione hoc Ioannis miraculum ad exemplum trahunt naturæ, omniumq; infantium qui baptizantur, vel ſunt circuncisi vnquam, nimirum vt tueantur ſuum dogma, quòd non fit remiſsio peccatorum niſi fide apprehendatur: quam fidem hîc extendunt etiam ad motus ſimiles motibus fidei, quibus paruulos hic docent illam quaſi apprehendere: Sed quia dicitis eos non intelligere, ætate hoc prohibente: qui ſunt hi motus ſimiles motibus fidei & dilectionis? an ſponranei ex libero procedentes arbitrio? an neceſſarij non ab ipſis, ſed in eis à Deo, ſicut locutio aſinæ Baal? ſed ſe expediunt.

Ioānis baptiſtæ factū nō ad humanæ naturæ trahendum exemplum

Paruulos nō habere motus ſimiles motibus fidei.

Non (inquiunt) intelligimus quales ſunt iſti motus, certum tamen eſt in eis eſſe.

Qua, precor, ſcriptura, experientia, vel ratione certum eſt eos paruulis ineſſe? Nos autem plana & communi via incedimus & docemus, quod in ſchola Chriſti, Eccleſia catholica, didicimus non fide, ſed ſacramento fidei in Baptiſmo paruulos ſaluari, & accipere ſui peccati remiſsionem fieriq́ue filios ac hæredes Dei: & ſcripturas requirentes ad peccatorum remiſsionem, fidem, & charitatem, interpretamur de adultis poſt definitionem ſedis Apoſtolicæ, in cap. Maiores, De baptiſmo & eius effectu, quanquam (vt ait ibi textus) dici poſsit, quòd infantes ſuſcipiant in baptiſmo fidem in habitu, vel in munere, non in vſu. Et vt docet beatus Bernardus Sermone 66. ſuper Cantica, Nemo mihi dicat, quod non habet fidem cui mater impartit ſuam, inuoluēns illi in Sacramento, quouſque idoneus fiat, proprio nō tamen ſenſu, ſed aſſenſu euolutam puramq́ue percipere, actione quidem diuina ſalui fiunt in baptiſmo, ſed qua eos regenerat & diffundit Spiritum in quo renaſcuntur, qui tandem ſeſe exeret & oſtentabit: In operatione autem huiuſmodi Dei non noſtra actio requiritur vt renaſcamur ex aqua & Spiritu. Non enim generationi poteſt cooperari ex qua eſſe accipit. Nec neceſſe eſt quòd regenerationi cooperetur.

Paruulorū Baptiſma vnde confirmandum.

EX quibus patere poteſt, quòd ſecuriſsima & firmiſsima eſt probatio B. Auguſtini libro 4. cap. 24. contra Donatiſtas, de baptiſmo, & ſuper Geneſim libro 10. cap. 23. & maiorum noſtrorum, Origenis libro 6. comment. in epiſtolam ad Romanos, & ante eum Dionyſij cap. vltimo Eccleſiaſt. Hierarchię, qua ex Apoſtolorum traditione & Eccleſiæ catholicæ authoritate, docent paruulos in ſalutem baptizari: & in æternum perire, ſi ſine baptiſmo migrare eos ab hac luce contingat. Nam quæ petitur ex ſcripturis, aut circuncisione, quæ typus erat baptiſmi, vt habet Apoſt. ad Coloſſ. 2. multum probabilis eſt, non tamen ſufficit apud quoslibet ad faciendam certam & infallibilem fidem: nec tam efficax eſt, quàm traditio Apoſtolica. Et referuntur quidem apoſtoli Baptizaſſe totas domos Act. 16. & 1. ad Corinth. 1. B. Paulus ſcribit, ſe baptizaſſe domum Stephanæ, ſed non conſtat niſi coniecturali argumento quod etiā infantes domus baptizarint. Nam in Actis dicitur ꝙ locuti ſunt verbum Domini cuſtodi carceris, cū omnibus qui erant in domo eius & ſtatim ſequitur: Et baptizatus eſt ipſe, & omnis domus eius continuo. Nam intelligi poſſet omnis domus cui loquuti fuerant, quæ erat ſolùm adultorum.

Baptiſmū Ioannis aliud eſſe à Chriſti Baptiſmo.

DOcent prçterea Baptiſmum quo vtitur & vſa eſt ſemper Eccleſia Chriſti catholica, eſſe inſtitutū à Ioan. Baptiſta, & Chriſtū nullū inſtituiſſe baptiſmum qui fiat in aqua. Sed cōuincūtur ſtatim verbis ſcripturę Actuū 19. quę apertè diſtinguit à baptiſmo Ioā. baptiſmū Chriſti. iuſsit enī Paulus Apoſt. eos q baptizati erāt baptiſmo Ioā. baptizari in nomine Domini Ieſu: audiens enim ait Lucas ꝙ in Ioan. baptiſmate baptizati eſſent, dixit: Ioannes baptizauit baptiſmo Pœnitentiæ populū, dicens in eum qui vēturus eſſet poſt ipſum, vt crederent hoc eſt in Ieſū quib. auditis baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu, & cū impoſuiſſet illis manus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos. Et idem oſtendit *Act. 19.*

Paruulos non fide, ſed fidei ſacramento ſaluari.

B. Cyrillus

Cyrillus. B. Cyrillus in comment. ſuper Ioannem, ex quęſtione Ioanni Baptiſtæ propoſita, & eius reſponſione: Hanc, inquit, ego quæſtionem diſpenſatione factam contenderim. Hinc enim incitatus ad longum & exquiſitum de Chriſto ſermonem Baptiſta, & quanta ſit inter baptiſmum & baptiſmum differentia, planè oſtendit: perſpexit enim non multò poſt aliquos futuros, qui aut nullā inter baptiſmos differentiam facerent, ſed pari laude vtrumq; coronarent, aut ob imperitiam meliorem eſſe baptiſmum Ioannis putarēt: nullum enim eſt tam turpe facinus, quod imperitia non audeat aggredi: nulla blaſphemia tam magna, vt aduerſus ſacratiſsima Eccleſiæ dogmata non dicatur libenter ab his, qui omnia (vt ſcriptum eſt) recta peruertũt. Ne igitur temerarij homines aquam Ioannis, qua in Pœnitentiam baptizabat, ſpirituali baptiſmo Chriſti anteferre auderent, cauſas tam turpis temeritatis euertit, ipſum Baptiſtam Euangeliſta exponit huius quæſtionis fragilem nodum dubitātibus ſuis diſcipulis diſſoluiſſe: Baptizabat enim Chriſtus per diſcipulos ſuos, Ioānes quoque ipſe non per alios, ſed manibus ſuis. Nam veluti lex Moſaica futurarũ rerum & ſpiritalis cultus præparatio quædam fuit, occultam veritatē parturiens: ſic baptiſmus Ioannis ad Baptiſmum Chriſti collatus, pręparationis vim obtinebat. Ideo enim propoſita quæſtione in magnificas Chriſti laudes Baptiſta prorupit, vt doceat nullam eſſe baptiſmatum comparationem, ſicut nec perſonarum. Et quando Euāgeliſta interpretatur, quod dixerat Chriſtum baptizaſſe, non quòd ipſe in ſua perſona baptizauerit, ſed diſcipuli eius, inſinuat ex eius inſtituto & mandato baptizaſſe: non enim vendicabat ſibi Chriſtus in diſcipulis officium Ioannis, ſed proſequens doctrinam Nicodemo traditam, eos baptizare iuſsit in aqua & ſpiritu aquam fœcundante & vim mentes purificandi tribuente.

Auguſtinus. Eandem doctrinam tradit beatus Auguſtinus lib. 5. de Baptiſmo contra Donat. cap. 9. & tribus ſequentibus. Et lib. 2. contra literas Petiliani cap. 37. illud (inquit) manifeſtum eſt ex ſcripturis, alium fuiſſe baptiſmũ Ioannis, alium Chriſti. Nam baptiſmus Ioannis ſolum erat in aqua Pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum, quæ expectabatur, & re ipſa fiebat in Baptiſmo Domini. Et beatus *Hieronymus* Hieronymus in comment. Ioelis 2. & aduerſus Luciferianos. Et ideo venerabilis Beda comparat Baptiſmum Ioannis Catechiſmo noſtro, Quantum, inquit, catechumenis nondum baptizatis eſt doctrina Fidei, tantũ profuit baptiſmus Ioannis ante baptiſma Chriſti. Et infirma ſunt argumenta Martini Buceri, quibus hanc veritatem Catholicam in Comment. Matthæi 3. impugnat circa locum, Et baptizabantur in Iordane ab illo. *Buceri argumenta diſſoluuntur.*

Argumentatur enim Ioannes, eos quos baptizabat, conſecrabat ſcholæ Chriſti, idem facimus & nos. fecerunt & Apoſtoli baptizando, & nos baptizamus in aqua in pœnitentiam, Chriſtus verò in ſpiritu & igne. Nā duplicis duntaxat baptiſmi ſcilicet in aqua & ſpiritu, Sacra Euāgelia meminerũt. Cum igitur nos baptizemus in aqua, non in ſpiritu & igne. ſimiliter & Apoſtoli, noſter baptiſmus eſt baptiſmus Ioannis, cui ſcriptura tribuunt baptiſmum aquæ in pœnitentiam.

Quibus reſpondetur, nos non ſolùm ſcholæ Chriſti conſecrare quos baptiſamus, ſed familiæ Chriſti & eius corpori eos vt membra adiungere, & aqua foris abluendo nouos homines facere: & infuſus per noſtrum miniſterium ſpiritus Chriſti, omnem peccati maculam & reatum abolet & abſtergit. Nam Chriſtus eſt, qui in noſtro baptiſmo noſtroque miniſterio animum intus baptizat. Nec baptizamus in pœnitentiam, ſicut Ioannes, ſed in nouitatem vitę, vt quæ retrò ſunt obliuiſcentes, feramur in anteriora, & ideo noſter baptiſmus eſt lauacrum regenerationis & renouationis, non pœnitentiæ, vt erat baptiſmus Ioannis. *Quid per Baptiſmũ ſuum faciant Catholici.* Nec tantum duos Baptiſmos nouit ſcriptura, ſed ad minimum tres vel quatuor: addit B. Chryſo. quintum, & Damaſce. ca. 10. 4. lib. Theologiæ quatuor alios: Meminit enim ſcriptura Baptiſmi in aqua tantum, & alterius in ſpiritu tantum, & tertij in igne & ſpiritu, & apud Nicodemum baptiſmi in aqua & ſpiritu per aquam operante. *Non tantum duos Baptiſmos agnoſcit Scriptura.* Nec baptizamus ex Chriſti mandato & inſtitutione in aqua tantum ſicut Ioannes: ſed per aquam & ſub aqua aſpergimus ſanguinem Chriſti, quo conſcientia à peccatis mundatur, vt ex aqua & ſpiritu renaſcantur filij Dei. Ex eo autem hic error Buceri naſcitur, quòd putat baptiſmum euangelicum eſſe ſignum tantum, non autem effectũ habere regenerationis, quodque baptiſmo aquę in externam, & baptiſmo ſpiritus in internam Eccleſiam aſſcribimur. *Buceriani erroris origo* Chriſtus Ioan. 3. docet baptiſmũ eſſe ex aqua & ſpiritu. & ideo non ſolum duos eſſe Baptiſmos in aqua ſcilicet & Spiritu, ſed tertium etiam qui fit in vtroque, imò & quartum in ſpiritu & igne.

Brentij error refutatur. TOlerabilior eſt opinio Ioānis Brentij, erronea tamē & à ſcripturis diſſentiens, in Homil. 21. & 29. commentariorũ in Euangelia ſecundum Lucam, quod Chriſtus quanquam nullum inſtituerit in aqua baptiſmum, (in hoc cum Bucero cōſentiens) à Ioanne tamen Baptiſta inſtituto ipſe ab initio virtutem dedit ſanctificandi & remittendi peccata: & hoc ſolo vſos eſſe Apoſtolos ante & poſt Chriſti mortem: ait enim:

Chriſtianiſmus, ſiue religio chriſtiana inſtituta eſt ab orbe & homine condito, quando ſerpēti dictum eſt, Ipſum conteret caput tuum: Ioannis tamen miniſterio Chriſtum, in quem omnes promiſſiones ſpectabant primò eſſe manifeſtatũ, qui propterea prim' eſt Chriſtianiſmi inſtaurator, primus miniſter, & Apoſtolus noui teſtamenti & Euangelij. Et huius, inquit miniſterio, inſtitutũ eſt ſacramentum baptiſmi, quo Eccleſia vtitur nunc, & vtetur vſque in ſeculi conſummationem. Iuſſerat

enim

enim ſpiritus ſanctus Ioannem prædicare Euangelium Ieſu, & baptiſmum inſtituere, ac baptiſmo peccata hominũ abluere: teſtatur enim de eo Euangeliſtæ, quòd baptizabat in remiſsionem peccatorum, & ideo vocatur Baptiſta, quia per eius miniſterium Dominus Deus noſter inſtituit Baptiſmum lauacrum regenerationis, per quod credentes in Chriſto renaſcuntur, & à peccatis abluuntur. Nam ſicut doctrina Ioannis nihil differebat à doctrina Chriſti & Apoſtolorum, ita nec baptiſmus. Non prædicabat baptiſmum pœnitentiæ, & Pœnitentiam, quæ duas partes complectitur: priorem quòd peccata agnoſcãtur: & alteram quòd propter Chriſtum credantur remitti, Ecce, inquit Agnus Dei, ecce, inquit, qui tollit peccata mundi, quibus partibus additur baptiſmus tanq̃ ſignaculum, quo remiſsio peccatorum credenti applicatur, & conſcientia credentis certificatur.

ET huius error ex eo naſcitur, quòd arbitratur ſacramenta operari ſignificando duntaxat, & mentem ad credendum excitando, quod circa articulum præcedentem eſt improbatum, tanquam ſcripturis repugnans. & palàm huic ſententiæ reclamat ſcriptura Act. 19. Cum enim Paulus Epheſi interrogaret quoſdã diſcipulos, an ſpiritum ſanctum accepiſſent credentes, & reſpondiſſẽt, quòd neque ſi ſpiritus ſanctus eſt audiuiſſent, quærebat: in quo ergo baptizati eſſent, quibus dicentibus, in Ioãnis baptiſmate, ait ille: Ioannes baptizauit baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens, vt in eum qui venturus eſſet poſt ipſum, hoc eſt in Ieſum crederent, quibus auditis baptizati ſunt in nomine Ieſu, & cum impoſuiſſet eis manus, venit ſpiritus S. ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. Vbi apertè diſtinguitur Baptiſmus Ioannis à Baptiſmo Chriſti, & ipſe frequenter confitetur, quòd in aqua ſolum baptizabat. Nec ſatisfacit Ioannis Brentij ad hanc ſcripturam reſponſio, quòd ea per ſpiritum ſanctum non intelliguntur communia eius dona, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria.

Reſponſionis Brentianæ reprehenſio.

Cùm enim, inquit, *eſſent diſcipuli Chriſti & in ipſum credebant, nouerant, quòd Dauid orauerat: Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Et ſimpliciter Spiritum ignorare non poterant, qui in Chriſtum etiam in ſpecie columbæ diſcenderat.*

Quaſi verò nullus tam rudis fuerit Chriſti diſcipulus, nec Iudæus, nec Ethnicus, qui hæc ignorarit quæ ignorant & nunc multi Chriſtiani.

Sed dona, inquit, illa ſpecialia intelliguntur, quæ in die Pentecoſtes diſtributa ſunt in baptiſmo ignis, & ita his auditis, baptizati ſunt in nomine Ieſu Chriſti, non in aqua, inquit, ſed baptiſmo ignis qui in die Pẽtecoſtes effuſus fuerat propter quod, cum impoſuiſſet illis manus venit ſpiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis.

SEd hæc interpretatio ſcripturam corrumpit: eſt enim contra conſuetudinem loquendi ſcripturarũ, quòd baptiſmus in nomine Domini Ieſu ab homine collatus fiat ſine aqua, & vt diximus, opponitur baptiſmo Ioannis baptiſmus in nomine Ieſu Chriſti: quem etiam diſtinguit à manuum impoſitione, per quam viſibiliter dabatur ſpiritus ſanctus & dona illa ſpecialia linguarum & prophetiæ. Et ideo Baptiſmus ille nõ poteſt intelligi Baptiſmus ignis, qui fiebat ad ſolam manuum impoſitionem: ait enim quaſi de duobus diſtinctis: his auditis baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu, & cũ impoſuiſſet illis (baptizatis ſcilicet) manus, venit ſpiritus ſanctus ſuper eos. & ex octauo ca. Act. & alijs locis conſtat, quòd ſpiritus ſanctus non dabatur viſibiliter in baptiſmo, niſi accedente manuum impoſitione, & ideo Apoſtoli miſerunt Samariam Petrum & Ioannẽ, vt baptizatis manus imponerent, & ſpiritum ſanctum acciperent: nondum enim in quenquam illorum, ait Lucas, venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Ieſu. Nec ſatis facit, quòd Ioannes fatetur ſe in aqua baptizare, propterea quòd ſua authoritate in aqua ſolum baptizabat, non in ſpiritu, & quòd Deus, qui idoneum fecerat miniſtrum, per eius miniſterium ſpiritum ſanctũ largiebatur. Quia ex ſcriptura iſta Act. & Euangeliſtis conſtat, baptiſmum Ioannis ſolum fuiſſe in pœnitentiam, & diſtingui contra baptiſmum Chriſti, quo fit renaſcentia ex aqua & ſpiritu ſancto.

Zuingliana interpretationis refutatio

MVltò autem minorem habet probabilitatem, quod Hulricus Zuinglius interpretatur hanc Scripturam Actuũ, de baptiſmo doctrinę, dicit baptizatos in nomine Chriſti poſt baptiſmũ Ioãnis, eò quod non fuerant plenè inſtituti & edocti, vt totaliter Chriſto fiderent & ab eo penderent, vt baptizatos eſſe in nomine Domini Ieſu, ſit doctos eſſe, vt plenè ei fidant: & ſemiplenè in doctrina Chriſti eſſe inſtitutum, ſit baptiſmo Ioannis eſſe baptizatum. Magnum apud hos viros, doctos tamen, eſt veteris doctrinæ faſtidium, quando ita torquẽt & peruertunt ſcripturæ ſenſum, vt ſuas contra rationem Eccleſiæ & patrũ doctrinam tueantur inuentiones. Zacharias in Cantico ſuo diligenter & plenè Ioannis præcurſoris Domini deſcribit officium. Et tu puer propheta altiſsimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius ad dandam ſciẽtiam ſalutis plebi eius, in remiſsionem peccatorum eorũ. Et ipſe: Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam. Et Marcus, Fuit in deſerto Ioannes baptizans & prædicans, non conferens baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum, vel qui ſignum erat pœnitentiæ, per quam fit peccatorum remiſsio, ita vt nõ per baptiſmum. Varię quidem ſunt de baptiſmo Ioannis & Apoſtolorum, ante mortem Chriſti, eiusq; efficacia veterum ſententiæ, B. Baſilij, B. Chryſoſt. quem ſequũtur Theophylact. & Euthymius, B. Cyrill. & Auguſt. In hoc tamen conſentiunt, quòd Chriſtus inſtituit baptiſmum, in quo ex aqua & ſpiritu ſancto renaſcimur, & hunc alium eſſe à baptiſmo aquæ, quo Ioannes

De Ioannis Baptiſmo veterũ ſententiæ.

annes baptizabat, fortaſsis & diſcipuli Chriſti ante eius mortem. Damnata eſt autem hæc Buceri & Ioã. Brentij doctrina in Concilio OEcumenico Tridentino, & etiam interpretatio verborum Saluatoris: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, &c. quę ad Metaphoram Ioannes Caluinus ea detorquet. Si quis, inquit, dixerit baptiſmum Ioannis habuiſſe eandem vim cũ baptiſmo Chriſti, anathema ſit. Et alius Canon: Si quis dixerit aquam veram & naturalem non eſſe de neceſsitate Baptiſmi, atque ideo verba illa Domini, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, ad metaphoram aliquam detorſerit, anathema ſit. Et decimus contra doctrinam Philippi de qua ſtatim dicemus, habet: Si quis dixerit peccata omnia quæ poſt baptiſmum fiunt, ſola recordatione & fide ſuſcepti baptiſmi, vel dimitti, vel venialia fieri, anathema ſit. Et decimusquartus cõtra conſilium Eraſmi, ſub iiſdem ferè verbis, anathema dicit, Si quis dixerit paruulos baptizatos, cum adoleuerint, interrogandos eſſe an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti ſunt. Et vbi ſe nolle reſponderunt, ſuo eſſe arbitrio relinquendos: Nec alia interim pœna ad Chriſtianam vitam cogendos, niſi vt ab Euchariſtia, aliorumq́ue Sacramentorum perceptione arceantur, donec reſipiſcant.

Malè explicat Philippus vſum & ſignificationem Baptiſmi.

Conſtat etiam ex articuli declaratione, quòd contra ſcripturas eſt explicatio vſus & ſignificationis baptiſmi, atque formæ eius, quam habet Philippus in catechiſmo.

Eſt enim, inquit, ſententia verborum Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ego miniſter mandato diuino hac caremonia teſtor, quòd iam ille Deus recipiat te in gratiam, qui eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, quodq́ ſic vult agnoſci & inuocari, quòd propter filium te recipiat, & ſpiritus ſanctus te ſanctificet, & ſit tibi opitulaturus, & inchoaturus nouam & æternam vitam. & ita, inquit, in his verbis comprehenſa eſt promiſsio, & ſumma Euangelij, & veri cultus deſcriptio. quare hac verba ſemper ſint nobis in cõſpectu, & perſonet nobis in auribus hac vox Dei paciſcentis nobiſcum, quòd vere velit nobis eſſe Deus: verè velit Filij beneficium, & Spiritum ſanctum nobis impartiri, verè curet & exaudiat nos propter hoc factum:

Miror & hic quomodo negare potes ex opere operato baptiſmum prodeſſe & conferre gratiam? quum dicas, *propter factum, Deum impartiri ſuum ſpiritum. ideoq́ Petrum dicere, Baptiſmum eſſe pactũ bonæ conſcientiæ erga Deum, hoc eſt, ſic ſentientis de Deo, quod verè nos receperit propter Filium, verè nos iã curet & exaudiat.* Vbi precor Philippe hoc mãdatũ dedit miniſtro Deus, vt teſtetur quod ſibi eſt ignotum, & plerumque contingit eſſe falsũ? multi enim fictè Sacramẽta ſuſcipiunt, quos in gratiam nõ ſuſcipit Deus, nec ſuo ſpiritu ſanctificat. non igitur ex mandato Dei miniſter teſtari poteſt, quòd nouam & æternam vitam in eis eſt per baptiſmum inchoaturus. Nec dici poteſt, quòd credentibus in Chriſtum ex Dei mandato hæc teſtetur miniſter, & non quibuslibet, cùm ſecundum eius doctrinam promiſsiones Dei de ſalute & vita in Chriſto ſint abſolutæ, ſine modo & conditione. Nec tamen credentes ſic ſuſcipit Deus & nouam vitam inchoat, niſi credant fide per dilectiónem operante, de qua non poteſt conſtare nec ei quidem qui baptizatur, vt circa articulum 8. dicetur, multo minus miniſtro. Quis enim hominum ſcit quæ ſunt in homine, ait Apoſt. niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? Et quæ ſcriptura ſic explicat hęc verba baptiſmi? Mirũ quòd Zuinglius & Mart. Bucerus eam non viderint, qui apertè falſam, & contra ſcripturam docent eſſe iſtã tuam interpretationem, vt reuera eſt: Nam ex aqua & ſpiritu sãcto renaſcimur quidem, vt ſimus filij Dei, & accipiamus peccatorum remiſsionem, ſi tamen pœnitet nos veteris vitæ, & in Chriſtum credimus, vt interpretatur in Act.B. Petrus. Et hoc ipſum efficaciter ſignificatur, quantum eſt ex parte ſacramenti, vt diximus circa articulum præcedentem. Sed de hac diſpoſitione, pœnitentia, & fide conſtare non poteſt miniſtro: & ideo ſi de remiſsione peccatorum perhibet teſtimonium, temerè teſtatur & perniciosè, ſi hoc dicat ſe teſtari ex mandato Dei, de quo mandatum non habet: & ſæpe cõtingeret, quòd Deum faceret mendacem. Et fallitur in eo Philippus, quòd intelligit hæc verba formæ baptiſmi quaſi purè enunciatiua & aſſertoria, non antẽ effectiua: ex eo enim quòd effectiua ſunt, ſignificatur effectus ſequi, quantum eſt ex parte ſacramenti, hoc eſt, diſpoſito eo qui baptizatur. Et verba Petri Apoſtoli, quæ in ſui dogmatis patrocinium mutat & torquet Philippus aliter, aliamq́ue ſententiam reddunt aliæ verſiones latinæ, non ſolum vetus, ſed & Eraſmica & Tigurina: habet enim editio Eraſmi, Quò fit vt bona conſcientia bene reſpondeat apud Deum: quam teſtatur Hẽricus Bullingerus optimè exponere idiotiſmum linguæ ſanctæ, & vulgatæ editionis quæ habet, Sed conſcientiæ bonæ interrogatio apud Deum. Et Eraſmum ſequitur Tigurina, apud quos nulla pacti vel ſtipulationis fit mentio. Et ſi donetur ei, quod legatur, ſicut poſt Martinum Lutherum ipſe citat, pactum bonæ conſcientiæ cum Deo vel ſtipulatio, ſicut citat in Locis, quomodo docebit quòd bona conſcientia intelligitur, conſcientia ſic de Deo ſentiens ex teſtimonio miniſtri, quòd nouam vitam induit? & in gratiam à Deo ſit receptus? Nam pacta intelliguntur ſaluis legibus & conditionibus ſecundũ quas ſunt inita. Explicans aũt Eraſmus in Paraph. Baptiſmus, inquit, ritè acceptus ſeruat ab exitio, ac diluit ſordes nõ corporum ſed animorum. Neque tamen ſatis eſt, quòd per baptiſmi diluuium periere peccata vitæ priſtinę, niſi adſit conſcientia, per omnem deinde vitam reſpondens diuino bene-

Melãchton & Bucerus & Zuinglius reprehendunt

Vera verborum, Ego te baptizo, intelligentia, Locus D. Petri, Baptiſmus eſt interrogatio.

no beneficio: ſicut Chriſtus mortuus eſt ſemel duntaxat, & reſurrexit, nunquam moriturus. Secundum veterem vero editionem, quæ habet, Sed conſcientię bonæ interrogatio in Deũ. B. Petrus docet, quod ſaluos nos facit baptiſmus, non quilibet, quia non Iudæorum, non Ioannis nec hæreticorum, ſed is in quo eſt interrogatio bonæ conſcientiæ, id eſt, in quo exigitur à miniſtro eccleſiæ, an baptizandus bonam habeat conſcientiã, & propoſitum rectæ fidei & vitæ Chriſtianę, an ſcilicet verè credat, & renunciet pompis diaboli: conſcientiæ, inquam, tendentis in Deum per fidem. Nec tamen baptizando ſufficit bonam habere conſcientiam, ait gloſa, niſi ad interrogationem eccleſiæ fidem ſuam oſtendat. Hoc ferè modo interpretatur venerabil. Beda. Alij interpretantur cauſaliter: Baptiſma enim abſolutionem ſonat. Et dicit Petrus, ſeſe non loqui de ablutione, quæ eſt depoſitio ſordium carnis, & mundat corpus: ſed de ea cuius effectus eſt, non ſolum purgatio ſordium animæ, ſed quæ poſt hanc facit inquiri & examinari conſcientiam, ſi in ea lateat, quod oculus Dei poſſit offendere. Facit prætereà, quòd baptizatus ſe interroget & inquirat coram Deo, & quomodo ad opus applicet cognitionem, qua in catechiſmo eſt inſtitutus, vt vitam ducat, quæ deceat ſuam vocationem. Pro maiori verborum B. Petri intelligentia, adijciemus interpretationem inſignis Theologi, Græcè & Hebraicè excellenter periti, & noſtræ ſcholæ Louanienſis Magiſtri, Domini Ioannis Haſſellani, cuius memoria apud Deum & homines in benedictione eſt, qui cum illum D. Petri locum apud publicum auditorium interpretaretur: Quomodo, inquiebat, Baptiſmus eſt interrogatio bonæ conſcientiæ erga Deum? eſt obſcurè dictum, ſi dixiſſet, eſt acquiſitio bonæ ſcientiæ, eſſet apertius. verus intellectus huius interrogationis petendus eſt ex 2. cap. Roman. vbi agitur de illis, qui non ſunt omninò cæci, ſed malè viuunt. Qui ergo credunt aliquas eſſe pœnas impiorum, & præmia iuſtorum, iſti cogitant: Deus eſt miſericors, ignoſcet: item eſt iuſtus, vlciſcetur. Tales cogitationes habebant philoſophi: erant enim adulteri: adulterium animorum faciebat eos ſolicitos de iudicio illo. Talis eſt interrogatio conſcientiæ, ſcio iudicium illud ſeueriſsimum futurum, quid mihi tum fiet? Malo igitur referre ad bonam conſciẽtiam in Deum, vt ſit ſenſus: baptiſma non corporalem effectum habet, licet corporalis ſit, ſed in conſcientia habet effectum ſuum, id eſt efficit, vt conſcientia habeat pacem, & deſinat cogitationibus accuſare, & defendere die qua iudicabit Deus occulta cordiũ. id enim eſt, quod habet, in Deum, quod ad Roman. 5. πρὸς τὸ θεόν. ad Deum, id eſt, erga Deum pacem habeamus. Vt magis iſtud appareat videndum, an D. Petrus Hebraiſmo hîc ſit vſus. Quædam enim verba apud Hebræos ſtudium habent inueniendi aliquid & interrogationem. Vnam petij a Domino: iuſtificationes tuas exquiſiui, interrogat Dei voluntatem vt faciat, ſic Petrus videtur miſcuiſſe duo ſignificata: primum videndum, in quo eſt poſita iſta interrogatio? ſecundum an habeas? Oecumenius ſatis accedit, in vna parte baptiſmi eſt arrhabo, pignus ἀπόδειξι. Qui enim bonarum rerum ſibi ſunt cõſcij, id eſt, qui inculpatã vitã amplectuntur, & habere præ omnib. quærunt, ac veluti ἐπερωτῶντες (ſiquidem id accidere ſolet quærentibus aliquid vt interrogent) hi ad Baptiſmum quoq; accurrunt. Iſtud mouet me propter com. Philip. Melancht. in Locis. cuperet interrogationem eſſe iuris vocabulum, quod vocant ſtipulationem, dicit: quicunque credit, accipit remiſsionem peccatorum. Sed quorſum ergo baptizatur? vt habeat ſignum, inquit, quo Deus teſtatur eum in gratiam receptum. Sed Catholici dicunt, ideò baptizatur, vt auferãtur peccata. Nam catechumenis credentibus in Chriſtum, non remittuntur peccata. Ille verò: vt baptiſmus ſit ſolũ ſignum & nõ cauſa remiſsionis peccatorũ, hoc eſt hæreticum. Nam etiam nos fatemur eſſe ſignum aliquando. Sed an ſignum in ſingulari, an ad te Ioannem gratia pertineat, ita videlicet, vt tam certò credas tibi remiſſa peccata, quàm ſi Deus noua aliqua voce teſtaretur, te ab ipſo in gratiam receptum? omnes veteres Theologi docent fieri poſſe, vt baptizatus re vera, propter occulta peccata ſit in odio Dei: item vt putet fornicationem & vſuram non eſſe peccatum. Sic nos ſperamus in ſacramento pœnitentiæ, ſed propter affectus tam multos ſæpè dubito an ego. Dicit ergo Melancht. voce Petri ſignificari ſtipulationem.

Interpretatio doctiſſimi viri D. Ioannis Haſſelani in locum Petri.

Nam Baptiſmus teſtatur promiſsionem gratiæ verè ad hunc pertinere. Et verba Baptiſmi vt proponunt promiſsionem & conſolationem: ita viciſſim poſtulant fidem & hanc obligationem, vt Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum agnoſcamus. De hoc fœdere dicit Petrus, quod eſt ſtipulatio bonæ conſcientiæ erga Deum, Deus profitetur ſe remittere, id conſcientia credens amplectitur.

Sicut ergo per ſtipulationem interrogatus promittit ſe facturum, ita vult in baptiſmo eſſe ſtipulationem, & baptizandum reſpondere, Credo tam certò mihi remitti peccata, quàm ſi Deus loqueretur. Sed deberet dicere: Ego benè confidò de me, ſed de virtute baptiſmi non dubito. Docet itaque ſtipulationem eſſe neceſſariam ex iſto verbo D. Petri: Baptiſmus eſt ſtipulatio, ergo eſt neceſſaria. Sed videndũ ſtudioſo, vnde iſtud habeat. Oecumen. doctus linguæ Grçcæ non vidit iſtam ſignificationem. Hæc, inquit Melancht. recta de Deo ſententia, eſt bona conſcientia. Iſtud indoctè dictum eſt, quòd ſcripturæ cõſcientiam ſemper ad effectum & vitam, nunquam ad intellectum referant: imò opponũt fidei. Sic monet Timotheum, vt ſemper curet eſſe bonæ conſcientiæ, ne ſit ſibi conſcius auari animi, aut impudici, quia iſtam repellentes naufragauerunt circa fidem, cùm permitterent ea ſibi, quæ ſciebant ſibi non lice-

Conſcientia indoctè à Melanchtone fidei tribuitur.

re ſecundum Chriſtum. Videtis ad vitam pertinere, & opponi fidei & dogmatibus. Videtis ergo indoctũ eſſe Melanchtonis commentarium. Si tractarẽt verba ſuſceptorum, eſſet vera ſtipulatio. Quorſum enim ſtipulatio, vbi non eſt eius relatiuũ? Relatiua enim ſunt ſtipulatio & promiſsio. Dabis? dabo: facies? faciã. Iam D. Petri vox ἐπερώτημα etſi fortè ſtipulationem ſignificet, tamen cur hæc ſignificatio iſthuc adfertur? Arripuit ergo Melancht. hanc Petri vocẽ ad occaſionem hæreſeos. Iam Oecumenius non ſic exponit vocẽ Græcam. Quemadmodũ ergo illos octo ſaluauit aqua reipſa, non profeſsione, ac ſignificatione demũ: ſic nos ſaluos facit baptiſmus reipſa. Nam vox illa Petri antiquæ ſcholæ ἀντίτυπος rem habet typo reſpondentẽ, quaſi dicat: Baptiſmus è regione reſpõdet typo antiquorũ. Petrus ergo hoc dicit, Baptiſma facit vt quieſcat conſcientia coram Deo, quaſi omnia vetera eſſent remiſſa. Sic etiã facit Pœnitentiæ ſacramentũ, quando adhibitus eſt debitus modus. Item quando nõ eſt ſibi malè conſcius. Lege c. 4. li. 9. cõfeſ. Auguſt. ſed incipe a ca. vlt. lib. 8. Illo ca. ſtatuit ſemel benè viuere, nunquã fornicari. Item ſtatuit nullã ſpem ſeculi habere. Itẽ libr. 9. totus eſt in fletu, dolet de peccatis, prætereà dicit: Tamen fides mea non ſinebat me planè eſſe ſecurum. Videtis contra Melanchtonem fidem non remittere peccata non baptizatis. Poſt tam egregiam conuerſionem, quam explicat toto ca. fides non ſinebat eum eſſe ſecurũ de præteritis peccatis. Videtis hic in Auguſt. interrogationes accuſantes & defendentes.

Auguſt. lib. 8. Confeſſ.

Fidem non remittere peccata ſed Baptiſmum.

Reſponſio ad argumenta Caluini, quibus concupiſcentiam in baptizatis peccatum efficere conatur.

CAeterum quòd concupiſcentia in baptizato maneat propria ratione peccatũ, Dei odio & ſupplicio futuri ſeculi dignum, quodque propterea non omnia peccata in Baptiſmo tolluntur, probare conatur Ioannes Caluinus in Antidoto concilij Tridentini.

Nos, inquit, *totum peccati reatum verè tolli in Baptiſmo aſſerimus, ita vt quæ manẽt peccati reliquiæ non imputentur*. Rectè hoc dicitis, ſed ex eo, quòd reatus totus tollitur, infert B. Hieronymus & Auguſt. quòd & ratio peccati tollitur: facit enim peccatum ex ſua ratione & malitia reum, id eſt dignum ſupplicio: qui ergo eo dignus non eſt, nec peccatum habet. Et quando aſſerere poteſtis reatum tolli, qui concupiſcentiam docetis manere, Dei odio dignum facere, iniuſtum, & in gratiam, duntaxat Chriſti non imputari ad ſuppliciũ? Quod porrò adijcit: *Et quo res*, inquit, *clarius pateat, in memoriam reuocent Lectores duplicem eſſe Baptiſmi gratiam. Nam & peccatorum remiſsio illic & regeneratio nobis offertur*. Idem docemus & nos poſt beatum Auguſtinum in locis ſuperius citatis circa huius particulæ declarationem, niſi quòd & hic renouationẽ inchoari dicere maluimus, quàm regenerationem: hæc namque perfecta eſt in Baptiſmo, quanquam filij in eo nati adhuc ſint quaſi modo geniti infantes, qui creſcere habent in viros perfectos: ſed non tam generatione aut regeneratione, quam augmento & virtutis perfectione: habetur enim ex lauacro aquæ ſpiritus vitæ, & idem quo viuit Chriſtus caput noſtrum, ſicut ex generatione naturali anima rationalis, per quam ex generatione Petrus eſt homo.

Hieronym. Auguſtinus.

ADdit Caluinus: *Proinde manet*, inquit, *verè peccatum in nobis, neq; per Baptiſmũ ſtatim vno die extinguitur: ſed quia deletur reatus imputatione, nullũ eſt*. Negamus hanc collectionem: reliquiæ peccati manent, & regeneratio inchoatur, ſuoſque tota vita facit progreſſus, ergo manet verè in nobis peccatum. ſupponit enim propoſitiones ſubſumptas, quæ in quæſtionem veniunt, & ſubintelliguntur: Reliquiæ peccati manent in baptizato peccata: & regeneratio non ſolum eſt à vetuſtate, ſed ab eo, quod propria ratione peccatum eſt & culpa, hæc enim probanda erant, non tanquam certa ſupponenda. Nam ex beato Auguſtino diximus ſuperius, quòd omni peccato caret baptizatus, non omni malo: mala enim ſunt, vt ait, ignorãtia & cõcupiſcentia, non peccata in baptizato, libro 6. contra Iulianum ca. 5. à quibus tota vita renouamur ſecũdum Apoſtolum Paulum. Docemus & nos, quòd per baptiſmũ non ſtatim extinguitur concupiſcentia, ſed quod reat*, & imputabilitas ac culpa eius baptiſmo tollitur ſtatim, & vno momento extinguitur, in Eccleſia Chriſti didicimus, conſtanterque ex ſcripturis confitemur & docemus, quodque ablato reatu non ſolum imputatione, ſed & imputabilitate nullum eſt, nec dignum manet quod imputetur, ſicut nec imputabile eſſet in homine, qui ſic eſſet à Deo creatus. Nõ enim per ſe culpabilis eſt concupiſcẽtia, nec ſemper, ne in nobis quidem: quod tamen Ioannes Caluinus in ſua argumentatione ſupponit: eſt autem ſemper in nobis turpis, mala, vitioſa, cui reluctari oportet etiam in ſtatu, pro quo defectus eſſet naturalis, & non propriè mala aut vitioſa, quia non ex peccato, ſed ex partium eſſet compoſitione. Et eſſicax eſt ac firma argumentatio Patrum, Synodi. In renatis nihil odit Deus, nullum igitur in eis eſt peccatum. *Ad quam tamen Caluinus: Vt hoc*, inquit, *Patribus concedam, quòd in renatis nihil odit Deus, an prætereà ſequatur, nihil odio eſſe dignũ? an non potius, ideo nihil odit, quia quod ſure poſſet odiſſe, ignoſcit?* Quæ reſponſio non ſatisfacit, eò quod iudiciũ Dei eſt in veritate & ex iudicio amat, quod amabile eſt, & odit, quod dignum eſt odio, & iure odiſſe poteſt. Nam ſicut nõ poteſt ei non placere charitas, fides, iuſtitia, dicente propheta: Oculi tui fidem reſpiciunt, propterea quòd ſint verè amabilia: ita peccatũ nõ poteſt ei nõ diſplicere, non odio haberi: ignoſcendo autem facit, vt non maneat, quod diſplicebat, ſed deleat & tollat: & ſi manet peccatum, diſplicet, quamuis ad ſupplicium fortaſsis poſsit non imputare, hoc eſt, ipſum non exigere: tametſi in peccatum & culpam ſupplicio dignam

Concupiſcentia in baptizatis malum eſt, non peccatum.

Caluini eluſio reprehenſa.

Peccatum Deus non poteſt non odiſſe.

dignam imputet ſemper: adijcit enim ſcripturã Eccleſiaſt. 12. & Sapien. 14. ſimiliter ſunt odio Deo impius & impietas eius. Quando igitur Patribus concedis, quòd nihil in renatis odit Deus, concedis & cõcluſionem, ꝙ concupiſcentia in renatis non eſt peccatum.

Altera Caluini elaſio reprehenſa.

Addit Caluinus teſtimonium Apoſtoli, quod arripiunt, nobis planè ſuffragatur, nihil eſſe damnationis ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu, quia fideles his verbis non eximit à culpa, quaſi puri ſint & omni peccato immunes ſed tantũ reatu liberat, eò quod ſub peccati onere gementes, hac conſolatione fulciantur: cuius ante meminerat. Mirum certè quomodo teſtimonium hoc tibi ſuffragatur, quum apud Apoſtolum condemnatio etiam cauſam includat? peccatum ſcilicet originale & mortale, ſicut cap. 5. iuſtificationi condẽnationem opponit, dum ait: Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem, quod explicans addit: Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita per vnius obedientiã iuſti cõſtituentur multi. Intelligit igitur condemnationẽ, quæ iuſtitię opponitur, & cauſa eſt reatus, vt ſit ſenſus: Nihil condemnationis, nihil condemnatione dignum, nulla cauſa, ob quam condemnari poſsint, eſt his, qui ſunt in Chriſto Ieſu. quem ſenſum etiam inſinuat particula illatiua, ergo, quæ reſpicit id, quod præcedit: igitur ego mente ſeruio legi Dei. Eſt præcepta condemnatio culpæ & pœnæ, ſicut frequenter dicit beatus Auguſtinus, quod baptizatis concupiſcentia non imputatur ad peccatum, ſicuti nec ad ſupplicium. Etſi Apoſtolus hoc teſtimonio reatu liberat fideles, ſimul liberat à culpa: docet enim idem Auguſtinus libro 1. de nupt. cap. 26. quòd in peccato eſſe, eſt eſſe reum.

In peccato eſſe, eſt reum eſſe.

Nec ſolo hoc tamen teſtimonio Apoſtoli Patres nituntur, verumetiam alias ſcripturas miſcent, quibus ſignificatur munditia baptizatorum: aiunt enim, In renatis nihil odit Deus, quia nihil eſt damnationis ijs, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed veterem hominem exuentes, & nouum qui ſecundum Deum creatus eſt, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti effecti ſunt: hæredes quidem Dei, cohæredes autẽ Chriſti, ita vt nihil prorſus eos ab ingreſſu cœli remoretur. Non autem mundus dici poteſt, qui tãta immunditia, tantis ſordibus, & culpæ macula conſpurcatus eſt, qualem docent eſſe concupiſcentiam in baptizato remanentem, nec dici poteſt ablutus, ſanctificatus, & iuſtificatus. Cæterum Caluinus:

Addunt præterea, inquit, *patres nihil eſſe, quod eos ab ingreſſu cæli remoretur. Fateor, non tamen quòd nihil impedimenti habeant, ſed quia Chriſti innocentia veſtitis nihil noceat ipſi verò longè aliam cauſam aſsignant, quia ſcilicet veterem hominem exuentes, & induentes nouum, qui ſecundum Deum creatus eſt, puri ſunt ac innoxij. Quis non eos præuaricari dicat? Nã qui adhuc in actu ſunt, nondum effectum habent. Non ergo caret aperta repugnantia, eos vocari puros & innoxios, qui adhuc proficiunt in veteri homine exuendo. Quòd ſi præſenti tempore, loco præteriti ſe abuſos eſſe reſpondeant, illos omittam. Fideles enim Paulus alloquitur, cùm iubet Epheſios veterem hominem exuere, quo ſignificat non vnius diei eſſe hanc tantam mutationem, qua ex carne in ſpiritum renouamur.*

Caluinus cũ Luthero pugnat.

Fatetur hic Caluinus contra abſurdum Martini Lutheri dogma, hoc peccatum in Chriſto renatos non remorari ab ingreſſu cæli, & in hoc patribus conſentit: eorum tamẽ rationem, quæ quidem ſolida eſt, infirma autem, quam reddit ipſe, impugnat. Nam ſolum peccatũ ab eo remorari poteſt, vt docet B. Auguſtinus libr. 21. de ciuita. Dei cap. 16. & lib. 1. de peccatorum meritis cap. vltimo, & libr. 2. cap. 4. & 25. & 6. libro contra Iulianum cap. 8. loquens de ſecunda ętate hominis in libro de ciuitate Dei, quæ pueritia vocatur: vbi nondum, inquit, ratio ſuſcepit hanc pugnam, & ferè ſub omnibus vitioſis delectationibus iacet, in qua nondũ eſt præcepti capax infirmitas mentis, ſi ſacramenta mediatoris acceperit, ſi hanc in eis annis vitam finiat, non ſolùm pœnis non præparatur æternis, ſed ne vlla quidem poſt mortem purgatoria tormenta patietur: Nam illi duntaxat ab ingreſſu cœli retardantur, qui ſuper Chriſtum fundamentum, lignum, fœnum & ſtipulam ſuperædificauerunt, & ſalui fiunt, quaſi per ignem purgati, quæ cùm ſecum plerumque ferant, Chriſti etiam iuſtitia veſtiti (ea enim veſtiuntur, quicunque Chriſtum fundamentum habent) & hi ab ingreſſu cæli propter peccata retardantur. Quòd autem non quodlibet peccatum Chriſtum à fundamento pellit, docet beatus Auguſtinus, lib. 1. de ciuitate Dei. cap. 10. & lib. 21. cap. 26. & in epiſtola ad Hilarium, quæ eſt 89. Vera igitur ratio ob quam baptizati non retardantur à cæli ingreſſu, eſt, quia à peccato mundi ſunt, vt dicunt patres: & non quia innocentia Chriſti ſunt veſtiti. Nam ciuitatem ſanctam Hieruſalem, non intrabit aliquid coinquinatum. Cùm igitur concupiſcẽtia in renatis non ſit peccatum, non ſolum non impedit, ſed nec impedimentum eſt, quod iure remorari poſsit, aut retardare hunc cæli ingreſſum.

Peccatum ſolũ ab ingreſſu cælorum nos remoratur.

Nec renatus in Baptiſmo veſtitus eſt innocentia Chriſti, quaſi extrinſecus adiacente duntaxat, vt prætendit hic & alijs in locis Caluinus, alludens ad hiſtoriam Iacob, qui patrem ſub alienis, Eſau ſcilicet fratris ſui, veſtibus fefellit: ſed verè innocens eſt, propria donatus innocentia & iuſtitia, & à peccato immunis. Per vnius, inquit Apoſt. Paul. obeditionẽ, iuſti conſtituti ſunt multi: & teſte Saluatore, Mundus eſt totus, vt dicetur circa articulũ 8. & 9. quãuis tamen adhuc multũ retineat vetuſtatis à qua

Baptizatus non veſtitur externa Chriſti iuſtitia.

Rom. 5. *Ioan. 13.*

renouari oportet,ſed hæc non eſt peccati vetuſtas,ſed reliquiarum primi Adæ, propter quas in veteri homine exuendo proijcere oportet de die in diem: palmites enim mundos Saluator adhuc vult mundari: & qui lotus eſt & mundus totus,opus habet, vt & adhuc pedes lauet.Nam B.Auguſt.lib.20. de ciuit.Dei,cap.26. audet dicere, paruulos eſſe mundos,ſicut eſt Chriſtus.Ait enim:In paradiſo primi homines puri atq; integri ab omni ſorde ac labe peccati ſeipſos Deo mundiſſimas hoſtias offerebant.Cæterùm ex quo cõmiſſæ præuaricationis cauſa indè dimiſsi ſunt,atq; humana in eis natura damnata eſt, excepto vno mediatore,& poſt lauacrum regenerationis quibusq; adhuc paruulis: Nemo mũdus à ſorde,ſicut ſcriptum eſt, nec infans cuius eſt vita vnius diei ſuper terrã. Nõ vnius diei eſſe hanc mutationem,qua ex carne in ſpiritum renouemur, & nos docuimus ſuperiùs ex Auguſt. & ſcriptura Apoſtolica, eſſeq; totius temporis, quo peregrinamur à Domino, & quàm diu viuimus,partim eſſe nouos,partim vetuſtos, partim filios huius ſeculi,& partim filios Dei: nõ tamen partim iuſtos & iniuſtos partim.Nulla eſt enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate, nec ſocietas luci ad tenebras::nec in corpore ſubdito peccatis habitare poteſt ſpiritus ſapientiæ, nec intrabit in animam maleuolam. Et mirũ eſt,quod addit:

Iuſtus magis magisq; vetuſtatem deponit.

Non ergo caret aperta repugnantia,eos vocari puros & innoxios,qui adhuc proficiunt in veteri homine exuendo. Nam qui adhuc in actu ſunt, hoc eſt (vt credo) veterem hominem exuunt, nondum effectum habent.

Nam patres hæc dicunt ipſis verbis Domini Saluatoris Ioannis 15. vbi docet palmites mundos purgandos eſſe,vt fiant mundiores. Et Ioannis in Apocalypſi, Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc.& qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc.& ſe adhuc ſanctificat,qui ſanctus eſt.Non igitur eſt pugnantia, quòd effectum habeant, hoc eſt nouitatem & ſanctitatem, qui in actu ſunt ſe ſanctificandi: iuſtificãtur enim,qui in iuſtitia creſcunt, quamuis iuſti ſunt: vt contra Stoicorum ſententiam docet Auguſtinus,vt ſuperius diximus.Fallitur autem Caluinus in eo, quod non aduertit duplicem eſſe vetuſtatem,culpæ ſcilicet & pœnæ,&non omnem eſſe culpæ:quicquid enim pertinet ad primum Adam,omnesq; eius reliquiæ veteris ſunt hominis,& pertinent ad vetuſtatem:ait enim quidam ſanctorũ,quòd Chriſtus noſtram ſuſcepit vetuſtatem,vt ſuã nobis infunderet nouitatẽ,ſimplã accepit ille vetuſtatẽ,id eſt,pœnæ,vt noſtram duplam conſumeret.Deinde Caluinus excutit patrũ decretum: *Pergamus,inquit, in excutiendo eorum decreto: negant concupiſcentiam vel fomitẽ peccati,quem fatentur manere in renatis, nocere poſſe non conſentientibus, cùm ad agonem relictus ſit. Nempè ideo non nocet quia Deus virtutẽ ſuam in noſtra infirmitate perficit. Sed ſi exercendæ tantum virtutis cotem eſſe volunt, falsò conquẽritur Paulus,hoc ſolo nomine ſe eſſe miſerum. Tametſi ineptè facio, qui ex voce miſeriæ aduerſus eos pugnem,cùm nec concupiſcentiæ,nec vitij, nec peccati nomina eos moueant.* Rectè patres negant cõcupiſcentiam nocere poſſe non conſentientibus,cùm ad agonem ſit relicta.Nam ijſdem ferè verbis idem frequenter dicit B. Auguſtinus,prout ſuperius ſententiæ eius plurimæ ſunt citatæ.Et verba Apoſtoli, quæ citat Caluinus,hanc ſententiam confirmant: virtus enim in infirmitate perficitur, quia perfectio virtutum eſt,vt ait B.Auguſtinus,quæ infirmitatem, cum qua legitimè certet, habet contrariam,& certando acquiritur victoria & virtutis conſummatio. & ideo ſequitur,Cùm infirmor,fortior ſum: nec ſolum, vt citat Caluinus,ſuam virtutem Deus in noſtra infirmitate perficit, ſed & noſtram: Nec probabile eſt quod addit: *Si exercendæ tantũ virtutis cotem eſſe volunt, falsò conqueritur Paulus, hoc ſolo nomine eſſe ſe miſerum.* cùm magna miſeria ſit hæc concupiſcentia, etiam quãdo peccatum non eſt, ſecundum eã enim vænundati ſumus ſub peccato,nobiſipſis contrarij, ſentientes ſuperiori,hoc eſt, menti rebelle eſſe,quod deberet eſſe ſubiectũ atq; morigerum,noſq; ipſos difficiles ad bonum, carne aduerſus ſpiritũ cõcupiſcente:hæc enim magna eſt miſeria,de qua conqueritur Eccleſiaſticus ca 41.Nec cauſam ſuæ huius infelicitatis tacuit Apoſtolus.ait enim, Quis me liberabit à corpore mortis huius? quod habere, miſeria eſt,non peccatum. Et verè ineptiſsimè facis,qui ex voce miſeriæ, vitij,& concupiſcentiæ,contendis probare fomitem peccati,propria ratione eſſe peccatum, cùm hæc omnia ad alia ſeſe extendant: Omni, inquit Auguſt.peccato caret baptizatus, non omni malo nec vitio:eſt enim vitium, authore eodem,lib.3.de lib.arb.c.13.quicquid deeſt perfectioni naturæ.Nam eo ipſo quo vitium eſt, contra naturam eſt: ſi enim naturæ non nocet,nec vitium eſt.Et lib.12.de ciuit. Dei, ca. 3.& 8. docet quædam vitia eſſe naturalia & defectus naturales.Nam de vitijs, inquit, nõ naturalibus,ſed voluntarijs pœnam luimus. Et cap.3.vitium eſt, quod naturæ nocet, adimendo integritatem, pulchritudinem,ſalutem & virtutem; & quicquid boni naturæ per vitium detrahi ſiue minui poteſt. & alio loco,quod perfectioni naturæ deeſſe perſpexeris,id vitium voca.In eo namque vniuſcuiuſque rei eſt vitium, quòd non eſt diſpoſita ſecundum quod conuenit ſuæ naturæ: de quo beatus Thomas 1.2.q.71.ex Auguſtino & Tullio in Tuſculanis quæſt.& Ariſtoteles in 3.Ethicorum dicit, hominem non ob omne vitium eſſe culpabilem,ſed ob illud ſolum, in quod ſua ſponte venit. Non igitur omne vitium, nec omnis miſeria propria ratione eſt peccatum:& vocem peccati, plerunq; ſecundum tropum in ſcripturis dici manifeſtum eſt.

Vetuſtas eſt duplex.

Concupiſcentia baptizatis licet malum ſit & vitium, non tamen eſt peccatum.

Baptizati peccato carent.

Vitiũ,quod naturæ nocet.

PErgit Caluinus: *Si prauitas in voluntate non eſt peccatum, neq; homo eſt animal: Si vitium*

tium coram Deo culpa caret, ſol non eſt lucidus, de peccato quid dicam? Cauillantur hoc verbo abusū eſſe Paulum, quia peccati cauſa ſit & pœna: quaſi non planè reclamet contextus. poſtquam enim peccati meminit, mox ſubijcit, Inuenio per legem volenti mihi facere bonum, adiacere malum: an hoc quoq; illis impropriè dictum videtur? Si verbi tantum eſſet quæſtio, tamen nihilo plus eſſent audiendi, quàm qui negant infantes propriè cum peccato naſci, vtriq; peccatum eodem modo interpretantur, hoc intereſt, quod poſteriores de originali peccato generaliter ſic loquuntur (ſic ſcilicet, vt eum intelligere puto, quòd concupiſcentia nec ante, nec poſt baptiſmum propria ratione ſit peccatum) iſti autem venerandi patres eandē rem contendunt à baptiſmo non amplius eſſe, quod prius erat, cū tamen eadē res maneat. ſi cauſam ſuā meliorem eſſe volunt, imprimis doceant oportet, ita conuerti rerum naturas. vt quod idē eſt, ſibi ſit diſsimile: ſed ipſa rei conſideratio certamen omne tollit: negari enim niſi impudenter non poteſt, quin repugnantia aduerſus legem Dei verè ſit peccatū. Atqui hoc de morbo in renatis hærente Apoſtolus prædicat: ſequitur ergo ſuaptè naturā eſſe peccatū, tametſi non imputetur, ac proinde Chriſti gratia abolitus ſit reatus.

Caluinus callidè inſtitutam diſputationem alio transfert.

SI expendamus hanc Caluini ratiocinationem, inuenietur multis modis ſophiſtica eſſe, nec quicquam habere ſoliditatis, & primo de cauſa ſua diffiſus, diſputationem quam inſtituit de concupiſcentia carnis, quā Apoſtolus Ioannes contra oculorum concupiſcentiam & ſuperbiam vitæ diſtinguit, & de qua patres poſt B. Auguſt. principaliter loquuntur, transfert ad prauitatem volūtatis: quæ longè alia eſt, quam concupiſcentia carnalis, de qua potiſsimum proſequenda erat inſtituta diſputatio. Et ſtudioſè hoc feciſſe videatur propterea, quòd voluntatis prauitas ipſo nomine proprię rationis peccatum ſignificare videtur. Quòd ſi dicat eandē eſſe rationem de prauitate voluntatis & concupiſcentia ſiue fomite peccati, ex eo, quòd & voluntas corrupta eſt & vulnerata per peccatum, ſicut caro ſiue appetitus ſenſitiuus (Nā poſt Venerabilem Bedam, quatuor traduntur vulnera naturæ, inter quæ vnum ſcilicet malitia reſpicit voluntatem) hoc explicare conueniebat, quòd videlicet non auaritiam, ſuperbiam, vel vitia cætera intelligeret, ſed voluntatis infirmitatem, & naturalē ad carnis hoſpitæ ſuæ deſideria, eiq; cōplacendi pronitatem, de qua ſcriptura: Senſus & cogitatio cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua: ſed hæc voluntatis pronitas, quæ naturam corruptam neceſſario ſequitur, nō magis poteſt eſſe peccatum in renatis, quàm concupiſcētia, quę eſt carnis pronitas & morbus. Quod enim B. Auguſt. vbique de concupiſcentia docet, doceret & de hac cordis prauitate, quæ nomine concupiſcentiæ etiam intelligi poteſt: Loquens enim lib. 2. contra Iulianum de hoc malo, quod naſcendo contrahimus, Quantum ad nos, inquit, attinet, ſine peccato ſemper eſſemus, donec ſanaretur hoc malum, ſi ei non conſentiremus ad malum, ſed in quibus ab illo rebellante, etſi non letaliter, ſed venialiter tamen vincimur, in his contrahimus, vnde quotidie dicamus, Dimitte nobis debita noſtra, quod & exemplo declarat. Et lib. 1. de ciuit. Dei, cap. 25. Si illa concupiſcentialis inobediētia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, pręter noſtræ voluntatis legem, quaſi lege ſua mouetur, quanto magis abſque culpa in corpore non conſentientis, ſi abſq; culpa in corpore dormientis? Nam vbique B. Auguſtin. voluntatis conſenſionem requirit, vt concupiſcentiæ etiam deſideria & motus propriè ſint peccata. Et B. Iacobus: Concupiſcentia cū conceperit, parit peccatum: fatemur tamen hanc carnis & voluntatis ad malum pronitatem eſſe obliquitatem, & deuiationem à lege, & regula, ſecundum quam natura inſtituta eſt ad Dei imaginem & ſimilitudinem in iuſtitia & veritate, & ideò modo quodam, vt diximus, ante baptiſma eſſe peccatum, & æternæ damnationis paruulum facere reum, quia peccando in Adam, Dei in ſe imaginem dehoneſtauit & conſpurcauit: ſed in renatis peccati ratio aboletur, deletur & tollitur, & Dei imagini ſua reſtituitur honeſtas & pulchritudo, quando charitas & iuſtitia in cordibus eorum diffunduntur per Spiritum ſanctum, qui abundè eis donatur. Sed quia hæc eſt regula & lex conditionis naturæ, non morum ſiue vitæ, receſſus ab ea eſſe poteſt peccatum naturæ, non morum. Nulla igitur apparentia eſt in hac propoſitione conditionali, nullaque conſecutio. Si prauitas in voluntate non eſt peccatum, nec homo eſt animal, & multò minor in altera: Si vitium coram Deo culpa caret, ſol non eſt lucidus. Non enī peccatum propriè dictum genus eſt prauitatis, quæ eſt propenſio voluntatis ad malum, ſicut animal eſt genus hominis, cum, docente vbique B. Auguſtino, nec eius quidem deſideria, & ad malum motiones, ſine voluntatis conſenſione, ſint peccata. Eſt enim in omnibus renatis, de quibus vbiq; teſtatur B. Aug. quòd omni peccato carent: Tu, inquit, ad Iulianum lib. 6. cap. 5. qui putas, quòd ſi malum eſſet concupiſcentia, careret ea, qui baptizatur, multum, inquit, erras: omni peccato caret, non omni malo. Et teſtatur Apoſtolus Paulus Corint. Abluti eſtis, ſanctificati eſtis, in nomine Domini Ieſu Chriſti, & in nomine Dei noſtri, de quo prolixè diximus ſuperiùs. nec peccatū eſſet hæc voluntatis prauitas in homine extra gratiam & iuſtitiā à Deo in naturalibus creato: non igitur huiuſmodi prauitas ſubſtantialiter eſt peccatum, ſicut homo eſt animal, ſed ei accidit, & multis modis abeſſe poteſt: ſicut accidit & carnis concupiſcentia. Ex eo enim modo quodam peccata ſunt, quòd peccati ſunt effectus & ſequelæ, & ſine gratia inueniuntur. Et ideo ſi conſiderentur ſine relatione ad peccatum, vel cū mente Deo per gratiam coniuncta, & ſecun-

Voluntatis in malū pronitas an peccatum.

Auguſtinus.

Conſenſio peccatum facit,

Omni peccato caret baptizatus.

dum Auguſtinum, ſoluto reatu, deſinunt habere peccati rationem. Fallitur igitur Caluinus, & ſupponit quod probatũ oportuiſſet, ꝙ hęc volũtatis prauitas per ſe & ratione ſui ac eſſentialiter eſt peccatum, ſicut homo eſt animal. Et multo ineptior eſt altera conditionalis illatio,

Vitium non eſt culpa.

Si vitium coram Deo culpa non eſt, ſol non eſt lucidus, eò quòd vitium, vt diximus poſt B. Auguſtinum, multò latiùs patet quàm culpa. Quicquid enim perfectioni naturę deeſſe perſpexeris, ait tertio lib. de. lib. arbit. id voca vitium. Nam vitium hominis & cuiuslibet animalis, eſt defectus membri vel potentiæ, vt eſt cœcitas. Non igitur culpa eſt proprietas neceſſariò vitium comitans, ſicut à ſole inſeparabilis eſt luciditas. Quare ineptiſsima eſt collectio, Si vitium corã Deo culpa caret, ſol non eſt lucidus. Nec cauillantur patres, quando poſt beatum Aug. interpretantur beatum Paulum in 7. cap. ad Roman. concupiſcentiam vocaſſe peccatum ſecundum tropum, eò quòd peccati cauſa eſt, & pœna. Nec reclamat epiſtolæ contextus, quin potius confirmat, dum dicit: quòd per legẽ inuenit ſibi volenti facere bonum, adiacere malum, hanc ſcilicet concupiſcentiam, quæ ad mala ſolicitat. Nam hac ratione ſubindicat eſſe malum, dum dicit, Operatum eſt in me omnem concupiſcentiam, & factum eſt ſupra modum peccans peccatum, quaſi hac ratione nominaſſet peccatum, & quod peccatum appellauerat, dicens: Quod habitat in me peccatum, generali nomine poſtea vocat malum: Inuenio legem, inquit, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet, quod generalius eſt, quã peccatum. Nã apud Eſaiam: Ego Dominus faciens pacem & creans malum, qui peccati author eſſe non poteſt. Et in Euangelijs Saluator: Sufficit diei malitia ſua. Nec verbi tantum hic quæſtio eſt, ſed rei maximè, an videlicet in baptizatis paruulis aliquid ſit quod Deo diſpliceat? quod odiat, & ob quod digni ſint ęterna dãnatione, & damnandi eſſent, niſi in gratiam Chriſti eis parceretur? hoc eſt, an ſit in èis quod faciat verè iniuſtos, impios, & in ſeipſis apud oculos Dei abominabiles, ſicut erant ante baptiſmum, vel potius verè ſint innocẽtes, recti corde, à peccato mundi, Deo grati, ac dilecti, nõ ſolum in Chriſto, ſed in ſemetipſis, propter ſpiritum charitatis in ipſis manentẽ: has enim laudes de renatis baptiſmo, & iuſtis, ſcriptura ſacra vbiq; prædicat. Innocentes, inquit propheta Dauid, & recti adhęſerunt mihi: & interrogans, Quis aſcẽdet in montem Domini? Reſpondet, quod innocẽs manibus & mundo corde. Et B. Iob ſe innocentem agnoſcit, & confidens de Domino audet dicere, Non recedam ab innocentia mea. celebrat etiam homines bonæ voluntatis quam non compatitur cordis prauitas: maximi igitur ponderis eſt hæc tractatio & non verbalis tantùm. Nec quicquam commune habent qui docent poſt baptiſmum concupiſcentiã non eſſe peccatum, cum his qui negãt propriè nos cum peccato naſci, & paruulos dãnari, ſolũ ob Adæ inobediẽtiam, à qua extrinſecè nũcupẽtur peccatores. Hi eñ docẽt eos nõ contrahere in ſeipſis peccatũ, & ideo non propriè peccatores naſci, nec immũdos aut ſordidos, propter ꝙ hũc tropũ, quo dicerentur paruuli in peccato naſci ipsũq; cõtrahere quia cauſã vel pœnã peccati cõtrahunt, nõ cõmodè admittũt ſcripturæ. Ecce, inquit Dauid, in iniquitatibus cõceptus ſum, et in peccatis cõcepit me mater mea. Et Apo. Pau. Per vnũ hominẽ peccatũ in hunc mundũ intrauit, in quo omnes peccauerũt: & per vniꝰ inobedientiã peccatores cõſtituti ſunt multi. Loca aut Apoſtoli Pauli, quæ cõcupiſcẽtiam in renatis peccatũ appellant, neceſſario, vt ex dictis patet, hunc tropum requirunt: ideo patres poſt B. Aug. docent poſt baptiſmũ cõcupiſcentiam ſolũ eſſe peccatũ ſecundum hunc tropũ & anathema dicũt his qui cõtrariũ ſenſerint. Nec oportet in quolibet loco figuratè accipi peccatũ, ſi in locis quibuſdã ſic dicatur. Nam & Chriſtus in ſcripturis vocatur peccatum. Sacrum enim baptiſma peccati maculam & rationem, vt ſępe diximus, ſanguine Chriſti in quo lauantur, abſtergit & abluit.

Calũnia Caluini depulſa.

Catholici lõgiſſimè abſunt à Pelagianis.

Caluini incõſideratio.

NEC conſiderauit Caluinus peccatum non ſubſtantiæ nomen eſſe ſed qualitatis, quæ abeſſe poteſt & adeſſe, vt quod modo peccatum eſt, poſtea peccatũ nõ ſit. Nam dare eleemoſynam vt videamur ab hominibus, peccatũ eſt: mutata autẽ intẽtione, ſanctum eſt & Deo gratum. Quidam enĩ inquit Paulus, propter inuidiam & contentionem Chriſtum prędicant, alij propter bonam voluntatem. Et fieri poterat, vt qui prius propter inuidiam, ex bona voluntate poſtea Chriſtum prędicarent, & ita eadem prędicatio lapſu temporis prius peccatum, & poſtea Deo grata fuiſſet & non peccatum: ex fine enim diuerſo eidem operi accidere poſſunt bonum & malum, ſicut & homini eidẽ. Concupiſcentia itaq; habitualis, modo quodam peccatum eſt in naſcentibus, eo quod cum mentis auerſione à Deo contrahitur, & in renatis peccatum non eſt mente per ſpiritum inhabitantẽ ad Deum conuerſa, ipſiſq; in Chriſti familiam relicto veteri patre Adã translatis, vt non ampliùs iam huius ſint parẽtis, ſed eius qui ex mortuis reſurrexit, prout de lege dicit Apoſt. ad Rom. 7. Et ſæpe diximus, quod peccatũ eſſe nõ poteſt ſine mentis auerſione à Deo, quod & docet B. Auguſt. 12. de ciuit. Dei. cap 8. & lib. 2. & 3. de lib. arb. propter quæ non neceſſariò, vt diximus, culpa eſt vel peccatum hæc concupiſcentia, ſed contingenter, ſicut idẽ homo iam iuſtus eſt, & poſtea iniuſtus, non conuerſione naturarum, ſed nouæ formæ vel denominationis ſucceſsione, ita frequenter clamat B. Augu. quod baptizatus, omni crimine, omniq; peccato caret, non omni malo.

Concupiſcentia quo ſenſu contra legẽ Dei.

GRauiter etiam fallitur Caluinus ex repugnantia aduerſus legem Dei demõſtrãs cõcupiſcẽtiã ex ſuapte natura eſſe

pecca-

peccatũ: Hæc enim repugnantia ei nõ conuenit, niſi ſecundũ ſuos motus & deſideria quę excitat, de quibus modo non diſputatur à patribus, ſed de habituali morbo duntaxat: & fieri poſſet, quod repugnantia contra legem eſſet peccatũ, & non id, quod repugnat. Nam multi doctores veteres, vt B. Ambroſius poſt Origenem, intelligunt peccatũ & malum in carne habitans eſſe diabolum, & ſimiliter ꝙ dicit. Non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum, & peccatum vobis non dominabitur, & in locis ſimilibus peccatum intelligunt eſſe diabolum peccati authorẽ: per Adam enim peccantem incepit in genere humano habitare tyrannus peccati diabolus, factusq; eſt nobis intraneus hoſtis, aſsiduè ſuggerens & ſtimulans ad ea, quæ ſunt huius mundi. Et reuera per primum hominẽ factum eſt, vt peccatum in nobis habitet, tã fomes, quàm diabolus. Et veriſimilis ſit hæc interpretatio ex eo, quòd huic peccato ſiue malo inhabitanti, ab Apoſtolo quædam tribuuntur, ſicut operari omnẽ concupiſcentiam, operari mortem, & fieri ſupra modum peccans, & alia huiuſmodi, quæ propriè non qualitati, ſed ſoli perſonæ, ſiue ſuppoſito cõueniunt. Certum eſt autem diabolum repugnantem ſua ſolicitatione legi mentis, peccare quidem, ſed non eſſe peccatum. Et diſsimulat Caluinus, quod multiplex eſt repugnantia aduerſus legem, variaque contingit ratione: legi enim repugnat, qui eam vult aboleri, qui docet eam eſſe iniquam, & qui falſa intelligẽtia eam corrũpit, repugnat etiam, qui ad eius ſolicitat tranſgreſsionem. Nam eſt repugnantia formalis, eſt & effectiua. Et de concupiſcentia dicit Iacobus, quod ab ea vnuſquiſq; tentatur abſtractus, & illectus quaſi effectiuè in peccatũ. Et eſt legi repugnans, quod per eam eſt prohibitum, hoc autem modo repugnans verè eſt peccatum, & non quod ei repugnat alijs modis. Malum autẽ in carne habitãs nulla lege prohibetur: nulla enim lege prohibita eſt naturalis, quaſi ad mala deſideria propẽſio, ſed eius deſiderijs obedire: Non regnet peccatũ, inquit Paulus, in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius: non aũt ait, nõ maneat, non habitet, quod nouerat fieri nõ poſſe pro huius peregrinationis ſtatu: pugnandũ tamẽ eſt ſemper contra ipſum tanquam hoſtẽ domeſticum, ſicut contra mundũ & dæmonem ad mala inuitantes. Creaturę enim Dei factę ſunt in muſcipulã pedibus inſipientiũ, & ſpecies mulieris decipit & ſubuertit cor contra legem mentis inclinando. Nec repugnantia qualiſcunque verè peccatum eſt & propriè, quamdiu voluntas & mens non conſentiũt, vt ſæpè diximus poſt Auguſtinum: ſola enim voluntate peccatur, & ex corde procedunt, quæ hominem coinquinant. Nec Paulus habet, quòd hoc malum in baptizato repugnat legi Dei, ſed legi mentis tantùm, propterea, quod cõtrarij ſunt eorum motus, carne ſecundum legem membrorum concupiſcente aduerſus ſpiritum, & ſpiritu ſecundum legem mentis aduerſus carnẽ. An verò hi motus carnis ſint contra legem mentis, vt lex obligatoria eſt, & participatio legis Dei, eſt præter Apoſtoli intentionem, & ideò legis Dei hic non meminit, ſed legis mentis tãtum. Nulla igitur ratione ſequitur, quòd cõcludit Caluinus, quòd morbus, qui in renatus hæret, ſuaptè natura ſit peccatum. Porrò adijcit Caluinus. *Si iſta eſt vera*, inquit, *iuſtitiæ regula, Deũ ex toto corde diligere, ex tota mente, ex totis viribus cor certè alio inclinari non poterit, quin à iuſtitia declinet. Atqui ſe impediri cõqueritur Paulus, ne bonum quod cupit faciat: perfectum, inquam, Dei amorem lex requirit. Nõ præſtamus. Currendũ erat, nos claudicando lentè progredimur. Nihil in tali defectu reperiunt venerandi patres, cur peccatum cenſere debeant.*

Varia eſt in legem repugnantia.

Cõfitemur & nos, ꝙ vera & abſoluta iuſtitiæ regula eſt, Deũ ex toto corde diligere, ex tota mente, & ex totis viribus: & regula iuſtitiæ, quæ communis eſt omni rationali & intellectuali naturæ, omni homini ante & poſt peccatum, & etiam ſanctis Angelis & benedictæ Trinitati, in qua perſonæ ſe mutuò ex ſe totis diligunt: non enim maior eſſe poteſt dilectio, quàm quæ ſit ex toto corde, ex tota mente, & ex totis viribus. Et quia regula ſiue menſura in vnoquoque genere perfectiſsimum eſt, quo vnumquodque eiuſdem generis cognoſcitur, vt docet Ariſtoteles 10. Metaphyſices: Ideò ex toto corde diligere, ex tota mente, & viribus, regula eſt, vt rectè dicis, & metrum omnis dilectionis Dei, omniſque iuſtitiæ: quò enim propiùs ad hanc dilectionem accedit, perfectior eſt dilectio & iuſtitia. Nam ſicut docet beatus Auguſtinus cap. vltimo de natura & gratia, charitas inchoata, inchoata iuſtitia eſt: charitas prouecta, prouecta iuſtitia eſt: charitas magna, magna iuſtitia eſt: charitas perfecta, perfecta iuſtitia eſt: ſed charitas de corde puro & conſcientia bona & fide non ficta: quæ tunc maxima eſt in hac vita, quando pro illa ipſa cõtemnitur vita, ſed minor, ait, ſi non habet quo creſcat cum de mortali ceſſerit vita. Vbi obſeruandum eſt, quod dicit, charitatẽ perfectam eſſe eam, quæ procedit de corde puro, & non, quæ eſt ex corde toto, ex tota mente, & ex totis viribus: quam conſtat multò eſſe perfectiorẽ, ſed eam reſeruari nouit vitæ æternæ. Item quod etiã dicit tunc maximam eſſe in hac vita, quando pro illa ipſa cõtemnitur vita, in hoc ſecutus ſententiam Saluatoris, Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt ponat animã pro amicis ſuis: in his clarè docens, quòd vera eſt Dei dilectio, vera & iuſtitia, quamuis à perfectiſsima (quæ regula eſt & menſura) dilectione, videlicet ex toto corde, deficiat. Videris igitũ non ſyncerè agere dũ aſſumis. *Iſta eſt vera iuſtitiæ regula, Deũ ex toto corde diligere, &c.* et ex eo colligis, ꝙ *à iuſtitia declinat, cuius cor alio inclinat, ꝗ videlicet ad Deũ*: Sed inferre oportebat, ꝙ à pfectione declinet & deficiat iuſtitię: ad priorẽ aũt

Charitas eſt iuſtitiæ norma.

Iuſtitia eſt charitas.

Charitas perfecta quæ.

concluſionem aſſumendum erat, quod vera iuſtitia eſt Deum ex toto corde diligere, vel huiuſmodi dilectionem ſequatur, quod falſum eſt ſi conuertibiliter intelligatur, quaſi non ſit iuſtitia vera, vbi non eſt dilectio ex toto corde, &c. Nam iuſtus non eſſet in terris ſi iuſtitiam relinquit, cuius cor aliò inclinat, & Deum ex toto corde non diligit: nullus enim eſt mortalium, in quo non aliquando mala excitantur deſideria: In multis enim, inquit Iacobus, offendimus omnes. Et ſi dixerimus quoniam peccatũ non habemus, &c. non enim mala eſt reſpublica, in qua deſiderantur quædam, quæ in ea requirit Plato. Nec ſtatim iniuſtus eſt qui peccat, & frequenter veram iuſtitiam & Dei dilectionem B. Auguſtinus diſtinguit, ab earum perfectione & dilectione q̃ eſt ex toto corde, quas Caluinus hic confundit quaſi eaſdem: Hæc eſt, inquit, in lib. de perfectione iuſtitiæ, noſtra in peregrinatione iuſtitia, vt ad illam perfectionẽ, plenitudinemq́; iuſtitię, vbi in ſpecie decoris iam plena & perfecta charitas erit, nunc ipſius curſus rectitudine & perfectione tendamus, caſtigando corpus noſtrum & ſeruituti ſubijciendo. Hęc eſt nũc noſtra iuſtitia, qua currimus eſurientes & ſitientes ad perfectionem plenitudinemq́; iuſtitię, vt ea poſt ſaturemur: Hinc dicit Apoſtolus, non quia iam acceperim, aut iam perfectus ſim, fratres ego non arbitror me apprehendiſſe, vnum autem quæ retrò ſunt obliuiſcens, in ea quę antè ſunt extentus, ſecundum intentionem ſequor ad palmam ſupernę vocationis Dei in Chriſto Ieſu, quotquot ergo perfecti hoc ſapiamus, id eſt quotquot perfectè currimus, hoc ſapiamus, quòd nondum perfecti ſum⁹, vt illic perficiamur, quò perfectè adhuc currimus: In qua plenitudine charitatis præceptum illud implebitur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Nam cũ eſt adhuc aliquid carnalis concupiſcentiæ, quod vel continendo frænetur, non omni modo ex tota anima diligitur De⁹ Non enim caro ſine anima concupiſcit, tunc erit iuſtus ſine vllo omnino peccato, quia nulla lex erit in membris eius repugnãs legi mentis, ſed prorſus toto corde, tota anima, diliget Deum, quod eſt primum ſummumq́; præceptum. Cur ergo non præciperetur homini iſta perfectio, quamuis eam in hac vita nemo habet? non enim rectè curritur, ſi quò currendum eſt, neſciatur: quomodo autem ſciretur, ſi nullis præceptis oſtenderetur: ſic audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem charitatis: non enim ad ſaturitatem iuſtitiæ, cùm hinc exierit, quiſque perueniet, niſi ad eam cùm hic eſt, eſuriendo & ſitiendo cucurrerit. Beati quippe qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur: Sic ergo curramus vt comprehendamus. Nam plenitudo charitatis, qua ex toto corde, &c. diligitur Deus, merces erit laboris, cuius in hac peregrinatione meritum eſt comparandum. Nec culpę, inquit, de ſpiritu & litera, cap. vltimo deputandum eſt, ſi eſſe nondum poteſt tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectæque debetur: aliud eſt enim totam nondum aſſequi charitatem, aliud nullam ſequi cupiditatem, quamobrem debet homo, quamuis lõgè minus amet Deum, quàm eum poteſt amare conſpectum, nihil tamen appetere illicitum: ſicut etiam in his quę adiacent ſenſibus corporis, poteſt oculus nullis tenebris delectari, quamuis non poſsit in fulgentiſsima luce defigi. Et eandem ſententiam tradit lib. 3. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 7. vbi tractans locum, Virtus in infirmitate perficitur: quæ, inquit, virtus? niſi ad quam pertinet non extolli: & minùs inſipienter dicitur tantùm amari Deum antequam videatur, quantum amabitur cùm videbitur: Porrò ſi in hac vita, pio nemine dubitante, quanto ampliùs diligimus Deum, tanto ſumus vtique iuſtiores, quis dubitet piam veramque iuſtitiam, cum fuerit dilectio Dei perfecta, tunc perfici? Et in fine capitis licet non immerito in aliquibus iuſtis pro huius vitæ capacitate perfecta dicitur iuſtitia, parua tamen eſt ad illam magnam quam capit æqualitas Angelorum, quã qui nondum habebat, & propter illam, quæ iam inerat perfectum: & propter iſtam, quæ adhuc deerat ſe imperfectum dicebat. Sed minor iſta iuſtitia facit meritum, maior illa fit præmium: nec tamen ipſa facienda tunc mandabitur. Et de ſpiritu & litera capite vltimo & penultimo & in epiſtola vigeſima nona, penitus idẽ tradit, vbi contra Stoicos docet, quòd verè iuſti & ſapientes ſunt, qui tamen adhuc in eis proficiunt, concordans ſcripturas, quæ in ſpeciem videntur cõtrarię: Non iuſtificabitur in conſpectu Dei omnis viuens, & tamen iuſtus ex fide viuit, & induti ſunt Sancti iuſtitiæ, & addit, quòd ad rectè viuendum attinet, virtus eſt charitas, qua id quod diligendum eſt, diligitur: hæc in alijs maior, in alijs minor, in alijs nulla eſt. Pleniſsima verò, quæ iam non poſſit augeri, quandiu hic homo viuit, eſt in nemine: quam diu autem augeri poteſt, profectò illud quod minus eſt quàm debet, ex vitio, hoc eſt infirmitate noſtra eſt. Ex quo vitio nõ eſt iuſtus in terra qui faciat bonum & non peccet. Ex quo vitio non iuſtificabitur in conſpectũ Dei omnis viuens. Propter quod vitium ſi dixerimus quoniam peccatum non habemus, noſmetipſos ſeducimus & veritas in nobis non eſt. Propter quod etiam quantumlibet profecerimus, neceſſarium eſt nobis dicere: Dimitte nobis debita noſtra, cùm iam omnia in Baptiſmo dicta, facta, cogitata dimiſſa ſint. Quid itaque, qui rectè videt, videt vnde, & quando, & vbi ſperanda ſit illa perfectio, cui non ſit quod adijci poſsit: ſi autem præcepta non eſſet, non vtique eſſet, vbi ſe homo certius inſpiceret & videret, vnde auerteretur, quò conaretur, qua re gratularetur, quid peccaretur. Magna eſt ergo vtilitas præceptorum: & quia

Iuſtitia vera in nobis eſt licet non perfecta.

Iuſtitia noſtra peregrinantiũ quæ. Auguſtinus.

Plenitudo charitatis olim erit merces.

Charitas pleniſsima nulli mortali contingit.

Perfectio dilectionis nõ eſt huius peregrinationis.

quia hęc dilectionis perſectio, vt ex toto còrde diligatur Deus, huius perègrinationis non eſt, ideo dicit cap. vltimo de ſpiritu & litera, quod ad illam vitam iam immortalẽ attinet, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua: ad hanc autem, Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore ad obediendum deſiderijs eius, hoc eſt, ſic diliges vt non regnet peccatum, &c. Et ad illam, Non concupiſces: ad iſtam, Poſt concupiſcentias tuas non eas: hoc eſt, ſic non concupiſces, vt eas poſt tuas concupiſcentias: ad iſtam, hoc quod agit, in opere habere, & illius perfectionem pro mercede ſperare, vt per illam iuſtus ſine Fide viuat in ſpecie, quam in iſta deſiderauit, per hanc autem iuſtus viuat ex fide, in qua illam certo fine deſiderat. Et libro 3. contra duas epiſtolas Pelagianorum, hic præceptum eſt vt non peccemus. ibi præmium non poſſe peccare: hic pęrceptum eſt, vt deſiderijs peccati non obediamus, ibi præmium, vt deſideria peccati non habeamus. Non igitur ad veram iuſtitiam, quam nunc requirit Deus à nobis, neceſſarium eſt ipſum diligere ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus. Et ideo nec Apoſtolis in ſuis epiſtolis ad ſic diligendum hortantur, imò nec huius dilectionis, quæ ex toto corde, meminerunt. Et Domino Saluatori in Euangelijs ſatis eſt, quòd ipſum diligamus ſupra patrem, & animam noſtram & cætera omnia: Qui amat, inquit, patrem & matrem plus quam me, non eſt me dignus. Quem locum tractans beatus Auguſtinus libro 21. de ciuitate Dei, cap. 26. qui has neceſsitudines, inquit, ſic amat carnaliter, vt tamen eas Chriſto Domino non præponat, malitque ipſis carere, quàm Chriſto, ſi adhuc fuerit articulum tentationis adductus, per ignem ſaluus erit. & idem in epiſtola. 89. quę eſt ad Hilarium. Ex quibus manifeſtum eſt, quòd diligere Deum ex toto corde, ex tota mente, & ex totis viribus, ita vt nihil ſit carnalis concupiſcentiæ, quæ vel continendo frenetur, & ſenſus omnes ac vires ſine impedimento ſemper Deo vacent vt cor aliò non inclinetur, non eſt pro hac peregrinatione præceptum, niſi vt ſcopus quo çurramus, & finis noſtrorum deſideriorum: non autem vt ſic diligamus, cùm ad præmium duntaxat ſpectet & plenam hominis ſanitatem, quando nulla erit infirmitas, vt B. Bernardus dicit in lib. de diligendo Deo: nec animæ beatæ hoc præceptum implere poſſunt ante corporum reſurrectionem, propter proprium & naturalem earum tractum & inclinationem ad corpus, quæ impedit ne toto corde in Deum ferantur. Diligere autem Deum vt nihil ſuper eum aut contra, vel ei æqualiter appreciatiuè diligatur, huius vitæ præceptum eſt. Et contra charitatem & veram iuſtitiam peccamus, ſi ipſum violetur. Atque hoc ſenſu videtur B. Chryſoſt. interpretari, quod Saluator mandat de diligendo Deo ex toto corde, vt cor tuum, inquit, non ſit

Ex toto corde diligere, quo ſenſu præcipiatur.

Bernardus.

Chryſoſto.

inclinatum ad alicuius rei dilectionem magis quam Dei: quod enim eo modo diligitur vt præ ipſo contemnantur reliqua, rectè tanquam totius vitæ finis dicitur ex toto corde diligi. Omnis tamen affectus carnalis tametſi vincatur, retradat, vt non totus homo in Deum feratur. Nec ſolum Dei ex toto corde, tota anima, & viribus dilectio, ſed hæc etiam eius tanquam finis vltimi & in animo præponderans amor nobis ſcopus eſſe debet, cuius ſicuti iuſtitiæ, quæ illi cohęret, augmentum & profectum propterea ſemper ſitiri oportet: beati, ait Dominus Saluator, qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam hi ſoli ſatiabuntur. Et ſicut duæ ſanguiſugæ filiæ ſemper dicunt adfer, adfer, nec ſatiantur vnquã: ita nec vera Dei charitas: finis enim præcepti eſt charitas, quæ propterea ſine menſura diligitur: nec præcepti tantùm eſt finis, ſed & omnis conſilij, totiuſque vitę Chriſtianæ. quæcunque ait B. Auguſt. cap. 121. enchirid. mandat Deus, & quæcunque non iubentur, ſed ſpeciali conſilio monentur, tunc rectè fiunt, cum referuntur ad diligendum Deum & proximum propter Deum, & in hoc ſeculo & in futuro. ad hoc enim tendere debet omnis noſter conatus, vt erga Deũ ſimus affecti amore, fiducia, & timore quaſi filij erga patrem, ſemperq; hic affectus magis abundet, magiſq; quotidiè ei placeamus. Et hunc intellectum præcepti Saluatoris de diligendo Deo ex toto corde verba admittunt, vt ex toto corde Deum diligere dicatur, qui ſyncerè eum diligit, nec affectum habet contrarium, vt interpretatur B. Chryſoſt. & plurimæ ſcripturæ ipſum & ſolùm hanc cordis totalitatem requirunt, vt cum dicitur Deutero. 4. cùm quæſieris Dominum Deum tuũ, inuenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris eum. Et cap. 26. hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi, vt facias mandata hæc atque iudicia, & cuſtodias & impleas ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. Et primi Reg. 7. Si in toto corde veſtro reuertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio veſtri, & præparate corda veſtra Domino, & ſeruite ei ſoli: vbi Samuel declarare videtur, quid intelligat reuerti toto corde ad Dominum, tollere impedimenta contraria, & facere ſeruitium neceſſarium. Ex modo igitur loquẽdi ſcripturæ certum eſt, quòd toto corde reuerti ad Dominum, ipſum quærere & præcepta implere poſſumus, & quòd nec fomes, nec vlla hominis infirmitas hanc reuerſionẽ ex toto corde impedit. Et propheta Dauid audet dicere Domino: In toto corde meo exquiſiui te, & in toto corde meo ſcrutabor mandata tua. Et alio loco: Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine, Et Ezechias ſecundi Paralip. 30. Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt eum, & non imputabit eis quòd minus ſanctificati ſunt: & infiniti ſunt huiuſmodi ſermones in ſcripturis. propter quæ doctores ſcholaſtici, quãdo quærunt: an teneamur ad illum modum implendi quem Dominus in præ-

Auguſtinus.

in præcepto implicat Matth. 22. duplicem diſtinguunt cordis animæ & mentis totalitatẽ. poteſt enim intelligi, quòd amor Dei totum cor poſsideat: aut ita vt excludat omnem affectum extraneum & omnes motus cordis in Deum referat, & tunc dominatur plenè & perfectę cordi & plenum eius ponitur dominium: alio modo, vt excludat omnem affectum contrarium, hoc eſt, vt nihil diligatur ſupra Deum, vel ei æqualiter, quomodo Deum diligit ex toto corde qui diligit eum propter ſe & ſuper omnia. prima totalitas, ait Sanctus Bonauentura, non poteſt haberi ante adoptionem gloriæ, vel ad ipſum Deum aſpiciemus & feremur continuè: ſecunda verò haberi poteſt per infuſionem gratiæ, quæ expellit omnem mortalem culpã. Si ergo in illo præcepto, ait, intelligitur totalitas ſecundum primam acceptionem, ſic modus ille non obligat ad ſui impletionem, ſed exprimitur in præcepto, vt ſciam⁹, quò in hac peregrinatione per amorem tendere debeamus, & vt nemo ſe perfectum arbitretur, quovſque illam perfectionẽ fuerit aſſecutus. Si verò intelligatur totalitas ſecũdum exceptionem ſecundam, ſic tenemur ad illum modum implendum. Et quia ſecundum vtramque acceptionem Spiritus ſanctus voluit prædictum mandatum intelligi, hinc eſt, quòd dicunt quidam ipſum poſſe impleri in via, & alij quòd non poteſt impleri donec perueniatur ad patriam. Quibus & addit: Si quis opponat modum illum ſecundum primam acceptionem totalitatis ſimpliciter poſſe impleri in via, quantũ ad aliquod tempus, quo poteſt homo totaliter ferri in Deum, ita vt nec ſint in eo mot⁹ charitati oppoſiti, nec etiam extranei: reſponderi poteſt, quòd licet hoc eſſe poſsit & aliquando ſit in aliquibus perſonis excellentibus, non tamen cõmuniter reperitur in hominibus iuſtis: & licet ibi ſit totalitas motuum vt nunc, non tamen ſimpliciter, & ideo defectus eſt à perfecta totalitate, quæ eſt motuum & temporum: & ideo modus ille non omnino impleri poteſt, ſicut inſinuatur in illo præcepto. Quod & innuit Auguſt. cùm dicit: Cùm aliquid adhuc eſt carnalis concupiſcentiæ, nõ omnimodè ex tota anima diligitur Deus: & hoc ipſum (inquit) inſinuat Magiſter, cùm dicit quòd impleri poteſt hic modus prædictus ſecundum perfectionẽ viæ, quæ eſt perfectio currentis, non ſecundum perfectionem patriæ, quæ eſt perfectio peruenientis, & ita ex parte non omnino perfectè & integrè impleri poteſt. Alij interpretantur toto corde fieri, quod ex animo & ſyncera mente fit: & toto corde amare, qui ſyncero & ardenti affectu ad eum ſuſpirat quem amat. Et hunc dicunt eſſe morem ſcripturę, vt toto corde fieri dicat, quod ſyncerè & ex animo fieri ſignificat: quemadmodũ contra vbi fraudulentos ac fallaces obiurgat cor, & cor exprobrare ſolet. Deum igitur diligere ex toto corde, &c. regula eſt & metrũ iuſtitiæ, non autem neceſſarium ad eam, cùm eſſe poſſit cum peccatis quotidianis, nec ad dilectionẽ quam à nobis requirit Deus: & quocunq; cor inclinet, quàm diu à ſcopo non recedit, nec aliò ſe vertit tanquam ad finem, non receditur à iuſtitia, nec à vero Dei amore: quia cordis fundamentum, & quod principaliter ſuper omnia amatur, manet Deus. & ideo falſum eſt quod aſſumit Caluinus,

Ex toto corde diligere in varios patet ſenſus.

Si iſta eſt vera iuſtitia regula, Deum ex toto corde diligere, cor certè aliò inclinare non poterit, quin à iuſtitia declinet.

Nam B. Bernardus ſermone 49. in Cantica. Quomodo, ait, ego proficere poſſum, qui fratri proficienti inuideo? Si doles quod inuides, ſentis, ſed non conſentis, paſsio eſt, quandoque ſananda, non actio damnanda: non nocet ambulanti & extendenti ſe ad meliora, quòd non iam ipſe operatur, ſed quod habitat in eo peccatum. Non eſt ergo damnatio illi qui non dat membra ſua arma iniquitati, non linguam ad detrahendum, &c. magis autem confunditur ſic ſe eſſe malè affectum & inoletum ex longo vſu: vitium confitendo, flendo, orando conatur expellere, & cùm non præualet, mitior inde ad omnes, atque apud ſe humilior inuenitur. Quis ſapiens hominem damnet, qui à Domino didicit mitis eſſe & humilis corde? abſit vt ſit expers ſalutis imitator Saluatoris ſponſi Eccleſiæ Domini noſtri. Si autem ſalutis huiuſmodi expers non eſt, nec iuſtitiæ igitur: cuius tamen cor alio quàm ad Deum inclinatur. Multum autem conducit ad intelligentiam eorum quæ dicta ſunt ex Auguſtino de duplici iuſtitia, quod idem Bernardus in ſermone 5. de verbis Eſaiæ, quadruplicem dinſtinguit iuſtitiam, hominis videlicet inſtituti, hominis lapſi, Angelorum & Dei: lapſi enim hominis iuſtitiam dicit eſſe rectam, ſed non purã propter venialium peccatorum in eadem anima, non autem in eodem opere admixtionem. Nam recta non eſſet, ſi aliquam in ſe haberet peccati impuritatem, & primi hominis in initio rectam & puram, ſed infirmam: & Angelorum rectam, puram & firmam: ſed in natura quæ iniuſtitiæ capax eſt, propter quod B. Iob dicit, quòd vera illa iuſtitia in Angelis ſuis inuenit prauitatem. Et propheta Dauid: Non iuſtificabitur in cõſpectu tuo omnis viuens. ne ipſos quidem Angelos fortè ſpiritus excipiens: viuunt enim & ipſi & tanto verius, quanto propiùs aſtant ei, apud quem eſt fons vitæ. Et meritò Paulus ſe impediri conqueritur, ne bonum, quod cupit, faciat, & impediri propter malum, quod in carne habitat, quia verus Dei amor ſine impedimento toto corde Deo ſeruire, & bonũ perficere deſiderat. Sed addit Caluinus.

D. Bernar. in Cant.

Iuſtitia quadruplex Bernardo.

Perfectum Dei amorem lex requirit, non præſtamus. Currendum erat, nos claudicando lente progredimur:

Fatemur quòd perfectum Dei amorem lex requirit, ſed non eum, qui eſt ex toto corde, tota mente, & ex totis viribus. Nam beatus Ioannes docet perfectam eſſe charitatẽ Dei in

in eo qui ſeruat verbum eius, & in hoc eſſe perfectam charitatem Dei nobiſcum, vt fiduciam habeamus in [ ]ie iudicij. quam interpretatur B. Auguſt. inimicos ad hoc diligere, vt ſint fratres: vtraque autẽ inferior eſt ea quæ ex toto corde. Amorem autem eum requirit, quo Deus apprecietur, & charus habeatur, ſuper omnia, vt ex Auguſtino & ſcripturis docuimus, imò & tam perfectum, quòd ametur vt finis vltimus omnium & totius vitæ noſtræ, ſic vt omnia, ſaltem virtualiter, referat in Deũ, vt docet ex ſcripturis B. Tho. in quæſtionibus de charitate, art. 10. & 11. vbi diligẽtiſsimè inquirit, an poſsit eſſe in hac vita charitas perfecta, & an omnes ad eam teneantur. qui enim vt finẽ vltimũ Deũ amat, ad eũ eiusq; honorẽ, affectu, mente, & verbo omnia refert. Nec vllã vitæ ſuæ partẽ excludit, quãuis opere & exercitio hoc præſtare nõ poſsit & perficere: vt & hic locum habeat: Velle adiacet mihi, perficere non inuenio, in quo excellit amor Dei ex toto corde, & hoc fortaſſis intelligit B. Auguſt: quando dicit, ꝙ præceptum iſtud implere nõ poſſumus opere præſtando, ita videlicet, vt tota vita noſtra ſit miniſterium Dei, & in nullo ſeruiamus cupiditati. Quę pręcepti impletio, ſiue executio nõ cadit propriè ſub præcepto dilectionis, nec eſt actus eius: conſiſtit enim in executione omnium præceptorum, quæ & ad alias virtutes pertinent. Et ideo nec peccatur immediatè contra hoc præceptũ, ſed contra temperãtiã & alias virtutes carnaliter concupiſcendo, vel peccando: Peccata enim ſpeciem ſumunt ab obiecto, & non ab auerſione: & præcepta ſecundum actus virtutum & vitiorum diſtinguuntur. Dilectio itaque qua omnes cogitationes, omnem intellectum, & totam vitam in illum affectũ conferimus, à quo habemus omnia, actus eſt charitatis perfectiſsimus, qui nobis hic contingere poteſt: quę tamen opere non impletur, quamdiu caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & in multis offẽdimus omnes. Poteſt igitur hoc præceptum ſecundum modum etiam totalitatis, quo ad affectum voluntatis à nobis impleri, quamuis non ſecundũ operis imperati exercitium propter virium inferiorum rebellionem, & voluntatis inconſtantiam & infirmitatem. Cùm enim ad voluntatem ſolam, & nullam aliam hominis potentiam pertineat Deum diligere, ideo ex tota mente, & viribus eum diligere, eſt ſic diligere, vt ex voluntatis imperio mens, & omnes vires moueantur ad cauendum quæ Deo ſunt contraria, & ſanctificandum nomen eius. Propter quod ad voluntatis imperiũ hic modus diligendi pertinet, & nõ ad propriũ eius actum. Si autem omnino contendatur, quòd Deus hunc amorem ex toto corde, &c. à nobis requirit, nec ſolũ vt ſcopum, ad quem aſpiremus, ſed vt opere etiam ipſum præſtemus, non requirit quaſi ad ſalutem neceſſarium quo ad modum totalitatis: ſed vt diximus ſolummodo ſecundũ ſubſtantiam dilectionis, tanquam finis, ſine qua nec charitas Dei, nec vera iuſtitia eſſe poteſt. De iſta autem perfectione amoris, quam à nobis requirit Deus, tractat B. Auguſtinus lib. 3. contra duas epiſtolas Pelagianorum ca. 7. vt ſuperius citauimus. & lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 13. & 15. vbi docet conſiderandum eſſe, cum dicitur alicuius perfectio, in qua re hoc dicatur. Sunt enim, inquit perfecti curſores, perfecti milites & peregrini, qui non ſunt perfecti comprehenſores, peruentores aut victores, ſicut perfectus eſt puer, ſi nihil deſideretur quod ætas illa requirit. Ita perfectum dicimus viatorem, cuius bene promouetur acceſsio, quamuis nondũ facta ſit peruentio: & perfecti ſunt milites, qui militum præſtant officium: multipliciter enim, inquit, dicitur perfectio. Quando igitur Caluinus hanc iuſtitiæ & dilectionis perfectionem, quæ ſit omnimoda obedientia mandatorum Dei, à nobis requirit viatoribus & ſtatu pueris, qui ex parte cognoſcimus & diligimus, exigit, quod ſolum eſt beatorum, qui brauium currentibus propoſitum apprehenderunt, reſumptis tamen prius corporibus. Rectè dicit VVilhelmus Pariſienſis cap. 13. rhetoricæ diuinæ, quòd iuſtitia diuina non poteſt exigere ab infirmo fortia: à puero & infante, quæ ſunt viri: vt enim paruulus loquitur, ita & facit quæ ſunt paruuli. Hæc tamen iuſtitia & Dei dilectio, quamuis vtcunque perfecta ſit, vt diximus ex 3. lib. contra 2. epiſt. Pelagianorum, non tamen eſt ſine peccatis: & qua ex cauſa ſine eis non ſit, oſtendit B. Auguſtinus cap. penultimo de ſpiritu & litera. Nec mirandum eſt, quòd claudi claudicando lentè progrediantur, cum expectari non poſsit recta ambulatio ab eo qui claudus eſt, quę nec ei mandari poteſt: nec infanti, quòd viriliter progrediatur: nec oportet quòd lentè progrediantur, qui claudi ſunt: ait enim vnus ex peregrinis & infirmis: Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum. Et vſu ſcripturum defectus, qui eſt in operibus noſtris, nõ eſt propriè claudicatio. Nam recti ſunt greſſus iuſtorum, ſoluta genua: ait eis Apoſtolus Paulus, Erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris: vt non claudicans quis erret, magis autem ſanetur. Nec in hoc defectu (vocetur claudicatio, quòd vult Caluinus) vllum eſt peccatum, & ideo non mirum quòd patres non inuenerint, cur peccatum cenſere debeant. Nec Auguſtinus diligentiſsimè aduerſus Iulianum diſquirens, potuit inuenire ipſum eſſe peccatum. Quantum ad nos, inquit, attinet, ſine peccato ſemper eſſemus, ſi nunquam conſentiremus ad malum. Sed hæc omnia, vt etiam priùs diximus, extra propoſitam ſunt diſputationem, quæ inſtituta eſt de morbo animæ inhærente, per quem aliò cor non inclinat, niſi habitualiter, non autem de eius deſiderijs, de quibus tamen eſt tota hęc Caluini argumentatio.

Præceptũ dilectionis ex toto corde quatenus præſtandum.

Perfectio eſt varij generis

Iniquè Caluinus iuſtitiæ perfectionẽ à nobis exigit.

VVilhelmus Pariſienſis.

Caluino oẽs claudicamus

Iuſtorũ greſ-ſus recti. Hebræ. 12.

Adijcit porro Caluinus:

Eiuſdem eſt improbatis, inquit, quòd declarãt Eccleſiam nunquam ſecùs intellexiſſe. Atqui Ambroſius

broſius teſte Auguſt. diſertè iniquitatem nominat. Quid ipſe Auguſtinus? Multi ſunt loci, ex quibus non obſcura eius confeßio apparet, quemadmodū cùm tradit lib. 2. contra Iulianum, peccati legem in baptiſmo remitti, non finiri. Item ſolutum eſſe reatum, ipſam manere. Item mortuum eſſe peccatum in reatu, quo nos tenebat, ſed mortuum quoque rebellare, donec ſepulturæ perfectione ſanetur. Item Homilia in Ioannem 41. Quàm diu viuis, peccatum neceſſe eſt eſſe in membris tuis. Saltem regnum illi auferatur, non fiat quod iubet.

EST autem patrum definitio in ſeſsione, contra quam hîc agit Caluinus, hanc cōcupiſcentiam, inquiunt, quam aliquando peccatum Apoſtolus appellat, ſancta ſynodus declarat, eccleſiam catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit: quam ſumpſerunt ex B. Auguſt. qui hanc ſententiam ijſdem ferè verbis in varijs locis docet: nullam autē in hoc decreto eſſe improbitatem, ſed meram veritatem, clarè conſpiciet, qui veterum ſcriptorum Eccleſiaſticorum monumenta reuoluerit. Nam ex B. Auguſt. mulras adduximus ſuperius ſentētias ex libro 1. cōtra 2. epiſtolas Pelag. & lib 1. de nup. & concup. cap. 23. Et contra Iulianū li. 2. & lib. 6. cap. 5. in quibus docet, concupiſcentiam non eſſe peccatum, niſi ſecundum tropum, quem Patres hic explicant. Oſtendimus etiam ſuperius B. Hierony. Chryſoſt. & alios veteres idem docuiſſe, & hoc ipſum quod prius didicerant in Eccleſia carholica. Et qui alias Patrum ſententias videre deſiderat, legat Reuerēdum patrem prouincialem Euethardum Billick in defenſione iudicij Vniuerſitatis & Cleri Colonienſis, vbi citantur Epiphanius, Methodius, Clemens, Cyprianus, Arnobius, Baſilius Magnus, Chryſoſtomus, Ambroſius, & Innocentius primus, qui omnes concorditer eādem veritatem tradiderunt. Nam Epiphanius hanc Caluini & Martini Lutheri ſententiam fere ad verbum recitat, tanquam hæreſim Procli Origeniſtę, à quo iſti mutuati vidētur, quæ de concupiſcentia docent. Refert etiam quæ Methodius ante annos mille tercentos contra eam ſcripſit: Procli autem ſententiam his verbis refert: Viuente adhuc corpore, antequam moriatur, neceſſe eſt ſimul viuere peccatum: intus in nobis radices ſuas abſcondens, etiam, ſi forinſecus per caſtigationum & admonitionum ſectiones fuerit refrenatum: alioqui poſt illuminationem non contingeret nos iniuſta facere, vtpote peccato penitus ſynceriter a nobis ablato. Nunc verò etiam poſtquam credimus, & ad aquam purificationis deuenimus, ſæpe in peccatis reperimur. Quare cōſtat contrahi quidem ac ſopiri per fidem nunc peccatum, ne fructus noxios producat, non tamen radicitus tolli: & nunc quidē prauas cupiditates ac cogitationes, velut germina ipſius contrahimus, ne qua amara radix ſurſum enaſcens infeſtet, non ſinentes hiare & aperiri concluſa oſtia ad faciendos exortus, doctrinæ ratione inſtar aſciæ radices ipſius inferne naſcētes ſecante: tunc verò etiam ipſa cogitatio de malitia diſsipabitur. Neque verò ſcripturarū teſtimonio hic ſermo caret, ſi quis ſynceriter verum dicere velit. Nam nouit etiam Apoſtolus, nondum radicem peccati integrè ex hominibus ſublatam eſſe, nunc quidem dicens, Noui quòd non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum: & Si quod nolo, hoc facio, non amplius ego facio ipſum, ſed quod habitat in me peccatum: nunc verò video aliam legem in mēbris meis rebellantem legi mentis meæ, & omnino captiuum facientem me legi peccati, quæ eſt in membris meis, adeo nondum contigit peccatum funditus ac radicitus exſcindi: non enim penitus moritur, ſed viuit. Obſecro te Lector, quid aliud ſonant Lutherus, Bucerus, & Caluinus? Nam Proclus ait peccatum viuere etiam poſt baptiſmum, idque negat radicitus tolli, donec corpus per reſurrectionem reformetur: dicit caſtigationibus frenari: per fidem verò comprimi ac ſopiri, ne pariat fructus malos, quę omnia docent & illi: niſi quod poſtremum iſtud non confitentur, Proclo in hoc peſtilentiores. affirmant enim peccatum ſuos interim motus perficere, & nulla quiete ſopiri: per fidem autem operiri vt non imputetur. Cui hæreſi opponit Epiphanius beatum virum Methodiū Eubuliū, qui prolixa oratione opinionem illam confutat. Cuius confutationem prolixius eſſet huc transferre. Narrat eā totam Epiphan. Et quia beatum Ambro. in ſuam ſententiam Caluinus trahere conatur, ex eo quòd vitium in carne habitans vocat iniquitatem, eum iudicem faciamus, & audiamus eius ſententiam. Nam in Apologia Dauid cap. 12. non tam ſæpius, inquit, quàm plenius lauari petit Dauid, vt conceptam ſordē poſsit eluere: nouerat ſecundum legem plura quidem mundandi eſſe ſubſidia, ſed nullum plenum atque perfectum: ad illud ergo perfectum tota intentione feſtinat, quo iuſtitia omnis impletur, quod eſt baptiſmatis ſacramentum. Et iterum in eadem, lauari ſe ſecundum Euangelium concupiſcit, & ſuper niuem ſe exiſtimat, ſi lotus fuerit, dealbandum per hyſſopi faſciculum. Per hyſſopi faſciculum aſpergebatur agni ſanguine, qui mundari volebat typico baptiſmate: lauatur autem qui diluitur æterni fontis irriguo, & ſuper niuem dealbatur cui culpa dimittitur. Denique de ipſa anima dicitur: Quæ eſt hæc quæ aſcendit dealbata? Antequam baptizaretur, ipſa eſt quæ dicebat, Nigra ſum & decora filiæ Hieruſalem: erat enim nigra tenebroſo peccatorū horrore deformis, ſed poſteaquam abluta erat per baptiſmum, remiſſionem meruit delictorum, dealbata aſcendit ad Chriſtum. Inde per Eſaiam locutus eſt Dominus: Si fuerint peccata veſtra ſicut phœnicium, vt niuem dealbabo: id eſt, ſi cruenta, ſi tetra, mundato. Et lib. 1. contra Iul.

citat

Veterum omnium concordi ſententia nō eſt peccatū in renatis cōcupiſcentia.

Euerardus Billck.

Lut. & Cal. opiniones veterem Procli hæreſim reſuſcitant.

Proli hæreſis de Baptizatorum cōcupiſcentia ex D. Epipha.

Procli cōcordia cum Luthero Caluino, & Bucer.

Lutherani Proclo hæretico magis impij.

Concupiſcentia quo ſenſu iniquitas Ambroſio dicta.

Iuſtitia omni baptiſmo impletur.

Baptizato culpa dimittitur.

Anima baptiſmo reformatur à malitia.

Cyrillus.

citat B. Auguſt. B. Ambro. dicere, quòd paruuli anima in baptiſmo à malitia reformatur. Certum eſt igitur Ambroſium dicere, quòd paruuli anima in baptiſmo à malitia reformatur. Certũ eſt igitur Ambroſiũ ſenſiſſe, quòd nullũ vitium naſcendo contractũ poſt Baptiſmum verè ſit peccatum. Et B. Cyrillus Alexandrinus circa 9. cap. Euangelij ſecundum Ioan. docet per baptiſmum omnes peccatorum ſordes deponi, & tolli vitæ vetuſtatem, & baptiſmo lotos ab omni prorſus animæ lepra, peccatoq; purgari, cuius & alia, ſicuti & plurima Auguſt. Iſichij vetuſti ſcriptoris, & B. Grego. in epiſt. ad Theotiſtam patriciam, teſtimonia idem venerabilis pater prouincialis adducit. Iuſtiſsima igitur ratione ſynodus declarat, Eccleſiam nunquã intellexiſſe concupiſcentiam in renatis appellari peccatum verè & propriè, ſed ſolũ quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat: nihil enim patres hic docuerunt, quod in ſchola Eccleſ. catholicæ non didicerant prius.

Ambroſij verba D. Auguſt. explicat.

Atqui Ambroſius, ait Caluinus, teſte Auguſtino disertè iniquitatem nominat. Bonus rector, inquit Ambro. ca. 8. de Iſaac & anima, malos equos reſtringit & reuocat, bonos incitat: boni equi ſunt quatuor, Prudentia, Temperantia, Fortitudo, Iuſtitia: mali equi, Iracundia, Concupiſcentia, Timor, Iniquitas. Sed hæc verba eò, quòd obſcura ſunt, explicat B. Auguſtinus, præcipuè, quòd iniquitatem annumerat vitijs nobis cõnatis, poſt verba Ambro. addens: Nunquid bonus rector bonos equos habet, malos non habet? ſed ait, bonos incitat, malos reſtringit & reuocat, & Catholicè iſtos equos intelligimus vitia noſtra, quæ legi mentis ex lege peccati reſiſtunt. Sed quare non in Baptiſmate perierunt? An nõdum fateberis Iuliane, quòd reatus eorum perierit, infirmitas manſerit: nõ reatus quo ipſa rea fuerant, ſed quo nos reos fecerant in malis operibus, quo nos retraxerant? vbi aduerte eum dicere, quòd hæc vitia nos reos fecerant, non tam per ſe quam in malis operibus. Et ne male intelligeremus cum Caluino, iniquitatẽ propriè dictam numerari inter vitia, quæ poſt Baptiſmum manent, addit beatus Auguſtinus. Nec in his equis malis iniquitatem nominaſſe putandus eſt illam, quæ deletur in baptiſmo, ſed legem peccati cuius manentis reatus in ſacro fonte remiſſus eſt, proptereà vocauit iniquitatem, quia iniquum eſt, hoc eſt inordinatum, & contra naturæ inſtitutionem, vt caro concupiſcat aduerſus ſpiritum, quamuis adſit in noſtra renouatione iuſtitia, qua iuſtum eſt vt aduerſus carnem ſpiritus concupiſcat, vt ſpiritu ambulemus, & concupiſcentias carnis non perficiamus. Non igitur inferri poteſt, quòd ſententia B. Ambroſ. concupiſcentia in renatis ſit propria ratione peccatũ, ex eo quod iniquitatem videatur vocare: tum quòd concupiſcentiam diſtinguat contra iniquitatem, & alium equum malũ dicat concupiſcentiam, alium iniquitatem: tum quod interprete B.

Iniquitas quæ poſt Baptiſmum maneat.

Auguſtino, B. Ambroſ. non propriè accipiat iniquitatem: ſed communiter pro inordinatione, quam fugit & deteſtatur naturalis ratio, & aduerſatur inſtitutioni naturæ humanæ factæ in Adæ formatione, quæ proptereà etiam vitium eſt in baptizato, nõ peccatum, vt in eodem libro 2. dicit beatus Auguſtin. Sine peccato ſemper eſſemus, ſi nunquam ad malum conſentiremus. Et in eodem libro ſuperius, Non talia ſunt vitia in renatis, quæ iam peccata dicenda ſunt, ſi ad illicita ſpiritum concupiſcentia nõ trahat, & concipiat, pariatque peccatum: quæ enim participatio, ait Apoſtolus Paulus, iuſtitiæ, qua donati ſumus in Baptiſmo, cum iniquitate? Eſt enim concupiſcentia omnium virium corruptio contra ordinem à Deo in noſtra natura inſtitutum, hoc eſt, contra illam æquitatem & iuſtitiam in qua conditus eſt homo, quam & naturalis ratio naturæ hominis iudicat eſſe conſentaneam. Definiunt enim & philoſophi, quod bonum hominis eſt ſecundũ rationem eſſe, & operari: naturale eſt enim & æquiſsimum, quod pars inferior menti obediat: & iniquum ac ordinis peruerſio, quod reluctetur & repugnet: quod & Ariſtoteles, Cicero, Plato, & alij Philoſophi Ethnici ex naturali rationis lumine cognouerunt. Nam in tertio libro de anima, dicit peruerſum eſſe, quod natura ſuperius & præſtantius plerunque ab inferiori ſuperetur, vincatur atq; rapiatur: quod fieri dicit apud incontinentes, cum tamen in ſphæris cæleſtibus ſuperior rapiat inferiorem, & hæc ſequatur ſemper. Et Auguſt. lib. 4. contra Iulianum ca. 12. citat Ciceronem in 3. lib. de Repub. grauiter conquerentem aduerſus naturam, quòd hominem, non vt mater, ſed vt nouerca in vitam ediderit: de quo dicit, quòd rem vidit, cauſam neſciuit, cur tam graue iugum eſſet ſuper filios Adam à die exitus vſque ad ſepulturam impoſitum: quia ſacris, inquit, literis non eruditus, ignorabat originale peccatum: idemque grauiter improbabat libidinem, tamquam naturæ hominis diſſentaneam, neſciebat tamen vnde hoc acciderit, quod caro aduerſus ſpiritum concupiſceret: vocat autem libidinem Cicero, quam ſcriptura concupiſcentiam: Plato autem voluptatem. De quo etiam Auguſtinus cap. 14. & cap. 15. de iiſdem inducit iudicium Platonis. Iniquitatem igitur vocat B. Ambroſius vitia, quæ naſcendo contraximus, non talem cui ſupplicium debetur, nec peccatum propriè dictum: ſed vt interpretatur B. Auguſtinus, talem iniquitatem, quæ contra æquitatem eſt, hoc eſt ordinem in natura diuinitus inſtitutum, qui & naturæ eſt conſentaneus: talis eſt iniquitas, quod caro aduerſus ſpiritum concupiſcat: quamuis adſit in noſtra renouatione iuſtitia qua iuſtum eſt, vt aduerſus carnem ſpiritus concupiſcat. Et hunc intellectum verborum Ambroſij clarè docet lib. 2. contra Iuli. Quãtum, inquit, ad nos attinet, ſine peccato eſſemus, ſi nunquam ad malum conſentiremus: & alio loco eiuſdem libri, Manent vitia, ſed

non talia, quę peccata dicenda ſint. Nõ eſt vrgendum hoc verbum iniquitas. quo vtitur Ambroſius cõtra veritatem & mentem eius, quando de ea clarè conſtat (vt patet ex ſuperiùs ex eo citatis) quòd non moneat peccatũ propriè dictum in renatis. Et ne quis offenderetur hoc verbo, interpretatur ipſum B. Auguſt. qui & ipſe vocat concupiſcentiam iniquitatem ca. 8. 6. libri contra Iulianum, & ca. 3. 5. libri, ſed ſecundum quòd interpretatus fuerat, verba B. Ambroſij, quomodo ibidem dicit, quod iniuſtum eſſet obtemperari à ſeruo ei, qui non obtẽperarat Domino ſuo, hoc eſt, indecens, indecorum. Sententia autem B. Auguſtini de hac concupiſcentia, quòd in renatis peccatum nõ eſt, manifeſta eſt & obuia legenti libros, quos ſcripſit contra Pelagianos, Celeſtium & Iulianum, & vere non obſcura eſt, vt ait Caluinus, eius ſuper hoc confeſsio, vt patere poteſt ex multis locis ſuperius citatis, propter quæ veritatis euidentia conuictus ſcribit in ſua inſtitutione ca. 2. Neq; ab hac doctrina videlicet, quod concupiſcentia peccatum manet, tantum diſcedit Auguſt. quantum in ſpeciem apparet, dum inuidiam plus æquo reformidat, qua eum grauare ſtudebant Pelagiani, à peccati nomine interdum abſtinet, nec vllam apparentiã faciunt loca, quæ adducit hic Caluinus, quod fuerit in ſententia alia. Et loca hæc, quæ contra patres adducit, eorum atq; Catholicæ magis ſubſcribunt ſententiæ: loquitur enim in eodem libro ad Iulianum. Iam percipis, inquit, in baptiſmate omnium fieri remiſsionem peccatorum, & cum baptizatis quaſi ciuile bellum interiorum manere vitiorum. Non enim talia ſunt vitia, quæ iam peccata dicenda ſint, paſsiones ſunt, vitia ſunt frenãda, cohibenda & ſananda ſunt, ſed dum curantur, infeſta ſunt. Quid igitur cõtra patres faciunt, quæ citas ex Auguſt. videlicet, quod lex peccati in baptiſmate remittitur, non finitur? Imò quòd non deſinunt hæc vitia, quã diu hîc viuimus, & quod ſoluto reatu, concupiſcentia maneat, quando non manet, vt ipſe ait, peccatum, dimittitur enim vt peccatum non ſit, neq; maneat, & mortuum reatu peccatum, peccatum non eſt, ſicut nec homo mortuus, eſt homo, quamuis mortuũ adhuc rebellet, donec ſepulturæ perfectione ſanetur: diſcedente enim, ait, hinc anima pia, hæc vitia peribunt, nec in reſurgente redibunt, in carne quidem habitat peccatum, ſed prohibitum eſt ne regnet, ſed peccatum ſecundum tropum, ſicut eodem loco intelligit Apoſt. Paulus, ſic interpretante B. Auguſtin.

Loca Aug. à Caluino allata à Catholicis ſtãt.

Caluinus.

CAeterum ex multis locis vnum opponere ſufficiet, qui videtur data opera ad refutandum eorum vanitatem conſcriptus. Nam Auguſtin. libro aduerſus Iulianum 5. nominatim tres cauſas enumerat, cur peccatum vocetur etiam in renatis. Verba ſunt.

Vt cæcitas cordis peccatum eſt, quo in Deum nõ creditur, & pœna peccati, qua ſuperbum cor digna animaduerſione punitur, & cauſa peccati, cũ aliquid cæci cordis errore committitur, ita concupiſcentia carnis, cui reſiſtit bonus ſpiritus, & peccatum eſt, quia illi ineſt inobedientia aduerſus dominatum mentis, & pœna peccati, quia reddita eſt meritis inobedientis, & cauſſa peccati, defectione conſentientis, vel contagione naſcentis. Significationem verbi, quam veteri Eccleſiæ fuiſſe incognitam Synodus declarat, primo loco hic poni à Primario antiquitatis teſte, nemo eſt, qui non videat.

Falleris hic Caluine, vel (quod veriſimilius eſt) lectorem indiligentem & incautum fallere moliris, non hic tres cauſas enumerat Auguſtinus, cur concupiſcentia peccatũ vocetur: ſed quia dixerat lib. 1. de nupt. & concup. quòd carnis inobedientia inobedienti homini digniſsimè eſſet retributa, quia iniuſtum erat, quòd obtemperaretur à ſeruo ſuo, id eſt, a corpore ſuo, ei qui nõ obtemperauerat domino ſuo, concludebat Iulian. carnis concupiſcẽtiam eſſe bonam & laudabilem: quemadmodum ſi perſona aliqua peccatorẽ affligeret, & ex Dei mandato ſcelus vlciſceretur: Oſtendit igitur ex ſcripturis B. Augu. quòd malum eſſe poſsit & peccatũ, quòd peccati pœna eſt & ſupplicium, quodq; propterea & carnis concupiſcentia peccatũ eſſe poſſit, quamuis ſimul & ſupplicium ſit peccati. Scopus igitur diſputationis inter Auguſt. & Iulianum in hoc cap. eſt, quòd pœna peccati non ſemper bona ſit & laudabilis, ſed poſsit eſſe peccatum. Quòd autem triplici ex cauſa concupiſcentia appelletur peccatum, extra diſputationem eſt: nec declarat Synodus, ſicuti nec Auguſt. ſignificationes peccati, quarum ne meminerunt quidem: nec Synodus dicit aliquam veteri eccleſiæ fuiſſe incognitam, & ita mera calumnia eſt, quòd dicis ſignificationem verbi, quam veteri, inquis, eccleſiæ fuiſſe incognitã, ſynodus declarat primo loco poni ab Auguſt. Habet enim decretum hoc modo: Hanc concupiſcẽtiam quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, ſancta ſynodus declarat eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis ſit peccatum, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Lege decretum ſynodi, & confer cum verbis Caluini, videbis multas calumnias impingi ſacroſanctæ Synodo. Sed verba Auguſtini expendamus, an faciat pro cauſa Caluini, an potiùs pro patribus: & quia obſcura ſunt, ex planioribus eius ſententijs intelligentiam colligere oportet. Concupiſcẽtia, inquit, carnis, aduerſus quam bonus concupiſcit ſpiritus, peccatum eſt, quia ineſt inobedientia contra dominatum mentis, ſine cuius acceſsione, concupiſcentia nec peccatum eſſet, nec vitium in homine: ſed vt in pecoribus naturalis proprietas, dominatus itaque mentis facit eam malam eſſe in homine, quæ laudatur in pecoribus, & hoc eſt, quod hîc dicit beatus Auguſtinus, Concupiſcentiam peccatũ eſſe, quia ineſt ei inobedientia. Poteſt autem hic intelligi concupiſcentia habitua-

Caluinus fallendi ſtudio Auguſtinum torquet.

Auguſtinus Caluino adeò non ſuffragatur vt aduerſetur prorſus.

habitualis, quam docuerat eſſe peccatum originale: poteſt intelligi & actualis, deſideria videlicet mala, quæ peccata ſunt, ſi mentis accedat conſenſio: intelligi etiam poteſt inobedientia actualis & habitualis & dominatus mentis intelligitur mens ipſa quæ domina eſt corporis, vel eius dominat⁹, ius ſcilicet & authoritas dominandi ſeu imperandi. Si autem actus intelligantur vel habitus vt hos complectuntur, ſicut quidam intelligunt, extra ſcopum diſputationis eſt tota hæc Auguſtini ſententia. Concupiſcentiæ autem habituali de qua agitur, & quæ peccatum eſt originale, ineſt inobedientia tanquam cauſæ effectus, ad quem inclinat: excitat enim deſideria aduerſus mentem dominam ſuam, eiuſque imperium, & imperandi authoritatem. Hac autem ratione concupiſcentia carnis ſemper mala eſt, hoc eſt, indecens & diſconueniens naturæ & rationi hominis, quæ tamē in pecoribus laudabilis eſt, quia non habet mentem in eodem ſuppoſito coniunctam, cui aduerſetur, vt docet B. Auguſt. lib. 4. contra Iulianum cap. 14. vbi ex hac cauſa malam nominat concupiſcentiam in homine, non peccatum. In iſto verò capite quod citat Caluinus, dicit & peccatum eſſe, quamuis pœna ſit peccati: ſed quia contra Iulianum diſputat, qui concupiſcentiam vt diximus, dicebat bonam eſſe & laudabilem, non malam. Igitur nihil refert in hac cum Iuliano diſputatione, an concupiſcentia propriè peccatum ſit, an mala tantùm, & ideo ſolum peccatum, quia deformitas eſt vitium & dehoneſtatio naturæ primitus in Adam conditæ, & ab inſtitutione deuiatio. Non igitur ex hac Auguſtini ſententia haberi poteſt quòd concupiſcentia in renatis propriè ſit peccatum. Nam renatorum ne meminit quidem, vt hic ſit & tertia calumnia Caluini, quod Auguſtinū dicit tres cauſas enumerare cur cōcupiſcentia peccatum vocetur etiam in renatis. Probat enim in genere ex ſcripturis, quòd tametſi concupiſcentia ſit pœna peccati, & iuſto Dei iudicio inobediēti homini retributa, nihilominus ſit mala & peccatum, hoc eſt vitium. Et ſecundum eius ſententiam ante baptiſma peccatum eſt, ob quod æternaliter homo damnatur: in renatis verò peccatum propriè nō eſt, ſed ad agonē relinquitur, & virtutū, maximè humilitatis, exercitium. Virtus, inquit Apoſ. Paul. in infirmitate perficitur, illa præcipuè ad quam pertinet non extolli. Loquitur autem, vt diximus, B. Auguſtinus de concupiſcentia in genere, ſicut & de cæcitate etiam infidelium, quam tamen non ſemper peccatum eſſe propriè teſtatur Dominus Saluator, dum dicit apud Ioannem. Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent. Si tamen omnino contendatur, quòd intelligat de concupiſcentia etiam in renatis, quāuis hoc nulla ſermonis circunſtantia conuincat, ſed aduerſetur, magis intelligendum erit accedente mentis conſenſione, vel negligentia. Nā idē ipſe ſæpè dicit vt ſuperius patuit, quod aliter non eſt peccatū propriè, in iiſdē etiam aduerſus Iulianū libris, Nō talia, inquit, ſunt vitia, quę peccata dicenda ſunt, &, Sine peccato eſſemus, ſi malo carnem inhabitanti nunquam conſentiremus, omni peccato caret baptizatus. Incredibile eſt, ꝙ in iiſdem his libris, quos aduerſus eundem Iulianum ſcripſit, ſibijpſi aduerſaretur. Et quia propriè non aliud eſt concupiſcentiæ ineſſe obedientiam contra dominatum mētis, quā carnem concupiſcere aduerſus ſpiritū quod 2. lib. dixerat eſſe iniquum, ſicut ſpiritum aduerſus carnē concupiſcere iuſtū dixerat & æquū: ideo etiam hoc ſenſu concupiſcentia hic intelligi poteſt peccatum in renatis, inordinatio ſcilicet & naturæ corruptæ deformitas atque indecentia. Nec ſecundū mentem B. Auguſtini hæc cauſalis vera eſt: Cōcupiſcentia peccatum eſt, quia ineſt ei inobedientia contra dominatum mentis, niſi generaliter intelligatur peccatum pro defectu, vitio vel deformitate naturæ, cum ſecundum eum in renatis peccatum non ſit, & ineſſet homini ſi quē Deus crearet quales ex Adam naſcimur, vt dicit in 3. lib. de libero arb. cum hac contra dominatum mentis inobedientia, & generaliter hic peccatum accipi, ſufficit cauſæ, quam agit contra Iulianum, quo ſenſu in principio eiuſdem capituli dicit iniuſtum eſſe, quòd obtemperaretur ei à ſeruo ſuo, qui nō obtemperarat domino ſuo, quod ſolum indecens eſt & ſimpliciter iuſtum, non iniuſtum. De homine tamen ex Adam nato, antequam renaſcitur, vera eſt ſecundum Auguſtinum hæc propoſitio cauſalis, intelligendo propriè peccatum. Vera eſt etiam ſi intelligatur (quod ſępè explicat) in obedientia cum mentis complacētia. Ex his patet quòd nihil ſoliditatis habet tota hæc deductio Caluini, ſed ſophiſtica eſt, ex falſis, ambiguis, & amphibologicis, & multiplicibus ſententijs nō ſine calumnijs procedens & ex eis contra veritatem, & patrum ſententiam ac decretum concludens, quod tamen inuiolabile manet concupiſcentiam, ſcilicet in renatis non eſſe propriè peccatum, ſed ſic aliquando ab Apoſt. nominari, quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat.

Concupiſcentia Iuliano bona.

Concupiſcētia quo ſenſu Auguſtino peccatum.

Concupiſcentia quo ſenſu contra dominatum mentis.

AD maiorem intelligētiam eorum quę dicta ſunt de peccato originis & concupiſcentia nobis ingenita ſequentur aliquot propoſitiones. Quarum prima eſt: Firma & infallibili fide credendum eſt vniuerſos homines ab Adā ſeminaliter procreatos, ex ſua origine contrahere peccatum, & naſci filios iræ æternæ damnationi obnoxios, prout docet Apoſt. Paul. ad Rom. cap. 5.

Secunda propoſitio: Eadem fide credendum eſt, quòd virium rebellio & motiones inordinatæ, ignorātia, infirmitates, mors, & vniuerſæ miſeriæ, quas patiuntur, ſunt pœna peccati, & non naturales hominis conditi conditiones. Nam per peccatum mors & ita in omnes homines mors pertranſijt, vbi nomine mortis Apoſtolus complectitur vniuerſas miſerias, quib⁹ ſumus ſubiecti, de qui

bus etiam Eccleſiaſt.cap.40. Et B.Iob, cap. 14. *Iob 14.* Homo, inquit, natus de muliere, breui viuēs tempore, repletur multis miſerijs.

Tertia: vniuerſa hæc mala potuiſſent eſſe naturales hominis conditiones & proprietates, vt ſi hominem creaſſet ſine gratia & iuſtitia originali, quæ ſola impediebat, ne hæc mala eſſent in homine, ſine qua ſecuta fuiſſent principia naturæ, ſicut & nunc ſequuntur naturam ab ea deſtitutam, quemadmodū earum plurimæ ſunt in cæteris animalibus. *Auguſtinus.* Iſtud enim ſupponit fieri potuiſſe B. Auguſtinus lib.3. de lib.arbit.cap.20. & ſequentib. Nam ſicut hominem à natiuitate cæcum facere poteſt, & veriſimile eſt, quod pueri ex Adam, etiamſi non peccaſſent, ſine ſcientia agendorum, & ſine rationis perfecto vſu generati fuiſſent. Ita & ſine gratia gratum faciente & iuſtitia originali, eum creare potuiſſet, & hæc omnia, imò & carentia iuſtitiæ, & ad malū pronitas ſolùm defectus fuiſſent naturales, nec culpæ nec pœnæ habuiſſent rationem. Non enim hominem creando neceſſariò eum fecit naturæ diuinæ conſortem, ſpiritum ſuum ad inhabitandum communicando, nec filium, & vitæ æternæ hæredem, hæc enim omnia ſingulari ſua largitate & miſericordia, ſupra naturam ei eſt largitus.

Quarta propoſitio: Vniuerſa hęc mala pœnæ ſunt & ſupplicia peccati, ſed magis concomitātia iuſtitiæ originalis carentiā, quàm à Deo taxata vel inflicta, vt docet B.Thom.2. *B. Thomas.* quæſt.164.art.1. & de malo, q.5.art.4. qualis *Auguſtinus.* pœna eſt, de qua dicit B.Auguſt.lib.1.confeſ. cap.12. iuſsiſti Domine, & ſic eſt, vt pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus. Et ideò variè & diuerſis modis inueniuntur in filijs Adæ, multi enim alijs in his calamitatibus ſecundum complexionum diuerſitatem ſunt miſeriores.

Quinta: Sunt autem pœnę ſupplicia & effectus, nō ſolùm peccati Adæ, ſed & proprij, & proximorum parentum, horum enim omnium peccatum, quod in origine contraxerunt, ſequuntur, à ſolo tamen Adam eiuſque peccato originaliter habēt, quòd pœna ſunt vel peccata. Nam ſi referantur ad proprium peccatum, vt in quolibet eſt, vel ad proximorum Parentum peccatum, ſolū defectus ſunt naturales, non pœnæ, vel culpæ: & hoc ſenſu dicit B.Auguſt. quod paruulus cōtrahit meritum pœnæ, quodq; iniuſtum eſſet Dei iudicium, ſi paruuli innocentes mortē traherent ſine meritis, lib.3. contra 2. epiſt. Pelag. cap.4. & lib.6. contra Iulianum cap.4. & lib.3. ca.18. *B. Thomas.* Et B. Thom. in 2. Sententiarum, diſtinct. 20. quòd peccatum originale non transfunditur per modum meriti, ſed traductionis tantum. *Auguſtin.* Nam B. Auguſtinus intelligit meritum pœnæ indignitatem & conditionem, quam pœnæ ſequuntur: & B.Thom. quòd transfunditur nō per modum meriti, cui propriè hæc mala reſpondeant & infligantur, eſſe autem ſupplicia inobedientię primi parentis, teſta- *1. Corint.15.* tur Apoſtolus Paulus in epiſtola ad Corint. Sicut in Adam, inquit, omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes viuificabuntur. Per vnius hominis inobedientiam in omnes homines in cōdemnationem, & per vnum hominē in omnes homines mors pertrāſijt. Et inter has pœnas concomitantes videri poſſet ponenda eſſe carētia diuinæ viſionis, quæ ſequitur carentiam iuſtitiæ & gratiæ gratum faciētis, quæ vt filium ita & hæredem facit æternæ hęreditatis. Non enim irrogari videtur paruulis ſine baptiſmo decedentibus ob culpæ malitiam, ſed magis ob indignitatem & incapacitatem eius.

Sexta: Certa fide tenendum eſt, quod peccatum originale, & vniuerſa peccata actualia in Baptiſmo remittuntur: non ſolum vt imputentur in gratiam Chriſti ad ſupplicium, verùm etiam vt tollatur omnis deformitas culpæ, omnis macula, & culpæ ratio, omniſque reatus & dignitas ſupplicium ſuſtinendi: & ſimilis fit remiſsio in pœnitentia perfecta dicēte Propheta David: Lauabis me, & ſuper niuem dealbabor: & Eſaiæ 1. cap. Si *Pſalm. 50. Eſa.1. cap.* fuerint peccata veſtra ſicut coccinum, ſicut nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra ſicut vermiculus, velut lana alba erunt: & apud alium Prophetam teſtatur Dominus, quòd non recordabitur iniquitatum impij, qui ſe *Ezech 18.* à peccatis auerterit. Tollit enim remiſsio peccati in Baptiſmo & perfecta pœnitentia, quicquid mali per peccatum acceſsit in anima: remiſsio enim peccatorum maior eſt & perfectior, ampliuſque complectitur, quàm peccata ad ſupplicium non imputari: ſicut maius eſt iuſtificari, quam peccata non imputari, de quo Oecumenius & Theophilactus circa locum Apoſt. ad Rom.4. quemadmodū *Oecumenius Theophilact.* & Dauid beatificationem hominis dicit, cui Deus imputat iuſtitiam abſque operibus, beati quorū remiſſæ ſunt iniquitates. Videtur, inquit OEcumenius, alienum quodammodo teſtimonium. Neque enim habet, Beatus cui fides ad iuſtitiam abſq; operibus imputatur, attamen eſt admodum conueniens. Nam ſi beatus eſt, cui peccata ſecundum gratiam remiſſa ſunt, terque, quaterque, certè beatus eſt, quem Deus ſecundum gratiam iuſtificauit. Non autem poteſt peccatorum fieri remiſsio ſine iuſtificatione, cum per peccatum iuſtitia & gratia amittatur: & ideò non perfecta fit eius remiſsio, quouſque non fuerint reparatæ.

Septima: Peccatum originale non eſt peccatum illud, quo Adam per inobedientiam tranſgreſſus eſt pactum Domini: hoc enim transfundi non poteſt, cùm fuerit actus Adæ perſonalis: ſunt enim actiones ſuppoſitorū: & ideo eius perſonam excedere non potuit, nec in poſteros transfundi, niſi ſecundū ſuos effectus, carentiam videlicet gratiæ Dei, iuſtitiæ originalis, & aliorum beneficiorum, quæ pro ſe & tota poſteritate acceperat, nec magis tranſgreſsio hæc ſecundum ſe, & id quod erat, transfundi poterat, quam proximorum parentum peccata: dicimur tamen illa tranſgreſsione eſſe pręuaricati, ſed in Adam ſolùm, non in nobis ipſis, & hoc ſenſu, quod

quod hæc tranſgreſsio inobedientiæ Adę nobis imputatur, nô ſolum ad ſupplicium, ſed & ad culpam: non quidem quòd hæc tranſgreſsio ſit peccatum noſtrum, à quo formaliter ſimus & dicamur peccatores, quanuis denominatione extrinſeca, prout intelligere videtur Ambroſius Catharinus, & Albertus Pighius: ſed quia per eã, vt ſupplicio ſumus obnoxij, ita & culpæ, per quam ſumus intrinſecè peccatores. Dicit enim Apoſtolus, Per inobedientiam vnius hominis peccatores cõſtitutos eſſe multos, ſicut per vnius obedientiam, iuſti conſtituuntur multi: iuſti autem conſtituuntur intrinſecè per ſpiritum iuſtitiæ inhabitantem. *Apoſt. Paul.*

Octaua: ſicut Adam ex ſua præuaricatione factus eſt peccator, & in multas venit calamitates, ita & nos ex eadem & per eãdem naſcimur, non ſolum miſeri, carentes iuſtitia originali, rectitudine ac ordine virium animæ: ſed & peccatores & rei æternæ damnationis per eorundem abſentiam, ſic quod carentia iſta non ſolùm pœna & effectus peccati eſt, ſed etiam culpa & peccatum: non quo peccauimus, ſed quo formaliter ſumus peccatores.

Nona: Quemadmodum Adam factus eſt peccator, & Dei inimicus, ex eo, quòd peccãdo habitualiter à Deo eſt auerſus, eum fontem aquæ viuæ relinquendo, & ſe conuertendo ad creaturam vxorem ſuam, & fructum vetitum: ita & nos naſcimur peccatores, quia habitualiter à Deo naſcimur auerſi, & ad cõmoda noſtra, & bonum commutabile propenſi. Conſiſtit autem hæc auerſio in Adam, & in nobis in iuſtitiæ huius & gratiæ carentia. Non enim Adam poſitiuè & formaliter per Dei tanquam finis refutationem ab eo eſt auerſus, ſed ex conſequenti ad creaturam ſe conuertendo, quam conuerſionem ſecuta eſt gratiæ & iuſtitiæ originalis priuatio, & ita à Deo auerſio: Et quia pro ſe & poſteritate acceperat gratiam & iuſtitiam, eius carentia ex peccato profecta, peccatorem conſtituit eum, in quantum eius perſona per eum ordinata erat, conſtituit & peccatores vniuerſos eius filios, in quibus tamen carentia iſta prior natura eſt cõuerſione & pronitate ad malum. Nam ad iuſtitiæ priuationem vires hominis ordine ad bonum virtutis deſtituuntur, & ſic deſtitutæ ad malum ſunt pronæ.

Decima propoſitio: Quamuis non ſolum per Adam, ſed & per parentes proximos trãſfundatur peccatum originale, cùm naturam corruptam in filios traducant, ex ſola tamen Adæ inobedientia naturæ corruptio, ſiue iuſtitiæ carentia conſtituit nos peccatores, & rationem habet culpæ ſiue peccati, & non ex aliquo parente proximo, in quibus perſonales ſunt gratia & iuſtitia, quam in baptiſmo & pœnitentia ſuſcipiunt, & ita in poſteros transfundi non poſſunt: rectè enim B. Tho. ſcribit 12. quæſt. 81. artic. 2. ad 3. argumentum, quòd ſolùm primùm Adæ peccatum naturam humanam corrupit corruptione ad naturam pertinente, hoc eſt, ad vniuerſam eius poſteritatem, donum videlicet iuſtitiæ tollendo, quod non Adæ tantùm, ſed toti naturæ humanæ ex eo propagandæ ſaltem virtualiter erat datum: alia, inquit, peccata noſtrã naturam corrumpunt, ſed corruptione ad ſolam perſonam pertinente, propter quod in filios transfundi non poſſunt: nulli enim nunc, nec poſt Adam data eſt iuſtitia, vel quoduis aliud donum ad ſalutem conducens, niſi pro eius perſona tantum: & ideò alia peccata poſt primam Adæ præuaricationem, ſicut transfundi non poſſunt ſecundũ actiones, in quibus conſiſtunt, ita nec maculare poſſunt, immundos aut iniuſtos facere eos, quos generant, vt ſic propriè poſt primã Adæ inobedientiam verificetur, Iuſtitia iuſti ſuper ipſum: & Iniquitas impij ſuper eũ: &, Anima quæ peccauerit, ipſa morietur: quod de ſolo Adæ peccato verum non erat, & ideò iniqua erat Iudæorum de patrum ſuorum peccatis querimonia, quòd comediſſent vuam acerbam, & dentes eorum ſtupeſcerent. Impoſsibile enim eſt, vt dicit beatus Thomas, quòd aliud peccatum, quàm primum Adæ transfundatur: & ideò ſi in naturalibus Adam fuiſſet creatus, vel gratiam ſicut modò nos omnes, pro ſua tantum perſona accepiſſet, nullum potuiſſet in filios transfundere peccatum. Oportet igitur peccatum originale conſiſtere in defectu proprietatis naturalis: & quia ſola gratia, iuſtitia, ſiue rectitudo hominis erat hoc modo naturalis, quòd naturæ Adæ, hoc eſt, toti eius poſteritati in eo data erat, neceſſariũ eſt, quod in eius priuatione aut carentia, prout tamen ex peccato ineſt, & his, quæ eam ſequuntur in viribus animæ virtutis & vitij capacibus, originale conſiſtat peccatum: quod & docet Concilium Arauſicanum, & poſt ipſum Tridentinum, dum interpretatur peccatum originis eſſe mortem animæ, quam certum eſt fieri ex priuatione vitæ, & ita ex carentia gratiæ, quæ per ſpiritum inhabitantem conceſſa, animæ eſt vita. Et quamuis carentia gratiæ, ſicut & concupiſcentia & virium hominis corruptio ſecundum ſe, & vt in paruulo, conſiderare, nullam vt diximus habere poſsint peccati rationem: ſi tamen referantur ad Adæ tranſgreſsionem quam ſequuntur, peccati rationem habent, & peccata dici poſſunt. Ex cuius inaduertentia natus eſt error Ambroſij Catharini & Alberti Pighij, ſi tamen error dicendus eſt, & non potius inconſideratio, quod ſolum peccatum transgreſsionis Adæ originale eſt peccatum, quòd naſcendo ſecundum eos contrahimus: non transfuſione, ſed extrinſeca tantum denominatione: quodque nihil eſt in paruulo recenter nato, quod odit Deus, vel rationem poſsit habere peccati. Conſiderat enim iuſtitiæ carentiam, concupiſcentiam, & alia, quæ illam ſequuntur, ſolum in relatione ad naſcentes: ſecundum quam nec pœnæ, nec culpæ rationem habere paſſunt, prout ſuperius oſtendimus docuiſſe etiam B. Thomam. Et ſolum conſiderauerunt rationem peccati,

Thomas.

Concilii Arauſicanum.

ſecundum quam dicimur peccare & legem transſgredi: non eam ſecundum quam dicimur peccatores, de quo diximus etiam ſuperius.

Vndecima propoſitio: Non eſt eadem peccati ratio qua dicimur peccare, & ea à qua dicimur peccatores: à legis enim transgreſsione, ſumus peccantes, non peccatores propriè formaliter, ſed cauſaliter tantùm. Nam legis trãſgreſsio peccatores facit, & ideò peccatũ originale per quod naſcimur peccatores, ſicut non eſt actio, ita nec alicuius legis transgreſsio: quamuis ſit deuiatio à lege ſecundũ quam ad Dei imaginem homo inſtitutus eſt & creatus. Sed quia hæc lex, regula eſt, & ratio in mente diuina, ſecundum quam hominem condidit, non eſt directiua vitæ & actionum eius: quaproter non obligat, nec conſtituit ab ea deuiantem peccatorem. Et B. Augustin. dicens 16. de ciuitate Dei, ca. 27. Quòd paruuli non propriè, ſed originaliter naſcũtur peccatores, vt in eis etiam verum ſit, præuaricatores æſtimaui omnes peccatores terræ, quodq́; omnes legis alicuius præuaricatæ ſunt rei, qui aliquo peccato tenentur obſtricti, intelligit eos præuaricatos eſſe & transgreſſos legem ſiue teſtamentum Dei, Adæ datum in paradiſo: ſed transgreſſos non in ſe, ſed in Adam, dicente Apoſtolo: In quo Adã ſcilicet omnes peccauerunt, & non docet originale peccatum eſſe transgreſsionem alicuius legis, ſed in paruulo contrahi, quia in Adam peccauit: quapropter dicit non eſſe ſine præuaricatione, quam eſt ſecutum. Deuiatio tamen à regula ſiue lege, ſecũdum quam ad imaginem ſuam Deus hominem creauit, conſtituit vitium naturæ, & nõ peccatum ad ſupplicium imputabile, niſi in quantum voluntaria eſt, & tunc ſolum ad illud ſupplicium, quod excluſiſſet iuſtitia vel donũ ſecundum, quod ab inſtitutione declinat & deficit. Et ſicut in Adã nullus habitus poſitiuus, nec qualitas aliqua ſecuta eſt eius transgreſſionem & iuſtitiæ carentiam: ita nec nobis quando naſcendo originale peccatum contrahimus: & ſi Adæ transgreſsionem qualitas aliqua poſitiua fuiſſet ſequuta, perſonalis fuiſſet ſequuta, perſonalis fuiſſet, nec potuiſſet trãsfundi, ſicut nec vitioſæ qualitates proximorum parentum, & ſola iuſtitia originali ſublata quæq́; vires ad propria habiles & pronæ feruntur, ſicut feræ beſtiæ ſublato & ſoluto freno quo arcebantur, nec opus eſt aliqua qualitate impellente ad illicita deſideria in nobis, ſicut nec in huiuſmodi beſtijs & difficile eſt intelligere vnam aliquã qualitatem ad diuerſa deſideria in omni vitiorũ genere inclinare, & ideò ſuperuacanea eſſet, nec vlla eius cauſſa aſsignari poſſet, niſi Deus, quo authore nemo fit deterior.

Duodecima: Quemadmodum iuſtitia originalis, primò mentem, totumq́; hominem Deo ſubijciebat, & deinde voluntatem, omneſque vires inferiores ordinabat ad bonũ virtutis, ità ea ablata mens tota totusq́; homo à Deo, eiusque obedientia auerſus eſt, & voluntas ac reliquæ vires ordine ſuo deſtitutæ ad ſibi propria ac commoda factæ ſunt habiles & propenſæ: & ideo peccatum originis primò conſiſtit in gratiæ ac ſubiectionis carentia, & deinde in voluntatis ad ſui amorem, omneq́; malum pronitate, & tertio loco in virium inferiorum facilitate & procliuitate ac ſibi commoda, quæ duo poſteriora peccati rationem habere non põſſunt, niſi à carentia gratiæ gratum facientis & ſubiectionis erga Deum, ſiue ab eo auerſione habituali, inquantum ſcilicet hanc ſequuntur ex Adæ peccato contracta: gratia autem reſtituta peccati rationem habere non poſſunt, nec ipſius quidem iuſtitiæ originalis carentia ex ea parte, qua ab hac gratia differebat, hoc eſt, vt partem ſenſitiuam in ordine continebat, ſicut nec iuſtitia hac parte ſine gratia propriè virtus erat. Perdita autem iterum hac gratia baptiſmali, quamuis ſint cum gratiæ carentia, nec tamen ſunt, nec denominari poſſunt peccata, quãuis ex Adæ peccato nata ſint, eò ꝙ nõ cũ illa carentia, quæ ex eius peccato, ſed proprio ſecuta eſt, maneant. Rationem autem peccati ſolum habent in quantum ſunt cum carentia gratiæ ex Adæ peccato ſecuta.

Decima tertia Propoſitio. Ex dictis patet, quòd erronea eſt ſententia Ioannis Caluini, quòd peccatum originale conſiſtit in qualitate poſitiua, accendente & inflammante ad omne malum: ita enim ait in ſua inſtitutione, cap. de Baptiſmo: Hæc, inquit, peruerſitas, nunquam in nobis ceſſat, ſed nouos aſsiduè fructus parit, ea ſcilicet, quæ ante deſcripſimus, opera carnis, non ſecus atq; incenſus fornax flammas & ſcintillas perpetuò efflat, aut ſcaturigo aquam ſine fine egerit: teſtatur enim & docet contrarium B. Aug. lib. 6. contra Iulian. Ineſt, ait, homini malum, etiam præter iſtum actum, id eſt, præter hunc motum, vnde ſcilicet ſurgit hic motus, quẽ motum dicimus deſiderium. Declarat enim concupiſcentiam actu manere in baptizatis, quia manet ſecundum mala deſideria, quæ cõmouet. Nõ enim, inquit, ſemper eſt deſiderium, contra quod pugnemus: ſed ſi tunc non eſt, quando non occurrit, quod concupiſcatur, ſiue animo cogitantis, ſiue ſenſibus corporis fieri poteſt vt inſit qualitas mala, ſed nulla ſit tentatione cõmota: ſicut ineſt timiditas homini timido, & quando non timet. Cùm verò occurrit, quod concupiſcatur, nec deſideria mala nobis etiam nolentibus commouentur, ſanitas plena eſt. Vocat autem concupiſcentiam, qualitatem malam, quia per modum qualitatis ſe habet: de quo B. Tho. quæſt. 82. arti. 1. Hic docet B. Auguſtinus nõ ſemper eſſe deſiderium cõtra quod pugnemus, quando ſcilicet non occurrit, quod concupiſcatur. Non igitur eſſe poteſt peccatum originale, ſiue concupiſcentia, quaſi incenſus fornax, qui flammas & ſcintillas pertetuò efflat. Aptior eſt comparatio, quam facit B. Anſelmus, cap. 5. De conceptu virginali. Nam quemadmodum, ait, indomita fera, ruptis vincu-

Auguſtinus. *Auguſt. lib. 6. contra Iulianum.* *Anſelmus de concept. virg. cap. 5.*

vinculis,diſcurrendo ſæuit: & cum nauis, ſi gubernator dimiſſo gubernaculo dimittit eam ventis & motibus maris, vagatur & inuehitur in quælibet pericula, dicimus,quia hoc facit abſentia catenæ vel gubernaculi, quoniam ſi adeſſent, facerent ne ſæuiret fera,aut periret nauis. Ita cùm malus homo ſæuit,& in quælibet animæ ſuę pericula impellitur:clamamus, quia hoc operatur iniuſtitia,non quòd ipſa vlla eſſentia ſit,aut faciat aliquid:ſed quoniam voluntas, cui ſubditi ſunt omnes voluntarij motus totius hominis,abſente iuſtitia diuerſis appetitibus impulſa,ſe & omnia ſibi ſubdita in multimoda mala leuis & effrenata, & ſine rectore præcipitat: quod totum iuſtitia, ſi adeſſet, prohiberet ne fieret.Nam etſi pronitatem concupiſcendi eiuſq; deſideria qualitas habitualis ad malum inclinans ſequi poſsit: quia tamen naſceretur ex huiuſmodi actibus,perſonalis eſſet,nec poſſet transfundi. Ex quibus omnibus patet omnium peccatorum etiam venialium, vt etiam ſuperius diximus,minimum eſſe peccatum originale, minimumq; habere culpabilitatis,nec eadem ratione dici peccatum,qua peccata alia,vt dicit beatus Thomas in quæſtionibus de malo materia 4. quęſt.2.ad 4.argumentum. Ex quo infert Ioannes Capreolus eius defenſor, quòd hoc peccatum non vniuocè, ſed multum æquiuocè dicitur peccatum cum peccatis actualibus, cùm ratio peccati propriè conſiſtat in deordinatione actus, non naturæ nec agentis.

B. Thomas.

DE concupiſcentia,quæ eſt peccatum originale,vel potiuseius effectus,ſit hęc prima propoſitio.

Quid concupiſcentia.

Quamuis ſecundum vſum ſacrarum ſcripturarum & rationem nominis concupiſcentia ſit bonarum æquè ac malarum rerum appetitus,libido tamen in homine ſemper mala eſt.Nam concupiſcentia ſecundum Ariſtotelem in primo lib.Rhetoricorum,eſt appetitus ſiue deſiderium delectabilis: delectamur autem in bono & malo,turpi & inhoneſto, ſicuti & vtraque amamus: & appetitus ſenſitiuus in iraſcibilē diſtinguitur & concupiſcibilem .quarum concupiſcentiarum paſsiones quædam ſunt laudabiles,aliæ vituperantur. Sapiens enim dicit, Quòd concupiſcētia ſapientię deducit ad regnum perpetuum.Et Propheta:Cōcupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas. Et Apoſtolus Paulus:Spiritus concupiſcit aduerſus carnem:quas concupiſcentias certum eſt bonas eſſe: frequentius tamen ſcriptura ſacra atque Doctores eccleſiaſtici in malam partem hoc nomine vtuntur:quod cognoſci poterit ex circunſtantijs, vel adiectione rerum de quibus eſt concupiſcentia: vt B. Ioannes in prima epiſtola: Omne quod eſt in mundo, ait,concupiſcentia carnis eſt,& concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ eſt concupiſcentia honoris & gloriæ:de qua in genere dicit,quod non eſt ex patre,ſed ex mundo, qui tranſibit & concupiſcentia eius. Et

Sap. 6. Pſal.118. Galat.5.

1.Ioan.1.

Iacobus Apoſtolus: Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus:deinde concupiſcentia cū conceperit,parit peccatum.Et beatus Petrus:Fugientes,inquit,eius quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem.Et beatus Paulus ſubindicat aliquam concupiſcentiam bonam eſſe,quando iubet mortificare libidinem concupiſcentiam malam.De libidine autem docet beatus Auguſtinus de malis tantū dici.ait enim cō tra Pelagianos,lib.4. Hypognoſt.Sine dubio à libendo, hoc eſt, à libitu libido eſt nuncupata,ſed non omne quod libet,libido eſt, in bono enim libitum, libido dici non poteſt, ſed voluntas de ratione exoriens:in malo verò libitu,non voluntas,ſed voluptas eſt quā fecit tranſgrediēs protoplaſti voluntas. Differt & hoc libido à concupiſcentia,quod eſt amor ad ſe recuruus,& priuatus,ſiue voluntas propria,qua amamus aliud à Deo irreferibiliter ad eum,& bonum virtutis,quam voluntatem ſequitur concupiſcentia ſiue deſiderium: & in hoc conueniunt, quòd ambo ſunt circa obiecta ſenſibilia & ſpiritualia: Quāuis vt dicit B.Aug.lib.14.de ciuitat.Dei. Cum multarum ſint libidines rerum,tamen cum libido dicitur, neque cuius rei ſit additur,non ſolet animo occurrere, niſi illa qua obſcœnæ partes corporis excitātur, cum tamen ſit generale vocabulum omnis cupiditatis.Nam & ipſam iram nihil aliud eſſe quā vlciſcendi libidinem,veteres appellauerūt. Eſt igitur libido vlciſcendi, quæ ira dicitur: eſt libido habendi pecuniam, quæ auaritia: eſt & gloriandi, quæ iactantia nuncupatur. Multę ſunt varięque libidines,quarum multæ etiam habent vocabula propriā,quædam autem non habent.Omnis autem libido eſt amor creaturæ in ea quieſcens ſiue ſit corporalis,ſiue ſpiritualis,in Dei dono faciens delectari,& largitoris obliuiſci.

Iacob.1. 2.Pet.1. Coloſ.3. Auguſtinus. Differt præterea libido à concupiſcentia. Auguſtin. cap.16.

Secunda propoſitio: Secundum Ariſtotelem in primo libro Rhetoricorum & in 3. Ethicorum: Quædam cōcupiſcentia eſt naturalis de bono ſcilicet ,ſecundum ſenſum conueniente, per quod natura corporis ſuſtentatur per cōſeruationem indiuidui: quales ſunt cibus, potus, & huiuſmodi: ſiue per conſeruationem ſpeciei:& alia innaturalis, quæ eſt de eo quod per imaginationem vel intellectum apprehenditur eſſe bonum,quā uis naturæ corporis non conueniat, iudicat enim plerumque ratio bona, quæ ſenſus refugit,aut quæ eum ſuperant:imò & alia quæ ſimpliciter homini ſunt mala, cuius generis ſunt honor,gloria,diuitiæ,virtus,ſapientia. De qua duplici concupiſcentia tractat beatus Thomas 12.q.30.& q.77. explicans ſententiā B.Ioannis: Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, quam Ariſt. naturalē vocat:& cōcupiſcentia oculorum,quę eſt ſecundum apprehenſionem boni delectabilis, & pertinentis propriè ad concupiſcibilem: & ſuperbia vitæ , quæ eſt concupiſcentia honoris & gloriæ , & boni ardui , circa quod eſt virtus iraſcibilis,eam extendendo:

B. Thomas.

ſicut & concupiſcibilem ad mentem & voluntatem.

Tertia propoſitio: Concupiſcentia qua ſecuta eſt peccatum Adæ, & ab omnibus eius filijs cõtrahitur, eſt immoderatus appetitus delectabilis, hoc eſt, qui naſcitur ex libidine ſiue amore ſui priuato, in ſe quieſcendo, ſiue ſecundum ſenſum, ſiue voluntatem. Hęc enim rationis imperium præuenit, & eius ſerenitatem obnubililat. Nam cum mens noſtra ſe iungit deſiderio carnis, infirma inquit B. Ambr. redditur & languida, ſpiritualem perdit vigorem ſuumque patitur interitum, ſtimulat etiam & ſolicitat aduerſus dominatum mentis. Et ideo ſecundum Auguſtinum lib. 4. contra Iulianum cap. 5. Concupiſcentia ſiue libido in pecoribus mala non eſt, quia in eis non poteſt eſſe ſapientiæ concupiſcentia: neque enim eſt in brutis vlla natura ſuperior, quæ eſt ex carnis voluptate aut obnubilatur, aut naturalem ſuum perdit vigorem: & ideo ſecundum eam, caro in eis nõ concupiſcit aduerſus ſpiritum, cum non habeant rationem, qua Deo conditori ſuo vacent, obediant, & libidinẽ aut illicitam diiudicent. Vnde & ſuper Pſal. 103. Dicit homini eſſe culpam, quod equo eſt natura: non conturbat in eo voluptas, neque obtenebrat vim vllam. In homine autem præter vim ſenſibilem rationalis eſt animus, ad Dei imaginem conditus, qui capax eſt ſui creatoris & præcepti.

B. Amb.

Quare cõcupiſcentia in brutis non ſit mala.

Quarta propoſitio: Hanc concupiſcentiã diſtinguit B. Ioãnes in concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, quæ ſecundum Auguſtinum in 10. li. confeſ. eſt concupiſcentia viſionis, quæ fit per oculos: refert enim eam ad curioſitatem: ab alijs tamen refertur ad cupiditatem rerum quæ exterius oculis proponuntur qualis eſt pecunia, & ornat⁹ veſtium, & huiuſmodi: & in ſuperbiam vitæ, quæ eſt inordinatus appetitus, ſiue concupiſcentia excellentiæ. Ad quæ tria reducũtur omnes paſsiones, quæ ſunt cauſa peccati. Paſsiones concupiſcibilis ad duo priora, & omnes paſsiones iraſcibilis ad tertium.

Quinta: Quamuis Beatus Auguſtinus in libris contra Pelagianos, videatur definire concupiſcentiam carnis circa venerea, eſſe peccatum originale, quod in poſteritatem Adæ traducitur: ſicut eũ reuera ſenſiſſe ſcribit Greg. de Arimino circa diſtinctionẽ 30 2. veriſimilius tamen eſt, quod concupiſcentia in genere, quæ ſequitur priuatum & proprium noſtri amorem, ſit peccatum originale, & eum hoc ſenſiſſe. Omnem enim hanc concupiſcentiam etiam oculorum, excellentiæ, & bonorum ſpiritualium ex Adę peccato cõtrahimus. Et ipſe in hypognoſtico docet totum hominẽ omneſq; eius vires eſſe corruptas & ex infirmitate per originem contracta, nos non videre quæ agenda ſunt: & ſi videmus, non delectari: & vires deeſſe ad implendum quod bonum eſſe intelligimus. Nec de ſola carnis concupiſcentia, verum eſt quod dicit Apoſtolus Paulus: Non quod volo bonum hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio: & Velle adiacet mihi, perficere autẽ bonũ non inuenio. Inuiti enim in orationibus diſtrahimur, & pręoccupamur motib⁹ ſuperbiæ, inuidiæ, & aliarum paſsionum. Loquitur tamen plerumq; B. Auguſt. quaſi ſola concupiſcentia carnalis peccatũ eſſet originale. Nam lib. 1. de peccatorũ meritis & remiſsione, cap. 9. affirmat peccatum originale carnalem concupiſcentiam in cõcupiſcibiliter genitis ab Adam, qui ea velut tabe quadam infecerit omnes è ſtirpe ſua genitos, ſimiliter cap. 39. & cap. 4. lib. 2. Nam perpetuò loquitur de concupiſcentia carnis, nõ rationis aut voluntatis: de ea inquã, quę in carne noſtra eſt, aut cõſperſa, aut ei innata, quã dicit legẽ mẽbrorũ repugnantẽ legi mentis, & manere in mẽbris corporis mortis huius, & habitare in carne noſtra. & ſæpè interpretatur carnẽ concupiſcere aduerſus ſpiritũ, quia anima per carnẽ concupiſcit: quem admodũ dictũ eſt, Auris audit, & oculus videt. Quis enim neſcit q̀ anima potius et per aurẽ audiat, & per oculum videat, lib. 10. de Geneſi ad litteram cap. 12. Quam opinionẽ ſequitur Gregorius, & ea probat ex eo quòd ſola hęc cõcupiſcẽtia à quolibet homine ex cõceptione contrahitur, nulla autem alia, nec concupiſcentia diuitiarũ, excellẽtię, aut rei alterius. Huic etiã inquit, atteſtatur, quod in his mẽbris ſingulariter poſt tranſgreſsionẽ parentũ indecẽs motus apparuit. De quo B. Auguſtin. 14. lib. de ciuit. Dei, cap. 16 & 19. Sed priori argumento reſpondetur, quod fortaſsis per frigiditatem naturæ inueniantur, qui ab hac concupiſcentia venerea ſunt immunes & alieni. Et ad ſecundum dicitur, quòd magis locutus eſt aduerſus Pelagianos de hac concupiſcentia, non quòd ſola ſit peccatum originale, ſed quòd importunior & violentior ac manifeſtior eſt hic eius effectus. Inter omnes enim concupiſcentias fortior, vehementior, ac frequentior eſt ea quæ conſiſtit in coitu: vt ad opus illud perficiendum plus poteſtatis habeat libido, quàm ratio, vt docet beatus Auguſtinus lib. 14. de ciuit. Dei. Et corrupta eſt magis vis generatiua, quã alię hominis vires per peccatum originale: vt docet etiam Hugo de ſancto victore li. 1. de ſacramentis parte 8. cap. 13. quamuis prius infecerit voluntatem, quàm alias potentias.

Gregorius. de Arimino.

Rom. 7.

Auguſtinus.

Ad prius argumentum reſponſio.

Ad ſecundũ reſponſio.

Hugo de ſancto Victore.

Sexta propoſitio: Concupiſcentia hæc generalis priuatum conſequens amorem complectitur iram, inuidiam, & omnium virium animæ conuerſionem inordinatam ad bonum commutabile: & ita paſsiones iraſcibilis & concupiſcibilis: inter quas concupiſcẽtia vehementius mouet, & magis ſentitur: & ideò ei tanquam principaliori, & in qua omnes aliæ paſsiones quodammodo includuntur, attribuitur, quod ſi peccatum originale: & etiam vltra paſsiones partis ſenſitiuæ immoderatos voluntatis motus complectitur. Conſiſtit enim peccatum originale in omniũ viriũ defectu, iraſcibilis ſcilicet, concupiſcibilis, volũtatis, & rationis: ſicut docent

cent quatuor vulnera, ſecundum euangelium & interpretationem venerabilis Bedæ, animæ inflicta.

Septima. Concupiſcentia non eſt originale peccatum propriè vt eſt animæ affectio ſeu paſsio, ſed vt eſt affectionalis qualitas: cùm enim non ſit actuale peccatum, non eſt actus ſiue motus animæ vel corporis: & rectiùs diceretur concupiſcibilitas ſiue pronitas, vel habilitas ad concupiſcendum. Eſt enim vitium quod paruulum habilem facit ad concupiſcendum adultum, etiam cõcupiſcentem. Sicut in oculo cæci vitium cæcitatis in nocte eſt, ſed non apparet: neque diſcernitur inter cæcum & videntẽ, niſi luce veniente. Sic in puero vitium eſſe non apparet, donec tempus prouectioris ætatis occurrat, de quo Auguſt. lib. 6. cõtra Iulianum, ca. 7. Ego, inquit, tanquam valetudinem malam ex origine vitiata, ingenitum homini dico vitiũ, quo caro concupiſcit aduerſus ſpiritum. Et ſuperius eodem cap. dicit affectionem eſſe malæ qualitatis, ſicut eſt languor. Affectio, inquit, eſt timere, affectionalis qualitas timidũ eſſe: ſicut aliud eſt iratus, aliud iracũdus, aliud ebrius, aliud ebrioſus: illę affectiones, iſtæ affectionales ſunt qualitates. Et cap. ſequenti: Ineſſe poteſt qualitas mala cõcupiſcendi, quando nulla tentatione cõmouetur, ſicut ineſt homini timido timiditas, etiã quãdo non timet.

Auguſt. contra Iulianũ.

Octaua: Quamuis diuerſæ ſint in nobis, vt diximus, ad malum pronitates, & ſecundum complexionum diuerſitatem in hominibus variæ: vnicum tamen ſunt peccatum originale, quod eas omnes complectitur, nec maius in ratione peccati in vno homine, quàm in alio, eò quòd culpæ rationem non habẽt, niſi a carẽtia originalis iuſtitię ad peccatum Adæ relata. Hac enim remota, ſub qua ordine quodam omnes vires continebantur, vnaquæque tendit in proprium ſuum motum, & tanto vehementius, quanto fuerit fortior. Contingit autem eſſe fortiores in vno quàm in alio, propter diuerſas corporum complexiones. Nõ igitur eſt ex ratione peccati originalis, quòd vnus ſit altero pronior ad concupiſcendum, vel iraſcendum, ſed ex diuerſa potentiarum diſpoſitione. Ex quo diſcimus hanc concupiſcentiam ex Adam contractam non eſſe ex ſua ratione peccatum ſeu culpam: tunc enim maior eſſet culpa, vbi eſt fortior & maior. Non magis autem culpabilis naſcitur vnus præ alio, quamuis miſerior, & maioribus obnoxius vitijs. Nam maius naturæ vitium eſt, vbi eſt maior ad concupiſcẽdum pronitas.

Alius alio ad concupiſcendum pronior non ex ratione peccati originalis.

Nona. Sicut mors, morbus, ſitis, & fames ſunt in nobis à Deo vindicante peccatum, non inſtituente naturam, ita & concupiſcentia ſiue libido quæ eſt peccatum originale, ſecundum quam diſtinctionem vtrumq; verum eſt. Deus enim, inquit Sapiens, mortem non fecit, & vita ac mors à Domino Deo eſt: non enim condidit naturam humanam, quæ haberet moriendi neceſsitatem, ſed talem vt ſemper viuere poſſet in pace & tranquillitate, ſed qa humanæ voluntati Deũ deſerẽti mors inflicta eſt, ipſa eſt à Deo eius inobedientiam vindicante: rebellio autem & concupiſcentia ſecutæ ſunt ablationem iuſtitiæ originalis: quam certum eſt à Deo factam eſſe in vindictam peccati, ſicut nobis peccantib⁹ tollitur gratia & virtutes. Et ideo B. Iob apud Deum conqueritur: Quare me poſuiſti contrarium tibi, & factus ſum mihi metipſi grauis? quod exponens B. Gregorius: Tunc, inquit, Deus ſibi contrarium hominem poſuit, cum homo peccando Deum dereliquit. Et venerabilis Beda exponens locum Ioannis de concupiſcentia, quod non eſt ex patre, ſed ex mundo, dicit quòd pugna vitiorum non eſt nobis ex Deo patre & conditore naturaliter inſerta, ſed mundi huius amore, quem creatori prætulimus, nobis accidiſſe probatur. Quod declarans beatus Thomas in 2. Sententiarum, diſtinct. 23. dicit quòd in infectione originalis peccati eſt conſiderare rationem culpæ & pœnæ: culpæ rationem habet inquantum ex inordinata voluntate primi parentis eſt conſecuta. Et hac conſideratione, ſicut actuale ipſius Adæ peccatum per quod voluntas eius deordinata eſt, non habet Deum authorem: ita nec ab ipſo eſt totus defectus conſequens, ſecundum quod culpæ rationem habet. Si autem conſideretur ſecundum quod deficit ab aliqua perfectione, ſic pœna eſt, cuius cauſa eſt Deus, non per inflictionẽ alicuius contrarij affligentis vel corrumpentis, ſed per ſubtractionem gratiæ, quam fuerat largitus. Et huiuſmodi pœnæ à Deo ſunt, non ſicut ab agente aliquid, ſed potius ſicut à non influente perfectionem. Quemadmodum enim iuſtitia homini miſericorditer à Deo data eſt, ita ei peccanti in pœnam eſt ablata: ſicut nunc nobis peccantibus relinquit nos ſpiritus Chriſti, ſuamque gratiam tollit. Eſt igitur hæc concupiſcentia à Deo vt remouente prohibens, hoc eſt tollente eius impedimentum: ſicut frangens trabem cauſa eſt deſcenſus corporis grauis q̄ illa ſuſtinebat. Remota enim, vt diximus iuſtitia, quæ omnia in homine pacabat, ſibiipſis relictę ſunt vires, & quæque ad ſuũ, non hominis, cõmodum & bonũ feruntur. Per ſe autem huius principiũ & cauſa eſt natura hominis, & iuſtitiæ carentia, quod cõcupiſcentia inordinata eſt & contra mentis dominatũ mouetur: ſicut certũ eſt de ei⁹ motibus, quod ab animæ viribus progrediũtur, eò quòd ſunt earum appetitiones & effectus, quæ mouere nõ poſſunt, nec appetere, niſi à Deo moueantur. Et ita ſicut hi motus, ſic & concupiſcentia à Deo eſt: ſed ꝙ inordinatè mouentur, rationi reluctantes, à vitio naturæ eſt, non à natura, niſi vt deſtituta & orbata eſt iuſtitia. Sicut ruptis vinculis, ſuis viribus feræ ſæuiunt. Ex quibus patet quòd modo quodam hæc concupiſcentia a Deo non eſt, videlicet vt peccatum eſt, & ad Adę tranſgreſsionem habet relationem: & quod ab eo eſt, vt ſpoliante propter inobedientiam iuſtitia

Iob. 7.

Gregorius.

Thomas.

Quo pacto cõcupiſcentia eſt à Deo.

iuſtitia, quæ rebellionem impediebat, & etiam concupiſcentia à Deo eſt, in quantum, vt diximus, naturam hominis ſequitur, nec ab ea mali motus & appetitiones proficiſcuntur, niſi Deo operante. Quòd autem immoderatè, vel contra ſpiritum mouentur à Deo, non eſt niſi vt peccatum vindicante. Habitualis autem concupiſcentia tota eſt à Deo, cõtrarietatem appetituum in homine ſequẽs, quos à Deo accepit. Ex quibus conſequenter manifeſtum eſt, quid in ea & eius motibus Deo placeat, quid diſpliceat, & quid in eis odiat. Nihil enim odit eorum, quæ fecit, ſed diligit vniuerſa: ſolus autem impius, & impietas ſunt ei abominabiles. Rectiſsimè igitur definiuit Concilium Tridentinũ, quòd in renatis, qui ex domo prioris patris, in aliam familiam & corpus Chriſti ſunt translati, nihil eſt, quod odit Deus, nec hanc quidem concupiſcentiam, quę per Baptiſma peccatum & culpa eſſe deſijt.

ARTICVLVS TERTIVS.

Pœnitentiæ Sacramentum, quod poſt Baptiſmum omnibus relapſis eſt ad ſalutem neceſſarium, complectitur Contritionem, Confeſsionem, & Satisfactionem.

NOminatur hoc Sacramentũ à pœnitentia, tum quia conſiſtit in actibus pœnitentiæ, vt docet Concilium Florentinum, ſicut Baptiſmus in lotione. Complectitur enim, vt dicit Articulus, Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem, qui ſunt actus pœnitentiæ, quando ordinantur ad placandum Deum, & delenda peccata: tum quod ſolis quos peccatorum ſuorum pœnitet adminiſtrari poteſt: & alijs exhibitum, non ſolum effectum non habet, ſed nec rationem ſacramẽti, quod ei peculiare eſt. Baptiſmus enim per ſe non requirit veteris vitæ pœnitentiã, vt de paruulis manifeſtum eſt, & de adultis, qui nullum admiſerunt peccatum actuale: & ſi admiſſum eſt peccatum etiã mortale, ab impœnitẽte ſuſceptus, verè ſacramentũ eſt, & ad ſalutem valere incipit, cùm fictio veraci confeſsione receſſerit, vt docet beatus Auguſtinus libro 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 12. & lib. 3. cap. 13. *Quid pœnitentia.* Eſt autem pœnitentia ſecundum vſum Latini ſermonis, diſplicentia & improbatio eius, quod fecimus, noſtróue factum eſt conſilio aut voluntate: quæ ſi efficax eſt, infectum faceret ſi poſſet, quod fecimus: quod cum fieri nequeat, impedit ne fiat, quod iuſſum eſt, & deſtruit, quod ex facto aut iuſſu eſt ſecutum, ſtudetq́; omnia in integrum & priorẽ ſtatum reponere. Hæc enim eſt conditio voluntatis efficacis & pœnitentiæ operatoriæ. Pœnitentia igitur de peccato, ad quam peccatores hortatur ſcriptura, eſt huiuſmodi diſplicentia & improbatio peccati, hoc eſt eius, quod male egimus contra legem Dei, cum propoſito & ſtudio deſtruendi ipſum, & totum, quod ex eo eſt ſecutum. Et eſt initium ac principium aliarum partium vel diſpoſitionũ, quas hoc ſacramentum complectitur. Nam qui efficaciter odit peccatum, ipſum deſtruere, & Deum placare ſtudet, atque ideò media amplectitur, quæ diuinitus ad hunc finem ſunt cõſtituta. Ea autem hoc tempore noui teſtamẽti ſunt Confeſsio & ſatisfactio. Nam alia ordinata erant tempore legis, vt patet Leuit. 3. & 4. Eadem enim virtus pœnitentiæ diuerſa imperat media, quibus peccata & eorum affectus abolentur pro temporum diuerſitate, ſicut temperantia eadem nunc imperat cibo vti, à quo poſtea vult abſtineri.

Pœnitentia eſt donum Dei. TEſtatur autem ſcriptura hanc pœnitentiam eſſe donum Dei: Act. 11. Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam, & 2. ad Timoth. 2. nequando Deus det illis pœnitentiam, &c. & Hier. 31. Poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam: & poſtquam oſtẽdiſti mihi, percuſsi femur meum: Conuerte me, & conuertar. Et quamuis pœnitentia, quę eſt ad vitam & ſalutaris, ſit cum fide & Dei amore: dubium tamen eſt apud doctores, an fidem & Dei amorem includat, ſiue ad ipſum conuerſionem. Nam ſcriptura Acto. 3. ea ab inuicem diſtinguere videtur: *Act. 3.* Pœnitemini, inquit, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra. & Act. 26. ait Paulus: *Act. 26.* Annunciabam vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deũ, digna pœnitentiæ opera facientes. Et alio loco docet damnatos in inferno pœnitentiam agere: & ſimiliter Antiochum Regem. Nec nominis ſignificatio aliud habet, quàm quod diſpliceat, *Sap. 5.* quod factum eſt id, quod multis modis variaque ratione, *2. Macha. 9.* & ob diuerſa motiua contingere poteſt. Et Paulus à fide pœnitentiam diſtinguens, prædicabat in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Ait tamen 2. ad Corinth. 7. quæ ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. *2. ad Corint. 7. cap.* Et hinc naſcũtur quæſtiones, an in pœnitentia ad quam hortantur ſcripturæ, peccati odium eſſe debeat propter Dei offenſam, & ex eius amore atque ex fide: an verò ſufficiat cognitio naturalis, & ſi ex eius amore, an tanquam ſuper omnia amati, an ſufficiat odium peccati, & ita eius pœnitentia, quia malum eſt & malè actum, an quia contra Dei legem, aut in eius irreuerentiam eſt admiſſum: ad quæ naturalis cognitio ſufficit: an propter metum gehennæ, & amiſſam beatitudinem ſufficiat pœnitere? de quibus tractabitur articulo ſequenti. Quando autem in ſcripturis pœnitentia dicitur reſipiſcentia, à cauſa fit denominatio. Nam mutato iudicio practico, & improbato eo, quod prius fecimus, naſcitur pœnitentia. Non igitur mirum ſi reſipiſcere dicatur mali facti ſui pœnitens: omnis enim malus ignorat. & peccando errat: & ſicut ſapientia, ita & reſipiſcentia complectitur in

ſua

Hierem. 2. ca.

ſua ratione actum etiam affectus, pœnitenti enim amarum ſapit peccatum: de quo Hierm. ca. 2. Scito & vide, quia malum & amarū eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum.

Pœnitētia verè & propriè ſacramentū

POenitentiam autem verè & propriè eſſe Sacramentum, hoc eſt ſignum ſenſibile ex Chriſti inſtitutione efficax gratiæ: manifeſtè oſtendunt verba domini, Ioannis 20. ad diſcipulos: Sicut miſit me pater, & ego mitto vos: quo dicto inſufflauit & dixit eis: Accipite ſpiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Inſtituitur enim à Chriſto in his verbis ſignum ſenſibile, cum remiſsionis ſiue abſolutionis ſententia voce pronuncietur, & gratię promiſsionem habent verba Remittuntur eis: inceſſabiliter enim, inquit B. Leo in epiſt. ad Theodorum epiſcopum Forijulienſem, & ſemper interuenit ſuo operi Chriſtus, nec vnquā his abeſt quæ miniſtris ſuis exequenda commiſit. & B. Cyprianus in ſermone de baptiſmo Chriſti: totius bonitatis author manum apponit viſibilibus ſacramentis & cōſecrationib. & li. 3. de dignita. ſacerd. B. Chryſ. Sententiā ſeruorum ſuorum Dominus ipſe corroborat. Quòd autem idem Cypria. dicat dominū aliquando emendare ſeruorum ſuorum ſententiam, epiſt. 2. quarti lib. & epiſt. 3. primi lib. q̄que plerumque pax à non veris presbyteris verbis fallacibus prędicatur, intelligit quando ſuæ poteſtatis limites & commiſsionem excedunt, hoc eſt, quando non ſecùndum ſpiritus ſancti directionem, & motionem abſoluunt. De quibus & B. Hiero. in comment. ſuper Matth. cap. 16. Iſtum, inquit, locum epiſcopi & presbyteri non intelligentes, aliquid ſibi de Phariſæorum ſumunt ſupercilio, vt vel damnent innocentes vel ſoluere ſe noxios arbitrentur, cum apud Deum non ſententia ſacerdotum ſed reorum vita quæratur. Etſi obijciatur quòd verba abſolutionis non habent ex Chriſti inſtitutione ſignificationem remiſsionis peccatorum, ſed ex humana nominum impoſitione: Reſpondetur, quod ex Chriſti promiſsione vel ordinatione efficacem habent ſignificationem, ſpeculatiuam verò ex nominū impoſitione.

Leo ad Theodorum.

Hieronymus in Mat. ca. 16

Ad obiectionē reſponſio.

INſtituit autem his verbis Saluator etiam ſacramentum Ordinis, quo ad actum eius ſecundarium, qui conſiſtit in remittendo & retinendo peccata, & ſacramentum pœnitentiæ ſecūdum eius partem formalem, quæ conſiſtit in remittendo ſiue abſoluendo à peccatis. Nec mirum videri debet, quando forma eius ſacramenti in vſu & exercitio poteſtatis ordinis conſiſtit, à qua etiam dependet efficacia & fruct⁹ eius. Retinere verò peccata ad poteſtatem ordinis magis pertinet quam ad ſacramentum pœnitentiæ: cum ſacramenta ſalutarē effectum operentur, & nō animæ pernicioſum. Manifeſtum igitur eſt, quòd pœnitentia eſt ſacramentum à Chiſto inſtitutū pro relapſis poſt baptiſmum. Nam Nouatiani ab Eccleſia iudicati ſunt hæretici, quia negabant poteſtatem remittendi peccata eſſe in eccleſia apud ſacerdotes, & ita ſacramentum pœnitentiæ. Ligabant enim pœnitentes quos nūquam à peccatis ſoluebant, ſed ad Deum remittebant abſoluendos. De quo D. Ambroſ. li. 1. de pœnitent. ca. 2. & 7. & lib. 2. ca. 2. Impoſsibile, inquit videbatur per pœnitentiam peccata dimitti: conceſsit hoc Chriſtus Apoſtolis ſuis, quod ab eis ad ſacerdotum officia tranſmiſſum eſt: & factum eſt poſsibile, quod impoſsibile videbatur. Nec habent aduerſarij quod hic reſpondeant, niſi corrumpant verba Saluatoris pro ſuo inſtituto: & claues ac remiſsionē peccatorum contra omnium maiorum ſententiam & verborum proprietatem ad miniſterium verbi referant, de quo alio loco dicemus. Nimis enim clara ſunt verba Euangelij, quàm vt hanc calumniam patiantur Non enim habent: Quorum annunciaueritis per Euangelium peccata remiſſa: ſed, Quorum remiſeritis, remittuntur eis. Nam ſicut filius hominis verè remiſit peccata paralytico, & Mariæ Magdalenæ, Vt ſciatis, inquit, quòd filius hominis habet poteſtatem dimittendi peccata, &c. ita hanc transfudit eandem, vt ait B. Chryſoſt. in ſacerdotes, quos miſit ipſe ſicut miſerat eum pater. Et B. Leo epiſt. 69. hanc Eccleſiæ præpoſitis tradidit poteſtatē, vt & confitentibus actionem pœnitentię darent, & ſalubri ſatisfactione purgatos ad cōmunionem ſacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Et B. Cypriā. & Hilar. & poſt eos B. Bernard. in ſermone 1. in die Apoſtolorum Petri & Pauli: & venerab. Hugo de S. Victore, li. 2. de Sacramen. parte 14. cap. 8. palàm pronunciare audent, quòd ſententia Petri peccata remittentis pręcedit ſententiam in cœlis: eò quod in cœlis remittatur peccatum ob miniſterium, quo Petrus hic in terris abſoluit. Conſiderant enim nō eſſe ſimpliciter dictum, Erunt ſoluta in cœlis: ſed quòd interpoſita coniunctione Saluator ait: Erunt ſoluta & in cœlis. Ratum enim habet Deus in cœlis, quod per ſuum vicarium & officialem factum eſt in terris. Natura enim pręcedit ſentētia ſacerdotis abſolutionem Dei in cœlis. Eſt enim verus & propri⁹ hujus ſacramenti effectus, vera peccatorum remiſsio, ſicut & baptiſmi, prout definitum eſt in Concil. Florent. Credimus autem vnū baptiſma in remiſsionem peccatorum, & non in annuntiationem remiſsionis tātum, propter quod ex ſcripturis rectè docet B. Thom. 3. parte, quęſt. 80. art. 4. ad ſecundum, quod baptiſmus & pœnitentia ſunt medicinæ purgatoriæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati. Et q. 79. art. 3. ad ſecundum, quòd ad baptiſmum non inconuenienter accedit, qui habet cōſcientiā peccati mortalis, eò quòd baptiſmus habet rationem regenerationis, quæ non ſupponit viuum: & lotionis, quæ eſt ab immūditia. Et quia ſimiliter ſacramentum pœnitentiæ eſt peccatoris reconciliatio, & peccatorū remiſsio, prout ex hac ſentētia Domini Saluatoris, docet Card. Caietanus in Quodlibetis, nō indignè

Ambroſius.

In abſolutione autem huius ſacramenti forma conſiſtit.

10. li. de dignitate ſacerdotali

Leo epiſt. 69

Cyprianus.

Hilarius.

Bernardus.

Hugo.

Idem effect⁹ baptiſmi & pœnitentiæ.

Conciliū Florentinum.

Thomas.

Caietanus.

ipſum

ipſum ſuſcipit,qui mortalis peccati ſibi conſcius eſt,de quo pœnitet quidem,ſed nõ ſufficienter ſuo iudicio, vt remittatur,niſi virtute ſacraméti. Talis enim ſicut per baptiſmum, ita & per ſacramentum pœnitentiæ reconciliari poteſt. Et quamuis,vt docet B. Tho.3.par.84.art.7.adſecundũ,in veteri lege, & in lege naturæ,aliqualiter erat ſacramentum pœnitentiæ: & idem q.86.ar.6. in fine: imò & alij, inter quos eſt wilhelmus de Rubione, docent diſtinct.14.4. Sententiarum, tẽpore legis fuiſſe verè& propriè ſacramentum pœnitentiæ, ad remiſsionem peccatorum actualium & mortaliũ inſtitutum,eiuſque miniſtrum fuiſſe ſolum ſummum ſacerdotem, ſicut & nunc tempore Euangelij. Et probant ex Apoſt.ad Heb.10.vbi ait,quòd in ſecundo tabernaculo, quod dicebatur, Sancta ſanctorum,ſemel in anno ſolus Pontifex introibat,non ſine ſanguine, quem offerret pro ſua &populi ignorãtia.Erat igitur,aiũt, hæc oblatio ſignum ſenſibile ad remiſsionẽ culpę actualis diuinitus inſtitutum.Et quòd in multis cum noſtro pœnitentiæ ſacramento conuenerit,& ex opere operato remiſerit peccata,ibidem declarat idem wilhelmus:atque hoc ipſum videtur Durando poſſe probari ex ca.3.4.& 5.Leuit.vbi dicitur,quòd oblato ſacrificio,ſacerdos,inquit,orabit pro offerente & peccato eius, & dimittetur ex operato,modo pœniteat eum: Quamuis, inquam,in veteri lege ita fieret, ſacerdotibus tamen euangelicis propria eſt poteſtas clauium,retinendi ſcilicet & dimittendi peccata quæ à paſsione Chriſti deriuatur:& ideo ante eam nõ conueniebat inſtituere,quòd peccator doleret de peccato,cum propoſito ſubijciendi ſe per confeſsionem & ſatisfactionem clauibus eccleſiæ ſub ſpe veniæ virtute paſsionis Chriſti.Propterea nec erat tempore legis poteſtas peccata remittendi.Retinere peccata ad ſacramentum propriè, vt diximus,non pertinet,ſed remittere tantum.Remittuntur autem virtute huius ſacramenti peccata, quando adeſt dolor de peccato commiſſo,cum propoſito non peccandi de cætero.Hic enim dolor regulariter non ſufficit ad eorum remiſsionem, niſi adhibito ſacramento.Nam eſſe poteſt,ſine Dei amore ſuper omnia, & tanquam vltimi finis dilecti, qui tamen ſolus per ſe tollit peccata. Veruntamẽ huiuſmodi de peccato dolor ex Dei amore proficiſcitur, cùm ratio peccati maximè mortalis, ſecundum definitiones beatorum Amb. & Auguſt.conſiſtat in præuaricatione legis Dei, & receſſu ab eo tanquam vltimo fine.Qui igitur per ſe odit peccatum, dolet de prçuaricatione legis Dei,&receſſu à Deo, ſaltem virtualiter &implicitè,Deum eiuſq; legem amat, quamuis non oporteat, quòd Deũ tanquam finem vltimum amet,in quem ſe& omnia ſua referat. Imò & poteſt quis Deum tanquam ſummum bonum diligere, complacendo ſcilicet ei,&gratulando quòd ſit ſummè bonus:& tamen non ſummè diligere,nec tanquam finem vltimum. Quando

Wilhelmus de Rubione

igitur fit argumentatio:Per ſolam contritiõnem dimittitur peccatum, ſecundum illud Pſalm.Dixi,confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino,et tu remiſiſti impietatem peccati mei.Et in Pſal.alio:Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies: Contritio autem pręcedit abſolutionem ſacramenti tempore:cùm ſacerdos non debeat abſoluere, niſi quem exiſtimat contritum. Nunquam igitur per abſolutionem ſacramentalem culpa remittitur. Hoc ipſum argumentum non minus habet apparentiæ, quam ſi concluderetur, quod in adulto non remittitur peccatum virtute baptiſmi,quod tamen in Symbolo Niceno confitemur eſſe in remiſsionem peccatorum. Reſpondẽdũ eſt igitur,quòd nõ per ſolam contritionem, quæ eſt dolor de peccatis,ex Dei ſuper omnia dilecti amore procedẽs,peccata remittũtur, verum etiam per ſacramenta baptiſmi & pœnitentię ſimpliciter dolentibus de peccato commiſſo,cum propoſito vitam emendandi,remittuntur. Et hic dolor ſiue odium peccati charitate formatur efficacia ſacramẽti. Nec ſine contritione peccata tunc remittuntur, intelligendo nomine contritionis, dolorem de peccatis charitate formatum, quãquam ex perfecto Dei amore non proficiſcatur.Sed dices:Si dolor præcedens,ſacramentum non eſt ex Dei amore ſuper omnia dilecti,tunc aliquid ſupra Deum pro eo tempore diligitur à pœnitente:qui autem amat ait Saluator, patrem aut matrem plus quàm me,non eſt me dignus. Non eſt igitur ſic dolens diſpoſitus,vt per ſacramentum iuſtificetur, & peccatorum accipiat remiſsionem. Cui reſpondetur,fiere poſſe,quòd pœnitens nec Deum tanquam vltimum finem diligat, nec creaturam: imò creaturam nolit amplius diligere vt finem vltimum, & Deum ſic diligere deſiderat:quid vt aſſequatur, clauibus Eccleſiæ ſe ſubijcit,vt ſub earum miniſterio cor nouum ſuſcipiat, & Deum per ſpiritum inhabitantem,ſuper omnia,&tanquam vltimum finem diligat. Sunt enim Baptiſmus & Pœnitentia, medicinæ inſtitutæ, ad tollendam febrem peccati, & inducendam ſanitatem,vt ſuperius poſt S.Thomam diximus: Iterum dices:Propoſitum non peccandi,quod in pœnitente requiritur, eſt propoſitum legem Dei ſeruandi, & Deo in omnibus obtemperandi,quod eſſe non poteſt ſine amore Dei ſuper omnia. Nam ſubmittens ſe voluntati Dei,vt in omnibus eam faciat, ipſam plus quàm ſe amat:cùm paratus ſit cedere ſuæ volũtati,vt Deo gratificetur. Qui diligit, inquit, me, ſermones meos ſeruabit. Dolor autem ex hoc amore proficiſcens,ſemper peccata delet. Sed falſum hìc aſſumitur, quòd ſcilicet hoc propoſitum non poteſt eſſe ſine amore Dei ſuper omnia, cùm poſsit eſſe ob ſuum commodum temporale & æternum.Sufficit enim ad hoc propoſitum amor, quo Deo volumus placere & gratificari:quãuis non ad ei' exequutionẽ, hoc eſt vt legem Dei obſeruemus,& totaliter nos eis vluntati ſub-

Obiectio. Pſalm. 12. Pſalm. 50. Solutio. Obiectio. Matth. 10. Reſponſio. Obiectio. Ioan 14. Solutio.

ti ſubijciamus. Huiuſmodi enim propoſitũ
habet bonus filius erga parentes,& religioſi
erga prælatum ſuum:quorum mandata & vo
luntates implere ſtudent. Non igitur hoc
propoſitum cum huiuſmodi de peccatis do-
Pſalm. 3. lore, delet peccata. Et Dauid dicenti, Con-
fitebor aduerſum me iniuſtitiam meã Domi
no, & cæt. remiſſa ſunt peccata, quia nouit
Dominus, quod penitus contrito & humi-
Pſalm. 50. liato corde hoc dixerat: Cor autem contri-
tum & humiliatum Deus non poteſt deſpi-
cere. Non enim cuilibet hoc dicenti peccata
ſtatim remittuntur, niſi accedente ſacramen
to:quod tãquam ſaluberrimam medicinam
in conſolationem & ſubſidium noſtræ infir-
mitatis, reliquit & inſtituit magnus ille me-
dicus Chriſtus Dominus. Ex quibus patet et-
iam falſitas aſſumpti in priori argumento,
puta quod contritio propriè dicta, debeat
præcedere abſolutionem, cum plerunque ſe-
quatur, & ſacramenti efficacia dolor de pec-
catis fiat contritio: non obiecti mutatione,
ſed perfectionis acceſſu. Et quãuis poſsit ſta-
re peccatũ mortale, propter ignorãtiam cul-
pabilem, cum huiuſmodi odio peccati:& id-
eò non ſufficiat ad remiſsionem peccatorũ:
ſufficit tamen, ſi nullum ſit peccati mortalis
impedimentum:quod ſi adeſt, impedietur à
ſuo fructu ſacramentum. Prætereo hîc reſpõ
ſionem doctiſsimi viri præceptoris mei San-
ctiſsimi domini Adriani, quod non quilibet
dolor ob Dei ſuper omnia dilecti offenſam,
& ex huiuſmodi eius amore procedens, de-
let ſine ſacramentis peccata:ſed ſolum vehe
mens & intenſus, non tepidus & remiſſus, di
cente Auguſt. quòd rectè pœnitens quicquid
ſordium contraxit, debeat abſtergere ſaltẽ
lachrymis mentis: quodq́ue ſatis durus eſt,
cuius mentis dolorem oculi carnis nequeũt
declarare:& ſciat ſe culpabiliter durum, qui
deflet damna temporalia, vel mortem ami-
ci:& dolorem peccati non oſtendit lachry-
mis, ex tepiditate ſcilicet doloris. Et Moyſes
Deut. 4. Cum quæſieris Dominum Deum tu-
um, inuenies eum, ſi tamen toto corde quæ-
ſieris, & tota tribulatione animæ tuæ. quod
latè proſequitur quodlibeta 5. & in q. 1. De
pœnit. art. 2. oſtendens quod hanc intentio-
nem dolor plerunq; per ſacramentũ acqui-
rit. Prætereo etiam reſpõſionem Scoti, quod
requiritur continuatio doloris ad tempus,
quo Deus quaſi explorat conſtantiam pœni-
tentis, antequam peccata ei remittat: & ſpi-
ritum ſuum impartiatur ſub miniſterio ſa-
cerdotum. Eſt alia ſententia, quam ſequitur
B. Aug. ca. 17. de catechizandis rudibus: quòd
pœnitentia quam facimus, vt mala æterna e-
uadamus, & gaudia ſempiterna cõſequamur,
ſufficit ad ſacramentum baptiſmi dignè ſuſ-
cipiendum:& per conſequens etiam ad ſacra
mentum pœnitentiæ: quæ ſine eis non ſuffi-
ceret ad remiſsionem peccatorum. Ad quam
etiam accedere videtur Rupertus in cõmen.
circa eum locum Ionæ 3. cap. Vade in Niniuẽ
ciuitatem:& in comment. Ioëlis 2. circa lo-
cum, Si conuertatur & ignoſcat:& in Matth.
cap. 27. circa ſententiam Euangeliſtæ, quòd
Iudas pœnitentia ductus, dixit: Peccaui, tra-
dens ſanguinem iuſtum. Ait enim B. Auguſti
nus de ijs, qui ad fidem veniunt ex metu ge-
hennæ, vt non eant in ignem æternum: vel
deſiderio æternæ beatitudinis, vt cum Chri-
ſto regnent: & hoc animo volunt fieri Chri-
ſtiani, quòd verè Chriſtiani ſunt: nec in fine
ſeparabuntur, ſed colligentur in horreum:
præter hos alia duo genera tradens eorum,
qui Chriſtiani fieri volunt. Multis igitur mo
dis contingit dolere de peccatis: & tamen
non aſſequi eorum remiſsionem, niſi acceſ-
ſerit ſacramentum: quod & veteres ſcripto-
res teſtantur ſimul & ſacroſancti patrum ca-
nones. Nam beatus Auguſti. ad Honoratum:
Quantum, inquit, exitium eos ſequitur, qui *Epiſtola 180*
non regenerati, vel ligati de hoc ſeculo exe- *Tractatu 11.*
unt, ſi reconciliationis miniſtri deſunt. Et *in Ioannem.*
docet catechumenum peccatorum ſuorum
ſarcinam portare, quamdiu non eſt baptiza-
tus. Eadem autem reconciliationis eſt cau-
ſa, quæ eſt baptiſmi, vt idem docet libr. 2. de
adulterinis coniugijs cap. vltim. Si fortè, in-
quit, pœnitentes finiendæ vitæ periculum
præoccupauerit: nec ipſos ex hac vita ſine ar-
ra ſuæ pacis exire velle debet mater eccleſia,
vbi per claues regni cælorum non dubitatur
fieri remiſsio peccatorum. Et B. Hieronymus *Hieronym.*
quæſt. 9. ad Hidibiam dicit, quod Spiritus ſan *q. 9. ad He-*
ctus Ioannis 20. datur ad remittenda pecca- *dibiam.*
ta. Et ſimiliter venerabilis Beda Luc. 5. tra-
ctans verbum Phariſæorum. Quis poteſt pec
cata dimittere, niſi ſolus Deus? ait. Verum di
cunt: quia nemo peccata dimittere, niſi De-
us, poteſt: qui per eos quoque dimittit, qui-
bus dimittendi tribuit poteſtatem. Et B. Cy-
rillus circa locum Lucæ 5. Et confeſtim con-
ſurgens, &c. Quo pacto, inquit, patuit quod
filius hominis potuit in terra relaxare pecca
ta: quod pro ſe & pro nobis dixerat. Ipſe nã-
que vt Deus factus homo, tanquam Dominus
legis, peccata dimittit: Sortiti ſumus etiam
nos ab eo tam mirabilem gratiã. Dictum eſt
enim diſcipulis: Quorum remiſertis pecca- *Ioan. 20.*
ta, remittuntur eis: Quomodo autem nõ ma
gis ipſe peccata dimittit, qui cæteris poteſta-
tem faciendi hoc tradidit? Et Beatus Leo de *Epiſtola 6.*
his loquens, qui in fine petunt reconciliati- *& 69.*
onis beneficium. Nec actio eius pœnitentiæ,
nec communionis gratia denegetur: ſi et-
iam in ægritudine ita fuerint aggrauati, vt
quod paulò ante poſcebant, ſub ſacerdotis
præſentia ſignificare non valeant. Teſtimo-
nia enim fidelium circunſtantium eis pro-
deſſe debebunt: vt ſimul & pœnitentiæ &
reconciliationis beneficium conſequantur.
De quo ſunt & patrum canones apud Gratia-
num 26. q. 6. cap. Is qui, & cap. Qui recedunt,
ex auctoritatibus Iulij & Celeſtini Pontifi-
cum. Quodq́ue hæc fuerit conſuetudo eccle-
ſiæ quoad baptiſmum, teſtatur cap. Maiores,
de baptiſmo & eius effectu in fine vbi dici-
tur. Secus aũt ſi prius catechumeni extitiſsẽt
& habuiſſent propoſitũ baptizandi. Vnde ta
les in neceſsitatis articulo cõſueuit eccleſia

baptizare. Et quamuis ſacerdos peccata remittit, non tamē propriè coefficit cum Deo gratiam & remiſsionem peccatorum: ſed foris operatur, & ſuum impēdit miniſterium: cui ex ſua benignitate aſsiſtit Deus, gratiā efficit, & peccata remittit. Nam neq; qui plantat eſt aliquid, neq; qui rigat: ſed qui incrementū dat Deus. Remiſsio enim peccatorū, ait B. Cypria. ſiue per Baptiſmū, ſiue per alia ſacramenta donetur, propriè ſpiritus ſancti eſt: & ipſi ſoli huius efficientiæ priuilegium manet: verborum ſolennitas, & ſacri inuocatio nominis, & ſigna inſtitutionibus apoſtolicis ſacerdotum miniſterijs attributa, viſibile celebrant ſacramentū: rem verò ipſam Spiritus S. format & efficit, & conſecrationibus viſibilibus inuiſibiliter manū totius bonitatis auctor apponit, & rē ſacramenti conſummat & perficit. Multū tamen probabilis eſt opinio, quæ docet ſacramenta gratiā inſtrumentaliter efficere. Gratia enim etſi modo quodā creetur, quia tamē in ſubiecto producitur, ab eo dependens, ſicut reliqua accidentia: ideò creatura vt inſtrumentū ad eā producendā concurrere poteſt: nō ita ad animæ rationalis productionē, quæ à corpore nullā habet dependentiā: quamuis vt corpori vniatur, homo cooperetur. In quo vide B. Tho. in 3. parte q.62. art.1. Et Card. Caietanū 3. par. q.8. art.1. q.13. art.2. & q.22. art.3. de ſacerdotio Chriſti. Nam ſecundū verbum ſaluatoris vt Chriſtus homo, ita & ſacerdotes verè peccata remittunt: & non ſolū ad hoc diſponunt.

Cyprianus ſermone de baptiſmo Chriſti.

EX iiſdem verbis ſaluatoris: Quorum remiſeritis peccata, &c. Huius ſacramenti ſequitur neceſsitas, non tam manifeſtè ex forma ſermonis quam ex effectus neceſsitate, circunſtantijs, & conformi patrū interpretatione & doctrina. Ex hoc enim quòd Chriſtus præpoſitis eccleſiæ poteſtatem dedit dimittendi & remittendi peccata, & claues domus ſuæ Petro commiſit, vt quodcūq; ligaret ſuper terram, ligatū eſſet & in cœlis, & quodcunq; ſuper terrā ſolueret, ſolutū eſſet & in cœlis: intelligunt ipſum conſtituiſſe in ſua familia tribunal & forum, in quo omnium domeſticorum tractarentur cauſſæ, crimina & exceſſus. Nec eorum niſi per familiæ præpoſitum à Deo acciperēt remiſsionē, ait enim: Quorum retinueritis peccata, retenta ſunt: quod verum non eſſet, ſi ſine ſacerdotis miniſterio remitti poſſunt. Vnaquæque namque reſpublica ſuos habet iudices & tribunalia, ad quæ omnes ciuium controuerſiæ referantur, vbi & ſuper criminibus cognoſcitur & pronunciatur. Eiſdem enim penè verbis Apocalypſis B. Ioannis teſtatur, Chriſtum accepiſſe poteſtatem à patre claudendi & aperiendi cęlum: quibus Petrus à Chriſto eam accepit. Habet, inquit, Chriſtus clauem Dauid: aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Et Petro ipſe dicit: Tibi dabo claues regni cœlorum: nec dubium quin eaſdē quas à patre acceperit. Et quodcunque ligaueris ſuper terram, &c. Ideò ſicut cœlum nemini clauditur nec aperitur, niſi per Chri-

Matth. 16.

ſtum, ita ſolum Petri miniſterio: quod tamē intelligitur, niſi impoſsibilitas ſacramentū excludat. Tunc enim, vt in ſimili de Baptiſmo dicit beatus Auguſtinus, impletur inuiſibiliter, cùm myſterium pœnitentiæ non contemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit. Hinc apud Ioannem præmittit: Sicut miſit me pater, & ego mitto vos, & addit: Et quorum retinueritis peccata, retenta ſunt: quouſque ſcilicet per vos remittantur. Et alio loco: Quæcunq; alligaueritis ſuper terram, &c. Propter quæ B. Chryſoſto. de dignitate ſacerdotali lib.3. Omne, inquit, iudicium dedit pater filio: at hoc video totum eſſe ſacerdotibus commiſſum. Cui aliquando angelorum vel archangelorum dictum eſt, Quæcunq; alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt & in cœlis ſoluta? Ex quibus verbis audent etiam pronunciare, vt diximus, beatus Cyprianus, beatus Hilarius, & poſt eos beatus Bernardus, & venerabilis Hugo de S. Victore, quòd ſententia Petri præcedit ſententiam cœli, eò quòd in cœlis peccatum non remittitur, niſi ob miniſterium quo Petrus hic in terris abſoluit. Notat enim B. Cyprianus, vt diximus, quòd nō ſimpliciter dictum ſit, Erunt ſoluta in cœlis: ſed interiecta coniunctione. Erunt ſoluta & in cœlis. Et hac ratione maiores noſtri docent ſacramentum pœnitentiæ eſſe neceſſarium lapſis redeuntibus, ſicut baptiſmum intrātibus in ſocietatem eccleſiæ Chriſti: quodque currendum eſt ad pœnitentiam in vitæ periculo, ſicut curritur ad baptiſmū. Sicut enim baptiſmus regenerat & format, ita pœnitentia reformat: baptiſmus Chriſto conciliat, pœnitentia reconciliat: baptiſmus ſpiritualem vitam cōfert, pœnitentia eum, qui mortuus fuerat, reſuſcitat. Et cum vtriuſque effectus ad ſalutem ſit neceſſarius, ſimiliter neceſſarium eſt & vtrunque ſacramētum. Hinc B. Auguſt. lib.1. de adulterinis coniugijs, ca. vltim. vt diximus ſuperius, loquens de catechumenis in mortis periculo baptizandis: Quæ autem baptiſmatis, inquit, eadem recōciliationis eſt cauſa: ſi fortè pœnitentes finiendæ vitæ periculum præoccupauerit: nec ipſos enim ex hac vita ſine arra ſuæ pacis exire velle debet mater eccleſia. Et 20. de ciuita. Dei ca.9. oſtendens animas piorum mortuorum nō ſeparari ab eccleſia, quæ etiam nunc eſt regnum Dei. Alioquin, ait, nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communione corporis Chriſti: nec aliquid prodeſſet ad eius in periculis baptiſmū currere, ne ſine illo finiatur hæc vita: ne ad reconciliationem, ſi fortè per pœnitentiam, malāue conſcientiam quiſq; ab eodem corpore ſeparatus eſt. Et in epiſtola ad Honoratum pro eodem habet, catechumenum mori non regeneratum, & pœnitentem nondum abſolutum. Alijs, inquit, Baptiſmum flagitantibus, alijs reconciliationem, alijs etiam pœnitentiæ ipſius actionem: ſi miniſtri deſint, an non cogitamus quantum exitium ſequatur eos, qui

Matth. 18. *Chryſoſto.* *Auguſtinus.* *Epiſtola 180*

qui de iſto ſeculo vel non regenerati exeũt, vel ligati? Et in Hom. 49. Agite, inquit, pœnitentia, qualis agitur in eccleſia, vt oret pro
Auguſtin. vobis eccleſia. Nemo ſibi dicat: Occultè ago, apud Deum ago: nouit Deus, qui mihi ignoſcit, quia in corde ago: Ergo ſine cauſa dictũ eſt: Quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt in cœlo: ergo ſine cauſa claues ſunt datæ eccleſiæ: fruſtramus Euangelium Dei: fruſtramus verba Chriſti: Promittimus vobis, quod ille negat, nónne vos decipimus? Et doctiſsimus
Leo. Leo ad Theodorum: Multiplex miſericordia Dei ita lapſibus ſubuenit humanis, vt non ſolum per baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam, ſpes vitæ reparetur æternæ: vt qui regenerationis dona violaſsẽt, proprio ſe iudicio condemnantes ad remiſsionem criminum peruenirent; ſic diuinæ bonitatis præſidijs ordinatis, vt indulgentia Dei niſi ſupplicatione ſacerdotum nequeat
Ambroſius. obtineri. Et B. Ambroſ. aduerſus Nouatianos loquens, lib. 1. de pœnitentia, cap. 7. Cur baptizatis, inquit, ſi peccata per hominem dimitti non licet? In baptiſmo vtiq; remiſsio peccatorum omnium eſt Quid intereſt, vtrũ per pœnitentiam, an per lauacrum hoc iùs ſibi datum ſacerdotes vendicant? Vnum in vtroque myſterium eſt. Sed dices, Quid in lauacro operatur myſteriorum gratia? quid in pœnitentia? nónne Dei nomen operatur? quid ergo? vbi vultis vendicatis vobis Dei gratiam: vbi vultis repudiatis. Et lib. 2. ca. 2 Impoſsibile videbatur, quòd peccatum ablui et aqua. Nam & Naaman Syrus lepram ſuam aqua Iordanis mundari poſſe non credidit. Sed quod impoſsibile erat, fecit Deus poſsibile eſſe, qui tantam nobis donauit gratiã. Similiter impoſsibile videbatur per pœnitentiã peccata dimitti: conceſsit hoc Chriſtus Apoſtolis ſuis: quod ab eis ad ſacerdotũ officia tranſmiſſum eſt. Et quia eadem eſt vtriuſque ſacramenti neceſsitas, omni ſacerdoti permittitur in periculo vitæ pœnitentem abſoluere: ſicut omni Chriſtiano, imò & Ethnico miniſtrare baptiſmum, vt docet beatus Auguſtinus libro 2. contra epiſtolam Parmeniani ca. 13. & lib. 3. contra Donatiſt. c. 53. Et eſt reſponſio Nicolai Papæ primi ad cõſulta Bulgarorum, quam citat Gratianus de Conſecra. diſt. 4. ca. A quodam Iudæo. Irrationabilis enim eſſet in neceſsitate caſuum reſeruatio & contra charitatem. Nam tempore maximæ ſeueritatis Canonũ in extremis reconciliatio pœnitentium permittebatur etiam diacono, vt patet ex epiſtola 17. B. Cypriani lib. 3. An autem iure diuino in hoc caſu cuilibet ſacerdoti conceſſa ſit hæc facultas abſoluendi, vel ſolum ab eccleſia, ſtatim àliquantum tractabimus. Satis pro nunc ſit, quod pia mater eccleſia hanc facultatem omnibus ſacerdotibus vult eſſe communem, vt in neceſsitate ab omni excommunicatione, & omnibus peccatis abſoluere poſsint. Nam in reſeruatione excommunicationis, quam facit in ſacroſanctis Canonibus, ſemper excipit caſum neceſsitatis: vt in cap. Si quis ſuadente 17. q. 4. Nullus Epiſcoporum, inquit Innocentius 2. illum præſumat abſoluere, qui manus violentas in clericum iniecerit, niſi vrgẽte mortis periculo. Et Clemens tertius in ca. De his, de ſententia excommunicationis. Et Innocentius tertius in cap. Paſtoralis de offi. iudic. ordin. excipiunt neceſsitatis articulum. De quo latè agitur ibi in gloſ. Et Bonifacius octauus lib. 6. in cap. Eos qui, De ſententia excommunicationis, extendit etiam ad quodlibet impedimentum legitimũ accedendi prælatum, apud quem eſt abſoluẽdi facultas: & diſponit, imò potius ſupponit ex antiquis Canonibus, quod ab alio abſolui poſsit. Et ſimiliter Clemens in fine primæ Clementinę, de pœnis. Quando autem iſtud concedit in reſeruatione excommunicationis, quæ à ſola iuriſdictione procedit: multò magis hoc cõceſsiſſe intelligitur de abſolutione à peccatis, quæ potiſsimum procedit ab ordine ſacerdotali ſiue clauibus, concurrente tamen iuriſdictione. Multi enim doctores intelligunt caſuum reſeruationẽ nõ reſpicere proprie peccata, ſed excommunicationem tantum: qua ablata credunt nulla peccata ſedi Apoſtolicę eſſe reſeruata. Inter quos ſunt Durandus, Petrus de Palude, Cardinal. Caiet. & Syluester in Summa, in verbo Caſus: qui etiã addit, quod reſeruatio intelligitur de actibus exterioribus, non de interioribus. Et abſolutio ab excõmunicatione in ſacris canonibus potiſsimum conceditur, vt locum habeat abſolutio à peccatis. An autem ex iure diuino quilibet ſacerdos hanc poteſtatem in articulo neceſsitatis habeat, difficultatem adfert, quod ſacramentum pœnitentiæ eſt iudiciale: quod ſine miniſtri iuriſdictione non exercetur: vt docet Concilium Floren. Solus autem Papa ex iure diuino habet iuriſdictionem, & ab ipſo tanquam fonte in epiſcopos & ſacerdotes deſcendit. Nam vt Leo Papa ſcribit ad epiſcopos per Viennenſem prouinciam conſtitutos: & eſt apud Gratianum diſt. 19. ca. Ita Dominus. Sic Chriſtus diſpoſuit, quòd à Petro quaſi quodam capite dona ſua, in corpora diffunderet. Et hanc ſententiam ex patribus, concilijs, & B. Thoma, docet Cardinalis de Turre cremata, lib. 2. ſummæ, ca. 24. & ſequentibus. Imò addunt eam pertinere ad fidem vnitatis Catholicæ. Idem B. Bonauent. diſt. 25. 4. ſenten. art. 1. quæſt. 2. Nemo igitur habet iuriſdictionem fori exterioris ab excommunicatione abſoluendi, nec in foro conſcientiæ à peccatis, niſi conceſſerit eccleſiæ præpoſitus. Eo autem ex quauis cauſa non concedente, ſed magis in certo caſu eam negante, nulla eſt facultas à peccatis, & multo minus ab excommunicatione abſoluendi. Quo argumento mouetur Durãdus vt dicat, quod quilibet ſacerdos ex ſua conſecratione, & ita ex iure diuino quemlibet poteſt abſoluere, quodq́; nulla requiritur ex iure diuino præter clauium poteſtatem iuriſdictio, & ita ſacerdotem nõ poſſe impediri, niſi prohibitione, vel Eccleſia ordinatione: quæ ſi ſine legitima fiat cauſa, in-

ſa,inefficax eſt: nec clauium fructum impedire poteſt.Sed Cardinali reſponderi poteſt regulare eſſe,quod omnis iuriſdictio a capite eccleſię ad inferiores deriuetur:In caſibus tamen immediatè communicatur à Deo, maximè quæ pertinent ad forum pœnitentiæ, quicquid interim fuerit de foro externo.Poteſtatem enim clauium ex Chriſti ordinatione,atque ita ex iure diuino ſequitur ea iuriſdictio, quæ requiritur ad abſolutionem à peccatis venialibus & mortalibus ſemel confeſsis:eò quòd in iſtis liberi ſumus, nullius curæ vel poteſtati ſubiecti: quemadmodum & quiſque poteſtatem habet ex iure diuino Papam abſoluendi ſi eum elegerit. Eodem iure iuriſdictionem habet quilibet ſacerdos, quemlibet abſoluendi ab vniuerſis peccatis in caſu neceſsitatis.Nam cum Chriſtus in neceſſarijs non defecerit, miniſtrum ſacramenti pœnitentiæ inſtituendo, ſicut prouidit, quòd in mortis periculo à quolibet etiam excommunicato,hęretico & ſchiſmatico quilibet cum fructu baptizari poſſet, non obſtante quacunque cenſura aut prohibitione:ita etiam diſpoſuit, quòd in eodem caſu à quolibet ſacerdote,licet hæretico aut excommunicato,poſsit à peccatis abſolui,Imò debeat ei confiteri, & petere abſolutionem,cum vtrunq; ſit neceſsitatis ſacramentum,& iure diuino præceptū. Propter quod probabilior eſt ſententia Petri de Palude diſtinct.25.4.ſent.q.1.& Syluestri in verbo Cōfeſſor.1.§.vlti. quod ab excommunicato hæretico & præciſo liceat ſuſcipere ſacramentum pœnitentiæ, ſicut baptiſmum:quamuis non ſacram Euchariſtiam: iuxta cap. Cœpit Armigildus 24.q.1.ca. vlt. quod deſumptum eſt ex 3. libro dialogorum B.Gregorij cap.31. Probabilior,inquā eſt, quam ſententia gloſſæ diſtinct.32.ca.Præter hoc,in fine, facientis differentiam inter ſacramētum baptiſmi & pœnitentiæ in caſu neceſsitatis:ad quam tamen accedere videtur Gratianus in eodem cap.& magis in cap.Subdiaconis,24.q.1. Et B. Thomas in 3.parte q.82.artic.7. ad ſecundum & in 4.ſententiarum diſtinct.19.quæſt.1 art. 2.quæſt.3.Nam præcepta & ordinationes Eccleſiæ ſemper cedere oportet, quando concurrunt cū præceptis Chriſti contrarijs. Nulla igitur cenſura impedire poteſt,quin ab hęretico & excommunicato abſolutio ſacramētalis accipi poſsit & debeat, ſicuti & baptiſmus in neceſsitate.Nec prohibetur ille miniſtrare per cenſuram eccleſiæ: quamuis peccet,ſi alia ex cauſa, puta quia peccator eſt,indignè ſacramenta adminiſtret. Ad argumentum Durādi reſpondet Ioan.Capreolus poſt Petrū de Palude, quod quilibet Chriſtianus poſt admiſſum peccatum mortale ſubiectus eſt Petro, vt ſecundum eius vel ſui vicarij arbitrium,eiuſq; diſpoſitionē,ſatisfacere obligetur,ſi illud haberi poteſt. Sed quia nemo ad impoſsibile obligatur:ex iure diuino, vt dicunt, alteri ſe ſubijcere & ab eo abſolui poteſt. Ceſſat enim tunc obligatio, & ſuæ relictus libertati,hæretico confiteri poteſt,ſi alius haberi non poſsit, modò tamen ſeductionis nō immineat veriſimile periculum. Alij reſpondēt,quòd omnis iuriſdictio eſt à Papa,ſaltem mediatè, per cōmiſsionem epiſcopatus aut curæ paſtoralis: quam ſequi videtur ex iure diuino iuriſdictio, ſine qua eccleſiam ſuam ſalubriter regere, & curam paſtoralem adminiſtrare nō poteſt. Certum eſt enim epiſcopos ex Chriſti inſtitutione pertinere ad hierarchiam eccleſię:quòd & veriſimilius eſt de paſtoribus parochialibus. Nam ſecundum doctrinam Apoſtoli Pauli ad Epheſios.Chriſtus dedit in eccleſia quoſdam paſtores & doctores ad conſummationē ſanctorū, vt nō ſimus paruuli fluctuātes,nec circunferamur omni vento doctrinæ.Et Act. cap.20.ait maioribus eccleſiæ:Attendite vobis & vniuerſo gregi,in quo vos Spiritus ſanctus poſuit regere eccleſiam Dei. Et inter cōditiones epiſcopi,dicit quòd ſuæ domui ſit benè præpoſitus,eàmque diligenter gubernet. Nam ſi quis, ait, domui ſuæ præeſſe neſcit,quomodo eccleſiæ Dei diligentiam habebit?Ex eadem itaque Chriſti inſtitutione oportet eos ſuo fungi officio plebem ſuam gubernando:atq; ita iuriſdictionem habere, ſine qua eius ſalutem cōmodè & ſalubriter promouere non poſſunt: qua,ſine iuſta cauſa, per caſuū reſeruationes & exemptiones ſpoliari non poſſunt:quæ nec fieri debēt,niſi ex eis communis fidelium ſalus multum ædificetur.An verò ſint efficaces, ſi ſiant ſine cauſa legitima,hoc eſt,ſine magna eccleſię vtilitate vel neceſsitate,&per reſeruationem abſolutio ſacramentalis impediatur, quaſi ſententia à non ſuo iudice lata, & ſoluatur per exemptionem corā Deo obedientia: dubitari poteſt:maximè ſi ordinarius eſt paſtor,qui abſoluit,& à quo ſit exemptio.Nam commiſſariorum & vicariorum poteſtas,ſicut reuocari, ita & pro arbitrio prælatorum limitari poteſt.Quamuis enim ex Chriſti ordinatione, ſub eius vicario ſummo pontifice,quaſi ſupremo hierarcha & paſtore ſint epiſcopi, qui ſinguli ſuo ab eodem præficiuntur gregi:quia tamen ex iure euangelico habent regere populū ſuū,ex eodē videntur cōpetentem habere iuriſdictionē,eo ipſo quo præficiuntur:& iniuria eis fieri videtur, ſi ſine magna vtilitate limitetur vel ſubtrahat. Quare reſeruans ſua abuteretur poteſtate, & non ex poteſtate.quam ad ædificationem accepit,ſed vt priuatus,ex affectu cōtra Chriſti inſtitutionem reſeruaret,& ita videretur quòd nulliter.Cuius ſententiæ eſſe videtur B.Bernardus,de conſideratione: vbi multis agit aduerſus exemptiones Abbatū a ſuis epiſcopis,quaſi illa ſit contra ius Euangelicum. Honorum,inquit ad Eugenium Papam,& dignitatem gradus & ordines,quibuſque ſuos ſeruare poſiti eſtis, non inuidere. Abſurdiſſimum enim eſt, quòd aliquis ſit epiſcopus, hoc eſt rector plebis, ſupremus ſub Chriſti vicario Hierarcha,& non habeat iuriſdictionem ad populi ſui gubernationem neceſſariam.Similiter quando ordinatus eſt Sacerdos,

Cap. 4.

1. Timoth. 3.

Lib. 3.

dos, iuris diuini eſt, quòd talento ſuo vtatur in caſibus neceſsitatis, & ex eodem ei conceſſum eſſe videtur, quicquid ei neceſſariũ eſt ad negociandum ex pecunia accepta. Ex quibus patet quid dicendum ſit in legitima caſuum reſeruatione, quando militaret contra charitatem: vt ſi tanta ſit infirmitas confitentis, quod remiſſus à ſuo paſtore deſperabit: nec veriſimile eſt, quòd accedet eum, qui facultatem habet abſoluẽdi. Nam quod pro charitate & fidelium ſalute inſtitutum eſt, contra eam militare non poteſt. Eſt enim finis omnium præceptorum charitas, atque ei ſubeſſe & ſeruire debent omnes Eccleſiæ cõſtitutiones. Silueſter tamen contrariũ tenet in verbo Confeſſor, 3. §. primò quæritur cõtra Angelum docentem, quòd paſtor poteſt abſoluere à caſibus reſeruatis, ſi ſaluti confitentis hoc expedire videtur: quod certè Angeli dictum generalius eſt, quam veritas patiatur. Aliud namque eſt ſaluti expedire, aliud eam impedire. Nam ſententia prophe-
Eſa.42. tæ de Saluatore eſt, Arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet. Pro dictorum declaratione multũ conducit definitio facultatis Pariſienſis cõtra fratrem Angelum, qui Tornaci prædicauerat, quòd fratres præſentati Epiſcopo & admiſsi ſunt veri curati, meliùs quàm preſbyteri parochiales, quia facultatem ſuam habent à ſummo pontifice, dicti autem preſbyteri ab Epiſcopo duntaxat. De qua propoſitione reſpondit facultas, quòd in ſe & quoad omnes partes & probationem partis vltimæ, qua dicitur ab Epiſcopo duntaxat, eſt ſcandaloſa, in fide erronea, hierarchici ordinis deſtructiua, & pro conſeruatione eiuſdem ordinis publicè reuocanda & abiuranda, prout refert Ioannes maior diſtinct. 24. 4. ſententiarum quæſt. 3. circa ſecundam concluſionem. Diffiteri non poſſumus multos & magnos eſſe abuſus in eccleſia Chriſti, non ſine ſtrage multarum animarum, multorumque ſcandalo in reſeruationibus caſuum, & eccleſiarum emptionibus: Nec animarum ſalutem ſpectare videntur ſecundum noſtri ſeculi obſeruationem & practicam: ſed turpe lucrum ſectari cum multorum offenſione. Numerata enim pecunia, relaxantur reſeruationes, & exemptiones obtinentur. Certè non videtur hoc ſeculo populi Chriſtiani moribus & irreligioſitati conuenire tam multos caſus reſeruari, quod habet bulla cœnæ Domini, & ſynodalia ſtatuta epiſcoporum, annexis cenſuris excommunicationum. Pauci ſunt, qui propterea magis deterrentur a peccando: & prudentibus ac zeloſis confeſſoribus multas adferunt perplexitates, & infirmis pœnitentibus ſalutis impedimenta, quando huiuſmodi caſus occurrunt. Deflendum & valde dolendum eſt, quod pecunia numerata omnia ferè diſpenſantur, & relaxantur: & vix aliquid eſt, quod impetrari non poſsit, nullo ſalutis animarũ, de quo appareat, reſpectu habito. Paulus Apoſtolus regulam tradit in ſe omnibus Eccleſiæ prælatis, dum ait: Poteſtatem dedit mihi Dominus in ædificationẽ, non in deſtructio- 2.ad Corint. 13.
nem. Non enim poſſumus aliquid aduerſus veritatem, ſed pro veritate. Nullæ igitur diſpenſationes, nullæ caſuum reſeruationes, nullę a prælatis ordinarijs exemptiones, niſi iuſta & legitima cauſa ſubſit, ſine poteſtatis abuſu & grandi peccato fieri poſſunt. Quæ autem ſit legitima cauſa in diſpẽſationibus, & ex rationis paritate de alijs, docet B. Bernardus lib. 3. de conſideratione ad Eugeniũ papam. Quid, inquis, prohibes diſpenſare? loquens de exemptionibus. Non: ſed diſsipare. Non ſum tam rudis vt ignorem vos poſitos diſpenſatores, ſed in ædificationem, non in deſtructionem. Vbi neceſsitas vrget, excuſabilis diſpenſatio eſt. Vbi vtilitas prouocat, diſpenſatio laudabilis eſt. Vtilitas dico communis non propria. Nam cum nihil horum eſt, non planè fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſpenſatio eſt. Quæ autem fiunt ſine hac iuſta cauſſa, ſi ſunt diſpẽſationes in his, quæ ſunt iuris diuini vel naturalis, vt in votis, iuramentis, beneficiorum maximè, curatorum pluralitate vel reſidentia, nulliter fiunt: nec coram Deo eum cum quo diſpenſatur excuſabunt: ſimiliter exemptiones & caſuum reſeruationes, & etiam quæ fiunt contra publicam vtilitatem, vel populi fidelis ſalutem. Quorum omniũ ratio eſt, quod pro ſola neceſsitate vel publicá vtilitate hæc fieri debeant & poſsint. Ad horum autẽ pleniorem noticiam, maximè eorum, quæ de caſuum reſeruatione ſunt dicta, an valida ſit facta ſine cauſa, aut poſtquam ipſa ceſſauit, plurimum conduceret intelligere, quid ex Chriſti inſtitutione habeant, & poſsint epiſcopi & curati, & an hi immediatè ſint à Chriſto inſtituti, atq; ab eo habeant ſuam poteſtatẽ: quamuis epiſcopi in ſuæ poteſtatis vſu ſubſint Chriſti vicario, & curati Epiſcopis. De quo tractat Quodlibeti. 9 quæſt. 2.
Henricus de Gandauo. Et Ioannes Gerſon Diſt.19.4. quæſt. 2.
cancellarius Pariſienſis de poteſtate eccleſiaſtica, conſideratione 12. & in 3. parte de conſilijs Euangelicis, & de perfectione cordis. Durandus etiam & Petrus de Palude.

ET quamuis neceſſarium ſit ad ſalutem ſacramentum pœnitentiæ, magis tamẽ neceſſaria eſt cuilibet peccatori, qui mortali peccato eſt obnoxius, ipſa pœnitentia. Nam ſine ea nec poteſt, nec potuit vnquam ei ſalus contingere. Eſt autem neceſſaria non tantum ex iure diuino poſitiuo, ſed etiã naturali, in ordine tamen gratiarum. Eſt enim prima animorum conceptio, quòd filium offenſæ in patrem admiſſæ pœnitere debeat, priuſquam in gratiam recipiatur. Nec ſine ea efficax eſſet ſacramentum pœnitentiæ, imò nec baptiſmus: nec aliud eſt quid eam ſupplere poſsit, nec vlla excuſare neceſsitas: per quam tamen excuſantur ab iſtorum ſacramẽtorum ſuſceptione, quemadmodũ diximus circa ſecundum articulum. Pœnitere autem non debet nec poteſt, qui nullum habet peccatum: cũ pœnitentia nõ fit niſi de his, quæ ipſi malè ſumus operati, ſecundũ deſcriptio-

 nem

nē prius poſitam. Si quis autem venialia tātū peccata habeat, nec huic neceſſaria eſt pœnitentia: quamuis ſine ea, ſaltem virtuali vel generali, non remittantur, nec in baptiſmo quidem. Nemo, inquit B. Aug. qui ſuæ volūtatis arbiter eſt conſtitutus, nouam vitam inchoare poteſt, niſi quē veteris vitæ pœniteat. Et Dominus Saluator: Niſi pœnitentiā habueritis omnes ſimiliter peribitis. Sacramē-
Lucæ 13 tū autem pœnitentię eſſe nequit de peccatis mortalibus ante baptiſmum perpetratis, niſi fortaſsis ficte fuerit ſuſceptus: tametſi veri ſimilius ſit, quòd ſola fictio & peccata poſt eam admiſſa ſint confitenda, huiuſq; ſacramenti virtute remittantur: & alia peccata virtute baptiſmi, qui ſecundum B. Aug. valere incipit, cum fictio veraci corde receſſerit. Eſt igitur hoc ſacramentum pro peccatis poſt baptiſmum admiſsis ad ſalutem neceſſarium, quę ſalus eſt in peccatorum remiſsione: de qua euangeliſta: Ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum, & conſequēter ad ſalutem æternam. Neceſſarium eſt autem hoc ſacramentum in genere & quò ad abſolutionem ſacerdotis. An verò quoad ſingulas etiam eius partes, Contritionem, Confeſsionem, & Satisfactionē: & quomodo tractabitur articulis ſequentibus, & attingetur circa particulam huius eiuſdem articuli ſequentem.

ET iſta huius ſacramenti neceſsitas, non ſolum eſt ex finis & effectus eius neceſſitate, verum etiam ex præcepto, non ſolum generali, quo vnuſquiſq; ex charitate erga ſe obligatur procurare ſalutem animę nō minus, quàm corporis: ſed etiam ſpeciali, quod eſt de actu pœnitentiæ, quæ ſpecialis eſt virt᷑. De actibus enim virtutum ſpecialium, ſpecialia ſunt præcepta: atq; ita nolens pœnitere in periculo vitæ, non tantum contra charitatem peccat, ſed & contra ſpeciale præceptum de pœnitentia. Et neceſſaria eſt pœnitentia, quæ eſt dolor & odium peccati: nec Dei dilectio, eam virtualiter etiam includens, ſufficit: cū ſit ſpeciale de pœnitēdo & deteſtando peccato præceptum, quæ declarabuntur circa articulum ſequentem.

Pœnitentia per modum iudicij exercetur.

COmplectitur autem hoc ſacramentum contritionem, confeſsionem, & ſatisfactionem. Nam cum iudiciale ſit hoc ſacramentum, atque per modum iudicij exerceatur, quemadmodū docebitur circa quintum articulum: ea complectitur ſine quibus non conſiſtit iudicium. Conſtat autem iudicium accuſatione, teſtimonijs, vel confeſsione rei, & ſententia iudicis. Requiritur autē hic contritio tanquam ratio exterioris confeſsionis & ſubmiſsionis in ſacerdotis arbitrium: ne ficta ſint, ſed ex animo pœnitēte atq; ſpōtaneo. Nam talis eſſe debet culpæ cōfeſsio, qua Deus offenſus reconcilietur, & in gratiam eum recipiat qui offenderat. Imponere verò mulctam, & executioni mandare, ad integritatem pertinet iudicij. Non enim perfectum eſſet iudicium ſacramentale, niſi pœnitētia à ſacerdote impoſita executioni mandaretur: ad quam debet ſe pœnitens offerre voluntarium, atque ſacerdotis arbitrio ſe ſubijcere. An verò hæc tria complectatur tanquam partes propriè integrales, an tāquam potentiales, an vt diſpoſitiones tantū ſine quibus non operatur ſalutem: ita vt in ſola abſolutione conſiſtat eſſentia ſacramenti, vt Scotus docet: & contritio atque confeſſio ſint diſpoſitiones pœnitētis prçcedētes, ſatisfactio autem ſequens: an verò in abſolutione, & confeſsione tanquam in materia & forma, vt dicit Durandus, impertinens eſt præſenti articulo, nec hic tractare oportet. Variè enim hac de re ſentiunt doctores ſcholaſtici: à qua tamen pendere videtur, an ſatisfactio virtute clauium impoſita vtilior ſit, quam ſpontè aſſumpta. Si enim ſacramenti pars eſt, ex clauibus Eccleſiaſticis virtutem habet expiandi pœnam, & per eam tanquam Sacramenti partem virtus diuina operatur pœnæ expiationem: quamuis tamen ex ſola harum clauium impoſitione hanc virtutem ſatisfaciendi maiorem habere poſsit. Plurimum autem conduceret tractare anſic neceſſaria ſint hæc tria, vt non poſsit ſine eis ſacramentum conſiſtere: an ſolum neceſsitate prçcepti, an ob finem tantum: hac enim ratione ſolum modo quodam eſſēt neceſſaria, vt ſcilicet à peccatis plena fiat abſolutio: Nam certum eſt quòd ſatisfactio ſimpliciter neceſſaria nō eſt. Sed maior eſt difficultas de confeſſione & contritione, per quam pœnitens ſe arbitrio ſacerdotis ſubijcit: vt ſi quis ſubito morbo correptus de peccatis doluit, ſed non relatiuè ad ſacramentum, nec iam confiteri poſsit: an hoc caſu ſine contritione & confeſsione ratio ſacramenti conſtare poſsit, nō ita eſt manifeſtum. Nam ſine materia non poteſt eſſe ſalua ſubſtantia & ratio ſacramenti, ſicut nec ſine forma. Confeſsio autem volūtaria ſiue ex cordis contritione procedens, eſt quaſi materia huius ſacramenti. Nam ſecū dum definitionem concilij Florentini omnia ſacramenta tribus perficiuntur: rebus videlicet tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri: quorū ſi aliquid deſit, non perficitur, inquit, ſacramētum. Ex his videtur non poſſe conſiſtere ſacramentū ſine contritione & confeſsione. Docent tamen, vt ſuperius diximus, doctores quidam catholici in ſola abſolutione, huius ſacramenti ſubſtantiam conſiſtere, & poſſe ſaluam eſſe rationem ſacramenti ſine contritione, quæ ſacramentū & claues Eccleſiæ reſpiciat: modo ſit dolor de peccatis propter Dei offenſam, licet nulla habita clauium conſideratione. Docent præterea quòd etiam ſine confeſsione ſacramenti ratio conſiſtit, quando morbus præoccupat, & confeſsionem ac votum eius excludit. Nam ſicut à oblitis & venialibus, atque etiam peccatis mortalibus ſemel confeſsis, ſacramentaliter abſolui poſſumus, licet in ſpecie ea non cōfiteamur: ita putant quòd ab omnibus peccatis, nullius facta cōfeſsione abſolui poſſumus, quando cōfitendi facultas adempta eſt, & voluntatem confiten-

Diſtinct. 14. quarti, q. 4.

confitẽdi nutu aliquo oſtendimus, vel alij de nobis id ipſum teſtãtur. Hoc ſentire videtur Leo Papa in epiſt. ad Theod. epiſcop. Forouilienſem. Si aliqua, inquit, ægritudine quidẽ ita fuerint aggrauati, vt quod paulò ante poſcebant, ſub præſentia ſacerdotis ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium circunſtantium prodeſſe debebunt, vt ſimul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium cõſequantur. Et Horum ſententiæ fauere videtur vſus eccleſiæ, & canones ſuperius allegati ex Gratiano, 26.q.6. Et Auguſt. lib.1. ad Polentium ca. penultimo & antepenultimo: Et quamuis ſacramentum ſit iudiciale, & ideò neceſſaria videatur confeſsio rei, quia tamẽ in eo gratioſum ſit iudicium, & in peccatorũ ſalutem eſt inſtitutũ, talem ſufficere putant, qualem facere per ſe vel per alios poteſt, in ſpecie aut in genere, in voto explicito vel implicito. Putant igitur confeſsionem eſſe neceſſariam, quando adeſt oportunitas, & facultas: non autem ſimpliciter vt conſiſtat ratio ſacramenti: & ita ſolum neceſsitate præcepti. Atque ad definitionem Concilij reſpõderetur, quòd multa habet peculiaria pœnitentiæ ſacramentum. Nam materia hîc præcedit formam, nec propriè in rebus conſiſtit: deinde Concilium vocat confeſsionem, non materiam, ſed quaſi materiam: & ideo nihil mirandum eſt, ſi ſine eo, quod quaſi materia dicitur, potiùs conſiſtere poſsit, quàm ſine ſua materia alia ſacramenta. Dicit prætereà Concilium ſine his tribus ſacramentum nõ perfici, hoc eſt, non eſſe ſacramenti perfectionem: non autem negat ſine eis poſſe ſubſiſtere. Nam matrimonium ſine verbis cõtrahi poteſt. Quorum omnium plenior diſcuſsio ad ſequentes magis pertinet articulos: Multi enim docent, quod nec ab oblitis ſacramentaliter abſoluimur quodq; per morbum loquela orbati, abſolui non poſsint. Sed de his plenius agetur circa duos articulos ſequentes. Nec ſolum ex ratione pœnitentiæ Euangelicæ, quia iudicialis eſt, hæc tria cõplectitur hoc ſacramentum: verum etiam ex fine ad quem ordinatur, qui eſt reconciliatio peccatoris: docente hoc naturalis hominis ratione. Filius enim hæc tria aſſumit ad placandum patrem, & ſeruus vt redeat in gratiam domini, & homo ethnicus, ſuppoſita cognitione, quòd Deus eſt Dominus noſter, qui noſtris culpis offenditur. Student enim per hæc tria placare offenſum. Primum enim filius reſipiſcens cogitat, quàm indignè aduerſus patrem optimè ſibi affectum ipſe egerit, dolens quòd eum offenderit: deinde cõfiſus de eius pietate & benignitate, eũ accedere proponit, & ſe humiliare, agnoſcendo & confitendo culpã. Tertiò ſubmittit ſe totum correctioni, emendationi & arbitrio patris, nihil dubitans quin paterno flagello & benigno affectu eum ſit ad gratiam ſuſcepturus. Et quia filium & ſeruum fruſtrari contingit remiſsione culpæ, & gratia patris & domini, quam expectant, hîc habemus certas Chriſti & patris promiſsiones, quòd certo in gratiã

Diſtinct. 34. quarti, q.4.

recipiuntur verè pœnitentes, ſi aſſumimus ſalutaria iſta antidota, quæ ægrotis & peccatoribus conſtituit noſter medicus, qui neminem vult perire, ſed omnes fieri ſaluos. Ideò impium eſſet dubitare, an verè pœnitens à ſacerdote virtute clauium abſolutus adhuc ſit in ira Dei, & peccata ei adhuc imputentur, cum verax ſit Deus in omnibus ſuis promiſsis: ita pœnitentiæ, ſicut baptiſmi. Hunc ordinem ſecutum docet Saluator filiũ prodigum ad ſe reuerſum: & Hieremias Propheta hanc pœnitendi formam præſcribit exemplo adulteræ: Vide, inquit, vbi nunc proſtrata ſis: ſcito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum præuaricata es. Reuertere auerſatrix Iſrael, & non auertam faciem meam. Et cap.8. conqueritur Dominus, quòd nullus eſt, qui agat pœnitentiam pro peccato ſuo, dicens, quid feci? Et Ionas Propheta huius ordinis exemplum nobis proponit in Niniuitis, qui audita ab eo cõminatione interitus agnouerunt ſuam culpam, eamq; confeſsi pœnitentiam egerunt in cinere & cilicio: & iuſſu Regis proclamatum eſt, Conuertatur vir à via ſua mala, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eius: quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat Deus, & reuertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus. Conueniebat autem hic ſermo, Quis ſcit ſi conuertatur, &cæt. illi tempori & genti, quæ non habebat, vel ignorabat promiſsionem gratiæ factam intuitu victimæ Chriſti. Nec ſine ſacramento certitudo eſt gratiæ & remiſsionis peccatorum. Poſtquam humiliationem, ait Scriptura, quod vidit Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala: & miſertus eſt Deus ſuper malitia, quã locutus fuerat, vt faceret eis. Hunc ordinem etiam ſecutus eſt beatus Iob, & quotquot naturali ductu rationis ex ſpiritus ſuggeſtione ſuper peccatis ſuis Deũ placauerunt: ſuppoſita tamen cognitione offenſæ & placabilitatis eius. Rectè namque dicit 3. parte quæſt.84. art.7. Beatus Thomas de iure naturali eſſe, quod homo pœniteat de his quæ malè fecit, quantum ad hoc, quod doleat ſe feciſſe, & doloris quærat remedium per aliquod medium: & quod etiam aliqua ſigna doloris oſtendat, ſicut Niniuitæ fecerũt, vt habetur Ionæ 3. in quibus tamen aliquid fidei fuit adiunctum, quod conceperant ex prædicatione Ionæ, vt ſcilicet hoc agerent ſub ſpe veniæ conſequẽdæ à Deo, ſecundum illud, quod ibi legitur: Quis ſcit ſi conuertatur, & ignoſcat Deus: intelligit autem beatus Thomas hæc eſſe iuris naturalis, ſuppoſita cognitione fidei vel naturali (ſi ad eum lumen naturę ſe erigere poteſt) quòd Deus peccatis noſtris offenditur, & tamen placari poteſt: quia bonus eſt & clemens. Habita enim hac cognitione non ex fide tantum, ſed ex naturali ratione prouenit, quòd homo de peccatis cõmiſsis doleat, quòd dolorem in remedium aſſumat, atque ſignum aliquod doloris oſtendat. Et veriſimilius eſt, quòd dictare poteſt, & cognoſcere naturalis ratio hominis, quòd Deus omnia liberè gubernet, omni-

Hierem. 3.

Iona 3.

omniumque habeat prouidentiam: quòd ſit clemens, pius & propitius, ac facilis ad ignoſcendum, idque ex diligenti inquiſitione vel doctrina. Quibus cognitis cognoſci poſſet, quòd per prædicta poteſt placari. Ideo ſine neceſsitate Cardinalis Caietanus ſẽtentiam beati Thomæ interpretatur intelligendã eſſe præpoſita fidei cognitione. Quia, inquit, quando peccatum non fuit ſcandaloſum, ſeu manifeſtum alijs, nulla apparet ratio naturalis ad ſigna doloris: & abſtrahendo à documentis fidei, dolor ſeu triſtitia de præterito peccato nullam habere videtur rationem remedij, atque ita ſuperfluũ videretur dolere de malis præteritis. Eſt præterea, ait, difficile noſſe quid homo, intra ius naturæ ſolùm ſtando, cognoſceret de abolitione peccati, per aliud quam per ceſſationẽ à peccando. Nam ad primum reſpondetur quòd ex lumine naturali filius dolet de patris offẽſa & ſeruus de offenſo domino, & ſigna doloris eis oſtendunt: ſperantes hoc modo in gratiam redire, vt patet ex dictis ſuperius. Eadẽ ratione ſigna doloris iudicantur hic exhibenda, qua ipſe Caietanus docet ex iure naturæ exterius ſacrificium Deo eſſe offerendum: quia ſcilicet naturale eſt homini dolorem & ſacrificium interius exprimere per ſenſibilia ſigna. Eſt autem hæc articuli pars ad verbum deſumpta ex epiſtola ſynodotica concilij Florentini, cuius definitio ſtatim citabitur, quam ſecutum eſt concilium Tridentinum: vbi habetur cap. 14. ſeſs. 5. Dicendum eſt Chriſtiani hominis pœnitentiam continere nõ modo ceſſationem à peccatis, atque eorum deteſtationem: verumetiam eorumdem ſacramentalem confeſsionem (ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam) & ſacerdotalem abſolutionem, & ſatisfactionem. Vbi additur pars formalis quæ eſt abſolutio. Et quòd concilium Florentinum docet primam partem pœnitẽtentiæ eſſe dolorem de peccato commiſſo, cum propoſito de cætero non peccandi, quaſi per duas partes explicat, ceſſationem ſcilicet à peccatis, quæ propoſitum cauendi includit, quam diſtinguit à deteſtatione. Et in bulla Leonis decimi damnatur ſententia quòd non ſint tres partes pœnitentiæ. De quibus etiam patres concorditer loquuntur. Aiunt enim quòd pœnitere eſt anteacta peccata deflere & flenda non cõmittere. Item, quòd eſt mala præterita plangere, & plangenda iterũ nõ admittere. Quæ cum alijs patrum ſententijs citat Magiſter diſtin. 14. 4. ſenten. Frequentes ſunt etiam patrum ſententię de confeſsione & ſatisfactione, ſicut oſtendetur circa articulos quintum & ſextum.

Iuris naturæ ſunt partes pœnitentiæ.

Sacramentũ pœnitentiæ non competit iuſtis.

EST autem hoc ſacramentum ſolis lapſis ab innocentia baptiſmali ad ſalutem neceſſarium. Nam in ſua oratione rectè dicit Manaſſes rex, Tu Domine iuſtorum non poſuiſti pœnitentiam iuſtis Abraham, Iſaac, & Iacob, his qui tibi non peccauerunt. Et Lucæ. 15. Iuſti non indigent pœnitentia, Lapſis tamẽ omnibus eſt neceſſarium, quamuis per cordis contritionem fuerint aſſecuti peccatorum remiſsionem, ſicut articulo præcedẽti dictum eſt de baptiſ. Impletur enim inuiſibiliter & hoc ſacramentum, quando eius myſterium non contemptus religionis, ſed articulus neceſsitatis excludit. Et ne vlla eſſet amplius dubitatio ſuper iſtis partibus ſacramenti pœnitentiæ, & an vere eſſet ſacramentum nouæ legis gratiam cõferens, in plenario Concilio Eccleſiæ Florentiæ celebrato, præſidente Eugenio quarto, definitum eſt, comprobantibus Græcis & Armenis, qui magno numero viri doctiſsimi aderãt, quòd quartum ſacramentum eſt pœnitentia, cuius quaſi materia ſunt actus pœnitentis: & horum prima pars, cordis Contritio: ad quam pertinet, vt doleat de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. Secunda, oris Confeſsio, ad quam pertinet vt peccator omnia peccata, quorum memoriã habet, ſuo ſacerdoti cõfiteatur integraliter. Tertia, Satisfactio pro peccatis ſecundũ arbitrium ſacerdotis, quæ quidem, vt dicit idem Concilium, præcipuè fit per orationem, ieiunium, & eleemoſynam. Et quod forma huius ſacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ ſacerdos profert, Ego te abſoluo, &c. & effectus abſolutio à peccatis. Hæc omnia latiùs etiam explicat & probat Concilium Tridentinum, quod ſic habet: Qui verò ab accepta iuſtificationis gratia per peccatum exciderunt, rurſus iuſtificari poterunt, cùm excitante Deo per pœnitentiæ ſacramentum, merito Chriſti amiſſam gratiam recuperare curauerint. Hic enim iuſtificationis modus, eſt lapſi reparatio, quam ſecundam, poſt naufragium deperditæ gratiæ, tabulam ſancti patres aptè nuncupauerunt. Etenim pro ijs qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, Chriſtus Ieſus Sacramentum inſtituit pœnitentiæ, cum dixit, accipite ſpiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Vnde dicẽdum eſt Chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum multo aliã eſſe à baptiſmali: eandem continere non modò ceſſationem à peccatis, & eorum deteſtationem, ac cor contritum, & humiliatum: verum etiam eorundem ſacramentalem confeſsionem, ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam: ſacerdotalem abſolutionem: itemque ſatisfactionẽ per ieiunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia: non quidem pro pœna ęterna, quæ vel ſacramento vel ſacramenti voto, vna cum culpa remittitur, ſed pro pœna temporali, quę, vt ſacræ literæ docent, non tota ſemper, ſicut in baptiſmo fit, dimittitur illis qui gratię Dei quam acceperunt ingrati, ſpiritum ſanctum contriſtauerunt, & templum Dei violare nõ ſunt veriti. De qua pœnitentia ſcriptum eſt, Memor eſto vnde excideris: age pœnitentiam, & prima opera fac. Et iterum, Quę ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilẽ operatur. Et rurſus, Pœnitentiam agite, & facite fructus dignos pœniten-

Ca 14. ſeſſ. 5

Verba concilij

Ioan. 20.

1. Corint. 3.

Apocal. 2.

2. Corint. 7.

Matth. 3.

pœnitentiæ. Idem concilium in primo Canone de ſacramentis in genere numerat pœnitentiam inter ſacramenta nouæ legis, quæ gratiam conferunt. Cōcilium etiam Conſtātienſe in bulla condemnationis Ioānis Hus, definit quòd ſacerdos poteſt peccatorem cōfeſſum à peccatis abſoluere. Et vt diximus. Nouatiani ante tempora B. Auguſtini ab Eccleſia iudicati ſunt hæretici, propterea quod negabant ſacerdotes peccata poſſe remittere. Et Lucius tertius in ca. ad abolendam, tit. de hæreticis, excommunicat eos qui aliter ſentiunt aut docent de ſacramentis Eccleſiæ & peccatorum confeſsione, quam ſancta Romana Eccleſia. Quia igitur totus articulus confirmatus eſt per generalia Eccleſiæ Concilia, & patrum ex ſcripturis concordem ſententiam, impium certè & ſacrilegum eſt poſt Eccleſiæ & tot ſacerdotum ſententiam, ſuæ opinioni aliquid tractandum relinquere, & ſemel iudicata ac rectè diſpoſita rurſum in dubium reuocare. Ex quibus patet quòd totus articulus [illegible] fidei. Nam poſtrema pars & prima per Eccleſiam ſunt definitæ. Neceſsitas autē conſtat ex verbis Saluatoris, & clariſsimo Eccleſiæ conſenſu, quem Cyprianus, Ambro. Auguſtinus, & vniuerſi patres explicauerunt, & ſecuti ſunt ſemper.

Totus articulus eſt fide tenendus.

Argumenta aduerſariorum

QVanquam articulus tot habeat ex ſcripturis, ex concordi patrum ſententia, & plurium Conciliorum definitionibus euidentia teſtimonia, nō tamē pudet aduerſarios ei cōtradicere, & vniuerſas eius particulas improbare: nulla tamen ſcriptura aut probabili ratione adducta. Et vt hoc clarè oſtendamus, audiamus, quid ſcripſerit Ioannes Caluinus de hoc ſacramento, in ſua inſtitutione, & in peſtilenti antidoto contra Cōcilium Tridentinum. Docet enim pœnitentiam non eſſe ſacramentum nouæ legis à Baptiſmo diſtinctum, ſed idem eſſe cum baptiſmo ſacramentum. Aptiſsimè, inquit, dixeris ſi baptiſmum vocaueris pœnitentiæ ſacramentum. Docet præterea cum Philippo, Bucero, & alijs, quòd pœnitentia non eſt neceſſaria ad peccatorum remiſsionem, eò quòd hæc fide ſola apprehenditur: quam ſequuntur charitas, pœnitentia, obedientia, & aliæ virtutes. Et duabus tantum partibus mortificatione & viuificatione pœnitentiam conſtare. Impugnans enim definitionem Concilij Tridentini, quam ſuperius poſuimus, ait:

Caluinus obijcit.

Vbi patres de reparatione poſt lapſum tractant, aptam eſſe pœnitentiæ definitionem aſſerunt, quòd dicit Hieronymus eſſe ſecundam tabulam à naufragio. Si dictum Hieronymi vellem exagitare, rogarem cur non & tertiam & quartam appellauerit. Quotus enim quiſq; eſt qui non niſi vnum naufragium tota vita facit.

Reſponſio.

Prætereo quòd falſo adferat, patres aſſerere aptam eſſe pœnitentiæ definitionem dictum Hieronymi. Aiunt enim quòd lapſi reparationem patres aptè nuncupauerunt ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam. Nec ſolius Hieronymi eſt hæc ſententia in ca. 3. Eſaiæ, & in epiſt. ad Demetriadem de virginitate, & epiſt. 2. ad Pammachiū & Oceanum. Sed & B. Ambr. in libel. de virgine corrupta. Et antiquiſsimi Tertulliani in lib. de pœnitentia, & deſumpta eſt ex ſcripturis ſacris, ſi rectè tropica hæc locutio intelligatur, in qua plerunque non per omnia ſignato reſpōdet ſignum. Atque huius dicti intelligentiam patres inſinuant, dum addunt, Etenim pro his qui poſt baptiſmum in peccatum labuntur, Chriſtus Ieſus ſacramentum ſtatuit pœnitentiæ. Plenius Magiſter ſentē. diſtinct. 14. 4. Si quis, inquit, veſtem innocētiæ in baptiſmo acceptam peccando corruperit, pœnitentiæ remedio reparare poteſt. Prima tabula eſt baptiſmus, vbi deponitur vetus homo, & induitur nouus. Secunda, pœnitentia, qua poſt lapſum reſurgimus, dum vetuſtas reuerſa depellitur, & nouitas perdita reſumitur. Poſt baptiſmum relapſi per pœnitentiam renouari valent, non per baptiſmum: quia licet homini ſæpius pœnitere, non baptizari. Quantum autem voles hanc ſententiam & explicationem exagites, quia euangelica eſt, nunquam euertere poteris. Et quando quæris, Cur non & tertiam & quartam appellauerit: Obuia reſponſio, quia eadem ipſa pœnitentia, idemq; ſacramentum vnicum ſemper eſt remedium, & eadem tabula: quam naufragātes, ſi tertio, ſi quarto, ſi centies aut millies naufragati fuerint, apprehendere debent, vt reparentur, & ſalui fiant. Quotieſcunque enim naufragium quis fecerit, vnicum eſt confugium pœnitentia & hoc ſacramentum.

Rurſus Caluinus obijcit

Imò, Quis vnquam repertus eſt quem non ex quotidianis naufragijs eripuerit Dei gratia?

Reſponſio.

Sed eripit per cordis contritionem, hoc eſt, per pœnitentiam & hoc ſacramentum, quod reparandis peccatoribus atq; à diaboli laqueo eripiendis eſt conſtitutum. Nec per omne peccatum naufragamur, ſed per lethalia tantum, quę non frequenter admittunt, qui Dei habent timorem.

Caluinus.

Sed cum Hieronymo nihil eſt mihi negotij in præſentia. Tridentini patres non de pœnitentia tractant, ſed de pœnitentiæ ſacramento, quod à Chriſto inſtitutum fingunt.

Reſponſio.

Quod de pœnitentia dicitur, verum eſt & de ſacramento pœnitentiæ poſt eius inſtitutionem: de quo ſubindicat Caluinus Hieronymum non loqui. Verum quia ipſum ſacramentum etiam pœnitentia dicitur, illud etiam B. Hierony. & alij huius ſententiæ authores complectuntur. Nec patres fingunt ſacramentum hoc à Chriſto eſſe inſtitutum, ſed ex verbo Chriſti, hoc docent, & probant: quod & te reluctantem & inuitum in loco quodam inſtitutionis tuæ, quem, ſtatim citabimus, conuincit. Atq; ſuperius oſtendimus, quòd hæc eſt omnium Patrum & Conciliorum ex verbo Saluatoris concors ſententia, quod ſcilicet pœnitentia eſt ſacramentū per quod peccata remittuntur.

Vbinā à Chriſto inſtitutū fingunt? Quia dixit Accipite

Caluini obiectio.

cipite ſpiritum ſanctum, Quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt. Primum, ſi Chriſtus hac autoritate donauit Apoſtolos, eſt ne propterea ſacramenti inſtitutio? Vbi ſymbolum? Vbi forma? Deinde quis ignorat munus Apoſtolis illic fuiſſe iniunctum, quo erga extraneos fungerentur? Chriſtus teſtimonium quod de peccatorum remiſſione Apoſtoli reddituri erant mundo, confirmat, Ea porrò legatio eſt quæ per Euangelium defertur, & quidem in eccleſiam nondum coaptatis.

Reſponſio.

Chriſtus hac poteſtate donando Apoſtolos, ſacrum inſtituit ſacerdotium ſecundum vnam eius functionem & poteſtatem: cuius vſus quia ſenſibili ſigno exercetur, & remiſſionis peccatorum habet promiſſionem, ſimul inſtituit ſacramentum hoc pœnitentię, cuius ſymbolum eſt humilis peccatoris confeſsio, cum ſubmiſsione in ſacerdotis arbitrium, quoad emendam & ſatisfactionē: & forma eſt abſolutio ſacerdotalis, qua peccata remittit, & ſe remittere pœnitenti viſibili ſigno innoteſcit. Hoc modo tibi reſpondet Philippus Melanchthon in Catechiſmo ſuo. Tres, inquit, ſunt cęremonię in euāgelio inſtitutæ, quibus addita eſt promiſsio euangelij, hoc eſt gratię ac remiſsiōis peccatorū, baptiſmus, abſolutio & cœna Domini. Nam Euangelium, inquit, quod promittit & proponit remiſsionem peccatorū propter Chriſtum, ſingulis applicat priuata abſolutio. Nam in euangelio inſtitutum eſt miniſterium annunciandi remiſsionem peccatorum multis aut ſingulis, iuxta illud, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Et ita abſolutio eſt illuſtre teſtimonium in euāgelio inſtitutum: quæ & tu in tua inſtitutione ſatis confirmas. Quòd autem dicis Apoſtolis illic fuiſſe iniunctum munus, quo erga extraneos nondum in eccleſiam coaptatos, hoc eſt, nondum baptizatos fungerentur, verba Saluatoris non patiuntur, eò quòd abſolutè dicit, Quorum remiſeritis peccata, remittūtur eis, ſine alicuius peccati, vel peccatoris exceptione. Et cùm remittere peccata in Deum commiſſa ſit actus iudicialis, qui nomine Dei exercetur, magis locum habet circa eos qui eccleſiæ ſunt coaptati, & iam per baptiſmum incorporati. Nam de ijs qui foris ſunt ait Apoſtolus, Deus iudicabit. Quid enim mihi de his qui foris ſunt iudicare? Et cùm eos qui eccleſiæ ſunt coaptati contingat peccare, & in eccleſia peccatorum fit remiſsio, neceſſe eſt in ea eſſe poteſtatem aliquam peccata remittendi: quod ſuperius oſtendimus concilia & patres concorditer docuiſſe. Nam impoſsibile videbatur, inquit Beatus Ambro. vt peccatum ablueret aqua: Et Namam Syrus lepram ſuam per aquam mundari poſſe non credidit: ſed quod impoſsibile erat, fecit Deus poſsibile eſſe, qui tantā nobis donauit gratiam. Similiter impoſsibile videbatur per pœnitentiam peccata dimitti: conceſsit hoc Chriſtus Apoſtolis ſuis, quod ab Apoſtolis ad ſacerdotum officia trāsmiſſum eſt. Factum eſt igitur poſsibile quod impoſsibile videbatur. Nec vllam habet ſoliditatem, quòd ais in verbis, Quorum remiſeritis peccata, &c. Chriſtum teſtimonium, quod de peccatorum remiſsione Apoſtoli reddituri erant mundo, confirmaſſe: Cum ante hæc verba nulla huius teſtificationis facta fuerit mentio.

Philipp' Melanc. in Catechiſmo.

Caluinus.

Blatero quiſpiam ex monachis qui Concilium regum, commentum ſuum recitauit præſcribi illic formulam, qua in ſtatum gratiæ reſtituerentur, qui poſt baptiſmum lapſi erant, & annuerunt patres: locus tamen ipſe clamitat impudenter ſe aliò fuiſſe detórtum, quā oportuit. Inde inferūt Chriſtiani hominis pœnitentiam: poſt lapſum longè aliam eſſe à baptiſmali quaſi vnam tantum ſpeciem attingat Chriſtus, ac non potius idem quod Luc. 24. doceat prædicādum eſſe in ſuo nomine pœnitētiam & remiſsionem peccatorum.

Reſponſio.

Iniuriam facis ſancto & celebri pátrum cœtui in Chriſti nomine congregato, quòd ſcribas à monachis ipſum regi, & non potius imò certò à ſpiritu Chriſti iuxta eius promiſsionem, Ecce ego vobiſcū ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. & , Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Et in verbis ſaluatoris præſcribi formulam qua in ſtatum gratiæ reſtituuntur, qui poſt baptiſmum lapſi ſunt, omnium patrum & Conciliorum, vt diximus, concors eſt ſententia: quemadmodum ea ſuperius citauimus: quāuis eorum nonnulli ad remiſsionem, quæ fit in baptiſmo, ipſum propter ſermonis generalitatem extendant. Certè magna eſt impudētia ſine vlla ratione toti orbi proponere, quod locus iſte, Quorum remiſeritis peccata, &c. clamitet impudenter ſe alio fuiſſe detortum quàm oportet, quando videlicet refertur ad formulam qua lapſi poſt baptiſmum in gratiam reſtituuntur: cum multi ſcriptorum eccleſiaſticorum propriè & peculiariter ipſum ſic interpretētur, & nemo eorum hunc intellectum excluſerit: quamuis multi, vt diximus, propter verborum generalitatē comprehendāt etiam peccatorū remiſsionem, q̄ fit in baptiſmo in quo nō ex authoritate vel poteſtate miniſtri peccata remittūtur, ſed ex virtute baptiſmi, à quocunq; fuerit diſpenſatus, ſeu laico, ſeu pagano, ſeu Iudęo, dicente Saluatore: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, nō poteſt introire in regnū Dei. & B. Auguſtinus: Quæ eſt tanta vis aquæ vt corpus tangat & cor abluat? Hic autem datur in verbis Domini, vt ipſe non diffiteris, Apoſtolis authoritas ac poteſtas peccata remittendi & retinēdi. Et ait B. Cyrillus circa locum Lucę 5. Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? Quomodo, inquit, non ipſe magis peccata dimittit, qui cæteris poteſtatē faciendi hoc tradidit: ſicut & miracula faciendi dedit poteſtatem? Idem in comment. ſuper Ioannem exponens hæc verba Chriſti, certè, ait, ſolius veri Dei eſt, vt poſsit à peccatis homines ſoluere. Cui enim alij præuaricatores legis à

Matth. 28.
Matth. 18.
Ioannis 3.
Tractatu 80 in Ioannem.

peccato

peccato liberare licet, niſi legis ipſius autho ri? Qua igitur ratione diuinæ naturæ dignitatē ac poteſtatē diſcipulis ſuis Saluator largitus eſt? Quia certè abſurdū non eſt peccata remitti poſſe ab illis qui ſpiritū ſanctum in ſeipſis habeant. Nā cū ipſi remittūt aut detinent, ſpiritus qui habitat in eis remittit & detinet. Fit aūt id per eos duob⁹, vt arbitror, modis: primò baptiſmo, deinde pœnitentia. Nam aut credentes & vitæ ſanctimonia probatos homines ad baptiſmū adducunt, & indignos inde prudenter expellūt: aut eccleſiæ filios peccantes quidem increpant, aut pœnitentibus indulgent.

Act.2. Aliā aūt eſſe Chriſtiani hominis pœnitētiam poſt lapſum à baptiſmali, Apoſt. Petrus in actibus oſtendit. Baptizandis enim corde cōpunctis ſimpliciter dicit, Pœnitentiā agite, & baptizetur vnuſquiſq; veſtrū in nomine Ieſu Chriſti in remiſsionē peccatorū: *Act.8.* Simoni aūt Mago poſt baptiſmū lapſo ait, Pœnitētiā age ab hac nequitia tua, & roga Deū ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Et Apoſt. Paulus in epiſt. ad Hebræos. *cap.6.* Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, & participes facti ſunt ſpiritus ſancti, &c. & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiā rurſum crucifigētes ſibimetipſis filium Dei. Terra enim ſæpe ſuper ſe venientem bibens imbrem, &c. *Auguſtinus Homelia 50 quæ eſt de pœnitentia.* Et B. Auguſtinus, Tres, inquit, ſunt actiones pœnitentiæ. Vna quæ nouum hominem per baptiſmum parturit: altera cuius actio per totam vitam iſtam, quā in carne mortali degimus, perpetua ſupplicationis humilitate ſubeunda eſt, de peccatis ſcilicet venialibus. Nam perpetua eſt Chriſtiani hominis ſupplicatio, Dimitte nobis debita noſtra. Tertia verò actio pœnitentiæ eſt, quę pro illis peccatis ſubeunda eſt, quæ legis decalogus continet: de quibus Apoſtolus ait, Qui talia agunt, regnum Dei non poſsidebunt. *Galat.5.* In hac pœnitentia maiorē in ſe quiſq; ſeueritatem debet exercere. Aſcendat itaq; homo aduerſum ſe tribunal mentis ſuæ: & conſtituto in corde iudicio adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia. Et poſtea. Cùm in ſe protulerit ſeuerisſimæ medicinæ ſententiam, veniat ad antiſtites, per quos illi in eccleſia claues miniſtrantur &c. *Cyprianus in ſermone de lapſis.* Atque B. Cyprianus oſtendit difficilem eſſe pœnitentiam in relapſis poſt baptiſmum, & inuehitur contra facilitatem quorundam ſacerdotum in recipiendo ad pacem & communionem: & circa finem ſermonis, Deus inquit, quàntum patris pietate indulgens ſemper & bonus eſt, tantum iudicis maieſtate metuēdus. *Damaſcen⁹ lib.4 orthodoxæ fidei cap.10.* Quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non deſit: pœnitentia crimine minor non ſit. Ideo Damaſcenus vocat pœnitentiam laborioſum baptiſma, Sextum inquit, eſt baptiſma, quod per pœnitētiam & lacrymas verè laborioſum eſt. Multò igitur alia eſt pœnitentia hominis Chriſtiani poſt lapſum, quàm baptiſmalis.

Nec aliquod incommodum vel inconueniens eſt, ſi hoc loco Quorum remiſeritis peccata &c. vnam tantum ſpeciem pœnitentiæ Dominus attingat: quin potius nullam hic pœnitentiæ ſpeciem videtur attingere; ſed tantum poteſtatem peccata remittendi ijs quos pœnitet, & qui ſua peccata confitentes iudicis hic conſtituti arbitrio ſe ſubijciunt: ſicut ſolum baptiſmi facit mentionem cum ait apud Marcum: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. *Marci 16. Mat.28.* Et apud Matth. baptizandi miniſterium iniunxit, quando dixit, Euntes docete omnes gētes, baptizātes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus sācti. Non enim vbiq; ſcriptura dicit omnia. Et ca. 24. Lucæ, quod citas, nullam facit poteſtatis peccata remittendi mentionem, ſed pœnitētiæ tantum, & remiſsionis peccatorum, quas per apoſtolos Dominus prædicare mandauit non tantum baptizandis, ſed in vniuersū omnibus, qui peccaſſent: quemadmodum Petrus Simoni Mago, atque in Apocalypſi Ioannes Apoſt. epiſcopis in Epheſo, in Pergamo, & in Sardis ciuitatibus pœnitentiam annunciauerunt. Et Apoſtolus Paulus ad pœnitentiam hortatur Romanos: & Corinthios. *Rom 2. 2. Cor.5.* Pro Chriſto, inquit, legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos: obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo. Credimus enim in eccleſia remiſsionem peccatorū, & illam fieri incorporatis eccleſiæ, & non ſolum his qui in eccleſiam recipiuntur.

Non diffitemur doctores ſanctos variare circa tempus, in quo Saluator Apoſtolis dixit, hæc ſunt verba quæ locutus ſum vobis, &c. Tunc aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas: & dixit eis, Quoniam ſic *Luca.24.* ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis die tertia, & prędicari in nomine eius pœnitentiā & remiſsionē peccatorum in omnes gentes: vos autē eſtis teſtes horum. Nam ſecūdum B. Auguſtinum Lucas hic cōmemorat, quę Ioannes prętermiſerat, deſcribens primam apparitionem factam Apoſt. poſt verba, Quorum remiſeritis &c. Hunc intellectum ſequitur Ioan. Caluinus, & aliquid apparentiæ adferre videtur eius argumentationi: quia dicitur apud Lucā, In omnes gentes. incipientibus &c. nec tamen hoc ſenſu ſuppoſito concludi poteſt, quod verba domini, Quorum remiſeritis peccata &c. intelligenda ſunt tantum de remiſsione peccatorum, quæ fit circa initiandos in baptiſmo, *Ioannis 20.* eò quòd tam Ioannis quā Lucæ verba ſint generalia, vt comprehēdere poſsint peccata baptizatorū ſicut eorū qui nondum eccleſiæ ſunt coaptati. Et quando Dominus apparuit Apoſtolis vndecim *Matt.28.* in Galilæa, ſpeciale mandatum in remiſsionem peccatorum baptizandi eis dedit. Apud Ioannem vero poteſtatem dedit & mandatū peccata remittendi, quaſi ex iudicio & cauſæ cognitione, quorundam peccata iubens remitti, aliorum autem retineri. *Remiſsio peccatorum fit ex iudicio et cauſa cognitione* Eſt autem probabilius quod verba Lucæ dicta ſunt die aſcenſionis Domini, eò quòd ſeparari non poſſunt ab eo quod apud eundem ſequitur,

Vos

Vos autem teſtes eſtis horum, & ego mitto promiſſum patris, etc. Quæ ex actib. Apoſtolorum certum eſt dicta eſſe die aſcenſionis Domini, quo modo ea intelligit & collocat Andreas Oſeander in ſua harmonia, atq; doctores alij. Vide Caluine & expende, quā infirma ſint quæ contra Concilij definitionem adducis. Nullam hic audimus ſcripturam, ſed nuda verba & quæſtiones. Vbi, inquit, ſymbolum? vbi forma? Deinde: Quis ignorat munus illic Apoſtolis fuiſſe iniunctum, quo erga extraneos fungerentur? Itē, Locus ipſe clamitat, impudenter ſe alio fuiſſe detortum, quam oportuit. Nullæ hic ſcripturæ, quibus expugnari poſsit & euerti Cōcilij huius definitio. Maior reuerentia & authoritas eccleſiæ debetur quæ in Concilijs loquitur per ſpiritum ſponſi ſui, quàm vt ab ea recedatur propter huiuſmodi ſophiſticas rationes.

Sed proferamus quæ dicis contra hoc ſacramentum in tua inſtitutione chriſtianæ religionis, atque expēdamus an ſint probabiliora maiuſque pondus habeant & efficaciam. Nam ijs quæ contra partes pœnitentiæ Confeſsiōnem & Satisfactionem in antidoto ſcribis, circa articulum quintum & ſextum reſpondebimus. Contra hoc ſacramentum pœnitentiæ in inſtitutione tua ſic habes.

Caluinus. *Romanenſes & ſcholaſtici dicunt pœnitentiam exteriorem eſſe ſacramentum, & exiſtimant debere ſignum eſſe interioris pœnitentiæ, id eſt contritionis, quæ erit res ſacramenti: exteriorem verò eſſe ſacramentum duntaxat: interiorem autem rem & ſacramētum: & remiſſionem peccatorum rem tantùm: & non ſacramentum.*

Reſponſio. Magiſter diſtinct. 22. 4. Magiſter ſententiarum hanc ſententiam proponit ſine definitione: doctores autem ſcholaſtici de hac ſententia per eum propoſita, vt ſupra diximus, variè opinantur: quidam quòd ſola abſolutio ſacerdotis eſt ſacramentum, & non pœnitentia exterior: alij, quod ſacramentum pœnitentiæ ſint abſolutio & confeſsio. Probabilior tamen magiſque conformis Conciliorum definitionibus eſt opinio B. Thomæ, Bonauenturæ & veterum doctorum ſcholaſticorum, qui ſequūtur ſententiam quam Magiſter ſententiarum proponit, & hic citatur à Caluino. Nam à materia magis nomen ſumunt ſacramenta, quàm à forma: tametſi ſacramenti rationem non habeant, forma nō coëxiſtente. Sic baptiſmus, chriſmatio in fronte, & extrema vnctio à materiali nomen ſortiuntur: ſimiliter & hoc ſacramentum dicitur pœnitentia externa, quæ conſiſtit in humiliatione pœnitentis ſecundum contritionem, accuſationem, & ſatisfactionem, quæ ſecundum Cōcilium Florentinum ſunt quaſi materia huius ſacramēti, & abſolutio ſacerdotis forma: hæc autem ſimul iuncta ſignificant pœnitentiam interiorem, ſecundum quod per ipſam eſt perfecta culpæ remiſsio, eamque efficiunt, quam tamen imperfectam pro ſuo habent principio & radice. Nam Deus vtrinq; ex parte pœnitentis ſcilicet & ipſius ſacramenti concurrit. Inſpirat enim interiorem pœnitentiam in ordine etiam ad ſacramentum, & vt clauibus eccleſiæ ſe peccator ſubijciat: & ex parte ſacramenti concurrit, ordinando ſacramentales actus exteriores (qui in humiliatione pœnitentis conſiſtunt) ad pœnitentiam interiorem: per ſacramentum ipſam perficiendo, vt faciat ex attrito contritum: dum ſacramento mediante vtitur etiam Deus actu interiori pœnitentiæ ad remiſsionē peccatorum, per quod actus hic interior fit res & ſacramentum. Ex quo apparet, quòd ſacramentum ſignificat & cauſat interiorem pœnitentiam: & hæc ſignificat & cauſat remiſsionem peccatorum. Sunt enim inſtrumenta ſubordinata Deo principaliter agenti: ſicut baculus quo moueo lapidem, eſt inſtrumentum ſubordinatum manui, quo moueo baculum. Et quamuis plures doctores ſcholaſtici opinentur ſolam formam, ſcilicet abſolutionem, habere cauſalitatem: quemadmodum in ſacramento Euchariſtiæ, & ita ſacramentum iſtud ſolùm ratione formæ operari remiſsionem peccatorum, atque hanc opinionem ſit ſecutus B. Tho. circa diſtinct. 22. quarti ſentētiarum. veriſimilior tamen eſt ſententia, quam tradit in 3. parte quæſt. 86. artic. vltimo, ſcilicet quod totum ſacramentum pœnitentiæ, compoſitum ſcilicet ex actibus pœnitentis & abſolutione, ex quibus vnum fit ſacramentum, cauſat remiſſionem peccatorum ratione vtriuſque partis: principaliter tamen ratione formæ: ſecundario autem ratione actuum pœnitentis vt ſubordinantur clauibus eccleſiæ. His enim ex hoc ipſo quòd efficiuntur pars ſacramenti, vtitur Deus vt parte materiali ſui inſtrumenti ad cauſandum remiſsionem peccatorum: ſicut hoc ipſo quòd aqua adhibetur ad baptizandum, Deus ea vtitur vt parte materiali ſui inſtrumenti ad regenerandum ſibi filios. Sed ſuper iſtis vobiſcum non contendimus. Sunt enim probabilia, in quibus vnicuique licet in ſuo ſenſu abundare, atq; ſequi quam velit opinionem. At caput noſtræ controuerſiæ eſt, an ſit aliquod ſacramētum à Chriſto inſtitutū reconciliandis poſt baptiſmum lapſis, ſicut inter non conuenit quòd reconciliandis & regenerandis Chriſto extraneis nondum in eccleſiam coaptatis inſtitutus ſit baptiſmus. Et hæc quæſtio fidei eſt in qua intellectum noſtrum captiuare debemus in obſequium ſcripturarū & definitionis Conciliorum & patrum ex ſcripturis. Nihil igitur propoſitæ controuerſiæ, quæ citas ex Magiſtro ſententiarum conducunt. Nec refert falſa ſint an vera.

Humiliatio pœnitētis externa eſt ſacramentum pœnitentiæ.

Pœnitentia externa facit etiam remiſsionem peccatorum.

Qui ſacramenti definitionem ſuprà à nobis poſitam in memoria tenent, & ad eam exigunt, id quod dicunt eſſe ſacramentū, inuenient non eſſe cæremoniam à Domino inſtitutam ad fidei noſtræ confirmationem. Caluinus.

Oſtendimus & nos ſuperius ſacramentum eſſe cæremoniā ſiue ſignum externum à Domino Reſponſio.

mino inſtitutum, non tam ad fidei confirmationem, quã ad efficaciter ſignificandum & operandum noſtram ſalutem. Condonemus tamen nũc Caluino, quam proponit ſacramenti definitionem: Certè hoc ſacramentum eſt externa cæremonia cum abſolutione ſacerdotis, imo & ſine ea eſt humiliatio pœnitentis, ſe apud ſacerdotem accuſantis, quæ externa eſt cæremonia. Abſolutionem autem eſſe à Domino inſtitutam quoad efficacem ſignificationem diximus ſupra, idem oſtenſuri circa articulos ſequentes de confeſsione & ſatisfactione. Sed obijcit Caluinus Auguſtinum definire ſacramenta eſſe inſtituta viſibilia, vt carnales ab his quæ oculis cernuntur, ad ea quæ intelliguntur ſacramentorum gradibus transferantur: Quid, inquit, tale aut ipſi vident, aut alijs queunt oſtendere in eo quod pœnitentię ſacramentũ vocant? Idem alibi: Sacramentum ideo dici tur, quia in eo aliud videtur, aliud intelligitur: quod videtur, ſpeciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet ſpiritualem. Neque, inquit, vllo modo ſacramento pœnitentiæ, quale fingunt ipſi, conueniunt hæc, vbi nulla ſpecies eſt corporalis, quę ſpiritualem fructum repręſentet.

Obiectio. Li. 3. quæſtionũ vet. teſta.

In ſermone quodam de baptiſmo infantum.

Reſponſio. Videre hic licet & ad oculum oſtendere, quòd humiliter genibus flexis, pœnitens ſua confitetur peccata, & à ſacerdote abſoluitur quamuis per inſtituta viſibilia Auguſtinus intelligat ſenſibilia, hoc eſt ſigna, quæ ſenſu aliquo externo percipi poſſunt. Percipiũtur aũt auditu confeſsio & abſolutio. Et etiam ſi hic nulla eſſet ſpecies corporalis, ſignum tñ. hic eſt corporale ſiue ſenſibile. Et abſolutio ſacerdotis repręſentat remiſsionem peccatorum, iuxta promiſsionem Chriſti: Humiliatio aũt pęnitentis contritionẽ cordis, per quam ſacramẽtum remittit peccata. Nec agimus hic de qualitate ſacramenti, ſed de ſubſtantia, atq; ita nihil refert quale fingatur.

Caluinus. *Ac vt iſtas beluas in ſua harena conficiam, Si vllum hic eſt ſacramentum, nónne longè ſpecioſius iactari poterat abſolutionẽ ſacerdotis ſacramentũ eſſe, quàm pœnitentiam interiorem vel exteriorẽ?*

Reſponſio. Non eſt hic ſcopus diſputationis quid ſit ſacramentum pœnitentiæ, aut quale ſit: ſed an ſit aliquod inſtitutum ad remittendum peccata baptizatorum. Et, vt diximus, nõ eſt propriè quæſtio fidei, an hoc ſacramentum debeat dici abſolutio, an actus pœnitentis. Diximus enim vnicuique licere in ſuo ſenſu hic abundare. Libenter autem tibi condonamus quòd ſacramentum pœnitentiæ eſt abſolutio, modò tu viciſsim nobis annuas aliquod eſſe ſacramentum pœnitentiæ à baptiſmo diſtinctum.

Caluin' tuetur abſolutionem eſſe ſacramentũ pœnitentiæ. *Promptum enim erat dicere abſolutionem ſacerdotis cæremoniam eſſe ad cõfirmandam fidẽ noſtram de peccatorum remiſsione) habereq; promiſſionem clauium, vt vocant: Quodcunque ligaueritis aut ſolueritis ſuper terram, erit ſolutum & ligatum in cælis. Sed obieciſſet quiſpiam, pleroſque abſolui à ſacerdotibus quibus nihil accedit tali abſolutione: quum ex eorum dogmate ſacramenta nouæ legis efficere debeant quod figurant. Ridiculum. Vt in Euchariſtia duplicem manducationem ſtatuunt: ſacramentalem, quæ bonis æquè ac malis communis eſt. ſpiritualem, quæ bonorum tantum eſt propria, Cur non & abſolutionem biſari am partiti fingerent? Nec tamen hactenus intelligere potui quid ſibi vellent cum illo ſuo dogmate, quod quàm longè à Dei veritate diſsideat, docuimus quum id argumentũ ſeriò tractaremus. Tantum hic oſtendere volo, hunc ſcrupulum nihil impedire quo minus abſolutionem ſacerdotis, ſacramentum nuncupent. Reſpondebunt enim per os Auguſtini. ſanctificationem eſſe ſine viſibili ſacramento, & viſibile ſacramentum ſine interiori ſanctificatione. Item Sacramenta in ſolis electis efficere quod figurant. Item Induere Chriſtum alios vſq; ad ſacramẽti perceptionem, alios vſque ad ſanctificationem. Illud bonos & malos pariter facere, iſtud ſolos bonos. Sanè hallucinati ſunt pluſquam pueriliter, & cæci in ſole fuerunt, qui cum multa difficultate æſtuarent, rem claram adeò & cuiuis obuiam non perſpexerunt.*

Lib. 3. quæſt. vet. teſt. De bapt. paruu. Li. 5. de baptiſmo contra Donat.

Reſponſio. Hic locus eſt quem ſuperius citauimus pro ſacramento pœnitentiæ ex Caluino: vbi aduertas eum confitere rem planam eſſe, & cuiuis obuiam, quod abſolutio dici poſsit ſacramentum pœnitentiæ: id quod etiam egregie tuetur contra primariam obiectionẽ quæ in aduerſum fieri poſſet, veritatis euidẽtia conuictus. Et defendit eſſe ſacramentum ſecundum ſuam etiam ipſius definitionem. Et nos ſupra oſtendimus euangelicam veritatem eſſe, quod ſacramenta ex opere operato efficiant, quod figurant. Sed ne non aduerſetur receptæ ab antiquitate veritati, addit argumẽta, per quę ſeriò probari putat, quod nec abſolutio ſacerdotis eſt ſacramentum pœnitentiæ. Ait enim:

Caluinus. *Ne tamen animos tollant quæcunque in parte ſiue ſcilicet in pœnitentia externa, ſiue in abſolutione ſacramentum poſuerint, nego iure haberi pro ſacramento. Primum, quod nulla Dei promiſſio ſingularis ad hanc rem extet, vnica ſacramenti hypoſtaſis. Deinde, quod quæcunq; hic cæremonia proferatur, merum ſit hominum inuentum: quum cæremonias ſacramentorum, non niſi à Deo inſtitui poſſe, iam definitum ſit. Mendacium ergo & impoſtura ſunt, quod de ſacramento pœnitentiæ commenti ſunt.*

Reſponſio. Frequenter diximus manifeſtam hic eſſe promiſsionem, quam ipſe Caluinus ſatis agnoſcebat ſententia præcedenti, Quodcunq; ligaueritis aut ſolueritis, &c. Et nos dicimus eam apertius eſſe apud Ioannem, Quorum remiſeritis, &c. Diximus etiam hic eſſe cæremoniam in actibus pœnitentis, & in abſolutione ſacerdotis: Atq; hãc habere efficacẽ ſignificationẽ ex Chriſti inſtitutione, Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.

Matt 18. Ioannis. 20.

Caluinus. *Ementitum hoc ſacramentũ ornarunt quo decebat elogio, ſecundam eſſe tabulam poſt naufragium*

um: quia ſi quis veſtem innocentiæ in baptiſmo per
Magiſter ſen lib. 4. diſt. 14. & de pœnien. diſt. 1. *ceptam, peccando corruperit, per pœnitentiam reparare poteſt. Sed dictum eſt Hieronymi. Cuiuſcunque ſit, quin planè impium ſit, excuſari nequit. Quaſi verò per peccatum deleatur baptiſmus. & non potius in memoriam reuocandus ſit peccatori, quoties de peccati remiſsione cogitat: vt illinc ſeſe colligat, animumq; recipiat, & fidem confirmet: peccatorũ remiſsionem ſe impetraturum, quæ ſibi in baptiſmo promiſſa ſit. Aptiſsimè itaque dixeris ſi baptiſmum vocaueris pœnitentiæ ſacramentũ, quum in conſolationem ijs datus ſit, qui pœnitentiam meditantur. Quod ne commentum eſſe noſtrũ*
Cap. 30. *putes, præter quam quod ſcripturæ verbis conſorme eſt, apparet in veteri eccleſia fuiſſe promulgatum inſtar certiſsimi axiomatis Nam in libello de fide ad Petrum, qui Auguſtino inſcribitur, baptiſmus ſacramentum & fidei pœnitentiæ dicitur. Et quid ad incerta confugimus? Quaſi verò apertius quippiam requirendum ſit quam quòd recitat Euangeliſta, Ioannem prædicaſſe baptiſmum*
Marci 1. *pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum.*

Reſponſio. Hoc ſacramentum à Chriſto eſſe inſtitutum, non ab hominibus ementitum, clare ſuperius oſtendimus. Probas aũt & tu ſentẽtia præcedenti ex ſcriptura, quæ habet promiſſionẽ remiſsionis peccatorum: reſpondesq; argumento ꝙ nõ malè opponi poſſet. Porro elogiũ eius veriſsimũ eſſe, quod ſcilicet poſt naufragiũ ſit ſecunda tabula, non ex ſolius Hieronymi, ſed & aliorũ patrũ: imò & ſcripturę ſacræ teſtimonijs ſupra docuimus. Et manifeſtè teſtatur ſcriptura, quòd ſi quis veſtem innocentię in baptiſmo perceptã peccando corruperit, per pœnitentiã reparare poteſt.
Apo. ca. 2. et 3. Docet hoc B. Ioan. in Apo. Memor eſto vnde excideris, & pœnitentiã age, & prima opera fac. Itẽ in mẽte habe qualiter acceperis & audieris, & pœnitentiam age. Et quia hoc ſenſu hic tropus intelligitur de ſecunda tabula poſt naufragiũ, magna eſt impietas & impudẽtia dicere hoc dictu impiũ eſſe, ſiue ſit Hieronymi, ſiue cuiuſcunq; alterius: nec poſſe excuſari. Nec deletur per peccatũ baptiſmus, quũ fieri non poſsit, vt baptizatus non ſit, qui bap-
Aug. lib. 2 contra epiſtolã Parmeniani cap. 13. tiſma aliquãdo ſuſcepit. Nec ad præterita ſit potẽtia: Hoc ſolo, inquit quidã philoſophorum, priuatur Deus, ꝙ infecta reddere non poſsit quę ſunt facta. Nec delebilis eſt character baptiſmalis, iuxta Aug. ſententiã, & ipſam definitionẽ ſedis Apoſtolicę in cap Maiores. De baptiſmo & eius effectu. §. Itẽ quęritur: alij tamẽ eius effectus per peccatą tollũtur: Faciũt enĩ ex filio Dei & membro Chriſti, ſeruum & mancipium diaboli. An verò expirent, & inanes fiant per peccatum promiſsiones in baptiſmo factæ, magna indiget diſcuſsione, & fortaſsis diſtinctione, quas præſens tractatus non requirit: vtcunque tamen hoc fuerit, & in memoriam reuocetur baptiſmus, non remittuntur mortalia peccata poſt baptiſmum admiſſa, niſi per pœnitẽtiam atque ſacramentum iſtud, ſaltem voto ſuſceptum: ſicut definiuit Concilium Trident. Et ideo quotieſcunque de huiuſmodi peccati remiſsione cogitatur, ad ſacramentum pœnitentiæ recurrere oportet: & illinc ſe colligere, animumq; recipere, quod per ipſum peccatorum remiſsionem, iuxta promiſsionẽ Chriſti ſit accepturus. In hoc enim ſacramento, non in baptiſmo, horum peccatorum promiſſa eſt remiſsio: Quid precor ſoliditatis habere poteſt argumentatio, quæ ex huiuſmodi paradoxis procedit & concludit: ijſque tanquam principijs innititur, quæ falſa ſunt, & abſurda, ac ſcripturis cõtraria? Nec ſolũ nõ aptiſsimè, ſed ineptiſsimè, imò abſurdè dicitur baptiſmus ſacramentũ pęnitentiæ: & ꝙ in conſolationẽ datus ſit his qui pœnitentiã meditãtur. Non enĩ baptiſmus, ſed Sacramentũ penitẽntiæ in conſolationẽ & reparationẽ eis à Chriſto eſt inſtitutũ. Hęc enim eſt medicina curãdis morbis peccatorũ prudẽter à Chriſto præparata: iuxta ſentẽtiã
Apocalypſis, Memor eſto vnde excideris, & Apocal. 2.
age pœnitentiam, & prima opera fac: Sin autem, venio tibi cito, & mouebo candalabrũ
tuum de loco ſuo. Et Saluator. Niſi pœniten- Lucæ. 13.
tiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis. Cap. 30.
Nec tuo ſeruit errori, quod in libello de fide ad Petrum, baptiſmus dicitur ſacramentum fidei & pœnitentiæ. Eodem namque capite ſtatim explicatur hoc propterea dici, quia maioribus, hoc eſt, adultis, neceſſariũ eſt & pœnitentiam de male admiſsis agere, & fidẽ catholicam ſecundum regulam veritatis tenere: idque antequam ſacramentum baptiſmatis accipiant. & apud Marcum dicitur Io-
annes prędicaſſe baptiſmum pœnitentiæ in Cap. 1.
remiſsionẽm peccatorum: eò quòd pœniten Caluinus cõ
tiam requirat baptiſmus, vt ſuos pariat fru- tra authori-
ctus, & ſolis detur pœnitentibus. Argumen- tatem abſol-
tatur præterea contra autoritatem abſoluen uendi pœni-
di pœnitentes eodem cap. Inſtitutionis: tentes.

Nunc videndum eſt de poteſtate clauium, in qua regni ſui proram confeſsionarij conſtituunt. Ergo ſine cauſa, inquiũt, ſunt claues. Ergo ſine cauſa dictum eſt, Quæcunque ſolueritis ſuper terram erunt ſoluta & in cœlis. Fruſtramur ergo verbum Chriſti.

Cui reſpondetur, non confeſsionariorum
duntaxat, ſed & B. Auguſtini ſunt hæc ver- Homil. 49.
ba, lib. 50. Homiliarum: agite, inquit, pœnitentiam, qualis agitur in eccleſia, vt oret pro vobis eccleſia: Nemo ſibi dicat, Occulte ago: apud Deum ago: Nouit Deus, qui mihi ignoſcit, quia in corde ago. Contra quem tanquam abſurdiſsimum infert Auguſt. Ergo ſine cauſa dictum eſt: & reliqua quæ hic pro-
ponit Caluinus. Et lib. 2. de adulte. coniug. Cap. 9.
In Eccleſia per claues regni cælorum, nõ dubitatur fieri remiſsio peccatorum. Eandem ſententiam habet B. Amb. lib. 1. de pœnitentia. Sed aiunt (ſupple Nouatiani) ſe Domino deferre reuerentiam, cui ſoli remittendorũ criminũ poteſtatem reſeruant: Imò nulli ma-
iorẽ iniuriam faciunt quam qui volunt eius Cap. 2.
mandatũ reſcindere, commiſsum munus refundere: Nam cũ ipſe in euangelio ſuo dixe

xerit

Ad baptizātes refert Ambro. hæc verba Domini. xerit Domin' Ieſus. Accipite ſpiritū ſanctū: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis retenta erunt: Quis eſt ergo qui magis honorat, vtrum qui mandato obtemperat, an qui reſiſtit? Eccleſia in vtroque ſeruat obedientiam, vt peccatum & alliget & relaxet: hæreſis in altero inimitis: in altero inobediens, vult ligare quod non ſoluit, nō vult ſoluere quod ligauit. In quo ſe ſua damnat ſententia. Dominus enim par ius & ſoluendi eſſe voluit, & ligandi, qui vtrumque pari conditione permiſit: Ius autē hoc tantum ſacerdotibus permiſſum eſt. Videat igitur Caluinus, quomodo ſe ab infamia Nouatianorum excuſet, qui abſoluendi à peccatis poteſtatem in Eccleſia apud ſacerdotes eſſe diffitetur, & impugnat: niſi referatur abſolutio & ligatio ad euangelij annunciationem, contra omnium veterum damnātium Nouatianos & Conciliorum ſententiam. Addit ipſe,

Caluinus. *Reſpondeo ad interrogationes* (videlicet ex Aug ſupra propoſitas) *grauē fuiſſe cauſā cur darentur claues: quēadmodum ſuperius expoſui.*

Reſponſio. Sed expoſuiſti, quod claues ſunt Euangelij prædicatio, per quod cæleſtis regni ianuæ aperiuntur his qui per Chriſtum acceſſum ad patrem quæſierint, & claudūtur ijs qui ab hac via diuerterīt: atlongè aliud fuiſſe apud patres & concilia de clauibus iudicium, eas ſcilicet eſſe poteſtatem remittendi & retinendi peccata, ſuperius clarè oſtenſum eſt. Iterum Caluinus.

Caluinus. *Sed quid ſi vno gladio omnibus huiuſmodi poſtulatis anſam præcidam, ſacrificulos non eſſe Apoſtolorum vicarios nec ſucceſſores.*

Reſponſio. Quantumcunq; coneris, nunquam præcīdes: nimis credibilia ſunt huius veritatis teſtimonia, quòd Epiſcopi ſunt, non vicarij, ſed ſucceſſores Apoſtolorum. Et huius poteſtatis factos eſſe participes etiam ſacerdotes. Ius enim hoc, inquit Ambro. ſolis permiſſū ſacerdotibus eſt, & munus hoc ſancti ſpiritus eſt officium ſacerdotis. Et ſtatim poſtea, Relaxandi licentiam ſacerdotibus ſuis ſine vlla exceptione conceſsit. Sed qui culpam exaggerauerit, exaggeret etiam pœnitentiam. Maiora enim crimina maioribus deleantur fletibus. Et lib. 2, Impoſsibile videatur per pœnitentiam peccata dimitti: conceſsit hoc Chriſtus Apoſtolis ſuis: quod ab Apoſtolis ad ſacerdotū officia trāſmiſſum eſt. Et Beat' Chryſoſtomus de dignitate ſacerd. Sacerdotibus, inquit, omnis commiſſa eſt poteſtas cęlorum. Quorumcunque enim ait, dimiſeritis peccata, dimittuntur: & quorumcunque tenueritis, tenebuntur. Quæ poteſt inueniri maior poteſtas? Omne iudicium dedit pater filio: at hoc video à filio totum ſacerdotibus eſſe commiſſum. Vbi multò magnificentius de his clauibus atque hac poteſtate ſacerdotum ſcribit quàm Caluinus, ad ſolam Euāgelij prędicationem eas referens. Et quidem (ait Chryſoſtomus) Sacerdotes in veteri teſtamento habebant poteſtatem curandi corporis lepram: imò non curandi, ſed oſtendēdi tantum eos quos conſtabat eſſe mundatos. At hi non corporis lepram, ſed immunditiam mentium, non ex parte probandi, ſed omnifariam mundandi obtinent poteſtatē. Nec patiuntur verba Euangelij, Remittere, retinere, Soluere & ligare, Caluini interpretationē: eò quòd actus ſignificent iudiciales.

Lib. 1. de pænitētia ca. 2 — *Cap 2.* — *Lib. 3. cap. 5* — *Idem cap. 6*

Caluinus. *Nunc vnde ſe munire maximè volunt, omneſq; eorum munitiones deijciamus: Chriſtus non ante Apoſtolis ligandi & ſoluendi poteſtatem fecit, quā eos ſpiritu ſancto donauit. Nego igitur illis cōpetere clauiū poteſtatē, qui non acceperint ſpiritū ſanctū.*

Reſponſio. Beatus Hieronymus ad Hedibiam docet ſpiritum ſanctum dari ad varia munera. Nā huius quæſtionis, inquit, qua quæritur quomodo Saluator ſecundum Ioannem inſufflauit ſpiritum ſanctum in apoſtolos, & ſecundum Lucam poſt aſcenſionem ſe miſſurum promittit, perfacilis ſolutio eſt, ſi, docente Apoſt. Paulo, ſpiritus ſancti diuerſas gratias nouerimus. Prima igitur die reſurrectionis acceperunt ſpiritus ſancti gratiam, qua peccata dimitterent, baptizarent, & filios Dei facerent, & ſpirtum adoptionis credentibus largirētur, ipſo Saluatore dicente, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Die autem Pentecoſtes eis amplius repromiſſum eſt, vt baptizarentur ſpiritu ſancto, & induerentur virtute ex alto. Sic & B. Chryſoſtomus interpretatur, quòd acceperunt ſpiritū ſanctum in poteſtate remittendi & retinendi peccata. Et B. Ambr. lib. 1. cap. 2. paulò ſuperius citato. Munus, inquit, ſpiritus ſancti, eſt officium ſacerdotis: ius ſpiritus ſancti in ſoluendis ligandiſq; criminibus eſt. Non igitur requirit hęc poteſtas, nec etiā eius vſus, vt ſacerdos eius miniſter ſpiritum ſanctū inhabitantem & ſanctificantem habeat: ſicut nec aliorum ſacramentorum miniſtratio. Ita enī per malos miniſtros vt per bonos, electorū ſalutē operatur Deus in ſacramentis & euāgelij prædicatione. Sic nos, inquit Apoſtol' Paulus, exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores miniſteriorum Dei. Hic iam quæritur inter diſpenſatores vt fidelis quis inueniatur, cum multi infideles ſint & indigni miniſtri. Quid igitur ſi tu negas vllis competere, qui non prius acceperunt ſpiritum ſanctum inhabitantem (Sic enim intelligere videris.) Quem fidelem eccleſiæ filium tua mouebit negatio? quando affirmāt ſcripturę & eccleſia catholica quod tu negas? Nam B. Bernardus & Concilium Conſtantienſe in condemnatione articulorū Ioā. wyclef hæreticum iudicant, quod tu affirmas. Ait enim B. Bernad. peccatores, inquiunt, ſunt apoſtolici epiſcopi & presbyteri, ac per hoc nec dandis nec accipiendis idonei ſacramentis. Nūquā duo iſta cōuenient, epiſcopū eſſe & peccatorem. Falſum eſt, ait Bernardus: Epiſcopus erat Cayphas, & tamen quantus peccator, qui in dominum mortis dictabat ſententiam. Apoſtolus erat Iudas, & licet auarus & ſceleratus, electus à Domino. Miniſtros

Quæſt 9. — *1. Corint. 12* — *1. Corint. 4.* — *Sermone 66 ſuper Cantica.* — *Peccatores ſunt etiam Chriſti miniſtri.* — *Lib. 4. cap. 4*

ſtros Chriſtus habet bonos & hypocritas. Et B. Auguſtinus contra Donatiſtas. Sicut vrgeri videor, cùm mihi dicitur: Ergo hæreticus dimittit peccata? Sic & ego vrgeo: Ergo auarus, raptor, vel fœnerator dimittit peccata? Cui reſpondet, Si per vim ſacramenti Dei, ſicut iſti, ſic & illi: Si per meritum ſuum, nec ille, nec iſti: quamuis ſecundum eũ miniſter bonus, qui eſt membrum columbæ, modo quodam peccata dimittit, quo non malus.

Caluinus.

Nego queq̃ clauibus vti poſſe, niſi præeũte docẽteq́ ſpiritu S. & docente quid agẽdum ſit: ſpiritũ ſanctum habere ſe illi nugãtur, ſed reipſa negant.

Reſponſio.

Diuerſa ſunt ſpiritum ſanctum habere inhabitantem & ſanctificantem, & eum habere præeuntem, docentem & dictãtem quid agẽdum ſit, vt clauibus quis vti poſsit. Nam prius falſum eſſe oſtendimus: quod autem poſterius dicitur, amplectimur, & libenter confitemur, & quòd ideo præmiſit Dominus, Accipite ſpiritum ſanctum, vt intelligamus non ad libitum miniſtros Chriſti poſſe remittere & retinere peccata: ſed tãtummodo ſpiritu ſancto ad hoc mouente: vt donum ſpiritus ſancti, eiuſque acceptio non ſolùm ad facultatem, ſed etiam ad vſum facultatis referatur: vt efficax ſit tam remiſsio, quã detentio: vt ſenſus ſit: Quorum remiſeritis peccata ſpiritu ſancto mouente & dirigente, remittuntur eis: quo ſenſu hæc verba Chriſti citat, & intelligit B. Dionyſius. Sacerdos, inquit, ſicut mouetur, agit: nec motibus eius irrationabilibus obtemperat Deus. Hoc autem peculiare habet iſtud ſacramentum. Nõ enim in baptiſmo, nec in Euchariſtia, quamdo datur poteſtas conſecrandi: ſed in ſolo hoc ſacramento præmittit Dominus, accipite ſpiritum ſanctum. In Euchariſtia enim dicit, Quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis. Et in baptiſmo. Docete omnes gentes, baptizantes eos. Hic autem Accipite ſpiritum ſanctum, ad ſignificandum ꝙ actio ſacramentalis in miniſtro hîc requirit ſpiritum ſanctũ dirigentem & mouentẽ, & internum iudicium hominis, ac peccatorum eius ſecundum ſpiritum ſanctum. Nec mirũ iſtud videri debet, quando conſideratur, ꝙ ſacerdos in huius ſacramenti adminiſtratione iudex eſt, vice Chriſti, qui cognoſcat & pronunciet: non de rebus prophanis, ſed in materia læſæ Maieſtatis diuinæ & peccatorũ: à quibus hominis ſalus æterna pendet atque damnatio. Quare diligenti opus eſt inquiſitione ac diſcretione inter lepram, & non lepram, & inter lepræ & peccatorũ ac circunſtantiarum varietates. Nam B. Hieronymus, Alligat, inquit, hic vel ſoluit epiſcopus vel presbyter, non eos qui inſontes ſunt, vel noxij, ſed pro officio ſuo cũ peccatorũ audierit varietates, ſcit qui ligãdus ſit, quiúe ſolẽdus. Ait em̃ iudicib. Ioſaphat rex, quos per ſingulas ciuitates conſtituebat. Videte quid faciatis. Non enim hominis exercetis iudiciũ, ſed Domini: & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiſcũ & cũ diligentia cuncta facite. Nec ſacerdos ſolum iudex eſt, ſed & medicus: non ſolum iudicio ſuo morbum peccati tollendo, verũ etiam vt prudenti conſilio præſeruet, ne quis in morbum recidat. Ideo monet Origines, Proba prius medicum, cui debeas cauſas languoris oſtendere. Eſt enim officium ſacerdotis, conſilio iuuare pœnitentem, vt impleat propoſitum ſuum de cauendis peccatis. Quum igitur res multum ardua ſit atq; difficilis benè fungi hac poteſtate, nihil mirandum ad hoc opus eſſe directione ac motione ſpiritus ſancti: mouet autem & dirigit ſpiritus ſanctus ad remittẽda, & retinenda peccata, quando legitimè prudentique & recto conſilio vtimur hac functione, eò quòd ſpiritus ſanctus eſt ſpiritus ſapientiæ, ſcientiæ, conſilij, & timoris Domini.

Cap. vltimo Celeſt. Hierarch.

In comment. circa ca. Mat. 16.

2. Paralip. 19.

In pſal. 38.

Caluinus.

Atq; hac quidẽ machina in vniuerſum ſubuertuntur, vt cuiuſcunque oſtij clauem ſe habere iactent, ſemper interrogandi ſunt, habeant ne ſpiritum ſanctum, qui clauium eſt arbiter & moderator.

Reſponſio.

Malignũ & temerariũ eſt iudiciũ, ſi in vniuerſum ſacerdotes & epiſcopos vacuos eſſe indicas ſpiritu S. inhabitante: multi certò cõfidũt ſe templa eſſe ſpiritus S. & reuera ſunt. Sed oſtẽdimus hoc nõ oportere ad hoc vt vſũ clauiũ exerceant legitimũ: quodq́; ſpiritus S. poſsit eſſe clauiũ arbiter & moderator, etiã dũ miniſtros non ſanctificat. Nec diſputatio hoc loco eſt de ſãctitate vel qualitate miniſtri, q̃ ſacramẽtũ requirit: ſed de ſubſtãtia huius ſacramenti, an ſcilicet ſit aliquod ſacramentum pœnitentiæ à Chriſto inſtitutum.

Caluinus.

Si habere ſpiritum ſanctum ſe reſpondeant, rurſũ interpellandi ſunt an errare poſsit ſpiritus ſanctus: iſtud diſertè proferre non audebunt. Inferẽdum ergo erit, nullos ſacrificulos habere clauium poteſtatem, qui paſsim ſine delectu ſoluũt, quæ ligari Dominus voluerit, ligant quæ ſolui iuſſerit.

Reſponſio.

Errare ſpiritus ſanctus non poteſt: fruſtrãtur tamen aliquando ſacramenta effectu, ad quẽ ab ipſo ſunt inſtituta, propter ſuſcipiẽtis impendimẽtũ, vel abusũ poteſtatis in miniſtro. & malè concludis eos qui ſine delectu ſoluũt & ligant, nõ habere clauiũ poteſtatẽ. ſed verius inferres quòd poteſtate quam habent, abutantur: ſicut princeps tyrãnicè rempublicã, & pater vel dominus malè ſuam familiam gubernans, verè poteſtatem habent ciuilem vel domeſticã, qua tñ abutuntur.

Caluinus.

Atqui hæc poteſtas eſt, Quodcunq; ligaueris, aut ſolueris in terra, erit in cœlis ligatũ & ſolutũ: aut igitur promiſſum Chriſti mentiri oportet, aut benè ligant & ſoluunt, qui ſunt hac poteſtate præditi. Nec eſt quod tergiuerſentur Chriſti dictũ limitari ſecũdum merita eius qui ligatur aut ſoluitur: quodq; & nos fateamur nec ligari nec ſolui poſſe, niſi dignos qui ligentur, aut ſoluantur: ſed habent euangelici nuncij verbum quo dignitatem hanc metiantur, nempe fidẽ: & credentes in Chriſtum ſoluunt à peccatis, & incredulos ligant.

Reſponſio.

Et nos verbum habemus quo dignitatem hanc metiamur. Nã pœnitẽtes ſuper peccatis admiſsis vere ſoluimus, & peccata remittimus;

Reſponſio. Qui ſoluēdi, et qui ligandi Matth.16.

timus: impœnitentium verò peccata retinemus. Et verbum Saluatoris, Quodcunque ligaueris aut ſolueris: &, Quorum remiſeritis peccata, intelligimus, ſi digni ſint remiſſione aut retentione: fieri enim poteſt quòd ſacerdos legitimè ſuo fungatur officio, non tamen remittantur ei peccata, quem ſacramentaliter abſoluit, vt ſi fictum ſe atque hypocritam exhibeat apud ſacerdotem is qui confitetur: legitimè enim tunc ſua fungitur poteſtate, nec tamen ſequitur effectus ſacramenti propter obicem quem inuenit: ipſe autem abſoluit quantum in ipſo eſt, atque ſacramentum miniſtrat efficax ad remittendum peccata. Nam ſacramēta, cum ſint ſigna efficacia, verè habere poſſunt ſignificationem, quamuis non ſequatur effectus ſignificatus, & hoc propter ſubiecti indiſpoſitionē, ſicut diximus circa primum articulum.

Caluinus ca. de pœnitētia.

Eſt & aliud Caluini in hoc articulo paradoxum, videlicet quòd per pœnitentiam nō ſit peccatorum remiſſio: imò quod nec eam præcedit, ſed ſequitur, ſaltē natura. Ita enim habet *Proximus à fide in pœnitentiā tranſitus eſſe debet, quæ non fidem ipsā ſequitur tantū, ſed inde etiam naſcitur.* Intelligit autem fidem non vulgarem hiſtoriæ Euāgelicæ, quaſi verbi diuini aſſenſum, cum dicat totam ſcripturam reclamare eis, qui fidei nomine dignantur perſuaſionem timore Dei & pietate vacuam: ſed intelligit fidem iuſtificātē, quam ipſe definit diuinæ erga nos beneuolentiæ firmam certamq; cognitionem, quę gratuitę in Chriſto promiſſionis veritate fundata, per ſpiritū ſanctū & reuelatur mentibus noſtris & cordibus obſignatur. *Promiſſionis, inquit, quæ declarat noſtram ſalutēm ſibi curæ ſtudioq; eſſe, & teſtificatur ſe propitiū eſſe patrem.* De qua poſtea dicemus, circa articulum octauum & nonum. De hac fide apprehendente iuſtitiā, dicit quòd eam ſubſequitur pœnitentia.

Caluinus.

Cum enim, inquit, venia & remiſſio per euangelij prædicationem ideo peccatori offeratur, vt à miſera ſeruitute peccati & mortis liberatus traducatur in regnum Dei, euangelij gratiam nemo fide amplecti poteſt, quin ex errore vitæ prioris in rectam vitam ſe recipiat, &, totum ſuum ſtudium ad pœnitentiæ meditationem applicet. Neq; tamen cum reſipiſcētiæ originem ad fidem referimus, ſpaciū aliquod temporis ſomniamus, quo ipſam parturiat, ſed oſtendere volumus non poſſe hominem pœnitentiæ ſeriò ſtudere, niſi ſe Dei eſſe nouerit: Dei aūt ſe eſſe nemo verè perſuaſus eſt, niſi qui eius gratiam priùs apprehenderit.

At reſpondere conatur ſcripturis Mar.1. Pęnitemini, & credite euāgelio, & act.20. & alijs in quibus pęnitentia fidem pręcedit. Et hoc dogma vniuerſi fere ſequūtur, qui nunc bellū inſtituunt aduerſus eccleſiaſtica dogmata. Docent enim fidē ratione ſui nō ex charitate eſſe viuā, & vitā animę, & iuſtificare prius natura quā adſit charitas. Atque ita docent charitatem, pœnitentiā, obedientiā, & omnia alia opera charitatis ſequi poſt remiſſionem peccatorū. Nam quod nō eſt ex huiuſmodi fide docent peccatū eſſe. Et ita pœnitētiam non eſſe ad ſalutē neceſſariā, ſed eſſe natura poſteriorē peccatorū remiſſione per fidē (qua ſola iuſtificamur) priùs apprehenſa, ſicq; nec pœnitētię nec charitati remiſſio tribui poteſt. Et hoc dogma neceſſariò ſequitur ad paradoxū iſtud de fide iuſtificāte: quod nullū habere in ſcripturis fundamentū oſtēdetur articulo nono.

Reſponſio. Pœnitentia tanquā cauſa præcedit peccatorum remiſſionem Sap.cap. 11.

Pœnitentiam aūt præcedere atque efficere peccatorū remiſſionem, ac Deum propter ipſam multa operari docet Sapiens: Miſereris, inquit, omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Et Lucæ vltimo Dominus mandauit prædicari in nomine ſuo pœnitentiam, & ex ea remiſſionem peccatorum in omnes gentes. Paulus etiam annunciauit pœnitentiā in Deum, ſic quod Deus offēſus ſit ratio deteſtationis peccati: & fidē in Ieſū chriſtū, quaſi propitiatorē ad excitādū ſpē venię. Et Petrus in Actib. Pœnitentiā, inquit, agite. & Simoni Mago, Pœnitentiā itaq; age ab hac nequitia tua, & roga Deū, ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Similiter Ioā. in Apocalypſi ad pœnitentiā hortatur tanquā ex ea ſit expectāda peccatorū remiſſio. Et Hierē.18. Si pœnitentiā egerit gens illa à malo quod fecit, agam & ego pœnitentiam. Ac Ezechielis 18. & 33. Si impius egerit pœnitentiā ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia pręcepta mea, vita viuet & nō morietur: omnium iniquitatum quas operatus eſt non recordabor. Conuertimini, & agite pœnitētiam, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Item Pſal.50. Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Et Eſaiæ vltimo, Ad quem reſpiciam niſi ad contritū ſpiritu, &c. In quibus locis & alijs infinitis ſcriptura requirit pœnitentiam pręuiam peccatorum remiſſioni. Et dogma eccleſiaſticum 80. apud Auguſt. habet, Pœnitentia deleri peccata indubitanter credimus. Atq; Innocentius tertius in Concilio generali, quod ponitur in cap. Dānamus, de ſumma trinit. & fide cath. Si poſt ſuſceptiōem baptiſmi quiſquam prolapſus fuerit in peccatum, per verām pœnitētiam poteſt ſemper reparari. Aperi oculos tuos Caluine, & vide non adeò multum momenti habere, quæ contra Concilium Tridētinum & eccleſiaſticam doctrinam ex antidoto & inſtitutione tua recitauimus, vt propterea communem patrum & eccleſiæ catholicæ ſententiam relinquere debeas atq; improbare: potius audiēdus tibi erat Origenes.

Homil.29. in Matth.

Quoties, inquit, canonicas proferūt ſcripturas, in quibus Chriſtianus omnis conſentit, videntur dicere, Ecce in domibus eſt verbū veritatis: ſed nos illis credere non debemus, nec exire à paterna & eccleſiaſtica traditione, nec aliter credere, niſi quemadmodū per ſucceſſionē, eccleſiæ Dei tradiderūt nobis. Et tractās illud Apoſtoli: Hęreticum hominem poſt vnam aut alteram correptionē deuita. Hæreticus, inquit, nobis habendus

Ad Titũ 3.
Quis Chriſtiano habẽdus ſit hæreticus

eſt omnis ille, qui Chriſto ſe credere profitetur, & aliud de veritate fidei Chriſtianæ credit, quam habeat definitio traditionis eccleſiaſticę. Ferè ſimiliter loquitur Tertullianus in lib. de præſcriptione.

Confeſsio Auguſtana.

COnfeſsio verò Auguſtana in articulo vndecimo docet, quod eccleſia lapſis poſt baptiſmum ad pœnitentiam redeuntibus impartiri debeat abſolutionem, & quòd pœnitentia, hoc eſt conuerſio impij, cõſtat propriè ex duabus partibus, quarum altera eſt contritio, id eſt, terroris incuſsi conſcientiæ agnito peccato, in quibus & irã Dei agnoſcimus, & dolemus nos peccaſſe, & peccata deteſtamur, ac fugimus: ſicut Iohel concionatur. Scindite corda veſtra, & non veſtimenta, &c. Et altera pars eſt fides, quæ concipitur ex euangelio ſeu abſolutione, & credit propter Chriſtum certò remitti peccata, & conſolatur conſcientiam & exterioribus liberat. De qua fide Paulus loquitur, cum ait, Iuſtificati fide pacẽ habemus. Deinde ſequi debent boni fructus pœnitentiæ, hoc eſt obedientia erga Deum: iuxta illud, Debitores ſumus non carni, vt ſecundum carnem viuamus, &c. Quæ confeſsio licet ſuccincta, ſi verba ſpectes, myſteria multa habet abſcondita, hoc eſt errores in ea latentes atq; abſtruſos: quæ prolixè partim explicat & partim inſinuat in Apologia Philippus. Ait enim, Abſolutio cuius meminit confeſsio, propriè dici poteſt ſacramentum pœnitentiæ, vt etiam ſcholaſtici Theologi eruditiores loquũtur. Nam audito hoc Euangelio de remiſsis peccatis propter Chriſtum, in quo conſiſtit abſolutio, erigitur & conſolationem accipit conſcientia, atq; per eam Deus verè viuificat, tãquam per ſuum verbum ſuamq́; promiſsionẽ de remiſsione peccatorũ. Quare voci abſoluentis non ſecus ac voci de cælo ſonanti credendum eſt. Poteſtas namque clauium miniſtrat & exhibet Euangelium per abſolutionem, quæ eſt vox Euangelij. Et ideò claues verè coram Deo remittunt peccata, iuxta illud, Qui vos audit, me audit. Et quia abſolutio eſt promiſsio remiſsionis peccatorũ, neceſſariò requirit fidem: nec dici poteſt quis abſolutionem accipere, qui ei nõ aſſentitur: Ei autem non conſentire, nihil aliud eſt, quã Deum accuſare mendacij. Et ſi cor dubitet, ſentit inania & incerta eſſe, quæ promittit Deus. Et ideò ſcriptum eſt apud Ioannẽ, Qui non credit Deo, mendacem facit eum, quia non credit in teſtimonium, quod teſtificatus eſt Deus de filio ſuo.

Iohel. 2. *Rom 5.* *Rom. 8.* *Apologia Philippi.* *Luca. 10.* *1. Ioan. 5.*

Partes autem pœnitentiæ dicit eſſe mortificationem, hoc eſt veros terrores: quales ſunt morientium, quos natura ſuſtinere non poſſet, niſi fide erigerentur: & viuificationẽ, hoc eſt fidem, qua certò quis ſtatuit propter Chriſtum gratis remitti peccata, nec dubitat ſibi remitti, atque ita quaſi ex morte redit ad vitam. Et ſicut fidei iſti excitandæ ſeruit euangelium ſiue abſolutio, quæ ſingulariter applicat quod in genere dicit euãgeliũ, ita primæ parti terroribus ſcilicet, ſubſeruit annunciatio legis de peccato, graui ira Dei, & ſupplicijs, quę impios manere docet. Iſtud autem Euangelium, ſiue promiſsio ſalutis & gratiæ in Chriſto donatæ, vt ſcribit, annunciata eſt ſtatim poſt peccatum Adæ, quando Deus ei dixit, Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius: ipſum conteret caput tuum: Et poſteà tradita patriarchis, & deinde à Prophetis illuminata ſubinde repetitur in ſacra ſcriptura: Poſtremò verò prædicata & exhibita à Chriſto inter Iudæos, & ab Apoſtolis ſparſa in totũ mundum. Nam fide huius promiſsionis ſancti omnes iuſtificati ſunt, non propter ſuas attritiones, aut cõtritiones, vt ait. Eſt igitur ſententia confeſsionis & Apologiæ abſolutionem eſſe ſacramentum, eò quòd eſt ſignũ à Chriſto inſtitutum, ad excitandum & confirmandum fidem promiſsionis in Chriſto factæ de remiſsione peccatorum. Fides enim inquit Apologia, concipitur & confirmatur per abſolutionem, per auditum Euangelij, & per vſum ſacramentorum: quæ omnia offerunt peccatorum remiſsionem, ſicut clarè teſtantur verba cœnæ dominicæ, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur: Hic eſt calix noui teſtamenti, &cæt. Non itaque alia ratione ſecundum eum ſacramenta peccata remittunt, quam prędicatio Euangelij, quod circa articulum primum eſt improbatum. Ex eo enim ſequitur non referre quis ſacramenta conferat, quis verba abſolutionis pronũciet, ſiue ſacerdos, ſiue mulier, ſiue puer, ſiue pſitacus doctus ad ea pronuncianda: imò ſiue quis legat, aut apud ſe meditetur ex generali promiſsione ſcripta in Euangelijs. Hinc abſurda illa dogmata ab Apoſtolica ſede damnata ſub Leone Pontifice, Peccata non ſunt vlli remiſſa, niſi remittente ſacerdote credat ſibi remitti: imò peccatũ maneret niſi remiſſum crederet. &, nullo modo confidas abſolui propter tuam contritionem, ſed propter verbum Chriſti, Quodcunque ſolueris, &c. Hîc, inquit, confide, ſi ſacerdotis obtinueris abſolutionem: & crede fortiter te eſſe abſolutum, & abſolutus verè eris, quicquid ſit de contritione: imò ſi per impoſsibile confeſſus non eſſet contritus, aut confeſſor non ſeriò, ſed ioco abſolueret: ſi tamen credit ſe abſolutum, veriſsimè ſecundum eam eſt abſolutus. Et in neceſsitate non plus facit Papa vel ſacerdos, quam quilibet Chriſtianus, etiam ſi mulier aut puer eſſet. Quamdiu enim verba abſolutionis ſuam ſeruant ſignificationem, valent ad excitandum à quocunque proferantur, cogitentur, vel ſcribantur: quamuis ex modo pronunciationis, variè plus ſcilicet vel minus excitare poſſunt. Et quia promiſsio benedictionis ſalutis & remiſsionis peccatorum in ſemine mulieris, & poſteà in ſemine Abrahæ & Dauid, hoc eſt, promiſsio gratiæ, primo tradita eſt Adæ ſtatim poſt eius tranſgreſsionem, & per eum, quaſi per manus ad ipſius poſteritatem atq; patriarchas: Huic enim, vt Petrus ait in Actis, omnes prophetæ teſtimoniũ perhibẽt accipe-

Gen. 3.

Secundum apologiam abſolutio eſt ſacramentũ, quia inſtituta ad excitandum & confirmandũ fidem promiſſionis de peccatis remiſſis.

Duo dogmata à Leone pontifice damnata.

Act. 10.

Act.10. accipere omnes remiſsionem peccatorum qui credũt in eum: oportet quòd ſemper etiam fuerit abſolutio iſta ſacramenti pœnitẽtiæ per applicationem ſcripturæ generalis ad ſingulares perſonas, ſingulariter annunciando, vel ſibi, vel alteri, quod in genere dicit ſcriptura vel promiſsio. Neceſſarium eſt etiam quod ſemper fuerint claues euangelicę, quas Apologia definit eſſe poteſtatem annunciandi ſiue adminiſtrandi euangelium per abſolutionem, quam dicit eſſe veram vocem Dei & euangelij: ſicut nunquam non eſt annunciatum iſtud euangelium & promiſsio remiſsionis peccatorum: quemadmodum declarat & Apologia. Adam, inquit, obiurgatur poſt peccatum, & perterrefit, in quo fuit contritio: poſtea promittit Deus gratiam, & dicit futurum ſemen quo deſtruetur regnum diaboli, per quod offert remiſsionem peccati: Sic Dauid obiurgatur à Nathan, & perterrefactus, inquit, Peccaui Domino, vbi eſt cõtritio. Poſtea audit abſolutionem, Dominus ſuſtulit peccatum tuũ. Nihil igitur iuxta Apologiam peculiare nunc habet eccleſia quod non habuit ſynagoga, & ante eam fideles vſque ad Adam. Nihil dedit Apoſtolis, dum ait, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Nihil Petro, quando dixit, Tibi dabo claues regni cœlorum. Nec ſpeciale erit priuilegium eccleſię, quam Chriſtus cœpit ædificare, habere iſtas claues & pœteſtatem peccata remittendi. Quæ omnia erronea eſſe oſtendimus, contra ſcripturas & omnium maiorum traditiones. Quòd autem per abſolutionem non certificamur de remiſsione peccatorum, quaſi re certa & infallibili, demõſtrat Martin[us] Bucerus aduerſus Philippum, ex eo quòd non poſſunt eſſe certa diuinæ erga nos gratiæ indicia, quæ multis impijs videmus eſſe cõmunia, & multis noxia, vt diximus circa articulum primum. Et ipſe Philippus propterea interpretatur hanc fidem apprehendentem remiſsionem peccatorum & iuſtificantem eſſe fiduciam miſericordiæ Dei, & non aſſenſum certum & infallibilem intellectus: prout etiam latius declarat in locis theologicis.

Gene.3.

2 Reg.21.

Ioan.20.
Matth.16.

Martinus Bucerus ad uerſatur Apologiæ

Hæc aũt fiducia fruſtrari poteſt ſua expectatione. Multi enim certiſsimè ſperant & confidunt ſe habituros fœlicitatem æternam in cœlis, qui nunquam eam aſſequentur: nec tamen propterea falſa eſt illa ſpes aut fiducia: quemadmodum aſſenſus huiuſmodi erroneus eſſet & falſus, eò quòd ſpes ſiue fiducia implicitam habeat conditionem, videlicet perſeuerantiam vſque in finem, & legitimũ curſum in ſtadio ad apprehendendũ brauiũ. Generales enim promiſsiones quiſque per ſpem ſibi applicare poteſt, nõ per fidem, quæ abſoluta eſt & ſine cõditione. Nec abſolutio propriè eſt vox Euangelij, vt poſtea dicetur. Et quando docent aduerſarij duas eſſe partes pœnitentiæ, intelligunt non ſacramentum, quod in ſola abſolutione cõſiſtit, ſed conuerſionem impij: ait enim Philippus. Nos eas partes pœnitentiæ ponimus, q̃ propriè ſunt in conuerſione ſeu regeneratione & remiſſione peccati. Eodem modo pœnitentiam interpretatur Confeſsio Auguſtana, & locũ habet cum ſuis partibus, non minus in baptiſmo & cœna dominica, quam in hoc ſacramento. Ipſa enim ſola facere poteſt certas & ſecuras conſcientias, idque per fidem, alteram ſui partem. Nam ſacramenta iſta docent ſigna eſſe, quæ mentes deſolatas conſolantur, repręſentando & offerendo promiſsiones gratiæ in Chriſto donatę ad excitandum fidem, cui ſubſeruiunt. Et docet Apologia veros terrores, quales ſunt moriẽtium, quos ſuſtinere natura non poſſet niſi erigeretur fide, quos epiſtola ad Colloſ. vocat expoliationem corporis peccatorum, vſitatè dici contritionem, quia in illis doloribus concupiſcentia naturalis expurgatur: Et fidem intelligit viuificationem, & conſolationem, quæ verè ſuſtentat eum qui præ dolore & terrore nimio vitam fugit in contritione. Sed fidem non eſſe partem pœnitentiæ clarè oſtendit Ioannes Caluinus ex ſcripturis, in quibus contra fidem pœnitentia diſtinguitur. Nam apud Marcum dicit Dominus, Pœnitemini, & credite euangelio. Et Apoſt. Paul. teſtificabatur Iudæis & gentibus in Deum pœnitẽtiam, & fidem in Ieſum Chriſtum. Quod et ipſe Philippus videtur etiã intellexiſſe, quãdo ait. Neque ignoramus quòd vocabulum pœnitentiæ grammaticis ſignificet improbare id quod antea probauim[us]: quod magis ad contritionem congruit, quàm ad fidem. Sed nos docendi cauſa pœnitentiam totam conuerſationem intelligimus, in qua duo ſunt termini, mortificatio, & viuificatio: nos vocamus vſitatis nominibus Contritionem & Fidẽ. Et ita ipſe Philippus vocat & intelligit quodlibet, nomine quod ſibi placet reb[us] ſcripturæ imponere & fingere. ſiquidem nec pęnitentia amplius quicquam commune habet cum expurgatione concupiſcentię naturalis, ad quam dicit eſſe dolores & terrores, qui ſecundum eum ſunt prima pars pœnitẽtiæ, quàm cum fide. Et videtur conuictus eſſe communi conſenſu fidelium, qui credũt per pœnitentiam remitti peccata, & animam reuiuiſcere, vt doceret in illis conſiſtere partes pœnitẽtiæ, quæ arbitratur neceſſaria eſſe ad remittendum peccata. Hæc autem credit eſſe ſerios iſtos terrores & fidem, qua quis confidit de miſericordia Dei, quòd ob mortẽ Chriſti remiſſa ſibi ſunt peccata. Addit inſuper, Si quis volet addere tertiam pœnitentiæ partem, videlicet dignos fructus pœnitẽtiæ, hoc eſt, bona opera ſequentia conuerſionem, non refragabimur.

Fiducia fruſtrari poteſt. fides falli nõ poteſt.

Sperans poteſt generalem promiſſionem ſibi applicare non aũt credens.

Cap.2.

Cap.1.
Act.20.

Nihil cõmune habet pœnitentia cum terroribus nec etiã cum fide.

Et quid hæc commune habent cum vocabulo pœnitentiæ? Vbi aduertere licet quam incerta & inconſtans ſit eius doctrina, quando nunc duas partes pœnitentiæ ponit, poſtea tertiam addi poſſe dicit: quælibet ſcilicet opera bona, quæ veriùs pietatis & charitatis ſunt, quàm digni fructus pœnitentiæ, quos ab illis diſtinguunt B. Auguſt. Chryſ. Gregorius, & alij patres. Ioã. aũt Caluin[us] do

cet etiam duas eſſe pœnitentiæ partes, mortificationem, & viuificationem, quas intelligit iuxta conſuetudinem ſcripturarum: mortificationem, carnis caſtigationem & refrenationem, per quam prauę hominis affectiones coercentur: Viuificationem autem mentis renouationem, quæ includit remiſsionē peccatorum, & ſpiritum gratiæ ac vitæ: quæ dicit fide illa ſpeciali obtineri. Sed & ei obijci poteſt, quod ipſe opponit Philippo, q͛d videlicet ſcriptura diſtinguat fidem à pœnitentia, & in fide effectus eius, qui cum ipſa vel ſequuntur pœnitentiam, vel ſecundum eum præcedunt. Nec poteſt pœnitentia eſſe niſi de his, quæ malè geſsimus, iuxta rationē nominis, nō de his, quæ inuiti patimur. Quare apud Hieremiam Prophetam Dominus cōqueritur, Nullus eſt, qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo dicens, Quid feci? Et beatus Petrus ait Simoni, Pœnitentiam age ab hac nequitia tua. Et in ſcripturis pœnitentia ſemper refertur ad opera quæ fecimus, nunquam ad malum, quod in nobis habitat: mortificare autem membra, quæ ſunt ſuper terram, eſt hoſtem noſtrum internum debilitare, & coercere; nè rebellione alliciendo nos in peccata trahat. Nam membra vocat partes veteris hominis & malorum ſeminarium

Pœnitentia tantum eſt de his, quæ malè geſsimus.

Hierem. 8.

Act. 8.

2. Corint. 9.

Ideò Apoſt. Paul. Caſtigo, inquit, corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Et præterita reſpicit pœnitentia, nō præſentia: vindicat enim peccatum priùs admiſſum. Et cum mortificatio & renouatio in ſcripturis præcipuè iuſtis attribuantur, dicente Apoſt.

2. Corint. 4.

Licet is, qui foris eſt homo corrumpatur, tamen is, qui intus eſt, renouatur de die in diē: & quia propria eſt pœnitentia peccatoribus, qui nondum eo peruenerunt, vt poſsint ſe mortificando malas affectiones extinguere, & interiorem animū renouare, niſi priùs per gratiam ſanentur: fieri nō poteſt vt hæ ſint pœnitentiæ partes. Et Manaſſes rex ait in ſua deprecatione ad Dominum: Domine Deus iuſtorum non poſuiſti pœnitētiam iuſtis Abrahæ, Iſaac, & Iacob, his qui tibi non peccauerunt, vt recederent à te. Et Saluator apud

Cap. 5.

Lucam, Non egent, inquit, qui ſani ſunt medico, ſed qui male habent: Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Propter quæ tolerabilior eſt ſententia Philippi, quàm Ioannis Caluini, intelligendo nomine pœnitentiæ ea, quæ neceſſaria ſunt in cōuerſione peccatoris ad remiſsionem peccatorum, & ſupponendo per fidem iſtam ſpecialem apprehendi iuſtitiam: vt contritio ſiue terrores iſti ſolum ſint diſpoſitio neceſſariò præuia ac præcedens hanc fidem.

Habet & multa alia Philippus in Apologia, quę falſa ſunt, vt quod abſolutio eſt vox Dei de cœlo ſonantis, quodque exhibet & adminiſtrat Euangelium, ac quod ideò facit Deum mendacem, qui abſolutioni nō aſſentitur, & q͛d ſentit inania eſſe & incerta, quæ promittit Deus, ſi cor dubitet an peccata ſibi remittantur. Supponit enim in his omnibus generales promiſsiones, quæ fiunt credētib. in Chriſtum, applicari poſſe ſimpliciter cuilibet ſine intellectu conditionis vel modi, ſub quo ſolo tamen in Euangelio fiunt, qui eſt, quòd in Chriſtum credant ea fide, quæ hominem interiorem totaliter immutet & innouet: qualem tamen fidem ſolùm docēt iuſtificare & apprehendere iuſtitiam. Poteſt enim contingere dubitatio propter indiſpoſitionem eius, qui abſoluitur, ob quam locū in eo non habet generalis promiſsio: non autem propter infidelitatem Dei promittētis, quaſi verax non ſit. De quibus multa diximus circa primum articulum. Falſum etiam eſt, quod poteſtas clauium ſolum miniſtrat per abſolutionem Euangelium fide apprehendendum. Oſtendimus enim per eam verè tolli peccata, purgari & remitti, quaſi admiſſa non eſſent: id quod benè declarat & probat venerabilis pater Thomas waldenſis, & Reuerendus pater Alphonſus de Caſtro in verbo, Abſolutio. Et prætereà contradictio in Apologia in eo, quòd dicit abſolutionem offerre promiſsionem remiſsionis peccatorum, & claues verè peccata remittere coram Deo: ac alia multa habet erronea & falſa, quæ nunc prætерimus.

In ſacramentalib. tit. de cæremonijs ſacramentorum.

Et quamuis erronea ſit tota hæc doctrina Confeſsionis & Apologiæ de pœnitentia abſolutione & clauibus, ac primum à Martino Luthero ex diaboli ſuggeſtione inuenta, vt veram & ſalutarem doctrinam de pœnitentia, in eccleſia Catholica ſemper traditā opprimeret, obſcuraret, & abrogaret: gloriatur tamen Philippus de hac nouitate: & veram ſalutaremq; pœnitentiam & de ea doctrinam eccleſiæ apud Cæſarem & ſtatus imperij grauiter criminatur, & traducit quaſi erroneam atq; impiam, quam & hæreticorū erroribus annumerat. ait enim.

Philippus.

Negant fidem eſſe alteram partem pœnitentiæ: Quid hic Carole inuictiſsimè faciamus? Hæc eſt propria vox Euangelij, quod fide conſequamur remiſsionem peccatorum. Hanc vocem Euangelij dānant iſti ſcriptores confutationis noſtræ confeſsionis. Nos igitur nullo modo aſſentiri Confutationi poſſumus. Non poſſumus ſaluberrimam vocem Euangelij & plenam conſolationis negare. Quid eſt aliud negare quod fide cōſequamur remiſsionē peccatorum, quam contumelia afficere mortē & ſanguinem Chriſti? Rogamus igitur te, vt nos de hac re maxima, quæ præcipuū Euangelij locū, quæ veram Chriſti cognitionem, verū Dei cultum continet, patienter & diligenter audias & cognoſcas.

Reſponſio.

Non negamus quin fide conſequamur remiſsionem peccatorum: nec doctor catholicus hoc negare poteſt: ſed negamus fidem hanc ſpecialem, qua credimus remiſsionem peccatorum propter Chriſtum nobis donatam, & qua quiſque credit ſibi propter Chriſtum remitti peccata (quā diſtinguit Confeſſio à fide, quæ in genere nititur verbo Dei) eſſe ſecundam partē pœnitentiæ, ac oſtendemus circa articulum nonum eam temerariā

eſſe,

eſſe,nullũmque in ſcripturis habere fundamentum.Palam autem confitemur, quòd fide conſequimur remiſsionem peccatorum. Scimus enim Apoſtolum dicere, quòd pater Chriſtum Ieſum propoſuit nobis propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius.Sed hanc fidem intelligimus non inanem & ſterilem, ſed operãtem per pœnitentiam, peccata deteſtantem propter Dei offenſionem,qua fide conſequimur peccatorum remiſsionem, accedente ſacramento pœnitentiæ, in quo aſſpergimur ſanguine Chriſti, vt purgemur à peccatis. Non igitur contumelia afficimus ſanguinem & mortem Chriſti,per quam docemus peccatorum fieri remiſsionẽ, ſed his ſolis,qui de offenſa Dei dolent, & remedia inſtituta amplectuntur.Et inanis eſt gloriatio,quam addit Apologia.Comperient, inquit,omnes viri nos in hac re præcipuè docuiſſe vera,pia,& ſalubria,& neceſſaria vniuerſæ eccleſiæ Chriſti: comperient ex ſcriptis noſtrorum plurimum lucis acceſsiſſe Euangelio,& multos pernicioſos errores emendatos eſſe, quibus antea obruta fuit doctrina de pœnitẽtia per ſcholaſticorum & canoniſtarum doctrinas. (Rom. 3.) (Apologia.)

(Reſponſio) Oſtendimus ſuperius doctrinam veſtram erroneam eſſe,impiam & noxiam, ac ſcripturis ſacris,concordi patrum traditioni & conciliorum generalium definitionibus aduerſari,& obſcurare Euangelium,obruere, atq; exterminare doctrinam de ſalutari pœnitentia.Non enim remiſsionem peccatorum conſequi poteſt, qui veſtra doctrina inſtitutus ſecundum eam pœnitere conſtituit. Et quis fidelis eccleſiæ filius in eius ſchola doctus ferre poterit,quod ſine pœnitentia & propoſito confitendi peccata ſua apud ſacerdotem Chriſti vicarium peccata remitti poterunt, ſolum credendo ea propter Chriſtum ſibi eſſe remiſſa?Deinde criminatur eccleſiam,falſa dogmata ex vera eius doctrina confingẽs, quo nos reddat ſuſpectos & inuiſos, & ipſa habeat aduerſus quos inſurrexiſſe videatur, dum in fictas à ſe opiniones maximo conatu inuehitur,& fingens ſibi monſtra, quæ vincat,meras vmbras ducit in triumphum.

(Apologia.) Omnes, inquit, boni viri omnium ordinum ac theologici ordinis etiam haud dubiè fatentur ante Lutheri ſcripta confuſiſsimam fuiſſe doctrinam pœnitentiæ: extant libri ſententiariorum, vbi ſunt infinitæ quæſtiones, quas nulli Theologi vnquam ſatis explicare potuerunt:populus neq; rei ſummã cõplecti potuit,nec videre, q̃ præcipuè requirerẽtur in pęnitẽtia,vbi quęrẽda eſſet pax cõſcientię.

(Reſponſio.) Simpliciſsima eſt ac apertiſsima ſine vlla confuſione doctrina,quã vniuerſi patres conſtanter & eandẽ de pœnitentia ſemper tradiderunt,quã & nunc tradimus, ꝙ impius ſcilicet volẽs conſequi peccatorũ remiſsionẽ, primũ agnoſcat ſe Deũ patrẽ ſuũ offendiſſe, & propterea doleat & deteſtetẽ peccata ſua, atq; agnoſcens per claues eccleſiæ à Chriſto ſacerdotib.traditas in ſacramẽto pœnitẽtiæ ea remitti cõfiteatur,ſe totũ ſubmittendo ſacerdotis arbitrio.Nec quæſt.ſenten. hanc rei ſummã quæ populo ſufficit,confuſam faciũt aut incertam.Hæc enim quæ diximus præcipuè requiruntur in pœnitẽtia & ſufficiunt, quando ex fide propitiationis in ſanguine Chriſti proficiſcuntur,& verã tranquillitatẽ ac pacẽ conſcientiæ adferunt,nõ falſam, aut ſeductricem,qualem fides ſpecialis Lutheri.

(Apologia.) *Prodeat nobis aliquis ex aduerſarijs,qui dicat quando fiat remiſſio peccatorum. Bone Deus,quãta tenebræ ſunt. Dubitant an in attritione, an in contritione. Et ſi fit propter contritionẽ, quid opus eſt abſolutione?quid agit poteſtas clauiũ ſi peccatum iam eſt remiſſum. Hic verò multo magis etiã ſudant,& poteſtatem clauiũ impiè extenuant.*

(Reſponſio.) Loqueris hic Philippe, quaſi homo imperitus & alienus à doctrina Eccleſiæ: Nulla eſt nobis hac in re difficultas,nullę tenebrę.Remiſſio enim peccatorũ iuxta Chriſti promiſsionem fit in abſolutione,quãdo verè dolet de peccatis ſuis is,qui abſoluitur.Fit etiã propter contritionẽ,ſed per ſacerdotis abſolutionẽ,quæ aſpergit ſanguinẽ Chriſti in noſtras conſciẽtias,& plerunq; dolorẽ perficit,vt vera ſit cordis cõtritio.Ideò etiã opus eſt abſolutione,vt locũ habeat Chriſti ꝓmiſsio. Idẽ operatẽ poteſtas clauiũ,cui⁹ vſus eſt abſolutio

(Apologia.) *Iã illa magis ſunt etiã perplexa,docet nos cõtritione mereri gratiam,vbi ſi quis interroget, quare Saul, Iudas,& ſimiles nõ conſequũtur gratiã, qui horribiliter contriti ſunt. Hic de fide & Euãgelio reſpondendũ erat ꝙ Iudas nõ crediderit, non erexerit ſe euangelio & promiſſione Chriſti. Fides.n. oſtendit diſcrimẽ inter contritionẽ Iudæ & Petri. Verũ aduerſarij de lege reſpõdent,ꝙ Iudas nõ dilexit Deũ,ſed timuerit pœnas.*

(Reſpon. ſo.) Docemus quod cor cõtritũ & humiliatũ Deus reſpicit,& ob vnigeniti ſui interceſsionẽ deſpicere nõ poteſt.Nouimus eñ apud Eſai.Dominũ dixiſſe ad quẽ reſpiciã, niſi ad pauperculũ, contritũ ſpiritu,& trementẽ ſermones meos?Et ꝙ Ionas propheta ſcribit de Niniuitis,vidit Deus opera ipſorũ,quia cõuerſi ſunt de via ſua mala,& miſertus eſt ſuꝑ malitia,q̃ locutus fuerat vt faceret eis,& nõ fecit. (66.cap.) (Ionæ 3.)

(Contritione non meretur quis gratiã.) Non autẽ docemus,ꝙ contritione meremur gratiã,quin potius hoc eſſe Pelagianũ,dicente Apoſt.Paul. Ei qui operatur, merces nõ imputatur ſecundum gratiã,ſed ſecundũ debitũ.Et alio loco, Si aũt gratia,iã non ex operib. Nã ſine gratia, nullum eſt meritũ,quũ eius radix ſit & principiũ per ſpiritũ Chriſti inhabitantẽ. Eſt tñ cordis contritio ac pęnitẽtia diſpoſitio, ſine qua ſpiritũ ſuum & gratiã nõ impartitur Deus,dicẽte Dño, Ad quem reſpiciã niſi ad pauperculum & cõtritũ ſpiritu?Et Moyſes: Quũ tota tribulatione cordis quæſieris eum, tunc inuenies.Falſum igitur nobis imponit Apologia,quòd docemus contritione nos mereri gratiã.Saul aũt, Iudas, & ſimiles non ſunt gratiã conſecuti,quãuis grauiter cõtriti, hoc eſt cruciati,& mœrentes,quia nõ pœnitebat eos peccatorũ ſuorũ vt oportuit, nec ſpẽ veniæ concipiebãt ex diuinæ placabilitatis cõſidera- (Rom.4.) (Deut.4.)

ſideratione: quòd de Iuda certum eſt, non æquè de Saule. Oportet enim pœnitentiã eſſe cũ ſpe veniæ, quæ naſcitur ex certa cognitione, quòd bonus eſt Dominus, placabilis & propitiabilis ſuper malitia, & multus ad ignoſcendum. Propter quod ad ſe confugientem abijcere non poteſt, iuxta ſententiam Hieremiæ Prophetæ, Vulgo dicitur, Si dimiſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltra? Tu autẽ fornicata es amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & non auertam faciem meam, quia ſanctus ego ſum, & non iraſcar in perpetuum: verũtamen ſcito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum præuaricata es. Item apud Eſaiam, Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen nõ obliuiſcar tui: ecce in manibus meis deſcripſi te. Quod ipſum etiam clariſsimè probat parabola de filio prodigo, cum alijs parabolis, quas Dominus dignatus eſt proponere. Eſt igitur hic reſpondendum, quod hoc diſcrimen erat inter contritionẽ Iudæ & Petri, quòd Iudã non pœnitebat ſui ſceleris, quemadmodum oportuit, nec ad eum quem offenderat confugiebat, ſperans ſe ab eo veniam conſecuturũ. Petrus verò lachrymatus eſt, quia Dominum ſuum offenderat, ac certò cõfidit quod pœnitentem in gratiam reciperet. Eſt itaque reſpondendum ſuper diſcrimine contritionis Petri & Iudæ de fide & Euangelio, ſed ſicut diximus, non de fide, qua Petrus credidit peccata ſibi remiſſa, ſed qua certò credidit Deum placabilem & facilem ad ignoſcendum, Euãgelio hoc annunciante: meminerat parabolæ narrantis, quod pater filio prodigo occurrit, redeuntéq; benignè atque amanter ſuſcepit. Sic Theophilactus tractãs locum de Eſau, quòd pœnitentiæ locum nõ inuenit, etiam ſi cum lachrymis inquiſierit ipſam, Pœnitentiam, inquit, quæſiuit, non tamen vt oportet, nec lachrymæ fuerunt pœnitentiæ, ſed inuidiæ & amarulentiæ: quemadmodũ neq; mœror Chaim pœnitentiæ mœror erat, ſed inuidiæ. Propter quod ſpes veniæ & vera pœnitentia ob Dei offenſam diſcernunt inter pęnitentiam Petri & Iudæ, nõ autem fides iſta, qua Petrus certò ſtatuiſſet ſibi remiſſa eſſe peccata, quòd ſanè eum nõ ſtatuiſſe, niſi fortaſsis poſt multas lachrymas, omninò certum videtur. Ideò non malè reſponſum eſt, quòd Iudas propterea non eſt conſecutus gratiam, quia non dolebat ſe peccaſſe, propterea quòd Deum offenderat, & ita ex eius amore. Quòd autem ante conſecutam remiſsionem hoc modo peccatum deteſtare poſsimus, dicemus circa articulum ſequentem. Et quamuis Iudas æternas pœnas timuiſſet, ſi tamen cùm ſpe veniæ illas & euadendi deſiderio confugiſſet ad Dominum, tã bonus eſt Deus, quòd ad veram pœnitẽtiam & veniam eum promouiſſet.

Qualem oporteat eſſe pœnitẽtiam. *Hierem.3.* *Cap. 46.* *Luca 15.* *Diſcrimẽ inter pœnitentiam Iudæ & Petri.* *In comment. epiſtolæ ad Hebræos.* *Iudas nõ eſt gratiam conſecutus, quia non doluit de peccatis ob dei offenſam.*

Apologia. *Quare intelligunt omnes boni viri vtiliter reprehenſam eſſe doctrinam Sophiſtarum & Canoniſtarum de pœnitentia. Nam hæc dogmata apertè falſa ſunt, & non ſolum aliena è Scripturis ſanctis, ſed etiam ab Eccleſiaſticis patribus.*

1. *Quod per bona opera extra gratiam facta mereamur, ex pacto, diuinam gratiam.*
2. *Quòd per attritionem mereamur gratiam.*
3. *Quod ad deletionem peccati ſola deteſtatio criminis ſufficiat.*
4. *Quod propter attritionem, non fide in Chriſtũ aſſequamur remiſsionem peccatorum.*
5. *Quod poteſtas clauium valeat ad remiſsionem peccatorũ, non coram Deo, ſed coram Eccleſia.*
6. *Quòd poteſtate clauium non remittantur peccata coram Deo, ſed quòd inſtituta eſt, vt mutet pœnas æternas in temporales.*
7. *Quod ſuſceptio ſacramenti pœnitentiæ ex opere operato, ſine bono motu vtentis, hoc eſt, ſine fide in Chriſtum, conferat gratiam.*

Reſponſio. Quid ſi hæc dogmata apertè falſa ſint, & aliena à ſcripturis ſanctis & patribus eccleſiaſticis, an propterea vtiliter & piè reprehẽſa eſt doctrina Theologorum & canoniſtarũ de pœnitentia: qui & ipſi omnia ferè hæc dogmata damnant, atque ſcripturis aduerſari docent? Falſo eos criminaris, proponens paradoxa hæc ab eis doceri. Nam duo prima dogmata docuimus eſſe Pelagiana, atq; ex eius ſchola profecta. Tertium etiam docemus falſum eſſe, & requiri deteſtationem criminis ob Dei offenſam, dicente Apoſtolo, Triſtitia quæ ſecundum Deum eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: Et requiri propoſitum confitendi ac peccata deinceps vitãdi. Ac de quarto dicimus, quòd ſine fide in Chriſtum propitiatorem contritio non ſufficit ad remiſsionem peccatorum: non tamen fides iſta ſpecialis ad eam requiritur, quin potius remiſsionem impedit. De quinto autem ſuperius docuimus, quòd poteſtas clauiũ valeat ad remiſsionem coram Deo & Eccleſia, iuxta promiſsionem Saluatoris, Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis. Atq; prætere ea, quę citauimus, ſanctus Maximus verba Domini, Tibi dabo claues regni cœlorũ, interpretatur, Ne qua nos fratres, inquit, de creditis Petro clauibus regni, more noſtrarum clauium cogitatio terrena permoueat, claues cęli lingua eſt Petri, quia ſingulorum merita cenſendo Apoſtolus, vnicuique regnum cœlorum aut claudit aut aperit. Nõ eſt clauis iſta mortalis artificis aptata manu, ſed data à Chriſto, poteſtas eſt iudicandi. Deniq; ait eis, Quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt: & quorũ detinueritis, detenta erunt. Clauium itaque poteſtate mutantur pœnæ æternæ in temporales: imò & temporales etiam ſæpè tolluntur, & remittuntur peccata coram Deo & Eccleſia, de dogmate ſeptimo oſtendimus ſupra ſacramentũ pœnitẽtiæ ex opere operato conferre gratiã, ſed pœnitẽti & veniam ſperanti ex Chriſti propitiatione.

2. Corint.7. *Ioannis 20.* *Matth. 16.* *Claues cœli lingua eſt Petri.* *Clauium poteſtate peccata remittuntur & mutatur pœna æterna in temporalem.*

Quòd autem ſine bono motu vtentis, hoc eſt, ſine fide in Chriſtum gratiam conferat, non memini me apud aliquem Theologorũ

vel canoniſtarum legiſſe: quin potius erroneum hoc eſſe docet. Nouerunt ſententiam B. Au uſtinus. Omnis qui iam ſuæ voluntatis arbiter conſtitutus eſt, cũ accedit ad ſacramentum fidelium, niſi pœniteat eum veteris vitæ, nouam non poteſt inchoare. Nouerunt & Philippum interrogaſſe eunuchum petentem baptizari, Si credis ex toto corde, licet: & eum baptizaſſe, poſtquã reſpõderat, Credo filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum: quãuis non requirant fidem ſpecialem, eò quòd temerariã & præſumptuoſam eſſe credant.

Lib. 50. homil. vlt.

Act. 8.

Apologia.

Addit & alia dogmata, propter quę pie reprehenſam dicit eſſe doctrinam noſtrã de pœnitentia, quæ agnoſcimus nos docere ex ſcripturis ſacris & doctrina Eccleſiæ catholicæ, videlicet, Quòd enumeratio delictorũ in confeſsione ſit neceſſaria iure diuino: quòd Canonicæ ſatisfactiones neceſſariæ ſint ad pœnam purgatorij redimendam, aut proſint tãquam cõpenſatio ad tollendã culpam: quòd poteſtate clauium per indulgentias liberentur animæ ex purgatorio: quòd in reſeruatione caſuũ nõ ſolum pœna canonica, ſed etiam culpa reſeruari debeat in eo, qui verè conuertitur: quòd poteſtas clauium inſtituta eſt, vt imponat ſatisfactiones, conſcientias obligando: intelligendo tamen per poteſtatem clauium, poteſtatẽ paſtoralem. Nam Petro dictũ eſt, Quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: &, Quodcunq; ſolueris ſuper terra, erit ſolutum & in cęlis.

Matth. 16.

Et ideò hanc poteſtatẽ non extenuamus, ſicut nobis obijcit Apologia: ſed magnificè prędicamus, Deum glorificantes, quòd poteſtatem talem dedit hominib. Ipſa vero eam valde reipſa extenuat (quamuis verbis mirificẽ eam extollere videatur) quum docet eam ſolùm eſſe poteſtatem euangelium annunciandi & adminiſtrandi, cõtra apertas ſententias euangelij, vt ſupra docuimus. Deinde circa finem addit Apologia, Quando erit pacata conſcientia, ſi ideò accipimus remiſsionem peccatorum, quia nos diligimus aut legem facimus. Semper enim accuſabit nos lex, quia nunquam legi ſatisfacimus, ſicut inquit Paulus, Lex iram operatur.

Apologiæ obiectio.

Reſponſio.

Reſpondet Chriſtus Lucæ 7. murmurationi Phariſæi, & in eo Apologiæ, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: cui autem minus dimittitur, minus diligit. Nec tamen propterea accepimus remiſsionẽ peccatorum quia diligimus, aut legem facimus: ſed quia pœnitentes de peccatis, & agnoſcentes culpam noſtram coram ſacerdote, eius miniſterio à peccatis abſoluimur: ſicut paralyticus & Maria Magdalena peccatorum acceperunt remiſsionem, quando Chriſtus dixit, Remittũtur tibi peccata tua. Eundem namque effectum habet abſolutio ſeu remiſſio, ſiue a Chriſto fiat, ſiue a ſacerdote, ob promiſsionem factam, Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis. Nam idem ipſe eſt, qui per ſe ac in ſua perſona illis peccata remiſit, & miniſterio ſacerdorum & noſtra remittit. Hac quidem remiſsione accipimus ſpiritum Chriſti, vt ipſum diligamus, & legi ſatisfaciamus, quamuis dilectio aliqua & legis obſeruatio ea præcedat. Et lex iram operatur, ſi ſola eſt ſine gratia, quæ per legem operatur noſtram ſalutem.

Accipimus peccatorum remiſsionẽ, quia nos peccatorum noſtrorum pœnitet, non quia legem facimus.

Ioan. 20.

Apologia.

Chryſoſtomus quærit de pœnitentia, vnde certi reddamur peccata nobis remiſſa eſſe. Quærunt & in ſenteutijs eade de re aduerſarij, quod non poteſt explicari, nec poſſunt conſcientiæ reddi trãquillæ, niſi ſciant mandatum Dei eſſe & ipſum euangeliũ, vt certò ſtatuant propter Chriſtum gratis remitti peccata, nec dubitent ſibi remitti. Si quis dubitat, vt Ioannes ait, is accuſat promiſsionem diuinam mendacij. Hanc certitudinem fidei, nos docemus requiri in euangelio: aduerſarij relinquunt conſcientias incertas & ambigentes: nihil autem agunt conſcientiæ ex fide, quum perpetuò dubitãt vtrum habeant remiſsionem. Quomodo poſſunt in hac dubitatione inuocare Deum? Quomodo ſtatuere poſſunt, quod exaudiantur?

Ioan. 20.

Ex certa Chriſti promiſsione, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, tranquillæ & pacatæ noſtræ redduntur conſcientiæ per ſacerdotis abſolutionem: quemadmodũ Magdalena & paralyticus pacati & tranquilli erant, audita voce Domini de remiſsis ſibi peccatis. Multò certiores ſumus nos atque tranquilliores, quàm Philippus eiusque doctrinam ſequentes. Non enim ille docere audet tranquillitatem fidei, ſed fiduciæ tantũ, quod peccata remittuntur credentibus in Chriſtum per abſolutionem, generalem promiſsionem Euangelij applicantem, & fide apprehenſam. Nos autem prædicamus Chriſti promiſsionem ſpecialem & ſimul poteſtatẽ ſacerdotibus datam, vt quorum peccata remiſerint, remittantur eis ſingulis, propter quod firmam & conſtantem habemus fiduciam & tranquillitatem. Et ſi veſtra doctrina diligenter expendatur, nullum facere poteſt conſcientiæ pacem aut tranquillitatem. Nã primum requiritis veros terrores conſcientiæ, quæ Deum ſentit iraſci peccato, & propterea ſeriò dolet ſe peccaſſe, atque hos tantos, vt eos anima ſuſtinere non poſsit, quin præcipitetur in deſperationem, niſi ſuſtentetur verbo Dei, & fide erigatur. Nec explicatis tamen, qui ſint falſi terrores à quibus veros diſcernitis: quis item dolor non ſerius: an verus ſit, qui eſt de veris malis, vt de ira Dei, ſicut dicitis & ſupplicio gehennæ. Hic ſeruilis eſt timor, qui audita voce abſoluentis, perſuadebit ſibi ab his pœnis, quas timebat, ſe abſolutum ac eas euaſiſſe: Talem enim quærebat miſericordiam, quale de ſua miſeria habuerat iudicium. Exiſtimabat autem ſe miſerum, non quòd peccauerat, ſed quod vltionis ſe fecerat reum: Ideo eius mali ex abſolutione concepit ſecuritatẽ, quod metuebat in comminatione. Mirandum ſi huic dicatis peccata per fidem remiſſa, qui nõ Deum ſpectat ante nec poſt perſuaſionem remiſsionis peccati, & conciliatæ iræ Dei, ſed ſe ſolum: Quare nec Deum propter ipſum amat, nec

nec ei obedire atq; placere ſtudet. Rari ſunt etiam, qui tantis concutiuntur terroribus, vt eos natura ſuſtinere non poſsit: quibus ſolis ſecundum hanc doctrinam ſpes ſalutis eſſe poteſt: Et multò minus de fide conſtare poteſt, quòd ea ſit quam requiritis, vt apprehendat remiſsionem peccatorum. Hæc enim requirit, quod dilectio Dei & obedientia in mandatis eius comitentur: quum ſine his & ſpiritu inhabitante ac mentem innouante, ſecundum hanc doctrinam eſſe non poſſit. Eſt autem eadem difficultas in cognoſcẽdo nos verè diligere Deum, poſt remiſsionem peccatorum, quæ erat ante eam. Cùm igitur ſit inſeparabilis fides, ſecundum vos, ab amore Dei & ſpiritu inhabitante, ſicut certum non eſt, quod dilectio Dei eſt in nobis, ita nec an fides talis ſit, quæ iuſtitiam apprehendat, & difficillimum ſit diſcernere fidem ex ſe viuam ab ea, quæ viua non eſt. Prætereo hìc quod Martin. Bucerus & multi alij cum eo planè ac verè doceant humanam eſſe cogitationem ſine verbo Dei natam, quod vos docetis, tranquillitatem & pacem conſcientiæ fieri, per abſolutionem ſiue annunciationem Euangelij. Sunt, inquit, ex noſtris qui affirmant ſingularem energiam habere, ſi quis priuatim Euangelium audiat, & ſeſe pronunciari abſolutum: tum demum, inquiunt, certus es id propriè ad te pertinere, cùm tu priuatim ac propriè abſolueris. Sed quod priuatim abſolui ab homine, hoc eſt, ſeorsũ audire gratiæ promiſsionem, per ſe momentum aliquod ad confirmandam conſcientiã habeat, & tum demum certum habeas Euangelium propriè ad te pertinere, cùm tu proprie ac priuatim abſolueris, contagio humana eſt ſine verbo Dei: Et propterea in ſcripturis nullum habet fundamentũ. Siue namque publicitus ſiue priuatim verbum gratiæ prædicetur, Domini ſolius eſt dare incremẽtum, hoc eſt, vt credas illud ad te quoq; pertinere. Et quia tota hæc conſcientiæ tranquillitas, pax & ſecuritas naſcitur ex perſuaſione, qua quis arbitratur ſibi remiſſa eſſe peccata, ſeque in filium adoptari, non poteſt eſſe vera pax conſcientiæ, niſi conſtiterit veram eſſe huiuſmodi perſuaſionem. Multi enim ſibi & etiam alijs perſuadent ac pollicentur peccata eſſe remiſſa, quæ remiſſa non ſunt. De quibus beatus Cyprianus arguens ſacerdotes, qui faciles erant in abſoluendo, Contra Euangelij, inquit, vigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorundam laxatur incautis communicatio: irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Omnis namque conſolatio, quæ concipitur erroris perſuaſione, animæ pernicioſa eſt: Erroris perſuaſio eſt, quod ſine odio peccatorum ſola fide ipſa remittantur. Nam Hierem. ſexto. Curabant, inquit Dominus, contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes, pax, pax, & nõ erat pax. Sunt quidam ſecuri atque in conſcientia pacati, quamuis in peccatis viuant, ex ſtulta & infideli perſuaſione, quod nullum baptizatum & fidelem Deus eſt damnaturus: ſed ſicut hic in ſuam familiam, ita & ibi in regnum ſuum eos ſit ſuscepturus. Contra quorum errorem ſcribit beatus Auguſtinus lib. de fide & operibus. Et libro 21. De ciuitate Dei, agit contra eos, qui perſuaſi erãt, non obfutura peccata, in quibus dum eleemoſynas facerent perſtiterunt. Et apud Micheam aiunt impij, Nunquid non Dominus in medio noſtrum eſt? non venient ſuper nos mala. Et Ioannes Baptiſta, Nolite dicere inter vos, Patrem habemus Abraham, & apud Ioannem gloriantur etiam, & iactant ſe patrem habere Abraham, patrem habere Deum, quaſi perſuaſi ex hoc omnia ſibi fore tranquilla & ſecura. Multò igitur certior eſt animæ tranquillitas ſecundum eccleſiæ doctrinam, ex ſacramentis baptiſmi & pœnitẽtiæ, per quæ certum eſt peccata remitti pœnitenti, modo non habeat obicem peccati actualis: non quia nobis hoc perſuademus, ſed reuera eſt ex Chriſti promiſsione ſpeciali: certior inquam, quàm ſecundum Apologiæ doctrinam obtineri poſsit: eò quòd hæc non habet pro fundamento verbum Dei, ſed fidem tantum hominum, qua quiſq; ſibi perſuadet omnia eſſe ſecura, & propter Chriſtũ peccata ſibi remiſſa ſine ſpeciali promiſsione: vt bene docet Bucerus, & hoc probat: Nam hæreticus, ſchiſmaticus, & in peccatis perſeuerans iſtud ſibi perſuadere poteſt, Philippus enim, Ioannes Caluinus, ac Zuingliani ſe mutuo pernicioſi erroris damnantes, illique quos ſuis doctrinis ſeduxerunt, quãuis magni ſint peccatores, iſtud ſibi perſuaſerunt. Credunt enim nihil opus eſſe ad perfectiam veniæ conſequutionem, niſi vt firmiſſimè credant ſe abſolutos, cum audiunt abſolutionem quam docti ſunt eſſe Euangeliũm Chriſti. Non eſt enim peccator, qui ex errore ſibi hoc perſuadere non poſsit. Non igitur eſſe poteſt vera pax conſcientiæ, quæ nititur & fundatur in iſtis terroribus tam magnis, vt natura eos non ſuſtineat, quos vel nulli fortaſsis vel rari experiuntur: & in fide hac, qua ſibi perſuadent, quacunque tandem ratione propter Chriſtum peccata eſſe condonata, & ſe ereptos ab ira ac ſupplicijs, quæ metuebant: cùm regnante adhuc amore ſui, & ſine amore Dei hæc omnia contingere poſsint, vt diximus ſuperius. Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis, triplicem ponit veritatem ſecundum doctrinam eccleſiæ, quam ſi quis ſyncerè ſine fictione proferre potuerit, dicit eum abſque dubio eſſe in ſtatu ſalutis etiam ſi innumeris peccatis prius fuerit irretitus, circa etiam ſuſceptionem ſacramentorum actualem. Prima veritas eſt, Domine contra bonitatem tuam hoc modo peccaui, per inuidiam ſcilicet, vel peccatum aliud, vnde pœnitentiam ago, & doleo, quia te ſic offendi, qui totus es venerandus & colendus. Secunda eſt, bonum habeo propoſitum tuo iuuamine mediante in futurũ præcauere, ne incidam in peccatum, occaſioneſque pro viribus euitare. Tertia, Bonam habeo

In comment. 3. ca. enar. in Math.

In ſermone de lapſis.

Cap. 27. *Cap 3* *Math. 3.* *Ioannis 8.*

In fine opuſculi cui titulũ fecit opus tripartitum.

Prima veritas quam ponit Ioannes Gerſon.

Secunda.

Tertia.

beo voluntatem confeſsionem integram peccatorum meorum faciendi, iuxta tuum & ſanctæ matris eccleſiæ mandatum: De quibus dicit, quod quiſquis has veritates qualicunque loco ac tempore, non ſictè aut mendaciter, ſed ſincerè ex animo pronunciauerit, ſecurus eſſe poteſt ſe in ſtatu ſalutis & gratiæ conſiſtere & vitam æternam promereri. Cuius ſententiam ſatis approbare videtur B. Thomas, docens ſacramentum pœnitentiæ voto ſolùm ſuſceptum operari ſalutem. Cófitemur tamen nullos in hac peregrinatione vel raros admodum, ſi qui tamen ſint, citra ſpecialem Dei reuelationem omninò infallibiliter certos eſſe de remiſsione peccatorum: Et ideò Eccleſiaſticus monet, De propitiatu peccatorũ noli eſſe ſine metu. Et B. Iob, Si venerit ad me, non videbo eum: ſi abierit, non intelligam: etiam ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea, & tædebit me vitæ meæ. Quæ verba tractans B. Gregorius, Plerunq;, inquit, ſi ſcimus bona quę agimus, ad elationem ducimur: ſi neſcimus, minimè ſeruamus. Quis enim de virtutis ſuæ conſcientia nõ quantulumcũq; ſuperbiat, aut quis rurſus bonum in ſe cuſtodiat, quod ignorat? Sed contra vtraq; quid ſupereſt, niſi vt recta, quæ agimus ſciendo neſciamus, vt hæc & recta æſtimemus & minima: quatenus & ad cuſtodiam ſanctificet animum ſcientia rectitudinis, & in tumorem non eleuet æſtimatio minorationis. Et alio loco de virtutibus loquens, Si ſcimus, inquit, nos eas habere, ſuperbimus: ſi ignoramus, gratias non agimus. Nihil ergo aliud reſtat, niſi vt ſciendo ignoremus, & ignorantes ſciamus. Ac in epiſtola 186. quæ eſt ad Gregoriam cubiculariam Auguſtæ, quæ ab eo petierat certa fieri peccata ſibi eſſe demiſſa, Quod dulcedo tua, inquit, in ſuis epiſtolis ſubiunxit, importunam ſe mihi fore quoadusque ſcribam mihi eſſe reuelatum, quòd peccata tua dimiſſa ſunt. Rẽ & difficilem & inutilem poſtulaſti: difficilẽ quidem, quia ego indignus ſum cui reuelatio fieri debeat: inutilem verò, quia ſecura de peccatis tuis fieri non debes, niſi cum iam in die vitæ tuæ vltimo plangere eadem peccata minimè valebis, quæ dies quouſque veniat ſemper ſuſpecta, ſemper trepida metuere culpas debes, atq; eas quotidianis fletibus lauare. Certè Paulus Apoſtolus iam ad tertium cælum aſcenderat, in paradiſum quoque ductus fuerat, arcana verba audierat, quæ homini loqui non liceret: & tamen adhuc trepidans dicebat, Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauero, ipſe reprobus efficiar. Adhuc timet, qui iam ad cælum ducitur, & iam timere non vult, qui adhuc in terra conuerſatur? Perpende dulciſsima filia, quia mater negligentiæ ſolet eſſe ſecuritas: habere ergo in hac vita non debes ſecuritatem, per quam negligens reddaris. Scriptum eſt enim, Beatus vir, qui ſemper eſt pauidus. Et rurſum ſcriptum eſt, Seruite Domino in timore, & exultate ei cũ tremore. In pauco ergo huius vitæ tempore

Quodlib. 4. q 10.

Cap. 5.

Cap. 9.

Lib. 9. c. 17.

2. Corint. 9.

Prouer. 18.

Pſalm. 2.

mentem veſtram neceſſe eſt vt tremor teneat, quatenus per ſecuritatis gaudium ſine fine poſtmodum exultet. Nõ igitur relinquimus nos conſcientias incertas & ambigentes de remiſsione peccatorum: nec tamen infallibiliter de ea perſuaſas, ſed certiſsimè confitentes, quòd ex Dei patris miſericordia, ob filij mortem eiuſque promiſsionem, ipſa nobis ſint remiſſa, noſque ab eo in gratiam ſimus recepti, nihil de eo dubitantes. Et ita iuxta ſermonem beati Gregorij, quaſi ſcientes ignoramus, & ignorantes ſcimus nobis remiſſa eſſe peccata. Alia etiam dogmata Apologiæ de pœnitentia improbant Alphonſus epiſcopus Canarienſis in Philippicis, & Albertus Pighius.

Chriſtianis non relinquũtur conſcientiæ incertæ.

ARTICVLVS QVARTVS.

Contritio eſt dolor de peccatis propter Dei offenſam ſuſceptus, cum propoſito confitendi & ſatis faciendi: non autem (vt quidam hoc ſeculo perniciosè docent) terror conſcientiæ, propter apprehenſum gehennæ ſupplicium peccatis debitum. Præparat tamen hic terror & gehennæ metus, ad veram animi contritionem.

NOmina hæc attritio & contritio per Analogiam vſu ſacrarum ſcripturarum, & patrum eccleſiaſticorum, à corporalibus ad animum transferuntur: quemadmodum durum & molle, carneum & lapideum, & ſecundum eandem frangi cor dicitur, ſcindi, atteri & conteri. Eſt autem cor durum teſte B. Bernardo, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, præteritorum obliuiſcens: præſentium negligens: futura non prouidens: hoc eſt, quod nulli inſpirationi, nulli motioni ipſum tangenti cedit vel acquieſcit: imò & reſiſtit in affectu peccati perſiſtendo. Frangitur autem & atteritur quando ſibi diſplicere incipit, & odio eſſe peccatum, nondum tamen plenè ab ipſo recedens, ad Deum conuertitur. Conuertitur verò quando peccatorum affectus deſerit, & omninò ea abominãs Deo ſe ſubijcit in omnem obedientiam, omnemque eius voluntatem. Quam differentiam liber de vera & falſa pœnitentia explicat per verti & conuerti à peccatis ad Deum. Verti enim dicit eum, qui de crimine dolet, & ipſum vult dimittere: conuerti autem, qui totus & omninò vertitur, qui iam pœnas nõ timet, ſed ad bonum dominum redire feſtinat. Rationes etiam nominum, & ſcripturæ ſacræ ſignificant differentiam eſſe inter conteri & atteri. Qui ceciderit, inquit Saluator, ſuper lapidem iſtum, confringetur, ſuper quem verò ceciderit, conteret eum. Et Deuteronom. 29. de filijs Iſrael dicit Moy-

Lib. 1. de cõſideratione ad Eugeniũ. Quid cor durum.

Diſcrimen inter attritionem & contritionẽ.

Matth. 21.

ſes, quod non ſunt attrita veſtiměta eorum. Et Neomiæ nono, quòd pedes eorum non ſunt attriti. Duplici autem intentione cor contritum dicitur ſecundum wilhelmum Pariſienſem: ſecundum ſe quidem, quando ſubtiliter examinatur & per ſingula quæq; occultiſsima diſcutitur: quomodo verbum Dei, ſiue ſacra eloquia frangi, ſcindi, conteri ſiue confringi dicuntur, quando diligenter per ſingula explicantur, & latentia myſteria eruuntur. Altero modo ſecũdum morbos & vitia, quæ in ipſo ſunt conterenda, quando videlicet peccandi voluntas & cogitatio penitus in eo deſtruuntur. Atque hæc cordis contritio vulnera vitiorum in ipſo deſtruit, & cor morbis fractum plenè ſanat, integrat & ſolidat. Quemadmodum igitur in corporalibus attritum eſt, cuius ſoluta eſt integritas, vel aliquo modo læſum eſt: & cõtritum quod in minimas partes fractione eſt reſolutum, ita in ſpiritualibus attritio dicitur imperfecta pœnitentia vel diſplicentia de peccato admiſſo: & contritio pœnitentia perfecta, per quam affectus peccati omninò deſtruitur & annihilatur, qui per pœnitentiam imperfectam ſolùm impeditur, minuitur ac retardatur. Ordinatur enim pœnitentia ſine odium peccati ad eius deſtructioně. Ab effectu itaque facilis eſt hæc diſcretio. Nã contritio peccatum commiſſum delet, & Deum nobis conciliat, eiuſque iniuriam emendat, teſtante Propheta Dauid, Sacrificiũ Deo ſpiritus cõtribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Subijcit enim ſe cor cõtritum in omnem voluntatem Dei: atque cordis contriti & contribulati effectus, propter quem deſpici non poteſt, eſt hæc humiliatio. Et apud Eſaiam, Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? cui ſoli venit etiam magnus medicus Saluator noſter mederi. Quis autem ſit hic affectus cordis, qui dicitur in ſcripturis contritio, propter quem Deus hominem deſpicere nõ poteſt, an ſola pœnitẽtia, quæ eſt odium peccati propter Dei ſuper omnia dilecti offenſam, ſtatim dicemus. Omne autem odium ſiue peccati diſplicentia, quæ ab hoc fine deficit, nec ſufficit per ſe ſine ſacramento gratiã Dei nobis conciliare, atque peccatum deſtruere, imperfecta eſt, vtpotè à fine veræ diſplicentiæ deficiens. Vnde colligitur, quòd multis modis diſplicentia hæc imperfecta ſiue attritio contingere poteſt. Multipliciter enim contingit à perfecto declinari. Primum itaque imperfectæ diſplicentiæ genus eſt, cùm quis dolet de peccato propter humana naturaliaque incitamenta ſiue motiua, vt quia turpe eſt, & contra rationem & honeſtatem, vel quia induxit infamiam, vel etiam quia contrarium Deo eſt, quatenus finis eſt atque principium naturæ. Hoc diſplicentiæ genus, quia animum peccantem frangere & atterere poteſt, licet non profectè, cum ſola ratione naturali nitatur, meritò attritio vocari poteſt. Oportet enim veram pœnitentiã ex fide proficiſci, vt ſuperius docuimus: & liber de vera & falſa pœnitentia docet fidem eſſe fundamentum pœnitentiæ. Secundum genus imperfectæ diſplicentiæ eſt, quod oritur ex timore pœnarum ſpiritualium vel æternarum, quę lumine fidei cognoſcũtur. Et hanc doctores ſcholaſtici propriè attritioně vocant. De qua idem liber agit tractans verba Ezechielis 33. Quacunque hora peccator ingemuerit, & conuerſus fuerit, vita viuet: docens pœnitentiam, quę impetrat vitã, non à ſolo timore, ſed à charitate proficiſci: vt etiam Magiſter 4. ſenten. docet diſtinct. 15. & 20 Nam illam, quæ ex timore ſupplicij eſt, tanquam inſufficientem etiam reijcit B. Ambr. Idem videtur eſſe iudicium de alia pœnitentia, quæ ex fidei cognitione concipitur. Tertium huius imperfectæ diſplicentiæ genus inuenitur, cùm quis dolet de peccato, quia contra Deum eſt, eiuſque offenſa, ſed ex voluntate imperfecta & optatiua tantum, non abſoluta atque efficaci: ſed præualent & dominantur affectus peccatorum retrahentes, quos nondum vincere aut obijcere conatur: ſicut & dilectio Dei imperfecta appellari poteſt, qua Deo vellem bonum & gloriam eiuſq; nomen in me & in omnibus ſanctificari. Perfecta verò pœnitentia ex Dei dilectione ſuper omnia abſoluta & efficaci naſcitur. Et ideò ad hoc genus reduci poteſt diſplicentia peccati ob Dei offenſam, ſed non tanquam ſummè odibilem, nec Dei vt ſuper omnia dilecti, ſed ex conſideratione, quòd ſit noſter pater, dominus ac benefactor, diſplicet, quòd eum offendimus: quemadmodũ bono filio diſplicet, quod patrem, & ſubdito quòd dominum offenderit.

Cõplectitur autem contritio in articulo omnem peccati diſplicentiam perfectam & imperfectam, in quo imitatur Concilium Florentinum, quod dicit primam partem huius ſacramenti eſſe dolorem de peccato, requiritur enim vt aliquo modo voluntaria ſit confeſsio, & ſubmiſsio in arbitrium ſacerdotis, non ficta: propter quod contritio pertinet ad exteriorem pœnitentiam, & includit propoſitum confitendi & ſatisfaciendi. Eſt enim pars huius ſacramenti, quatenus refertur ad claues eccleſię: vt rectè admonuit Cardinalis Caietanus. Qua conſideratione initium eſt & ratio exterioris pœnitentiæ. Conſtat enim interiores actus hoc modo ad exterius iudicium pertinere. Aliter enim iudicatur offendens ex odio, & aliter offendẽs ex ira, & compenſatio pœnitentiæ, niſi ſponte fiat à reo, nõ eſt reconciliatiua. Quare velle compenſare delictum, quod in contritione continetur, eſt prima huius iudicij pars, ꝙ non ſolum vindicatiuum eſt, ſed & conciliatiuum. Hinc non oportet quamlibet partem ſacramenti huius eſſe ſenſibilem, ſed poteſt vna pars eſſe ratio, quare aliæ partes ſenſibiles ad hoc ſacramentum atq; iudicium pertineant: idq; eo magis, quòd hoc forũ interius eſt, ad quod actus etiam interiores referri poſſunt. Ponitur etiam Contritio, quæ eſt dolor

Cap 41. rhetorica diuina.

Pœnitentia ordinatur ad peccati deſtructionem.

Pſalm. 50.

Cap. 66.

Eſa. 61. & Luce 4.

Primus modus attritionis.

Secundus modus.

Cap. 7.

Lib 2. de pœnitentia c. 9.

Tertius.

Contritio in articulo generaliter ſumitur.

Quælibet pars ſacramenti non debet eſſe ſenſibilis.

dolor de peccatis ob Dei offenſam, pars ſacramenti, quia certa eſt atque indubitata eius materia. Quòd autem attritio ſufficiat, quamuis verum ſit, non eſt tamen certum atque indubitatum.

Vtitur etiam articulus hoc nomine Contritionis propter Martinum Lutherum & Philippum, qui docent peccatorem nõ poſſe dolere de peccatis ob Dei offenſam ex eius amore, antequam remiſſum eſt peccatum. Quamlibet autem attritionem aliquando eſſe partem ſacramẽti ex eo probatur, quòd confeſsio ab attrito facta non eſt repetenda, quamuis effectu ſacramenti fruſtretur, & abſolutio quę ei impenditur eſt ſacramentalis, vt docet B. Thom. de informi confeſsione: & poſt eum Capreolus, & latiſsimè Card. Caietanus quæſt. 5. inter additas tertiæ parti B. Thomæ & in ſummula ſua. Nec tamen quælibet attritio ſufficit ad ſuſcipiendum effectum ſacramenti vel remiſsionem peccatorum: quemadmodum certum eſt de attritione cõditionata, quæ oritur ex deſiderio, quo homo vellet placere Deo, & ei reconciliari, in peccatis tamen manens, quamuis verum ſuſcipiat ſacramentum: maximè ſi triſtatur ſe carere perfecto dolore, ſeq; etiam accuſat huius indiſpoſitionis: & etiam de ea, quę ex timore infamiæ vel alicuius mali temporalis proficiſcitur: vt ſi quis deteſtetur peccatũ & proponat cõfiteri ne eijciatur ab eccleſia, vel ne mulcetur pecunia. His enim modis attritus nunquam fit virtute ſacramenti cõtritus, hoc eſt, non accipit gratiam, ſic enim intelligimus ex attrito fieri contritum, gratiã & ſanctificationem conſequi virtute ſacramenti, perinde ac ſi verè eſſet contritus: non autẽ, quòd ineſſe incipiat actus aliquis, qui eſt propriè contritio, ex Dei ſuper omnia dilecti amore procedens. Attritio verò ex timore pœnarum ſupernaturaliũ idonea diſpoſitio eſt ad ſacramentorum baptiſmi & pęnitentiæ gratiam percipiendam: vt cùm quis deteſtatur omnia peccata mortalia, & proptereà cõfitetur, ne per peccatum excludatur à gloria, vel ne in ſupplicium ignis ſempiterni conijciatur: qui etiam ſi cognoſcat ſe non habere contritionem, ſed tantum hanc attritionem, probabilis eſt doctorum ſententia, quòd licitè accedit ad baptiſmi & pœnitentiæ ſacramenta ſuſcipienda: vt docere etiam videtur B. Thomas Nec ratio eius eſt cõtemnenda: quia ſacramenta, inquit, baptiſmi & pœnitentiæ per ſe ordinantur ad præſtandã vitam mortuis: quarè licitè ſumi poſſunt ab his, qui habent conſcientiam peccati mortalis, modo habeant attritionem, qua tollatur obex & complacentia in peccato commiſſo. Sunt enim hæc duo ſacramenta medicinæ paratæ contra morbos animæ: abſurdum autẽ eſſet, quòd nullus, qui ſe ægrum eſſe cognoſcit, iuſtè poſſet hæc ſumere medicamenta: quemadmodum abſurdum eſſet, quod medicinas corporales ad ſanãdos corporis morbos à natura inſtitutas non poſſet ſumere niſi ſanus, aut qui ſe ſanum exiſtimaret. Ideò

Diſtin. 17. 4 ſent art. 4. quæſt. 1.

3. parte q. 79 art. 3. ad 2. & q 80 art. 4. ad 2. & in 4. ſenten. diſtin. 24. q. 1 art. 3. q. 1. ad 3.

beatus Auguſtinus libro de catechizandis rudibus, diſtinguens tria genera hominum ad fidem venientium, tertium dicit eſſe eorum qui metu gehennæ vel æternæ beatitudinis deſiderio fiunt Chriſtiani. Qui autẽ, inquit, propter beatitudinem æternam & perpetuã requiem, quæ poſt hanc vitam ſanctis futura promittitur, vult fieri Chriſtianus, vt non eat in ignem æternum cum diabolo, ſed in regnum æternum intret cum Chriſto, verè ipſe Chriſtianus eſt: cautus in omni tentatione, ne proſperis rebus corrumpatur, & ne frangatur aduerſis: & in abundantia bonorum terrenorum modeſtus & temperans, & in tribulatione fortis & patiens: qui etiam proficiendo perueniet ad talem animum, vt plùs amet dominum, quàm timeat gehennã: vt etiam ſi dicat illi Deus, Vtere delicijs carnalibus ſempiternis, & quantum potes pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, ſed mecum tantummodo non eris, exhorreſcat, & omninò non peccet: non iam ne in illud, quod timebat incidat, ſed ne illum quẽ ſic amat, offendat, in quo vno eſt requies, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quam præparauit Deus diligentibus ſe. Et Rupertus non habita etiam conſideratione ſacramenti, videtur docere huiuſmodi pœnitentiam acceptari à Domino, & impetrare remiſsionem peccatorum. Nam tractans verbum Euangeliſtæ. Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, pęnitentia ductus, retulit triginta argenteos. Vnus, inquit, eſt pœnitentiæ modus, de quo iuſtus & miſericors Deus curare dignetur, videlicet vbi cauſſa pœnitentiam agendi eſt fides futuri ſeculi, metus gehennæ, deſideriumque regni Dei. Huiuſmodi pœnitentiam non ſolum per ſuos nuncios, verùm & maximè per ſemetipſum Deus de cælo veniẽs prędicari curauit, ſic incipiens Euangelium ſuum, Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cælorum. Alius eſt pęnitentiæ modus, vbi cauſſa pœnitentiam agendi eſt amor pręſentis ſeculi, pro qua pœnitentiam agit impius Achab de ſanguine Naboth Iezraëlitæ ſcindens veſtem ſuam, ieiunanſq; ac dormiens in ſacco, & ambulans demiſſo capite. Pro cauſſa hac & Sodomitæ, Tyrij & Sydonij pœnitentiam egiſſent (quemadmodum Dominus dicit) in cinere & cilicio. De huiuſmodi pœnitentia, quoniam ſalutem non operatur, Deus nunquam curaſſe legitur, vt vel per ſemetipſum, vel per nuncios ſuos eã prædicare dignaretur, præterquam quod ad Niniuen ciuitatem magnam, miſit Prophetam Ionam: licet ille nec pœnitentiam ibi prædicauerit, aut prædicare iuſſus fuerit, ſed hoc tantùm, Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur. Quæ ſententia frequens in commentarijs eius. Nam circa cap 3. Ionæ tractãs locum, Surge, vade in Niniuen ciuitatem magnam, quærit quare Dominus non ſolum Niniuitarum, ſed omnium gentium Deus, magis de Niniuitis, quàm de cæteris gẽtibus curauit. Poterat enim fieri vt aliæ quoq; gentes

Cap. 17.

Rupertus.

Matth. 27.

Matth. 4.

3. Reg. 21.

Matth. 11.

Iona 3.

conuerterentur ad pœnitentiam,ſi prædicatores eis miſiſſet Deus:ſicut per ſemetipſum teſtatur de Tyro,Sydone,& Sodomis. Et re-
Math. 11. ſpondens,Si omnis inquit,pœnitentia ad ſalutem ſufficiens eſſet,videri poſſet Deus nolle ſaluos fieri eos,qui erant pœnitentiam acturi, ſi prædicatores ad eos fuiſſent miſsi. Nunc autem nō ita eſt.Ille namq; ſolummodò pœnitentiæ timor ad ſalutem perducit, cum idcirco quis pœnitentiam agit,quia iudicium vniuerſale & cœlorum regnum futurum eſſe credit,à quo excludendi ſunt, & in gehennam mittendi peccatores. Cùm ergo quis idcirco pœnitentiam agit vt mala æterna euadat,& bona conſequatur ſempiterna,fidelis iudicatur,& per fidem agendo pœnitentiam ſaluatur.Nulli ex omnibus, quos ad talem pœnitentiam conuerti poſſe præſciuit, Deus vnquam prædicatores mittere, ſeu notitiā veritatis oſtendere neglexit.Eſt alia pœnitentia ſiue pœnitendi intentio, cū quis propterea pœnitentiam agit, vt præſentia tantum,ſiue præſentis ſæculi mala effugiat,bona retineat,fidem non habens aut curā futurorum bonorum ſiue malorum. Porrò prior ille & melior pœnitentiæ modus, quo propter ipſum Deum & futuri ſeculi fidem de peccato quis compungitur,interdum ſine magno opere ſiue labore in prima cōfeſsio-
2.Reg.12. ne ſuſcipitur. Exempli gratia vt Dauid, qui cùm dixiſſet ad Nathan, Peccaui Domino, ſtatim audiuit, Tranſtulit quoq; Dominus peccatum tuum,non morieris.De attritione verò,quæ procedit à naturali Dei amore ſuper omnia,an ſit diſpoſitio idonea, vt virtute ſacramenti baptiſmi & pœnitentiæ gratia conferatur,certum non eſt.Eſt tamen probabilis multorum opinio,quòd ſufficiat, quia tollit, inquiunt,complacentiā in peccato,& obicem ſacramenti.Intelligunt autē(vt credo)ſi cū fide,ſpe veniæ & propoſito Deo ſeruiendi ſit coniuncta, ſine quibus nulli contingit peccatorum remiſsio. Idem fortaſsis dicerent de odio peccati,quia turpe eſt & cōtra rationem. Imò ſcribunt neoterici quidā doctores ſcholaſtici,quòd quocunq; attritionis genere homo ſit attritus, ſi exiſtimat ſe præſtitiſſe,quod neceſſarium erat,ignoratq; inuincibiliter ſe non habere ſufficientē diſpoſitionem, ſuſcipiet gratiam & peccatorū remiſsionem virtute ſacramenti: quia is,inquiunt,non ponit obicem, ſed bona fide ad ſacramentum accedit. Sacramentum autem in non ponente obicem, ſuos operatur effectus. Qua ratione affirmant omnia ſacramēta ex huiuſmodi attrito reddere contritum.
Cap. 11. Et citāt B.Tho.3.parte,quæſt.79.art.3. Et in comment.ſuper Ioannem,circa illud, Soluite eum. Conſolatoria quidem hæc ſunt, ſed incerta,& ſcripturis ac patrum ſententijs nō ſatis conſentanea,ſi intelligant nullam Dei
Cap. 20. aut offenſæ eius, in diſplicentia hac peccati
2. Corint. 7. habendam eſſe rationem. Nam Apoſt. Paul. in Actis ſolum annunciat pœnitentiam,quę ſecundum Deum eſt.&ad Corinth.Triſtitia, inquit,quæ ſecundum Deum eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: vbi Ambroſ.in comment. Manifeſtum, inquit, eſt, quod qui triſtis eſt,quia peccauit, ſecundum Deum triſtis eſt:dolet enim,quia fecit quod odit Deus: Idem B. Chryſoſt. & Theophyl. *Homil. 4. et 35 in eandē epiſtolam.*
Nam ne homo quidem iuſtus placaretur, cū is,qui læſit,nullam ipſius in dolore habet rationem,nec ab eo in amicitiam reciperetur, qui iacturam propriam ſentit & dolet, non amici offenſionem.Et paſsim requirunt ſcripturę,quod pœnitentes conuertamur ad Dominum:Conuertimini,inquit Propheta Ioel,in toto corde veſtro.Et apud Ezechielem, *Cap.2. Cap.18.*
Conuertimini, & agite pœnitentiam.Vbiq; ratio finiſque pœnitentiæ Deus ipſe præſcribitur.Oportet igitur cum attritione,quæ fit ob metum ſupplicij,& multò magis, quæ fit ex conſideratione luminis naturalis, aliam affectus mutationem coniūctam eſſe: vt ſcilicet rationes ob quas dictis modis de peccatis dolemus,moueant ad altiorem conſiderationem, mentiſque ad Deum etiam affectionem.Fieri tamen poteſt,quod huiuſmodi rationes ſint fines propter quos de peccatis dolemus,fines ſcilicet doloris: & alia ſit ratio ſecundum quam peccatum conſideratur, de quo dolemus,prout doloris aut pœnitentiæ eſt obiectum.Iuſta enim eſt cauſa de peccatis dolendi,quia per ea rei facti ſumus æternæ damnationis & perdidimus hæreditatem æternam:imo & ſecundum quam peccata con- *In pœnitētia ſalutari concurrere debet Deus.*
ſiderentur, vt de ipſis doleamus:concurrere tamen debet & mouere etiam Deus ipſe, vt ſecundum eum ſit triſtitia atque pœnitentia ſalutaris.Quando autem obijcitur,Sacramenta effectus ſuos operari, vbi nullum in- *Obiectionis dilutio.*
ueniunt obicem peccati mortalis.Reſpondetur quòd non tantùm mortale peccatum impedit effectus ſacramentorum, ſed & defectus diſpoſitionis quam requirunt. Nunquā *Non tantum mortale peccatum impedit ſacramētorum effectus.*
enim virtute baptiſmi fiet regeneratio vel peccatorum remiſsio ei,quem non pœnitet peccatorum ſuorum,quamuis etiam hoc fiat ſine culpa eius, qui baptiſmum ſuſcipit: Et in ſacramento pœnitentiæ,qui non dolet de peccatis ſuis, non ſolùm effectu ſacramenti fruſtratur, verum etiam ipſo ſacramento,licet inculpabiliter atq; ignorantia inuincibili hoc contingat.Et ideò verum non eſt generaliter,quòd inuincibiliter ignorās ſe indiſpoſitum ſuſcipit effectum ſacramenti. Nec etiam neceſſarium eſt, quod dolentes de peccatis ſecundum prædictos modos attritionis, virtute ſacramenti gratiam ſuſcipiant, vt ſaluari poſsit, quòd baptiſmus & pœnitentia ſint in remiſsionem peccatorum, non ſolo voto,ſed etiā reipſa ſuſcepta: quia multæ ſunt hominis affectiones ſecundum quas Deus eſt cauſſa doloris,quæ tamen ſine ſacramento non ſufficiunt ad peccatorum remiſſionem: vt ſi peccator Deo illuminante cognoſcat ſe multis modis Domini ſui mandata tranſgreſſum,patremque offendiſſe,& de eo dolens cupit ſe emendare, eiuſque poſthac facere voluntatem, & ſuam agnoſcens infirmitatem,metuit quòd nec Deum, vt oportet,

ter, diligat, nec eius mandata implere poterit, niſi remiſsis peccatis, atq; ſpiritu ſancto accepto, & vt iſta obtineat, ſubijcit ſe ſacerdoti & abſoluitur: Nihil hic dubitandum eſt, quin iſte virtute ſacramenti peccatorum conſequatur remiſsionem: imò quandocunque eſt dolor de Dei offenſa coniunctus cum propoſito emendandi, & viuendi ſecundum leges Chriſti, ſuos effectus, ſi non eſt obex, operatur ſacramentum: Nec tamen hæc mentis diſpoſitio per ſe ad hoc ſufficit, cùm nondum ſit cor plenè contritum, propter Deum tanquam vltimum finē, & ſuper omnia dilectum. Et quamuis huiuſmodi animi diſpoſitio compatiatur voluntatem mortaliter culpabilem, ex ignorantia vincibili, quæ nō excuſet, ac tum ab effectu ſuo ſacramentum impediatur, habet tamen effectus ſuos, ſi nullū adeſt huiuſmodi mortalis peccati impedimē-

Baptiſmus et pœnitentia primam gratiam confe. runt.

tum. Nam certiſsimum haberi debet, quod ſicut ſacramentū Baptiſmi, ita & pœnitentię plerunq; primam gratiam conferat, atq; remittat peccata. Hoc enim ſatis docuimus ſuperius ex ſcripturis & patrum ſententijs. Et ſecundum ſacros canones reus eſt animarum, qui morientibus abnegat pœnitentiā: vt aſſerunt Iulius Papa & Cœleſtinus, quemadmodum citat Gratianus 26. quæſt. 6. Quis enim crederet poteſtatem retinendi reos aliquos in carcere, aut etiā inde ſoluendi, eſſe in rectore ciuitatis, ſi nunquam aliquem eripere à carcere poteſt: ſed, qđ durius eſt, ipſi ſe vincti & compediti, eo repugnāte, & à carcere, & à compedibus queunt liberare? Mirum ſi ſacerdotes clauem habeant regni cœlorum, quòd nulli ipſum aperire poſsint? Neque ſine manifeſto periculo ſacrilegæ falſitatis dici & intelligi queunt iſta verba, Abſoluo te à peccatis, in hunc ſenſum, oſtendo te à peccatis abſolutum: quandoquidem neque Deo, neque eccleſię, neque ipſis pœnitētibus, neque ſibimet oſtendunt ſacerdotes peccatores eſſe abſolutos: quia etiam ipſis de eo nihil conſtare poteſt. Et ſi intelligatur, Quorū remiſeritis peccata, habere ſenſum, Quorum declaraueritis eſſe remiſſa, ex conſequentia ſermonis cùm dicitur, Remittuntur eis in cœlis, intelligitur, Remiſſa declarantur, quod abſurdum eſt. Non igitur requiritur amor Dei ſuper omnia & tanquam finis vltimi, vt diſpoſitio neceſſaria in ſacramento baptiſmi, nec etiam pœnitentiæ: ſed talis ſufficit, ſecundum quem Deus ſit cauſſa triſtitiæ vel pœnitentiæ. Quod autem dictū eſt ſuperius, quemlibet modum attritionis etiam vſurariorum & cōcubinariorum permanentium in peccatis ſuis ſatis eſſe, vt ſaluetur ratio ſacramenti, non omninò certum

Epiſt. 2. ad epiſcopos Galliarū ca. Si presbyteri, & cap. Agnouimus.

Quem affectum in contritione Deus non deſpiciat.

Quodl. 7. ar. 3 & quodl. 5 art. 3.

eſt, quamuis ea videatur eſſe ſententia B. Thomæ, loco ſupra citato. Affectus autem contritionis, quem Deus deſpicere non poteſt, eſt odium peccati ſuper omnia odibilia, propter Deum tanquam finem vltimum in quem omnia referuntur amatum. vt docet ſanctiſſimus Dominus Adrianus, in quodlibetis, qui etiam eodem loco tractat, an talis affectus etiam ſit omne odium peccati, propter Deum ſuper omnia appreciatiuè dilectum, ſed non vt finem in quem omnia referuntur: At huius rei prolixiorem tractatum non requirit præſens articulus.

EST autem contritio, ſine qua non remittitur peccatum: formalis diſplicentia, odium ſiue dolor de peccatis. Nec Dei dilectio ſine huiuſmodi diſplicentia ſufficit, quamuis eam virtualiter contineat: vt docet B. Thomas. Et paſsim ſcripturæ ſacræ hortantes ad pœnitentiam non patiuntur expoſitionem de pœnitentia virtuali ſiue dilectione. Pleræq; etiam meminerunt effectuum doloris: vt hoc loco, Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio & fletu, & planctu. Nam odium peccati eſt vltima diſpoſitio ad eius remiſsionem: propter quod etiam principaliter remittitur peccatum. Et actus pœnitentiæ ſiue peccati odium, nō ſolum à Deo eſt præceptum, ſed & ordinatum tanquam medium neceſſarium, ſine quo remiſsio peccatorum haberi non poteſt, niſi eorum, quorum penitus ſumus obliti. Hæc latè proſequitur & probat Reuerendus pater Dominicus a Soto. An martyrium hanc pœnitentiā ſuppleat, ambiguum eſt, probabilius tamen, vt docet Alexander de Hales, quòd in martyre neceſſaria eſt formalis pœnitentia ſiue dolor de peccatis, ſine quo martyrium eius, qui mortaliter peccauit, Deo non placeret. Ordinatè enim mouet Deus hominum affectus ad ſe diligēdum, & pro nomine ſuo moriendum, ac prius ſuggerit peccata & afficit ad eorum odium atq; diſplicentiam.

3. parte, q. 87. art. 1.

Iohel. 2.

Lib. 2. de natura & gratia. cap. 16.

Par. 4. q. 57. membro 7. & 8.

Eſt autem contritio verius odiū & peccati diſplicentia, quàm dolor, qui propriè pertinet iuxta beatū Auguſtinum ad partem ſenſitiuam, ſicut triſtitia ad animum. Quare dolor & triſtitia ſi propriè accipiantur, verius contritionem ſequuntur, quàm ſint ipſa contritio. Atque per Dei offenſam in articulo intelligitur omnis ratio ſecundū quam Deus eſt triſtitiæ cauſſa. De peccato enim admiſſo, primo dolendum eſt, quia contra Deum eſt. Nam in omni mortali peccato, inquantum in ipſo eſt auerſio a Deo fine vltimo, refutamus ipſo facto, etiamſi non affectu, eum habere pro vltimo fine: & pro noſtro Domino ac Deo: vt declarat Cardinalis Caietanus in ſummula in verbo confeſsio, conditione 12. Me dereliquerunt, ait Dominus Hierem. 2. fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſsipatas, quę continere non valeant aquas: Et infra, Dereliquiſti Dominum Deum tuū. Deinde de peccato dolemus, quia cōtra pręceptum, contra legem & obedientiam Dei eſt: quia contra charitatem, religionem, & cultum ei debitum: quia contra patrem & benefactorem: quia turpe eſt ſic egiſſe in conſpectu Dei & ſanctorum Angelorum. Omnes hæ rationes de peccato dolendi, & aliæ, quæ Deum reſpiciunt, hic nomine offenſæ Dei intelliguntur. Intelligitur etiam attritio, ſecundum quod includit propoſitū confitendi & ſatisfaciendi tanquam media per

Lib. 14. de ciuitate c. 15

Qua ratione de peccatis dolendum.

quæ peccatum remittitur. Intelligitur denique omnis dolor, qui facit aliquo modo voluntariam eſſe confeſsionem & ſatisfactionem. Hoc enim dolore præcedēte verum eſt ſacramentum, ſi alia concurrant: & ſecundū ſententiam B. Thomæ, effectum habet fictione recedente: nec iteranda creditur huiuſmodi confeſsio. De quo Petrus de Palude, Et ſanctiſsimus dominus Adrianus in quæſtio. de Abſolutione data ficto, & Cancellarius Pariſienſis 2. parte. Deſcribitur enim hic contritio, vt eſt pars ſacramēti perfecta, vt ſimul eſſe poſsit vltima ad gratiam diſpoſitio, & vt alia peccati odia imperfecta comprehendit. Intelligitur autem nomine offenſæ, non ira Dei vel voluntas vindicandi, ſed indignatio, quæ opponitur amori, quo nos quaſi filios & amicos ſpecialiter deligit ad paternam ſuam hæreditatem: cuius effectus eſt gratia gratum faciens, ſecundum quam quaſi filios & hæredes nos complectitur. Nam quia vult vindicare propterea quod offenſus eſt, & offenſus, quia contra eū eiusq; mandata egimus, non poteſt in Deo idem ſecundum rationem eſſe offenſa, & ira ſiue voluntas vindicandi. Ratio enim offenſæ ex eo ſequitur, quòd contra ipſum, ipſiusq; legē peccauimus. Et quia peccatum eſt aliquid admiſſum contra legem Dei æternā, idem eſt dolere de peccato, & de eo, quod contra Dei legem fecimus. Quod autem alia ſit ratio offenſæ, alia iræ ſiue voluntatis vindicandi, docēt B. Thomas & Capreolus. Propriè enim quis dicitur offenſus, quia paſſus eſt, quod malum eſt & ei diſplicens, atque hoc reſpectu pœnitens potiſsimum de peccatis dolet.

Diſtinct. 17. quarti ſent. queſt. 8. Alphab. 34.

In Deo non ſunt idem offenſa & ira ſiue vindicandi voluntas.

De veritate q. 28. arti. 2. diſtinct. 17. 4. q. 1.

SVſcipitur hic dolor non proprijs naturæ viribus, ſed gratia Dei excitante, præueniente & illuminante, ac voluntatem mouente. Nam vt dicit B. Ambr. Negauit primò Petrus, & non fleuit, quia non reſpexerat Dominus: Negauit ſecundò, nec tunc fleuit: negauit tertiò, reſpexit Ieſus, & ille amariſſimè fleuit. Reſpice, ait, Domine Ieſu, vt ſciamus noſtrum deflere peccatum, lauare delictum. Et B. Auguſtinus de fide ad Petrum, Firmiſsimè, inquit, tene: neminem hic poſſe pœnitentiam agere, niſi quem Deus illuminauerit, & gratuita ſua miſeratione conuerterit. Id quod & certa ratio docet & confirmat autoritas, ait B. Bernardus, & Apoſtol. Paulus, Bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Suſcipitur autem ſimul ſpes veniæ ex fide in propitiatorem Ieſum, quæ plerunque ſequuntur dolorem de peccatis. Et quia contritio iſta eſt pars ſacramenti pœnitentiæ, reſpicit reliquas ſacramenti partes, & virtualiter includit, atque etiam imperat propoſitum confitendi & ſatisfaciēdi. Propter quod requirit diſcuſsionem & conſcientiæ examinationem, vt plena fiat peccatorum confeſſio. Imò nec perfectè confiteri poſſumus de omnibus & ſingulis peccatis coram Deo, niſi facta huiuſmodi diſcuſsione, & recollectione peccatorum atque grauitatis eorum conſideratione.

In commen. ſuper Lucā de Petri negatione.

Cap. 31.

Sermone 1. in feſto Pentecoſtes.

Rom. 2.

PErnicioſa eſt doctrina, quòd contritio eſt terror conſcientiæ propter apprehenſum gehennæ ſupplicium, eò quod excludat verum modum pœnitendi & conterendi, & falſum inducat, qui eſt in terrorib⁹ iſtis & fide apprehendente, vt articulo præcedenti dictum eſt: cùm tamen à catholico more pœnitendi, quem articulus explicat, pendeat omnis ſalus peccatorum. Similiter pernicioſa eſt doctrina, qua aſſerunt, etiam hos terrores eſſe partem pœnitentię nullo habito reſpectu confeſsionis & ſatisfactionis, quodq; eſt immediata & vltima diſpoſitio, vt fide accedente iuſtificemur. Quæ omnia erronea ſunt & pernicioſa. Nec enim poſsūt terrores iſti eſſe contritio, quam Deus deſpicere non poteſt, cùm his terroribus affectum Deus plerunque deſpiciat. Nam eſſe poſſunt in deſperante ſine fide & ſpe veniæ: imò ſecundum aduerſarios in deſperationem ducunt, niſi acceſſerit fides. Si tamen quis conſideratione peccati ſui & iræ Dei, velit ſe ſubmittere correctioni & clauibus eccleſiæ, vitam emendare inſtituens, videtur hic ſufficienter præparatus, vt virtute ſacramenti ei peccata remittantur. Nec oportet, quod iſte dolor peccati & terrores ex immoderato ſui amore proficiſcantur: quia ſicut quædā ſunt honeſta, & appetibilia ſecundum ſe: vt virtus, honor, ſanitas & vita: ita quædam ſecundum ſe ſunt fugibilia: quale eſt peccatum & ſupplicium gehennæ.

Et ideo hic metus, qui adducit dolorem de peccatis, præparat ad veram pęnitentiam, per quam peccata remittuntur. Docet enim Beatus Auguſtinus rariſsime accidere, imò ferè nunquam, vt quiſquam velit fieri Chriſtianus, qui non ſit aliquo timore Dei percullus. De ipſa quippe ſeueritate Dei, qua corda mortalium ſaluberrimo timore quatiūtur: charitas, inquit, ędificanda eſt, vt ab eo quem timet, amari ſe gaudens, eum redamare audeat, eiusque in ſe dilectioni, etiam ſi impunè poſſet, diſplicere tamen vereatur. Et Ioannes Baptiſta ab huius timoris incuſsione exorſus eſt ſuam pœnitentiæ prædicationem, Progenies, inquit, viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira? Iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Et Dominus. Putatis inquit, quòd hi Galilæi præ omnibus Galilęis peccatores fuerint, quia talia paſsi sūt? Non dico vobis: ſed niſi pœnitentiā habueritis omnes ſimiliter peribitis. Et B. Auguſtinus, Si nullus eſt timor, inquit, nō eſt qua intret charitas. Sicut videmus per ſetam introduci linum, quādo aliquid ſuitur: ſeta priùs intrat: ſed niſi exeat, non ſuccedit linum: ſic timor primo occupat mentem, non autē ibi remanet, quia ideò intrauit, vt introduceret charitatem. Et poſt pauca, Stimulat timor, Noli timere, intrat charitas, quæ ſanat, quod vulnerat timor. Timor Dei ſic vulnerat, quomodo medici ferramentum putredinem tollit, & quaſi videtur vulnus augere. Ecce putredo

Lib. 1. de catechizandis rudibus c. 5.

Timor principium dilectionis.

Matth. 3.

Luc. 13.

Tract. 9 in epiſt. 1. Ioan. Apoſtoli.

Aptiſsima comparatio Auguſtini.

tredo quando erat in corpore, minus erat vulnus, ſed periculoſum: accedit ferramentum medici, minus dolebat quàm dolet modò quum ſecatur: plus dolet cùm curatur, ſed ideo plus dolet accedente medicina, vt nunquam doleat ſuccedēte ſalute. Occupet ergo cor tuum timore, & inducta charitate ſuccedat cicatrix ferramenti medici. Dicit enim ſcriptura, Qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari. Opus ergo vt intret timor primò, per quem veniat charitas. Timor medicamentum eſt: charitas ſanitas. Eundum ordinem tradit B. Gregorius lib. 6. epiſtolarum ad Theotiſtā & Andream. Duo, inquit, ſunt compunctionis genera: vnum: quod æternas pœnas metuit, aliud quod cœleſtibus præmijs ſuſpirat: quia Deum ſitiens anima prius timore cōpungitur, poſt amore. Antè enim ſemetipſam in lachrymis afficit, quia dum malorum ſuorum recolit, pro his perpeti ſupplicia æterna pertimeſcit. Quę prolixè ibi proſequitur. Dum enim peccator gehēnam conſiderat cum grauiſsima eius pœna, quam maximè odit, deinde Deum, qui poteſt & decreuit peccatoribus eam infligere, graui cōcutitur timore: ad quem etiam ipſe Dominus nos inuitat, dum dicit, Eum timete qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam. Hoc itaque timore percuſſus progreditur ad peccatorum ſuorum conſiderationem, propter quæ grauiſsimo huic ſupplicio eſt obnoxius: agnoſcit quanta ſit eorum grauitas, quanta fœditas, quanta etiam enormitas, quæ tale merentur ſupplicium, Ex his conſiderationibus eò tandem peruenit, vt abſolutè & ſimpliciter ſic fugiat peccatum, vt iam non ſolum ſe ab opere peccati cohibeat: ſicut fit per timorē mundanum & humanum: ſed etiam peccandi in eo moriatur voluntas, adeò quidem vt etſi iam nullā pœnam fore infligendam ſciret, nunquam tamen peccare vellet: quoniam iam peccati enormitatem, quod Deo ſanctiſq; eius angelis ſpectantibus perpetrauit, plenè agnoſcit. De huius timoris vtilitate B. Ambros. docet ſermone 15. circa verſiculum, Cōfige timore tuo carnes meas. Carnes, inquit, animæ ſunt carnales cogitationes, quas configit timor Domini & iudiciorum eius. Eſt enim in conuerſione impij primum principium Dei operatio commonentis, & cor conuertentis: ſecundum illud, Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. Deinde actus fidei, ac timor ſuppliciorum ex fide conceptus: poſtea motus ſpei de conſequenda venia, quem ſequitur propoſitum emendandi. Poſtremò actus charitatis, quo peccatum diſplicet propter ſeipſum, & non propter ſupplicia tantū. Primus igitur motus affectus in pœnitente regulariter eſt timor ſuppliciorum gehennæ: quo ſolo homines duri & peccatis conſueti ad pœnitentiam mouentur, ſicut patet ex ſententia Aug. paulò ſuperius citata.

Eccleſi.1. *Epiſtola 187* *Epiſtol.187.* *Duobus modis peccator cōpungitur.* *Matth. 10.* *In pſal. 118.* *Thren. vlt.* *B. Thomas 3. part q. 85. art. 5.*

Nec terrore ſolo aut metu gehennæ ad veram animi contritionem pręparamur, ſed & diſcuſsione atq; conſcientię examine & grauitatiſpeccatorum, quæ commiſimus, conſideratione. Quam formam ac pœnitendi ordinem vniuerſi patres, Chriſti & Ioannis Baptiſtę exemplo, ſequuntur, quando ad pœnitentiam peccatores inuitant. Ita B. Amb. ad corruptam quandam ſcribens ait, Secundum conſcientiæ molem exhibēda eſt pœnitentiæ magnitudo. Pœnitentia ergo non verbis agenda eſt, ſed & actu. Hæc autem ſic agitur: Si tibi ante oculos ponas, de quanta gratia rueris, de quo libro vitę nomen tuum deletum ſit, & ſi te iam credas prope ipſas poſitam tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum & ſtridor dentium ſine fine. Cùm hoc certa fide, ſicut eſt, animo conceperis, quia neceſſe eſt præuaricatricē animam tartareis pœnis & gehennæ ignibus tradi, nec aliud remedium conſtitutum eſſe poſt baptiſmum, quàm pœnitentiæ ſolatium: quantamuis afflictionem, quantumuis laborem ſubire eſto contenta, dummodo ab ęternalibus pœnis libereris. Quam ſententiam ibidem proſequitur & B. Bernard. Tempus, inquit, in tria diuiditur: in præteritum, in pręſens, in futurum. Horum nullum perdit quiſquis rectè pœnitet. Nam præteritum quod perdiderat, reſtaurat dū in amaritudine animæ ſuæ omnes annos ſuos recogitat. Et ſuper Cātica docet vnguentum contritionis conficiendum eſſe ex recogitatione omnium peccatorum, quodque anima peccatrix primordia conuerſionis hoc vnguento condire debeat: Ac B. Chryſoſt. de compunctione cordis, Quid inquit, corporis viribus opus eſt, cùm cor conterere debeamus? Hoc ſolum eſt quod a nobis expoſcitur, vt ſemper recordemur mala noſtra, & conſcientiam geſtorum noſtrorum habeamus ante oculos, vt pro his ſupplicemus Deo, vt gehennam ponamus in conſpectibus noſtris, & angelos qui in die iudicij vbique diſcurrunt, & congregant de omni orbe terrarum eos qui trudendi ſunt in gehennam ignis. Atque in ſermone de pœnitentia & confeſsione, docet ſigillatim & ſpecialiter recolligenda & lugenda peccata. Agnoſcere enim debet peccator pœnitens quid & quantum debeat Domino ſuo, & quantum malum per peccatum incurrerit. Leua, inquit Propheta, oculos tuos, & vide vbi nunc proſtrata ſis: Scito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum pręuaricata es: Scito & vide, quia amarum & malū eſt reliquiſſe Dominum Deum tuum. Certa & indubitata hæc ſunt apud catholicos ex ſcripturis ſacris & omnium patrum conſenſione, quorum ſententias ſimul & ſcripturas citat reuerendiſsimus Dominus ac fortis Chriſti martyr Ioannes epiſcopus Roffenſis circa articulum quintum & ſextum Lutheranæ aſſertionis: diligenter etiā tractatur à V. patre Alphonſ. de Caſt. ac clariſsimis huius noſtrę facultatis magiſtris, Ioan. Driedone a Turnhout lib. de redēptione generis humani, & Magiſtro Iacobo Latomo in ratione cōdemnationis articulorū doctrinę fratris Martini Lutheri per theologos Louanienſes.

Cap. 8. *Pulcherrimus pœnitendi modus.* *In ſententijs* *Sermone 1.* *Hierem. 3.* *Hierem. 2.* *Lib. de hæreſibus.*

POſt hæc paucis dicamus in quibus ab hoc articulo aduerſarij diſſentiant. Docet autem primum Mart. Luth. quòd pœnitentia non conſiſtit in dolore ſiue odio pecati, ſed in emédatione vitæ. Optima, inquit, pœnitentia noua vita. Nec cócipitur ex timore & metu ſupplicij, nec paratur per diſculsionem, collectionem & deteſtationem peccatorum, Ait enim:

Lutherus in ſermone de pænitentia.

Contritio (ſic enim cœpit vocari vera pœnitentia interior) duplici via paratur, primò per diſcuſſionem, collectionem, deteſtationẽ peccatorũ, qua quis, vt dicunt, recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorũ ſuorũ grauitatem, damnũ, fœditatem, multitudinem: deinde amiſſionem æternæ beatitudinis ac æternæ damnationis acquiſitionem, & alia quæ poſſunt triſtitiã ac dolorem excitare. Hæc autem triſtitia facit hypocritam. imò magis peccatorem: quia ſolum timore præcepti & dolore id facit &, tales omnes indignè abſoluuntur & communicantur.

Reſponſio.

Perniciosã eſſe hanc doctrinam, & ſcripturis ac patribus repugnantem iam in articuli explicatione oſtẽdimus. Omnia eni hæc fieri debent, vt quaſi rationem Domino ſuo iam redditurus intelligat quàm multa talenta ei debeat, quàm malum ſit reliquiſſe Dominum ſuum, quanta hinc ſecuta ſit iactura, vt ſuam agnoſcat ſtultitiam, & de ſe vlciſcatur ſecundum peccatorum multitudinẽ ac enormitatem. De hac actione pœnitentiæ ait B. Auguſt. Aſcendat homo aduerſus ſe tribunal mentis ſuę, ſi timet illud quòd oportet nos exhibere ante tribunal Chriſti, vt illud recipiat vnuſquiſq; quod per corpus geſſit: conſtituat ſe ante faciem ſuam, ne hoc ei poſtea fiat. Nam minatur Deus peccatori, dicens, Arguã te, & ſtatuam te ante faciẽ tuam: atq; ita cóſtituto in corde iudicio, adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, carnifex timor. Inde quidem ſanguis animæ confitentis per lacrymas profluat. Maiorẽ hic quiſq; in ſe ſeueritatẽ debet exercere, vt à ſeipſo iudicatus, non iudicetur à Deo: ſicut Apoſt. ait, Si nos iudicaremus, a Domino non iudicaremur. Et cum pœna potiſsimum in triſtitia & dolore conſiſtat, vlciſcens aduerſum ſe peccata, illa maximè recogitare debet, quæ poſſunt triſtitiam & dolorem excitare. Faciunt etiam hæc omnia iam recogitata peccati horrorem, vt quaſi à facie colubri fugiamus peccata, iuxta conſilium Eccleſiaſtici, eandem ſubdẽtis rationẽ quam improbat Martinus: Si acceſſeris, ait, ad illa, ſuſcipient te dentes leonis, dentes eius, interficientes animas hominum: Quaſi romphea bis acuta hominis iniquitas: Plagæ illius non eſt ſanitas. Nihil hic mali eſt in tota iſta peccatorum diſcuſsione & annorum recogitatione, ſi fiant vt peccatũ magis ordiamus & deteſtemur, ac triſtitia nos affligamus, & quaſi iudices in hac cauſa propria à Deo conſtituti, plenam cauſæ accipiamus cognitionẽ, & ſeuerã, deinde iuxta cauſæ qualitatẽ proferamus ſententiam ſecundũ ea quæ ex Auguſtino citauimus. Et. B

Li. 50. hom. homi. vltim quæ eſt de vtilitate ac neceſſitate pænitentiæ cap 9.

1. Corint. 5.

Pſalm. 49.

1. Cor. 11.

Cap. 12.

In annorũ recogitatione, nihil vituperio dignum.

Cyprianus hortatur, vt quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus: vt pœnitentia crimine minor nó ſit: Alto, inquit, vulneri diligens & longa medicina non deſit. Ac B. Ambro. vt ſuperius citauimus, dicit, quòd ſecundum conſcientiæ molem exhibẽda eſt pœnitentiæ magnitudo. Scriptura quoque ait, Anima quæ triſtis eſt ſuper magnitudine mali, & incedit curua & infirma, & oculi deficientes & anima eſuriens, dat tibi gloriam & iuſtitiam Domino. Nam abſurdum eſt auribus hominis Chriſtiani, quòd non amplius diſplicere debeat inceſtus cum nouerca admiſſus, quàm ſimplex fornicatio: decem homicidia & adulteria, quam vnicum, quodque non amplius triſtari debeamus de vno crimine quam de alio, de pluribus quam de vno: Quæ fieri non poſſunt niſi horum conſideratione, quę à Martino improbantur. Et teſte Saluatore, Is cui minus dimittitur, minus diligit. Oportet igitur cognoſcere quantum à Domino nobis dimittatur. Et ſi ex iſta recogitatione peccata diſplicere incipiant, ac propterea aliam vitam emendatiorem meditantes, accedamus ſacerdotem, vt ſecundũ eius arbitrium ſatisfaciamus, & vitam emendem⁹, nihil agitur quod probari nõ debeat. Nec vlla eſt cauſa ob quam indignè abſoluamur & communicemur. Quapropter pernicioſa & peſtilens eſt doctrina hæc Martini, quòd hypocritam hæc faciunt, hoc eſt apparere quòd verè cum vitæ prioris pæniteat, qui tamen non verè dolet, ſed peccet magis, maiorque fiat peccator. Nam hypocriſis eſt mendax ſimulatio & oſtentatio ſanctitatis: qui autem colligit & recogitat peccata, enormitatem & multitudinem eorum, hæc facit vt cognoſcat quantũ Deũ offenderit, & culpã agnoſcẽs cófiteatur, & à ſacerdote abſoluatur, condignã emendã libenter ſuſceptur⁹: Et ideo cũ fructu ſacramẽtũ hoc ſuſcipit, & ſacram euchariſtiã ad vitã mãducat. Et ratio quã addit, Quia ſolo timore & dolore damni id facit, infirma eſt. Fieri enim poteſt, quòd tranſgreſsio præcepti & damnũ quod metuit, quaſi calcaria ſtimulent & inducãt ad odium peccati propter Dei offenſam: quemadmodum dicit Eſaias Propheta, A timore tuo Domine cócepimus, & quaſi parturiuimus & peperimus ſpiritũ ſalutis, per pœnitẽtiã ſcilicet ſalutarem. Et B. Auguſtinus dicit quòd timor inducit charitatem, ſicut ſeta linum. Hoc enim peculiare eſt metui gehennę, quòd à caducis conuertat ad Deum præ timore humano & mundano. Ac Dominus ipſe in lege temporalia etiam bona, Leuitici 26. & Deutero. 28. promittit obſeruatoribus legis, trangreſſoribus autem mala: non quòd propterea legem obſeruent, prouocentur tamen ad eius obſeruationem, quam commoda etiam temporalia intelligunt ſequutura. Nã apud Eſaiã dicit Dominus, Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos. Et apud Hieremiam, Scito quia malum & amarum

Sermone de lapſis.

Ad virginẽ corruptam.

Baruch 2.

Lucæ 7.

Qui à catholicis dicitur pænitens, nõ eſt hypocrita.

Cap. 29.

Gehennæ potiſsimũ metus cõuertit à caducis ad Deũ. non ita alij metus.

eſt reli-

Quomodo in veteri lege ſint bona tē-poralia à Deo promiſſa. *Cap. 1.* *Cap. 2.*

eſt reliquiſſe Dominum. Nec tamen Deo diſplicet quòd conteramur vt ſupplicium gehēnæ effugiamus, & damna quæ peccando paſsi ſum⁹ reſarciamus, aut vt beatitudinem æternam conſequamur. Sunt enim legitimi iſti fines ob quos peccatum odiſſe poſſum⁹. Nec Deo diſplicet quòd obediamus præcepto, ne eius ſimus tranſgreſſores, ac tranſgreſsionis incuramus reatum. Addit Martinus.

Lutherus.

Et ſi liberè deberent, remoto præcepto & minis pœnarum, confiteri, certè dicerent ſibi non diſplicere vitam præteritam, quam ſic coguntur diſplicere confiteri. imò quo magis timore pœnæ & dolore damni ſic conuertuntur, eo magis peccant & afficiuntur ſuis peccatis quæ coguntur, non aūt volunt, odiſſe. Si quidem lex & cognitio peccati magis abundare facit peccatum: vt Apoſtolus ait ad Romanos 5. Et hæc eſt illa contritio quam ipſi vocant extra charitatem, non meritoriam. Alij vocant attritionem diſponentem ad contritionem. Sic enim ipſi opinantur: quam opinionem errorē ego iudico.

Reſponſio.

Peccatum modis ſuperius dictis excuſſum atque examinatum, verè cognoſcitur eſſe magnum malum, & in ſe, & in ſuis peſsimis effectibus. Propter quod ſeriò & verè diſplicet vita præterita, & ob hoc maximè, quòd Deum benignum & miſericordem patrem per ipſum offendimus. Ad hoc enim tendit tota conſcientię diſcuſsio & recogitatio: Ac propterea ſic contritus liberè & verè confiteretur, remoto etiam præcepto confitendi & minis pœnarum, quòd verè & ex animo vita præterita ſibi diſplicet. Nec cogitur confiteri quòd ſibi diſpliceat, ſed verè & ex animo odiſſe vult, propter magnā malitiam & iniquitatem, quam videt in præcepti diuini præuaricatione. Primum quidem ob mala quæ ſequuntur, deinde quia cognoſcit malum eſſe, reliquiſſe Dominum fontem aquæ viuę. Et falſum eſt ꝙ eò magis peccemus, quò magis timore pœnæ & dolore damni conterimur, propterea quod timor pœnæ non eſt ex genere malus, maximè infernalis: Nec dolor damni beatitudinis æternæ, ad quam totam etiam noſtram vitam ordinare hortatur Apoſtolus Paulus, Sic, inquit, currite, vt comprehendatis. Dupliciter enim contingit timere ſupplicium gehennæ. Primò tanquam principale malum, ita vt bonum cui contrariatur, ametur tāquam finis vltimus: ſecundò non tanquam principale malum, ſed vt bonum oppoſitum in Deum tanquam in finem ordinetur. Quomodo præcipit Dominus vt ipſum timeamus, eiusq; metu in mandatis eius ambulemus. Nam initium ſapientiæ timor Domini: Et, Qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari. Et, Timor Domini expellit peccatum. Et, In timore Domini declinatur à malo. Et, Si non in timore Domini tenueris te, cito ſubuertetur domus tua. Oſtēdit autem beatus Auguſtinus, quòd valde vtiles ſunt leges pœnales etiam imperatorum. Apoſtolus autem dicens legem facere magis abundare peccatum, vult quod grauius peccet faciens malum poſt legem acceptam: quia qui prius ſolum erat peccator lege data ſit etiam tranſgreſſor: non autem, quòd ab illicito abſtinens metu pœnæ vel legis, aut bonum faciens magis peccet, quàm qui à malo non abſtinet, aut bonum nō facit. Metus etiam gehennæ non ſolum ab opere coercet, ſed & malam voluntatem viuere non ſinit.

Variis de cauſis verè pœnitens peccata confitetur nō propter præceptum aut pœnarū comminationem.

2. Corint. 9. *Duobus modis gehennæ ſupplicium timetur.* *Pſalm. 110.* *Eccle. 1.* *Prouerb. 16.* *Eccle. 27.* *Epiſtola ad Vincentium quæ eſt 47.* *Rom. 5.*

Metus gehēnæ malā voluntatē tollit.

Lutherus.

Secundò paratur contritio per intuitum & contemplationem ſpecioſiſsimæ iuſtitiæ, quam quis in pulchritudine & ſpecie iuſtitiæ meditatus in ea exardeſcit, & rapitur, incipitq; cum Salomone fieri amator ſapientiæ, cuius pulchritudinem viderat. Hæc facit verè pœnitentem, quia amore iuſtitiæ id facit: & hi ſunt digni abſolutione. Exempli gratia, Si vis pœnitere de luxuria, non incipias numerare vitia, fœditates & damna eius. Nam hæc non diu tibi durabunt, cum ſit violenta contritio ex vi præcepti facta, Sed intende in ſpeciem caſtitatis, atque ad commoda eius pulcherrima, vt ipſa tibi intimè placeat. Sic de omnibus alijs virtutibus. Dupliciter autem fit intuitus iſte virtutum: abſtractiuè ſeu per ſe: & ſic carnalem hominem parum mouet, quomodo traditur per verbum prædicationis. Sic enim non niſi ſpeculatiuè videtur. Concretiuè ſiue per aliud, hoc eſt exempli gratia, Vt intuearis homines, qui tali virtute lucent: quorum omnium ſpeculum primum eſt Chriſtus, deinde ſancti in cœlo. Verùm rudem & inſipientem maximè mouent exempla præſentia, & ſui ſeculi.

Duplex intuitus virtutum.

Reſponſio.

Errat hic Martinus, non ſolum in ratione veræ pœnitentiæ, verùm etiam in eo quod omnes experimur ſenſu communi. Quomodo enim luxurioſo caſtitas placere poterit, vt in eam ardeſcat, rapiatur, & ſola eius contemplatione, pulchritudinis eius fiat amator? quomodo ſuperbo humilitas? Nam, teſtante Ariſtotele, quiſque gaudet in his quibus aſſueuit, & malitia corrumpit principium practicum agendorum: ſicut virtus ipſum cōſeruat. Et 6. libro Ethicorum, Ei qui corruptus eſt ob voluptatem vel dolorem, repente non apparet principium, neque oportet gratia huius, neque propter hoc ſuſcepiſſe omnia & egiſſe. Natura enim vitium principij corruptiuum eſt. Et Tertio libro Ethicorum, Qualis inquit quiſque eſt, talis & finis videtur ei: vt ſtudioſo verum bonum prauo autem contingit vt ægrotis quoad ſentire amara vel dulcia. Ideo 7. Ethicorum dicit quòd ratio non eſt edoctiua principiorum, ſed virtus, aut ex natura, vel ex conſuetudine rectè conſentire faciens circa principium. Quare Hieremias propheta. Si mutare poteſt, inquit, æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis bene facere, cùm didiceritis malum. Nam conſuetudo eſt altera natura. Oportet igitur palatum affectus noſtri primò purgari per fermentum timoris gehennæ à corrupto peccati liquore, priuſquam virtute delectetur. Quare etiam propheta Eſaias, Quem docebit inquit ſcientiam, & quem intelligere faciet

7. Ethicorū. *Qualis quiſque eſt talē ſibi finē præſcribit.* *Cap. 13.* *Cap. 28.*

faciet Dominus auditum? ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus. Neceſſe igitur eſt vt comminatione & formidine ſupplicij concuciantur dura peccatorum corda, ad peccati horrorem & deteſtationem, quò perducantur ad amorem virtutis & vitæ Chriſtianæ: vt docet beatus Auguſtinus locis ſupra citatis. Nam initium ſapientiæ, vt diximus, timor Domini. *Eccle. 1.* Si quis enim cum impudicis de pudicitia loquatur, ac ſcorta vituperet, hi animi quibus libido dominatur, ex ipſa commonitione ad impudicitiam multò acrius accenduntur, vt habet beatus Ambroſius ſermone 82. Idem dicit auaros pati ex commonitione: quos & reſpondere eodem loco dicit, Pulchra ſunt verba, ſed melius eſt aurum. Et beatus Chryſoſtomus, Sicut fieri, inquit, non poteſt, vt ligna mittendo ignem extinguas, ſic fieri non poteſt, vt rationem reddendo places hominem malum. Et vulgata eſt ſententia Poëtæ, *Horatius.* Oderunt peccare mali formidine pœnæ, oderunt peccare boni virtutis amore. Eſt igitur contra ſenſum communem, primamque animorum conceptionem quod dicit Martinus, Si vis pœnitere de luxuria, non incipias numerare vitia, fœditates & damna eius: ſed intende in ſpeciem caſtitatis, atque ad commoda eius pulcherrima, vt ipſa tibi intimè placeat, & ſic de omnibus alijs virtutibus. Non enim magis luxuria corruptus in caſtitatis pulchritudinem intendere poteſt vt ei placeat, quàm febricitans iudicare de cibi aut pot' ſuauitate, vt ei placeat. Nec violēta eſt contritio, quę naſcitur ex vi præcepti vel peccati horrore, cum ſit ex vera animi perſuaſione, quòd grande malum eſt peccatum. Errat præterea in ratione veræ pœnitentiæ, propterea quòd iuſtitia cui vitiū vel iniquitas contrariatur, non eſt ſecundum ſcripturas ratio ſecundum quam peccati nos pœniteat, ſed Deus ipſe eiuſque offenſio. Annunciabit enim Apoſtolus Paulus pœnitentiam *Act. 20.* in Deum. Docet etiam epiſtola ſecunda ad Corinth. Triſtitiam quæ ſecundum Deum *Cap. 19.* eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operari, ſicut ſeculi triſtitiam operari mortem. Dolet enim verè pœnitens de peccato, quia contra Deum eſt eiuſq; præceptum: non aūt propriè, quia contra iuſtitiā, cui aduerſatur: Nec iuſtitiā amat, niſi propter Deū: propter quem ſolum iuſtè viuere & eius mandatis obedire eligit, præmiumque quod promiſit: dicente *Math 19.* Saluatore, Si vis ad vitam ingredi, ſerua mādata. *Lib 5. de ciuitate Dei, cap. 12.* Non eſt virtus, inquit beatus Auguſtinus, niſi quæ ad eum finem tendit, vbi eſt bonum hominis, quo melius nō eſt. Et libro 19. cap. 10. & 25. Virtutes non relatę ad Deum, vitia potius ſunt, quàm virtutes. Nam licet à quibuſdam tunc veræ & honeſtæ putentur, cùm referuntur ad ſeipſas, nec propter aliud expetuntur, inflatæ tamen atq; ſuperbæ tunc ſunt, & ideo non virtutes, ſed vitia tunc iudicanda ſunt. Nam ſecundum ſcripturas, Cōtritio ſiue vera pœnitentia includit odium peccati, & ab eo auerſionem, ac propoſitum vitæ melioris. Vtrumque autem eſt de ratione pœnitentiæ euangelicæ: prius tamen magis quàm poſterius. Ideo patres Eccleſiaſt*ic* deſcribunt pœnitentiam eſſe præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere, ſecundum propoſitum efficacis volūtatis: id quod late ſuperius oſtenſum eſt de odio & diſplicentia peccati. Errat hic & in *Definitio ſūpta ex Amb. & Gregorio homil. 34. cuius initiū In æſtiuū tēpus. cap. 1.* eo Lutherus, quoniam non eſt euangelica pœnitentia, quę naſcitur ex pulchritudine virtutis, ſed philoſophica. Nam & Ariſtoteles quinto libro Ethicorum docet, quod iuſtitia præclariſsima eſt virtutum, & quòd neq; Heſperus neq; Lucifer eſt ita admirabilis. Atque ita ſecundum moralem philoſophiā, fide ſecluſa, dolere poſſet quis de iniuſtitia ſecundum eam rationem qua iuſtitiæ eſt cōtraria. Neque tamen hic dolor efficit verè pœnitentem, niſi, vt diximus, Deus ſit ratio doloris. Et de luxuria dolere, quia caſtitati eſt contraria, actus eſt caſtitatis, non autem pœnitentiæ. Vnaquæque enim virtus, vt delectari facit in operibus bonis ad quæ inclinat, ita triſtari in contrarijs. Et ideo intuitus virtutum, ſiue abſtractiuus, ſiue concretiuus, ad earum mouet imitationem, non ad *Virtutum intuitus non mouet ad pœnitentiam.* pœnitentiam, niſi pœnitentiæ exempla in *1. Corint. 9. Luc. 15 18.* auſteritate vitæ quam ſancti duxerunt proponantur: quemadmodum Apoſtolus Paulus ſe nobis proponit, ac ſcriptura Manaſſen, *Exēpla quæ in pœnitētia imitemur.* Dauidem, filium prodigum, Publicanum, & huiuſmodi alios: ac præclariſsimum pœnitentiæ exemplum nobis exhibitum eſt in Maria Ægyptiaca, & fratribus illis Ægypti. de quibus Clymachus capite de pœnitentia. Palam hic oſtendit Martinus ſe ignorare propriam rationem pœnitentiæ, eiuſque radicem, quæ eſt triſtitia ſecundum Deum, hęc autem non eſt pœnitentia, ſed cauſa eius. Ideo enim de luxuria pœnitentiam agimus, quia diſplicet, quum tamē eam admiſerim'. Quantumcūque igitur gemueris à facie pulchritudinis iuſtitiæ, quòd eam non ſis aſſecutus: ſi non doleas te eam violaſſe, & in hoc Deum offendiſſe: nec verè pœnitentiā agis, nec ideo Deum placabis.

Ratio omnium prædictorum eſt quia impoßibile eſt vt odias aliquid vero odio & perfecto, cuius contrarium non prius dilexeris. Amor ſemper eſt prior odio, & odium natura & ſponte fluit ex amore. *Lutherus.*

Reſponſio. Iterum falſum hîc aſſumit. Non enim vt aliquid verè & perfectè odiam', neceſſariū eſt, vt eius contrarium prius diligatur. Nam fieri poteſt, & hoc ſatis eſt, quod prius diligamus id propter quod diligendum eſt & cōtrarium. *Quomodo naſcatur in pœnitētia odiū ſui peccati.* Quando itaque conſideratur peccatum eſſe contra Deum, eumq; offendere, propter quem diligēda eſt & ipſa iuſtitia, ex huius amore fluet odium atque deteſtatio peccati: ſicut & amor virtutis. Odimus enim toxicum, non primò quia diligimus cibum ſalubrem, ſed quia ſanitatem ac vitam amamus. Varij multiq; poſſunt eſſe amores, vt decentiæ, honeſtatis, æternę beatitudinis, ex

quibus

quibus odium peccati naſci poteſt, nullo iuſtitiæ habito reſpectu. Ex quibus patet, quòd falſo nititur fũdamẽto corollariũ ꝙ ſubdit.

Lutherus.

Illud tibi diſcutiendum eſt confeſſuro, quantũ diligas iuſtitiam, quàm quantum odias peccatum, multoq, maiore immò ſolo hoc labore tibi cogitandum eſt, quomodo futuram vitam agas bonam, q̃ quomodo odias aut deſeras præterita mala. Veriſſimum eſt enim prouerbium, & omni doctrina de contritionibus huc vſque data præſtantius, Optima pœnitentia, noua vita. Sic Apoſtolus ſonat, (*Galat. 6.*) *In Chriſto neque circuncisio, neque præputium aliquid valet, ſed noua creatura.*

Reſponſio. *Hierem. 8.* *Pœnitentia & præteritũ & futurum reſpicit.* *Act. 8.*

Infertur hoc corollarium ex ignorantia rationis veræ pœnitentiæ, quæ ex nomine etiam reſpicit præteritum, dicente Domino per Hieremiam, nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens. Quid feci? Et beatus Petrus ad Simonem Magnum, Pœnitentiam age ab hac nequitia tua. Includit tamen ratio pœnitentiæ propoſitum nouæ vitæ, inquantum pœnitentia ordinatur ad conciliandam gratiam & amicitiam Dei, tanquam finem intrinſecum: ſed præter illud ex nominis ratione etiam includit odiũ peccati admiſsi: ac veriſimilius eſt hoc propoſitum eſſe de ratione pœnitentiæ: ſicut docet beatus Thomas 3. parte, quæſt. 90. artic. 4. & 4. contra gentiles cap. 27. & in 4. ſententiarum, diſtinct. 14. quæſt. 1. art. 1. quæſt. 6. ad 4. Quamuis enim ad pœnitentiam, iuxta primam nominis originem, non pertineat reſpectus ad futurum, ſed ad prudentiam pertineat ventura mala cauere: quatenus tamen habet pro fine præcipuo emendare apud Deum, culpam commiſſam, ac pro ea ſatisfacere, eiuſq; amicitiam conciliare: pertinet hoc propoſitum intrinſecè ad rationem pœnitẽtiæ: nec ſine illo aut Deus placatur, aut reconciliatur, & id maximè à nobis requirit: ſicut primum quod nos ab eo qui fecit iniuriam poſtulamus, eſt huiuſmodi propoſitum: & parentes cum liberos puniunt emendationem propoſitumq; vitæ melioris in futurũ per pœnas ab eis extorquent. Quem admodum autem requiritur ad veram pœnitentiam formale odium peccati: nec ſufficit virtuale, quod includitur in dilectione Dei & efficaci propoſito vitæ melioris, ſicuti ſupra probauimus: ita veriſimile eſt requiri formale propoſitum de vitæ emendatione, nec ſufficere virtualiter hoc includi in odio peccati, quia Dei offenſa eſt. Ideo Concilium Florentinum docet ad rationem contritionis pertinere, vt pœnitens doleat de peccatis commiſsis cum propoſito non peccandi de cætero. Mutilat itaque Lutherus veram pœnitentiæ rationem, docens in noua vita ipſam conſiſtere, ſecundum quam nec nomen, nec ratio ſacramenti huius ſaluari poteſt. Falſum eſt enim optimam pœnitentiam eſſe nouam vitam, cum ſit odium peccati, & meditatio tantum ac initium vitæ nouæ. Eſt namque pœnitentia in remiſsionem peccatorum, quæ vitam nouam præcedit, veterem

Pœnitentiæ ſacramentũ formale odium peccati requirit.

hominem exuere oportet priuſquam nouus induatur, & odio auerti ab iniquitate priuſquam faciamus iuſtitiam.

Excludit etiam hoc prouerbium non ſolum de peccatis contritionem, ſed etiam ſatisfactionem: præterea inanem facit fidem eccleſiæ de neceſſario fletu pro peccatis, exẽplo Petri, qui poſt peccatum fleuit amarè, vt referunt euangelia. Noua vita eſt certum argumentum veræ pœnitentiæ, ſicut B. Ambroſius docet in comment. circa locum Apoſtoli. Ne abundantiori triſtitia abſorbeatur. (*2 ad Cor 2.*) Hæc, inquit, vera pœnitentia eſt ceſſare iam à peccato, ſic enim probat dolere ſe ſibi, ſi de cętero deſinat: intelligens ſenſu cauſali ceſſare à peccato eſſe veram pœnitentiam: quo tropo etiam intelligendum eſt prouerbium iſtud, ſi apud patres eccleſiaſticos hæc aut ſimilis ſententia inueniatur. Primum igitur & plus diſcutiẽdum eſt confeſſuro, an verè peccata cõmiſſa odiat ob Dei offenſam, & an ſe ex animo emendare proponat: quod ſi hæc in conſcientiæ examine inuenerit, peccata ſacerdoti confiteatur, vt reconciliatus per ſpiritum Chriſti, quo donabitur in abſolutione, nouam vitam agere poſsit. Nec concludit argumentum quod in huius rei probationem adfert Martinus circa primam cõcluſionem reſolutionum.

Cauſaliter poteſt pœnitentia dici noua vita.

Lutherus.

Metanoia, inquit, quam vetus interpres reddit pœnitentiam, dicitur reſipiſcentia ſiue tranſmẽtatio: quemadmodum etiam annotat Eraſmus circa 3. cap. euangelij ſecundum Matthæum. Metanoeita, hoc eſt tranſmentamini, id eſt, mentem & ſenſum alium induite, reſipiſcite, tranſitum mentis & phaſe ſpiritus facite, vt ſcilicet nunc cæleſtia ſapiatis, qui hucuſq, terrena ſapuiſtis. Et Lactantius li. 6. Inſtitutionum (*Cap. 14.*) *docet, quod pœnitentia græcè dicitur Metanoia, hoc eſt reſipiſcentia. Nõ ergo in vſu ſcripturæ ſacræ pœnitẽtia dolor dicitur, ſed mutatio mentis & conſilij, ac pœnitere eſt ſapere poſt erratum, animumq, ad rectè viuendũ inſtituere.*

Reſponſio. *Reſipiſcentia & triſtitia ſemper coniũctæ manet.*

Cui reſpondetur, Si rerum ordo diligenter fuerit inſpectus, reſipiſcẽtia atque triſtitia vſque adeò ſibi vicisſim cohærent, vt ſi alteram tollas, vtramque neceſſe ſit eſſe ſublatam. Etenim ſi ſapis, protinus incipit diſplicere, quod prius male placuit: imo ſi erratum tuum ſemel intelligis, tu ipſe tibi incipis diſplicere: ſi autem diſplicet, neceſſe eſt quod contriſtet: ſicut delectabat quando placuit. Nec hunc reſipiſcentiæ triſtitiæque nexũ ſacræ ſcripturæ tacuerunt: dicitur enim Geneſis 6. Videns Deus quòd multa malitia hominum eſſet in terra, pœnituit eum quod hominem feciſſet, & tactus dolore cordis intrinſecus, & c. Et Hiere. 31. Poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam: & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſsi fœmur meum. In quę verba beatus Hieronymus, Dolẽtis, inquit, & plangentis & ſuper errore priſtino plorantis indicium eſt, vt fœmur manu quis percutiat, & ſtultum ſe antea fuiſſe fateatur. Dolor itaq; comes indiuiduus eſt reſipiſcentiæ, & res eadẽ eſt actus videlicet pœnitẽtię, qui

Græcè

Gręcè dicitur metanoia, hoc eſt reſipiſcentia, quæ eſt doloris ac pœnitentiæ cauſa: hãc metanoiam, vetus interpres ſemper reddit pœnitentiam. Rem autem eandem eſſe ex eo probatur, quòd Apoſt. Paulus ſcribat triſtitiam quæ ſecũdum Deum eſt metanoiam, hoc eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operari. Non enim reſipiſcentiæ cauſa eſt hæc ſecũdum Deum triſtitia, nec illam hæc operatur, ſed econtrariò. Ideo enim triſtamur ſecundum Deum & dolemus, quòd rectè nunc ſapimus & iudicamus. Metanoiam igitur intelligere hoc loco oportet pœnitentiam, non reſipiſcentiam. Nam quia res iſta quæ eſt actus pœnitentiæ duo complectitur, odium peccati, & propoſitum peccata vitandi, prius importatur nomine pœnitentiæ, habita ratione ętymologiæ nominis, & poſterius nomine metanoiæ ſiue reſipiſcentiæ, ita vt res eadem, diuerſa tamen ratione, duo hæc ſortiatur nomina. Nomẽ enim pœnitentię præteritam culpam reſpicit, & metanoia vitam nouã, quę eſt in propoſito pœnitentis. Quod & ipſe Martinus apertè docet circa primam concluſionem, Reſipiſcentia, inquit, fit vt redeat præuaricator ad cor, odiatque ſuum peccatum. Hinc & Auſonius poeta pœnitentiam inducens, Sum, inquit, dea quæ facti, non factique exigo pœnas, nempe vt pœniteat ſic metanoia vocor. Et Lactantius libro 6. inſtitutionum diuinarum, Quem, inquit, facti ſui pœnitet, errorem ſuum priſtinum intelligit: ideoque Græci melius & ſignificantius metanoiam dicunt, quàm nos latinè poſſumus dicere reſipiſcentiam. Reſipiſcit enim quaſi ſuam mentem ab inſania receperit, quem errati piget, caſtigatque ſeipſum dementiæ, & confirmat animum ſuum ad rectius viuendum. Non igitur ſiue latinè pœnitẽtia, ſiue Græcè metanoia nouam ſolummodo vitam, ſed & veteris odium vindictamq; ſignificat: non.n. mentis mutatio eſſe poteſt, niſi mens à malo diuertat & accedat ad bonum, non corporis greſsibus, ſed affectibus animę, auerſando veterem vitam cùm elegit nouam. Quam animi mutationem verè deſcribit Beatus Ambroſius libro ſecundo de pœnitentia, Facilius, inquiens, inueni, qui innocentiam ſeruauerint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam. An quiſquam illam pœnitentiam putet, vbi requirendæ ambitio dignitatis: vbi vini effuſio, vbi copulæ coniugalis vſus? Renunciandum ſeculo eſt, ſomno ipſi minus indulgendum quàm natura poſtulet, ſeipſum homo abneget, & totus mutetur: ſicut quendam adoleſcentẽ fabulæ ferunt poſt amores meretricios peregrè profectum, & abolito amore regreſſum, poſtea veteri occurriſſe dilectæ, quæ vbi ſe non interpellatam mirata, putauerit non recognitã: rurſus occurrens dixerit, Ego ſum: reſponderit ille, Sed ego non ſum ego. Vnde bene Dominus ait, Qui vult venire poſt me, abneget ſeipſum ſibi, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Hanc cogitationem atque animi transformationem, & vt Martinus ait,

Quod actus pœnitentiæ duo complectatur.

Cap. 24.

Cap. 10.

Exemplum trãſmẽtationis ab adoleſcente meretricio prius amore. cap. 10. Luca. 16.

transmentationem, & nos pœnitentiæ nomine, ſicut ipſæ metanoiæ, intelligimus, abominationem videlicet peccati prius admiſſi, & nouæ vitæ efficacem meditationem: Supereſt nunc vt reſpondeamus argumento Apologiæ, quo ſolo cogi videtur vt doceat iſtos terrores ob metum iræ Dei & ſupplicij gehennæ, ac poſt eos ſola fide remitti peccata ſine dolore de peccato propter Dei offenſam.

Quomodo, inquit, homines diligent Deum in veris terroribus, cũ ſentiunt horribilem & inexplicabilem humana voce iram Dei. Non poteſt prius adeſſe dilectio, quam fide ſit facta reconciliatio. Nec poteſt eum diligere quem iratũ videt, & præcipitare velle in gehennam. *Apologia.*

Cui reſpondetur, quòd per fidem etiam conſideramus Deum clementem & placabilem, & in ira ſua offerentem remiſsionem: imò & inuitantem vt ad ipſum recurramus, & agnoſcamus nos peccaſſe: & facilem ad ſuſcipiendum in gratiam poſt grauiſsimam etiã offenſam. Conſideramus etiam Deum vt patrem, magis cupientem in gratiam nos recipere, quam ipſi in eam redire ambiamus. Secundum quas conſiderationes non eſt difficile bene affici Deo offenſo & irato, quem etiam nouimus propter nos iraſci: vt ſcilicet ad eũ recurramus, & ex animo dicamus, Peccaui, Propitius eſto mihi peccatori. *Reſponſio.*

ARTICVLVS QVINTVS.

Confeſſurus diligentiam legitimam adhibere debet, quo ſacerdoti iudici ſuo manifeſtet omnia peccata ſua mortalia, etiã occulta cordis, vt ab eo per illum abſoluatur: cuius abſolutionis miniſter eſt ſolus ſacerdos, ſecundum eccleſiæ ritum conſecratus.

MVltiplex & varia peccatorum confeſsio, paſsim in ſcripturis reperitur. Confitemur enim peccatum noſtrum fratri quem læſimus, ad eum placandum & reconciliandum: de qua Chriſtus apud Matth. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliare fratri tuo, confitendo ſcilicet tuam culpam, & iniuriam qua eum affeciſti, & tunc veniens offeres munus tuum. Sic enim ſarcienda eſt charitas quæ noſtra culpa fuerat diſſoluta, culpam agnoſcendo ac deprecãdo. Confitemur etiam & exponimus peccatum noſtrum alteri, vt eius conſilio atque conſolatione iuuemur: ad quod pertinere poteſt illud Iacobi, Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro inuicem vt ſaluemini. Frequens item ac præcipua eſt in ſcripturis

Prima acceptio. Confeſſionis. Cap. 5.

Secunda.

Cap. 5. Tertia.

ris

ris confeſsio, qua Deo exponunt ſancti peccata ſua, vt veniam obtineant. Ipſe enim eſt qui læditur & offenditur noſtris peccatis: ipſe eſt & iudex & inſpector cordium, atque noſtrarum cogitationum conſcius, qui peccata remittit, obliuiſcitur & delet: propter quæ coram eo effundenda ſunt noſtra corda, vt ignoſcat.

Pſal. 31.

Peccatum meum, inquit Dauid, cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam nõ abſcondi. Dixi, cõfitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino.

Pſalm. 50.

Ac alio loco. Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.

Daniel. 9.

Et ſanctus Daniel, Peccauimus Domine, peruerſè egimus, &c.

1. Ioan. 1.

Item apud Ioannem, Si confitemur peccata noſtra, fidelis eſt Dominus, vt remittat nobis peccata noſtra.

Quarta.

Ioſue. 7.

Eſt & confeſſio iudicialis de qua Ioſue ad Achan, Confitere, inquit, peccatum tuum.

Quinta vt in articulo ſumitur.

Eſt poſtremò confeſsio, cuius meminit articulus. (priores enim ad articulum non pertinent) quæ eſt omnium peccatorũ cum deteſtatione enumeratio apud ſacerdotem, tanquam iudicem in hac cauſa à Chriſto conſtitutum, vt ille eius vice & ex parte eius, atq; ex ipſius commiſſione remittat, quæ eſt quaſi determinatio, quo ad vicarium ſcilicet & ſigna ſenſibilia, confeſsionis quæ fit Deo, qui primarius iudex eſt, quiq; per nos eſt Ieſus in ſuo honore. De hac potiſsimum controuertitur apud aduerſarios. Nam in alijs confeſsionum generibus, quæ ſunt iuris naturæ, ac naturalis rationis lumine cognoſcuntur, nobiſcum conueniunt. Compẽſare enim iniuriã, & læſam amicitiam reſarcire, atque alterius requirere conſilium, quando priuatim angimur peccatorum mole ac conſcientiæ anguſtijs, nec explicare nos poſſumus, niſi alieno conſilio, docet ipſa natura: quemadmodum vulnus medico oſtendere, quando ſine eius auxilio curari non poſſumus. Quæ autem iudicialis eſt, ex humano procedit mandato. Iudice enim legitime mandante, reus ſuam culpam confiteri obligatur. De his nulla eſt difficultas. De ea verò, quæ fit Deo, contra quem omne peccatum admittitur, de qua Propheta, Tibi ſoli peccaui. Beatus Chryſoſt. frequens eſt in homilijs in adhortando ad hoc, vt videlicet apud noſmetipſos aſsiduam habeamus noſtrorum peccatorum memoriam, ac in vnum omnia ſecundum ſpeciem & indiuidua colligamus, & in conſpectu Dei proponamus. Et hoc ipſum iuris eſſe naturæ gratiam conſequentis multi doctores probabiliter docent, in hoc beatum Chryſoſtomum & alios patres Eccleſiaſticos ſequuti. Nam homil. 42. ſuper Matth. ait ipſe Chryſoſto. Tu ipſe tibi ſis iudex, referas tibijpſi rationes viuendi, largos lachrymarum effunde flumios, peccata tua per ſingulas ſpecies recole. Non paruus eſt hic animæ cruciatus nec quãtus ſit cognoſcitur, niſi ab eo, qui cõpunctus eſt:

Peccata aſſiduo animo verſanda.

& cùm omnia ſecundum ſpeciem in vnũ peccata collegeris, aſsiduo animò illa verſes, & de ipſis continuè mediteris ac cogites. Nam qui hoc facit adeo compungitur, vt nec hac vita ſe dignum exiſtimet. Et lib. 2. de cõpunctione cordis, Oportebat, inquit, nos nõ ſolum ſcire exomologeſim & cõfiteri, quod multa in nobis delicta ſunt: verùm & vnumquodque peccatum & maius & minus quaſi in libro, ita in corde noſtro habere deſcripptum, idque frequentius recenſere.

Nouit Deus noſtra peccata: tamẽ ſunt ei confitenda

Nouit Dominus ipſe, quæ admiſiſti, ſed & vult, quod & tu agnoſcas, quæ & quanta in eum commiſeris, & magnitudinem beneficij ſimul agnoſcas. Eadem habet homil. 31. circa epiſtolam ad Hebræos, Magnum inquit, bonũ eſt, vt quis peccata ſua agnoſcat, & memoriã eorum perſeueranter teneat. Nullum inuenitur delictorum remedium, ſicut eorum cõtinuata memoria. Scio quidem, quia reſilit conſcientia, & non patitur ex malorum memoria verberari. Sed doma animam tuam, & eam retinaculis cõſtringe frenorum. Perſuadeamus nobis peccaſſe nos: nec hoc ſola lingua pronunciet, ſed etiam intima conſcientia. Nec tantum nos peccatores eſſe dicamus, ſed etiam ipſa peccata ſpecialiter ſingula computemus. Non tibi dico, vt te prodas in publicum, neque vt te apud alios accuſes, ſed obedire te volo Prophetæ dicenti, Reuela Domino viam tuam. Ante Deum ergo tua confitere peccata: apud verum iudicem cum ratione delicta tua pronuncia: non lingua, ſed conſcientiæ tuæ memoria: & tunc demũ ſpera miſericordiam te poſſe conſequi, ſi habueris in mente peccata tua continuè. Et eadem habet Homilia quadrageſimaprima, ad populum Antiochenum. Et de reparatione lapſi docet, quod vehementer ſe damnare profiterique ſe peccatorem, commune ſit etiam infidelibus. Similes habet ſententias, ſermone de pœnitentia & confeſsione: Et Homil. 16. ſuper Geneſim. Nam in illo ſermone dicit, quòd nõ ſufficiat dicere peccator ſum, ſed operæpretium eſſe ſpeciatim peccatorũ ac delictorum meminiſſe.

Lib 8. moralium in Iob.

Et beatus Gregorius circa locum, Confabulabor in amaritudine animæ meæ, enumerando ſcilicet ſingula mala quæ feci.

Contritio de ſingulis peccatis mortalib. ſpecialis & diſtincta eſt neceſſaria

Ex quibus inferunt doctores, quod contritio de ſingulis mortalibus peccatis ſpecialis & diſtincta neceſſaria eſt ad ſalutem, ſine ordine etiam ad confeſsionem, quæ fuit ſemper in omni lege neceſſaria: & quòd neceſſarium eſt ſingula peccata ſigillatim Deo confiteri: nec remitti ſine voluntate ſic confitendi. Hanc tamen neceſsitatem intelligunt, ſi diſtinctè de omnibus contritio, & apud Deum confeſsio fieri poſsit: ſin autem vel per anguſtiam temporis, vel per aliam cauſſam id fieri nequeat, habeatur ſaltem animus votumque, ſi facultas adeſſet, ſpecialiter & diſtinctè ſingula Deo cõfitẽdi, ac de eis ſic pœnitendi. Non itaque ſufficit contritio & confeſsio generalis, qua agnoſco ac fateor coram Deo me eſſe peccatorem: ſed ſpecialis omni tempore requiritur ex lege naturæ, quæ diſtinctè feratur in ſingula. Quemadmodum in computu & ratione dati & accepti à diſpenſatore, confuſam & generalem rationem nemo arbitraretur idoneam, ſed diſtinctam & ſpecialem omnes neceſſa-

ceſſariam exiſtimarent. Hanc ſententiam docet Beatus Thom. 12. q. 113. art. 5. ad 3. & de veritate q. 28. art. 5. ad 4. & in 3. parte q. 87. art. 1. Ad remiſsionem, inquit, peccati mortalis requiritur, vt homo peccatum mortale commiſſum actualiter deteſtetur, ſcilicet quantum in ipſo eſt diligentiam adhibeat ad rememorandũ ſingula peccata mortalia, vt ſingula deteſtetur. idem in 4. ſent. diſtin. 17. q. 2. art. 2. q. 3. ad 2. & ſanctiſsimus dominus Adrianus eandem ſententiam docet quæſt. 3. de baptiſmo, in ſolutione 3. argumenti. Et Petrus Paludanus diſt. 17. q. 1. art. 2. concluſ. 5. Et Alexander de Hales 4. parte q. 69. membro 8. Idẽ etiam ſentire videtur B. Auguſtinus de vera & falſa pœnitentia vbi conuerſum dicit, qui dolet de omni eius, quam expoſuerat, varietate: varietatem autem expoſuerat ſecundũ circunſtantias peccatorum ſpeciales. Nec deſunt pro hac ſententia ſacrarum literarum teſtimonia, vt illud, Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: Nõ autem opus eſſet anteacti temporis vitam expendere in amaritudine animæ, ſi pœnitẽtia generalis & confuſa ſufficeret: Et, Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, & fecerit iudicium, hoc eſt examen & inquiſitionem: de qua Apoſtolus: Probet ſeipſum homo: ac Dauid, Cogitaui dies antiquos, & meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum: vbi beatus Auguſtinus legit, Scrutabar ſpiritum meum. Seipſum, ait, examinabat, in ſe iudex erat. Quòd ſi generalis confeſsio ſatis eſſet, quorſum illa tam anxia cura petendi, Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo? Vbi clarè ſignificat Propheta delicta ſua ſolitum ſe ſcrutari, & pro occultis, quæ adhibita diligentia intelligere non potuit, deprecari, cum ait, Delicta quis intelligit, ab occultis meis, &c. Cõſtat etiam quòd pœnitentia exterior eſt propter interiorem. Illa autem tam in lege noua, quàm veteri diſtincta fuit & ſpecialis. Nã in lege pro varijs peccatis varia fuerunt ſacrificia definita: in noua quoq; pœnitentiæ ſacramentum ſpecialem diſtinctamq; de ſingulis exigit cõfeſsionem. Nec aſtrinxit nos lex euãgelica vt ſpecialiùs de peccatis doleamus quàm in lege naturæ vel Moyſi homines tenebantur: ſed id conceſsit, vt quam pœnitentiam olim in delicti compenſationem atque vindictam corã Deo agere oportebat, eandẽ ageremus apud ſacerdotem, qui locum Dei teneret in terris in hoc ſpecificando præceptum legis naturæ. Nec Chriſtus in Euangelio præcepit de ſingulis exteriorẽ pœnitentiã, niſi quia de ſingulis requirebatur interior, vt exterius ſignum viſibile interiori rei ſignatæ reſponderet. Non igitur (quod quidam arbitrantur) contritio ſpecialis propter confeſsionem exigitur, ſed ediuerſo confeſsio ſpecialis propter contritionẽ: vtraq; autem propter iudicij naturã. Omnis quippe iudex cui iudicandi eſt auctoritas demandata, reorum delicta inquirere, atq; examinare debet ſpeciatim, vt iuxta culparum menſuram ſit & pœnarum moderatio. Sic quia in Euangelica lege iudicium de peccatis delegatum eſt ſacerdotibus, propterea vt fideliter ſuũ munus exequantur, interrogare debent ſpecialia delicta, & eorum adiacentes circumſtantias. Nec contenti eſſe poſſunt, ſi peccata ſolum in genere cognoſcant. In lege aũt naturę & nunc quoq;, hoc iudicium ipſi peccatori committitur, vt idẽ ipſe ſit teſtis, accuſator & iudex. Vnde ait dominus, Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, & fecerit iudicium, &c. Et iterũ, Feci iudiciũ & iuſtitiam, non tradas me calumniãtibus me. Quam ob rẽ peccator in propria cauſa iudex effectus, niſi expendat delicta propria, & diligenter ſeipſum interroget & examinet, vt ex qualitate & quantitate culparum imponat ſibi pœnitentiæ modum, infidelis & iniqui iudicij pœnas daturus eſt apud æquiſsimum iudicẽ: vt latiſsimè declarat ac probat venerabilis pater Melchior Canus cathedræ primariæ præfectus in academia Salmaticenſi, in prælectione de pœnitentia. Horum animaduerſio plurimum conducet ad intelligẽdum, quomodo neceſſarium eſt, vt omnium peccatorum cõfeſsio fiat apud ſacerdotem: eadem nempè quam Deo facere oportet, qui ſacerdotem ſuum conſtituit commiſſarium, vt in peccatorum conſolationem & certificationem apud hunc quoque fiat, quod coram ſe fieri ſemper oportuit, & ius dictat naturæ. Patet ex dictis, quod non ſolum pium & ſanctum eſt, verùm & neceſſarium (quod tamen Martinus improbat) perpetrata crimina ante oculos habere, recenſere, iudicare & retractare, vt defleamus, quòd tot tantiſque malis diuinam offendimus maieſtatem: quũ & pro peccatis diu antea remiſsis ſancti quoque lugere ſoleant. Sic, inquit, B. Chryſoſto. Dauid pœnituit, dicens, Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymiſque ſtratum meum rigabo: & peccatum quòd ante multum tempus admiſerat, poſt tantos annos, tantaſque generationes lugebàt, veluti recenti tempore perpetratum. Et Apoſtolus Paulus confitetur, quòd blaſphemus fuerit, & ſupra modum eccleſiam perſecutus. Ac B. Iob orat, Quantas habeo iniquitates, & peccata mea oſtende mihi.

Patet etiam ex dictis, quòd ſecundum hãc ſententiam non ſatisfacit præcepto iuris naturæ diſponentis ſuper remiſsionem peccatorum, & perpetrati ſceleris, qui ſolum in genere atque confuſè ſe peccaſſe, ſuaque peccata confitetur, ſed oportet anteacta ſcelera mortalia ſigillatim, vt diximus, ac ſecundũ ſpecies ſuas deflere, & Deo confiteri. Quod idem etiam præceptum erat tempore veteris legis & ante legem, antequam præciperetur ſacerdoti faciendam eſſe confeſsionẽ. Quod autem hîc dicimus præceptum iſtud eſſe legis naturæ, intelligatur fide præſuppoſita. Hîc etiam animaduertendum eſt, quod ſancti comprobant formam, & ordinem pœnitendi & cõferendi de peccatis per diſcuſsionem

Ad peccati mortalis remiſsionẽ requiritur actualis deteſtatio.

Cap. 17.

Eſa. 38.

Ezech 33.

Pſalm. 76.

Pſalm. 18.

Pœnitentia ſpecialis & diſtincta etiam fuit in veteri lege.

Cõtritio ſpecialis non requiritur propter confeſſionem, ſed contra.

Specialia delicta & etiã circunſtantia eorum confitenda.

Ezech. 14.

Pſalm. 120.

Ezech. 14.

Pſalm. 128.

Homil. 31. in epiſt. ad Hebræos.

1. Timoth. 1.

Cap. 13.

In genere cõfitens, non ſatiſfacit præcepto iuris naturæ de peccati remiſſione.

nem

nem ac recollectionem:vt ex ſententijs beati Chryſo.ſuperius doctum eſt:quæ per Martinum improbantur.

Quam confeſsionem aduerſarij impetant.

De confeſsione itaq;,quæ fit apud ſacerdotem,cum peccatorum omnium etiam occultorum cordis enumeratione,prçcipua eſt nobis cum aduerſarijs diſputatio atque controuerſia:quamuis etiam improbent hanc corã Deo diſtinctam & ſpecialem omnium peccatorum confeſsionem, quemadmodũ ex verbis Martini Lutheri ſupra citatis cõſtat. Nec vnum tantum,ſed plurima circa hoc confeſsionis genus in dubium vocantur, & magna ex parte improbantur, videlicet an confeſsio omnium peccatorum apud ſacerdotem, vt peccata remittat, ſit vtilis & Deo grata. An antiquus ſit eius vſus in eccleſia, an recens natus tempore Innocentij tertij, qui eã mandauit fieri ſemel in anno,in cap. Omnis vtriuſque ſexus. de pœniten. & re. An ſit apud ſacerdotes ex Chriſti commiſsione, atque ita ex iure Euangelico poteſtas remittendi peccata in Deum commiſſa. Quòd enim vnuſquiſque remittere poteſt, quòd in ſe commiſſum eſt,nulli eſt dubium, nec ſacerdos poteſtatem ſibi vendicat, quòd aliter peccata remittat, quàm ſecundum, quòd cõtra Deum ſunt commiſſa. An ſit præcepta à Chriſto,&ex eius inſtitutione,per manus ab Apoſtolis & maioribus nobis tradita: an ex apoſtolica traditione, an ex eccleſiæ iuſsione dictante ſpiritu ſancto.Et ſi ex Chriſti eſt inſtitutione,an ſolum per modum ſequelæ: inquantum inſtituit in domo ſua tribunal, ad quod omnium domeſticorũ delicta, quatenus ſunt legis Dei præuaricationes, referantur: ad quod referri nequeunt, niſi per propriam rei confeſsionem.An ſaltẽ à Chriſto ſit conſulta,vt ſic aliquo modo ſit iuris diuini,atque ad Chriſtum referatur, an ſit ſacerdoti facienda tanquam iudici, an tanquã medico vel doctori,qui conſolari & conſulere poſsit:an potius vt iudici, medico, doctori,conſolatori,& conſultori:vt iudex in foro iſto,quia in bonum & ſalutem rei confitentis eſt à Chriſto inſtitutus,eminenter ſit hæc omnia.Nam patres eccleſiaſtici iam iudicem vocant,iam medicum, & alijs nominibus.Quòd autẽ de omnibus peccatis mortalibus ſacerdoti ſit facienda confeſsio, docet forma hoc ſacramentum miniſtrãdi, in eius

Ioannis 20.

conſtitutione tradita à Chriſto. Ait enim:

Miniſtro pœnitentiæ cõmittitur poteſtas remittendi & retinendi.

Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis:& quorum retinueritis,retenta ſunt. In quibus verbis miniſtro ſacramenti duarum actionum remittẽdi nempè & retinendi peccata,tribuitur facultas:& ex hoc ipſo facultas diſcernendi,quorum remittẽda ſint peccata,& quorum retinenda: Diſcernere autẽ non poteſt an ſint retinenda,niſi nouerit an in reo aliquod ſit peccatum retinẽdum, hoc

Vnum peccatũ ſine alijs non remittitur.

eſt impediens remiſsionem. Nam quodlibet peccatum retinendum impedit remiſsionẽ omnis omninò peccati confitentis:quia non poteſt ſimul peccatum vnum remitti,& aliud retineri: cùm mortalia peccata omnia in eodem homine connexa ſint, quoad remiſsionem & retentionem in ordine ad Chriſti miniſtrum,ſicut ad Deum. Cui enim à Deo peccatum remittitur, amicus eius conſtituitur,Iuxta illud, Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum,& cuius retinet peccatum,inimicus Dei eſt, & ira eius ſuper ipſum manet. *Pſal. 31.* Quia igitur tam remiſsio, quam retentio diuina eſt omnium peccatorũ mortalium,quæ quis habet, manifeſtè ſequitur, quòd etiam tam remiſsio, quàm retentio, quæ fit à Chriſti miniſtro,debeat eſſe nõ aliquorum tantum peccatorum, ſed omnium ſimul:quia tales eſſe debent,vt diuina eis aſſiſtat remiſsio & retentio: alioquin non verificarentur Chriſti verba, Quorum remiſeritis peccata,remittuntur eis, & quorum retinueritis, &c. ſi miniſtri remiſsio à diuina diſcordaret: & Deo omnia remittẽte vel retinente miniſter quoque non remitteret omnia,vel non omnia retineret. Ad hoc autem vt miniſter vel remittat omnia vel retineat, oportet omnia ei innoteſcere: niſi cæcus ac temerarius remiſſor vel retentor eſſe velit.

Qua ratione confeſsio ſit neceſſaria.

Et quoniam miniſtro Chriſti peccata pœnitentis non aliter, quàm per ipſius confeſsionem propriam innoteſcere poſſunt, conſequens eſt,quòd oporteat cõfitentem omnia ſua peccata mortalia ei confiteri. Hoc modo B. Hieronymus intellexiſſe videtur verba Domini in comment. Euangelij ſecundum Matth. *Cap. 16.* Sacerdos,inquit,pro officio ſuo cum peccatorum audierit varietates, ſcit quis ligandus ſit,quíue ſoluendus. Sicut tempore legis non pronunciabat quis mundus, quíſue immundus eſſet, niſi inſpecto colore, puſtulis,& multa ſignorum varietate. Ex verbis igitur Domini Saluatoris conſequitur, quòd omnium peccatorum confeſsio facienda eſt ſacerdoti, priuſquam remitti poſsint.

Obiectionis dilutio.

Quòd ſi dicatur ſecundum hæc verba Domini magis attendendam eſſe à ſacerdote conditionem eius,cui ſit remiſsio, an ſcilicet ex animo doleat, quàm peccatorum omnium vel quorundã confeſsio.Reſpondetur,quòd

Peccator debet ſe totum aperire.

conditio & ſtatus pœnitentis & quid ei conſulendum ſit,non cognoſcuntur niſi ſe totũ aperiat:ſicuti nec ſtatus infirmi, niſi morbũ ſuum totamque ſuam diſpoſitionem medico exponat. Ex ijſdem Chriſti verbis neceſſitas peccata omnia confitendi concluditur: ex eo maximè quod dicit, Quorum retinueritis peccata, retenta ſunt,& retenta ſine dubio manent,donec remittantur per ſacerdotem.

Quid peccata retinere.

Eſt autem peccata retinere poſt acceptã eorum & ſtatus confitentis cognitionem,declarare quòd non ſit verè pœnitens,vt peccata ei remittantur. Inanis enim eſſet ſententia iudicis,ſi eo retinente & ligante, ſine eo, aut etiam alio ſimilem poteſtatem habente, poſſit abſolui. & ex illo etiam neceſsitas confeſsionis probatur, quod remittere & retinere peccata in Deum commiſſa,ſicut ligare & ſoluere,actus ſint iudiciales, & propterea in his verbis Chriſtus inſtituit iudices & tribunal in eccleſia, ad quod omnium

domeſticorum exceſſus & peccata, quæ contra ipſum legesq; eius committuntur, referãtur: ſicut in omni republica oportet eſſe tribunal, per quod ciuium cauſæ & controuerſiæ terminentur. Sic interpretatus eſt B. Aug. de ciuit. Dei, lib. 20. quod dicit Ioannes in Apocal. *Cap. 9. Cap. 20.* Et vidi ſedes, & ſedentes ſuper eas, & iudicium datum eſt. Non hoc, inquit, putandum eſt de vltimo iudicio dici, ſed ſedes prępoſitorum, & ipſi præpoſiti intelligẽdi ſunt, per quos eccleſia nũc gubernatur. Et iudiciũ datum nullum melius accipiẽdum videtur, quàm id, quod dictum eſt, Quę ligaueritis in terra, ligata erunt & in cœlo: & quæ ſolueritis in terra, ſoluta erũt & in cęlo. Magnus autem exceſſus, magnum crimen aduerſus Dominum committit, qui eum contemnit, & leges præuaricatur. Propter quod ipſe offenſus iuſtam querimoniam habet aduerſus ſeruum ſuum. Si igitur mandatum eſt, *Argumentũ à minori.* Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo: multò magis ſi aduerſum nos aliquid habeat Dominus noſter, propter quod grauiter ſit nobis offenſus, oportet culpam agnoſcere, & ei reconciliari. Eſt autem ſacramentum pœnitentiæ ſacramentum reconciliationis, quemadmodum baptiſmus regenerationis: in quo ſacerdotem ſuo loco in hac reconciliatione iudicem cõſtituit, omni iudicio quod à patre acceperat, ſecundum ſententiam B. Chryſoſtomi, *Lib. 3. de dignitate ſacerdotali.* in eũ transfuſo. Sed in gratiam recipere non poteſt, niſi quem nouit humili corde peccata ſua Deo confiteri: quod quidem cognoſcere non poteſt, niſi coram ſe peccata deplorans, Deo omnia confiteatur. Eſt enim præceptũ huius confeſsionis ſacramẽtalis, vt diximus, determinatio præcepti iuris naturæ, de ſigillatim cõfitendo ſingula peccata coram Deo. Et ſicut ſecundum beatum Chryſoſtomum ſatis non eſt in genere Deo peccata confiteri, vel ſe in genere peccatorem fateri: ita nec ſufficit ſic confiteri apud ſacerdotem. Oportet enim eum cognoſcere quantum dimittat debitum Domini ſui. Nam vt dicit beatus *23. q. 4. c. Si is qui.* Gregorius in homilijs. Si is, qui prælatus eſt debitori Dominico culpas impunè remittit, non mediocriter offendit, qui debita cœleſtis regis & Domini ſua præſumptione reſoluit. Ea namq;, quæ in nos committuntur facilè poſſumus dimittere, quæ verò in Deũ commiſſa ſunt cum magna diſcretione, nec ſine pœnitentia poſſumus relaxare. Si enim ſeruus, qui in multis offendit Dominum ſuũm, & reconciliari cupit, ſingulas offenſas confiteri debet, & à ſolis confeſsis abſoluitur: multò magis nos Dei ſeruos, qui multa talentorum milia debemus, agnoſcere oportet apud Deum omnem læſionem omneque debitum, quantum tamen fieri poteſt. Nec minus apud ſacerdotem, cui totius cauſæ arbitrium commiſit. *Ordinẽ quo ſacerdoti peccata cõfiteamur, & per eum Deo, Chriſtus inſtituit.* Hunc enim ordinem inſtituit Deus, quod peccator patri non reconciliatur niſi per filium, nec filio, niſi per eccleſiam: quia ſicut pater nõ iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio, ita filius totum in eccleſiam transfudit, collatis Petro clauibus regni cœlorum, & vniuerſos Apoſtolos mittens, ſicut eum miſerat pater ad remittendũ & retinendũ quorũlibet hominũ peccata. Et quia verè pœnitẽs Deo offenſo ſe ſubmittit ad omnẽ emendã, quæ ab eo requiritur, & arbitrium emendæ cõmiſſum eſt ſacerdoti, Chriſti hac in re vicario: omnia peccata ei exponere oportet, vt rectè arbitrari poſsit. Videtur tamen ſufficere talis peccatorum confeſsio, qua iudex rationabiliter ſit contentus. Hoc enim requiritur, atq; etiam ſufficit in omni iudicio. Et ſuperius circa articulum tertium probatum eſt ſacramẽtum pœnitentiæ ad ſalutem eſſe neceſſarium omnibus relapſis poſt baptiſmum. Et quia huius ſacramenti materia eſt confeſsio integra, ſicut aqua Baptiſmi, neceſſe eſt, quod confeſsio omnium peccatorum mortalium ad ſalutẽ ſit etiam neceſſaria. Ait enim Concilium Florentinum ſecundam partem, quaſi materialem pœnitentiæ eſſe confeſsionem, ad quam pertinet, vt peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo ſacerdoti confiteatur integraliter. Nec tamen ſolùm propterea eſt neceſſaria, verùm etiam quia in hoc Sacramento miniſter iudex eſt, & grandem pronunciat ſententiam ad mortem vel vitam æternam. Qui autem ſententiam de re aliqua pronunciaturus eſt, plenè eandem rem prius cognoſcere debet: ſicut ait Sapiens, Qui iudicat quæ nouit, iudex iuſtitiæ eſt. *Prouer. 12.*

Sacerdotem autem in ſacramento pœnitentiæ & reconciliationis conſtitutum eſſe à Chriſto iudicem, eiuſque in remittendo peccata commiſſarium, clarè docent, vt diximus, verba Saluatoris. Nam remittere & retinere peccata in Deum commiſſa, abſoluere & ligare actus ſunt iudiciales, qui per ſolum iudicem legitimè exerceri poſſunt. *Ioan. 20. Actus iudiciales nõ niſi per iudicem exerceri poſſunt.* Quomodo & veteres ea ſunt interpretati, nempè B. Hylarius Matth. 16. Beatus, inquit, cœli ianitor, cuius terreſtre iudicium præiudicata auctoritas ſit in cœlo, vt quæ in terris ligata ſint aut ſoluta, ſtatuti eius conditionem obtineant & in cœlo. *Libro 3.* Et B. Chryſoſt. de dignitate ſacerd. dicit Chriſtum totum iudiciũ, quod à patre accepit, in Apoſtolos transfudiſſe. Ac Gregorius Nazianzenus in oratione ad Imperatorem & principes eius, Ouis (inquit Imperatori) mea es, & nos habemus tribunalia. *Sacramentũ pœnitentiæ comparatur iudicio forenſi.* Et beatus Gregorius Papa homil. 26. Euangeliorum comparat ſacramentum pœnitentiæ cum iudicio forenſi, in quo cauſæ primũ cognoſcuntur & explorantur, deinde iudicantur. Idemque debere fieri à ſacerdote oſtendit & B. Bernardus poſt Cyprianum & Hylarium, dicens, quòd ſententia Petri præcedit ſententiam cęli. In Concilio autem Florentino definitũ eſt, quod miniſter huius ſacramenti, eſt ſacerdos habens auctoritatẽ abſoluendi: vel ordinariam, vel ex commiſsione ſuperioris. Et in Concilio generali tempore Innocen-

Innocentij tertij definitur & mãdatur, quòd omnis vtriuſque ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio ſacerdoti, & iniunctam ſibi pœnitentiã proprijs viribus ſtudeat adimplere. Si quis autem alieno ſacerdoti voluerit iuſta de cauſſa confiteri, licentiã prius poſtulet & obtineat à proprio ſacerdote: cũ aliter ipſe illum non poſsit abſoluere vel ligare, vbi etiam docet, quòd ſacerdos iudex ſit in ſalutem peccatoris conſtitutus, qui ſimul fungi debeat medici officio, non ſolum peccati morbum tollendo & ſanitatem reſtituendo, quando ſacramentaliter abſoluit, ſed etiam cõtra reciduum muniendo & præſeruando: in quo conſiſtit ſecundus actus pęnitentiæ, vt ſcilicet peccata in futurum caueantur. Addit idem Concilium, Sacerdos autem ſit peritus & cautus, vt more periti medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus ſauciato, diligenter inquirens & peccatoris circunſtantias & peccati: quibus prudenter intelligat, quare debeat præbere conſilium, & cuiuſmodi remedium adhibere, diuerſis experimentis vtendo ad ſanandum ægrotum. Magna igitur præſumptio & temeritas eſt, contra ſcripturarum & maiorum teſtimonia ac Cõciliorum definitiones docere, quòd eorum duntaxat peccatorum confeſsio neceſſaria eſt, ſine qua conſilium, informationẽ & conſolationem habere nõ poſſumus, quodq; non ſit facienda niſi homini perito, qui gratiam habeat cõſulendi, exhortandi, & conſolandi, quaſi hæc confeſsio iuris eſſet naturæ, ethnica, & non ſacramentalis ex Chriſti inſtitutione. Magna prætereà eſt temeritas Apologiæ, quæ contra hæc teſtimonia toti orbi proponere audet abſolutionem non eſſe iudicium, reclamante etiam ipſa nominis ratione. Ait enim, Obijciunt quidam iudicem prius debere cognoſcere cauſam quàm ſententiam pronunciet: hoc nihil ad hanc rem pertinet, quia abſolutio eſt alieni beneficij executio, non autem iudicium. Chriſtus enim dedit mandatũ remittendi peccata: id mandatum exequuntur miniſtri: non habent mandatum de cognoſcẽdis peccatis. Hoc, ait, intelligi poteſt ex eo, quia infinita peccata remittũt, quæ nec noſipſi meminimus, quibus remittuntur.

Apologiæ obiectio.

Nullam hic audimus ſcripturam aduerſus tantam teſtium, patrum ſcilicet eccleſiaſticorum, nubem: nullam alicuius momẽti rationem, quare abſolutio non ſit iudicium, niſi quia alieni beneficij eſt executio. Mirum certè, quòd non clarè dicat Philippus, quod reuera ſentit & paſsim ſcribit, abſolutionẽ nimirum eſſe annunciationem Euangelij erga eum, qui abſoluitur. Tunc enim intelligeretur non eſſe iudicialis: ſicut nec prædicatio Euangelij, quæ fit ad cœtum ſiue eccleſiã. Sed credo, quòd eum pudeat confiteri id ꝙ ſentit, ſciens à Catholicis & huius ſeculi etiam hæreticis, ex ſcripturis improbari abſolutionem, quam prædicat eſſe Euangelij priuatam annũciationem. Annunciatio autem euangelij priuata & ſingularis, obſcurè dicitur executio alieni beneficij: ſed veriùs diceretur annunciatio ſiue communicatio beneficij remiſsionis peccatorum per mortem Chriſti quam eius executio. Nam omnis iuſtitiæ adminiſtratio eſt executio beneficij ex gratia principis accepti & indulti: nec tamẽ obſtat, quo minus ſit iudicialis: imò eo ipſo iudicialis eſt & iudicium. Et dedit quidem Chriſtus mandatum remittendi peccata, ſed hoc mandatum ſententiã & iudiciũ pronunciandi: quamuis potius poteſtatem dederit, quam mandatum in his verbis, Quorum remiſeritis peccata, &cæt. Et erroneum eſt, quod aſſumitur, miniſtros non habere mandatum de cognoſcendis occultis. Nam beatus Cyprianus docet peccata cordis ſacerdoti confitenda. Similiter & Origenes, vt ſtatim patebit ex eorum proferendis ſententijs. Nec diſtinguit Dominus Saluator inter occultum & manifeſtum peccatum, dum ſimpliciter dicit, Quorum remiſeritis peccata, &cæt. Offenditur enim Deus peccatis noſtris occultis, etiam ſi in illo corde lateãt: de quibus propterea abſolui oportet, vt remittantur in cœlis: Eſt enim ſacerdos in hoc ſacramento iudex vice & loco Dei, vt ſupra dictũ eſt. Quod etiam apertè docet B. Gregorius explicans locum, Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis: Libet, inquit, hic intueri, illi diſcipuli ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriæ ſint perducti. Ecce non ſolum de ſemetipſis ſecuri fiũt, ſed etiam alienæ obligationis poteſtatẽ relaxationis accipiunt, principatumque superni iudicij ſortiuntur, vt vice Dei quibuſdam peccata retineant, quibuſdam relaxent. Ecce qui diſtrictum Dei iudicium metuunt, animarum iudices fiunt: & alios damnant vel liberant, qui ſemetipſos damnari metuebãt. Horum profectò epiſcopi locum tenent: ligandi atque ſoluendi authoritatem ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiuntur. Grandis honor, ſed graue pondus iſtius eſt honoris. Durum quippe eſt, vt qui neſcit tenere moderamina vitæ ſuę, iudex fiat vitę alienę. Nihil igitur mirandum eſt, quòd animarum vice Dei iudices, non ſolum de manifeſtis, ſed & occultis iudicare poſsint, modo tamẽ in confeſsione eis exponatur. Sed audiamus apologiæ probationem. Hoc, inquit, intelligi & probari poteſt ex eo, quia infinita peccata remittunt, quæ nec noſipſi meminimus, quibus remittuntur. Cui reſpondetur, quòd aliquando pauca peccata, non infinita remittunt. Et ſi infinita, quorum nec ipſi quidem confitentes meminerunt, ipſa remittuntur tanquam peccata oblita, vel per conſequentiam ſolùm, eò quòd peccatum confeſſum ſine oblitis nõ remittitur: vel immediatè, ſicut ea, quæ ſumus confeſsi. Super quo diuerſæ ſunt doctorum ſententiæ. Sed condonemus ei, quod propriè ſecundum ſe remittantur: dicetur quòd ſolùm confitenda ſunt peccata, quæ memoriæ occurrunt poſt diligentem inqui-

Reſponſio.

Ioan. 20.

Sermone de lapſis.

In inſtitutione huius ſacramenti nõ diſtinguitur inter peccatum occultũ & manifeſtum. Euangeliorum homil. 26. in octaua Paſchæ.

Sacerdotes vice Dei peccata retinẽt vel relaxãt, & animarũ ſunt iudices.

Apologiæ obiectionis ſolutio.

inquiſitionem:atq; his remiſsis remittuntur & alia, licet ſpecifice non ſint enumerata.

Manifeſtum eſt ex dictis, quod omniũ peccatorum confeſsionem apud ſacerdotem faciendam eſſe, ſit iuris diuini: atq; id efficaciter ex euangelio, ſaltem ſecundum concordem patrum intelligentiam, probari & concludi: & propter naturam iudicij, quod exercetur in ſacramento pœnitentiæ: & quia huius materia eſt: ob quod inſinuatum eſt potius confeſsionis præceptum, quam verbis expreſsis præſcriptum: ſicut catechiſmus præcipitur ante baptiſmum in eo quod mandatur baptiſmus, per quem intratur in familiam Chriſti. Ex quo ſequitur reipſa neceſsitas diſcendi leges & mores familiæ ac voluntatem Domini in ſuis domeſticis, & ſic etiam naſcitur neceſſarium catechiſmi præceptum. Ita intellexiſſe videtur præceptum confitendi apud ſacerdotem Hugo de ſancto Victore, cũ ait: Medicis dixit, vt curarent infirmos, non dixit vt ad medicos curandi venirent. Hoc enim quaſi certum eſſe voluit, quòd ægri libẽter ſalutem quærerent, & ſe curandos offerrent, ſi medicos inuenirent: Morbus ſufficienter infirmos admonet: neq; opus pręcepto habent, ſi morbo cruciantur. Quamuis enim in hoc ſacramento ſit forum miſericordiæ, & iudicium clementiæ: ea tamen, quæ de ratione ſunt iudicij, quod ibi exercetur, in eõ inueniri debent. Sunt autem in omni iudicio neceſſaria, iudex, reus, teſtis & accuſator, aut deficiente accuſatore, inquiſitio ex officio iudicis. Oportet igitur & has perſonas eſſe in hoc iudicio, quod Chriſtus his verbis inſtituit. Nec miſcemus propterea quæ fori ſunt exterioris cum iudicio ſacramenti pœnitentiæ: ſed quæ ex fori natura omni iudicio competunt, docemus competere & foro conſcientiæ. Teſtem autem integrè deponere oportet de eo, quod nouit, & accuſatorem non præuaricari. Debet ergo pœnitens non de vna offenſa tantùm, ſed de omnibus ſe accuſare, & confiteri culpæ & offenſæ qualitatem & quantitatem, quantum humana patitur fragilitas, vt ſacerdos iudex vice Dei plenè cognoſcat ſtatum pœnitentis. Et quamuis idem teſtis eſſe poſsit, reus & accuſator, quemadmodum fit hic in confeſsione: non patitur tamen natura iuriſdictionis, quòd idem ſit iudex & reus. Cum igitur ius dicatur diuinum, non ſolùm quod expreſsis verbis literæ ſacræ continent, ſed etiam quod neceſſaria ac euidenti conſequentia ex eis infertur: ſicut quòd Chriſtus ex quatuor conſtabat elementis non aliter quàm alij homines, certa fide credendũ eſt, ex eo ꝙ verus erat homo: ita credendũ eſt, ꝙ cõfeſsio peccatorũ ſacerdoti faciẽda ius eſt diuinũ, atq; adeò firmiter credendũ, ſicut ſacramentũ pœnitẽtię ad ſalutẽ eſſe neceſſariũ: eo ꝙ iudiciale ſit, & confeſsio materia eius neceſſaria, nec ſine eã conſtare poſsit. Propter ꝙ in Cõcil. Conſtañ. Martinus quintus in bulla cõdemnationis articulorũ wiclef, Ioan. Hus, & Hieron. de Praga, mandat interrogari ab eo, qui ſuſpect⁹ eſſet de erroribus eorũ, vtrũ credat, ꝙ Chriſtianis vltra contritionẽ cordis, habita copia ſacerdotis idonei, ſoli ſacerdoti de neceſsitate ſalutis cõfiteri teneaſ: ſine dubio intelligens ex inſtitutione diuina & iure euangelico, cũ ea, quæ iuris ſunt humani, nõ ſint materia fidei, nec inter credẽda habeanſ. Nã inter articulos wiclef condẽnatos ſeſſ. 8. ſeptimus erat. Si homo debitè fuerit cõtritus, oĩs cõfeſsio exterior ſuperflua eſt & inutilis. Et in Conci. Cõplutenſi celebrato ex mandato ſedis Apoſtolicæ aduerſus quendã Petrum Oxomenſem & poſtmodũ cõprobato per Sixtum IIII. cõdemnantur 4. propoſitiones eiuſdẽ Petri: quarũ Prima eſt, peccata mortalia quantũ ad culpam & pęnã alterius ſeculi deleni per ſolã cordis contritionẽ, ſine ordine ad claues eccleſię. Secunda, ꝙ cõfeſsio de peccatis in ſpecie fuerit ex ſtatuto vniuerſalis eccleſię, nõ de iure diuino. Tertia, ꝙ prauas cogitationes cõfiteri nemo debet, ſed ſola diſplicẽtia delentur ſine ordine ad claues. Quarta, ꝙ cõfeſsio nõ debet eſſe ſecreta. Atque has oẽs & ſingulas ſynodus hæreticas eſſe definiuit. Et quia hęc ſynodus auctoritate Sixti IIII. fuit cõgregata, & cõfirmata, poſtea literis apoſtolicis, quas ex integro recitat Reueren. pater Alfonſus de Caſt. lib. de hęreſibus: ideò ibi denuò eædẽ tanq̃ hæreticę cõdemnanſ. Nõ igitur amplius dubitare licet, an cõfeſsio ſecreta omniũ peccatorũ, q̃ fit ſacerdoti, ſit ex inſtitutione Chriſti & iure euangelico: ſed tanq̃ hęreticus nunc habendus eſt, qui hoc negare audet, aut contrariũ affirmare: prout etiã deducit V. Magiſter noſter Iacob. Latomus, meus in ſuſceptiõe magiſterij collega, in docto libello quẽ de cõfeſsione fecit, aduerſus Oecolampadiũ. Idẽ latiſsimè docet Albert. Pigh. & proſequiſ aduerſus Eraſmũ, qui frequenter inſinuat & docet cõfeſsionem ſecretã & ſacramentalẽ eſſe inſtitutum humanũ. Similiter & B. Tho. ac B. Bonauentura ſcribũt circa textũ magiſtri diſt. 17. 4. ſent. ꝙ poſt determinationẽ eccleſiæ in Concil. generali, quæ habetur ca. Oĩs vtriuſque ſexus, de pœn. & remiſ. nõ eſt opinio, ſed hæreſis iudicanda ſentẽtia, q̃ habet ad remiſſionẽ peccati mortalis contritionem cordis ſufficere, & nõ requiri confeſsionẽ oris. Intellexerunt eñ, ꝙ Conciliũ ſupponebat eſſe præceptũ Chriſti de confitendo proprio paſtori, vel eius vicario oĩa peccata, & determinabat illud ad certũ tempus, ita vt totũ eccleſiæ præceptũ ſit euangelicũ, eo ſolo excepto, ꝙ fieri debeat ſemel in anno. Manifeſtũ eſt igitur, ꝙ nõ ab Innocẽtio tertio inſtituta eſt ſecreta peccatorũ cõfeſsio, nec ipſius tẽpore primùm incepta eſt eius ex pręcepto obligatio, nec tunc primũ cępit eſſe in eccleſia eius vſus: ſed inſtituta eſt à Chriſto, à quo & accepit obligationẽ & mandatũ: eiuſq; vſus à tẽporibus Apoſtolorũ ſemp fuit in eccleſia catholica, atq; manebit vſq; ad ſeculi conſũmationẽ: vnde etiã efficax ſumiſ argumentũ, ꝙ ſit euãgelica & ex iure diuino. Vſum aũt huius cõfeſsionis ſemper in eccleſia fuiſſe cla-

riſsimè

Lib 2. de ſacramentis.

Infirmos morbus ſufficiẽter de medico conſulẽdo admonet

Id quod expreßis ſcripturæ verbis neceſſario ac euidenter inferri poteſt, etiam eſt ius diuinum.

Petri Oxomenſis propoſitiones damnata.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

In verbo Confeßio.

Confeßio nõ eſt ab Innocentio 3 inſtituta, nec tũc temporis primum cepit eius vſus.

riſsimè docetur ex patrum eccleſiaſticorũ, qui ante mille quingentos annos ſcripſerũt, teſtimonijs, qui hãc doctrinam & fidẽ in ſuis libris nobis tradiderunt. Nam B. Dionyſius Areopagita in epiſtola ad Demophylũ grauiter eũ arguẽs ſcribit, Tu verò vt tuę literæ indicant, procidentem ſacerdoti impium, vt ais, atque peccatorem, neſcio quo pacto contra diſciplinę ordinem aſtans calce abiecisti, cùm ille quidem verecundè, quod oportuit, fateretur ſe ad peccatorum remedia quærenda veniſſe: neque exhorruiſti inſuper & ſacerdotem optimum lacerare conuitijs, miſerabilem eum dicens, qui pœnitentem impium iuſtificaſſet. Et Origenes in Pſalm. 37.

Homil. 1 & 2 & hom 10 ſuper numeros.

Vide, inquit, quòd nos edocet ſcriptura diuina, quia oportet peccatum non celare intrinſecus. Fortaſsis enim ſicut hi qui habent intus incluſam eſcam indigeſtam, aut humores, aut flegmata, ſtomacho grauiter & moleſtè imminentia: ſi vomuerint, releuantur:

Secreta confeſsio tẽpore Origenis.

Ita etiam hi qui peccauerũt, ſiquidem & occultant & retinẽt intra ſe peccatum, intrinſecus vrgentur, & propemodum ſuffocantur à flegmate vel humore peccati. Si autem ipſe ſui accuſator fiat, dum accuſat ſemetipſum & confitetur, ſimul euomit & delictũ, atque omnem morbi cauſam digerit. Tantummodo circumſpice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum: proba prius medicum cui debeas cauſam languoris exponere, qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui cõdolendi & compatiendi dederit diſciplinam: vt ſi quid ille dixerit, qui ſe prius & eruditum medicũ oſtenderit & miſericordem, ſi quid conſilij dederit, facias & ſequaris: Si intellexerit & præuiderit talem eſſe languorem tuum, qui in cõuentu totius eccleſię exponi debeat & curari: ex quo fortaſsis & cęteri ædificari poterunt, & tu ipſe facilè ſanari, multa hoc deliberatione, & ſatis perito illius medici conſilio procurandnm eſt.

Idem homo 8. in Leuiticum.

Et b. Cyprianus de his qui corde tantum peccauerant: Hi, inquit, quamuis nullo ſacrificij aut libelli facinore conſtricti ſunt, quoniam tñ de hoc vel cogitauerunt, hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter cõfitentes exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pond' exponũt, ſalutarem medicinam paruis licet & modicis vnlneribus exquirnnt.

Sermone de lapſis.

Peccatorum cordis fiebat cõfeſsio tẽpore Cypriani.

Ac paulò poſt, confiteantur ſinguli, quæſo vos fratres, delictum ſuum, dum adhuc qui delinquit in ſeculo eſt, dum admitti confeſsio eius poteſt, dum ſatisfactio & remiſsio facta per ſacerdotes, apud Dominum grata eſt. Ac B. Hieronymus in comment. ſuper Eccleſiaſten, circa locnm, Si mordeat ſerpens, Magiſter, inquit, ei prodeſſe non poterit, qui vulnus noluerit confiteri.

Initio lib. 3.

Et apertiſsime in commen. ſuper Matth. Et b. Auguſt. Homil. 49. & 50. quorum ſententias ſuperius citauimus.

Cap. 10.

Atq; in Leuit. Origenes ſiue ſit Cyrillus Homil. 8. Eſt, inquit, aliquid in hæc mirabile, quod ſecretum iubet pronunciari peccatum. Etenim cuiuſuis generis peccata pronuncianda, ſunt, & in publicum proferenda cuncta quæ gerimus. Si quid in occulto, ſi ſermõe, vel etiam intra cogitationũ ſecreta cõmiſimus, cũcta neceſſe eſt publicari, cũcta profiteri: aut à nobis, aut ab illo qui accuſator peccati eſt incentor.

Cõfitẽda ſunt quæ intra cogitationũ ſecreta commiſimus.

Et paulò ſuperius docet, quod hæc confeſsio faciẽda eſt ſacerdoti. Ac B. Leo papa in epiſt. 57. quę eſt ad vniuerſos Epiſcopos per Campaniam apertiſsimè docet de ſecreta cõfeſsione, publicari eã prohibẽs, ꝙ fieri tunc cõſueuerat. Illã, ait, cõtra apoſtolicã regulã pręſumptionẽ, quã nuper cognoui à quibuſdã illicita vſurpatione committi, modis omnibus cõſtituo ſubmoueri (de pœnitentia videlicet quæ ita à fidelibus poſtulatur) ne de ſingulorũ peccatorum genere libellis ſcripta profeſsio publice recitetur, cũ reatus conſcientiarũ ſufficiat ſolis ſacerdotibus indicari cõfeſsione ſecreta.

Confeſsio ſecreta.

Quamuis eni plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ ꝓpter Dei timorẽ apud homines erubeſcere nõ veretur: tñ quia nõ omniũ huiuſmodi ſunt peccata, vt ea quę pœnitẽtiam poſcũt, nõ timeant publicari, remoueatur tam improbabilis cõſuetudo: ne multi à pęnitẽtię remedijs arceãtur, dũ aut erubeſcũt, aut metuunt inimicis ſuis ſua facta reſerare, quibus poſsũt legũ conſtitutione percelli. Sufficit enĩ illa confeſsio, quæ primũ Deo offertur, tunc etiam ſacerdoti, qui pro delictis pœnitentiũ precator accedit.

Deo primũ offerenda cõfeſsio.

Tunc enim demũ plures ad pœnitentiã poterunt prouocari, ſi populi auribus nõ publicetur cõſcientia confitentis. Atq; in hiſtoria tripartita, narrat Zozomenus ab antiquis pontificibus conſtitutũ fuiſſe, ꝙ confeſsio peccatorũ fieret in publico, ſacerdoti ſapienti, bonæ conuerſationis, & ſeruanti ſecretũ: quodq; illa antiquitatis cõſuetudo Cõſtantinopoli per Nectariũ fuerat ſublata vt occurreret furori populi tumultuãtis ob ſcelus à diacono quodam in matronam honeſtam pœnitentem admiſſum.

Antiqua conſuetudo ſecretæ confeſsionis tempore B. Chryſoſtomi.

Cuius tamen Nectarij factum non probat, eò quòd minora peccata ob pudorem confeſsionis & ſubtilitatem examinantium antea perpetrarentur. Nam in hiſtoria eccleſ. lib. 2. Ruffini, de Nactario dicitur, quòd inexpertus rei eccleſiaſticæ ex prætore vrbano, iam recens baptiſma conſecutus ſacerdotium ſuſcepit.

Cap. 21.

Eandem hiſtoriam ſcribens Socrates lib. 5. Eudemõ, inquit, quidam eccleſiæ presbyter conſilium Epiſcopo Nectario dedit, vt presbyterum pœnitentiarum abrogaret, permitteretq; vt pro ſua quiſq; conſcientia ad communionẽ myſteriorum accederet, quod hac ſola ratione futurũ eſſet, vt maledictis eccleſia liberaretur.

Cap. 19.

Hoc ego ex ipſo Eudemone audiui, & dicebam, An conſilium tuum ſacerdos eccleſiæ profuerit, an ſecus, Deus viderit: Video autem te dediſſe occaſionem, quòd peccata iam inuicem non redarguuntur, nec præceptũ Apoſtoli ſeruatur quo dicit, neque communiceris operibus infrugiferis ac tenebrarum, ſed magis arguite.

Ephes. 5.

De quo Nectarij facto latiùs agemus circa ſententias aduerſariorum. Hic obſeruare conuenerit,

Ioãnes Chryſoſtomus immediat⁹ Nectarij in epiſcopatu ſucceſſor.

quòd eo tempore erat antiquitatis conſetudo Conſtantinopoli & Romæ obſeruata, vt peccata in publico loco, ſecretè tamen, ſacerdoti ſecretum ſeruanti confitebantur. Quid autem in eadem eccleſia ſeruauerit B. Chryſoſtomus immediatus Nectarij ſucceſſor, & quid docuerit de hac confeſsione, poſtea etiam ſumus dicturi. nam ex eius homilijs, vt homil. 26. in Geneſim: homil. 19. in 4. caput Geneſeos: homil. 3. & 33. multæ citari ſolent ſententiæ pro ſecreta peccatorum confeſsione. vt videre licet in locis communibus venerabilis patris Hofmeiſteri: ex quibus videtur ſuſtuliſſe quod induxerat Nectarius, & reſtituiſſe antiquam eccleſiæ conſuetudinem. Et B. Paulinus in vita B. Amb. ſcribit, quod quotieſcunq; aliquis illi ob percipiendam pœnitentiam ſua confitebatur peccata, ita flebat, vt illum flere compelleret: cauſas autem criminum quas cõfitebatur, domino ſoli, apud quem intercedebat, loquebatur: bonum relinquens exemplum poſteris ſacerdotibus vt interceſſores magis ſint apud Deum, quàm accuſatores apud homines. Atque B. Berna. in vita Malachiæ, inter reliquas laudes eius dicit, quod vſum ſaluberrimum cõfeſsionis, apud barbarum populum Hyberniæ iã obliteratum, reduxit. Poſſem huc producere Sanctum Clementem familiarem Petri diſcipulum, referentem Petrum Apoſtolum tradidiſſe cogitationes etiã malas oportere Chriſtianos ſacerdotibus Domini manifeſtare.

In epiſtola ad Iacobum Apoſtolum.

Innocentium primum in epiſtola ad Decentium, cap. 7. qui ait, De pondere ſacerdotis eſt iudicare vt attendat ad confeſſionem pœnitentis & ad fletus atq; lachrymas corrigentis, ac tum iubere dimitti cum viderit cõgruam ſatisfactionem. Sanè ſi quis in ægritudinem inciderit, atque in deſperationem deuenerit, ei eſt ante tempus Paſchę relaxandum ne de ſeculo abſque communione decedat. Et B. Ambr. lib. 1. de pœnitentia ca. 2. ad Sanctum Baſilium de inſtitutis monachorum. Sed ex teſtimonijs adductis clariſſime conſtat, tempore Apoſtolorum vſque in diem præſentem ſemper in eccleſia fuiſſe vſum & conſuetudinem ſecretè peccata confitendi, & ijſdem ceremonijs quas adhuc obſeruat eccleſia: vt flexis genibus ante ſacerdotem, & velut in theatro, ſub teſtimonio eccleſiaſtici populi ordinato præsbytero, ſeruãte ſecretũ: ad quem accederent, qui delicta propria confitebantur.

Cap. 7. & 8.

Craſſa itaque atq; intolerabili ignorantia hallucinantur, qui tradunt Innocentium tertium fuiſſe confeſſionis auricularis authorem. De hac re Magiſter noſter Latomus in libel. de confeſsione aduerſus OEcolampadium multorum patrũ ſententias citat pro antiquiſsima conſuetudine ſecretę confeſsionis. Similiter Antididagma ſanctiſsimę eccleſiæ Coloniẽſis, & inſtitutio doctrinæ Chriſtianæ eiuſdem, Albertus quoque Pighius li. 2. Hierarchiæ eccleſ. Vnicam hic addam Nicephori Chartophylacis, ex epiſtola quam ad Theodoſiũ monachum ſcribit de ligandi ſoluendique poteſtate, ſententiam. Ligandi, inquit, ſoluendiq; prouincia pontificibus ipſis, à clementiſsimo Deo noſtro demandata eſt. Siquidẽ ad Petrum ait, Quæcunque ligaueris, ligata: & quæcunq; ſolueris, ſoluta erunt.

Math. 19.

Olim ipſis põtificibus omnes confiteri oportuit.

Vnde olim omnes oportebat ad ipſos pontifices accedere, ſuaque illis occulta prodere, & ſic vel reconciliationem, vel repudium ferre. Ignoro autem qui factum ſit, cur hęc minus obſeruentur: quamuis exiſtimem pontifices negotij tædio, frequentique multitudinis turbulẽtia defatigatos, id operę ad monachos trãſmiſiſſe, ad eos ſcilicet qui verè probati ſint, alijſque valeant eſſe vtiles. Nihil enim tale inexpertis & indoctis permiſerunt. Equidem in aduerſa corporis valetudine illum inquirimus, dicimuſq; medicum, qui tam reipſa quàm verbis malè habentem curare queat. Itaq; non reſpiciemus in hunc vel illum qui præter nomen medici nihil habeat medici, ſed in eum, qui ſicut expedit, medicum præſtare poterit. Porrò ſi quis expertus ſit & frugi, & cum hoc ſacerdotio fungatur, ad illum imprimis accedẽdũ. Nam poterit indigo prodeſſe, accedentem ſe diligentius curare, conciliare item & corrigere. Et paucis interiectis. Vnum cauebit ne indulgentius & citra omnem obiurgationem abſoluat ſi, atq; aliorũ criminũ particeps. Iam ſi qui peccauerunt, lachrymis liqueſcant, ac continenter malorum ſuorum abalienationem meditentur: & licet in eadem reincidant, ſuſcipiendos tamen eos duxeris, congruumq; deputaueris locum. Penes te enim facultas eſt, & vt noſti, menſurã caſtigationis adhibeas, &c.

Atq; tam frequens apud veteres ſit ſermo de ſecreta confeſsione ſacerdoti facienda, & tam vicinum eſt ac conforme ſacramento pœnitentiæ quòd confeſsio ſecreto fieri debeat, vt quidam doctores ſcholaſtici, inter quos eſt Ioãnes Scotus doctor ſubtilis, ſcripſerint non eſſe ſacramentalem confeſsionem, quæ nõ ſecrete fit in aurem ſacerdotis.

Diſtinct. 17. 4. ſentẽ. quæſti. vnica in fine ſolutio. nu argumentorum.

Ac pro ratione adducunt quod ſecretiſsimũ eſt ex ſua natura forum pęnitentiæ: ad quod propterea ex ratione ſacramenti & præcepto diuino ſequitur ſigillũ ſecreti: Ex quo etiam videri poſſet, quòd ius diuinũ exigat, vt ſecreto fiat ſine teſtibus. Id quod inſinuare videtur Concilium Lateranenſe, præcipiens vt omnia ſua peccata ſolus quiſque confiteatur: & idem definire Sixtus quartus in quarta propoſitione condemnationis propoſitionum Petri Oxonienſis. Veriſimilior tamen & verior eſt aliorum ſententia, qui docent non ex Chriſti inſtitutione, nec ex ſubſtantia ſacramenti ſecretam fieri confeſsionem: ſed ab ipſo hoc relictũ prudentiæ naturali & vnctioni ſancti ſpiritus, quando publicè fieri debeat vel poſsit, & quando ſecretè: regula tamen eſt & multum conforme naturæ ſacramẽti, vt occulta peccata occultè cõfiteamur, & ſic iudicẽtur ſine publicatiõe, licet ex cauſa legitima publicari poſſint. Et morẽ aliquãdo fuiſſe in eccleſia, quo peccata occulta, quãdo hoc videbatur ſacerdoti

conuenire publicabãtur, teſtatur Origenes homil. prima, in pſal. 37. ac inſinuat beatus Paulinus de B. Amb. ſupra citatus. Quem morem abrogauit Leo pontifex epiſtola 57. Quod & poſtea ſemper in eccleſia ſeruatum eſt, vt peccata potiſsimum ſecreta non publicarentur, Imo & publica crimina ad ſecretam confeſsionem ante publicationem per abſolutionem remittuntur. Nec tamen vt diximus, neceſſarium eſt, nec de ſubſtantia eſt ſacramenti, vt occulta peccata in vnius ſacerdotis aures ſecretò dicantur, cùm ſecundum B. Auguſt. quanto quis pluribus confeſſus fuerit in ſpe veniæ, facilius remiſsionem aſſequatur: quia erubeſcentia magnam habet pœnam. Et ſcito hunc librum quaſi Auguſtini, eò quòd maiores noſtri ipſum ei aſſcripſerint: & ſi eius non ſit, vetuſti alicuius authoris eſt docentis conſuetudinem eccleſiæ, quę ſuo ſeculo obſeruabatur. Ac conſentiens eſt doctorum ſententia, quòd ſacramentalis eſt confeſsio, quæ fit per interpretem aut ſcripturam, quæ non patiuntur eam omnino eſſe ſecretam. Quod autem dicitur forum pœnitentiæ eſſe ſecretiſsimum, intelligitur, ſecretiſsimum eſſe in fauorem pœnitentis, cui renunciando ex ſacerdotis conſilio pluribus confiteri poteſt. De quo ſanctiſsimus Dominus Adrianus q. 1. de confeſsione, vbi dicit, ꝙ in ca. Omnis vtriuſque ſexus particula, Solus eſt modificatio, extra quam præceptum eccleſię non obligat, quamuis tamen ex præcepto euangelico per literas & per interpretem confiteri teneamur, quando aliter non poſſumus: vt dicit b. Thomas, diſtinct. 17. 4. q. 3. art. 4. q. 3. ad 2. argumentum, de quo & Petrus Paludanus diſtinct. 17. 4. ſenten. q. 2. art. 1. in tertia definitione confeſsionis. ac Syluester in verbo Cõfeſsio, 1. parag. 15. Manifeſtiſsimum igitur eſt ex his dictis, confeſsionem peccatorum eſſe ex iure diuino faciendam ſacerdoti tanquam iudici, de omnibus peccatis tam publicis quam ſecretis, etiam ſi cordis occulta ſint: vt per illũ & per ſacramẽtalem abſolutionem remittantur. Propterea fidelibus qui ſuæ ſalutis curam habent, contemnenda eſt aliorum de confeſsione nuda ſine ſcripturis, ſine ratione, ſine partibus aſſertio, aduerſus Chriſti dicta totiuſq; eccleſiæ catholicæ conſonam ſentẽtiam, in generalibus etiã Concilijs, Lateranẽſi, Conſtãtienſi, Florentino, & Tridentio confirmatã. Nam in Cõcilio Tridentino ſeſſ. 6. definitur Chriſtiani hominis pœnitẽtiam multò aliã eſſe à baptiſmali, & continere nõ modò ceſſationẽ à peccatis, eorumq; deteſtationem, verum etiam ſacramentalem confeſsionem. Et in cap. Ad abolendam de hæreticis, quod eſt Lucij tertij, excommunicantur vniuerſi, qui de confeſsione aliter docent, quàm ſancta Romana eccleſia docet & obſeruat.

Lib. de vera et falſa pœnitentia. ca. 10.

In ſolutione tertij argumenti.

Cap. 14.

Confeſſurus diligentiam legitimam adhibere debet, quò ſacerdoti iudici omnia ſua peccata mortalia manifeſtet. Eſt autẽ in qualibet re legitima diligentia, quę fit pro dignitate & neceſsitate rei in qua adhibetur, & finis propter quem hoc agitur: ſicut diligens eſt ægrotus, ſi ſollicitus eſt vt in tempore ad ſe medicũ vocet, non quemlibet, ſed peritum pro ratione morbi quo laborat. Hic autem adhibenda eſt diligentia, vt in mentẽ nobis veniant omnia peccata mortalia quæ admiſimus: vt ea confiteamur, & animæ ſalutem per abſolutionem recuperemus. Ponat ſe omnino, ait liber de vera & falſa pœnitentia, pœnitens in iudicio ſacerdotis, nihil ſibi ſui reſeruans: paratus facere pro reparanda anima, quæcunq; faceret pro vitanda corporis morte. Ac cap. 9. Rectè pœnitens quicquid ſordium contraxit, abluat lachrymis ſaltem mentis: ſed ſatis durus eſt cuius mentis dolorem oculi carnis nequeunt declarare: ſed ſciat ſe culpabiliter durum, qui deflet damna corporis vel mortem amici, & dolorem peccati non oſtendit lachrymis. Eã itaq; diligentiam adhibere oportet ad rectè confitendum, quam adhiberemus in inquirenda precioſa margarita, aut magno rerum temporalium lucro aſſequendo, quamq; auarus faceret œconomus, qui in multis milib⁹ domino obligatus, ſi omnis debiti cuius facere deberet ſpecificationem, culpã infidelis diſpenſationis agnoſcendo, certam expectaret remiſsionem, & quicquid taceret ſoluere cogeretur. Simile habet Gabriel Biel lect. 8. ſuper canonem miſſæ, citans etiam Ioannem Gerſonem Cancellarium Pariſienſem. Laborandum eſt igitur in diſcuſsione noſtræ conſcientiæ, & eorũ recogitatione quæ egimus, donec probabiliter arbitremur nos veniſſe in omnium peccatorum mortalium à nobis commiſſorum memoriam, nec alia occurſura putemus. Poſt hanc recollectionem ipſa in memoria habere ſtudeamus, quando ſacerdoti confitebimur. Et ſi propter peccatorum multitudinem & temporis, quo cõfeſſi non ſumus, longitudinem, hoc iudicare ac nobis perſuadere non poſsimus, etiam ſi adhibeamus inquiſitionem maiorem (non tamen ingentem ac multum arduam) occurrẽtia confiteri poſſumus atque ab eis abſolui, modò reliqua confiteri proponamus ſi aliquando occurrerint. Nam iuſta hæc cauſa eſſe videtur non omnia peccata ſimul confitẽdi, modo in voluntate ſit & deſiderio omnia confiteri. Multos enim eiuſmodi eſſe caſus, quibus contra noſtram intentionem diuidatur confeſsio, vt non ſit integra, docet Cardinalis Caietanus in ſummula ſua in verbo Confeſsio, circa decimam conditionem confeſsionis: & ſanctiſsimus dominus Adrianus in 1. quæſt. de confeſsione, in ſolutione 4. arg. Non enim tantam neceſſe eſt hîc adhibere gratiam, quantã ſi pro viribus niteremur, adhibere poſſemus. Nec tamen quælibet ſufficit, ſed eã adhibere tenemur, quã viri timentes Deum, quiq; pro conditione & gradu ordinis ſui, adhibere ſolent. Fieri enim poteſt ꝙ contingat negligentia culpabilis in peccatorũ obliuione atq; inquiſitione, quæ tũ abſolutionis fructũ nõ impediat, niſi

Quæ ſit legitima diligentia confeſſuro neceſſaria.

Cap. 15.

In peccatorũ inueſtigatione non opus eſt maxima ac ſumma diligentia.

niſi mortaliter fuerit culpabilis. Quæ etiam ſi talis ſit, non facit tamē confeſsionem non eſſe ſacramētalem, ſed abſolutio ſuum effectum operabitur fictione recedēte. Nec peccata noſtra ſcribere oportet, vt eorum memoriam habeamus tēpore confeſsionis, quia huiuſmodi peccatorum obliuio nō ad ignorantiam iuris diuini pertinet, ſed facti, quæ ſi probabilis fuerit excuſat. Obligatur etiam confeſſor iuuare infirmitatem confitentis, ab eo diligenter inquirendo, quæ ad ſtatum, conditionem, & officium eius pertinere videntur: quemadmodum docet Concilium generale, Sacerdos, inquit, ſit diſcretus & cautus, vt more periti medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens et peccatoris, & peccati circunſtantias: quibus prudenter intelligat quale debeat ei præbere cōſilium, & cuiuſmodi remedium adhibere. Vbi Conciliū præcipuam tradit rationem, propter quam integram eſſe oporteat confeſsionem, quia ſcilicet officium ſacerdotis non tantùm eſt abſoluere à peccatis, ſed & conſulere & mederi, ne in peccatum cōfitens relabatur. Quā rationem cum alijs ponit beatus Thomas diſtinct.17.4.quæſt.3.art.4. Et ſanctiſsimus dominus Adrianus pleniùs quæſt. 4. de confeſſione ad probandum, quòd debeat integra eſſe confeſsio ac omnium peccatorum. Nam ſicut confeſsio peccatorum, ita & eius integritas eſt ex præcepto diuino & neceſſaria materia ſacramenti, vel docet Concilium Florentinum dicens ad confeſsionem, quæ eſt materia ſacramenti, pertinere, vt omnia peccata, quorum memoriam homo habet, integre confiteatur: intelligit autem poſt factam diligentem inquiſitionem. Non enim ſufficit omnia confiteri quæ occurunt, ſi nulla præceſſerit conſcientię diſcuſsio. Nec ſolū ad hunc finem inquirere debet peccata ſua confeſſurus vt ſacerdoti confiteatur: ſed multò magis, arctiorique ad hoc obligatur præcepto, vt ſuper illis conteratur, & coram Deo ſe humiliet, culpamq; deprecetur: quēadmodum ſuperiùs diximus ex ſententijs B. Chryſ. Facta autem hac diligentia ab omnibus peccatis abſoluimur, etiam ijs quæ confeſsi non ſumus, ſaltem per modum ſequelæ & concomitantię, cum Deus non remittat vnum peccatū mortale ſine alio. Naſcitur autē hæc obligatio inquirendi peccata ex pręcepto integre confitendi: imò vnum idemque præceptū eſt de confeſsione, de eius integritate, de examine cōſcientiæ ac peccatorū inquiſitione. Ob id enī homo integrè confiteri tenetur, quia cōfeſsio fieri debet ſacerdoti, qui iudex eſt & animarū medicus, cuius arbitrio ſe totū exponere & cōmittere oportet: ſicut infirmus ſe cōmittere debet periti medici conſilio, eique ſe totum manifeſtare: & nihilominus medic⁹ interrogare debet quæ expedire nouit ad ipſius curationem. Et propterea articulus meminit confeſsionis mortalium peccatorum. quia propter illa ſacramentum principaliter eſt inſtitutum, quum ordinetur ad reconciliationem peccatoris atque ad reparandam amicitiam, quæ per ſola mortalia ſoluitur. Ac Dominus dicens, Quorum remiſeritis peccata, principaliter ea intelligit per quæ offenditur & relinquitur. Et ideo præceptum non eſt peccata venialia confiteri ſacerdoti, imò nec de eis ſpecialiter cōteri aut Deo ipſa confiteri oportet: vt dicit B. Thomas 3. parte. q.87. art.1. Imò nec propoſitum ab eis abſtinēdi requiritur vt remittantur, ſicut idē dicit diſtin.17. q.2. art.2. quæſtione. 2. ad 2. quamuis moderatiùs de hoc loquatur in tertia parte quæſtione & articulo immediatè ſuprà citatis. Et multò minus requiritur diligentia ea inquirendi. Quòd autem ſacerdoti ea confiteri non teneamur, probat ſanctiſsimus Adrianus ex eo quòd nullum eſt tam magnum veniale peccatum quod non remittatur poſt mortē, iuxta ſententiam Apoſtoli primæ ad Corinthios.3. Cum enim charitatem nō tollat, non excludet perpetuò à regno cœlorum: nec magis tenemur peccatum expiare quàm vitare: ad hæc pœnitentia eſt ſecunda tabula poſt naufragium: per veniale autem peccatem nemo naufragatur. Et huic iudicio ſacramentali quod vice Chriſti exercetur, proprium eſt ac peculiare vt ſit de occultis quæ in corde latent, quæ per ſe ſunt occulta. Non enim iudicium fori externi, ne eccleſiaſtici quidem, circa talia occupatur. Quare etiam hæreticus non eſt excommunicatus per cenſuram eccleſiaſticam, niſi foris ſigno aliquo ſuum errorem prodiderit. Quando igitur præceptūm eccleſiæ, imò & euangelicum dicitur eſſe de omnibus peccatis confitendis, intelliguntur mortalia peccata quæ memoriæ occurrunt, facta diligenti inquiſitione. Vnde propheta dicens, Delicta quis intelligit, in genere de delictis loquitur, non de mortalibus: nec ſignificat impoſsibilitatē, ſed difficultatem: nec magis aduerſatur confeſsioni quæ fit ſacerdoti, quàm quæ Deo fieri debet. Et ſi ſignificaret impoſsibilitatem, (Nam poſſet fortaſsis fieri, vt quis poſt vitā perditam ſine vllo Dei timore multis annis tranſactam, habere non poſsit omnium mortalium peccatorum memoriam) non tamen propterea impoſsibilis eſt ei huius præcepti impletio, confeſsio ſcilicet quam Deus & eccleſia requirunt: quia non omnium ſimpliciter, ſed eorum tantùm quæ memoriæ poſt diſcuſsionem occurrunt, confeſsionem præcipiunt. Nam præcepta nō dantur niſi de actibus humanis, qui noſtræ ſubſunt facultati, & ideo confiteri peccatum, cuius memores eſſe non poſſumus, ſub præceptū cadere non poteſt.

Quòd autem ſolus ſacerdos ſecundum eccleſiæ ritum conſecratus huius abſolutionis eſt miniſter, eadem Saluatoris verba docēt. Non enim omnibus fidelibus, ſed ſolis dixit Apoſtolis, Accipite ſpiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, &c. ac Petro ſoli, Quodcunque ligaueris ſuper terram, &c. Et ſicut tunc hi primum acceperunt hanc poteſtatem,

Confeſsionarius tenetur cōfitentis infirmitatem iuuare.

Cap. omnis vtriuſq; ſexus de peni t. et remiſs.

Abſoluimur etiam à non confeſsis.

Eodē. præcepto tenemur integrè confiteri, quo tenemur cōfiteri.

Ioan. 20.

Nō tenemur peccata venialia cōfiteri.

Præceptū de omnibus peccatis confitē dis loquitur tantū de mortalibus.

Pſal. 18.

Præceptū de cōfeſsione nō loquitur de omnibus ſimpliciter peccatis mortalibus.

Ioan. 20.

Matth. 16.

ſtatim, quam prius non habuerant, ita eam non accipiunt, quibus hæc non dicũtur. Nec vnquam habuit vſus eccleſię quòd alius eſſet huius ſacramenti miniſter, quàm ſacerdos legitimè ordinatus: quemadmodum Timotheum & Titum ordinauit Paulus, atq; huic mandauit vt per ſingulas ciuitates conſtitueret presbyteros. Ordinatus autẽ & ipſe fuit

Cap.4.

Act.13. & cum Barnaba per ſingulas eccleſias presbyteros conſtituebat. Et in 1. epiſt. ad Timotheum. Noli negligere gratiam quæ in te

Cap.1.

eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum præsbyteri, ac cap.5. Manus cito nemini impoſueris. atq; in 2. epiſt. Reſuſcites gratiã Dei quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum. Acceperunt autem quibus impoſitæ ſunt manus ſicut gratiam ita & poteſtatem quam prius non habebant, nec alij habẽt quibus impoſitę non sũt. Ex quibus patet non eſſe in eccleſia ſacerdotes qui ſacramenta miniſtrent, niſi hos ſolos qui legitimè ab epiſcopo sũt ordinati. Quod & patres concorditer ſemper intellexerunt.

Soli ſacerdotes legitimè cõſecrati ſacramẽta miniſtrant.

Cap.2.

Nam B. Chryſ. lib.3. de dignitate ſacerd. Totum, inquit, iudicium quod à patre accepit filius, in ſacerdotes eſt trãsfuſum. Et B. Amb. li.1. de pœnit. ius ligandi atq; ſoluendi ſolis ſacerdotibus eſt permiſſum. Idem li.2. Quid refert, ſiue per ſacramentum pœnitentię, ſiue baptiſmi peccata remittantur? Vtrumque ius datum eſt ſacerdotibus, ad quos ãb Apoſtolis tranſmiſſum eſt. Et B. Hieronymus in comment. euangelij ſecundum Matth.

Super cap.25

Olim ſoli ſacerdotes inter leprã & non lepram iudicabant

Cap firmiter de ſumma trinit. & fid. catho.

Datæ ſunt, inquit, claues eccleſiæ epiſcopis & ſacerdotibus. Nam & veteris legis ſacerdotes ſoli iudicabant inter lepram, & non lepram, & ad eos ſolos dominus leproſos miſit. Similiter loquitur Hylarius in canonibus circa cap.16. Matth. & B. Grego. in homil.26. in octauis paſchæ, quæ loca ſuperius ſunt citata. & in Concilio generali ſub Innocentio 3. celebrato definitur quòd ſolis Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus datæ ſunt claues regni cœlorum. In Concilio item Florentino, quod miniſter ſacramenti pœnitentiæ eſt ſacerdos, habens authoritatem abſoluẽdi, &c. Rurſum in Concilio Conſtantienſi literis Martini quinti mandatur à ſuſpectis fieri inquiſitio, an credat, an quod Chriſtanus ſoli ſacerdoti cõfiteri teneatur, & non laico quantumcunq; bono & deuoto. Abſurdiſſimum autẽ eſſet quòd vnuſquiſq; Chriſtianus præpoſitus & iudex eſſet aliorum ac quemlibet ligare & ſoluere poſſet. Quapropter probari non poteſt priuilegium quo conceditur, quòd quem libet ſacerdotem aliquis eligere poſſit, cui ſua peccata confiteatur, v[t] dicit Henricus de Gandauo quodlib.10, q.4. eò quòd euertat diſciplinam eccleſiaſticã, ſi poſſit quis eligere iudicem peccatorum quem velit. Præterea quòd debeat eſſe ſacerdos verè conſecratus huius ſacramenti miniſter, docet B. Aug. lib. 2. contra epiſtolam Parmeniani,

Cap.13.

Quod quidam eorum, ſcilicet Donatiſtarum, inquit, veritate cõuicti dicere cęperũt, Baptiſmum quidẽ nõ amittit qui recedit ab eccleſia, ius tamẽ dãdi amittit, multis modis apparet fruſtra & inaniter dici, Primũ, quia nulla oſtenditur cauſa cur ille qui baptiſmũ amittere non poteſt ius dandi poſſit amittere. Vtrunq; enim ſacramentum eſt & quadam conſecratione vtrumq; homini datur, illud cũ baptizatur, iſtud cum ordinatur. Ideoq; à catholico vtrumq; non licet iterari, ac deinde oſtendit indelebilẽ characterẽ im-

Cap.1.

primi in vtroq;. Idem libro primo de baptiſmo cõtra Donatiſtas, Sacramentũ, inquit baptiſmi eſt, q[uod] habet qui baptizatur, & ſacramẽtum dandi Baptiſmi eſt, quod habet qui ordinatur. Et ideo ſicut redeuntes qui priuſquã recederent, baptizati ſunt, non rebaptizantur: ita redeũtes, qui priuſquam recederent ordinati ſunt, non vtique rurſus ordinãtur

Baptiſmus et ordo non iterantur.

ſed aut adminiſtrant quod adminiſtrabant, ſi hoc eccleſiæ vtilitas poſtulet: aut ſi non adminiſtrant, ſacramentum ordinationis ſuæ tamen gerunt. Et quamuis docente B. Hieronymo aduerſus Luciferianos ſit ſacerdotium quoddam laici quod in baptiſmate confertur: hoc tamen, vt dicit, eſt ad offerẽdum hoſtias ſpirituales, laudis & orationum, fructum labiorum cõfitentium nomini Dei, & non ad diſpenſandum ſacramenta.

Hebræ.13.

Hic autẽ ritus quo ſacerdotes conſecrari ſolebant, erat olim impoſitio manuum, vt patet ex ſcripturæ locis ſupra citatis: nunc autem eſt traditio calicis cum vino, & patinæ cum pane, dicente Epiſcopo Accipite poteſtatem offerendi ſacrificium in eccleſia pro viuis & mortuis: in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſecundum definitionem Concilij Florentini, nulla facta mentione poteſtatis remittendi aut retinendi peccata.

Ritus quo nunc conſecrantur ſacerdotes.

Cauſa autẽ huius mutationis, ſicut circa primum articulum diximus, eſt confuſa & indiſtincta ſignificatio impoſitionis manuũm, quę ad varios fines fieri ſolet. Quare nunc extra ſubſtantiã ſacramenti: vel ſi de ſubſtantia, extra neceſſitatem ſacramenti ſunt reliquæ cæremoniæ: puta raſio capitis, vnctio manuũ earumq; impoſitio, & ſimiles: vt dicit Gregorius 9. in cap. finali de ſacramentis, non iter. Et quia Concilium nullam facit mentionem poteſtatis remittẽdi & retinendi peccata, aut alia ſacramenta adminiſtrandi, docet poteſtatem reliqua ſacramenta miniſtrandi inniti poteſtati conſecrandi ac offerendi verum Chriſti corpus & ſanguinem, atque ex ea, quia eſt circa verum Chriſti corpus, proficiſci omnem poteſtatem quę eſt circa corpus Chriſti myſticum, hoc eſt eccleſiam vel Chriſti fideles miniſtrandi ſcilicet reliqua ſacramenta, aut potius eandem eſſe poteſtatem, quæ ad diuerſas extenditur functiones & miniſteria, vt docet beatus Thomas diſtinct. 18.4. quæſt.1. art.1. q.2. In ſolutione 1. Ad duo inquit, quorum vnum eſt cauſa alterius, vna ordinatur poteſtas: ſicut in igne ad calefaciendum & diſſoluendum. Et quia omnis gratia & remiſſio in corpore myſtico ex capite ſuo ei prouenit, ideo eadem poteſtas per eſſentiam videtur eſſe, qua ſacerdos con-

Ex poteſtate cõficiẽdi corpus Chriſti proficiſcuntur omnes aliæ in eccleſia poteſtates.

ficere

ficere poteſt & qua poteſt ligare & ſoluere, ſi iuriſdictio adſit. Nec differt niſi ratione, ſecundum quòd ad diuerſos effectus comparatur: ſicut etiam ignis ſecundum aliam rationem dicitur calefactiuus & liquefactiuus. Cumque nihil aliud ſit character ſacerdotalis, quam poteſtas exercendi illud ad quod principaliter ſacerdotium ordinatur, oportet quod ſit idem quod poteſtas ſpiritualis. Character itaq;, poteſtas conficiendi ſacram euchariſtiam, & poteſtas clauium, addere licet & poteſtatem miniſtrandi extremam vnctionem, vnum atque idem ſunt per eſſentiam, ſed ſola differunt ratione. Quæ latè explicat & defendit Ioannes Capreolus diſtinct.19.& 24.q. Ex quib⁹ patere poteſt, quòd poteſtas remittendi peccata & diſpenſandi extremam vnctionem eſſe non poſſunt ſine poteſtate conſecrandi: nec iſta, ſaltem in radice, ſine illis. Sed horum tractationem atq; diſcuſſionem exactiorem non requirit articulus. Patet etiam, quòd poteſtas ordinandi in eccleſia Chriſti ſacerdotes, non eſt naturalis nec ciuilis, ſicut eſt apud ethnicos, ſed diuinitus conceſſa: ſicut poteſtas conſecrandi & remittendi peccata, reliquaq; ſacramenta diſpenſandi. Quare nec poteſtas ordinandi, nec poteſtas conſecrandi, aut alia ſacramẽta miniſtrãdi, quę à priore deſcendit eſſe poteſt, niſi in his, qui diuinitus eas acceperunt. Ex quo ſtatim ſequitur, quòd conferri non poteſt per magiſtratum, nec per eum, qui ab eo ordinatur ſuperintendens aut eccleſiaſtes, nec ab alijs ſuper intendentibus vicinis ſimiliter electis. Hi enim omnes non ab epiſcopo conſecrato, ſed à ciuili & ſeculari poteſtate inſtituti, habere non poſſunt, niſi poteſtatem ciuilem & ſecularem. Ideo dicit beatus Hieronymus in dicto dialogo aduerſus Luciferianos de Hilario, quod cum ab eccleſia receſſerit diaconus, ſoluſque vt putatur turba ſit mundi, neque Euchariſtiam conficere poteſt, epiſcopos & presbyteros non habens neque baptiſma ſine Euchariſtia tradere: & cum iam homo mortuus ſit, cum homine pariter interijt & ſecta: quia poſt ſe nullum clericum potuit diaconus ordinare: eccleſia autem non eſt, quæ non habet ſacerdotẽ. Et B. Cyprianus in tractatu de vnitate catholicæ eccleſiæ. Hi ſunt, inquit, qui ſe vltro apud temerarios conuenas ſine diuina diſpoſitione præficiunt: qui ſe præpoſitos ſine vlla ordinationis lege conſtituunt: qui nemine epiſcopatum dante, epiſcopi ſibi nomẽ aſſumunt: quos deſignat in pſal. Spiritus ſanctus ſedentes in peſtilentiæ cathedra peſtes & lues fidei, ſerpentis ore fallentes, & corrumpendæ veritatis artifices, venena letalia linguis peſtiferis euomentes: quorum ſermo vt cancer ſerpit, quorum tactus pectoribus & cordibus ſingulorũ mortale virus infundit. Contra eiuſmodi clamat Dominus, & ab his reuocat errantem plebem ſuam dicens. Nolite audire ſermones pſeudoprophetarũ, quoniã viſiones cordis eorum fruſtrantur eos, loquuntur, ſed nõ ab ore Domini. Dicunt eis qui abijciũt verbum Dei, Pax erit vobis & omnibus ambulantibus in voluntatibus ſuis. Non loquutus ſum ad eos, & ipſi prophetauerunt. Fallor, ſi non competat hæc ſententia in ſuperintendentes, & epiſcopos qui a magiſtratu vel populo ſine legitima authoritate eccleſiæ diuinitus accepta miniſtrant, & prædicant apud populos lutherana peſte corruptos. Nam ſupra locutus fuerat Cyprianus de ijſdem, quòd ſe ab eccleſia ſeparant, & ideo eos non poſſe habere Deum patrem qui eccleſiam non habent matrem: ac propterea qui ad populum vel magiſtratum, noſtrum referunt ſacerdotium & ſacerdotum inſtitutionem, Chriſtianum ſacerdotium abrogant, & in Chriſti eccleſiam ethnicum ac gentile introducunt: quale erat ſacerdotum Pharaonis, de quibus in Geneſi, & eorum quos inſtituit Hieroboam. De quo dicitur 3. Regum 12. quòd fecit ſacerdotes de extremis populi qui non erant de filijs Leui, quos tamen ſolos elegerat Dominus in miniſterium tabernaculi & altaris. Quum ergo adhuc in vmbra fuerint ſacerdotes a laicis diſcriminati, nõ poſſunt ijdem eſſe in ipſa re ac veritate, quando iam multò verius eſt ſacerdotium, ideoque multò magis à laicis diſcretum: Imo vt patet ex facto Beati Pauli apoſtoli ac ſcripturis, Chriſti ſacerdotium ne à plebis quidem pendet aſſenſu, ſed diuinitus cõfertur per eos quos Chriſtus eccleſiæ ſuæ præfecit, ac poteſtatẽ dedit ordinandi, & ita conſecrando alijs poteſtatem largiendi. Nõ vos me elegiſtis, ait Chriſtus, ſed ego elegi vos & poſui vos. Et Chriſtus eſt, qui quoſdam dedit in eccleſia Apoſtolos, alios paſtores & doctores, vt dicitur ad Epheſ.5. Cuius exemplo Beatus Paulus ordinauit Titum & Timotheum, ac per eccleſias ſingulas presbyteros, nullo eccleſiarum expectato aſſenſu. Confitemur tamen quòd non conueniat dare populo, non ſine iuſta ratione diſſentienti, paſtorem qui diſplicet & olim populi conſenſum requiri ſolere nouimus: quemadmodum dicunt patrum ſententiæ, quos citat Gratianus diſtinct.63. inter quos citat Leonem Papam in epiſtola ad Athanaſium epiſcopum Theſſalonicenſem, quæ eſt 54. vbi ait, Si forte, quod nec reprehenſibile, nec irreligioſum iudicamus, vota eligẽtium in duas ſe diuiſerint partes, is metropolitani iudicio præferatur, qui maioribus iuuatur ſtudijs & meritis: ita tamen vt nullus detur inuitis & non petentibus, ne plebs inuita epiſcopum non optatum contemnat aut odiat. De quo etiam beatus Cypria.3.epiſt.lib.1. Et latè in ſua hierarchia Albertus Pighius. Imo & tota electio Romani pontificis eiuſq; conſtitutio & ſedis Apoſtolicæ ordinatio, aliquando fuit apud Imperatorem Romanum, vt eadem diſtinct. dicitur ex hiſtoria eccleſiaſt. in cap. Adrianus 2. Et hoc fieri potuit propterea quòd epiſcopus ſine conſecratione fiat Romanus pontifex ac Chriſti vicarius, accedente poteſtate generali adminiſtrandi & gubernandi eccleſiam ex Chriſti

Poteſtas remittendi peccata aut extremam vnctionem diſpenſandi nõ poteſt eſſe ſine poteſtate conſecrandi

Diaconus euchariſtiam conficere nõ poteſt.

Pſal. 1.

Hierem. 23.

Deum non habent patrẽ qui eccleſiã non habent matrem.

Gene.47.

Ioan. 15.

Populo inuito non conuenit aliquem paſtorem præficere.

Lib.5.ca.13.

Chriſti collatione, ad legitimam populi vel Imperatoris electionem. Quod autem fieri non poſsit, vt quique baptizati ex æquo ſint ſacerdotes, etiá ſi ipſo officio nemini fungi liceret, niſi, vt dicunt, per cóſenſum communitatis, oſtendit Ioãnes Roffenſis epiſcopus circa artic.13. citatis ad hoc multorum patrũ ſentẽtijs, vt Gregorij Nazianzeni, Cypriani & Tertulliani: docens hoc eſſe contra rerum naturam & cuiuſlibet politiæ ordinem: ſicut in corpore naturali fieri nó poteſt, vt membrum idem poteſtatem habeat alia regendi, & ſimiliter neceſsitatem obediendi. Inter hos autem citat antiquiſsimum illum Tertullianum de præſcript. hæreticorum, deſcribentem hæreticorum ordinationes, quales nunc videmus apud aduerſarios noſtros, Ordinationes, inquit, eorum temerariæ, leues, inconſtantes: nunc neophytos collocant, nunc ſæculo obſtrictos, nunc apoſtatas noſtros, vt gloria eos obligent, quia veritate non poſſunt. Nuſquam facilius proficitur, quam in caſtris rebellium, vbi ipſum eſſe illic promereri eſt. Itaque alius hodie epiſcopus, cras alius: hodie diacon', qui cras lector: hodie presbyter, cras laicus. Nã & apud eos laicis ſacerdotalia munera iniungũtur. Nec iſtud mirandum eſt, quando non conſecratione, ſed ſola electione ac commiſsione, ſicut apud Ethnicos, ita & apud eos ſacerdotes ſiue eccleſiaſtes, ſacramentorumq́; miniſtri conſtituuntur. Nam characterem ſiue poteſtatem indelebilem non agnoſcunt. Quanquam autem frequẽter ſcribat B. Auguſt. claues Eccleſiæ datas eſſe à Chriſto, intelligit tamen ad vtilitatem totius corporis Eccleſiæ datas eſſe, ſed in Petro: ſicut homini viſus datur ad totius hominis vtilitatem, ſed duntaxat in capite. Nec apparentiam vllam habet ratiocinatio Martini in aſſertione 13. articuli, qua probat omnes Chriſtianos ex æquo eſſe ſacerdotes, qui à peccatis abſoluere poſſunt, etiam ſi pueri ſint ſiue mulieres. Qui baptizatus eſt, inquit, ſpiritũ Chriſti habet: vbi autem ſpiritus Chriſti, ibi omnis poteſtas & libertas: & vbicunque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, vel conſenſerint, in medio ſum eorum: ergo efficax erit abſolutio. Ad quam reſpondetur ex Apoſto. quòd diuiſiones ſunt gratiarum. Vnus enim habet ſpiritum prophetiæ, alter linguarum: nec omnes Apoſtoli, nec paſtores omnes vel doctores. Gratias ſuas ſpiritus diuidit prout vult, nec omnes confert ſingulis: ſicut idem ſpiritus rationalis eſt in toto homine & in quolibet membro, qui tamẽ in vno operatur viſum, in alio auditum, in alio autem olfactum, atque ita contemperauit Deus corpus, vt dicere non poſsit vnum membrum alteri, Opera tua non indigeo. Et Dominus pollicetur ſe fore in medio eorum, qui in ſuo nomine fuerint congregati, ita quod eorum petitioni annuet, non autem quodlibet officiũ eccleſiæ per eos diſpenſet. Nec tamen omnes in nomine eius cõueniunt, qui ſe in eius nomine conuenire dicunt aut putant: vt de hæreticorum conuenticulis, quibus Chriſtus intereſſe non poteſt, docet B. Cyprianus tractatu ſuperius citato.

Quòd omnes baptizati ex æquo ſint ſacerdotes, rerum naturæ repugnat.

Matth. 19.

Obiectionis Martini Lutheri ſolutio

1. Corin. 12.

In hæreticorum conuenticulis non conuenitur in nomine Domini.

ADuerſarij à toto articulo diſſentiunt, nullam enim in ſe examinando diligẽtiam requirunt, quam Lutherus etiam improbat. Et quia ipſi in vniuerſum docent nó eſſe neceſſariam enumerationem omnium peccatorum, ſed ſufficere quod illa confiteantur, in quibus conſilio vel conſolatione egent, vel ſufficere, quòd in genere confiteantur ſe peccatores, & contra Deum peccaſſe: quemadmodum in Antididagmate docet Martinus Bucerus, & in locis Theologicis Philippus, ſuperuacanea eſſet diligentia examinis ad reuocandum omnia peccata in memoriam. Nullum etiam agnoſcunt ſacerdotium, præter laicum, quod in baptiſmate cóferturr. De quo ſupra ex B. Hieronymo aduerſus Luciferianos: contemnunt autem illud, quod confertur ſecundum cæremonias & ritus, quos deſcribit Concilium Florentinũ. Audiamus primum quid habeat confeſsio Auguſtana omnium proteſtantium nomine Maieſtati Cæſareæ exhibita.

De confeſsione, inquit, peccatorum docent noſtri, quòd abſolutio priuata in eccleſiis retinenda ſit, quanquam non ſit neceſſaria delictorũ enumeratio. Eſt enim impoſsibilis enumeratio omnium delictorum, iuxta illud, Delicta quis intelligit.

Confeßio Auguſtana.

Breuiſsima eſt hîc confeſsio, ſed peſtilens & plena erroribus. Nam abſolutioné iſtam priuatam quam in Eccleſijs retinẽdam dicit, & ſuperius explicauit Annunciationem euangelij, qua ſcilicet vnicuique priuatim annunciatur, quod peccata ei ſint remiſſa, oſtẽdimus ſuperius eſſe temerariam & mendacẽ, eò quod homo in ea pronunciat de occultis cordis alterius, de quibus ſoli Deo conſtare poteſt, & plerunque ne ipſi quidem homini in cuius corda latent: cum prauum & inſcrutabile ſit cor hominis. Improbatur hæc abſolutio priuata ſecundum hunc ſenſum etiam ab hæreticis, puta Martino Bucero in commentar. 3. cap. Euangelij ſecundum Matth. & Ioanne Caluino, ac imprimis ab eccleſia Catholica. Nec ſequaces habet hæc confeſsio niſi ſcholam Saxonicam, quæ in errores Martini Lutheri quaſi iurauit: qui auctor eſt primus huius priuatæ abſolutionis. Ideò hæc abſolutio priuata in eccleſijs retinenda nó eſt, ſed tanquam peſtilens, per quam ſimplicium corda miſerè ſeducuntur per dulces benedictiones, eliminanda, & funditus extirpanda. Contrà verò tanquam neceſſaria ad ſalutem retinenda & reſtituenda eſt delictorum enumeratio, non ſcrupuloſa. de qua Philippus, ſed eorum quæ memoriæ, vt diximus, occurrunt, iuxta Conciliorum & patrum ex Chriſti verbis definitionem. Et quod infirma ſit probatio ex verbo Prophetæ, Delicta quis intelligit, paulò ſuprà diximus. Sed etſi impoſsibilis eſſet omnium peccatorum enumeratio, non tamen omnium mortalium, quæ memoriæ occurrunt poſt diligens examen.

Reſponſio.

Hierem. 17.

Bucerus & Caluinus pugnant cum Apologia.

Nõ eſt impoſſibilis cõfeſſio omnium peccatorum mortalium.

Debitor enim etſi totũ ſoluere nequeat debitum, quantum poteſt tamen ſoluere obligatur. Philippus verò in Apologia & in locis Theologicis pronunciare & explicare audet quod diſsimulat confeſsio. Ait enim circa articulum vndecimum de pœnit.

Philippi obiectio.

Fingunt hanc enumerationem eſſe iuris diuini, & cum ipſam enumerationem exigant prætextu iuris diuini, interim de abſolutione quæ verè eſt iuris diuini, frigidè loquuntur. Fingunt ipſum ſacramentum ex opere operato conferre gratiam.

Reſponſio.

Nihil hic fingimus, ſed ex verbis Saluatoris, & patrum eccleſiaſticorum ac Conciliorum definitionibus clariſsimè oſtendimus eſſe iuris diuini: tum quod ſit materia ſacramenti pœnitẽtiæ: tum quod cauſæ cognitio in qua ſacerdotem pronunciare oportet, ſine ea haberi non poſsit. Atq; ex Chriſti promiſsione peccata eis remitti, quibus ipſi remiſerint, & gratiam conferri, clariſsimis verbis teſtatur & promittit Dominus Saluator. *Ioan. 20.* Remitti autem peccata gratiamq́ue conferri ex Chriſti promiſsione, eſt hæc fieri ex opere operato: quemadmodũ declarauimus circa articulum primum. Sacerdotes autem verè & propriè remittere peccata circa articulum 3. oſtendimus: & docet reuerendiſsimus Epiſcopus Roffenſis circa articulũ 13. Abſolutionem nihilominus, quæ eſt forma ſacramenti pœnitentię magnificè prædicamus, & diuina virtute eſſe efficacem, ac remittere peccata docemus, ſicut baptiſmum. Saxonicam verò abſolutionem, quam poſt magiſtrũ ſuum Lutherum Confeſsio & Apologia prædicant eſſe iuris diuini, nos tanquã præſumptuoſam, mendacem, ac impiam, ſuperius damnauimus, vtpotè ſcripturis ſacris aduerſantem. Quod idem etiam faciunt Martinus Bucerus & Ioannes Caluinus. Explicat autẽ ſe Philippus in locis Theologicis, apertè aſſerens, quòd nec paucorum quidem delictorum enumeratio neceſſaria eſt in confeſsione tanquam ex iure diuino. Neceſſe tamen eſſe in petitione abſolutionis, cùm recitatio ſingulorum omittitur, ſignificari in genere, quod fateamur nos reos eſſe, & ſubijciamus nos Deo, verè dolentes, quòd eum offenderimus. Videns autem ſe premi concordi ſcriptorum eccleſiaſticorum ſententia, interpretatur eos agere de pœnitentia publica, quæ grauiter ſceleratis imponi ſolet, non de ſecreta confeſsione. Ait enim:

Saxonica abſolutio præſumptuoſa, mendax, impia ac ſcripturis aduerſaria.

Philippus.

Apud ſcriptores eccleſiaſticos ſit mentio confeſſionis, ſed hi non loquuntur de hac enumeratione occultorũ delictorũ, ſed de ritu publicæ pœnitẽtiæ. Quia enim lapſi aut famoſi non recipiebantur ſine certis ſatisfactionibus, ideo confeſsionem faciebant apud presbyteros, vt pro modo delictorũ præſcriberentur eis ſatisfactiones. Hæc tota res nihil ſimile habuit huic enumerationi, de qua nos diſputamus. Confeſsio illa fiebat, nõ quòd ſine ea non poſsit fieri remiſsio peccatorum corã Deo: ſed quia nõ poterant ſatisfactiones præſcribi, niſi prius cognito genere delicti. Nã alia delicta habebant alios canones. Nolebant enim ſancti patres recipere grauiter lapſos aut famoſos, niſi prius cognita & ſpectata pœnitentia eorum, quantum fieri poterat.

Reſponſio.

Publicã pœnitentiam in eccleſia antiquitus fuiſſe agnoſcimus, ſed non illam ſolam, verum & priuatam: ſicut & ſecretam confeſſionem. Nam patres quos citauimus, manifeſtè loquuntur de ſecreta confeſsione, etiam eorum, qui ſolo cordis cogitatu peccauerãt: ſicut patet ex epiſtola Dionyſij ad Demophylum monachum, & Origene circa pſalm. 37. vbi diſtinguit inter peccatorem publicum ſiue famoſum & occultum. Hi, inquit, qui peccauerunt, ſi quidem occultum intra ſe retinent peccatũ, intrinſecus vrgentur & propemodum ſuffocantur, donec ſeipſos accuſent, ipſum enomant & confiteantur. Et ſtatim de publica confeſsione ſubiungit, Si intellexerit, inquit, & præuiderit medicus talẽ eſſe languorem tuum, qui in conuentu totius eccleſiæ exponi debeat & curari, ex quo fortaſsis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facilè ſanari, multa hoc deliberatione & ſatis perito medici illius conſilio procurandum eſt. Similiter loquitur hom. 8. in Leuiticum. Liber etiã de vera & falſa pœnit. Si peccatum inquit occultum eſt, ſufficit referre in notitiam ſacerdotis: quemadmodum in reſuſcitatione filiæ principis pauci interfuerunt. Quos autem extra inuenit, animaduertendum eſt quomodo ſuſcitauit. Flebat turba poſt filium viduæ. Flebant Maria & Martha ſupplicantes pro fratre. In quo docemur publicè peccantibus non proprium, ſed eccleſiæ ſufficere meritum. Ac paucis interpoſitis. Qui multos offendit peccando, placare multos oportet ſatisfaciẽdo: vt eccleſia prius offenſa per culpam, in conuerſione flectatur per miſericordiam, orans pro ipſo quem defunctum dolebat. Plerunq; tamen loquuntur ſcriptores veteres, quos multos ſuprà adduximus, de confeſsione priuata etiam peccati occulti: ſicut citauimus Cyprianum de his, qui corde tantum peccauerant, qui hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitebantur: ac B. Hieronymum in comment. in Eccleſiaſten. Ex hiſtoria quoq; tripartita, quòd erat antiquiſsima conſuetudo, vt confeſsio peccatorum in loco publico fieret, ſacerdoti tamen ſecretum ſeruanti: & D. Paulinum de B. Ambroſ. quod cauſas criminum quas confitebantur, Domino ſoli apud quem intercedebat, loquebatur: & Leonem Papam epiſtola 57. quòd ſufficit pœnitenti confeſsio, quæ primum Deo offertur, deinde ſacerdoti, qui pro delictis pœnitentium peccator accedit. Hęc cũ Philippus non ignoret, non poteſt ea bona fide diſsimulare, & ſcribere, quaſi ſecreta confeſsio & pœnitentia patribus fuiſſet ignota, qui omnes ſuam ſententiam fundauerunt in verbis Domini Ioan. 20. & Matth. 16. & 18. Certè intolerabilis & execrabilis eſt Philippi arrogantia, quòd in re tanti ponderis & momenti, à qua fidelium ſalus, & peccatorum pendet remiſsio,

Agitur hic de priuata confeſsione.

Hic mentio fit publicæ confeſsionis.

Cap. 11.

Luc. 18.
Ioan. 11.

miſsio, contra vocem & ſententiam eccleſiæ (de qua Saluator ait, Si eccleſiam non audierit, ſit tibi quaſi ethnicus & publicanus) toti mundo ſuam temeritatem atque inſipientiā prodere non vereatur, & aſſerere, quod enumeratio delictorum, quæ fit ſacerdoti non eſt neceſſaria, ne paucorum quidē: quia nec præcipitur à Chriſto, nec eſt poſsibilis. Contemnit enim, quòd præcipiatur ab Eccleſia, quæ eam nunquam præcipere tentaſſet, niſi vidiſſet & credidiſſet eſſe de ea præceptum ſponſi ſui Chriſti. Quòd ſi tu Philippe non vides, ſunt alij te oculatiores, oculos habentes ſpiritu Chriſti illuminatos, qui præceptum hoc viderunt, per quos eccleſia ſpiritu ſancto dirigēte ac illuſtrante, hoc etiam definiuit eſſe dogma catholicum. Tibi ſatis eſt, quando abſolutio petenda eſt, quòd adeamus miniſtros, & oſtendamus nos agnoſcere iram Dei aduerſus noſtra peccata, & ab eis petere vt vocem Euangelij nobis impartiāt. non ſufficiebat hoc Ioanni Baptiſtæ, etiam ante huius ſacramenti inſtitutionem, qui baptizabat confitentes peccata ſua. ſimiliter in Act. legitur, quòd multi credentium veniebant confitentes & annunciantes actus ſuos. Quæ longè alia ſunt, quàm agnoſcere iram Dei aduerſus noſtra peccata, noſq; eſſe peccatores. Suprà quoq; docuimus patres cōcorditer aliam tradidiſſe confeſsionem. Sed audiamus quid pro hac generali & confuſa confeſsione in Catechiſmo adducas in probationem. Lucæ 17. deſcribitur, ais, quid teſtari debeamus, cum inquit Saluator, Si cōuerſus fueris ad te dicēs, pœnitet me, dimitte illi: cum hic Saluator loquatur de peccante in nos: cui tamen licet pœnitenti non dimittimus, niſi in ſpecie agnoſcat, in quibus offendit ac lęſit. Dicimus autem longè aliam eſſe cōfeſsionem, nempè iudicialem, quæ fit ſacerdoti, ab ea, quæ fit fratri in quem peccauimus. Et ſi poſsibilis non eſt delictorum enumeratio, quare nō ſuades eam fieri quam facilè peragere poſſumus? Oeconomus enim qui non integram dati & accepti rationem Domino facere poteſt, obligatur tamen eam facere quam poteſt. Quomodo inſuper dicere audes, & quaſi oraculum pronunciare, Abſolutio eſt executio alieni beneficij, non eſt iudicium, contra verba Saluatoris, & conſentientem ſcriptorum Eccleſiaſticorum interpretationem atque Conciliorum definitiones. Verè hic locū habet querimonia quā Dominus facit Hierem. 5. Stupor & mirabilia facta ſunt in terra. Prophetę prophetabāt mendacium, & ſacerdotes applaudebant manibus ſuis, & populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in nouiſsimis eius? Et Eſaiæ 30. Populus ad iracundiam prouocans eſt, & filij mendaces: filij nolentes audire legem Dei: qui dicunt videntibus, Nolite videre: & aſpicientibus, Nolite aſpicere nobis ea, quæ recta ſunt. Loquimini nobis placentia: videte nobis errores: auferte à me viam: declinate à me ſemitam: ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſrael. Et, Populè meus, qui te beatum dicūt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſsipant.

Matth. 18. *Act. 19.* *Obiectionis ſolutio.* *Confitens debet præſtare in inueſtigandis peccatis quod poteſt.* *Eſai. 3.*

Ioannes Caluinus ſyncerè, quod & veterū libri palam conuincunt, confitetur vetuſtiſsimum eſſe vſum confeſsionis ſecretæ, qualis nunc eſt in eccleſia, ſed dicit liberum fuiſſe, non pręceptum. Confitetur etiam & probat neceſſarium eſſe & ſemper fuiſſe, quod omnia peccata noſtra Deo confiteamur, totum cor coram eo effundendo: auricularem autem confeſsionem apud ſacerdotem vt peſtilentem & eccleſiæ noxiam damnat. Ipſius verba recitabimus, vt inquiramus quantum habeant ponderis eius rationes, & an iuſtam contineant cauſſam tam ſeueri iudicij, quo totius eccleſiæ damnat ſententiam.

Pontif 111. Platina autor eſt in vita Zepherini.

Ait enim.

Miror qua fronte auſint contendere confeſsionē, de qua loquuntur, eſſe iuris diuini: cuius equidem vetuſtiſsimum eſſe vſum fatemur, ſed quē facilè euincere poſſumus olim fuiſſe liberum. Certè de ea nullam ſtatā fuiſſe legem aut conſtitutionem ante Innocentij tertij tempora, eorum quoq; annales narrant, & luculenta teſtimonia extant, tū in hiſtorijs, tū apud antiquos alios ſcriptores, quæ doceant hanc fuiſſe politicā diſciplinā ab epiſcopis inſtitutā, non legem à Chriſto aut Apoſtolis poſitam.

Caluini obiectio.

Confeſsionem eſſe iuris diuini, ſicut & ſacramentum pœnitentiæ multis modis ſupra oſtendimus, cuius & magnum eſt teſtimonium quod vetuſtiſsimus, vt etiam ipſe Caluinus fatetur, ſit eius vſus, ab Apoſtolorum etiam temporibus. Fuiſſe autem vſum confeſsionis olim liberum nunquam euincere poterit: oſtendimus enim ſuperius, quod eadē eſt neceſsitas baptiſmi & ſacramēti pœnitētiæ, & quòd quæ baptiſmatis eadem eſt reconciliationis cauſſa. Nam B. Leo in epiſtola 69. Multiplex inquit, miſericordia Dei, ita lapſibus ſubuenit humanis, vt non ſolum per baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ, vt qui regenerationis dona violaſſent proprio ſe iudicio cōdemnantes ad remiſsionē criminum peruenirent, ſic bonitatis diuinæ præſidijs ordinatis, vt indulgentia Dei ſine ſupplicatione ſacerdotum nequeat obtineri. De quo plurimas ſanctorum ſuperius ſententias citauimus, cum ſententia Petri præcedere debeat ſententiam cœli. Nec ſolum diuinum fuit præceptum ante Innocētij tertij tempora, verum etiam ſtata conſtitutio, cuius meminit Platina in vita Zepherini Pōtificis, ad quem ſe refert Caluinus. Ait enim de Zepherino, quod inſtituit vt omnes Chriſtiani annos pubertatis attingētes, ſingulis annis ſolenni die Paſchæ publicè communicarent. Quod quidem inſtitutum dicit Innocentium tertium, deinceps non ad communionem tantum, ſed etiam ad peccatorum confeſsionem traduxiſſe. Nunquam enim ad ſacram cōmunionem accedere licuit, niſi facta prius ſacerdotum miniſterio reconciliatione. Et ideò in præcepto communionis veteres canones complectebantur etiam cōfeſsio-

Reſponſio. *Auguſtin. de adul. coniug lib. 1. ca. vltim.* *Innocent 3. inſtitutū de communione traduxit etiam ad cōfeſsionem.*

feſsionem. Et ediuerſo in conceſsione pœnitentiæ conceditur ſacra Euchariſtia, vt dicit canon Innocentij tertij in cap. Quod in te. de pœn. & remiſ. Vt enim teſtatur Euſebius Cæſarienſis, Euſebius Papa non permiſit Philippum Imperatorem communicare myſterijs, niſi prius confiteretur. Et in epiſtola 69. Leo Papa ad Theodorum epiſcopum Foroiulienſem, Mediator inquit Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus hāc præpoſitis eccleſiæ tradidit poteſtatem, & vt confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem ſacramētorum per ianuam reconciliationis admitterent. Et Richardus de S. Victore lib. de poteſtate ligandi, dicit iudicium ſibi manducare & bibere, qui ante ſacerdotis abſolutionem ad communionem corporis & ſanguinis accedit. Et ideò Innocentius tertius nihil noui mandauit, ſed hoc ipſum expreſſe de confeſsione, quod Zepherinus implicite & in præcepto communicandi mandauerat. Eutychianus etiam & Fabianus pontifices inſinuant ſuis temporibus fuiſſe conſtitutionem de confitendo. Eutychianus enim ſynodo Nicena antiquior excommunicandos cenſet, qui timore pęnitentiæ longæ nō veniunt ad confeſsionem. Ait enim, vt citat Gratianus 22.q.1.cap. Prædicandum, Si quis perpetrato periurio aut quolibet criminali peccato timens pœnitentiam longam, ad cōfeſsionem venire noluerit, ab eccleſia repellendus eſt, ſiue à communione & conſortio fidelium, vt nullus cum eo comedat neque bibat, neque in domo ſua eum recipiat. Et Fabianus Martyr Cornelij prædeceſſor in epiſtola 2. ad epiſcopos Orientis, Illi inquit, qui peccata perpetrant, de quibus Apoſtolus ait, Quoniam qui talia agunt regnū Dei non conſequentur, valdè cauendi ſunt, & ad emēdationem, ſi voluntarie venire noluerint, ſunt compellendi. B. Auguſtinus quoque oſtendit, quòd lapſi in aliquod crimen excommunicantur, aut ad pœnitentiam agendam rediguntur. Si enim negligens ſalutem corporis cogendus eſt vt medicum adeat, & morbum aperiat, ſumatq́; medicinam: quantò magis animarum paſtores pœnali conſtitutione eos, quorum curam ſuſceperunt, de ijſdem rationem apud tribunal Chriſti reddituri, compellere poſſunt & debent, vt medico conſtituto ad ſanandas animas, ſua aperiant vulnera, & ſeſe ſanari permittant? Porrò quando Zepherinus Papa legem conſtituit, vt omnes fideles in Paſchate communicarēt, & Fabianus, vt ſaltem ter in anno: eadem imò maiori ratione expreſsè ſtatuere poterant, vt eodem tempore omnium peccatorū fieret confeſsio, ſine qua indignè, qui lapſus eſt ſacram ſuſcipit euchariſtiam: cum ſacramentum pœnitentiæ ſit ad ſalutem neceſſarium. conſtitutio autem Innocentij, quod ſemel in anno fiat confeſsio, determinatio ſolum eſt diuini præcepti, ne à fidelibus negligatur. Nec poterat eſſe confeſsio iſta libera, quando politica fuit diſciplina, ab epiſcopis (vt dicit Caluinus) de confitendo inſtituta. Et reuera ſtatam fuiſſe legem ac conſtitutionem ante tempora B. Cypriani & Nouati de confitendo, & arctiorem quam ſtatuta eſt in Concilio Lateranenſi, in cap. Omnis vtriuſque ſexus, ſtatim oſtendemus, quando & Nectarij hiſtoriam & facta tractabimus. Nam nulla hic pœna tranſgreſſori imponitur, nec in Paſchate, ſed ſemel duntaxat in anno omnia peccata confiteri mandatur. Et quia ſtatu rerum humanarum exigente nouas neceſſe eſt fieri leges, ſicut & veteres abrogari, nihil mirandum, quòd frigeſcente fidelium charitate, Concilium Lateranenſe nouum conſtituerit canonem, de confitendo ſemel ſaltem in anno omnia peccata mortalia, quem tāquam ſalutarē tota recepit eccleſia, Occidentalis pariter & Orientalis ac Septentrionalis. Celeberrimum ſiquidem ac frequētiſſimum fuiſſe iſtud concilium omnes concorditer tradunt hiſtorici. Interfuerunt enim duo Patriarchæ ex Oriente, Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus, & duo alij per ſuos apocrypharios. Adfuerunt quoque primates & archiepiſcopi ſeptuaginta: epiſcopi quadringenti duodecim: plurimi alij Abbates & prælati: oratores præterea quos ambaſsiatores vocant Imperatorum Rom. & Conſtantinopolitani. Deniq; interfuerunt prælati, in ſeſsionibus maioribus plures quā mille ducenti, & in plenaria ſeſsione ex prælatis, magiſtris, doctoribus, & clero ac oratoribus vltra quatuor millia. Atq; adeò catholica & plena fuit hæc ſynodus, vt forte ante illam nulla adeò plena reperiatur. Nā ex toto orbe Oriente, Occidēte, & Septentrione, interſuerunt Græci, Latini, & Barbari: qui omnes concorditer receperunt conſtitutionē de ſemel in anno confitendo, atq; in Paſchate ſaltem cōmunicando. Nec à fidelibus vllo modo dubitari poteſt, quin à ſpiritu Chriſti profectū ſit, quod in tanta fidelium congregatione eſt ſancitū, dicente Domino, Si duo ex vobis cōſenſerint ſuper terrā de omni re quacunq; petierint, fiet illis à patre meo, qui in cęlis eſt. Vbi enim ſunt duo vel tres cōgregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorū. Quanto magis tot millibus congregatis ex orbe terrarum in nomine Ieſu Deus eos audiuit, & Chriſtus fuit in medio eorum? Qui huic Concilio aduerſatur hoſtis eſt eccleſiæ, eamq́; audire recuſat, & iuxta Saluatoris ſententiam habendus eſt tanquā ethnicus & publicanus. Ad hoc enim Chriſtus dedit paſtores in eccleſia, vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominū, in aſtutia ad circumuentionem erroris.

Lib.6.c.25.

Innocētius 3 & Zepherinus idem mādauerunt.

Homi de pœnitentia.

Paſtores ſubditos ſuos negligentiores pœnali cōſtitutione ad pœnitentiam compellere poſſunt.

De conſecratione diſt 2. cap. Et ſi non frequentius.

Concilium Lateranenſ. ſtatuit ſemel ſaltem in anno confitendum eſſe.

Naucierus in Chron deſcribit Concil. Latera.

Matth.18.

Epheſ. 4.

Vnum duntaxat è multis proferā, quod non obſcurum eius rei documentū erit. Refert Zozomenus fuiſſe hanc epiſcoporū conſtitutionē diligenter obſeruatā in eccleſiis occidentalib. præſertim verò Romæ (quo ſignificat non fuiſſe vniuerſale omniū eccleſiarum inſtitutū) vnum etiam è presbyteris peculia-

Caluinus.

Tripart. hiſtor. lib. 9. cap. 35.

peculiariter deſtinatum fuiſſe dicit, qui huic muneri praeſſet, (quo abundè confutat, quod iſti de clauibus vniuerſo ſacerdotali ordini promiſcuè datus mentiuntur: ſiquidem non omnium ſacerdotum communis erat functio, ſed ſingulares vnius partes, qui ad id electus ab Epiſcopo fuerat.) Subijcit deinde, eum quoque morem Conſtantinopoli fuiſſe, donec matrona quædam confitentem ſimulans, ea ſpecie, conſuetudinem quam habebat cum diacono, prætexuiſſe deprehenſa eſt. Ob id facinus Nectarius vir ſanctitate & eruditione clarus, illius Eccleſiæ Epiſcopus, confitendi ritum abrogauit. Hîc hîc aures aſini iſti arrigant, ſi lex Dei erat auricularis confeßio, qui auſus eſſet Nectarius eam refigere ac conuellere? Nectarium ſanctum Dei hominem omnibus veterum ſuffragijs probatum, hæreſeos ac ſchiſmatis accuſabunt? Sed eodem calculo condemnabunt Eccleſiam Cōſtantinopolitanam, in qua confitendi morem non ad tempus modò diſſimulatum fuiſſe, ſed ad ſuam vſque memoriam abſoluiſſe affirmat Zozomenus. Imò non Conſtantinopolitanam, ſed Orientales omnes eccleſias defectionis reas agent, quæ inuiolabilem (ſi verum dicunt) legem, & Chriſtianis omnibus mandatam neglexerunt.

Reſponſio.

Sedes Apoſtolica non ſuſcepit hiſtoriam Zozomeni tanquā veram.

Lib. 5 c. 19.

De Zozomeni hiſtoria ſcribit beatus Gregorius ad Elogium & Anaſtaſium epiſcopos, epiſtola 195. lib. 6. epiſtolarum, quod ſedes Apoſtolica eam, quoniam multa mentitur, ſuſcipere recuſat. Quapropter magni momenti eſſe non poſſunt, quæ ex ea hic allegātur. Suſcipiatur tamen in narratione de hoc facto Nectarij, & ſublatione presbyteri pœnitentialis, modò tamen illuſtretur & ſuppleatur per ea, quæ de eodem Nectario ſcribit Socrates. Ex eo enim adiuncto certius cognoſcemus quid ille ſuſtulerit, quam ex hiſtoria tripartita, quæ fragmēta ſolùm habet Zozomeni & Socratis, quam tamen ſolā nec bona fide citat Caluinus, & ſua interpretatione corrumpit: quamuis nec ex ea concludi poſsit cōfeſsionem non eſſe iuris diuini. Refert quidem Zozomenus, & ex eo hiſtoria tripartita, epiſcoporum conſtitutione vnum è presbyteris peculiariter deſtinatum fuiſſe, ad quem accedentes hi, qui deliquerant delicta propria faterentur: presbyterum, inquā, bonæ conuerſationis ſeruantemq́; ſecretum ac ſapientem, qui ſecundum vniuſcuiuſque culpam indicebat & multam, & hoc vſq; ad ſua tempora diligenter in occidētalibus obſeruatum fuiſſe eccleſijs, & maximè apud Romam. Ac Conſtantinopoli fuiſſe ſeruatum, donec facinus à diacono admiſſum eſt in matronam quandam: Ob quod Nectarius illius Eccleſiæ epiſcopus pœnitentialem presbyterum, hoc eſt pœnitentibus præfectum amouit, Sic habet Zozomenus, & hiſtoria tripartita. Ioannes verò Caluinus huiuſmodi presbyteri ſecundum conſtitutionem Epiſcoporum ordinati remotionem intelligit & interpretatur abrogationem ritus: ac moris confitendi & auricularis cōfeſsionis.

Caluinus malè remotionē presbyteri pœnitentialis interpretatur auricularis confeßionis abrogationem.

Si lex, inquit, Dei erat auricularis confeſsio, qui auderet Nectarius eam refigere ac cōuellere, vir ſanctitate & eruditione clarus? Certe ſi conſuluiſſet hiſtoriam Socratis li. 5. ca. 19. & contuliſſet cum Zozomeno, intellexiſſet vtiq; diuerſa atq; alia eſſe abrogare presbyterū pœnitentialē & confeſsionē auricularē. Ait enim Socrates, Viſum eſt eodem tēpore Theodoſij, ſcilicet ſenioris & Siricij papæ quo Nectarius erat epiſcopus Conſtantinopolitanus, presbyteros qui pœnitentibus in eccleſijs deputati fuerant, tollere, idq́; ob huiuſmodi cauſam. Ex quo tempore Nouatiani ab eccleſia ſeparati fuerunt ac receſſerūt, eò quòd cū illis, qui in perſecutione Decij prolapſi fuerant, communicare nollent: epiſcopi addiderunt eccleſiarum canoni, vtiq; veteri & in omnibus eccleſijs iam obtinenti, presbyterum certum quendam pœnitentibus conſtitutum, vt qui poſt baptiſmū relapſi eſſent, peccatum ſuum coram illo cōfiterentur. Canon hic etiamnum in alijs hæreſibus durat. Soli Homouſiani & illis in fide conſentientes Nouatiani presbyterum pœnitentiæ reiecerunt. Nouatiani quidem ne in initio quidem hanc adiectionem receperunt: qui verò eccleſijs iam præſunt, quod diu ſeruauerunt, ſub Nectario epiſcopo mutarunt, occaſione ſceleris in nobilem matronam à diacono perpetrati. Non igitur confeſsionem, cuius antiquiſsimus eſt in eccleſia vſus, abrogauit Nectarius, nec abrogare potuit: ſed additionem ſolam, quam propter Nouatum eiuſque hæreſim epiſcopi adiecerant priori & antiquo eccleſiarum canoni, ſiue regulæ de confitendis peccatis ſacerdoti. Habebat autem hæc adiectio, quod vnus certus quidam presbyter pœnitentibus deputaretur, apud quem omnes, qui poſt baptiſmum prolapſi eſſent, peccata ſua confiterentur: vt dicit Socrates, & ſimiliter Zozomenus, quod ſacerdotibus placuit inſtitui presbyterum aliquem, ad quem, qui deliquerant accedentes, quæ geſsiſſent confiterentur. Prius enim liberum erat ex pluribus presbyteris per epiſcopum deputatis vnum aliquem eligere: quod clarè teſtatur hiſtoria Serapionis ſenis apud Euſebium libro 6. cap. 44. Continebat etiam hæc epiſcoporum adiectio, vt habet Zozomenus, quòd ad epiſcopum referret hic pœnitentiarius peccata audita, maximè enormia, quamuis ſecreta: & per eum publicè recitarentur in Eccleſia. Ait enim, Propterea ab initio viſum eſt epiſcopis peccata annunciare ſiue promulgare, quaſi in theatro teſte multitudine Eccleſiæ. Quo loco valdè lectorem impediunt, vt dicit noſtrę ſcholę Louanienſis in ſacris & in linguis plurimum exercitatus magiſter noſter Ioannes Haſſelanus in reſponſione, quā in Concilio Tridentino ad patres habuit de hac hiſtoria Nectarij, quam aliquando in publicum venire curabimus. Valde, inquit, impediunt lectorem tripartita Hiſtoria & Muſculus, dum verbum Actiuum vertunt in Paſsiuum, quaſi ſenſus ſit, Viſum eſt Epiſcopis,

Nectarius non ſuſtulit confeßionē, ſed additionem de vno certo aliquo presbytero pœnitentibus præficiendo.

Additio ab epiſcopis antiquo eccleſiæ canoni adiecta.

piſcopis,

piſcopis,vt peccata pandantur non per recitantem epiſcopum,ſed per publicè confitentem peccatorem:cùm tamen de confeſsione publicè facienda nullum prorſus extet exẽplum.De recitatione verò publica exemplũ extat apud Aug.homil.50.& apud Origenẽ homil.1.in pſal.3.Tantum de Theodoſio Cæſare legimus publicè in eccleſia peccatum eſſe confeſſum:ſed tunc cum ipſi eccleſiam Mediolani ingreſſuro, occurrit Ambroſius, & coram eadem eccleſia publicè exprobrat ſæuitiam quam exercuerat Theſſalonicæ. De quo Zozomenus lib.7.cap.24. Quòd autem Leonem quidam citant in epiſtola, quæ eſt ad epiſcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum conſtitutos, quaſi in ea ſit mentio confeſsionis publicę quaſi ex more, vehemẽter in eo falluntur.Agit enim in ea epiſt.quę eſt 57.ſanctus Leo non de more vllo eccleſiæ aut exemplo,ſed de abuſu tantum,qui cõtra eccleſiæ morem irrepſerat in puſilla tantum Italiæ regiuncula. Neque generaliter illic irrepſerat,ſed apud quoſdam tantum: vt vehementer mirandum ſit viros doctos hanc epiſtolam citare ad docendum vſum veteris eccleſiæ.Vtcunque tamen hoc ſeſe habeat,ſiue per epiſcopos,ſiue per presbyteros pœnitentiales,ſiue per ipſos pœnitentes publicè coram tota eccleſia peccata occulta recitata fuerint:hoc erat additamentum,ſiue appẽdix, quam epiſcopi propter Nouatum adiecerant veteri canoni & regulæ eccleſiarum, quæ apud omnes iam obtinuerat à temporibus Apoſtolorum.Huius additamenti obſeruatione natum eſt ſcandalum populi & accepta occaſio ſæuiendi in ſacerdotes.Hoc enim facinus populus cognouit ex recitatione facta iuxta illud epiſcoporum additamentũ,propter quod Viſum fuit Nectario, quod ipſum abrogare conueniret. Nam vt narrat Zozomenus, tunc temporis conſuetudo illa ſiue hoc additamentum ob vetuſtatem atq; adiũctam grauitatem ac ſeueritatem indiligenter obſeruatum, paulatim dilabi cœperat. Nihil igitur commune habet arrogatio huius additamenti cum abrogatione confeſsionis: de qua erat antiquus ab eccleſijs canon receptus,vt fieret apud ſacerdotem de omnibus peccatis.Quare vaniſsima eſt inſultatio Ioannis Caluini,ex hiſtoriæ verę ignorantia arrogantiſsimè exclamãtis. Hîc hîc aſini iſti aures arrigant.Vniuerſos patres, quos citauimus,imò & totam Eccleſiam in patribus Concilium loquentem impudentiſsimè aſinos vocans.Si lex Dei, inquit, erat auricularis confeſsio, qui auſus eſſet Nectarius eam refigere & conuellere?Docuimus confeſsionem peccatorum eſſe legem Dei, ſed illam non abrogauit Nectarius.Et ſi etiam illã tollere tentaſſet,non ſolum alij epiſcopi & eccleſiæ eum ſecutæ non fuiſſent,ſed in faciem reſtitiſſent & damnaſſent, non minus quam Nouatum. Ablata enim confeſsione, adimitur rurſus poteſtatis clauium in remittendo & retinendo peccata. Nam cum iudicialem eſſe huiuſmodi poteſtatem oſtenderimus,ſine cauſæ cognitione exerceri nõ poteſt.Et ideò nõ minus eccleſiæ pernicioſum eius factum fuiſſet,quam dogma Nouati.Et quamuis ſanctus Dei homo fuiſſet Nectarius, ſanctitate & eruditione clarus, omnium veterum ſuffragijs probatus, comparari tamen nõ poteſt in ſanctitate aut eruditione cum ſanctis epiſcopis Ambroſio,Auguſtino,Leone,Cypriano,& alijs ſcriptoribus eccleſiaſticis, qui docent ex iure diuino eſſe ſacramentum pœnitentiæ, quod adminiſtrari nequit ſine peccatorum confeſsione:atq; ideò nulla authoritate abrogari poſſe.Contra quorum ſententiam nihil mouere deberet Nectarij auctoritas,in eò,quòd quorundam ſuaſione ex leui cauſa(videlicet quòd nobilis matrona in tẽplo vacans orationibus & ieiunijs ex ſacerdotis impoſitione,cum diacono ſollicitato concubuiſſet)confeſsionẽ ſuſtuliſſet. Nihil enim culpæ erat apud ſacerdotes,in quos populus ob hoc factum ei innoteſcens ſæuiebat.Præterea inexcuſabile erat,ſi hac de cauſa populum libertati ſuæ & ſuæ conſcientiæ reliquerit,quoad confeſsionem & communionem,quodq; ſuæ conſcientiæ iudicio ſacris myſterijs participarent: quod nec Ioan. Caluinus, nec Philippus nunc ſuadere audent, ſed docent,quod nõ niſi ſuo more exploratiſacræ euchariſtiæ cõmunionem accipiant. Quod autem Nectarius clarus fuerit ſcripturarum eruditione,illius temporis hiſtoriæ nõ teſtantur:quin potius Ruffinus li.11.eccleſ.hiſtor.ſcribit eum in rebus eccleſiaſticis nihil vel parum fuiſſe inſtitutũ,quodque ex prætore Vrbano catechumenus & nuper baptiſma conſecutus,ſacerdotium ſuſcepit apud Conſtantinopolim. Sed quia vir prudens erat,atq; aliorum cõſilio vtebatur, nec confeſsionem ſuſtulit, nec vniuſcuiuſq; reliquit conſcientiæ, quando ſacra ſuſciperet myſteria:ſed duntaxat abſtulit appendicem veteris canonis eccleſiarum.Pro pleniore autem intellectu eorum,quæ diximus,cõuenit exponere quid ante Nouatum circa pœnitentes eccleſia agere conſueuerat:quid reliquerit & damnauerit Nouatus, propter quod iudicatus ſit hæreticus,& ſeparatus ab eccleſia:quid propter ipſum ſtatuerint Epiſcopi: nam hinc clarè intelligemus quid ſuſtulerit Nectarius,hoc ipſum nimirũ, quod propter Nouatum fuerat ſtatutum,vt teſtãtur Socrates & Zozomenus,nihil autem eorum, quæ ſecundum antiquum eccleſiarum morẽ obſeruabantur.Tollebat autem Nouatus pœnitentiam,qua ad id vſque tempus eccleſia mederi ſolita fuerat his, qui poſt baptiſmum peccaſſent peccato ad mortem.Sic enim ſcripturarum imitatione Nouatiani tũc loquebantur:ſicut ex lib.4.Socratis patet ca.28. & Zozomeni lib.1.cap.22.Hac enim periphraſi notauit Chryſoſt.propriè Nouatianos, cum ait in cap.10.ad Hebræos. Hîc iterum inſurgunt aduerſum nos, qui tollunt pœnitentiam. Similiter beatus Baſilius in ſermone de pœniten.Superbiam,inquit,illorum,qui pœnitentiam tollunt non ferens,&c. Neq; verò hæ-

Solus Theodoſius Cæſar publicè in eccleſia confeſſus eſt peccata ſua.

Abrogatio additamenti nihil habet cõmune cum abrogatione confeſſionis.

Cõfeſſio ſublata tollit ſimul vſum poteſtatis clauium.

Caluinus & Melanchton docent nõ niſi exploratos cõmunionẽ accedere debere.

Cap.21.

Peccare peccato ad mortẽ fuit olim Nouatianorum phraſis.

Nouatus habitus est hæreticus, quia sustulit pœnitentiam qua parte est institutum diuinum.

rò hæreticus habitus est Nouatus, quia pœnitentiam tolleret, qua parte per priſcos pœnitentiales canones politicum quiddam habebat ab humana cõſtitutione natum: ſed quia eam tollebat qua parte diuinum eſt inſtitutum, & aut ſcripturis expreſſum, aut Apoſtolica traditione de manu in manum acceptũ. Quare obſeruandum eſt quidnam pœnitentia hac parte complecti credita ſit ante Nouati hæreſim. De animi dolore ſiue contritione nullum eſt hic dubium, ſicut neq; de propoſito relinquendi vitam veterem. Dubium inquam de duabus his rebus nullum eſt, quin eas complecti tunc credita ſit pœnitentia. Nec has ſuſtulit Nouatus, imò referente Socrate lib. 4. ca. 28. docebat relapſos ad Eucharistiam quidem admittendos nõn eſſe, exhortandos tamen ad pœnitentiam, animi nimirum dolorem & propoſitum, de quo dictum eſt. Deinde complectebatur tunc pœnitentia exomologeſin, ſicut diſcimus apud Euſeb. li. 6. ca. 44. in hiſtoria quæ eſt de Serapione, cni addidit Dionyſius Epiſc. Alexandrinus hanc ſententiam: Vides ne, inquit, q̀ ſenex hic tam diu in vita conſeruatus ſit, & permanſerit, donec abſolueretur, vt vel deleto iam peccato propter bona quæ fecerat confiteri poſſet. Cuius confeſsione luculenta etiam ſunt teſtimonia & apud Dionyſium ad Demophilum, & apud Origenem & Cypri. qui vixit ante & poſt natam hęreſim Nouati. Quare cum Cypri. Chryſoſt. Baſilius, & alij ſcribunt per Nouatianos tolli pęnitentiam, id non de vniuerſa pœnitentia accipi poteſt. Nequis verò putet confeſsionem & abſolutionem Serapionis politicã duntaxat rem fuiſſe, qualis eſt apud Cypri. lib. 3. epiſt. 28. cũ in defectu presbyteri confiteri nos vult diacono, & per eum nos reconciliari: ne quis, inquã, hoc putet, aduertat Dionyſium ſtudio certo iſta narrare ꝓpter Nouatianos, quorũ hęreſis paulò poſt defunctũ Serapionẽ extiterat. At Nouatiani de politica abſolutione cũ catholicis nõ pugnabant, an ſcilicet relapſis concedi deberet, ſed de inſtituta diuinitus abſolutione, & qua lapſis ſic contingeret remiſsio peccatorum corã Deo, vt idonei eſſent ad ſumptionẽ Euchariſtię. Itaq; Nouatianos ca. 10. ad Hebr. ita loquẽtes inducit Chryſoſt. Nõ eſt tutũ, inquiunt, myſteria præbere ijs qui peccauerũt, quia non eſt altera remiſſio. Quod Nouatianorum dictum perinde valet ac ſi dixiſſent: Baptizatis quidem euchariſtiã tuto prębemus, quia contingit ipſis per baptiſmum peccatorum remiſsio: At relapſis non eſt tutum præbere, quia non habet eccleſia ſacramentum alterum per quod ipſis cõtingat remiſsio altera baptiſmali ſimilis. Semelq; hoc meminiſſe oportet Nouatianiſmi cardinem in hoc verſari, an Chriſtus eccleſiæ ſuæ reliquerit ſacramentum aliquod ad reconciliandum relapſos, ſiue hoc vocari debeat antiquo more Pœnitentia, ſiue recentiori, Sacramentum pœnitentiæ: ſicut baptiſmum dedit ad regenerandum necdum renatos. Quod quia negabat Nouatus,

Nouatiani tantum pugnabant cum catholicis de absolutione diuinitus instituta.

habitus eſt hæreticus. Aduerſatur enim hoc & ſcripturis quæ de illo ſacramento loquũtur, & traditioni Apoſtolicæ, quæ tunc in eccleſia de eodem ſacramento nota erat, ac vſu ipſo catholico & perpetuo Chriſtianorum omnium animis irradicata. Neque minus ſane hodie peccant quicunque negãt vllum eſſe in eccleſia pœnitentiæ ſacramentum à Chriſto inſtitutum ad reconciliationem eorum, qui nunc mortaliter peccant. Nam quin fide, quin precibus, quin eleemoſinis & alijs huiuſmodi exercitijs reconciliationem impetrare relapſi poſsint, ne Nouatus quidem in dubium vocauit. Et facultatem abſoluendi Nouatum ſuſtuliſſe clariſſimè oſtendit reſponſio Aceſiou Nouatianorum epiſcopi. Hic enim interrogatus ab Imperatore quid in cauſa eſſet cur ſe à communione ſepararet, reſpondit, vt ſcribit Zozomenus libro 1. cap. 22. cauſam eſſe diſsidium quod inter Nouatum & Cornelium ſub Decio acciderat, quodque communicatione myſteriorum indigni ſint, qui ſe poſt baptiſmum peccati quod ſacrę ſcripturæ ad mortem vocant, reos faciunt. Eſſe enim ſoli Deo, non ſacerdotibus, poteſtatẽ huiuſmodi peccatum remittendi. Vetus igitur eccleſiarum canon hoc habebat, vt relapſis ſubueniretur per pœnitentiam & remiſsionem alteram, baptiſmali non quidem parem, ſed tamen ſimilem: cuius diſpenſatio penes eos eſſet, quibus data eſt poteſtas peccata in terris remittendi: & ex his cùm multi numero eſſent, liberum erat per eundem canonem eligere quem pro ſuo quiſque iudicio affectu & conſcientia vellet. Huic igitur canoni additus eſt pœnitentialis presbyter: hoc eſt, epiſcopali conſtitutione factum eſt, vt eſſet iam modus quidam certus & nouus huius pœnitentiæ, ſicut in titulo vocat *Zozomenus*, operoſus & confitentibus grauis. Re uera enim graue eſt alligari certo presbytero, libertate ſublata confitendi cui velis: graue etiam eſt vt peccata quæ vni presbytero in aurem confeſſus ſis, ea deferantur ad epiſcopũ, & ab epiſcopo recitentur apud populum. Cauſam verò quæ mouit epiſcopos propter hæreſim Nouati ad hanc adiectionem *Zozomenus* hanc fuiſſe ſcribit. Faciebat Nouati hæreſis vt Chriſtiani ad confeſſionem minùs quàm antea afficerentur. Quis enim confiteri libenter velit, ſi nõ ſperet abſolutionem? aut vt ſperes eam, dubites tamen an valeat? Fit autem ferè, vt exiſtentibus hæreſibus ſegniores fiant etiam catholici, ad ea obſeruanda quę vident in dubium vocari. Hic igitur cum aduigilandũ putarent epiſcopi rationem inierunt, vt adempta eis veteri libertate adeundi presbyterum quemlibet, vnum certum presbyterum accederent. (Sub illa enim libertate quaſi ſub latebra tegere ſeſe poterãt ſegniores, vt nõ cõfiterentur) & populo innoteſceret nulla tam enormia peccata eſſe, quæ relapſis non remitterentur, ſi pœnitentiæ miniſtris ſeſe docendos, monendos, arguendos, corrigendos,

Nouatus facultatē absoluendi sustulit. Exprimitur origo deiectionis ab ecclesia Nouati et eius sequacium.

Causa hic ponitur, quare episcopi adiecerint additamentū veteri canoni ecclesiæ,

& abſoluendos præbuiſſent. ac confugiſſent ad diuinitus ordinata remedia: peterent etiam preces publicas eccleſiæ. Siquidem ad hæc omnia ſpectabat illa peccatorum per epiſcopum recitatio. Vtrumque iſtorum, quę reuera grauia erant, & operoſa confitentibus, ſuſtulit in eccleſia Cōſtantinopolitana Nectarius, quem multi alij epiſcopi ſunt ſecuti: quemadmodum teſtantur Zozomenus & Socrates, & priſtinæ libertati, quæ erat ante Nouatum confitentes reſtituit. Certiſſimum huius rei argumentum eſt, quòd ſcilicet nihil aliud ſuſtulerit, quia eſto quòd ipſe fuerit in ſcripturis parum exercitatus, vt ex ipſis intelligere nō poterit remiſsionē alterā, & poteſtatem de qua ſæpe dictum eſt: quid reliquæ eccleſiæ quæ idem feciſſe memorantur? An æquè inexercitatæ & rudes ſcripturarum, & omnino rei Chriſtianæ omnes fuiſſe putandæ ſunt? Aliæ in toto orbe eruditiores eccleſiæ nónne grauiſsimè monuiſſent Nectarium de re ad ſalutem tam neceſſaria, & tanta per eum attentata nouitate? Quis autem vel leuiter reprehenſum docere poteſt? cùm tot habeamus illorum temporum ſcriptores egregios? Nec poſtea ad hæc vſque noſtra tempora ab vllo notatus legitur ſiue latino, ſiue græco, ſiue ſcholaſtico, ſiue generis alterius ſcriptore. Et quod maximè mouere debet, Socrates cum reprehendit Eudemonem, non tales ſcripturas vrget, Quorum remiſeritis, &c. non etiam morem vrget eccleſijs irradicatum, videlicet, vt ad Euchariſtiam Chriſtiani non accedant niſi confeſsi & abſoluti. Sed quid vrget? Dediſti, inquit, occaſionem, vt Chriſtiani inter nos inuicem non amplius arguamus peccata, hoc eſt, improbemus & deteſtemur, ita vt facere ſoliti ſumus, quoties in eccleſia recitari peccata audiuimus. Hunc ſenſum requirit & vocula ἀλλήλων, hoc eſt, alij aliorum: & ſimiliter locus quem allegat ex Paulo.

In ſublatione additamenti multi epiſcopi ſunt Nectariū ſecuti

Nectarius de ſublatione additamēti nuſquā legitur reprehenſus.

Caluinus. Homil. 2. in Pſal 50. Sermone de pænitentia et confeſ.

Hanc autem abrogationem tot locis euidenter Chryſoſtomus teſtatur, Conſtantinopolitanæ & ipſe eccleſiæ præſul, vt mirum ſit iſtos audere contra mutire. Peccata, inquit, tua dicito, vt deleas illa. Si cōfunderis alicui dicere quæ peccaſti, dicito quotidie ea in anima tua. Non dico vt confitearis conſeruo tuo, qui exprobret: dicito Deo, qui curat ea. Peccata tua ſuper ſtratum confitere, vt ibi ſua mala quotidie cōſciētia tua recognoſcat. Itē, Nunc aūt neque neceſſarium eſt præſentibus teſtibus confiteri, cogitatione tua fiat delictorum exquiſitio: ſine teſte ſit hoc iudicium, ſolus Deus te confitentem videat. Item, Non te in ſeruorum tuorum theatrum duco, non hominibus peccata tua detegere cogo. Repete coram Deo conſcientiam tuam, & explica. Oſtende Domino præſtantiſsimo medico tua vulnera, & pete ab eo medicamentum: oſtende ei qui nihil opprobret, ſed humaniſsimè curet. Item, Caue homini dixeris, ne tibi opprobret: neque enim conſeruo eſt confitendum, qui in publicum proferat, ſed Domino, qui tui curam gerit, qui & humanus eſt & medic⁹, oſtendes vulnera. Poſtea dominum ita loquentem inducit. Non cogo te in mediū prodire theatrum, ac multos adhibere teſtes, mihi ſoli dic peccatum tuum priuatim, vt ſanem vlcus. Diccmus ne Chryſoſtomū eò progredi temeritatis cùm hæc & ſimilia ſcribit, vt conſcientias hominum liberet his vinculis, quibus diuina lege conſtringuntur? Minimè verò, Sed quod Dei verbo intelligit nequaquam eſſe præſcriptum, exigere ceu neceſſarium non audet.

Homil. 4. de Lazaro.

Reſponſio.

Verè hanc quam diximus abrogationem appendicis adiectæ per epiſcopos ob Nouati hæreſim, non autem confeſsionis, apud ſacerdotem Chriſti miniſtrum, & vicarium faciendæ, multis in locis euidenter teſtatur beatus Ioannes Chryſoſtomus & in hiſipſis quæ citat Ioannes Caluinus. Nam & ipſis verbis conſtitutionis epiſcoporum vtitur. Ait enim, Nunc autem neque neceſſarium eſt præſentibus teſtibus confiteri, ſicut prius (videlicet ante additamenti abrogationem) ſine teſte ſit hoc iudicium: Solus Deus te confitentem videat, ſic quòd nulli teſtes: & qui ſacerdoti vicario Chriſti confitetur, Chriſto potius confitetur quàm ſacerdoti, ſicut Chriſtus eſt qui propriè abſoluit, quamuis ſacerdotis miniſterio. Et quaſi ad verba Zozomeni de theatro alludens, Non te, inquit, in conſeruorum tuorum theatrum duco. Non hominibus peccata tua detegere cogo. Oſtende illi qui nihil opprobret, ſed humaniſsimè curet. Neque enim conſeruo eſt confitendū, qui in publicū proferat. Et Dominū ita loquentē inducit: Nō cogo te in medium prodire theatrū, ac multos adhibere teſtes. Mihi ſoli dic peccatum tuum priuatim, hoc eſt, apud meum vicarium duntaxat, vt ſanē vlcus. Ex quibus locis quæ ipſe Caluinus citat, clariſsimè conſtat quòd ad appendicem abrogatam hæc referat, non ad confeſsionem. Non igitur eò progreditur temeritatis cùm hæc ſcribit, vt hominum conſcientias his vinculis liberet, quibus diuina lege conſtringuntur. Sed gratulatur apud populū ſublatum eſſe magnum illud onus, quod cōfeſsioni adiectum fuerat epiſcoporum conſtitutione, propter hæreſim Nouati. Et optimè omnia quæ hic citat Caluinus, conſonant ijs quæ diximus ex Socrate de additamento iſto, veteri canoni adiecto. Quod intelligebat Chryſoſtomus non eſſe Dei verbo præſcriptum ceu neceſſarium, ſed pro tēpore tantum ob natam hæreſim ſaluti eccleſiæ expedire. Plurimū igitur mirandū quoſdam hoc crimine ablatæ confeſsionis prope inuoluere Chryſoſtomum, Nectarij in epiſcopatu ſucceſſorem, hominem omnium iudicio in ſcripturis exercitatiſsimum: cuius apertiſsimas habemus ſententias, tam de remiſsione altera, Homil. in cap. 11. ad Hebr. quā de poteſtate in terris remittendi peccata, lib. 3. de ſacerdotio. Rurſum in cap. 8. ad Hebræos, Imo & de cōfeſsione homil. 3. & 33. in Ioā. & ſuper Geneſ. homilia 26. Quæ cum alijs locis citat Hofmeiſterus in locis ſuis

Qui ſacerdoti confitetur, potius Chriſto quam ipſi ſacerdoti confitetur.

Gratulatur Chryſoſtom. de ſublato additamēto

com-

comuunibus. Nunc autem argumenta tantū ex hiſtoria petamus, & legatur Socrates lib. 6. cap. 21. Cum vnica, inquit, eſſet à ſynodo epiſcoporum lapſis data pœnitentia, auſus eſt Chryſoſtomus dicere, Etiā qui millies pœnitentiam egiſti, tamen accede. Hîc qui meminerunt quid ſit hac parte pœnitētia, & quid in ea Nouatus tollere: cōtrà quę catholici retinere ſtuduerint, an illis dubiū vllū eſſe poteſt, quin & Chryſoſtomus & reliqui ſynodi illius patres de cōfeſſione & abſolutione inter ſe tunc egerint, vt de reb⁹ adhuc omnino obtinētibus, & nullo modo ſublatis? alioqui de ſublatis quorsū ſeſe fatigarent epiſcopi? Sunt qui de errore Cypriani huc adferunt, quaſi ſanctus Chryſoſtom⁹ humanū aliquid paſſus labi hîc potuerit: & lapſus ſit propter exemplū & factū ſui prædeceſſoris: ſicut Cyprianus obnouitatem attentatam per Agrippinum cui ſucceſsit in repabtizando eos, qui fuerant ab hæreticis baptizati. Quibus facillimum eſt reſpondere, ſi attendamus ad temporis & rerum diſsimilitudinem. Nam quæſtio an baptiſm⁹ ab hæretico collatus, ſit nullus, ſub Cypriano moueri cœpta eſt, vt patet in initio libro ſeptimo apud Euſebium. De pœnitentia verò, remiſsione altera, & poteſtate remittēdi, nulla prorſus ſub Nectario quæſtio erat. Sed tota res ſimpliciter indubitata habebatur inter catholicos, tātoq; magis, quantò diligentius examinata iam fuerat propter Nouatianos. Deinde quæſtio de baptiſmo hæreticorū non ita ex ſcripturis expediri tunc potuit, quia paucæ ſcripturæ manifeſtè de ea re loquuntur, ſed ediuerſo plurimæ pro Cypriano facere videbātur. Contrà verò de pœnitentia & rebus quas complectitur, ſuppetebant iam omnibus nota & vſu tria ſcripturarum teſtimonia.

Cyprianus. ſecut⁹ Agrippinum ſuum prædeceſſorē ab hæreticis baptizatos rurſum baptizandos cenſuit.

Obiectio.

Objicietur fortaſsis, Quid igitur ſibi velit ſermo ille apud *Zozomenum*: quod conſulentibus quibuſdam vt concederet vnicuique myſterijs communicare, prout ſibi conſcius eſſet, & fiduciam accipere poſſet, pœnitentialem presbyterū ſuſtulit. Et quòd dicit Socrates eandem continens ſententiā: Hic Eudemon perplexo Nectario dat conſilium, vt amoueat presbyterum pœnitentialē, & concedat vnicuique myſterijs communicare ſecundum propriam conſcientiam. Vbi aduertere licet hic apud Socratem, & etiam apud Zozomenum, confeſsionem referri ſolere ad ſumptionem euchariſtiæ: & tacitè hic ſignificari quòd ad Euchariſtiam nemo venire ſoleat, niſi confeſſus. Hæc certè particula multos ita impeditos tenet, vt affirmare non dubitent, Nectarium omnem ſemel cōfeſſionem ſuſtuliſſe: & plurimum mirandum Ioannem Caluinum eius non reminiſſe: in quo virum optimum non minus eccleſiæ perniciolum faciunt, vt diximus, quàm fuit penè dixerim Nouatus ipſe. Quid enim Nouatianis à veteribus objicitur, quod non idem in Nectario hæreat, ſi ſuſtulit confeſſionem? Objicit Leontius, Benignitatem Dei excluſiſtis: cur non idem objicias Nectario? Objicit Ambroſius, Donum cæleſte refunditis (hoc ſentiens quod poteſtatem remittendi in terris peccata, quam Chriſtus eccleſiæ donauerat, Nouatiani nollēt agnoſcere, ſed reſpuerent potiùs ac reijcerent). Quare non idem Nectario objicias: niſi quia refundere cenſendus non eſt, qui facit vt nunquam dono vtamur? Quid igitur ſibi vult ſermo ille, Pro ſua quiſque conſcientia? Cui facilè eſt reſpondere, ſi ſeriem hiſtoriæ conſulamus. Videbimus enim non aliud velle, niſi vt neglecta recenti iſta & graui acceſsione, liberum vnicuique ſit redire ád ſolitam & antiquam libertatem, eligendi è multis presbyteris quemcunque pro ſuo quiſque iudicio, affectu & conſcientia voluerit. Tantum vt in hac re vnuſquiſque rationem habeat ſuæ conſcientiæ: atque ita ſeſe gerat, vt bona fiducia accedere audeat ad euchariſtiam. Nam ad hanc, vt ſupra dictum eſt, pœnitentia tam à catholicis quàm à Nouatianis referebatur: eoque Nouatiani cùm non viderent in eccleſia remiſsionem, conſequenter dicebant (& quidem eruditè ſuppoſito ipſorum errore) nullum relapſum admittendum eſſe ad euchariſtiam: eruditiores, ac curatiores ac religioſiores hac in parte quàm fuerit ipſe Chryſoſtomus, ſi quidem imitatione & exemplo Nectarij relapſos ad euchariſtiam admiſit, (Id quod iſti volunt) nec confeſſos nec abſolutos. Cauendus eſt igitur Muſculus in titulo capitis 16. *Zozomeni*. Vertit enim, Quomodo priuata confeſsio ſublata ſit Conſtantinopoli: cùm *Zozomenus* ipſe ſic habeat, Quomodo & quam ob cauſam ſublatus ſit in eccleſia pœnitentialis presbyter, & operoſus labor circa modum pœnitentiæ. Omnia hæc latiùs proſequitur reſponſio magiſtri noſtri Ioannis Haſſelani, cuius ſuperius meminimus.

Solutio.

Si Nectarius cōfeſſionem ſuſtuliſſet, nō minus pernicioſus fuiſſet eccleſiæ quā ipſe Nouatus

Muſculus haud fideliter vertit locū de Nectarij facto.

Deinde poſt diſtinctionē triplicis confeſſionis quæ ſit Deo, quæ fratri offenſo ad placandum, & tertia quæ ſit pro conſilio & conſolatione, addit Caluinus quòd aliam confitendi vel rationem vel formam ſcriptura prorſus ignoret. Oſtendimus autem in ſuperioribus aliam confitendi rationem ex lib. Ioſue: & eam quę ſit ſacerdoti, inſinuari diximus in verbis Chriſti, Quorum remiſeritis peccata. &c. Atque hanc confeſsionem per manus nos accepiſſe, eiuſque perpetuum vſum in eccleſia ſemper fuiſſe. Hanc igitur non poteſt prorſus ignorare ſcriptura. Tandem ſtylum vertit aduerſus ſaluberrimam conſtitutionem eccleſiæ in generali Concilio editam, de confidendo ſemel in anno. Magna eſt iſtorum hominum arrogantia, qui ita in ſuo ſenſu abundant, vt nullius vereantur authoritatem, ne eccleſiæ quidem, de qua Saluator pronunciat, Si eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.

Ioan. 20.

Cap. Omnis vtriſque ſexus de pœnit. & remiſſ.

Matth. 18.

Ait enim.

Caluinus.

Quid illi? Statuunt vt omnes vtriuſque ſexus, ſtatim atque ad diſcretionis annos peruenerint, ſemel ad minimum quotannis confiteātur omnia

ſua peccata proprio ſacerdoti: nec peccatum dimitti, niſi confitendi votum firmiter conceptum fuerit. Quod votum niſi oblata facultate ſolutũ fuerit, iam nulli patere paradiſi ingreſſum: ſacerdotem verò poteſtatem habere clauium, quibus peccatorem ſoluat ac liget: eò quòd nõ ſit irritũ Chriſti verbum, Quodcunque ligaueris, &c. Iſtud autem Soluere non audent interpretari ſimpliciter peccata remittere & delere: quia dominum clamantem audiunt apud prophetam, Ego ſum, & non alius præter me: Ego ſum, qui deleo iniquitates tuas Iſrael: Sed dicunt ſacerdotis eſſe pronunciare qui ligati ſint aut ſoluti, & declarare quorũ remiſſa aut retenta ſint peccata.

Eſa. 43.

Reſponſio. Non noſtrum eſt ſtatutum capituli, Omnis vtriuſq; ſexus, ſed ſpiritus ſancti per ſpõſam Chriſti in generali Concilio per patres loquẽtis, qui pronunciando poterant exemplo Apoſtolorum dicere, Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis, vt omnes vtriuſque ſexus ſtatim atque ad diſcretionis annos peruenerint, ſemel ad minimum quotannis, omnia ſua peccata proprio ſacerdoti confiteantur. Peccatum autem non dimitti niſi confitendi votum conceptum fuerit, docuimus ex Auguſtino, Leone & alijs patribus: ſicut ante baptiſmum ſine eius voto peccata non dimittuntur: id quod & Saluatoris verba docent, Quorum retinueritis, etc. Oſtendimus etiam ſacerdotem habere poteſtatem clauium, qua peccatorem ligare poteſt & ſoluere. Et verè audemus interpretari & confiteri ſimpliciter, quòd peccata remittere poteſt, docti verbis Saluatoris, Quorum remiſeritis peccata, &c. Quòd autem delere poſsit peccata non æquè ex ſcripturis conſtat, maius enim eſt delere peccata, quàm remitttere vel ſoluere. modo tamẽ quodam ſacerdotes etiam delent peccata. Nec deterret nos Dominus apud prophetam clamans ſe eſſe qui deiet iniquitates, cùm ſacerdotes ſolùm adhibeant miniſterium, & Deus ſit qui eorum miniſterio peccata remittit ac delet. Porrò nec ſacerdotis ſolum eſt pronunciare qui ligati ſint aut ſoluti, & declarare quorum remiſſa aut retenta ſint peccata: ſed ſecundum verba Saluatoris eius eſt verè remittere & retinere, licet tanquam miniſtri remiſsionis ac retentionis. Quare ſancti aſſerere audẽt ſentẽtiã Petri præcedere ſentẽtiã cœli: citantes Saluatorẽ dicentẽ, Quodcunq; ſolueris ſuper terram, ſolutum erit & in cœlis, ex adiunctione coniunctionis Et.

Act. 15.

Sicut peccata ſine baptiſmi ſaltẽ voto non remittũtur, ſic nec ſine pœnitentiæ voto poſt baptiſmum.

Ioannis 20.

Ioannis. 20.

Caluinus. *Demum cũ intelligunt nondum ſe hoc modo explicari, quin ſemper obijci poßit, indignos ſæpe ligari & ſolui à ſuis ſacerdotibus, qui propterea nõ ligentur aut ſoluantur in cœlo: quod vltimum refugium eſt, reſpondent collationem clauium cum limitatione intelligendam eſſe, quòd Chriſtus promiſerit apud tribunal ſuum approbatum iri ſacerdotis ſententiam, quæ iuſte prolata fuerit, ſecundum ꝙ merita legati aut ſoluti poſtulabunt porrò has claues omnibus ſacerdotibus à Chriſto datas eſſe, quæ illis ab epiſcopis in promotione conferuntur, ſed liberum vſum penes eos duntaxat eſſe qui muneribus eccleſiaſticis funguntur: apud excommunicatos & ſuſpenſos manere quidem ipſas claues, ſed rubiginoſas ac ligatas.*

Nihil mirandum indignos clauium miniſterio ligari & ſolui, quando & baptizantur indigni, qui ex baptiſmo non renaſcuntur: ſicut à ſacerdotibus abſoluuntur, quibus Deus peccata nõ remittit. Prauum enim eſt cor hominis & inſcrutabile, cuius abſcondita nemo cognoſcere poteſt, ac pleraq; ne quidem ſpiritus hominis qui in ipſo eſt. Nec refugium eſt, ſed vera intelligentia promiſsionis verborum Chriſti, quòd ijs tantum verè remittantur peccata per ſacerdotes qui digni ſunt. hoc eſt diſpoſiti vt à Deo eis fiat peccatorum remiſsio. Et ideo dicit b. Hieronymus in comment. in 16. Matth. quod epiſcopus non eos ſoluit aut alligat qui inſontes ſunt vel noxij, ſed pro officio ſuo, cum peccatorum audierit varietates, ſcit qui ligandus ſit, quiue ſoluẽdus, & ita hos alligat vel ſoluit. His enim ſolis à Deo remittũtur peccata quos pœnitet offenſæ in eum admiſſæ, quique vitam emendare proponunt. Ac Saluator ipſe docet quorundam peccata eſſe remittenda, & retinenda aliorum. Et quia magna diſcretione hic opus eſt, dedit ſacerdotibus ſpiritũ ſanctum, vt hos ab inuicẽ diſcernerent, quos tametſi diligentes ſint in officij ſui functione, multis modis tamen falli contingit. Omnibus autem ſacerdotibus claues dates eſſe, ac ius baptizandi atque peccata remittendi, & hoc ipſum eſſe indelebile docet B. Aug. lib. 2. contra epiſtolam Parmeniani, & ſimiliter Concilium Florentinum.

Reſponſio.

Indigni baptizantur nõ tamen renaſcuntur.

Iere 17.

Præterea contra Donatiſtas docet beatus Auguſtinus, quòd contra dimittat etiam ſimulator religionis peccata: Non tamẽ apud quoslibet eſſe liberũ huius poteſtatis vſum, docet Concilium Lateranenſe & Florentinũ, cùm requirat iuriſdictionem in eos circa quos exercetur. Quapropter ſuperius malè cõcludit Ioã. Caluin⁹ nõ omnes ſacerdotes habere claues, ex eo ꝙ vnus è presbyteris peculiariter deſtinatus olim fuerat pœnitẽtibus. Errat hic Caluinus in eo ꝙ arbitratur ſacerdotium dari per commiſsionem, & non per conſecrationem, quæ iterri non poteſt.

Vſus poteſtatis clauium requirit iuriſdictionem in eũ circa quem exercetur.

Ad hæc ſingula paucis reſpondebo. Taceo aũt ad præſens, quo iure quáue iniuria fideliũ animas ſuis legibus obſtringãt. Quòd aũt legem imponunt de omnium peccatorũ enumeratione, quòd peccatum dimitti negant niſi ſub conditione, ſi votum confitendi firmiter conceptum fuerit, nullo modo ferendum eſt. Omnia ne peccata enumerãda ſunt? at Dauid qui ſecum probè, vt arbitror. meditatus erat peccatorum confeßionem, tamen exclamabat, Errores quis intelligit, ab occultis meis mũda me Domine, nimirum intelligebat quanta eſſet peccatorum noſtrorum abyſſe: quam multæ ſcelerum facies: quàm longã caudam traheret hæc Hydra. Non ergo ad recenſendum catalogũ ſe conferebat

Caluinus.

pſalm. 18.

rebat

Pſalm. 68. *rebat, ſed è profundo malorum clamabat ad Dominum, Obrutus ſum, ſepultus ſum: immerſum alto puteo deficientē manus tua extrahat? Quis ſuorū peccatorū nunc ſupputationē cogitet, vbi Dauidē videt ſuorum numerum inire non poſſe?*

Reſponſio. Rom. 13. Hebr. 13. Rom. 1.

Et nos tractabimus circa articulum 26. quòd legibus tam eccleſiaſticis quàm ſecularibus fideles in animabus & conſcientijs ſuis obſtringantur, iuxta ſententiam Apoſtoli Pauli, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Nec ſolum propter irā, ſed & propter conſcientiam. Et alio loco, Obedite præpoſitis veſtris, ac parentibus inobedientes docet eſſe dignos morte. De omniū autem peccatorum enumeratione ſupra diximus, eorū enumerationem requiri & etiam ſufficere, quæ poſt conſcientię diligentem diſcuſsionem memoriæ occurunt: quēadmodum ipſe Caluinus hic docet quòd coram Deo ſingula delicta ſunt confitenda, ſed quæ memoriæ occurrere poſſunt. Quærit enim, Quid inquies: Ergóne confitenda non ſunt ſingula delicta? Ergo nulla confeſsio Deo accepta, niſi duobus iſtis verbis concluſa, Peccator ſum? imo verò danda potiùs opera, vt quantum in nobis eſt, totum cor effundamus corā Domino. Nec modò nos peccatores vno verbo fateamur, ſed vt tales nos verè & ex animo agnoſcamus, quanta ſit & quam varia peccatorum labes tota cogitatione recognoſcamus. Non modò nos immundos, ſed qualis ſit, & quanta quamq́; in multis partibus immundities. Non modò debitores, ſed quantis debitis grauati, & quot nominibus obſtricti: nō modò vulneratos, ſed quam multis & letalibus plagis ſaucij. Hac tamen recognitione cùm ſe totum peccator coram Deo effuderit, ſeriò ac ſyncerè cogitet, plurima adhuc reſtare, ac profundiores eſſe malorum ſuorum receſſus, quàm quos penitus excutere poſsit: atq; adeò exclamet cum Dauide, Errores quis intelligit: ab occultis meis munda me Domine.

Quā præſcribit Caluinus confeſsionem Deo in corde faciendā eſſe, eandē preſcibit Conciliū generale Deo apud ſacerdotem ore faciendā. Ioannes 20.

Quā hic dicit Caluinus peccatorū confeſſionē in corde Deo faciendā eſſe, hanc eandē Conciliū mandat Deo apud ſacerdotem ore fieri, quem peccatorum iudicem & arbitrum ſuo loco cōſtituit. Et æquè poſsibilis eſt iſta, quā ea quæ fit Deo. Ideo Caluinus nullā habet rationē calumniādi in decretū Concilij, propter impoſsibilitatē. Quam verò diligentiam præſtare oporteat, vt omnia confiteamur vel coram Deo in corde, vel corā eodē apud ſacerdotem ore, diximus in ſuperioribus. Nec vlla hic carnificina diuexantur, qui ex animo reſipiſcunt, & fideliter vulnera ſua medico exponere ſtudēt vt ſanentur. Quòd aūt peccata nō remittantur in cœlis ſine voto confitendi, nulluſque ſuperſit ingreſſus paradiſi, ſi facultas confitēdi neglecta fuerit, iā ſtatim oſtendimus concordem de hoc eſſe patrum ex verbo Saluatoris ſententiam.

Caluinus. *Dicam in ſumma qualis lex illa fuerit. Primū ſimpliciter eſt impoſsibilis, itaq; non niſi perdere, dānare, confundere, in ruinam & deſperationem conijcere poteſt. Deinde peccatores à vero peccatorum ſuorum ſenſu abductos hypocritas facit, Deiq; ac ſuiipſorum ignorantes, Siquidem dum in enumeratione peccatorum toti occupantur, interim obliuiſcuntur latentem illam vitiorum lernam, occultas ſuas iniquitates & interiores ſordes, quorum potiſsimum notitia miſeriam ſuam reputare debuerant: ac certiſsima erat confeſsionis regula, tantam mali noſtri abyſſum agnoſcere ac fateri quæ ſenſum quoq; noſtrum ſuperet. Hac regula videmus compoſitam publicani confeſsionem, Domine propitius eſto mihi peccatori: quaſi diceret. Quantus quantus ſum, totus ſum peccator, nec ipſe peccatorum meorum magnitudinem aut mente aut lingua aſſequi poſſum, Singula tamen delicta Deo ſunt confitenda.*

Reſponſio. *Peccatorum enumeratio faciēda Deo apud ſacerdotem non magis impoſſibilis, nec magis in deſperationem conijcit, quā quæ fit Deo ſine ſacerdote.*

Vanum eſſe quod dicitur de impoſsibilitate iam ſtatim oſtendimus ex ipſomet Caluino, & ſuperius ex Beato Chryſoſtomo citauimus, quòd vnumquodq́; peccatum oporteat, & maius & minus quaſi in libro, ita in corde noſtro habere deſcriptum, idq́ue frequentius recenſere. Sicut autem ſingulorum confeſsio Deo facta quaſi medico, non in deſperationem conijcit, ſed opem eius & curam obtinet, ita & confeſsio quæ fit ipſius vicario. Nec iſta à peccatorum ſenſu abducit, nec etiam facit hypocritas magis quam illa. Magnitudinis enim peccatorum, & immenſitatis Dei cōſideratione, verè ſentimus quātum malum eſt peccatum, quo relinquitur fons aquæ viuæ. Nec ſimulatè, ſed verè atque ex animo hoc recogitans, agnoſcit quid fecerit Dominum ſuum relinqendo, veriuſq́ue ac clarius ſuam agnoſcit infirmitatem, & latentem illam vitiorum radicem ac ſeminarium. Sed quia hoc ſeminarium & origo peccatorum in baptizatis peccatum non eſt, verùm infirmitas potius quæ peccata attenuat, materia confeſsionis eius quę fit apud Deum, nec etiam illius quæ fit apud ſacerdotem. Nec propter eam publicanus orauit Dominum propitium ſibi eſſe, ſed propter peccata quæ ex eius propenſione & mala voluntate patrauerat.

Caluinus. *Iam verò quod affirmant non dimitti peccata, niſi voto confitendi firmiter concepto, & clauſam eſſe paradiſi portam ei, qui facultatem confitendi ſibi oblatam neglexerit, abſit, vt iſtud eis concedamus, Non enim alia nūc eſt peccatorum remiſsio quā ſemper fuit. Quotquot remiſsionē peccatorum à Chriſto obtinuiſſe legūtur, nō leguntur in aurē ſacrificuli cuiuſpiam confeſsi. Nec ſanè confiteri poterant, vbi nec ſacrificuli confeſsionarij erant, nec ipſa etiam cōfeſsio. Et multis poſtea ſeculis inaudita fuit hac confeſsio, quibus ſine hac conditione remittebantur peccata. Sed ne quaſi de re dubia longius diſceptemus, verbum Dei apertum eſt, quod æternum manet, Quotieſcunque ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor. Huic verbo qui aliquid audet obijcere: non peccata ligat, ſed domini miſericordiam.* Ezech. 18.

Manifeſtè

Reſponſio.

Manifeſtè oſtendit hic Caluinus peſtilentem fontem multorum errorum cordis ſui, dicens non alia ſalutis remedia allata & inſtituta eſſe à Chriſto, quam fuerunt ſemper. Nam ex hoc errore ſequitur baptiſmum nõ eſſe inſtitutẽ in peccatorum remiſsionem, atque erraſſe B. Petrum hortando compunctos corde, Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſsionem peccatorum veſtrorum: quia ſecũdum Caluinũ non eſt nũc alia peccatorum remiſsio quàm fuit ſemper tempore legis & ante legem, Nõ enim tunc baptiſtæ erant huius ſacramenti miniſtri: ſicut nec confeſsionarij: nec ſacramentum baptiſmi, quemadmodum nec confeſsio. Et apertum quidem eſt verbum Dei,

Ezech.18. *Ioan.3.* *Ioan.20.*

Quotieſcunque ingemuerit peccator, &c. ſed non minus apertum verbum Chriſti, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Et, Quorum remiſeritis peccata, &c. Nec quicquam huic verbo obijcimus, ſed ex ſcripturis docemus, gemitum de quo propheta loquitur, eſſe gemitum veræ pœnitentiæ, quæ eſſe non poteſt ſine voto confeſsionis: cùm Caluinus doceat in gemitu iſto ob ſolam fidem apprehendentem iuſtitiam & peccatorum remiſsionem, Deum non recordari iniquitatum. Ex omnibus his concludit Caluinus.

Caluinus.

Nihil itaque mirum, ſi auricularem iſtam confeſsionem, rem adeo peſtilentem, totq; nominibus eccleſiæ noxiam, damnamus, ac ſublatam è medio cupimus.

Reſponſio.

Quis obſecro Caluine tibi hic credet ſine verbo Dei, ſine iuſta ratione damnanti id quod frequentiſsimum ex toto orbe oriente, occidente, & aquilone congregatum Concilium in ſpiritu ſancto, tanquam omnibus fidelibus ſalutare probauit? Nec Concilium iſtud dumtaxat, ſed, vt ipſe fateris, antiquiſſimus vſus eccleſiæ ab apoſtolorum temporibus. Et valde mirandum eſt, quod non ſolum pręceptum eccleſiæ de confitendo damnas, ſed ipſam etiam confeſsionem. Opinor neminem vſque adeò cæcum aut inſanum eſſe, vt ob tuam damnationem velit tanto diſcrimini ſeipſum exponere, & negligere confeſsionem, quam eccleſia ſemper docuit tam neceſſariam eſſe, vt ſine ea, ſaltem in voto, non fiat peccatorum remiſsio. Quorum enim retinueritis peccata, ait Saluator, retenta ſunt. Stupenda eſt huius hominis ſuperbia, vt intrepidè ſine vllo pudore audeat pronunciare ſententiam damnationis aduerſus generalium Conciliorum definitiones. Vtinam in mentẽ ei frequenter veniret id quod cuidam dicitur apud Hieremiam, Arrogantia tua decepit te, & ſuperbia cordis tui. Et apud Eſaiam, Sapientia tua & ſciẽtia tua hæc decepit te. Verè huc adducere libet religioſi Imperatoris Martiani ſentẽtiã in edicto, quo mandat ſeruari definitiones Concilij Calcedonenſis, quam in ſuperioribus etiam citauimus, Impius, inquit & ſacrilegus eſt, qui poſt eccleſiæ & tot ſacerdotum ſententiam, ſuæ opinioni aliquid tractandum reliquit. Quid enĩ ſtabile & conſtans in noſtra erit religione, ſi ſemel iudicata & rectè diſpoſita reuolui, & publicè diſputari permittatur? Habet & Eraſmus argumẽta quędam, quibus conatur oſtendere confeſsionẽ peccatorum nõ eſſe iuris diuini, nec à Chriſto inſtitutam, ſed authore ſpiritu ſancto ab eccleſia: verum ea pleniſsimè ſoluit inſignis theologus Ioãnes Eckius in quarto lib. de pœnitentia, cap. 25. & ſequentibus. Quare nos ea hic prętérimus.

Caluinus nõ tantũ præceptũ eccleſiæ de confitẽdo damnat, ſed & ipſam cõfeſsionem. *Ioan.20.* *Hiere.49.* *Eſai.47.* *Martianus imperator mandauit ſeruari definitiones Concili Calcedonenſis.*

Improbant præterea ſacerdotum conſecrationẽ. Aiunt enim ex aduerſarijs quidã: Quod ad ſacerdotum conſecrationem pertinet, non aliud eſt quàm larua quædam, vt ſimpliciũ oculos faſcinent & excęcent, quod que miniſtri nomine eccleſię communitatis Chriſti præcipuè exequi debeant hoc miniſterium: omnibus tamen fidelibus eſſe commune. Ad omnes enim Chriſtus dixit, Quicquid vos ligaueritis ſuper terrã, hoc ligatum erit & in cœlis: & quicquid vos ſolueritis ſuper terram, &c. Et iterum dico vobis. Vbicunq; duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, &c. Item, Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum. Ecce inquiunt, vbicunque duo vel tres (qualeſcunque ſint, laici vel ſacerdotes) in nomine Domini congregati ſunt, ibi ipſe eſt in medio eorum faciens opus abſolutionis efficax. Quare ipſe hic ante dicit vnicuique fratri de eo qui in ſe peccauit, Si audierit te, iam ipſum lucratus es: Iam ſi lucratus eſt eum, & à peccatis eum abſoluere poteſt: atque ita quilibet Chriſtianus ſuum proximum quem peccare cognouerit, ad pœnitentiam obligabit: & cum ad veram pœnitentiam & agnitionem peccatorum ſuorum venerit, iterum per abſolutionem peccatorum abſoluet, ſecũdum clarum verbum Domini modò prædictum. Sed hæc eſſe abſurda, & ſolis ſacerdotibus conuenire hoc miniſterium, ſupra ſatis oſtendimus, etiam contra Martinũ Lutherum, quòd non omnes fideles clauium habeant poteſtatem. Sacerdotes verò noui teſtamenti ad ſua officia conſecrati, ſicut olim tempore legis, docet B. Dionyſius cap. quinto eccleſiaſticæ Hierarch. Vbi deſcribens veterem ritum ordinationis dicit neminem fieri ſacerdotem, niſi pontificalibus officijs ad hoc fuerit promotus. Ac B. Auguſt. libro ſecundo cõtra epiſtolam Parmeniani. Ordinationem oſtendit eſſe ſacramentũ, & conſecratione quadam conferri ei qui ordinatur & propterea non licere ipſam iterari. Idẽ docet B. Dionyſius, qui inter primos poſt Apoſtolorũ tẽpora fuit in eccleſia Orentali, Epiſcopum vti vnguento ad omnẽ fermè ſacerdotalis officij functionem. Ad hæc beatus Cyprianus oſtendit, quare & quomodo ceſſantibus his, quæ ritu antiquo veteris teſtamenti inoleuerant, religio Chriſtiana vnctionis myſterium non contempſerit: ſed cæteris generali ſanctorum conſenſu dãnatis, non ſolùm in regibus & ſacerdotibus

Alia aduerſariorum obiectiones. *Matth.18.* *Solutiones.* *In primitiua eccleſia epiſcopus oleo vti ſolet ad omne fermè ſacerdotalis officij functionem.*

vnctionis honor permanſerit, ſed etiam in omni populo Catholico. Item B. Hierouymus in Leuit. & Amos manifeſtè ſatis indicat, quòd ſacerdotes ſuo tempore vngebantur, vt docet Antididagma Eccleſiæ Colonienſis. Non enim, ſicut aduerſarij docent, per ſolam commiſsionem claues traduntur & ſacerdotium, ſed per conſecrationem. Ideò perpetuum eſt: nec vnquam ex ſacerdote fieri poteſt laicus in eccleſia Catholica, ſicut cõtingit apud hæreticos, quemadmodum ex Tertulliano, libro de præſcriptionibus hæreticorum antea retulimus.

ARTICVLVS SEXTVS.

Satiſfactio eſt perſolutio pœnæ plerunq; adhuc debitæ remiſſa iam culpa. Nã omnem pœnam peccato debitam ſemper condonari culpa remiſſa erroneum eſt, & ſcripturis ſacris aduerſatur.

PEccato remiſſo, hoc eſt peccatore in gratiam & filium Dei recepto, plerumq; manere reatum pœnæ, non ſolùm huius, ſed & futuri ſeculi: nec eius duntaxat, quæ in boni priuatione cõſiſtit, ſed & pœnæ quæ eſt in afflictione tormenti, primò probandum eſt ex ſcriptutis, omnium veterum ſcriptorũ conſenſione, & ex eccleſiæ Catholicæ traditione, generalium quoque Conciliorum definitione: deinde quòd eam perſoluere, recompenſare & redimere poſsimus atque auertere. Quòd igitur huius ſeculi pœna, etiam hoc tempore inferẽda maneat culpa remiſſa, clamant calamitates, mors ſcilicet, infirmitates, rebellio carnis, atque innumeræ aliæ, in quas parentes noſtri per peccatum inciderunt, quibusque & nos omnes ex peccato Adæ patris noſtri ſumus obnoxij: vt teſtatur Eccleſiaſticus. *Cap. 40.* Iugum, inquit, graue ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ. Propter quas calamitates beatus Auguſt. li. 21. de ciuit. Dei dicit, *Cap. 14.* à Propheta vitam noſtræ peregrinationis iram Domini vocari, cum ait pſalm. 76. Aut continebit in ira ſua miſerationes ſuas? *Cap. 15.* Et lib. de agone Chriſtiano, vindictam vocat has calamitates, Hæc, inquit, vindicta Dei plus clementiæ quàm ſeueritatis oſtendit. Idem clamat ſententia illa quã Dominus aduerſus mulierem ob eius tranſgreſsionem pronunciauit. Multiplicabo ærumnas tuas, *Gen. 2. & 3.* in dolore paries filios tuos. Et aduerſus Adam, in ſudore vultus tui veſcêris pane tuo. Et, Quocunque die comederis ex fructu illo, morte morieris. Huc quoque facit, *Rom. 5.* quod habet Apoſtolus Paulus, Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt. Teſtantur paſſim hoc ipſum & aliæ ſcripturæ. Nam Exod. 32. poſt remiſſum populo conflati adoratiq; vituli peccatum ob preces Moyſi & populi luctum ac pœnitentiam, ait Dominus, Ego autem in die vltionis viſitabo & hoc peccatum eorum, Et Nume. 14. ad Moyſen Dominus, Dimiſi iuxta verbum tuum rebellionem ſcilicet & incredulitatem: attamen omnes, qui viderunt maieſtatem meam & ſigna quæ feci in Aegypto, non videbunt terram pro qua iuraui patribus eorum: nec quiſquã ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam. Quadraginta annis recipietis iniquitates veſtras, & ſcietis vltionem meam. Item Propheta Dauid de Moyſe & Aaron loquens, *Pſalm. 98.* Deus, inquit, tu propitius fuiſti eis, & nihilominus vlciſcens in omnes adinuentiones eorum. Nam poſt offenſam ad aquas contradictionis, quod non ſatis confidenter gloriam dediſſent Domino: tametſi eius offenſæ mox remiſsionẽ obtinuerint, pœnam tamẽ perferre debebant: *Num. 20.* Et anteà eorum ſoror Maria ob detractionem in Moyſen lepra dierum ſeptem remiſso etiam peccato punita eſt: *Num. 12.* Pro qua Moyſi deprecanti, reſpondit Dominus, Si pater eius ſpuiſſet in faciem illius, nónne debuerat ſaltem ſeptẽ diebus rubore ſuffundi? Separetur ſeptem diebus extra caſtra, & poſtea reuocabitur. Ac de Propheta Dauid ſcripturę teſtantur, quod remiſſo ei peccato numerationis populi, *2. Reg. vlt.* per Gad prophetam offertur ex tribus ſuppliciorum generibus electio. Cui reſpondit ipſe, Coarctor nimis: ſed melius eſt, vt incidam in manus Domini: multæ enim miſericordiæ eius ſunt, quam in manus hominum. Et 2. Reg. 12. arguente Nathan Propheta Dauidem de adulterio ſimul & homicidio: & eo dicente, Peccaui Domino. Reſpondit Nathan, Etiam Dominus tranſire fecit peccatum tuum, & non morieris: veruntamen filius, qui natus eſt tibi, morietur. Quem locum tractãs beatus Gregor. libro 9. ſuper Iob: *Ca. 82. & 83.* Dominus, inquit, tranſtulit peccatum Dauid, omnia tamen, quæ pro peccato ei prædicta ſunt, poſtmodum tolerauit. Deus delictum delet, ſed inultum non deſerit: aut enim homo in ſe pœnitens punit, aut Deus cum homine vindicans percutit. *Pœnitens debet peccatũ in ſe punire, aut Deus in ipſo puniet.* Non igitur peccato parcitur, quia ſine vindicta non laxatur. Si enim Dauid audire meruit poſt confeſsionem, Dominus tranſtulit peccatum tuum, & tamen multis poſt cruciatibus afflictus, reatum culpæ, quam perpetrauerat, exoluit. Nam Deus, ait Iob, inultum abire non patitur. *Iob 9.* Item in Prouerb. Salomon. *Cap. 11.* Si iuſtus in terra recipit, quanto magis impius & peccator. Nec ſolum plagas à Domino comminatas Dauid ſuſtinuit, ſed & gemitibus, lachrymis & vigilijs etiam poſt veniam, carnem ſuam macerauit & afflixit, ſpontaneam aſſumens ſatisfactionem. Et Apoſtoli communi ſuæ ætatis hominum æſtimatione rogabant Dominum de cæco ita nato, quis peccaſſet, ipſe, an parentes eius, vt cæcus naſceretur. Ac tempore Euangelij promulgati hanc diſciplinam à Domino etiam ſeruari teſtatur Apoſtolus Paulus, dum ait Corinthijs: Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dor

miunt multi. Pro peccato igitur dimiſſo nihilominus pœnam temporariã ſumit Deus, & vindictam exigit. De quo rectè nos admonet Sapiens, ne etiam de propitiato peccato ſimus abſque metu. Philippus Melanchton rei euidentia ac manifeſtis ſcripturis cõuictus, palam in locis theologicis confitetur huiuſmodi pœna vindicari peccatum etiam poſt remiſsionem. Ait enim, Quanquam diuelli non debent remiſsio culpæ & remiſsio mortis æternæ, tamen neceſſe eſt diſcerni remiſsionem culpæ à remiſsione pœnarum temporalium huius vitæ. Nam præter communes ærumnas, quas propter peccatum Adæ parentis noſtri circunferimus, ſancti ſingularibus pœnis propter priuata quædam peccata puniuntur. Dauid propter adulterium quantas ærumnas ſuſtinuit longo tempore? Primum ſtuprata eſt filia, ſtuprum cædes filij ſecuta eſt: deinde mota ſeditio a filio, ſtupratæ coniuges, interfecti ciues, pater pulſus eſt: Sic puniti ſunt peculiaribus ſupplicijs Sampſon, Salomon, Oſias percuſſus lepra, Ioſias, Nabuchodonoſor, & alij ſancti innumerabiles quotidie aliquas pœnas peculiares ſuſtinent. Nec loquor de impijs & reiectis, ſed de eccleſia & de ſanctis. Horũ multi lapſus omnibus tẽporibus peculiaribus pœnis puniuntur, iuxta dictum Pſalm. 88. Viſitabo in virga iniquitates eorum. Item, Iudicium à domo Dei incipit. Ac poſteà dicit, quòd nõ omnis, ſed principalis pœna peccati & placans iram Dei, trãſlata eſt in filium, Chriſtum ſcilicet, & humeris eius impoſita.

Eccleſ. 5.

Secundũ Melanchtonem diſcerni debet remiſsio culpæ à remiſsione pœnarum temporalium huius vitæ.

2. Reg. 13. 15.

Iudic. 16. 3. Reg. 11. 4. Re. 14 22 Daniel. 4. 1. Pet. 4.

QVod autem in futuro ſeculo iuſtorum peccata vindicantur, teſtati ſunt patres veteris teſtamẽti, qui longa ſalutis expectatione & exilio, vſque ad Chriſti reſurrectionem à ſocietate ſanctorum angelorũ apud inferos puniebantur, non ſine graui afflictione. De quibus Zachar. 9. cap. Tu verò in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu in quo nõ eſt aqua: propter quos dignatus eſt Chriſtus ad inferos deſcendere. Peccatum naſcendo contrahimus. Et ob peccatum, animæ iuſtorum expectant adhuc corporum ſuorum redemptionem, cùm enim mortale hoc induerit immortalitatem, tunc primum fiet ſermo, qui ſcriptus eſt, Abſorpta eſt mors in victoria. Vbi eſt mors victoria tua? Vbi eſt mors ſtimulus tuus? Interim ſub altari clamant, Vſquequo Domine ſanctus & verus non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de his, qui habitant in terra? quibus datæ ſunt ſingulæ ſtolæ albæ, & quæ ſequuntur ca. 6. Apoc. De pœna verò, quæ poſitiuè poſt hanc vitam affligit iuſtos, teſtatur Apoſtolus Paulus apud Corinthios. quando ſcribit eos, qui ſuperædificauerunt lignum fœnum & ſtipulam ſaluos fieri, ſic tamen quaſi per ignem: vt docet ex hoc loco B. Auguſt. in expoſitione pſal. 37. & alijs in locis: cuius tractatio pertinet ad articulum 30. de purgatorio.

De reatu pœnæ futuri ſeculi.

1. Corint. 15.

Apoc. 6.

De pœna futuri ſeculi animas iuſtorum affligente.

Etſi in hac vita punit & animaduertit Deus in iuſtorum peccata, nec ſtatim pœnam totam condonat, prout ex ſcripturis & aduerſariorum confeſsione probatum eſt: nihil dubitandum eſt, quin eos puniat, etiam poſt hanc vitam, qui minus purgati hinc exeunt. Nihil enim coinquinatum in ſanctam ciuitatem Ieruſalem intrabit, nec ſupplicio ferendo obnoxium. Tunc enim erit ſeculum retributionis & iuſtitiæ, in quo fiet reuelatio iuſti iudicij Dei, & vnicuiq; ſecundum opera retribuetur: nunc tempus eſt miſericordiæ & diſpenſationis gratiarum. Nam vt dicit B. Aug. cap. 66. in Enchirid. multa mala hic videntur ignoſci, & nullis ſupplicijs vindicari, ſed eorum pœnæ reſeruantur in poſterum. Neque enim fruſtra propriè ille dies dicitur retributionis, quando venturus eſt iudex viuorum & mortuorum: ſicut ecõtrario vindicantur hic aliqua, & tamen ſi remittantur, in futuro ſeculo non nocebunt. Propter quod de quibuſdam temporalibus pœnis, quæ in hac vita peccantibus irrogantur, dicit Apoſt. Si noſmetipſos iudicaremus, à Domino non iudicaremur: cũ iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. In quo ſenſu eadem verba Apoſtoli interpretatur idem B. Auguſt. in ſermone de pœnitentia, & B. Bernar. homil. 55. ſuper Cantica. Dicit quoq; B. Augu. in eodem cap. Enchiri. quòd remiſsio peccatorum magis fit propter futurum iudicium: vt intelligamus totum, quod agitur ſalutaribus ſacramentis, magis ad ſpem futurorum bonorum, quam ad retentionem aut adeptionem præſentium pertinere. Et B. Chryſoſto. Homil. 5. in epiſt. ad Hebræ. Nemo videns malignos proſperitatem habere turbetur: non eſt hic retributio malignitatis aut virtutis: & ſi aliquando cõtingit, velut guſtus quidã eſt iudicij, non autem retributio ſecundum quod dignum eſt. Et quia bonus nõ poteſt in omnibus bonus eſſe, ſed aliqua habet peccata, ideò hic punitur, vt purgatus exeat, & in nullo obnoxius. Et cum filij Dei ex Chriſti inſtitutione quotidie ad patrem clamant, vt debita ſibi remittantur, nihil dubitandum eſt, quin plerunq; moriãtur nondum his debitis plenè ſolutis. Quapropter B. Auguſtin. cap. 71. Enchirid. Delet, inquit, oratio quotidiana fidelium minima & quotidiana peccata, & pro eis ſatisfacit: delet & illa a quibus vita fidelium, ſcelerate etiam geſta, ſed pœnitẽdo in melius mutata diſcedit. In melius quippe eſt vita mutanda, & per eleemoſynas de peccatis præteritis propitiandus Deus: miſerando delet iam facta peccata, ſi non ſatisfactio congrua negligatur: qua neglecta poſt hanc vitam vſq; ad vltimum quadrantem exigetur: vt interpretatur b. Cypr. in epiſt. ad Pomponium. Nulla enim peccata impunita relinquit: & ideò neceſſe eſt, quòd puniantur ab ipſo homine vel à Deo, vt idẽ dicit circa verſic. pſal. 88. Non miſerearis omnibus, qui operantur iniquitatẽ: & lib. 22. cõtra Fauſtum ca. 20. Deus nec iuſto parcit nec impio: illum flagellando vt filium, iſtũ puniendo vt impiũ. & ſi peccatum parentum noſtrorum

1. Corin. 11.

Morientes plerunq; nõdum plene ſoluerũt debita, pro quibus quotidie orant, Dimitte nobis debita noſtra.

Per eleemoſynas propitiandus eſt Deus de peccatis præteritis.

ſtrorum futuri ſeculi ſupplicio vſq; ad ſeculi cóſummationem in filijs Deus vlciſcetur, nihil dubitandum eſt, quin grauiter vindicet peccata noſtra, propria voluntate & ſpóte admiſſa: maneatq; pœna in ſeculo futuro ſoluenda, ſi hic iam non ſoluatur: nec pœna tota futuri ſeculi ſemper remittatur remiſſa culpa. Hoc docuit Ioan. Baptiſta, cum ait, Facite fructus dignos pœnitentiæ, quos videlicet parit pœnitentia odiumq; peccati: quod nó ceſſat, donec totum malum, quod ex peccato ſecutum eſt, fuerit deſtructũ, alij enim ſunt fructus pœnitentiæ, & alij fructus virtutum ac iuſtitiæ, & bonorum operum, quæ fiunt ſecundum Domini mandata. Et hi à quibuſlibet etiam iuſtis perpetuò exiguntur. Dignè autem pœnitens præter hos fructus, licita alioqui opera plerunq; ſibi interdicere: & indebita, hoc eſt, ad quæ alias non obligarentur, nec obligantur iuſti, ſibi imperare, & aſperitatibus ac operibus laborioſis & pęnalibus ſe affligere debet, vt ſuo códitori ſatisfaciat, & pro offenſa recompenſet. Hoc enim operatur pœnitentia & odium peccati, ne pœnas purgatorij in futura vita ſuſtineat: prout concorditer omnes maiores noſtri & eccleſia Catholica ſemper docuit. Nam B. Auguſt. lib. de vera & falſa pœnit. verba illa Ioan. Baptiſtæ tractans, Sunt, inquit, digni fructus virtutũ, qui non ſufficiunt pœnitentib. pœnitentia enim grauiores expoſtulat, & à multis licitis pœnitẽtem abſtinere oportet, qui per arbitrij libertatem pleraq; commiſit illicita. Et B. Chryſ. homil. 10. in Matth. quærẽs quomodo dignè fructificare poterimus. Reſpondet, Si vtique peccatis aduerſa faciamus: Aliena rapuiſti, incipe donare iam propria: longo tempore es fornicatus, à legitimo vſu ſuſpende te coniugij: delicijs ante ac temulentia diffluebas, ieiunio atq; aquæ potu vtrumq; compenſa. Et B. Greg. eadem verba explicans, aliud eſt, inquit, dignum fructũ facere, aliud dignum pœnitentię fructum facere. Nam quiſquis illicita non cõmiſit, huic iure conceditur vt licitis vtatur: at ſi quis in fornicationis culpam vel adulterium lapſus eſt, tanto à ſe licita debet abſcindere, quanto ſe meminit & illicita perpetraſſe. Neq; enim par fructus boni operis eſſe debet eius, qui minus, & eius, qui amplius deliquit. Et rurſus, Cogitandũ ſummopere eſt, vt qui ſe illicita meminit cõmiſiſſe, à quibuſdam etiam licitis ſtudeat abſtinere, quatenus per hoc cõditori ſuo ſatisfaciat: nam qui admiſit prohibita, ſibimet abſcindere debet & conceſſa. Et ideò B. Chryſ. hom. 4. de pœnitentia, Pœnitentiam, inquit, exhibuit Dauid ita dicens, Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis ſtratum meum rigabo: & olim patratum peccatum poſt tot tempora, quaſi nuper accidiſſet, lugebat. Pœnitentem nunquã oportẽt peccatum obliuioni tradere, ſed Deum quidem rogare ne eius meminerit. Si nos eius meminerimus, Deus eius obliuiſcetur: à nobis vltionem ſumamus, noſmetipſos accuſemus, ita placabimus iudicẽ. Et. B. Ambr. ad quãdam corruptam ſcribens, eadem præcurſoris verba tractando, formam pœnitentiæ præſcribit, Tu, inquit, facti proprij iudex eſto crudelior, lugubris tibi accipienda eſt veſtis, mens & membra ſingula digna caſtigatione punienda: amputentur crines, qui per vanam gloriã occaſionem luxuriæ præſtiterunt: totum corpus incuria maceretur, cinere aſperſum & opertum cilicio perhorreſcat: talis actio pęnitentiæ, ſi fuerit perſeuerans, audebit ſperare, etſi non gloriam, certè pœnę euacuationem. Peccator ergo ſi ſibi nó pepercerit, à Deo illi parcitur: & ſi futuras pœnas gehennæ perpetuas in hoc paruo vitę ſpatio compenſauerit, ſeipſum ab æterno iudicio liberat: grãdi plagæ alta & prolixa medicina opus eſt, grande ſcelus, grandẽ habet neceſſariam ſatisfactionem. Et in ſerm. 30. & 31. de eleemoſy. Medicina miſericordiæ tollit peccata magna: habemus plura ſubſidia quibus peccata redimimus: pecuniam habes redime peccatum tuum. Non venalis eſt Dominus, ſed tu ipſe venalis es: peccatis tuis venũdatus es, redime te operibus tuis, redime te pecunia tua. Vilis eſt pecunia, ſed precioſa eſt miſericordia. Eleemoſyna, inquit, à peccato liberat: crimina ergo eleemoſynis redimuntur. Et in lib. 2. de pœnitentia c. 8. Plura inquit, ſoluendi habet ſubſidia, qui Deo, quã is, qui homini debet. Homo pecuniam pro pecunia repoſcit, quæ non ſemper debitori præſto eſt: Deus & affectum exigit, qui in poteſtate eſt: nemo pauper eſt, qui Deo debet, niſi qui ſeipſum pauperem fecerit: & ſi non habet quæ vendat, habet quæ ſoluat: Oratio, lachrymæ, ieiunia debitoris boni cenſus eſt. Et B. Hiero. in epitaphio Paulæ, eã verè Chriſtianeq; dixiſſe ac feciſſe aſſerit cùm diceret, Turpanda eſt facies, quam contra Dei præceptum purpuriſſa, ceruſa & ſtibio ſæpè depinge: affligendum corpus, quod multis vacauit delitijs: riſus perpeti fletu compenſandus, mollia linteamina & ſerica precioſiſsima, cilicij aſperitate ſunt commutanda. Et idem in Malachiam. Qui peccator eſt, & quem propria conſcientia mordet, cilicio pœnitentię accingatur, & plangat tam ſua delicta quàm populi: atque iterum ingrediatur eccleſiam de qua fuerat eiectus, & cubet in ſacco, vt præteritas delitias per quas Deum offenderat, vitæ auſteritate compenſet. Et B. Auguſtinus in ſermone de pœnitentia, Non ſufficit, inquit, mores in melius commutare, & à factis malis recedere, niſi etiam de his, quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis. Et alio loco, Nullus, inquit, debitę grauioris pœnæ accipit veniam, niſi qualemcũque (& ſi longè minorem quàm debeat) pœnam ſoluerit. Ita enim impartitur à Deo largitas miſericordiæ, vt non relinquatur iuſtitia diſciplinæ. Et libro de continentia, & in ſermone 50. de pœnitentia, diſtinguit triplicem actionem pęnitentiæ. Et de tertia dicit, Maiorem quiſq; in ſe hic ſeueritatem debet

Cap. 15.

Qui peccauit à licitis abſtineat, vt ſuo conditori ſatisfaciat.

Pſalm. 6.

Dauid olim patratũ peccatum, poſt tot tempora quaſi nuper accidiſſet lugebat.

Actio pœnitentiæ impetrat pœnæ euacuationẽ.

Affligendo noſmetipſos perpetuas gehennæ pœnas cõpenſamus.

Dei offenſa vitæ auſteritate eſt compenſanda.

exercere,vt à ſeipſo iudicatus nō iudicetur à Domino.Et pſal.50.circa verſiculum, Ecce enim veritatem dilexiſti, hoc eſt, impunita peccata eorum(etiam quibus ignoſcis) non reliquiſti.Ignoſcis confitenti, ſed ſeipſum punienti: & ita ſeruatur miſericordia, quia homo liberatur:& veritas,quia peccatum punitur.Et idem habet circa verſiculum, Amplius laua me.Et Tertullianus vetuſtiſsimus doctor in lib.de pœnitentia, Nemo, inquit, liber eſt à peccatis, quia de eis doluit, niſi ieiunauerit.Et B.Cypria.de lapſis,Orandus eſt Dominus,& noſtra ſatisfactione placandus, qui negantem ſe negare dixit.Agite, inquit, pœnitentiam,plenam dolentis ac lamentantis animi,probate mœſtitiam,nec vos cômoueat quorundam aut error improuidus, aut ſtupor vanus:qui cum teneantur in tam grandi crimine,animi ſunt cæcitate percuſsi, vt nec intelligant delicta nec plangant. Indignantis Dei maior hæc plaga eſt:medelam vulneris negligunt,agere pęnitentiam nolunt: quando debuerant ſtare, iacuerunt:quando iacere & proſternere ſe Deo debent, ſtare ſe opinantur: pacem ſibi vltrò nemine dante ſumpſerunt.Et poſteà,Eiuſmodi,inquit,homines quantum poteſtis effugite. Sermo eorum ſicut cancer ſerpit,colloquium velut cōtagium tranſilit: noxia & venenata perſuaſio perſecutione ipſa peius interficit:Sola illic ſupereſt pœnitentia,quæ ſatisfaciat: qui autem pœnitentiam criminis tollunt, ſatiſfactionis viam claudunt:& ita fit vt dum temeritate quorundam vel promittitur ſalus falſa, vel creditur, ſpes veræ ſalutis adimatur:Vbi plurima de ſatisfactione pro peccatis ſcribit,& contra facilitatem ſacerdotum in abſoluendo. Itaq; quum non ignorarent patres cor contritum & humiliatum Deum non deſpicere:& Prophetam Dauid dixiſſe: Confitebor aduerſum me iuſtitiam meam Domino,& tu remiſiſti impietatem peccati mei:quodque eo dicente poſt increpationē Nathan ſuper adulterio & homicidio.Peccaui, dictum ſit ei à propheta,Tranſtulit Dominus peccatum tuum:facilitatem quoq; patris in recipiendo filio prodigo, dum operoſam ac diuturnam exigunt pœnitentiam,ſaccos, cilicia,ieiunia, aliaſq; vitæ auſteritates, ad peccati remiſsionē omnimodam aſpiciunt, quoad culpam ſcilicet & pœnam:certiſsimè ſcientes,& hoc ipſum in eccleſia Catholica docti,remiſſa culpa grauis ſupplicij plerunque manere reatum.Inſinuant etiā non eſſe veram pœnitentiam per quā in Dei gratiam reuertimur,niſi tantum fuerit odium peccati, vt in nobiſipſis ipſum vindicemus pro quantitate & magnitudine culpę, laborioſa & pœnalia opera ſubeundo: vt præceptum ſatiſfaciendi, hoc eſt,iniuriam quam in Deū commiſimus cōpenſandi,incluſum ſit in pręcepto pœnitendi & peccatum odiendi. Propter quod antiquitus ſatisfactio ante abſolutionem imponi ſolebat,vt experimentū ſumeretur an vera eſſet pœnitentia, per quam reconciliatio fieri poſſet,& quæ diuinā clementiam prouocaret ad culpæ remiſsionē: ſicut Niniuitæ prædicauerunt ieiunium, veſtiti ſunt ſaccis:etiam rex ipſe qui dixit.Conuertatur vir à via ſua mala:quis ſcit ſi conuertatur,& ignoſcat Deus,& reuertatur à furore iræ ſuæ,& non peribimus?Et ſimiliter Ioel. lis 2.Ob hanc cauſam plerunq; non meminerunt ſpecialiter pœnæ poſt remiſſum peccatum remanentis, eò quòd non iudicarent ipſum remiſſum niſi Deus penitus placato,ſic vt ne diſciplinam quidem vel emendam requireret.Filium enim prodigum nouerunt ſtatim in gratiam receptum, imò patrē ei occurriſſe:ſed ſimiliter intellexerūt diuinam iuſtitiam nihilominus punitionem exigere vſq; ad vltimum quadrantē,niſi ipſi nos Dei offenſam vindicauerimus,aut charitatis feruore,ſeu pietatis in proximos operibus, remiſsionem eius impetrauerimus.Qua conſideratione dicit b.Amb.li.2. de pœnit. ca.10. Facilius inueni, qui innocentiam ſeruauerunt,quam qui congruam egerunt pœnitentiam. De indignis fructibus & falſa ſatisfactione falſaq; pœnitentia ex B.Gregorij ſententia tractat magiſter diſt.16.4.ſententiarū: de triplici actione pœnitentiæ & ſatisfactione pro venialibus ſufficiente, ex epiſtol.B. Auguſt.ad Seleucianam,& ex eius Enchirid. Manifeſtum eſt itaq; & ex concordi patrum ſententia,& ſanctorum Dauidis,Paulæ,& vniuerſorum ſanctorum exemplo quid,quantúmue nobis reſtet plerunq; expiandum etiā poſt remiſsionem peccatorū,& quos illi doceant eſſe dignos pœnitentiæ fructus, quam etiam ſententiam eos quorum gerebant curam,non vt ſuam, ſed vt catholicam ſemper docuerunt.Manifeſtum eſt etiam, quod illis non ſuffecerint ſoli terrores cōſcientię qualitercunq; incuſſi, cum fide qua reliquum vniuerſum Chriſto cōmitteremus, vt qui pro nobis abundè ſatisfecerit:ſed à nobis requirunt & exigunt ſatisfactionē, quodq́; vltronea in nos ſeueritate & caſtigatione iuxta peccati enormitatem,grauiori vltione Deū nobis faciamus propitium,ac iniuriam compenſemus.Vnde B.Cypri.Deus,inquit,quantum patris pietate indulgens ſemper bonus eſt,tantum iudicis poteſtate metuendus eſt: quàm magna deliquimus,tam granditer defleamus,alto vulneri diligens & longa medicina nō deſit,pœnitentia crimine minor nō ſit:putas tu Dominum cito poſſe placari,quē verbis perfidis abnuiſti?cui patrimoniū pręponere maluiſti, putas eum facilè miſereri tui,quem tuum nō eſſe dixiſti? Et grauiter arguit ſacerdotes,qui in recipiendo peccatores ad pacem & cōmunionem erant faciles. Contra Euangelij, inquit, vigorem & cōtra Domini ac Dei legē datur irrita & falſa pax: dantibus periculoſa, & nihil accipientibus profutura:& quæ ſequuntur, vbi B. Cypria. velut ad notoriā abſurditatē deducit, quod quidam præter ſanā fidem,& eius confeſsionem in qua peccauerant,& cordis contritionem,ac ad Deum conuerſionem non aliam aſſerebant requiri pœnitentiæ actionem.

Deus noſtra ſatisfactione placādus eſt, Matth.10.

Pſalm.50.

Pſalm.31.

2.Reg 12.

Quare antiquitus ſoleat ſatisfactio ante abſolutionē pœnitētibus imponi.

Ionæ 3.

Hi,inquit,ſatisfactionis viam tollunt,atque ita fit vt ſpem,ferè ſalutis adimant. Similia ferè habet epiſt.3.Primi lib.& 14.tertij: & in fine epiſtolæ 4. lib. 4. Pro peccato igitur dimiſſo ex patrum concordi ſententia manifeſtum eſt remanere reatum pœnæ, ſuper qua propiciandus eſt Deus.Manifeſtum eſt etiam quòd pro eadem pęna ſatisfacere poſſumus, eam deprecari:& ne infligatur irā Dei auertere,vt dicit prima articuli particula. Nam & hoc concorditer docent ſuperiùs allegatæ patrum ſententiæ, quæ vtuntur nomine ſatisfactionis,propitiationis,compenſationis & commutationis pœnæ peccatis præteritis debitæ.Nec ſolum ad huius temporis pœnā vel pœnitentiam publicis peccatis, enormibus & ſcandaloſis impoſitam:ſed etiam ad ſeculum futurum reſpiciunt, & placandum Deum ſuper peccatis etiā occultè admiſsis: hoc enim exprimunt clariſsimè. Quod & apertè confitetur, & intellexit Ioan. Caluin. dicens proptereàeos eſſe lapſos.Quapropter non opus eſt alia probatione prioris partis huius articuli,quando & ipſi aduerſarij confitentur omnes pœnè Catholicos ſcriptores de ſatisfactione ſcripſiſſe & docuiſſe, quod habet articu. Ait enim Caluinus. Parum me mouent (quæ in veterum ſcriptis de ſatisfactione paſsim occurrunt.Video quidem eorum nonnullos:dicam ſimpliciter omnes ferè quorum libri extant, aut hac in parte lapſos eſſe,aut nimis aſperè & durè loquutos. Non pudet Caluinū iſtum vniuerſos maiores & in eis eccle.catho.in cuius ſchola inſtituti erant,impietatis damnare,vt ſuum ſenſum ſuumq; ſtatuat errorem. Certè cū eccleſia catholica ſit columna & firmamentum veritatis,ad eius iudicium vniuerſas quæſtiones quæ de fide & religione naſcuntur,referre oportet,eiuſq; ſequi iudicium,quod facit ſemper B. Auguſtinus & cum eo vniuerſi patres.Ipſa ex Chriſti ſponſi ſui promiſsione falli non poteſt. Inſolentiſsima eſt inſania in quæſtionem vertere quæ ipſa docet & obſeruat. vt ſcribit idem beatus Aug. in epiſt. 118.ad Ianuarium.Caluinus eo venit inſaniæ vt eius doctrinam etiam damnet. Adducendæ ſunt autem ſcripturæ, quòd hanc pœnam reſtantem & peccatis debitam ſoluere poſsimus, mitigare & auertere. Quod hinc manifeſtum eſt.Nam omnipotens Deus, etſi nunquam conſilium,ſententiam tamen frequenter mutat, vt dicit B.Greg.li. 16. circa locum Iob.22.Sublati ſunt ante tempus: Sententia quippe ait in ore, & conſilium in corde eſt. Et fideliſsimus teſtis huius rei eſt propheta Dauid,qui ſuā hanc fidem opere teſtatus eſt. Poſt impetratam enim veniam peccati ſui, denunciata iam ei per Nathan Prophetam pœna a Deo conſtituta, quod moriturus eſſet filius illi natus, deprecatus nihilominus eſt pro paruulo,& proſtratus in terram ſe afflixit ieiunio & cilicio:quem cum poſt diem ſeptimum ſuæ afflictionis mortuum intellexiſſet,lotus vnctuſq; ceſſauit ieiunare, cuius rationem cum ſui admirabundi quærerent.

Ioan. Caluinus.

Pœnā à Deo comminatā deprecari poſſumus & auertere.

Propter infantem,inquit, dū adhuc viueret ieiunaui & fleui.Dicebam enim,Quis ſcit, ſi forte donet eum mihi Dominus, & viuat infans.Sperabat igitur eam ipſam pęnā ſui peccati prædictam ſe poſſe per ieiunia ſua & afflictiones auertere. Quod tametſi ibi nō obtinuerit,eò quòd immutabili decreto hoc ipſum à Deo conſtitutū erat:obtinuit nihilominus in alio.Nam cum ob peccatum numerati populi,poſtquam etiam huius eum pœnituiſſet,& ex animo contrito humiliq; corde,ſe ad Dominū conuertiſſet, in eiuſdemq; punitionem daretur illi ex tribus optio, fames ſeptennij,bellū trimeſtre,ſuperantibus hoſtibus,aut peſtis tridui:& hanc potius elegiſſet,quæ inter regē & plebem ignorat differentiam,tantū afflixit ſeipſum, vt eius reſpectu Deus vnius diei vindicta contentus fuerit.Nam cum angelum videret cędentem populum,& dixiſſet ad dominum, Ego ſum qui peccaui,ego iniquè egi,vertatur obſecro manus tua contra me & contra domum patris mei,mox ceſſauit plaga, quæ alioqui triduana fuerat conſtituta. Et Propheta Hieremias clariſsimè idem teſtatur ca.18. Repente inquit per eum Dominus, loquar aduerſus gētem,& aduerſus regnum,vt eradicem,deſtruam & diſperdam illud: Si pœnitentiam egerit gens illa de malo ſuo,agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui vt facerem ei:& ſubitò loquar,vt ædificē & plantem illud.Quomodo autē iſtud hac ſine Dei mutatione docet B.Greg.loco ſtatim ſuperius allegato.Idem etiam docet oratio dominica in qua precamur, dimitte nobis debita noſtra:& Apoſto.Paul. Si noſipſos iudicaremus,inquit,non vtiq; dijudicaremur. Quod tractans B.Aug.ait in ſerm.50.Maiorē quiſq; in ſe ſeueritatem debet exercere, vt à ſeipſo iudicatus nō iudicetur à Deo.Et vſus ac conſuetudo fidelium ſemper fuit ad Deū in tribulationibus recurrere,certaq; fiducia precari vt iram ſuam à populo auertat. Cuius exēpla habet ſcriptura de Niniuitis,Iudith, Tobia,Sarai,& plurimis ſanctis. Nec aduerſarij iſtud diffitentur,quo ad pœnam vitæ temporalis.Nam Philippus Melanchton in locis theologicis palam hoc confitetur.Sciendum eſt, inquit, pœnas mitigari noſtra pœnitentia, aut prorſus remitti: vt teſtatur hiſtoria Ionæ,& Eſaiæ 1. dicitur, Si fuerint peccata veſtra in coccinum, erūt candida vt nix. Itē, Conuertimini ad me & ego conuertar ad vos, Hiere.3. Conuertimini filij & ſanabo auerſiones veſtras: & 20. Caſtigabo te in iudicio, ne tibi innocens videaris: id eſt, admonebo te de tuo peccato caſtigatione aliqua,nec tamen perdam te,Iocl.1.Conuertimini ad Dominum,quia miſericors eſt,&c.& remittens pœnam.Rurſum 1.ad Corint.11. Si nos ipſos iudicaremus, non iudicaremur. Pertinent huc & illæ preces, quæ petunt mitigationē in pœnis,& ſimul teſtantur peccata mereri maiorem pœnam,ſed Deum parcere infirmitati noſtræ.vt ſi iniquitates obſeruaueris Domine,quis ſuſtinebit:& multa quæ ſequuntur.

Dauid vni⁹ diei vindicta placauit Deum de vindicta triduana.

Ion. 3. Iudith.4. Tobiæ 3.13. Cap 3. Zachar.3.

Pſal.129.

tur. Ac paucis interpoſitis, Poſtremò ſemper in conſpectu ſit dictum Ezechielis 33. quod etiam de mitigatione pœnarum concionatur, Viuo ego, nolo mortem peccatoris: ſed vt conuertatur & viuat. Has ſententias & ſimiles quotidie nobis in precatione proponamus, cum de publicis & priuatis pœnis cogitandum eſt, & petenda mitigatio. Ipſæ nos ærumnæ de his ſententijs admoneant, ac meminerimus vtrunque, caſtigari nos præſentibus pœnis, & mitigari eas noſtra pœnitentia & inuocatione. Hanc eſſe ſentētiam multorum aliorum doctorum etiam iudico: vt,

Tob. 4.

Eleemoſynæ liberant à peccato, videlicet, quod ad præſentes pœnas attinet, id eſt, merentur mitigationem calamitatum huius vitæ. Hactenus Philippus: Sed quis ſanctorū doctorum has ſcripturas Dauidis, Eſaiæ, Hieremiæ, & Ezechielis vnquam intellexit de præſentis ſeculi pœnis & calamitatibus duntaxat? In futurum ſeculū ſancti reſpiciebāt,

Pſalm. 6. Pſal. 142. Cap. 4.

Domine, inquit propheta Dauid, Ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine, &c. Ac Tobias, Eleemoſyna, inquit, ab omni peccato & à morte liberat, & nō patietur animā ire in tenebras. Et Daniel, Peccata tua Eleemoſynis redime. Nec ſententiæ ſanctorum Auguſtini, Chryſoſtomi, Hieronymi, Ambroſij, poſſunt intelligi habito ad

Cap. 4. Ad virginē corruptam.

pœnam huius ſeculi reſpectu. Nam B. Ambroſius, Si peccator, inquit, ſibijpſi nō pepercerit, à Deo illi parcitur: & ſi futuras pœnas gehennæ in hoc paruo vitæ ſpacio compenſauerit, ſeipſum ab æterno iudicio liberat. Et B. Auguſtinus, aſcendat homo aduerſum ſe tribunal mentis ſuæ, ſi timet illud, quod oportet nos exhibere ante tribunal Chriſti, vt ſupra dictum eſt. Ac Ioannes Baptiſta ad dignos pœnitentię fructus hortatur, vt effugiam iram venturam. Quod autem Scriptura,

Matth. 3. Zach. 2. Pſalm. 129.

Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, intelligatur mitigando ſcilicet pœnam temporalem: & alia, Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit, in hac vita ſcilicet ſe caſtigantem quis ſuſtinebit? ipſæmet reclamant, nec ſenſum hunc patiuntur. Neq; enim tam ſolliciti atque anxij fuerunt Dauid & reliqui ſancti ad effugiendam huius vitæ temporalem pœnam, quàm nouerunt medicinalē eſſe & ſalutarē, quin in futurum ſeculum magis ſpectauerint: ſicut & dictæ Dei promiſsiones. Hic prætereundū

Diſcrimen eſt inter pœnam futuri ſeculi & eā quæ eſt præſentis vitæ.

non eſt, quod magnum eſt diſcrimen inter pœnam futuri ſeculi peccatis debitam, quæ per ſe debetur etiam ex condigno, & inter pœnam vitæ præſentis, quæ de cōgruo & extraordinariè ex ſpeciali cauſa pro peccatis à Deo redditur. Illam deprecari poſſumus, auertere, compenſare: hanc non ſemper, quando ſcilicet Deus eam certo & immutabili cōſilio pro peccato remiſſo inferre diſponit. Tunc enim nulla pœnitentia, nulla ſupplicatione auerti, redimi, vel compenſari poteſt: vt dicit B. Greg. tractans ſententiā B. Iob

Lib. 9. c. 30.

c. 9. Deus cuius reſiſtere irę nemo poteſt. Ait enim, Cum ſuperna indignatio ſeſe, vt ita dixerim, medullitus mouet, hanc oppoſitio humana non retinet: nec ſe vtiliter cuiuſlibet deprecatio obijcit, cum ſemel Deus aliquid ab intimis iraſcendo diſponit. Hinc enim eſt quod Moyſes, qui reatum totius plebis apud Deum ſuis fletibus terſit, dumque ſe obicem obtulit, diuinæ iracundiæ vim placauit, ad

Deut. vlt.

petram Oreb veniens, & pro aquæ exhibitione diffidens, promiſsionis terram ingredi Domino iraſcente non potuit. Sæpè hac de re affligitur, ſæpè deſiderio ſe excitante turbatur: & diſpoſitæ vltionis iracundiam repellere à ſemetipſo non valuit, qui hanc volente Domino & à populo amouit. Hinc Dauid, quia proſtrata plebe poſtmodum angeli

1. Paral. 21.

gladium prece compeſcuit, prius plorans & eiulans nudis pedibus filium fugit, & quouſque perpetrati facinoris vltionem ad plenū reciperet, iram Dei pro ſemetipſo temperare nequaquam valuit: in quo pœnarum genere ſunt mors & miſeriæ huius ſeculi. Quod autem quædam pęna extraordinariè, & quaſi de congruo atq; ex ſpeciali cauſa alicui culpæ quandoq; etiā minimæ à Deo irrogetur, & alia de condigno & ordinariè culpæ reſpōdeat, declarat B. Bona. diſtinct. 26. 2. ſentent. quæſt. 1. artic. 1. ad 3. & 4. argumentum. Primi

Quædā pœna peccatis ex cōgruo, quædam autem ex condigno debetur.

generis pœna eſt, quòd peccatores quoſdam ſubitò è medio tollit, paupertatem immittit, & in præſenti vita grauiter affligit: ſicut quoſdam iuſtos temporaliter remunerat, nihil minus in futuro ſeculo daturus. Ea enim, quæ ordinariè & de condigno meritis in futuro ſeculo reſpondent, non minuuntur per retributionem extraordinariam. Vtraque autem pœna per noſtram pœnitentiam tolli poteſt, dicente Hieremia Propheta, Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, agam

Cap. 18.

& ego pœnitētiam, &c. Flagella autem quibus à Deo percutimur, ſi ſuſcipiuntur patiēter, ſunt ſatisfactoria, & per modum etiam vindictæ compenſare poſſunt pœnam in futuro ſeculo debitam.

HIC conſiderandum eſt ad exactiorem intellectum articuli, quod aliquando culpa mortali per magnam contritionem, vel ſacramentū pœnitentiæ remiſſa, tota etiam pœna condonatur: quemadmodum articulo 2. probatum eſt de baptiſmo & martyrio. Et dictum eſt latroni in cruce cū Domino morienti, Hodie mecum eris in paradiſo.

Lucæ 23.

Quòd autem in ſacramento pœnitentiæ nō fiat plena ſolutio, probant ſcripturæ & patrum ſententiæ, quas ſuperius citauimus. Et Eccleſia Catholica abſolutis ſacramentaliter imponere ſolet pœnitentiam, ieiunia, alias q; afflictiones: non autem baptizatis, qui-

In commen. ad Rom. 11. Baptiſmus nec gemitū nec planctū in baptizando requirit.

bus ſecundum ſententiam B. Amb. gratis omnia condonat, nec gemitum requirens, nec planctum. Eſt enim baptiſmus ſacramentum regenerationis & renouationis, per quod in familiam & domū Chriſti, omnibus quæ foris geſta ſunt condonatis recipimur. Domeſticos aūt caſtigat & flagellat pro ratione peccatorum

catorum, quæ admittunt: quemadmodum docet Conci. Trident. ſeſ. 5. c. 14. & etiam declarat B. Tho. cont. gentiles, li. 4. c. 72. In omni enim domo & ciuitate ſeruari oportet diſciplinam, & in peccata vindicari. In Chriſti autem familia omnia aguntur vice & loco Chriſti: & ideo per ea aboletur pœna coram eius tribunali debita. Tanta tamen eſſe poteſt contritionis magnitudo, vt culpam & totam pœnam ſimul aboleat. Et ideo art. dicit, plerumq́; deberi pœnam remiſsa iam culpa. Condonatur tota etiam pœna, quando fit cõmunicatio plenariæ indulgentiæ, de qua agetur articu. 30. An verò ſatisfacere poſsimus pro culpa veniali & mortali quoad offenſam & pœnam æternam, per gratiam & ſpiritum Chriſti, quem priꝰ natura nobis impartitur Deus in gratiam & ob meritum Chriſti, quã peccatum & pœnam æternam remittat: cum per contritionem & veram pœnitentiam, quæ ex Chriſti ſpiritu proficiſcuntur, illorũ fiat remiſsio, poſtea inter difficultates quę circa articulum contingunt dicemus: inter quas etiã eſt, qualiſnã ſit pœna per ſe peccatis remiſsis debita, an huius ſeculi an futuri: & quomodo intelligatur commutatio pęnę in temporalem, quomodo etiam noſtra ſatisfactio non præiudicet nec deroget plenæ redemptioni factæ per Chriſtum. De his & alijs vbi magna ex parte licet cuiq; in ſuo ſenſu abundare infra ſumus dicturi. Loquitur aũt articulus de Satisfactione quę eſt perſolutio impoſita arbitrio ſacerdotis, in ſpecie vel in genere: eò quòd de ea nullũ ſit dubium apud catholicos, quodq́; hæc propriè ſit pars pœnitentiæ: quamuis interim articulus etiam verus ſit pœna voluntariè aſſumpta. Vtrũ autẽ aliqua ſatisfactio fieri poſsit pro culpa mortali & pęna ęterna, apud eoſdem catholicos in quæſtionem vertitur. Ex dictis manifeſtũ eſt, quòd articulus totus certa & infallibili fide ab omnibus fidelibus ſit ſuſcipiendus: ꝙ ſcilicet poſt culpam remiſſam tam venialem quàm mortalem plerumque maneat reatus pœnæ: non ſolùm in hac vita ſuſtinẽdæ, nec pœna damni duntaxat in futura vita: quam patres in limbo patiebantur, vſque ad Chriſti ad inferos deſcenſum, & quam iam animę iuſtorum vſq; ad corporum ſuorum reſumptionem patiuntur: verùm etiam pęna ſenſus & grauiſsimæ afflictionis in ſeculo futuro, propter propria peccata noſtra voluntate admiſſa. Nam Theſſalonicenſibus ſcribit Apoſtolus Paulus, quòd ſuſtinebant tribulationes in exemplum iuſti iudicij Dei, quod propterea grauius erit in futuro ſeculo. Manifeſtum quoque eſt quòd illam perſoluere poſſumus, compenſare, redimere, deprecari: nec de iſtis vllo modo dubitari poſſe, eò quòd poſt Eccleſiæ cathol. & omniũ ſcriptorum eccleſiaſticorum concordem ſententiã (prout etiam Ioan. Caluinus palam fatetur) acceſſerint generalium quoq; Conciliorum, in quibus ſuper his acerrimè diſputatum eſt, definitiones. Nam in Con. Florent. definitũ eſt, quod ſi verè pœnitentes in Dei charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentię fructibus de commiſsis ſatisfecerint, eorum animæ pœnis purgatorijs poſt mortem purgantur. Et in epiſtola ſynodotica, approbantibus Græcis & Armenis viris doctiſsimis, qui ei Concilio intererant, ſcribit Eugenius quod ſatisfactio vna eſt pars pœnitentię, quę imponitur arbitrio ſacerdotis, quodq́; hæc præcipuè fiat per orationem, ieiunium, & eleemoſynam. Concilium item generale tempore Innocentij 3. in cap. Omnis vtriuſq; ſexus, de pœn. & remiſ. habet pœnitentiã confitentibus eſſe iniungendam. In cap. quoq;, Cũ ex eo, ablatis veteribus canonib. pęnitẽtialibꝰ dicit pœnitentialẽ ſatisfactionẽ per indulgẽtias eneruari. Et antiquiſsimũ Cõciliũ Nicenũ meminit canonũ pœnitentialiũ: qui cõſtituti erant nõ tantũ in diſciplinam quaſi politicam, ſed etiam ad placandum Deum, & ſatisfaciendum pro peccatis: vt conſtat ex Cypriano & veteribus ſcriptoribus eccleſiaſticis. Propter quos canones Philippus Melã. in opuſculo de eccleſia, Cõcilium hoc, quod apud omnes maiores noſtros quaſi euangelium ſuſceptum eſt, audet reprehendere: palã aſſerens patres Concilij in hac re nõ ſatis cautos fuiſſe, propterea quòd ea quæ ibi ſtatuta ſunt traditiones humanæ ſint extra ſcripturam, ac ſemina multarum ſuperſtitioſarum opinionum. Nihil non audet huiuſmodi hominum temeritas & arrogantia. Concilium quidem Trident. ſeſſ. 5. ca. 14. totum hunc tradit & probat art. Ait enim quòd pœnitentia hominis Chriſtiani poſt baptiſmum multò alia eſt quã baptiſmalis: quodq́; contineat ſatisfactionẽ per ieiunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia: non quidem pro pœna æterna quæ vel ſacramento, vel ſacramenti voto vna cũ culpa remittitur, ſed pro pœna tẽporali, quæ vt ſacrę literę docẽt non tota ſemper ſicut fit in baptiſmo, dimittitur illis qui gratiæ Dei quã acceperunt ingrati ſpiritũ ſanctũ contriſtauerũt, & templum Dei violare non ſunt veriti. De hac pœnitentia ſcriptum eſt, Memor eſto vnde excideris: age, pœnitentiam, & prima opera fac. Et iterum, Quę ſecundum Deũ triſtitia eſt pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Rurſus Pœnitentiam agite, & facite fructus dignos pœnitentię. Patet igitur quòd totus articulus ab omnibus fidelibus firma & infallibili fide ſit ſuſcipiendus.

2. Theſ. 1.

Conciliũ Florentinũ definiuit, fideliũ animas ſine dignis pœnitentiæ fructibus hinc decedentes pœnis purgatorijs purgari.

Pœnitentia hominis chriſtiani, multo alia eſt quã baptiſmatis.

Apoc. 2. 2. Corint 7. Matth. 3.

SVnt tamen vt diximus, circa hunc articulum multæ difficultates, circa quas magna ex parte vnicuiq; in ſuo ſenſu abundare licet, modò tñ hunc ſubmittat iudicio eccleſiæ catholicæ, cuius equidem iudicio & omnium rectius ſentientium & nos ſubijcimus, & quæ dicturi adhuc ſumus, & quæ hactenus diximus. Prima itaq; difficultas eſt. Nam ſi poſt remiſſam culpam reatus pœnæ maneat, quam ſoluere poſſumus, atq; omnẽ offenſam patris compenſare, videtur Chriſtus gratis mortuus eſſe pro noſtra omniũ redẽptione: ſicut in ſimili argumẽtatur Apoſt.

Difficultates in articulo.

 Paulus.

Paul. cap. 2. epiſt. ad Gala. Deinde quomodo non obſcuretur gloria, plenæ ſaltem redemptionis & integrę ſatisfactionis mortis Chriſti, pro omnibus culpis & ſupplicijs quibus ſumus obnoxij, ſi non ipſe ſolus totaliter pro omnibus debitis noſtris ſatisfecit, ſed partim ipſe & partim nos ſoluimus. Ipſe ſcilicet pro culpa mortali & pœna æterna, nos aũt pro pęna temporali, cuius reatus manet iuxta articulum, culpa remiſſa. Quod ſi ſatisfecit ipſe pro pœna etiã temporali, iniquè nobiſcum agitur ſi adhuc à nobis illius exiga-
Ioan.2. tur ſolutio. Quòd autem Chriſtus plenè & integrè ſatisfecerit pro omni culpa omniq́; pœna, paſsim teſtantur ſcripturæ, quæ habet
1. Pet.2. quod ipſe eſt propitiatio nõ pro peccatis noſtris tantũ, ſed etiam pro totius mundi. Et alio loco. Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, cuius liuore ſanati eſtis. Apud Eſaiam quoq;. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: Ipſe vulneratus eſt ꝓpter iniquitates noſtras, & attritus ꝓpter ſcelera noſtra. Diſ-
Cap 51. ciplina pacis noſtræ ſuper eum. Item Apoſt.
Rom.3. Paul. Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Rurſus ad Coloſ. 2. Donans nobis omnia delicta, delens quod erat aduerſum nos chirographũ decreti, quod erat contrariũ nobis, & illud tulit de medio affigens illud cruci. Plena igitur eſt, integra & perfecta, nõ partialis non mutila Chriſti redemptio, propitiatio, & ſatisfactio ꝓ omni culpa mortali, & veniali, omniq́; pœna peccatis noſtris, etiam remiſsis debita. Nulla eſt hic dubitatio niſi de modo quo intelligitur articulus, & de vero ſenſu ſcripturarum, quibus articulus in ſpe-
Reſponſio ad difficultates ciẽ aduerſari videtur. Ad has difficultates ſtatim ſe offert reſponſio, ſi conſideremus, quod idem ſpiritus fidei & charitatis, ex quo patri grata erat filij ſui redemptio & ſatisfactio, nos etiã inhabitat, & viua facit Chriſti membra: quodq́; Chriſtus ipſe verius per ſuũ ſpiritum in nobis operatur, quã operemur nos ipſi. Intelligimus enim quòd miram gratiã dignitatem, & valorem apud patrem opera noſtra habeant: non vt à nobis, ſed vt à Chriſto & ſpiritu eius proficiſcuntur. Hinc enim dignitatem, valorẽ, & gratiã habeant & Chriſti opera redemptio & ſatisfactio. Idem aũt hic ſpiritus & omnia eius chariſmata, in quibus patri eſt bene placitum in filio ſuo prędilecto, abundè effunduntur in nos ſecundum
Per chariſmata ſpiritꝰ Chriſti reddimur ſufficiẽtes ad perſoluẽda propria debita. menſuram donationis Chriſti, per quæ chariſmata & diuitias facti ſumus ſufficientes propria debita quę contraximus perſoluere, ſpõtaneè ex vero amore filiali offerendo: quod gratius eſt ei, quàm ſi ab eo flagellemur, & ſecundum quantitatem offenſæ ſumatur de nobis ſupplicium. Multò namq; gratiꝰ eſt quòd ſponte ex odio offenſæ patris, nos ipſos caſtigamus & vlciſcimur, quàm ſi ſolum patienter flagellum eiꝰ ſuſtineamus: maximè poſt hanc vitam quando ſecundum iuſtitiam vt iuſtus iudex vnicuique retribuet, etiam flagellando filios ſecundum opera eorum. Nã
Matth.25. Dominꝰ teſtatur de ſeruo fideli, ꝙ multa ſup
Iaco.1. lucratur & ſupererogat ex quibus debita ſol
1. Theſſa.5. uere poteſt. Et cũ ex ſcripturis manifeſtũ ſit,
Roma.2. ꝙ mereamur coronã glorię & vitã æternã, ſi
2. Timo.2. legitimè certamus: nihil dubitãdũ quin poſſimus emẽdare & ſatisfacere, nos ipſos vindicãdo, & flagella patris patienter ferendo. De merito iſto manifeſtę sũt ſcripturæ: imò principiũ fidei eſt, ꝙ Deus inquirẽtibus ſe eſt remunerator: Nec minus manifeſtæ de ſatisfactione: quia ſancti nõ vindicarent aduersũ ſe peccata, niſi vindictam Dei per hoc euadere poſſẽt. Hinc eſt monitio B. Aug. in homil. 50. Aſcendat, inquit, homo aduersũ ſe tribunal mentis ſuæ, ſi timet illud, ꝙ oportet nos exhiberi ante tribunal Chriſti: conſtituat ſe ante faciẽ ſuam, ne hoc ei poſtea fiat. Nam minatur hoc Deus peccatori dicens, Arguam te, &
Pſal.49. ſtatuã cõtra faciem tuã. Rurſus Apoſt. Si nos
2. Cor.11. ipſos iudicaremus, non vtiq; iudicaremur. Similes ſententiæ ex B. Amb. ad virginẽ corruptam, & B Hieron. in Epitaphio Paulæ sũt ſupra citatæ. Ac tantũ abeſt, vt per noſtrã ſatisfactionem obſcuretur gloria mortis & victimæ Chriſti, eiuſq; pleniſsima ſatisfactio: vt magis etiã illuſtretur ꝙ ex miſeris & pauperibus, per mortem ſuam in omnibus diuites nos fecit, & glorioſos Dei filios: vt nos ipſi habeamus etiam in nobis theſaurum, ex quo patri ſatisfacere poſsimus, eumq́; nobis placare, quàm ſi nobis in miſeria & paupertate relictis, ipſe precium ſolueret pro nobis: illud enim maius eſt, & in ſublimiorem nos gradũ ſubuehit. Ita eni nos voluit honorari per filiũ ſuũ pater cæleſtis, vt omnia nobis cõmunicaret, & abundè effunderet, quorum ſumus capaces: nec ſolꝰ ipſe operaretur ſed pro noſtra ſalute nos quoq; ei cooperaremur quorũ aũt capaces nõ ſumus, ſine nobis Chriſtus principalẽ operatur effectũ: dignatur tñ & in illis quoad præparationem nos habere cooperarios. Et in ſcripturis Dominꝰ nos honorando hac ratione loquitur, quaſi principalem effectum hic quoq; nos operaremur, Facite, inquit apud Ezech. vobis cor
Cap.18. nouum & ſpiritum nouum. Item alio loco,
Ierem.4. Auferte pręputia cordium veſtrorum: Laua à
Lucæ.17. malitia cor tuum. Et Dominus in Euangelio,
1. Ioan.3. Quicunque perdiderit animam ſuam, viuificabit eam. & Ioan. Apoſt. Omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe. Vitam tamen
Ipſius ſpiritus nouitatẽ operatur ſolus Deus. ac nouitatem ſpiritus, Dominus ad noſtram præparationem operatur ſolus: excedunt enim hæc omnem creaturę facultatem: ſicut fortaſsis & ſatisfacere pro culpa mortali aut eius mereri remiſsionem propter quod ſine applicatione mortis Chriſti nunq̃ mortalę peccatum, nec pœna æterna remittitur. Pœnæ autem temporalis ſolutio filiorum Dei facultatem non excedit: Et ideo ſua morte tales nos fecit, vt ex noſtro theſauro, ſine vlla ſuffragij alteriꝰ vel etiam mortis Domini emendatione, ſatisfacere poſsimus.

Ad obiectiones ſolutio. Ad ea verò quæ ex ſcripturis obijciuntur de plena & integra ſatisfactione Chriſti, reſponde-

ſpondetur, quòd plena eſt eius ſatisfactio, redemptio, & propitiatio pro vniuerſis: nõ ſolùm quo ad culpam, quam tamen præcipuè & principaliter reſpiciunt: verum etiã quo ad pœnam temporalem, culpa dimiſſa remanentem: ſed per ſufficientiam, non autem ſecundum efficientiam & fructus participationem. Nam qui per baptiſmũ familiæ Chriſti nondum ſunt inſiti, propitiationis participes non ſunt: nec illi qui peccatis ſuis nondum pœnitentes per claues eccleſiæ remiſſionem non acceperunt: pro quibus tamen ſufficiẽs & copioſa facta eſt redemtio in ara crucis. Similiter Chriſti ſatisfactio pro pęna tẽporali abunde ſufficit, sed efficax non eſt ad eam expiandam ſine applicatione.

Chriſtus pro omnibus peccatis tã quo ad culpam, quàm quoad pœnam ſecũdũ ſufficientiam ſed non ſecundum efficientiam ſatisfecit.

Obiectio.

Dices fortaſsis illos ideo nõ eſſe participes propitiationis, quia Chriſto non iungun tur, nec ſunt inter membra eius: ipſe autem tanquã caput ſolùm pro membris ſatisfecit: & his ſolis applicatur ſatisfactio & redemptio, qui ei tanquam membra vniuntur.

Reſponſio.

Cui reſpondetur primò, quòd ſcripturæ generalius loquũtur, nempe quod mortuus eſt pro omnibus, etiam pro impijs: Atque ita non ſolum pro membris. Et minor in hoc eſſet gratia & gloria Chriſti, ſi ſolum mortuus eſſet pro membris ſuis & amicis. Catechumenus namq; ante baptiſmum ex morte Chriſti conſequi poteſt per fidem & veram cordis contritionem, peccatorum remiſsionem & gratiam patris, qui tamen per ſolũ baptiſmũ fit Chriſti membrum. Obtinuit enim Chriſtus ſua morte, & apud patrem meruit, vt quę à corpore erant aliena, fierent ſua membra per baptiſmum, cuius effectus totus ex Chriſti morte procedit & manat. Nã teſte Apoſt. Paulo, Complantati & inſiti ſumus Chriſto per mortem eius. Eſt igitur hæc propitiatio & ſatisfactio Chriſti integra & perfecta, quo ad culpã & pœnã etiam tẽporalẽ, culpa dimiſſa remanẽtẽ, ſi ſpectetur eius ſufficientia: nec plenior eſſet, nec efficacior, ſi millies vel ſolùm ſemel & ſingulariter pro vnoquoq; noſtrum eſſet mortuus, ſed non eſt efficax, nec affert ſalutẽ, niſi bona patris voluntate eius fiat applicatio. Hoc modo & ſecundum hanc intelligentiã B. Aug. interpretatur redemptionẽ factam in Chriſto in reſponſione ad primum articulum falſò ſibi impoſitum, qui erat, quòd Dominus noſter Ieſus non pro omnium redemptione ſit paſſus. Quòd, inquit, ad magnitudinem & potentiam precij pertinet, ſanguis Chriſti redemptio eſt totius mũdi: ſed qui hoc ſeculum ſine fide Chriſti & ſine redemptionis ſacramento pertranſeunt, redemptionis ſunt alieni. Poculum quippe immortalitatis quod confectum eſt, habet quidem in ſe vt omnibus proſit, ſed ſi nõ bibitur non proficit. Et hanc doctrinam beati Auguſtini ſecutus eſt beatus Thom. 3. parte quæſt. 49. artic. 1. in ſolutione 3. argu. Vbi dicit quod Chriſtus ſua paſsione nos liberauit à peccatis cauſaliter, id eſt, inquit, inſtituens cauſam noſtræ liberationis ex qua poſſent quæcunque peccata, præterita, præſentia, & futura quandocunq; remitti, ſicuti ſi medicus faciat medicinam, ex qua poſsint etiam quicunque morbi ſanari. Certum eſt autem quòd eodem modo quo redemptio, intelligenda eſt etiam ſatisfactio perfecta Chriſti, pro omni culpa omnique pœna totius mundi etiam temporali (ſpectando ſcilicet precij magnitudinem & ſufficientiam) quæ tamen ſine fructu & inutilis manet, niſi poculum bibatur, & eius fiat applicatio. Sicut enim factus eſt cauſa ſalutis æternæ omnibus non ſimpliciter, ſed obtemperantibus ſibi: ita cauſa eſt redemptionis omnibus qui ex fide in Chriſtum verè pœnitentiam agunt: maximè ſi ſacramenta contra peccata inſtituta adhibeantur, per quæ quaſi per canales quoſdam deriuatur ſanguis Chriſti, eiuſque virtus & efficacia animabus noſtris aſpergitur. Quo ad pœnas verò temporales, quarum reatus culpa remiſſa manet, Chriſti ſatisfactio nobis cõmunicatur in baptiſmo, qui omnem tollit peccati reatum: & in ſacramento pœnitentiæ pro deuotione & diſpoſitione pœnitentis. In hoc enim eſt differentia inter pœnitentiam & baptiſmũ: cùm illa adhibeatur vt medicina, cum qua ſua virtute infirmus concurrit: & vt plenior fit ſanatio in morbo corporali, quanto perfectior eſt naturæ concurſus, ita in morbo animæ: Baptiſmus verò eſt regeneratio ad quã qui naſcitur nõ cooperatur: q̃ differentiã maiores noſtri docẽt ex c. 6. & 10. epiſt. ad Hebr. Applicatur etiam in extrema vnctione, in ſacrificio miſſæ & per indulgentias ex diſpẽſatione theſauri eccleſiæ: Si aũt eius nulla nobis fiat cõmunicatio nec ſupplici deprecatione quo debitũ nobis gratioſè condonetur impetrem, neceſſe eſt ꝙ nos ipſi per ieiunia, eleemoſynas, & orationes ſoluamus: patri noſtro æquè gratũ offerendo, atq; eſſet debitæ pœnæ ſolutio. Nam per æquiualentis oblationem redimimus pęnam noſtris peccatis debitam. Plura, ait. B. Ambro. habemus ſubſidia quibus peccata noſtra redimimus. Pecuniam habes, redime peccatum tuum. Nam eleemoſynis crimina redimuntur. Si verò nõ fuerit in hoc ſeculo diuinæ iuſtitiæ ſatisfactum, vindicabitur, & igne purgatorio expiabitur in ſeculo futuro. Hoc autem diſcrimẽ eſt inter ſatisfactionem Chriſti pro pœna æterna & pro temporali, quòd ſine eius applicatione nunquam remittitur pœna æterna, nec expiari poteſt: ſed ſine illius applicatione, vt ex dictis manifeſtum eſt, temporalis pœnæ debitum ſolui poteſt & expiari: ſicut per pœnam purgatorij ſecundum diuinę iuſtitię ſeueritatem, certũ eſt ipſum ſolui & expiari. Non minus autem Deo ſatisfit per vindictam quam de nobis ad patrẽ plenè placandũ ſpontaneè ſumimus: cùm gratius hoc ſit ei, & iuſto iudicio tantundem valere poſsit. Dices ex his ſequi quòd alia eſt pro peccatis ſatisfactio, quàm mors Chriſti. Cui reſpondetur quòd nulla eſt pro peccatis ſatisfactio, quæ nõ manet & deriuetur ex virtute ſatisfactionis factę in ara crucis. Nã per mortem

Catechumenus ex morte Chriſti per fidem et cordis cõtritionem poteſt remiſsionem peccatorum aſſequi ante baptiſmum.

Rom. 6.

Chriſtus ſua paſsione nos liberauit à peccatis cauſaliter.

Hebræ. 5.

Et declarat B. Thom. li. 4. contra gentil. Cap. 72.

De Helia & ieiunio ca. 20.

Obiectio, & eius ſolutio.

mortem ſuã Chriſtus meruit nobis infundi ſpiritũ ſuũ: quodq; noſtra opera per ipsũ ſint ſatisfactoria: Nec ꝓpterea omnis pœnæ peccatis debitæ ſolutio, fit per cõmunicationes ſatisfactionis ill⁹: Chriſtus tñ eſt qui per nos & in vobis per ſuum ſpiritum ſatisfacit.

Alia obiectio. Iterũ cõtra dicta obijcies, ꝙ ſatisfactio Chriſti nobis applicatur per noſtra opera pęnalia, ad expiationẽ pęnæ tẽporalis: ſicut per cõtritionẽ ad remiſsionẽ mortalis peccati & pęnæ æternę: ex qua cõmunicatione & cõiũctione noſtra opera fiunt fortaſsis ſatisfactoria, & ſatisfaciendi efficaciam accipiunt: & non ex ſpiritu Chriſti inhabitante, aut ex noſtri operis valore, ſicut dictũ eſt. Vel ſolum ſatisfactoria ſũt diſpoſitiuè: inquantũ ad applicationẽ, ſicut de contritione dictum eſt, diſponunt: vt ſic Chriſtus ſatisfaciat ſolus, ad noſtrã tñ operationẽ, vt ſoli Chriſto ſit omnis gloria in peccatorum expiatione. Vel ſaltẽ ſi nos ſatisfacimus noſtra virtute, eius ſatisfactio nõ excludatur: ſicut vitã æternã nos meremur, cũ eandẽ promeruerit nobis & ipſe, prout teſtantur ſcripturæ: vt nulla ſit ſatisfactio ſine applicatione ſatisfactionis Chriſti.

Reſponſio. Per veram cordis contritionem nobis applicatur ſatisfactio Chriſti. Quibus reſpondetur, ex ſcripturis cõſtare ꝙ per verã cordis cõtritionẽ nobis applicatur ſatisfactio Chriſti ad pœnæ æternæ condonationẽ. Nã cor contritũ Deus non deſpicit. Et eædẽ ſcripturæ fortaſsis non patiuntur quod pœnitens in conſortiũ huius ſatisfactionis, vt & ipſe propriè ſatisfaciat, admittatur, de quo tñ ſumus infrà dicturi. Ad ſatisfactionẽ verò pœnæ tẽporalis & ad vindictã peccatorũ noſtrorum, in recõpenſam iniuriæ patri illatæ, eædẽ ſcripturæ nos inuitant & hortantur: nec tacent ꝙ noſtræ afflictiones gratiam habeant & efficaciam Dei iram placandi. Cũ igitur noſtra vltio, iuſta rerum æſtimatione, debito cui ſumus apud Deum obnoxij poſsit eſſe æquiualens, contra rationẽ & ſcripturas hæc dignitas & gloria noſtris operibus, imò & ipſi Chriſto tolleretur. Manifeſta namque

1. Corint. 11. eſt Pauli ſententia. Si nos ipſos iudicaremus, nõ vtiq; iudicaremur: Propter quod B. Amb. vt ſuperius dixim⁹, clare docet, ꝙ peccatori à Deo parcitur, ſi ſibijpſi non pepercerit. Et B. Chryſ. Si nos peccati meminerimus, Deus ei⁹ obliuiſcetur: & iudicẽ placabimus, ſi à nobis vltionem ſumamus. B. Greg. quoq; per lamẽta pœnitentiæ malũ perpetratũ dicit corri-

Ierem. 18. Ionæ 3. gi. Et apud Prophetam Dominus, Si pęnitentiam egerit gens illa, agã & ego pœnitentiã ſuper malo ꝙ cogitaui facere ei. Ac de Niniuitis dicit Propheta Ionas, ꝙ vidit Deus opera eorum: & miſertus eſt ſuper malicia quã locutus fuerat. Nã Deo ſatis fieri per pœnitentiæ dolorẽ, humilitatis geniũ, & per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis, docent B. Aug. B. Greg. & concorditer omnes patres. Propterea opus non eſt communicatione ſatisfactionis Chriſti, quando ad hanc expiationem & debiti ſolutionem filiorum opera ſufficiunt, compenſant, & redimunt quod contra Deum eſt admiſſum. Nec à nobis iuſtè pœna exigi poſſet, vel in purgatorio, ſi à Chriſto plenè eſſet pro peccato iræ Dei ſatisfactum ſecũdum iuſtitiam. Et quòd quidam dicunt, ſatisfactionem Chriſti neceſſariò concurrere, vt cauſam vniuerſalem, impertinens eſt, nec dictis obſtat. Nam cauſa vniuerſalis efficaciam cauſæ particularis non tollit. An tamẽ ſatisfactio & mors Chriſti verè ſit cauſa vniuerſalis noſtri meriti & ſatisfactionis, an ſolùm originalis & conſeruatiua, ac Deus ipſe vt author gratiæ ſit cauſa prima & vniuerſalis, non eſt locus hic diſſerendi, nec multum ad præſentem pertinet difficultatem. Nam in miraculis quæ ex virtute à Chriſto accepta operati ſũt Apoſtoli, non videtur ipſe vt homo tanquam cauſa vniuerſalis fuiſſe cooperatus. Et hic maior eſt Chriſti gloria, quòd Apoſt. ſua virtute à Chriſto accepta miracula ſunt operati.

Iterum obijcitur. Chriſtus nobis meruit vitam æternam, & tamen ſecundum ſcripturas eam nos etiam meremur ex applicatione meritorum eius. Idem igitur dici poterit, quòd ſatisfactionis applicatione nos ſatisfacimus, vt ſic nulli⁹ pœnæ ſolutio ſine Chriſti fiat ſatisfactione. *Iterum obijcitur.* Reſpondetur quòd ſcripturæ vtrumque docent nos, ſcilicet vitam æternam mereri & Chriſtum eam nobis promeruiſſe. *Solutio.* Nam ſolum ex eius merito paruũli baptizati eam accipiunt, & adulti accipere poſſunt ſine merito proprio: Nec tamen vitam æternam ex communicatione meriti Chriſti nos meremur, ſed ex dignitate & virtute quas merito mortis eius accipimus. *Nos vitam æternam meremur, licet nobis Chriſtus eam promeruit.* Nec in hoc eſt diſcrimen inter meritum vitæ æternæ & ſatisfactionem, cùm vtrumq; fiat ſine applicatione actuali ſatisfactionis vel meriti mortis Chriſti. Sed hic quæritur qualis nam ſit hæc ſatisfactio, quę eſt tantum per ſufficientiam, vel vt dicit B. Auguſt. conſideratione magnitudinis precij. Non enim ſecundum veram nominis rationem dici poteſt ſatisfactio, niſi precij fiat applicatio pro eo qui debet, & acceptatio à creditore: quãdo autẽ hæc fiunt, eſt efficacia ſatisfactionis. Ergo ſatisfactio per ſufficientiã tantum, nõ meretur nomen ſatisfactionis: Nec redemptio & reconciliatio per ſufficientiam merentur hęc nomina. iterũ quęritur, An Chriſtus quantum eſt ex parte eius, aliter ſatisfecit pro eo cui efficax eſt ſatisfactio, quàm pro eo cui eſt ſolum ſufficiens? Quibus reſpondetur, Si proprietas nominum conſideretur, non eſt verè & ſimpliciter ſatisfactio, nec redemptio, nec reconciliatio, niſi fuerit ſecundum efficientiam: *Secundũ nominis proprietatem non eſt verè & ſimpliciter ſatisfactio, niſi quæ eſt ſecundũ efficientiam.* Quia ſi non eſt numeratum precium, & acceptatum, non eſt redemptus nec reconciliatus, qui debito vel ſeruituti erat obnoxius. Et ſi numeratum eſt, & acceptatum à creditore, ſimpliciter ſine conditione debitor liberatur, & iniuria ei fieret ſi inuitus detineretur, vel adhuc exigeretur debitum. Quando autem precium numeratum eſt ſub conditione ſolum, vel duntaxat paratum eſt, & deputatum ſolutioni, non liberatur debitor: Redemptio autẽ generis humani, ſatisfacto & reconciliatio

ſolum

ſolum factæ ſunt, conſiderando precij parati magnitudinem, quod non eſt numeratum & applicatum ex ſola Chriſti paſsione, & ſatisfactione, in cruce facta: ſed pro applicatione ſupplicare & laborare debitorem oportet: Quomodo intellexit B. Aug. vt diximus noſtram in Chriſto redemptionem. Si autem intelligatur ſecundum alios facta eſſe numeratio & acceptatio patris, ſub conditione tantum facta eſt, qua non impleta, rationes horum nominum propriè non ſaluantur. Et hunc duplicē modum ſatisfaciendi manifeſtè docent ſcripturæ: quibuſdam dicentibus, Chriſtum ſemel oblatum eſſe ad multorum exhaurienda peccata. Et de ſanguine ſuo dicit Dominus Apoſtolis. Qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorū. Et alio loco, Quod filius hominis venit dare animam ſuam in redemptionem pro multis. & Apoſtolus 1. ad Timo. 4 Speramus in Deum viuum, qui eſt ſaluator omnium, hominum & maximè fideliū. Quod tractans liber de vocatione gentium, dicit quòd Apoſtolus cōfirmat bonitatem Dei ſuper vniuerſos homines eſſe generalem, partem tamen quandam humani generis, ſpecialibus beneficijs ad ſalutem prouehi. Et in locis alijs habent ſcripturæ, quòd pro omnibus guſtauit mortem, quodq́; pro omnibus mortuus eſt. Et quod poſuit Dominus in eo iniquitaten omnium noſtrum. Eſt igitur Chriſtus modo quodā ſaluator & redemptor omnium hominum: & alio quodam multorum tantum, & non omnium. Qui modi explicātur per efficaciam & ſufficientiam, in cauſa & cum effectu, ſimpliciter & ſub conditione. Et reuera Chriſti mediatoris officium erat, patri offerre copioſam redemptionem, & preciū pro vniuerſis ſufficiens: et relinquere patris voluntati & diſpoſitioni, quibus prodeſſet ſecundum æternam eius prædeſtinationem: Ad quam in electis implendam ipſe in mundum venit, & mortem ſuſtinuit: ſic ſcilicet quòd patri reliquerit applicationem, & media per quę applicatio erat futura. Nam quòd paruulus baptizatur, & per baptiſmum mortis Chriſti in eius ſalutem fiat applicatio, non eſt ex Chriſti merito, ſed ex æterna patris electione: & ex eiuſdem eſt diſpoſitione quòd alter ſine ſacramento baptiſmi moritur, in quem ſcilicet iuſtam vindictam decreuit exercere. Et ſimiliter in adultis: Niſi quòd plerunque hi ſua culpa participio meritorum Chriſti priuantur. Rectè enim dicit beatus Thomas quæſt. 29. de veritate, art. 7. ad 4. Quod meritum Chriſti non æqualiter omnibus quoad efficaciam applicatur, partim eſt ex libero arbitrio, parti ex diuina electione: per quam quibuſdam miſericorditer effectus Chriſti confertur, & alijs iuſto iudicio ſubtrahitur. Idem habet magiſter noſter Ioā. Driedonis inſignis theologus noſtræ ſcholæ in lib. de redemp. gen. humani & Ioā. Capreol. in 3. ſenten. diſt. 18. q. vnica, circa ſolutiō. argumentorū Scoti cōtra quartā concluſionē. Et veriſimile eſt ꝙ Chriſtus

Hebræ 9.
Matth. 26.
Matth. 20.
Hebr. 2.
2. Cor. 5.
Iſaiæ. 53
Chriſtus quodāmodo omniū hominū ſaluator, quodāmodo multorū tantū, et nō omniū

ſciens patris volūtatē, quam venit adimplere, pro electis ſuam mortē voluit eſſe efficacem: & pro alijs quos nouit à patre reprobatos, optauit quidē, eſſe efficacē quantū in ipſo erat, voluntate quaſi cōpaſsionis, non tamē applicauit, nec propriè & ſimpliciter pro eis obtulit: certus quòd pater nollet pro eiſdem acceptare, nec media adhibere, per quæ tota fit eius applicatio. Nam pro ſua reuerentia à patre exauditus eſt ſemper. Et his patet quomodo intelligendæ ſunt ſcripturæ adductæ circa hanc difficultatem. Et dum ibi proponitur, Si Chriſtus ſatisfecit pro pœnis dimiſſa culpa relictis, inique iterum exigitur à nobis quod ſemel per Chriſtum ſolutum eſt. Reſpōdendum eſt, Si ſimpliciter per numerationem, & acceptationem patris, pro debito noſtro facta eſſet ſatisfactio, iniquè à nobis iterum exigeretur: ſed non ſic facta eſt, vt ex ſuperioribus eſt manifeſtum: ſed aliquo modorum qui prius ſunt expreſsi. Nam quoad iſtud eadem eſt ratio de ſatisfactione pro culpa mortali, & de ea quæ per Chriſtum facta eſt pro pœna temporali. Neutra namque prodeſt niſi fuerit applicata. Secunda eſt hic difficultas de qualitate pœnæ poſt culpam remiſſam manentis, an ſit huius ſeculi pœna, an futuri: Et ſi futuri, an eadem quæ peccato non remiſſo debetur: & ſi ad ſeculum pertinet futurum, videtur quòd ſolùm poſt hanc vitam eandem ſuſtinendo ſoluere poſsimus. Ait enim Saluator, Venit nox quando nemo poteſt operari. Et Eccleſiaſtes, Quæcunque poteſt facere manus tua, inſtanter operare, &c. quia nec opus nec ratio erunt apud inferos, quo tu properas: atque ita non poſſemus hic pro peccatis ſatisfacere. Et ſi huius ſeculi pœna debetur, non poterit ſolui poſt hanc vitam, in qua locum non habent ieiunia, eleemoſynæ & aliæ carnis afflictiones. Probabilior eſt ſententia in obſcura hac & difficili quæſtione B. Thomæ in 3. parte quæſt. 86. artic. 4. quā explicat Cardinalis Caietanus in quæſtionibus eidem parti adiectis, quæſt. 4. de contritione, quòd regulariter illa ſit pœna futuri ſeculi, cuius reatus manet culpa dimiſſa factaque reconciliatione. Ad hoc enim propriè pertinet iudicium & retributio pro meritis vniuſcuiuſq;, & ꝙ eadē ſit quæ ante remiſsionē peccato mortali reſpōdebat ratione conuerſionis & voluntatis quā Deo relicto habuit, in eius creatura bonoq́; cōmutabili & perituro, iuxta ſcripturā Quātū ſe glorificauit & in delicijs fuit, tm̄ date illi tormētū & luctū. Idē itaq; & quidē ęquale ſuppliciū ignis peccato dimiſſo & ante dimiſsionē reſpondet, niſi quantū virtuti clauiū & cōtritionis condonatū eſt vel diminutum: ſimiliter alia ſupplicia afflictiua, ablata tamen perpetuitate & qualitatibus quæ ſequūtur hoſtilitatē & inimicitiā cū Deo: quale eſt perpetuū exilium à ſocietate ſāctorū & facie Dei, deſperatio & odium Dei, quæ propriè debentur auerſioni qua relinquimus Deum fontem aquæ viuæ, fodientes ciſternas diſsipatas, quæ

Pro reprobis Chriſtus mortem ſuā non proprie obtulit.
Reſponſio ad aliā obiectionem.
Ioan. 1[illegible]
Cap. 9.
Pœna cuius reatus manet culpa dimiſſa communiter eſt pœna futuri ſeculi.
Apocal. 18.
Hierē. 2.

quæ aquas continere non poſſunt. Hæc latè declarat Cardinalis Caietan⁹ quæſt. ſupra dicta. In peccato enim mortali eſt auerſio ab incommutabili bono, & inordinata conuerſio ad bonum commutabile. Et ex parte auerſionis conſequitur ipſum exilium à ſocietate Dei & ſanctorum, & reatus pœnæ æternæ: vt in ęternum puniatur, qui contra æternum bonum peccauit. Ex parte autem conuerſionis inordinatæ conſequitur reatus pœnę afflictiuè cruciatis: eò quòd inordinatio culpę non reducitur ordinem iuſtitiæ, niſi per pœnam. Iuſtum eſt enim vt qui voluntati ſuæ plus indulſit quàm debuit, contra voluntatem ſuam aliquid patiatur, iuxta illud quod ex Apocalypſi citatum eſt: vt ſic fiat æqualitas iuſtitiæ, ſicut qui alterum læſit in fama, vel bonis, tenetur damnum reparare, quamuis ſit reconciliatus. Peccato enim mortali iuſtitia violatur & amicitia cum Deo. Et quia conuerſio ad bonum commutabile finita eſt, peccatum mortale ex hac parte non habet, quòd ei pœna æterna debeatur. Et ideo qualiſcunque fuerit cōuerſio inordinata ad bonum delectabile ſine auerſione à Deo, non debetur ei niſi pœna temporalis tātum. Quando igitur per gratiam remittitur culpa, tollitur auerſio à Deo: quum anima Deo iterum per conuerſionem coniungatur, atque redintegretur amicitia: & ex conſequenti tollitur reatus pœnæ ſempiternæ, remanente tamen reatu pœnæ temporalis prolixioris & acerbioris, ſecundum culpæ grauitatem & adhærentiam affectus in conuerſione. Diuturnitas enim pœnę reſpondet tenacitati & adhærentiæ affectus, & acerbitas grauitati culpæ, vt dicit B. Thomas diſti. 21. 4. quæſt. 1. art. 3. quæſt. 3. Atque hoc ipſum declarauit B. Cyrillo vnus eorum qui ob merita B. Hieronymi ſuſcitati ſunt, & ad vitam redierunt. Scribit enim B. Cyrillus ad Auguſtinum ſe interrogaſſe ab eo in quo tormenta differrent infernalia ab his quæ ſunt in purgatorio, eumque reſpondiſſe quòd nihil inter ſe differunt: quia eædem ſunt magnitudine pœnæ purgatorij & inferni: hoc ſolo differentes, quòd infernales finem non expectant, ſed augmentum in iudicij vniuerſalis die, quando corpora cum animabus cruciabūtur: & purgatorij pœnæ ſunt cum fine. Nam poſt expletam pœnitentiam inde exempti gaudijs beatiſsimis perfruentur.

Thom. in 3. parte qu. 86. art. 4.

Diuturnitas pœnæ reſpondet tenacitati & adhærentiæ affectus: acerbitas autem grauitati culpæ.

Commutatur autem pœna futuri ſeculi in eā quæ eſt præſentis vitæ, arbitrio ſacerdotis, virtute clauium, quando pro peccatis confeſsis imponitur in pęnitentiam oratio, ieiunium, vel eleemoſyna, quæ tunc ſuccedunt in locum prioris pœnę per ſe peccato debitæ: cuius reatus & obligatio per illam commutationem arbitralem videtur extingui, ſi iuſta eſt & pœnæ æquiualeat. ſicuti quando votum peregrinationis in eleemoſynam commutatur: quæ ſi non impletur per impotentiam ſine culpa confitentis, vt quia morte præuenitur, an redeat pœnæ futuri ſeculi reatus, vt intelligatur arbitrium ſub conditione tantum impletionis, certum nō eſt, quemadmodum nec in huiuſmodi votorum commutatione: Satisfactio autem ſic impoſita virtute clauium eſt pars ſacramenti pœnitentiæ & propriè ſatisfactio: quamdiu verò commutatio facta non eſt arbitrio ſacerdotis, eſt compenſatio, redemtio, vel ęquiualentis redditio iuſto Dei iudicio, non propriè ſolutio eius quod debetur. Ideo frequenter doctores veteres & ſcripturæ ſacræ redemptionis, compenſationis, liberationis nominibus & ſimilibus vtuntur: dicente Daniele, Peccata tua eleemoſynis redime. Et Thobia, Eleemoſyna liberat ab omni peccato: ac Beatus Ambro. Multa habemus ſubſidia quibus peccata redimimus. Rurſum Prouerb. 13. Redemptio animæ viri propriè diuitiæ. Diximus autem eandem & æqualem eſſe pœnam inferni & purgatorij, niſi quantum virtute clauium & contritionis condonatur. Nam contritio ex duplici capite pœnam ſenſus remanentem, & ab æternitate exutam tollere poteſt: ex pœnalitate ſcilicet ſibi annexa, & ex merito paſsionis Chriſti per ſacramentum pœnitentiæ. etiam ſolo voto ſuſceptum, nobis communicato: vt declarat Cardinalis Caietanus quęſt. 4. ſuperius citata. Ex ſuperioribus patet quòd in contritione, & in ſacramento pœnitentiæ mutatur pœna æterna in temporalem: non aliam ſpē, ſed eādem, ablata ſola æternitate, & ſupplicijs quæ amicitiam Dei non compatiuntur. Eſt tamen aliorum ſentētia probabilis, quòd fiat commutatio in aliam pœnam temporalem nō determinatam, ſed in aliam indeterminatam & in genere, vel huius ſeculi vel futuri. De quo Cardinalis Caietanus quotlib. 2. quæſt. 13.

Danie. 4. Thobiæ 4. Ser. 30. & 13.

Pœna æterna mutata in pœnam temporalem nō eſt à ſe diuerſa ſpecie.

Tertia difficultas eſt, an ſatisfacere poſsimus pro culpa etiam mortali & pœna æterna, cuius reatus ipſam ſequitur. Hîc præmittēdum eſt quòd ſatisfactio eſt actus iuſtitiæ, & voluntaria redditio ęquiualentis ei quod abſtulimus, ſecundum iuſtam rerum æſtimationem. Eſt tamen & alia ſatisfactio, quæ fit ſecundum acceptationem gratioſam eius qui læſus eſt: & quamuis condigna non ſit, ipſe habet ꝓ ęquiualente, eſtq́; ea contentus. Eſt & conſiderandum varia eſſe opera pœnitentiæ. Quædam enim præcedunt iuſtificationem, quibus ad eam præparamur, & Deus ad facilius reconciliandum prouocatur: De his Ionas propheta, Crediderunt, inquit, viri Niniuitæ in Domino, prędicauerunt ieiunium, induti ſunt ſaccis à maiore vſque ad minorem: & vidit Deus opera eorum quia conuerſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt ſuper malicia quam locutus fuerat. Et Ioel. 2. Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra, &c. quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat Deus? De quibus operibus plerunq; loquuntur ſancti, quando hortantur ad pœnitētiam, vt B. Cypri. de lapſis, Deus, inquit, quantum patris pietate indulgens ſemper & bonus eſt, tantum iudicis poteſtate eſt metuen-

Ionæ 3.

metiendus: quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus. Putas ne tu Dominum citò poſſe placari, quem verbis perfidis abnuiſti? Ac B. Ambro. ad virginem corruptam ſimile habet. Et huiuſmodi opera olim imponi ſolent pœnitentibus poſt auditam confeſsionem, iiſq; impletis reconciliabantur & impendebatur abſolutio. Nam reſipiſcere cupientibus ſacerdotes eccleſijs præpoſiti pœnitentiam, hoc eſt, pœnitendi tempus conſtituere ſolent. & caſtigationes ac opera pia imponere: idq; auctoritate, vt ſanctiſsimus Leo papa ſcribit, diuina. Mediator, inquit, Dei & hominum homo Dominus Ieſus Chriſtus hāc præpoſitis eccleſiæ dedit poteſtatē vt pœnitentibus pœnitentiæ ſatisfactionē darent, & eadem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem ſacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Et B. Auguſt. Alijs, inquit, reconciliationem, alijs pœnitentiæ actionem petentibus, &c. Idem cap. vlt. de adult. coniug. Quæ inquit Baptiſmatis, eadem & reconciliationis eſt cauſa: ſi forte pœnitentem vitæ periculum præoccupauerit. Item in Homil. 50. tres dicit eſſe actiones pœnitentiæ, quas ibidem proſequitur. Ac B. Cyprian. in ſerm. de lapſis, & in epiſtolis frequenter. Alexander quoque tertius in cap. Quod quidam de pœni. & remiſ. Et Innocentius tertius in cap. Officij, eodem titulo. Nam ieiunijs, eleemoſynis & orationibus Deum placari in ſuperioribus oſtenſum eſt. Huiuſmodi enim operibus ſuos electos gratia præueniente ad veram pœnitentiam & peccatorum remiſsionem Deus præparat: quæ tamen omnia vſq; ad ſpiritus ſancti inhabitantis aduentum pro peccatis per iuſtitiam non ſatisfaciunt: inclinant tamen Dei patris clementiam, vt propter filium miſereatur, & in gratiam recipiat. Et probabile eſt, quod ſatisfactio, quæ eſt pars ſacramenti vniuerſa hæc opera complectatur, quæ oportuna ſunt ad conciliandum Deum, imò & ea, quæ conducunt ad cauenda peccata. Efficax namque odium peccati omnia hæc operatur. Alia ſunt opera iuſtificationem etiam tempore ſequentia, quando culpa mortalis ac pœna æterna ſunt condonata: De quibus ſolis loquitur articulus: & oſtendimus, quod de condigno & ſecundum æqualitatem adæquant pœnam peccatis debitam. Sunt & opera quæ natura ſequuntur gratiam gratam facientem, & ſpiritum Chriſti per eam nos inhabitantem, quæ tamen præcedunt natura peccati remiſsionem, quoad culpam & pœnam æternam, vt docet B. Thomas 12. q. 113. artic. 8. Vltima namque ad gratiam diſpoſitio, quæ eſt cum gratiæ infuſione, ſicut de condigno meritoria eſt vitæ æternæ, vt idem dicit quæſt. 112. art. 2. ad 1. argu. & art. 7. in ſolutione 4. argumenti, q. 113. ita ſecundum iuſtitiā ſatisfactoria eſſe poteſt. De his ſolis operib. dubitatur apud doctores, an propriè ſatisfaciant pro culpa mortali & pœna æterna, ſecundum quod à Chriſto per ſpiritum fidei & charitatis procedunt. Hic autem ſupponitur, quod gratia Chriſti gratos nos patri faciens, & ſpiritus per eam inhabitans omninò gratis cōmunicantur, vt nec ſub meritò, niſi Chriſti ſolius cadere poſsint, nec poſſumus aliquid facere, vt ex debito nobis tribuātur. Nam ſi gratia, inquit Apoſtolus, iam non ex operibus. Sed de conuerſionē mentis, pœnitentia & contritione, quæ ſunt effectus & opera ſpiritus Chriſti inhabitantis, per quem Chriſtus ea operatur in nobis, dubitatur an vt vitam æternam, ita mereantur ex operis dignitate, quam ex ſpiritu Chriſti habent, culpæ mortalis & pœnæ æternę remiſsionē: ita videlicet vt tam grata ſint iſta corā Deo, quam diſplicebat culpa mortalis. Nam cor contritum & humiliatum Deus deſpicere nō poteſt: nec affectum huiuſmodi filialem, ex quo grauiter de patris offenſa dolet, plenè ſe patris diſciplinæ & flagello ſubmittens. De quo B. Thomas diſtinct. 15. 4. ſentent. q. 1. art. 2. docet quòd hic affectus verè & propriè pro peccato mortali & æterna pœna ſatisfacit, ſicut propriè meremur vitam æternam. Homo, inquit, dupliciter Deo debitor efficitur: vno modo ratione beneficij accepti: alio autem modo ratione peccati commiſsi: & ſicut gratiarum actio vel latria reſpicit debitum accepti beneficij, ita ſatisfactio debitum peccati commiſsi. In his autem honoribus, qui ſunt ad parentes & deos, etiam ſecundū Philoſophum impoſsibile eſt æquiualens reddere ſecundum quantitatem, ſed ſufficit, quod homo reddat quod poteſt: quia amicitia nō exigit æquiualens, niſi ſecundum quod poſſibile eſt: & hoc etiam æquale eſt aliqualiter, ſcilicet ſecundum proportionabilitatē: quia ſicut ſe habet, quod Deo eſt debitum ad Deum, ita hoc, quod iſte poteſt reddere ad eum: ſic aliquo modo forma iuſtitiæ conſeruatur. Similiter eſt ex parte ſatisfactionis. Vnde non poteſt homo ſatisfacere, ſi dictio, Satis, æqualitatem quantitatis importet, contingit autem ſi importet æqualitatem proportionis. Et ſicut hoc ſufficit ad rationem iuſtitiæ, ita ad rationem ſatisfactionis. Ad argumentum autem, quod proponitur: Satisfactio debet æquari offenſæ, ſed offenſa in Deū commiſſa eſt infinita, quia quantitatem recipit ab eo, in quem committitur: Cùm ergo actio hominis non poſsit eſſe infinita, videtur quòd homo Deo ſatisfacere non poſsit: Reſpondetur, Sicut offenſa habet quandam infinitatē ex infirmitate diuinæ maieſtatis, ita & ſatisfactio infinitatē accipit ex immenſitate diuinæ miſericordiæ: prout gratia informatur, per quā acceptum redditur, quod homo reddere poteſt. Quidam tamen dicūt, quod peccatum habeat infinitatem ex parte auerſionis, & quod ſic gratis dimittatur: ſed ex parte conuerſionis finitum eſt, & ſic pro eo ſatisfieri poteſt. Sed hoc nihil eſt, quia ſatisfactio non reſpondet peccato, niſi ſecundum quod eſt offenſa Dei: quod non habet ex parte conuerſionis, ſed ſolùm ex parte auerſionis. Alij vero dicunt quòd etiā quantū ad auerſionem pro peccato ſatisfieri poteſt

Epiſt. 89. *Epiſtola ad Honoratum.* *Roma. 11.* *Pſal. 50.* *Homo duobus modis Deo efficitur debitor.* *Offenſa recipit quantitatem ab eo in quem committitur.* *Obiectionis ſolutio.*

virtute meriti Chriſti, quod quodammodo infinitum fuit. Et hoc in idem redit cum eo, quod prius dictum eſt, quia per fidem mediatoris gratia data eſt credentibus: ſi tamen alio modo gratia daretur, ſufficeret ſatisfactio per modum prædictum. Hæc ibidem B. Thomas. Et in 3. ſent. diſtin. 1. videtur aperte dicere, quòd pro peccato mortali Deo ſatiſfacere poſsimus, etiam nō præſuppoſita paſſione Chriſti: ac ſatisfacere quoad offenſam in Deum commiſſam, ratione gratiæ ex qua ſatisfactio procedit: & quo ad nocumentum ratione actus: Pro originali verò quo ad offenſam tantum, non quo ad nocumentū ſecutum: quæ intelligit non innitendo ſatisfactioni Chriſti. Inæſtimabilem namq; valorē & dignitatem membrorum Chriſti opera habent, ex eo, quod potius ſint Chriſti opera ex ipſius ſpiritu profecta, quam hominis. Et ideò nihil mirandum eſt, ſi ſatisfaciant ſecūdum ſtrictam iuſtitiam pro culpa mortali & pœna æterna: quando ſcilicet cor ex vero Dei amore conteritur, & odit peccatum, ſe patri omninò, vt diximus, ſubijciens. Ioannes Capreolus circa diſtinct. 15. 4. paucis explicans ſententiam B. Thom. Purus, inquit, homo non poteſt perfectè ſatisfacere Deo, niſi in virtute meriti paſsionis Chriſti: eius autem virtute, perfectè, hoc eſt adæquando emendam culpæ per æqualitatem, poteſt ſatisfacere. Imperfectè tamen, ſecundum acceptationem ſcilicet Dei, qui ea contentus eſt: quamuis condigna non ſit, hoc eſt ſecundum æqualitatem proportionis, ſine huius virtute ex ſpiritu inhabitante, poteſt ſatisfacere. Cardinalis verò Caietanus circa art. 2. q. 1. 3. partis, latius verba B. Thomę interpretans, dicit ſententiam eius eſſe, quòd purus homo, hoc eſt, qui gratiam non habet, non poſſit pro minimo peccato ſatisfacere: accepta autem gratia ex merito Chriſti poteſt ſoluere æquiualens in valore, quo ad pœnam & culpam pro peccato mortali, adęquando per æqualitatem emendam culpæ. Et in ſolutione 4. dubij docet, quòd Chriſtus Dominus ſecundum veritatem dupliciter cauſat noſtram ſatisfactionem: primò vt cauſans charitatem & gratiam in nobis, qua ſatisfactio noſtra acceptatur: ſecundò vt ſatisfactor pro peccatis totius mundi. Et ex hoc, inquit, ſatisfactio mea ex duobus capitibus habet efficaciam: primò ex charitate in me, qua ſit, & eſt Deo accepta: ſecundò ex hoc, quod innititur ſatisfactioni Chriſti: quæ longè proſequitur & declarat. Et quia opera iſta quibus contingit ſatisfactio Chriſtus in nobis operatur, quaſi caput in membris, & eius ſpiritū & gratiam transfuſam ab eo habemus, ideò totam hanc remiſsionem culpæ & pœnæ in eum referre oportet: non autem in nos, niſi vt eius membra in quibus & per quæ ipſe operatur. Et cum ſatisfactio opus ſit iuſtitiæ, ex genere ſuo cōtra gratiam diſtinguitur: & quanto plus gratiæ operi additur, tanto minor eſt ſatisfactionis ratio. Quocirca perfecta ſatisfactio eſt ea ſola, cuius valor & precium totum manat à debitore, nullum autē à præueniente vel interueniente gratia creditoris: vt dicit Ioan. Cypria. Quia igitur ſatisfacere non poſſumus ſine gratia Chriſti in nos per ipſum transfuſa: quamuis ſolutio ſit æquiualentis, non tamen perfectè ſaluatur ratio ſatisfactionis. Quemadmodū igitur de condigno vitam æternā promeremur, ita de condigno ſecundum æqualitatem, iuſta culpæ & cōtritionis noſtræ habita ratione, Deo pro ea ſatisfacimus.

Purus homo nō poteſt perfectè pro peccatis Deo ſatiſfacere.

Opera quib' ſatiſfacimus Chriſtus in nobis operatur.

Declarato articulo proſequemur ſententias & argumenta quibus vtuntur aduerſarij: qui omnes huius articuli particulas impugnant. Et primò ſententiā Ioannis Caluini, qui nō ſuſtinet electos, vel temporaliter hic puniri. Docet enim Deum in iuſtorum peccata animaduertere, ſed flagellis & caſtigationibus: idq; ex amore tanquā patrem in filios, vt probentur & admoneātur, quantum Deus peccatum odiat: non autem in eos animaduertere ad vindictam, nec pœnam eſſe eorum caſtigationem.

Argumenta aduerſariorum.

Verum quando & ipſi ſcripturæ teſtimonijs ſeſe armant, videamus qualia ſint, quæ ipſi obtendunt argumenta. Dauid, inquiunt, de adulterio & homicidio à Propheta Nathan obiurgatus, veniam peccati accipit: & tamen morte filij, quē ex adulterio ſuſtulerat poſtea plectitur. Tales pœnas, quæ poſt culpæ etiā remiſsionem infligendæ eſſent, ſatisfactionibus redimere docemur. Hortabatur enim Daniel Nabuchodonoſor vt eleemoſynis peccatá redimeret. Et Salomon ſcribit, propter æquitatem & pietatem remitti iniquitates. Alibi etiam charitate operiri multitudinem peccatorum. Quam ſententiam confirmat & Petrus. Item apud Lucā Dominus de muliere peccatrice, ait remiſſa eſſe illi peccata multa, quia dilexit multum. Vt peruerſe ſemper & præpoſterè facta Dei æſtimant? At ſi obſeruaſſent, quod minimè prætereundum erat, duo eſſe diuini iudicij genera, longè aliam in hac Dauidis correptione vidiſſent pœnæ formam, quàm quæ ad vltionem tendere putanda ſit. Quoniā autem noſtra omnium non mediocriter refert intelligere, quorſum pertineant Dei caſtigationes, quibus in peccata noſtra animaduertitur: & quantū ab exemplis differunt, quibus impios & reprobos cum indignatione proſequitur: ſummatim perſtringere non abs re arbitror fuerit. Iudicium vnum, docendi cauſa vocemus vindictæ, alterum caſtigationis. Porrò iudicio vindictæ ſic intelligendus eſt Dominus inimicos ſuos vlciſci, vt iram aduerſus illos ſuam exerceat, confundat, diſsipet, in nihilum redigat. Id ergo ſit nobis propriè Dei vindicta, vbi punitio cum eius indignatione coniuncta eſt. Iudicio caſtigationis nō ita ſæuit vt iraſcatur nec vindicat vt perdat & confundat. Vnde nō eſt ſuppliciū propriè aut vindicta, ſed correctio & admonitio: Alterū iudicis eſt: alterū patris. Iudex.n. cū facinoroſū punit, in ipſū delictū animaduertit, & de facinore ipſo pœnā expetit. Pater cū filiū ſeuerius corrigit, nō hoc agit vt vindicet aut multet: ſed magis vt doceat

2. Reg 12.

Daniel. 4.

Prouerb. 19.

Prouerb. 10.

1 Pet. 4.

Luc. 7.

vt doceat, & cautiorem in poſterũ reddat. Paulò diuerſa ſimilitudine Chryſoſtomus alicubi vtitur, quæ tamen eodẽ recidit. Verberatur, inquit, filius: verberatur & famulus. Sed hic vt ſeruus, quia peccauit, punitur: ille verò vt liber & filius, diſciplina indigens caſtigatur. Huic correptio in probationẽ & emendationem cedit, illi in flagella & pœnas.

Reſponſio.

Sunt hæc duo diuini iudicij genera fine & animo caſtigantis & affligẽtis diſtincta: neutrum tamen iudicij, pœnæ aut vindictæ tollit rationem. Nam B. Gregor. lib. 6. commen. in Iob. cap. 82. & 83. citans hanc hiſtoriam de Dauide, apertè docet, quòd Deus vindicauit eius peccatum. Delictum quidem, inquit, delet, ſed inultum non deſerit. Aut enim homo in ſe pœnitens punit, aut Deus cum homine vindicans percutit: quia ſine vindicta non laxatur. Sic enim Dauid audire meruit post confeſsionem, Dominus tranſtulit peccatum tuum: & tamen multis poſtea cruciatibus afflictus, reatum culpæ quam patrauerat, exoluit. Nam Deus ait B. Iob inultum abire non patitur. Nec agitur hic ad quem finẽ quoue affectu filios Deus caſtiget ac puniat: ſed an peccator in gratiam receptus maneat quandoque temporali pœnę obnoxius, eiuſque ferendæ ob admiſſum peccatum reus ac dignus: propter quod & hic à Deo affligitur. De quo nihil dubitat B. Auguſt. lib. 1. de ciui. Dei, cap. 8. & 9. & apertè teſtatur de Dauide liber ſecundus Regum cap. 12. Quare contempſiſti verbum Domini, ait ipſe per Prophetã Nathan Dominus, vt faceres malum in conſpectu meo? Vriam Ethæum percuſsiſti gladio, & vxorem illius accepiſti in vxorem tibi, & interfeciſti eum gradio filiorum Ammon. Quamobrem non recedet gladius de domo tua vſque in ſempiternum. Ac poſteà, Quoniam blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini propter verbum hoc, filius qui natus eſt tibi, morte morietur. Nec ignorat iſta Caluinus, diſsimulat tamen, atque rem ipſam per ſe ex ſcripturis & experientia certiſsimam per diſtinctionem ac diuerſitatem finis & affectus affligentis, obſcuram atque perplexam reddit: Attamen veritatis euidẽtia conuictus ſcribit in iuſtorum peccata à Deo animaduerti: & longè aliam in hac Dauidis correptione eſſe pœnæ formam, quàm quæ ad vltionem tendere putanda ſit. In pręſenti igitur tractatione non multum refert intelligere quorſum pertineant Dei caſtigationes, quibus in noſtra peccata animaduertit: & quantum differant ab exemplis quibus impios & reprobos, quos pro iiſdem habet, cum indignatione proſequitur. Caput enim huius diſputationis in eo cõſiſtit, an Deus in hoc ſeculo peccata puniat, & an hoc Dei iudicium nos affligendo euadere poſsimus: Vtrum verò ex indignatione id faciat an ex amore, impertinẽs eſt huic diſputationi. Duo autem eſſe iudicij diuini, imò & humani genera, vindictæ ſcilicet & caſtigationis & nos confitemur: ſed iudicium vindictæ tunc ſolum eſſe intelligendum, quando inimicos

2. Reg. 12.

Cap. 24.

Non agitur hic quo fine quoue affectu filios Deus caſtiget, ſed an eos tẽporaliter caſtiget poſt peccatum remiſſum.

Duo ſunt genera iudicij diuini, vindictæ & caſtigationis.

ſuos vlciſcitur, vt iram ſuam aduerſus illos exerceat, eos confundat, diſsipet, in nihilum redigat, reclamant ſcripturæ & eccleſiaſtici ſcriptores: qui intelligũt iudicium vindictæ, quando malum pœnale pro meritis peccanti infligitur. Quòd ſi fiat ſine relatione ad finem vlteriorem, propriè vindicta eſt, & retributio mali ad iuſtitiæ conſeruationem. Si autem referatur ad bonum, quod per punitionem peccantis expectatur, vtputa ad eius emendationem vel cohibitionem, aut aliorũ quietem, vindicta quidem eſt: ſed ex amore ad finem ſuperiorem relata. Nam Deus vindicat propitius, ſicut iratus: vt dicit B. Auguſt. lib. 2. de peccator. merit. citans prophetam Dauidem, Tu propitius eras illis & vindicans in omnes affectiones eorum. In filios quippe damnationis vindicat iratus, in filios autem gratiæ vindicat propitius: dum quem diligit, corripit: & flagellat omnem filium quem recipit: Ac inſinuans quid nomine vindictæ & caſtigationis intelligatur, Nulla, inquit, vindicta, nulla correptio, nullum Dei flagellum debetur niſi peccato. Falſum eſt igitur, quòd propriè Dei vindicta eſt, vbi punitio cum eius indignatione coniuncta eſt, Vindicat enim propitius, ſicut in Moyſen & Aaron vindicabat. Falſum etiam eſt, quod in iudicio caſtigationis non eſt ſupplicium propriè aut vindicta, ſed correctio aut admonitio. Eſt enim ſupplicium & vindicta ſecundũ B. Aug. quod peccato reſpondet: & plerunq; reipſa idem eſt iudicium caſtigationis & vindictæ ſola ratione & fine differens. Et iudex etiam facinoroſum corripere poteſt, vt cautiorem in poſterum reddat: & pater filium, vt vindicet in aliorum exemplum, nullá ſperans illius emendationem. Et ſicut verberatur ſeruus, quia peccauit, ita flagellari poteſt & filius. Soli enim peccato, vt diximus, hæc debentur, cum omnis pœna peccati alicuius ſit pœna. vt idem Aug. docet. 3. lib. de libe. arbit. Affectus tamen paternus, & affectus Domini diuerſos fines propriè reſpiciunt: quãuis dominus affectum paternum, & pater affectum dominantium induere poſsit. Verũ dominus Chriſtianis plerunq; quaſi patrem ſe ſeruis exhibet. Per hos tamen fines nõ mutantur rationes vindictæ, pœnæ & ſupplicij, ſed magis perficiuntur. Chryſ. autẽ reſpicit affectus & fines proprios patri & Domino. Nam ſeruus vt talis, eſt propter dominũ non ratione ſui, ſiue propter ſe: filij autem bonũ & ſalutem in eius gubernatione ſpectare pater debet. Sed & ſi hæc omnia, quæ aſſumit Caluinus ei concederentur, non probarẽt tamen, quòd Deus filios ſuos non puniat nec affligat propter peccatum, in quo huius diſputationis cardo verſatur. Falſum eſt igitur, quòd iudex ſceleratum puniẽs in ipſum delictum animaduertat, & de facinore ipſo pęnam expetat, ſi intelligatur hic eſſe vltimus finis punitionis: eò quòd pœnam ordinet in publicum bonum, vt exemplo alij terreantur: vt pater filium ſeuerius aliquando corrigit, non vt doceat, aut cautiorem in poſterum

Iudiciũ vindictæ eſt quo malũ pœnale pro meritis peccanti infligitur.

Cap. 19.

Pſal. 98.

Auguſtinus generaliter. ſuppliciũ & vindictam accipit pro eo quod peccato reſpondet.

rum reddat, ſed vt vindicet in ſalutem totius familiæ.

Caluinus.

Vt breuiter & expeditè rem totam teneamus, hæc ſtatuatur prima diſtinctio. Vbicunq; pœna eſt ad vltionem, ibi maledictio & ira Dei ſe exerit, quam ſemper à fidelibus continet: caſtigatio cõtra & Dei benedictio eſt, & amoris habet teſtimoniũ, vt docet ſcriptura, Hoc diſcrimen paſſim ſatis Dei verbo notatur.

Iob 5. Prouerb.3. Hebræ. 12.

Quicquid enim afflictionum in præſẽti vita ſuſtinẽt impij, nobis depingitur ceu quoddam inferorum atrium, vnde æternam ſuã damnationem eminus conſpiciunt. Tantumq; abeſt, vt inde emendentur, aut fructũ aliquem percipiant, vt potius talibus præludijs ad diriſsimam, quæ tandẽ eos manet confuſionem apparẽtur.

Pſalm. 117.

Caſtigans aũt caſtigat ſeruos ſuos Dominus, ſed morti non tradit eos. Quare eius ferula verberati bonum id ſibi fuiſſe fatentur ad verã eruditionẽ. Vt aũt ſanctos vbiq; legimus, tales pœnas placido animo ſuſcepiſſe, ita ſuperioris generis flagella ſemper vehementer ſunt deprecati. Caſtiga me Domine, inquit Hieremias, ſed in iudicio, nõ ira tua, ne fortè imminuas me.

Cap.10.

Effunde furorem tuum in gentes, quæ te non nouerunt, & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt. Dauid autem. Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me.

Pſa. 5. & 36

Reſponſio. Deus ſine ira neminem punit.

Diximus hic non agi quo fine pœna infligatur, ſed an aliquando à Deo pro peccato inferatur: & quamuis ſine ira Deus neminem puniat, non tamen ſemper maledictio eſt vbicunq; pœna eſt, vel afflictio ad vltionẽ aut ira Dei. Nam vlciſcitur peccata, & ad vltionem affligit, non ſolum animas impiorum, ſed & iuſtorum, ſecundum earum merita retribuens. In hoc enim ratio vltionis ſiue vindictæ conſiſtit. Et de Moyſe & Aaron ſcriptũ eſt, quod Deus propitius vlciſcebatur in omnes adinuentiones eorum, vt ſæpè iam diximus: & verè pœnitens aduerſum ſe vindicat iniuriam Dei. Et ipſum vltum eſſe in peccatum etiam Dauidis, docet clariſsimè B. Auguſtin. Pſalm. 50. circa verſiculum, Amplius laua me, &c. Vide, ait, quem inuoces: iuſtũ inuocas, odit peccata. Si iuſtus eſt vindicat in peccata: miſericordia eſt, quod ignoſcat peccanti, iuſtitia eſt, quod peccata puniat. Quid ergo quæris? miſericordiam? Impunitum maneré peccatum? reſpondeat Dauid, Non impunitum erit, ſed ideò nolo vt tu me punias: quia ego peccatum meum punio. Et circa verſiculum, Ecce enim veritatem dilexiſti, &c. Sic, inquit, miſericordiam prærogaſti vt ſeruares veritatem: ignoſcit confitenti, ſed ſeipſum punienti. Ita ſeruatur miſericordia & veritas: miſericordia, quia homo liberatur: veritas quia peccatum punitur.

Pſal. 98.

Deus etiam ſanctis ob peccata iraſcitur.

Aduerſatur etiam ſcripturis, quòd flagella iuſtorum nõ ſunt à Deo irato. In ſcripturis enim ſancti confitentur Dominum ſibi ob peccata iraſci, quando in ea animaduertit: quemadmodum apud Eſaiam. Confitebor tibi Domine quoniam iratus es mihi, & conuerſus eſt furor tuus, & conſolatus es me. Item Abac. Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Et Thob. Cum iratus fueris, miſericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis. Et Iob, Iratus eſt cõtra me furor eius, & ſic me habuit quaſi hoſtem ſuum.

Cap. 12. Abac.3. Cap. 3. Cap.19.

Scripturæ teſtantur Deũ ſanctis iraſci nullo habito reſpectu ad affectum ipſorum.

Inſuper multis in locis ſcripturæ ſancti Dominum quaſi iratum propter peccata ſua precantur. Nec poteſt habere locũ euaſio Caluini, quòd ſcilicet hæc ſanctorum oratio non ad Dei punientis affectum vel conſilium, ſed ad vehementem doloris ſenſum referatur, quo afficiuntur, qui vel qualemcunq; eius ſeueritatem ſuſtinent. Nam ipſæ ſcripturæ non habito reſpectu ad effectum ſanctorum, qui affliguntur, ſimpliciter pronunciant à Deo irato ſanctorum caſtigationes plerunq; proficiſci: vt Num. 11. iratus dicitur furor Domini ſuper populum ſuum. Et Hiere. 3. Reuertere auerſatrix Iſrael, ait Dominus, & non auertã faciem meam à vobis, & nõ iraſcatur in perpetuum. Ezech. quoque cap. 16. Et requieſcet indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à te, nec iraſcar amplius, eo quod non fueris recordata dierum adoleſcentiæ tuæ. Eſt enim iraſci velle vindicare: & affectus iraſcentis eſt affectus puniendi, quem Deus habet quamuis ad finem alium referat. Sancti autẽ ex acerbitate doloris, iræ Dei intelligũt magnitudinem. Cùm igitur ſecundum ſcripturas Deus animaduertat in iuſtorum peccata: ſicut Caluinus ipſe confitetur, neceſſariò ſequitur, quod eis iraſcatur. Seriò enim, non ridens, filios flagellat. Nec verum eſt impios non emendari, nec fructum percipere ex tribulationibus. Teſtantur namque ſcripturę, quòd Manaſſes & Nabuchodonoſor percuſsi à Domino & afflicti, pœnitentiam egerunt ſuper ſceleribus ſuis, & in gratiam Dei per afflictiones redierunt. Et Propheta Hieremias ad impiam Hieruſalem ait, Erudire Hieruſalem, ne fortè recedat anima mea à te, ne fortè ponã te deſertã terrã & inhabitabilẽ. Pleriſq; enim malis ſola vexatio dat intellectum. Et caſtigans Dominus ſeruos caſtigat, ſed morti eos non tradit. Ac Manaſſen & impios multos etiam caſtigat, nec ſolum eos morti non tradit, verùm per diſciplinam & calamitates à mortè eos eripit. Seruos etiam quoſdã & filios caſtigat, qui per impatientiam cadunt, quia manum non ſupponit, nec perſeuerantiæ habent donum: & ideò morti eos, tametſi filios, tradit. Obdurantur etiam plærunq; impij ex patris flagello propter quod debebant reſipiſcere. Quòd enim Dei patris afflictiones quibuſdam iuſtis & etiam impijs in ſalutem cedant, vel damnationem, partim à libero pendet arbitrio, à gratia tamen Dei magna ex parte. De quo beatus Auguſtinus libr. de prædeſtinatione & gratia. Comparans enim Pharaonem, qui ex calamitatibus eſt obduratus, & Nabuchodonoſor, qui ex ijs ad pœnitentiã venit fructuoſam: Flagellatus enim, vt ait, pœnituit, & regnũ quod perdiderat, accepit. Pharao autem ipſius flagellis eſt durior effectus & perijt. Hic mihi, inquit, rationem aliquis reddat

2. Paral. 4. Danie. 4. Cap. 6. Pſalm. 117. Cap. 14. & ſequentibus.

Nabuchodonoſor & Pharao ſunt ambo flagellis clementer à Deo admoniti.

cur

cur medicamentum vnius medici manu confectum, alij ad interitum, alij valuerit ad ſalutem: Quantum ad naturam, ambo homines erant: quantum ad dignitatem, ambo reges: quantum ad cauſam, ambo captiuum populum poſsidentes: quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit eſſe diuerſos, niſi quod vnus manum Dei ſentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra Dei miſericordiſsimã veritatem pugnauit arbitrio? Nam ſi piè de Deo, ſicut expedit, ſentiamus, etiam Pharaoni datam miſericordiam reperimus. Patientia enim Dei valere ei debuit ad ſalutem, qua iuſtum meritumq́ue differens ſupplicium, miraculorũ verbera crebra denſabat. Nunquid non potuit ſicut flagellis cędens expulit populum, ita miraculis credens Deum tantæ virtutis agnoſcere? Et ſi ſancti huiuſmodi pœnas placido ſemper animo ſuſciperent, & per eas emendarentur, non eſſet ſolicitus Apoſtolus Paulus filios monere, ne Domini diſciplinã negligant, ne fatigentur dum ab eo arguuntur. Ait enim, Quem diligit Dominus caſtigat: flagellat autem omnem filium quem recipit: in diſciplina perſeuerate. Omnis diſciplina in præſenti videtur nõ eſſe gaudij, ſed mœroris: propter quod remiſſas manus & ſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris, vt non claudicans quis erret, magis autem ſanetur. Sed nec ſanctis, nec impijs conſtare poteſt, quo affectu quemue ob finem à Deo percutiantur, imò nec an ob peccatum. Furorem autem atque iram de quibus Propheta Dauid, Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, longè aliter interpretatur beatus Auguſtinus, Ait enim interpretando hunc verſiculum Pſalmi 37. Domine ne in indignatione tua arguas me (ſic enim ipſe legit, vbi nos habemus, Domine ne in furore tuo.) Non ſim inter eos quibus dicturus es, Ite in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & angelis eius: neque in ira tua emendes me, vt in hac vita me purges, & talem me reddas cui iã emendatorio igne opus non ſit: propter illos, qui ſalui erunt, ſic tamen quaſi per ignẽ, qui grauior erit, quam quicquid poteſt homo pati in hac vita.

Hebr. 12. *Matth. 25.*

Caluinus.

Sit deinde hæc altera diſtinctio. Quòd dum flagellis Dei reprobi feriuntur, iam pœnas illius iudicio quodammodo pendere incipiunt. Et quanquã illis nòn impunè cedet, talibus iræ diuinæ documentis non auſcultaſſe, non tamen ideo plectuntur, quo ad meliorem mentem redeant, ſed tantum vt Deum magno ſuo malo iudicem & vltorem experiantur. Ferulis autem verberantur filij, non vt multã delictorum Deo perſoluant, ſed vt inde ad reſipiſcentiam proficiant. Proinde in futurum eas potius quàm in præteritũ tempus reſpicere intelligimus. Id Chryſoſtomi verbis quam meis malim exprimere. propter hoc, inquit, imponit nobis pœnam nõ de peccatis ſumens ſupplicium, ſed ad futura nos corrigens. Sic cùm Saul regno abiecit, puniebat ad vindictam: cum Dauidem paruulo filio orbauit, ad emendationem corripiebat. In hanc ſententiã accipiendum eſt quod ait Paulus, Dum iudicamur à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Hoc eſt dum nos filij Dei manu cæleſtis patris affligimur, non hæc pœna eſt qua confundamur, ſed caſtigatio duntaxat, qua erudiamur. Qua in re planè nobiſcum eſt Auguſt. Docet enim pœnas, quibus homines pariter caſtigantur à Deo, variè conſiderandas eſſe, quia ſanctis ſunt poſt peccatorum remiſsionem certamina & exercitationes: reprobis ſine remiſsione ſupplicia iniquitatis. Vbi pœnas Dauidi alijsq́ue pijs inflictas commemorat, & eò ſpectaſſe dicit, vt eorum pietas huiuſmodi humilitate exerceretur ac probaretur. Neque verò, quod dicit Eſaias, remiſſam eſſe populo Iudaico iniquitatem, quòd plenam accepiſſet caſtigationem de manu Domini, à pœnæ ſolutione pendere delictorum veniam arguit. Sed perinde eſt ac ſi diceret, Satis iam pœnarum exactum eſt, quarum ob grauitatẽ & multitudinem, quia iam diuturno luctu & mœrore confecti fuiſtis, tempus eſt vt accepto plenæ miſericordiæ nuncio animi veſtri in lætitiam diffundantur.

1. Corin. 11. *Lib. 2. de peccatorũ meri. & remiſ. ca. 33 & 34.* *Cap. 40.*

Quod ſuperius dixit de impijs in genere iã de reprobis dicit, quaſi ijdem ſint impij & reprobi, & omnes impij ſint à Domino reprobati, vt in æternũ pereant. Attamen quod de impijs diximus, ſentimus & de reprobis, qui flagellis Domini quandoq; reſipiſcũt, aguntq́ue pœnitentiam: Quia tamen in diſciplina Domini non perſeuerant, & ab ea tandẽ recedunt, in tenebras proijciuntur exteriores. Et ideò verum non eſt, quod non propterea plectuntur, quò ad meliorẽ mentem redeãt, ſed tantum vt Deũ magno ſuo malo iudicẽ & vltorem experiãtur. Imò ſicut dicit B. Aug. ita piè de Deo ſentire debemus, vt & Pharaoni miſericordia data ſit, qua ex flagellis poterat reſipiſcere. Et filios flagellando non ſolũ in futurum reſpicit, vt inde ad reſipiſcentiam proficiant, ſed & in præteritũ: ſicuti ſupra oſtendimus ex c. 16. 2. li. B. Aug. de peccatorum meritis & remiſ. Non enim pater filiũ flagellat omninò innocentẽ, ſed ob admiſſum peccatum tantũ: quamuis ad eius emendationẽ, ſimiliter & Deus filios flagellando in futurã reſpicit reſipiſcentiã: & in peccatũ præteritum, quod cauſam dedit caſtigationi: & ſimiliter impium caſtigãdo ſpectat vtrunq;. Abſurdiſsimum quidẽ eſt paradoxum, quòd impij non ideò à Deo plectãtur, quo ad meliorem mentem redeant, ſed tantũ vt Deum magno ſuo malo iudicẽ & vltorem experiãtur: quodq́; Deus inimicos ſuos vlciſcatur, vt irã aduerſus illos ſuã exerceat, confundat, diſsipet, in nihilũ redigat. Eo namq; fine affligere, tyranni eſt & odiẽtis: Deus autem diligit omnia quę ſunt, & nihil eorũ odit, quę fecit, & omnes vult ſaluos fieri, neminem perire, omneſq́; venire ad pœnitentiã: eaq́; voluntate & intentione omnes flagellat. Neminẽ

Reſponſio.

Piè credendum etiam Pharaoni datam eſſe miſericordiã qua flagellis potuit reſipiſcere.

Sap 11. 2 Pet. 3.

Deus in vlciſcendo ſalutem finem iuſtitiæ ſemper ſpectat.

igitur ne in futuro quidẽ ſeculo eo fine percutit, vt ei ſit malè, aut vt perdatur: ſed ad finem ſaltem ſpectat iuſtitiæ, vt ſecundũ merita fiat retributio. Deũ autem impios, imò & reprobos caſtigare, multaq; pręſtare beneficia, vt emendentur, palam teſtantur ſcripturę. *Matth.13.* Quoties, inquit Saluator, damnandis Iudæis & impię Hieruſalem, volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti. Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Et vocauit ad nuptias, *Lucæ 14.* de quibus ſe excuſantibus iurauit, quòd non eſſent cœnam eius guſtaturi. *Cap.6.* Atq; apud Hieremiam Dominus, Erudire Hieruſalem ne fortè recedat anima mea à te. Item in fine eiuſdem capitis oſtendit ad quem finem eos quantumuis impios affligebat, Defecit, inquit ſufflatorium, in igne cõſumptum eſt plumbum. Fruſtra conflauit cõflator. Malitiæ enim eorum nõ ſunt conſumptę. argentum reprobum vocauit eos, quia Dominus proiecit illos. Et cap.2. Fruſtra, inquit, percuſsi filios veſtros, diſciplinam non receperunt: Ego plantaui te vineam electam. Quomodo ergo conuerſa es mihi in prauum *Cap.5.* vinea aliena? Apud Eſaiam quoq; Dominus ait, quòd plantauit vineam electam, ædificauit turrim in medio eius. Expectauit vt faceret vuas, *Cap.2.* & fecit labruſcas: Expectauit vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iuſtitiã, & ecce clamor. Quod autem expectatur, hoc & intenditur. Et ca.9. Populus non eſt reuerſus ad percutientem ſe. Quales ſententiæ frequentes ſunt in ſcripturis, quibus ſignificatur, quòd impij & reprobi à Domino percutiuntur, vt peccata ſua relinquant, & ad Dominum reuertantur. *Sap.1. Ezech.18.* Oportet enim de Domino ſentire in bonitate, qui apud prophetam teſtatur ſe nolle mortem peccatoris, ſed vt *Luca. 14.* conuertatur & viuat. Tractans enim B. Augu. quæſt.68. in lib.83. quæſtionum, de vocatis ad cœnam, & de obduratione Pharaonis, dicit vocatum fuiſſe & Pharaonem: & addit, Hæc vocatio, quæ ſiue in ſingulis, ſiue in populis, atque in ipſo genere humano per temporũ oportunitates operetur, altæ & profundæ ordinationis eſt: Idem ferè de prædeſtinat. ſanctorum cap.9. Quare piè credendum eſt, quòd & impijs ſingulis aliquando media ad *Matth. 11.* conuerſionem offerat. Euangelia quoque docent Dominum apud Corozaim & Bethzaidam frequenter docuiſſe, & feciſſe virtutes multas, vt agerent pœnitentiam: de quibus conqueritur, quod pœnitentiam non egerint. Ait enim, Et tu Capharnaum nunquid vſque in cælum exaltaberis? Vſque in infernum deſcendes. Ea igitur nunc in hac peregrinatione in filios hominum iuſtos & iniuſtos piè credenda eſt eſſe Dei miſericordia, vt vtroſque in eorum ſalutem percutiat atq; caſtiget: quod apertè ſentit B. Auguſtinus, cum ait, Quicquid permiſerit Deus pati, ſcias flagellum eſſe correctionis. Quod docet & B. Chryſoſtomus per Caluinum citatus. Ait enim, Propter hoc imponit nobis pœnã, non de peccatis ſumens ſupplicium, ſed ad futura nos corrigens.

Tam iuſtos quàm iniuſtos Deus in vtrorũque ſalutẽ in hac vita percutit.

In ſer. de pœnit. & cõfeſ.

Et B. Auguſtin'. Quod pateris vnde plangis, medicina eſt tibi, non pœna: caſtigatio, non damnatio. Noli repellere flagellum, ſi non vis repelli ab hæreditate, &c. Tota iſta miſeria generis humani noueritis fratres, quia dolor medicinalis eſt, non ſententia pœnalis. Hi promiſcuè & generaliter loquuntur ſine diſcrimine piorum & impiorum. Et quod dicit beatus Chryſoſtomus, Nõ de peccatis ſumens ſupplicium, ſed ad futurum nos corrigens, finalem & vltimum Dei caſtigantis ſpectat finem. Atque Auguſtinus dicens, Medicina eſt, non pœna, finem etiam vltimum reſpicit afflictionis: ac pœnam quæ medicina eſt diſcernit, ab ea, quæ ſolum pœna eſt, & pro peccato retributio: Qualis eſt pœna futuri ſeculi in animabus fortaſsis purgatorij: & potiſsimum in damnatis, qui principaliter affliguntur in vindictam, vt ſecundum ſua merita recipiant, & ordo ſeruetur iuſtitiæ: Animæ verò purgatorij affliguntur vt purgentur etiam à peccatis. Propterea B. Auguſt. circa 19. octonarium Pſalm.118. Miſericordia hîc, inquit, iudicium in futuro. Ac in præfatione Pſalm. 9. Occultum Dei iudicium eſt, quo nunc vnuſquiſque hominum, aut exercetur ad purgationem, aut admonetur ad conuerſionem. Cùm igitur Ioannes Caluinus multa hic improbabilia ac abſurda quaſi oracula, ſine ſcripturarum aliquo teſtimonio proponat: mirum eſt, quomodo ſibi perſuadere poſsit, quod contemptis ſcripturarum & patrum teſtimonijs aliquis ſit ei crediturus, quum ipſe nec patribus, nec Concilijs generalibus credere dignetur, quin potius audeat pronũciare patres ferè omnes quotquot de ſatisfactione ſcripſerũt lapſos eſſe, maximè quãdo tam abſurda proponat paradoxa. Ex his quæ diximus manifeſtum eſt Caluinum non habere nouæ minusq; vſitatæ, imò abſurdæ locutionis ſuæ authores B. Aug. & B. Chryſ. ſed aduerſarios: contra quorũ interpretationẽ, quam ſupra poſuimus, etiã interpretatur, ꝙ ait B. Paul. Apoſt. Cũ iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Nec ei aſtipulatur B. Auguſt. qui in capitulis ex 2. lib. de peccatorum merit. & remiſ. citatis, nihil loquitur de affligendo, ſed oſtendit cauſam propter quam Deus remiſſo peccato originali, non tollat ſimul mortem, reliquasq; calamitates, quas propter peccatum contraximus. Et quamuis inferat etiam pœnas vt humilitate & patientia exerceamur & probemur, atq; ita ex amore noſtræ ſalutis: eas tamen infert ob peccatum. Quumq; hic ſolum agatur, an affligamur aliquando propter peccata, & an poſsimus afflictiones auertere: extra propoſitum eſt tota Caluini diſputatio. Nemo enim doctorum ſcholaſticorum docuit Dauidem afflictum fuiſſe in maledictionem, vt perderetur, atque in nihilum redigeretur: imò nec Pharaonem ſic fuiſſe afflictum: ob peccatum tamen vtrunque punitum docent. Corrumpit præterea Caluinus ſua interpretatiõe locum, quem ex Eſaia ad-

Neq; Dauid neq; Pharao puniti ſunt in maledictionẽ vt perderẽtur. ob peccatum tamẽ puniti ſunt.

ducit.

ducit. Conatur etiam ſubuertere doctrinam Catholicam de ſatisfactione argumẽtis quibuſdam ſophiſticis: quæ nunc oſtendemus nihil habere momẽti, vt vel in ſuſpicionem falſitatis propterea venire debeat communis doctrina eccleſię: Ait enim:

Caluinus.

Tertium locum ſatisfactioni in pœnitentia aſſignant de qua quicquid blaterant, vno verbo ſubuerti poteſt. Dicunt non ſufficere pœnitenti à præteritis malis abſtinere, & mores in melius commutare, niſi de ijs quæ facta ſunt ſatisfaciat Domino: eſſe autem multa præſidia quibus peccata redimamus, lachrymas, ieiunia oblationes, charitatis officia. Iis Dominum propitiandum, ijs debita iuſtitiæ Dei perſoluenda, ijs compenſanda delicta, ijs veniam emerendam Et quanquam Dominus largitate miſericordiæ culpam remiſerit, pœnam tamen retinere diſciplina iuſtitiæ: hanc eſſe pœnam quæ ſatisfactionibus redimenda ſit In hanc tamen ſummam recidunt omnia: Nos quidem à Dei clementia delictorum veniã impetrare, ſed intercedẽte merito operũ, quibus peccatorũ noxa cõpenſetur, quo debita iuſtitiæ Dei ſatisfactio perſoluatur.

Reſponſio.

Ad ſatisfactionẽ nõ ſufficit vitã in melius commutare.

Magnis hæc dicimus & docemus authoribus, qui & ipſi hęc didicerunt in ſchola eccleſiæ Catholicæ. Docet enim B. Aug. Homil. 50. quam iam ſæpe citauimus, circa finem, Non ſufficit, inquit, mores in melius commutare & à factis malis recedere, niſi etiam de his quæ facta ſunt ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis. Et in Enchyrid. cap. 70. In melius inquit, eſt vita mutanda, & per eleemoſynas de peccatis pręteritis eſt propitiandus Deus: qui miſerando delet iam facta peccata, ſi non ſatisfactio congrua negligatur. Multa quoq; eſſe ſubſidia, quibus peccata noſtra redimamus, docet Beatus Ambr. in libro de Helia & ieiunio. Idem ſermone 30. & 31. Habemus, inquit, plura ſubſidia quibus peccata noſtra redimamus. Pecuniam habes, redime peccatum tuum: Vilis quidem pecunia, ſed precioſa eſt miſericordia: Eleemoſyna à peccato liberat, Et in euangelio, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Cùm igitur in eccleſia catholica à magiſtris tam magnis iſtud didicerimus, nos conſtanter ac liberè id ipſum docemus, ac poſt b. Bernardum & nos dicimus, Ab his duabus columnis, Auguſtinum loquor & Ambroſium, crede mihi, difficile auellor: cũ his, inquit ipſe, me aut errare aut ſapere fateor: credentes & nos multa eſſe præſidia, quibus peccata redimam^9: lachrymas, ieiunia, oblationes, charitatis officia: his Dominum propitiandum, his debita iuſtitiæ Dei perſoluenda, compenſanda delicta, veniam emerendam. Et quod quanquam Dominus largitate miſericordiæ culpam remiſerit, pœnam tamen retinet diſciplina iuſtitiæ. Flagellat enim omnem filium quem recipit: credentes & debita pro quibus remittendis ex inſtituto Domini quotidie precamur compenſari poſſe & redimi lachrymis, eleemoſynis & ieiunijs. Agnoſcimus quidem doctrinæ de noſtra ſatisfactione ſummam eſſe nos à Dei clementia delictorum veniam impetrare quoad culpam & offenſam: intercedente tamen merito operum quibus peccatorum noxa compenſetur, quoad flagelli & pœnæ temporalis reatũ remiſſa culpa remanẽtẽ, quo debita ſatisfactio iuſtitiæ Dei perſoluatur. Hæc omnia abũdè ſuperius ſũt probata & explicata.

Cap. 20.

Thob. 4.

Luc. 16.

Epiſtola 76. ad Hugonẽ de ſ. Victore.

Hebr. 12.

Caluinus.

Talibus mendacijs oppono gratuitã peccatorũ remiſſionem, quia nihil in ſcriptura clarius prædicatur. Primùm, quid eſt remiſſio niſi meræ liberalitatis donum? Non enim remittere dicitur creditor, qui ant apocha teſtatur ſibi numeratam pecuniam: ſed qui nulla ſolutione vltrò ſua beneficentia nomẽ expũgit. Cur deinde Gratis additur, niſi ad tollendã omnẽ ſatisfactionis opinionem? Qua igitur cõfidẽtia ſuas ſatisfactiones adhuc erigunt: quæ tam validò fulmine proſternuntur. Quid autem? Cum Dominus per Eſaiam clamat, Ego ſum, ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me: & peccatorũ tuorum non ero memor. An non apertè denunciat cauſam & fundamentum remittendi à ſola ſua bonitate ſe petere? Præterea cum ſcriptura vniuerſa teſtimonium Chriſto deferat, quòd per nomen eius ſit accipienda peccatorum remiſſio, nonne alia omnia nomina excludit? quomodo igitur per ſatisfactionum nomen accipi docent? Neque per ſatisfactionum nomen accipi negent, ſed per Chriſti nomẽ, etiamſi intercedant ſatisfactiones. Nam quòd ſcriptura ait per nomen Chriſti, intelligit nihil nos adferre, nihil noſtrum prætendere, ſed ſola Chriſti commendatione niti, quẽadmodum Paulus ait, Quòd Deus erat mundum ſibi in Chriſto reconcilians, nõ imputans propter ipſum hominibus delicta.

Eſaiæ 43.

Act. 10.

2. Cor. 5.

Reſponſio.

Ex epiſtola Aurelij carthaginenſis epiſcopi quæ eſt 72. inter epiſto. Leonis Papæ.

2. Timo. 2.

Act. 1.

Gratuitam eſſe peccatorum remiſsionem omnes confitemur. Nouimus enim aduerſ^9 Pelagium definitum eſſe ſecundum gratiam & miſericordiam Dei veniam petentibus dari, non ſecundum meritum eorum. Quandoquidem, inquiunt patres, ipſam pœnitẽtiam donum Dei dixit Apoſtolus, vbi ait de quibuſdam, Ne fortè det illis Deus pœnitentiam: Et ſanctus Petrus dixit quod huic Chriſto omnes prophetæ teſtimoniũ perhibent remiſsionem peccatorum accipere per nomen eius oẽs qui credunt in eum. Sed per hãc gratuitã peccatorũ remiſsionẽ ſtabilitur magis quã ſubuertitur ſatisfactio pœnæ tẽporalis, cuius reatus plerumq; manet, vt dicit art. culpa remiſſa. Tam copioſa enim eſt gratia quã nobis impartitur, & tam abundè in nobis ſpiritũ ſuum effundit Deus, vt diuites nos faciat, vtq; noſtro theſauro ipſi ſatis facere poſsimus: ſicut dictũ eſt circa primam in hoc art. difficultatem. Et ideo ſicut Pelagianum eſt quod ex noſtris operibus poſſumus iuſtificari, reconciliari, in Dei gratiã reuerti, vel à culpa aut pęna æterna abſolui, ita erroneũ eſt, ꝙ culpa mortali remiſſa nullius ſupplicij remaneat reatus, vel illum tolli nõ

Quòd ex noſtris operibus iuſtificari & in Dei gratiã reuerti poſſumus Pelagianum eſt.

 poſſe

poſſe ſpontanea afflictionum tolerantia, vel operibus pœnalibus quæ ex Chriſti ſpiritu proficiſcuntur. Firma itaq; fide credendum eſt gratuitã eſſe peccatorum remiſsionẽ quo ad culpam mortalem & venialẽ, & etiã pœnam æternam, imò & temporalem. Nihil enim horũ ſine Dei gratia & ſpiritu inhabitãte & mouente ex noſtris operibꝰ fieri poteſt. Dicimus nihilominus q̃ ſatisfacere poſsimꝰ pro pœna remiſſo peccato adhuc debita, atque hoc eſſe firma fide tenendum: quodq; probabilis eſt multorum catholicorum opinio, quòd pro culpa mortali & pœna æterna per eundem ſpiritum inhabitantem ſatisfacere poſſumus. Quod magis videretur & apparentius eſſet ſi infuſa gratia, poſterius tempore æternum ſupplicium & culpa remitterentur: ſicut ſentit Hugo de ſancto Victore, quemadmodum ſecundum B. Thomam poſterius natura & ſimul tẽpore eius fit remiſſio. Sed de eo nolumus hic contendere, cùm ſit inter quæſtiones de quibus vtrinq; diſputare licet, ac ſalua fide vtramlibet partem opinari, atque etiam defendere: ſicut facit Richardus diſtinct. 17. 3. ſent. art. 4. q. 7. Nam pendent ab alijs quæſtionibus dubijs & obſcuris: videlicet, Vtrum ante gratiæ infuſionem oporteat expulſum eſſe peccatum, ſicut frigus ab aqua ante caloris introductionem: An gratia potius prior ſit peccatorum remiſsione, cum eam faciat. Nam cum naſcimur filij Dei, & adoptamur ad vitam æternã, neceſſariò ceſſat prius inimicitia, culpa & offenſa Dei, eò quod non poſsit æterni ſupplicij eſſe reus, qui iam filius eſt, atq; ideo dignus qui in domo patris ęternam ſuſcipiat hęreditatem. Quare videtur quod locum habere non poſsit ſatisfactio pro culpa mortali & pœna æterna: ſicut nec meritum reſpectu gratiæ reconciliationis, nouitatis cordis & ſpiritus inhabitantis: propter quæ eſt dubia quæſtio de ſatisfactione quoad culpam & pœnam æternam.

Lib. 2. de ſacramẽtis parte 24. cap. 8.

Sed hæc ſatisfactio ad articulum non pertinet: & Caluinus non ſolum nititur hanc ſubuertere, ſed & eam quæ eſt pœnæ temporalis. Neutri autem vt diximus, aduerſatur gratuita peccatorum remiſsio: quin potius magis gratuita eſt, ſi & ipſi ſatisfacere poſsimus. Maior enim gratia, maius beneficium confertur, & maior eſt Chriſto & nobis gloria, ſi diuites nos faciat, vt ipſi ex noſtro ſatisfaciamus pro culpa etiam mortali. Abundè enim confert dona ſalutis quorum ſumus capaces: quemadmodum diximus maiorem eſſe gratiam, quod reddat potentes miracula facere, quàm ſi ipſe ea faciat ad noſtram ſupplicationem. Eſt autem remiſsio gratuita, quia ex gratia fit alterius: quod dupliciter fieri & intelligi poteſt. Primò ex alterius gratia externa, hoc eſt, fauore & bona voluntate: quomodo ex Dei gratia illuminamur & vocamur ad pœnitentiam. Secundò ex acceſſu gratiæ internę, qua vtentes Deo cooperamur ad opera ſalutis vel effectus ſalutares, quomodo gratuita eſt remiſsio & ſatisfactio pro pęna tẽporali remanẽte. Et quia hic maior gratia eſt, q̃ ſi ex ſola Dei volũtate bona illius fieret condonatio, magis gratuitã nos docemus peccatorũ hac parte remiſſionẽ, quàm aduerſarij: Similiter ſi hoc modo fieri poſsit mortalis culpæ & pœnæ æternæ remiſsio, magis eſſet gratuita. Nec aduerſari poteſt ſatisfactio, quę eſt ex gratia gratuitæ remiſsioni, cũ gratuitas ſolũ aduerſetur operibus liberi arbitrij, & non operibus gratiæ: quæ non diſtinguit Apoſt. Paulus contra gratiã in epiſtola ad Roma. & ad Galat. quin potius in ea complectitur opera illa tanquã eius fructus, ſed opera naturę ſiue liberi arbitrij tantum. Atq; hoc modo B. Aug. docet vitam ęternam eſſe gratiam, nihilominus tñ ex meritis, quę ſũt gratia & gratis data. Scriptura etiam manifeſtè teſtatur quod remiſsio peccatorum eſt gratia, quæ tamen ſolis ex fide pœnitentibus donatur. Nam pœnitentiã ſcriptura præponit peccatorum remiſsioni. Hunc principem & ſaluatorẽ Deus exaltauit dextera ſua, ait B. Petrus, ad dandam pœnitẽtiam Iſrael & remiſsionem peccatorũ. Chriſtus quoque Lucæ 24. Oportebat, inquit, prędicari in nomine eius pęnitẽtiam & remiſsionem peccatorum. Et Sapiens dicit Deum diſsimulare peccata hominum propter pœnitentiam. De pœnitentia ergo iſta ſiue contritione, quæ eſt ſingulare Dei donũ propter quod gratuita eſt peccatorum remiſsio, inquiritur quomodo ſe habeat ad peccatorum remiſsionem: An ſicut diſpoſitio ad eam præparans: quomodo ſolum ſe habere poteſt ad gratiæ, iuſtitiæ, fidei, & ſpiritus ſancti infuſionem: de his enim conſtat quòd ſub meritum cadere non poſsint, cum omnis meriti ſint principium & radix: Aut an ad illam ſe habeat meritoriè, an etiam efficienter: quemadmodum ſe habet ad culpę venialis & pœnæ reſiduæ remiſsionem. Hæc dubia ſunt vt diximus, quæ contingunt circa dogma fidei gratuita peccatorum remiſsione. Eſt itaque peccatorum remiſsio merę liberalitatis donum, ſed intercedente humano opere quod Chriſtus per ſuum ſpiritum in nobis & per nos operatur, ſine quo inanis eſſet omnis noſter conatus: Et magna eſt gloria ipſius quod cooperarios nos habere dignetur in hoc noſtræ ſalutis opere. Sed hæc ſatisfactio ad articulum non pertinet, & ſalua fide vtrã libet partem, vt diximus, ſequi licet. Satiſfactionem autem quoad pœnam remanentem fieri poſſe, dogma eſt fidei, quod certa fide amplecti oportet, quam tamen Ioan. Caluinus ſuis argumentis ſubuertere, licet fruſtra, conatur, per gratuitam peccatorum remiſsionem. Remittere quidem dicitur creditor qui antapocha teſtatur ſibi numeratam pecuniam, ſi ipſe ſibi per famulum pro debitore & eius honore numerari curet. Sic Chriſtus hic patri ſoluit & ſibi, numerante debitore, hoc eſt pœnitente, precium, quaſi per manus eius. Illa enim per quæ fit ſatiſfactio, ſiue pro culpa ſiue pro pœna, Chriſti ſunt, & ex eius gratia ac ſpiritu procedunt.

Dupliciter fit & intelligitur gratuita peccatorũ remiſsio.

Cap. 48. de natura & libero arbit.

Act. 5.

Cap. 11.

Peccatorũ remiſsio eſt meræ liberalitatis donũ, ſed intercedente opere humano.

Nec

Nec gratis peccatum remitti dicitur ad tollendam omnem ſatisfactionis opinionem: ſed illius ſolum quæ fit per hominis opera, quæ contra gratiam diſtinguuntur: vt diximus B. Paulum loqui. Nam quando gratia remiſsionis datur pro gratia operum, non tollitur ratio ſatisfactionis, hoc eſt perſolutionis æquiualentis. Et certum eſt quod peccatorum remiſsio fiat à patre propter ſatisfactionem crucis & victimæ filij dicente Apoſt. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiationē per fidem in ſanguine eius. Et B. Petro, Redempti eſtis precioſo ſanguine quaſi agni immaculati. Gratia itaque præcipua remiſsionis peccatorum in eo potiſsimum conſiſtit quod pater filium ſuum pro nobis hominem fieri voluit, & filius ſeipſum in victimam patri obtulit pro peccatis noſtris, pro quibus ab æterno per bonam ſuam voluntatem eam acceptauit. Quæ autem ſequuntur, remiſsio videlicet peccatorum, inhabitatio ſpiritus ſancti & ſimilia, filio debentur ex iuſtitia: nobis aũt propter ipſum. Nec erigimus noſtras ſatisfactiones, ſed eas quas gratia Chriſti in nobis operatur, certiſsimè confidentes & gloriantes nos in Chriſto diuites eſſe, omniaq; in eo poſſe quę nullo fulmine proſterni poſſunt: Ipſe eſt qui delet iniquitates noſtras propter ſe, ſed non ſine nobis. Quapropter Apoſto. Paulus nobis tribuit cordis emũdationem. Si quis, inquit, emũdauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, Et B. Iacobus. Emundate, ait, manus peccatores, & purificate corda. Propheta quoque Ezechiel. Facite, inquit, vobis cor nouum & ſpiritum nouum. Delet itaq; noſtras iniquitates, ſed noſtra vtens opera, idque præcipuè tollendo pœnam culpa remiſſa manentem & ſemper fundamentum & cauſa remittendi à ſola ſua bonitate petitur, vnde pendet gratia ſine qua nulla cōtingit ſatisfactio. Et quia Chriſtus eſt qui in nobis ſatisfacit, nihil obſtat ſatisfactioni noſtræ quod per nomen eius ſit accipienda peccatorum remiſsio. Et ideo recta eſt reſponſio, quæ dicit quod per Chriſti nomen fit remiſsio peccatorum, etiam ſi intercedant ſatisfactiones. Nec eam efficaciter impugnat Caluinus per hoc quòd dicit ſcripturam intelligere per Chriſti nomen, nihil nos adferre, nihil noſtrum prętēdere, ſed ſola Chriſti commendatione niti, quemadmodum B. Paulus ait, quòd Deus erat mundum ſibi in Chriſto reconcilians, non imputans propter ipſum hominibus delicta. Nam in primis falſum eſt quòd nos nihil adferre debeamus, cùm oporteat nos adferre fidem & pœnitentiam, nihil tamen noſtrum prætendimus quaſi ex nobis: noſtrum tamen, ex Chriſti donó & gratia conceſſum. Atque ita ſola Chriſti commendatione nitimur. Deus mundum ſibi in Chriſto reconciliauit nullo intercedente hominis merito nec tunc quidō quando reconciliamur. Diximus enim differentiam eſſe inter reconciliationem & peccatorum remiſsionem. Nam reconciliatio eſt amicitiæ reſtitutio & in priſtinam gratiã receptio: & propter ipſum non imputat hominibus delicta, tametſi pro delictis ipſi per gratiam eius ſatisfaciant.

Rom. 3. | 1. Pet. 1. | Eſaiæ 43. | 2. Timot. 2. | Cap. 4. | Cap. 18. | 2. Corint. 5.

Ad peccatorum remiſsionem adferre debemus fidem & pœnitentiam.

Caluinus. *Verum quæ ſint peruerſitate, & peccatorum remiſsionem & reconciliationem fieri ſemel dicūt, quum in gratiam Dei per Chriſtum in baptiſmo recipimur: poſt baptiſmum reſurgendum eſſe per ſatisfactiones. Sanguinem Chriſti non prodeſſe niſi quatenus per claues eccleſiæ diſpenſatur. Nec de re dubia loquor, quum ſuam impuritatem clariſsimis ſcriptis prodiderint: nec vnus aut alter, ſed vniuerſi ſcholaſtici. Nam ipſorum magiſter poſtquã Chriſtum in ligno pœnam peccatorum ſoluiſſe iuxta Petri doctrinam confeſſus eſt, ſubiuncta ilico exceptione ſententiam illam corrigit. Quod in baptiſmo omnes peccatorum pœnæ temporales relaxantur, ſed poſt baptiſmum pœnitentiæ beneficio minorantur, vt ita ſimul cooperetur crux Chriſti & noſtra pœnitentia. Sed longe aliter Iohannes, Si quis peccauerit, ait, habemus aduocatum apud patrem, Ieſum Chriſtum: & ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris. Scribo vobis filioli, quia remittuntur vobis peccata propter nomen eius. Certè ſi delibus loquitur, quibuſdam Chriſtum proponit peccatorum propitiationem, non aliam eſſe ſatiſfactionem oſtendit, qua offenſus Deus propitiari placarive poſsit. Nō dicit, Semel vobis per Chriſtũ reconciliatus eſt Deus, nunc vobis alias reconciliandi rationes quærite: ſed perpetuum facit aduocatum qui ſua interceſsione in patris gratiã nos ſemper reſtituat: perpetuã propiciationē qua peccata expietur. Eſt enim illud perpetuò verũ, quod alter Ioan. dicebat, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Tollit inquam ipſe, non alius: hoc eſt quando ipſe ſolus eſt agnus Dei, ſolus quoq; oblatio eſt pro peccatis, ſolus expiatio, ſolus ſatiſfactio.*

Lib. 3 ſenten diſtinct. 19. | 1. Ioan. 2. | Ioan. 1.

Reſponſio. Non poteſt non eſſe peruerſus qui eccleſiæ catholicæ vnicæ ſponſæ Chriſti aſſcribit peruerſitatem, in cuius ſchola nos inſtituti docemus neminem patri reconciliari, neminem in gratiam eius redire, aut transferri de poteſtate tenebrarum in regnum lucis & filij dilectionis eius, niſi per nomen Chriſti & victimam crucis, nec peccatorum remiſſionem contingere poſſe, ne venialium quidem nec pęnę etiam temporalis, niſi per hoc nomen & mortem Chriſti. Docemus nihilominus quòd per eius gratiam Deo reconciliati & nos ſatisfacere poſſumus pro pœna cuius reatus manet, eandem patienter ſuſtinendo, & compenſando æquiualens ſecundum iuſtam Dei æſtimationem. Docemus etiam probabilem eſſe ſententiam B. Thomæ, quòd pro culpa mortali & ęterna pœna noſtra contritione poſſumus ſatisfacere, & magis magnificari gloriam ſatisfactionis Chriſti per hanc opinionem quàm obſcurari. Alia namque eſt ratio remiſsionis, alia reconciliationis: quæ ſemper confundit Caluinus. Ideo Apoſt. Paulus eas diſtinguit, dũ ait, quòd Deus erat mundum ſibi in Chriſto recon-

2. Cor. 5.

reconcilians, non imputans propter ipſum hominibus delicta, eo ipſo ſcilicet quo mundum in Chriſto reconciliabat. Nam reconciliatio, tranſlatio de poteſtate tenebrarum, iuſtitia & pax cum Deo, ſolius Chriſti merito & ſatisfactione nobis, vt diximus, proueniunt, quamuis non ſine noſtra cooperatione. De quo nulla vnquam dubitatio vel quæſtio fuit apud catholicos: ſicut nec remiſſione pœnæ temporalis per noſtram ſatisfactionem. De remiſſione verò culpę mortalis & pœnę æternæ varij variè ſunt opinati quomodo fiat, nihil dubitantes quin fiat per gratiam, ſiue in gratiam Chriſti. Nam Cardinalis Caietanus circa finem ſecundæ quæſtionis de indulgentijs, docet quod in ſacramentis, & pari ratione in contritione tollatur pœna damni & ſenſus æterna, potius per viam concomitantiæ, quàm per viam ſatisfactionis. Reconciliando quippe hoſtem in Dei filium adoptiuum, ſequitur, quòd nō ſit puniendus pœna hoſtili, qualis eſt pœna æterna. Soli enim hoſtes exterminatrice pœna digni ſunt. Filij verò caſtigandi & purgandi ſua natura relinquuntur. Et Petrus de Palude art. primo q.4. diſtinct.20. quarti, opinatur in ſacramentis fieri remiſſionem pœnæ æternæ, non per modum ſolutionis ex Chriſti paſſione, ſed gratuitæ condonationis ex bona patris voluntate in gratiam filij ſui. Et arbitratur hoc B. Ambroſ. ſenſiſſe, quādo dicit in comment. epiſtolę ad Rom. quod in baptiſmo gratia Chriſti omnia gratis cōdonat. Vbi autem eſt plena ſolutio, non eſt gratuita condonatio vel remiſſio. Multò tamen eſt probabilior ſententia B. Thomæ, quod remiſſio pœnæ æternæ fiat per Chriſti ſatisfactionem, in ſacramentis Eccleſiæ nobis applicatam: prout docet Ioan. Capreolus diſtinct.19. in ſolutione argumentorum Durandi. Ex quo ſtatim naſcitur difficultas, quomodo probabile ſit, quòd noſtra contritione fieri poteſt pro pœna æterna & culpa ſatisfactio, ſi illa fiat per Chriſti mortem nobis in ſatisfactionem applicatam.

Quodlib. 2.

Cap.11. Circa locum, Sine pœnitētia ſunt dona Dei.

Cui reſpondetur, quòd pro omnium vniuerſis peccatis & pœnis Chriſtus ſatisfecit ſufficienter, ſed pro multis tantum & non vniuerſis efficaciter: ſicuti ſupra diximus de pœna temporali. Nam pro culpa mortali & pęna æterna efficaciter ſatisfecit pro his qui virtute ſacramenti baptiſmi vel pœnitentiæ duntaxat iuſtificātur, quibus videlicet nō eſt diſplicentia ſuper peccato ex amore Dei ſuper omnia dilecti, pro quibus ſolus Chriſtus ſua paſſione ſatisfacit. Non pœnitentibus autem nihil prodeſt. Et verè cōtritis ſufficiens eſt ad peccati & pœnæ æternæ remiſſionem: Sed an in eis efficax ſit mors Chriſti & ad eam applicetur eſt difficultas. Vtrumque probabile eſt: Primò quòd non efficaciter paſſionis ſuæ ſatisfactio eis applicetur in ſolutionem pro culpa & pœna, ſed tantum gratia contritionis, per quam ſatisfacit Chriſtus quaſi caput in membro, & mēbrum ipſum ex capitis influxu. Poteſt etiam dici, quòd efficax in iſtis eſt mors Chriſti, & applicatur in ſatisfactionem. Nec inconueniens eſt quod patri ſatisfiat à Chriſto filio, & ab homine pœnitente: ſicut proprio merito & etiam Chriſto obtinemus vitā ęternā vt ſic abundet ſatisfactio contriti cordis ad vindictam peccati in Dei & ſuam gloriam. Nec tamen ideo ſatisfacit Chriſtus, quia ſatisfacit homo, nec econtra: ſed per ſacramentum ſatisfactio Chriſti applicatur, concurrēte ſimul noſtra ſatisfactione, quæ non eſt ſuperuacanea, cùm ſit iuſta peccati vindicta, & mereatur vitam ęternam. Simili modo Chriſtus ſatisfacere potuit effuſione vnius guttæ ſanguinis, qui tamen vt copioſa eſſet redemptio pro peccatis noſtris, mori voluit, totumq; effundere ſanguinem: de quo beatus Thom. quod libet.2. art 2. Et Chriſto debita erat corporis immortalitas, quia filius Dei erat, & ſecundum animam beatus: ſimiliter & nominis exaltatio. Vtramque tamen meruit humilitate ſuæ paſſionis. Falſum eſt igitur quòd doceamus peccatorum remiſſionem & reconciliationem ſemel tantum fieri, cùm in gratiam Dei per Chriſtum in baptiſmo recipimur. Nam in baptiſmo & poſt baptiſmum per Chriſtum eam contingere docemus, ſine quo nemini cōtingere poteſt, nec pœnæ quidem temporalis remiſſio vel ſatisfactio. Falſum etiam nobis imponit Caluinus, dicens nos docere poſt baptiſmū reſurgendū eſſe per ſatisfactiones. Oſtendimus enim nos à peccatis reſurgere non noſtra ſatisfactione, nec noſtro merito, ſed Chriſti ſolius: cùm reſurgere ſit ſtatui priori & gratiæ patris reſtitui, hoc eſt reconciliari: ad quod diximus nos noſtra ſatisfactione nō poſſe peruenire, multumque diſcrimen eſſe inter reconciliationem & peccatorum remiſſionem. Nec etiam docemus, vt nobis obijcit, ſanguinem Chriſti nihil prodeſſe, niſi quatenus per claues eccleſiæ diſpenſatur, quum doceamus ſanguinem Chriſti in omnibus ſacramentis eſſe efficacem, ſic tamen vt ſolū ſacramentum pœnitentiæ proprie per claues diſpenſetur. Et arguens magiſtrū ſententiarum in eo quod docet diſcrimē remiſſionis pœnæ fieri in baptiſmo & ſacramento pœnitentiæ, arguit vniuerſos patres Auguſtinum in Enchiridio, & Homil.50. Cyprianum & alios, quorum ſententias ſuperius citauimus: imò & totam eccleſiam catholicam quæ conſtanter hoc docuit ſemper, & in generalibus Concilijs definiuit. Propter quod Ioannes Damaſcenus poſt ſuos maiores nominat pœnitentiam eſſe baptiſma laborioſum. Omnes enim concorditer docent vniuerſas peccatorum pœnas temporales in baptiſmo relaxari, & poſt baptiſmum pœnitētiæ beneficio minorari, vt ita ſimul cooperetur crux Chriſti & noſtra pœnitentia. Nec aliud docet B. Ioannes cum ait nos habere aduocatum apud patrem, Ieſum Chriſtum & ipſum eſſe propitiationem pro peccatis noſtris: quia pater per Chriſtum propitius adhuc vindicat peccata filiorum, qui & poſt propitia-

Peccatorum remiſſio non ſemel tantū contingit.

Multum diſcriminis eſt inter reconciliationē & peccatorum remiſſionē.

Lib.4. cap.9

1. Ioan.2.

propitiationem multa debent, pro quibus dimittendis filius orari iuſsit, Dimitte nobis debita noſtra: de quo loquens B. Auguſt. cap. 71. Enchirid. Delet, inquit, hęc oratio minima, & quotidiana peccata, delet & illa à quibus vita fidelium, ſcelerate etiam geſta, ſed pœnitēdo in melius mutata, diſcedit. Loquitur enim, vt iam frequenter diximus, articulus non de propitiatione, nec de culpa vel pœna æterna, ſed de pœna temporali tantum, cuius manet reatus culpa dimiſſa. Diximus etiam nos poſſe mereri, nec ſatisfacere vt pater nobis propitietur, nec peccata nobis remitti poſſe, niſi propter nomen Ieſu Chriſti. Et ideo ſolum Chriſtum agnoſcimus eſſe peccatorum propitiationem, nec aliam eſſe ſatisfactionem qua offenſus Deus placari poſsit ſuper offenſa in eum admiſſa: & confitemur perpetuò verum eſſe quod beatus Ioannes dicebat, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: ſed tollit nobis cooperantibus, & per noſtram pœnitentiam. Ex quibus patet impertinētia eſſe quæ addit Ioannes Caluinus.

Matth. 6.

Ioan. 1.

Caluinus. *Duo, inquit, hic perpendere conuenit: Primò, vt integer & illibatus ſuus honor Chriſto ſeruetur: Secundò, vt conſcientiæ de peccati venia ſecuræ pacem apud Deum habeant. Eſaias ait patrem poſuiſſe in filio noſtrum omnium iniquitates, vt liuore eius ſanaremur. Hic nequaquam audiūtur nugamenta illa quòd initialem purgationem paſſionis Chriſti efficaciam non aliter noſtrum vnuſquiſque ſentiat, quàm pro ſatisfactorio pœnitentiæ modo, ſed ad vnicam Chriſti ſatisfactionem quoties lapſi fuerimus reuocamur. Nunc tibi peſtilentes eorum nenias propone, gratiam Dei in prima peccatorū remiſsione ſolam operari: ſi poſtea reciderimus ad ſecundam veniam impetrandam opera noſtra cooperari. Immāne. Quantum hæc differunt Chriſtum eſſe propitiationem pro peccatis noſtris, & Deū operibus eſſe propitiandū.*

Eſaiæ. 53.

Reſponſio. Hæc omnia, nos ſanari, Deum propitiari pro peccatis noſtris, Deum placari, & ſimilia; non ad noſtrum meritum & ſatisfactionem, ſed Chriſti ſolius referenda ſunt, quorū non meminit articulus, ſed pœnę duntaxat reſtantis, quam dicit nos perſoluere poſſe. Nec ſolùm poſt initialem, hoc eſt baptiſmalem purgationem paſsionis Chriſti efficaciā vnuſquiſque percipit pro ſuæ pœnitentiæ modo: verum etiam in baptiſmo, non in purgatione à peccatis ſiue peccatorum reatu, qui in omnib9 vniuerſus tollitur, ſed in chariſmatum participatione ſecundum noſtram ſuſcipimus diſpoſitionem. Et in ſacramento pœnitentiæ maior condonatur pœna ſecundum pœnitentiæ quantitatem: ſicuti medicina operatur ſecundum perfectionem concurſus naturæ. Omnem tamen purgationem & maiorē & minorē paſsionis Chriſti efficacacia operatur. Et ſicut in ſecunda de peccatis venia impetranda opera noſtra cooperantur, ita & in prima, quæ fit per baptiſmum: in vtroque enim ſacramento opus eſt pœnitentia & vitæ præteritæ odio, vt ſint efficacia: quemadmodum clarè de baptiſmo docet B. Petrus, act. 2. cap. Et Saluator Lucæ vlt. Chriſtum itaque ſolum docemus eſſe propitiationem, qua pater de offenſa ſua placatur: opera tamen noſtra eum faciunt propitium ſuper flagello quo filios in gratiam receptos caſtigat & pro peccatis affligit.

In ſacramento pœnitētiæ ſecundū pœnitentiæ quātitatem maior vel minor pœna cōdonatur.

Caluinus. *Quòd ſi de pacificanda conſcientia agitur, quæ iſthæc erit pacificatio, ſi audiat peccata redimi ſatisfactionibus? Quando tandem illi ſatisfactionis modus conſtare poterit? Ergo ſemper dubitabit an Deum habeat propitium, ſemper æſtuabit, ſemper horreſcet.*

Reſponſio. Magna conſcientiæ pacificatio, magna & conſolatio eſt quando ſe audit patri cœleſti reconciliatum, receptum in filium & hæredem per ſanguinem filij eius: quamuis emendam & flagellum paternum humiliter ſuſtinere adhuc debeat, & aduerſum ſe clementiſsimi patris offenſionem vindicare. Æquiſsimum namque eſt vt qui patrem grauiter offendit huius, eum pœniteat, & ſignis externis ſe affligendo dolorem oſtendat, lamentetur & lugeat poſt offenſam etiam condonatam. Magna item eſt conſolatio quod ſe affligendo & iudicando, paternum flagellum redimere poſsit, imò & deprecari in oratione dominica: Nec dubitabit an Deum habeat propitium, qui nouit ſe per ſacramentū pœnitentiæ in patris gratiam rediſſe. Et monet Eccleſiaſticus vt de propitiatu peccatorū non ſimus ſine metu. Maiorem ſane pacem & tranquillitatem, noſtram adferre doctrinā conſcientijs quam aduerſariorum, oſtendimus circa articulum tertium. Tandem intelligens Caluinus cōformem ſcripturis & patribus noſtrā eſſe ſententiam, ad ſcripturas quas citauit noſtrā reſpōſionem impugnat.

Cap. 2.

Caluinus. *Conantur, ait, ſe expedire: Fingunt enim ad poſtremū diſtinctionē pœnæ & culpæ. culpā remitti fatentur Dei miſericordia, ſed ea remiſſa pœnā reſtare, quā perſolui Dei iuſtitia poſtulat. Ad pœnæ igitur remiſsiones propriè ſpectare ſatisfactiones. Quæ iſta, bone Deus, deſultoria leuitas? culpæ remiſsionem nunc gratuitam præſtari confitentur quam precibus & lacrymis alijſque omne genus præparationibus emereri ſubinde docent.*

Reſponſio. Pœnam reſtare culpa remiſſa multipliciter ſuperius oſtendimus, eamque nos perſoluere poſſe, compenſare & deprecari. Et verè eam perſolui Dei iuſtitia poſtulat. Nam vt dicit B. Thomas diſt. 14. 4. q. 2. art. 1. q. 2. tam iuſtitia quàm amicitia in æqualitate quadam conſiſtit. Qui ergo aliquem offendit, contra amicitiæ æqualitatem peccat, inquantum affectum debitum non impendit: & contra æqualitatem iuſtitiæ, inquantum rem debitam ſubtrahit. Et ſicut hæc duo in offenſa quandoque diuiduntur, ita etiam in recompenſatione ſeparantur: ſicuti quando pœna per violentiam offendēti infertur, fit recompenſatio quantum ad iuſtitiam, ſed non quantum ad amicitatem. Similiter quandò offendens

Qui aliquem offendit is cōtra amicitiæ et ſimul contra iuſtitiæ æqualitatē peccat.

offendens offenſum verbis placat nõdum re ſubtractã reſtituta, fit amicitiæ recõpenſatio ſed non iuſtitiæ. Peccator ergo per affectum peccati amicitiã Dei violauit, & per inobedientiam diuinæ legis honorem Deo debitum ſubtraxit. Ex primo amittit gratiam atque incurrit offenſam: ex ſecundo meretur pœnam, vt ab eo qui per inobedientiam honorem Deo ſubtraxit, ſubtrahatur per pœnam: vt contra ſuam voluntatem patiatur, qui peccando propriam ſecutus eſt voluntatem. Atque hoc pœnæ meritum reatus dicitur. Et ideo per pœnitentiam qua homo ſe Deo ſupponit & peccata præterita deteſtatur cũ emendationis propoſito, remittitur quidem peccatum quantum ad offenſam, & in gratiam & amicitiam recipitur: ſed non oportet, vt ait beatus Thomas, quod remittatur quantum ad totum reatum, niſi pœna iam ſoluta. Quare rectè dicitur quòd Dei iuſtitia hanc pœnam ſolui poſtulat. Conſideranda hic eſt abſurda Caluini ſententia. Non enim ſuſtinet quòd precibus, lacrymis, ieiunijs, & alijs huiuſmodi pœnitentiæ operationibus nos ad Dei gratiam nobis conciliandam pręparemus: Et putat hęc aduerſari gratuitæ peccatorum remiſsioni, contra manifeſtiſsima ſcripturarum teſtimonia. Dicit enim Dominus apud Ioelem. Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & planctu. Similiter apud Ionam prophetam. Et Euangelia commendãt pœnitentiam quæ fit in cinere & cilicio. Quàm magna, inquit B. Cypr. deliquimus, tam granditer defleamus: Pœnitentia crimine minor non ſit, Putas facilè eum miſereri tui, quem tuum non eſſe dixiſti? orare oportet intentiùs: diem luctu tranſigere, vigilijs noctes ac fletibus ducere. In cilicio & ſordibus volutari, iuſtis operibus incumbere quibus peccata purgantur.

Dei iuſtitia pœnã pro peccatis ſolui poſtulat.

Cap. 2.

Cap. 3.

Sermo de lapſis.

Caluinus. *Verùm adhuc cum iſta diſtinctione ex diametro pugnat, quicquid de peccatorum remiſsione in ſcriptura nobis traditur, quod tametſi ſatis ſuperq; exiſtimo à me confirmatum, ſubnectam tamẽ quædam alia teſtimonia, quibus adeo conſtrigantur tortuoſi iſti angues, vt ne ſummam quidem caudã complicare poſthac queant. Hoc eſt teſtamentum nouum quòd Deus in Chriſto ſuo nobiſcum pepigit, quod iniquitatum noſtrarum non recordabitur. Quid his ſignificauerit diſcimus ex altero propheta. Si iuſtus, inquit, à iuſtitia deflexerit, omnium iuſtitiarum eius non recordabor. Si impius ab impietate ſua receſſerit, omnium iniquitatum eius nõ recordabor. Quòd ſe iuſtitiarum recordaturum negat, vtiq; hoc eſt nullam ſe earum habiturũ rationem vt remunerentur. Ergo & peccatorum nõ recordari eſt ea non poſtulare ad pœnam. Idipſum alibi dicitur proijcere poſt tergum, delere inſtar nubis, demergere in profundum maris, non imputare, tectumq; habere. Talibus loquendi formulis non obſcurè ſenſum ſuum nobis explicat ſpiritus ſanctus. Certe ſi punit Deus peccata, imputat: ſi vindicat, recordatur: ſi ad iudicia vocat, tecta nõ habet: ſi examinat, poſt tergum non proiecit: ſi inſpicit, nõ obliterauit inſtar nebulæ: ſi ventilat, non proiecit in profundum maris. Audiamus & ex alio propheta loco quibus legibus peccata remittat Dominus, Si fuerint, inquit, peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix albeſcent: & ſi rubuerint quaſi vermiculus, erunt quaſi lana.*

Hierẽ. 31.

Ezech. 18.

Eſai. 38, & 44.
Mich. 7.
Pſalm. 32.

Eſaia 1.

Verum & germanum harum ſcripturarũ intellectum docent nos ſcripturæ aliæ. Nam Exodi 32. poſtquam dominus placatus ſcribitur ne faceret malum quod locutus fuerat aduerſus populum, ait tamen, Ego autem in die vltionis viſitabo & hoc peccatum eorũ. Et in pſalmis dicit propheta Dauid, quod propitius vlciſcebatur in omnes adinuentiones eorum. Et mirum ſi dominus peccati Dauid non fuerit memor, quando propter ipſum dimiſſum tamen, grauiſsimè multiſque modis eum afflixit: Et quando Moſes & Aaron ob peccatum admiſſum ad aquas contradictionis non poterant impetrare ingreſſum terrę promiſſę, memor erat iniquitatis eorũ. Sequitur ergo neceſſario intelligi ſcripturas citatas, quod non recordabitur Deus iniquitatum impij, quoad pœnam æterni exilij & exhæredationis, aut habendo eum ꝓpter iniquitates inimicum: quæ pœnæ propriè peccato reſpondent: recordabitur tamen quo ad reparationem damni illati. Sicuti qui amicũ in bonis vel in fama læſit, poſt reconciliationem qui lęſus eſt non meminit iniurię nec inimicitiæ, ſed amicum animum & affectum cum ſignis veri amoris erga eum habet, quaſi læſus non fuiſſet: exigit tamen damni reparationem (iuxta ea quæ ſtatim citauimus ex B. Thoma) quam facere oportet etiam ſi ſine amicitiæ læſione damnum eſſet illatum. Attamen in baptiſmo totus reatus tollitur, nec vllius pœnæ remanet debitum: imo & in ſacramento pœnitentiæ ſi conſummata eſt in ſuis partibus. Et vera cordis pœnitentia non ceſſat donec totum damnum peccato illatũ fuerit reparatum. Nullo itaque modo recordatur Deus iniuſtitiarũ impij, qui his modis ab impietate ſe auerterit. Quo autem ſenſu Dominus earum non recordetur ſi impius ab impietate ſua receſſerit, declarat eodem loco Ezechiel propheta quãdo dicit, ideo nõ recordaturum Dominum, quia in iuſtitia quam operatus eſt viuet: non autem quòd eum non caſtigabit. Flagellat enim omnem filium quem recipit, idque ob culpam tantũ & ita illi⁹ eum memorẽ eſſe oportet. Eodem modo iuſtitiarum non eſt memor, ſi iuſtus ab eis receſſerit quia morte morietur. Et Dominus Saluator hortatur vt faciamus nobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defecerimus recipiant nos in æterna tabernacula: De quo B. Auguſtinus libro 21. de ciuitate Dei. Non eſt iniuſtus Deus, ait Apoſtolus, vt obliuiſcatur operis veſtri, laboris & dilectionis, tametſi in peccatum labi contigerit: quamadmodum nec operum quæ in ſtatu peccati facimus, ſecundum beatum Hieronymum circa caput 1. in Aggæum. Ait enim,

Reſponſio.

Pſal. 98.

In baptiſmo totus reatus omniſq; pœnæ debitum tollitur.

Cap. 18.

Lucæ 16.

Cap. 14.

Si,

Si quando videris inter multa mala opera facere peccatorem aliqua quæ iuſta ſunt, non eſt tam iniuſtus Deus, vt propter mala multa obliuiſcatur paucorum bonorũ:quẽadmodum citat Gratianus de pœnitentia diſtinctione 3. quod & probant duo capita quæ in eo ſequuntur. Imò & opera pietatis ꝑ peccatum mortificata reuiuiſcere ad remunerationem docet beatus Auguſtinus libro de pœnitentia, Pium eſt inquit credere, & noſtra fides hoc expoſtulat, vt cum gratia Chriſti deſtruxerit mala priora, in homine etiam remuneret bona: & cum deſtruxerit quod ſuum non inuenit, amat & diligit bonum quod in peccante plantauit: Et facilius pater in gratiam filium recipit qui ante offenſionem diligenter & ſedulò ſeruiuit. Eſt itaque apud Hieremiam & Ezechielem iniquitatum non recordari, non eſſe propter eas animo inimico & hoſtili, ſed amico & paterno, quo in filium & hæredem ſuſcipiat peccatorem quaſi nunquam admiſſæ eſſent iniquitates. Ex quo affectu poteſt nihilominus in virga viſitare eius iniquitates. Eodem ſenſu in ſcripturis dicitur Deus proijcere poſt tergum iniquitates, delere inſtar nubis, demergere in profundum maris, non imputare tectumque habere. Hæc enim ſignificant ita purgatam eſſe animam, vt nulla peccati macula, nulla offenſio, vel inimicitia vel aliquod illius indicium appareat. Proijcit enim peccata poſt tergum cum ea non magis reſpicit, ad hos ſaltem effectus, quàm ſi nunquam accidiſſent. Nam ſecundũ beatum Gregorium cap. 83. lib. 9. comment. in Iob. Delicta noſtra ſiue per nos ſiue per ſemetipſũ Deus reſecat cũ laxat. Ab electis enĩ ſuis iniquitatum maculas ſtudet temporali afflictione perdere, quas in perpetuum in eis non vult videre. Quando igitur Caluinus concludit, Si punit Deus peccata, imputat: ſi vindicat, recordatur: admittimus, ſed non ſecundum prophetarum ſenſum. Non enim recordatur, vt mortem infligat, quæ proprium eſt peccati ſupplicium: recordatur tamẽ, vt diximus, ad paternam caſtigationem & filij purgationem, non ad ſuppliciũ quod merebantur. Et ad iudicium vocat, ſed caſtigationis: & tecta habet, vt non quaſi offenſus inimicum iudicet. Quem ſenſum intellexiſſe prophetas nunc docuimus. Ex his dictis facile eſt reſpõdere ad ea quę in antidoto ſextę ſeſsionis contra ſatisfactionem, ca. 15. obijcit. Sunt enim ferè eadem quæ ex inſtitutione citauimus. Habet autem in antidoto remedia eſſe quibus fideles pœnas comminatas auertant.

Cap. 14.

Quid ſit iniquitatũ non recordari apud prophetas.

Eſaia. 44.

Cum ipſi inquit ſponte præoccupant, non eſt cur eos Deus quaſi violenter trahat, Quorſum enim ferula, niſi cum deeſt voluntaria correctio? Proinde docet Apoſtolus non iudicatum iri illos à Domino qui ſeipſos iudicabunt: Sed quã præpoſterum eſt ſatisfactiones inde elicere? Deprecati ſunt pleriq; fidelium Dei flagella quibus ſe reddiderant obnoxios: quin etiam Achab, vbi ſe vltrò humiliat, mitiorem ſentit Dei manum. Sed ipſæ quoq; deprecationes quibus vſi ſunt ſancti, locupletiſsimi ſunt teſtes gratuitæ ſatisfactionis.

1. Cor. 11.

3. Reg 21.

Non ſolum voluntariè nos corrigendo, ſed & noſipſos iudicando & vlciſcendo, pœnas comminatas auertimus. Et per eleemoſynas redimimus, noſque à morte liberamus. vt teſtantur Daniel, Thobias, Eccleſiaſticus, & patres quos in ſuperioribus citauimus: Manet tamen ſemper ſatisfactio gratuita.

Reſponſio.

Daniel 4. Tobia 4. Eccleſ. 3.

Habet etiam in eodem antidoto abſurdã ſententiam, quòd videlicet non poteſt eſſe gratuita peccatorum remiſsio, ſi fiat ad confeſsionem eius qui offendit. Ait enim.

Quanquam dum pœnam æternam vna cum culpa nobis remitti fingunt, vel confitendi voto, quid aliud ſibi volunt, quàm nos opere promereri quod gratuitò ſe daturum promittit Deus?

Caluinus.

Quaſi non eſſet gratuita remiſsio homicidij, quando princeps ſupplicanti & homicidium confitenti culpam remittit, donatq; vitam. Addit deinde in concluſione.

Reſponſio.

Quæ ab eccleſiaſticis doctoribus de externa diſciplina dicta ſunt, quæ ad ſolennem profeſsionẽ ſpectabant, ea imperitè ad ſpiritualem renouationem detroquent.

Caluinus.

Mirum eſt Caluinum hæc ſcribere, qui in ſua inſtitutione palam dicit, quod omnes ferè quorum libri extant, veteres ſcriptores lapſi ſunt ſcribendo de ſatisfactione, tali videlicet qualem in vſu nunc habet Chriſti eccleſia: ſicuti patet ex eorum ſententijs ſuperius citatis. De quo ſtatim reſpondendo Apologiæ, latius agemus. Hæc enim aduerſus eccleſiaſticam ſatisfactionem impugnationis ab iſto ſumit initium, quòd veteres ſcriptores de externa tãtum diſciplina locuti ſunt, & adducit præterea alia argumenta, quibus eam putat in totum ſubuerti, potiſsimum tamen per gratuitam peccatorum remiſsionem: ex qua etiam præcipua Ioannis Caluini adferuntur argumenta. Sic enim incipit Philip. in Apologia.

Reſponſio.

Ex ritu publicæ pœnitentiæ reliquum habemus etiam nomen ſatisfactionis. Nolebant enim ſancti patres recipere lapſos aut famoſos, niſi prius cognita & ſpectata eorum pœnitentia: & huius rei videntur multæ fuiſſe cauſæ. Nam & ad exemplum pertinebat caſtigare lapſos, & indecorum erat homines famoſos ſtatim admittere ad communionẽ. Hi mores diu iam antiquati ſunt, nec neceſſe eſt eos reſtituere, quia non ſunt neceſſarij ad remiſsionem peccatorum coram Deo: neque hoc ſenſerunt patres, mereri homines remiſsionem peccatorum per tales mores aut alia opera: & ſi quis ſic ſenſit, Iudaicè & gentiliter ſenſit. Nam & Ethnici habebant quaſdam expiationes delictorum, per quas fingebant ſe reconciliari Deo. Nunc autem more antiquato manet nomen ſatisfactionis & veſtigium moris, quod in confeſsione præſcribuntur certæ ſatisfactiones, quas definiunt eſſe opera non debita, nos vocamus ſatisfactiones canonicas. De

Apologi Philippi Melanchthonis.

his ſic ſentimus, ſicut de enumeratione peccatorũ quòd ſatisfactiones canonicæ nõ ſunt neceſſariæ iure diuino ad remiſſionẽ peccatorum: ſicut neq; illa ſpectacula veterum ſatisfactionum in pœnitentia publica, iure diuino neceſſaria fuerunt ad peccatorum remiſſionem.

Reſponſio. Patrum libros legenti ex quibus circa hũc articulum multas citauimus ſententias, manifeſtè patebit vanum eſſe & falſum, quòd locuti ſint ſolum de ſatisfactione pœnitentiæ publicæ. Oſtendimus enim eos loquutos eſſe de confeſsione priuata, quæ ſecretò fit apud ſacerdotem, cuius arbitrio ſecretè vel publicè pœnitentia agebatur. Et de ſatisfactione ſcribit B. Auguſt. hom. vlt. quæ eſt de pœnitentia, Aſcendat, inquit, homo aduerſum ſe tribunal mentis ſuæ, ſi timet illud quod oportet nos exhibere ante tribunal Chriſti, maiorem quiſque in ſe ſeueritatem debet exercere, vt à ſeipſo iudicatus non iudicetur à Deo, &c. & cum in ſe protulerit ſeuerisſimæ medicinę ſententiam, veniat ad antiſtites per quos illi claues in eccleſia miniſtrantur, & accipiat ſatisfactionis ſuæ modum.
Cap 70. Et in fine, Non ſufficit mores in melius commutare, niſi etiam de his quæ facta ſunt ſatisfiat Deo. Idem Enchyrid. In
Cap. 16. melius eſt, inquit, vita mutanda, & per eleemoſynas de peccatis præteritis eſt propitiandus Deus. Amb. quoque lib. 1. de pœnit. docet pro occultis peccatis agendam eſſe pœnitentiam: Si quis, inquit, occulta crimina habẽs, propter Chriſtum tamen ſtudioſè pœnitentiam egerit, quomodo iſtic recipit, ſi ei communio non refunditur? (agit enim contra Nouatianos) Volo veniam reus ſperet, petat eam lachrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, vt ignoſcatur obſecret. Et cum ſecundò ac tertiò dilata fuerit eius communio, credat remiſsius ſe ſupplicaſſe, fletus augeatur, miſerabilior poſtea reuertatur, teneat pedes brachijs, oſculetur oſculis, lauet fletibus, nec dimittat, vt de ipſo dicat Ieſ9, Remiſſa ſunt peccata eius multa, quoni-
Exẽpla pœnitentiæ quorundam. am dilexit multum. Cognoui quoſdam in pœnitentia ſulcaſſe vultum lachrymis, exaraſſe continuis fletibus genas, ſtrauiſſe corpus ſuum calcandum omnibus, ieiuno ore ſemper & pallido mortis ſpeciem ſpiranti in corpore prętuliſſe. Quid ſpectamus, vt mortui mereantur veniam, qui mortem ſibi intulerunt dum viuerent? Hoc loco & ad virginem corruptam ſcribens, ſimiliter & ſuperiores Auguſtini ſententiæ non de publica agunt pœnitentia & ſatisfactione, ſed priuata: nempe de peccatis etiam occultis. Ad hæc beatus Chryſoſtomus homil. 42. ſuper Matthęum, Terribile, inquit, illud iudicium eſt, ineuitabilis pœna, intolerabilia tormenta. Sed ſi vis (quod ego conſulo) nec hic quoque aliqua pœna cruciari, tu ipſe tibi iuſtus ſis iudex, referas tibi ipſi rationes viuendi: Audi Paulum dicentem quoniam ſi noſipſos iudicauerimus, non vtique iudicabimur. Et addit, Quonam, inquit, modo mihi ipſi rationes viuẽdi referam? largos lacrymarum effunde fluuios, ingentes compũctionis gemitus redde, laboribus ac vigilijs teipſum afflige, peccata tua per ſingulas ſpecies recole. Idem in homil. 4. de pœnit. Pœnitentiam, inquit, exhibuit Dauid, & olim *Pſal. 50.* patratum peccatum poſt tot tempora quaſi nuper accidiſſet, lugebat. Nouerat enim quòd ita iudicem placabimus, ſi à nobis vltionem ipſi ſumamus. Quæ omnia trahi non poſſunt ad pœnitentiæ publicæ ſatisfactionem. Tertullianus libro de pœnitentia. Deliqui, dicito, in Deum, & periclitor in æternum perire. Itaque nunc pendeo & maceror, & excrucior, vt Deum recõciliem mihi, quem delinquendo læſi. Et vniuerſæ patrum ſententiæ, quas citauimus circa locum Eu- *Matth. 3.* angelij. Facite dignos fructus pœnitentiæ: intelligũtur de ſatisfactione in genere, priuata vel publica. Ritus autem publicæ pœnitentiæ ad quos ſolos referri volunt Satiſfactionis nomen apud patres, valebant ad prouocandum miſericordiam Dei erga pœnitentes ſic afflictos, & plurimum conducebant ad peccatorum remiſsionem: ſimul tamen pertinebant ad diſciplinam & exemplum. Et neceſſaria eſſe externa ſigna pœni- *Signa externa pœnitẽtiæ ſunt pœnitẽti neceſſaria.* tentiæ docent beatus Cyprianus, Ambroſius, & alij patres eccleſiaſtici poſt Ioelem & Ionam prophetas: quãuis ritus ſecundum canones pœnitentiales determinati modò nõ *Ioel. 2.* ſint neceſſarij, nec iure quidem eccleſiaſtico, *Ionæ. 3.* quum illi iam diu obſoleuerint, & pœnitentiæ factæ ſint arbitrariæ ſecundum canonem Innocentij 3. in capit. Deus qui, de pœnit. & remiſ. & canonem Menſuram. de pœnitent. diſtinct. 1. & 26. quæſt. 7. cap. Tempora plenitudinis, & cap. Hoc ſcit. & quamuis antiquatus ſit mos publicæ pœnitentiæ ſatiſfactionisque canonicæ, hoc eſt, ſecundum canones pœnitentiales præſcriptæ, ob frigeſcentem fidelium charitatẽ & deuotionem, ſatisfactionem tamen ſacramentalem perpetuam in eccleſia eſſe oportet, ſicut ſacramentum pœnitentiæ cuius eſt pars. Sicut enim hæc ſatisfactio determinatio eſt ſatisfactionis in genere pro peccatis debitæ, vel eius compenſatio, ita & ſatisfactiones canonicæ. Abolita autem determinatione iuris diuini, non propterea ipſum ius abrogatur: nec abrogari poteſt. Non autem hic agimus de ſatisfactione quæ eſt iuris eccleſiaſtici tantum, ſed quæ diuini eſt iuris, qua quiſque in ſe vindicat quod nimium ſuæ indulſit volũtati contra diuinam: pœnitentia autem ſecundum canones impoſita, antequam illi eſſent aboliti, an neceſſariò fuerit implenda, & an fuerit ad ſalutem neceſſaria, eadem eſt quæſtio cum ea quæ nunc tractatur à doctoribus de eo qui pœnitentiam iniunctam nõ acceptat aut non implet. Articulus igitur non loquitur de canonica ſatisfactione, quæ plerunque magis erat ad conciliandam gratiam Dei, Deumque propitiandum, quàm ad pœnæ ſolutionem: de qua ſola agit articulus. Nihil igitur nunc diſputandum eſt de ritu pœnitẽtiæ publicæ iam antiquato, quem

non

nõ pudet Philippum quaſi hominem ethnicum, hic & copioſius in locis ſuis theologicis dicere patres ſumpſiſſe ab ethnicis: ita enim habet.

Philippus in locu. *Huius veſtigia, manſerãt etiam apud Græcos: vbi ſi quis cædem iniuſtam feciſſet, aut inceſtum commiſiſſet, excommunicabatur, hoc eſt, excludebatur à conſuetudine communium officiorum, & addebantur ſigna quædam in veſtitu, quæ ſignificabant eum hominem reum, pollutum, & vitandum eſſe: erant etiã certæ imprecationes & diræ quæ contra pollutum dicebantur. Sic Phœnix apud Homerum narrat apud ſe propter ſtupratam coniugem patris diras recitatas eſſe, & Oreſtes excurrit in Græcia: & paſſim multa exempla repeviuntur, vt Pelei, Antilochi, Adraſti, qui ad Crœſum venit gerens ſigna reatus. Hæc exempla ait ſatis apparet à primis patribus ſumpta eſſe, qui hos ritus diſciplinæ cauſa obſeruarunt.*

Reſponſio. Verè nimis ethnicè hæc ſcribit, cum exempla ſeuerioris pœnitẽtiæ multò viciniora, imò eadem contineant ſcripturæ ſacræ, quæ hortantur ad ſaccos, cineres, & cilicia: quorum vſus erat in ſolenni pœnitentia. Quum igitur iam exoleuerit vſus ſolennis pœnitentiæ, inanis eſt diſputatio, an modò ſint illæ ſatisfactiones iuris diuini, cùm etiã tunc fuerint ſolum iuris eccleſiaſtici quãdo vigebant, ab eccleſiæ præpoſitis in diſciplinam publicè peccantium inſtituti. Diſputamus autem de ſatisfactione ad quam ſecundum ſanctorum interpretationem hortatus eſt Ioannes Baptiſta, quando dixit, Agite dignos fructus pœnitentiæ. Matth. 3.

Philippus in Apologia. *Retinenda eſt ſententia de fide, quòd fide conſequamur remiſſionem peccatorum propter Chriſtum, non propter noſtra opera præcedentia vel ſequentia. Et nos ob eam cauſam præcipuè de ſatisfactionibus diſputauimus, ne ſuſciperentur ad obſcurandam iuſtitiam fidei, ne'ue exiſtimarent homines ſe propter illas conſequi remiſſionem peccatorum. Quem errorem adiuuat quòd in definitione ponant eam fieri ad diuinam offenſam placandam.*

Reſponſio. Hanc fidem & nos retinemus & docemus, ſcientes quòd huic Chriſto Domino omnes prophetæ teſtimonium perhibent, vt ait beatus Petrus, remiſsionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum, non propter noſtra opera, quaſi remiſſionis peccatorum meritoria, quamuis non ſine eis nec ſine pœnitentia: Accepta autem remiſsione per ſpiritum ſanctum in nos tanquam Chriſti membra transfuſum propter nomen eius, perſoluere poſſumus pœnam reſtantem. Senſu tamen longè diuerſo nos docemus fidem conſequi remiſsionem peccatorum quàm Philippus, qui intelligit fidem apprehendentem, nos autem oſtendentem propitiatorem paratum in ſacramentis ad hoc ab eo inſtitutis, peccata remittere. Nec obſcuramus hac noſtra doctrina iuſtitiam fidei, quin potius eam magis illuſtramus, qui hanc pœnæ perſolutionem, tanquam effectum, ad iuſtitiam fidei referimus. Et quicquid docemus homines propter illa opera conſequi, hoc conſequi docemus propter illa, ſecundũ quod ex iuſtitia fidei procedunt. Quomodo autem noſtra ſatisfactione diuina offenſa placetur, quò ad pœnam æternã, & quomodo quoad flagellum temporalis caſtigationis, diximus ſupra. Nam ſententia B. Auguſt. eſt cap. 70. Enchr. quòd per eleemoſynas de peccatis præteritis propitiandus eſt Deus, & eius offenſa placanda. Actor. 10.

Fides oſtendens propitiatorem ad redimenda peccata conſequitur remiſsionem peccatorum.

Fatentur aduerſarij quod ſatisfactiones non proſunt ad remiſſionem culpæ, verùm fingunt eas prodeſſe ad redimendas pœnas ſeu purgatorij, ſeu alias. Docent enim in remiſſione peccati Deum remittere culpam, & tamen (quia conuenit iuſtitiæ diuinæ punire peccata) mutare pœnam æternam in temporalem et huius pœnæ partem remitti per poteſtatem clauium, reliquum autem redimi per ſatisfactiones. Nec intelligi poteſt quarum pœnarum pars remittatur poteſtate clauium, niſi dicant partem pœnarum purgatorij remitti. Quæ ex re ſequeretur ſatisfactiones tantum eſſe pœnas redimentes purgatorium. Et has ſatisfactiones dicunt valere, etiamſi fiant ab his qui relapſi ſunt in peccatum mortale, quaſi verò diuina offenſa placari queat ab his qui ſunt in peccato mortali. Hæc tota res eſt commentitia, recens conficta, ſine authoritate ſcripturæ & veterum ſcriptorum eccleſiaſticorum. Philippus.

Reſponſio. Satisfactiones non prodeſſe ad remiſsionẽ culpæ, nec docemus, nec conſentiunt ſcripturæ, quæ docent ieiunijs, eleemoſynis, & vitæ auſteritate ad miſericordiã Deum prouocari & peccatorũ noſtrorũ remiſsionem: cuius exempla multa in ijs reperiũtur apud Ioelem prophetam & Ionam de Niniuitis qui ad cineres, cilicia, & planctum hortantur. Et beatus Ambroſius audet pronunciare quòd ſi peccator ſibijpſi non pepercerit, à Deo illi parceretur: & ſi futuras pœnas gehennæ perpetuas in hoc paruo vitæ ſpatio compenſauerit, ſeipſum ab æterno iudicio liberat. Grandi, inquit, plagæ alta & prolixa medicina opus eſt: grande ſcelus, grandem habet neceſſariam ſatisfactionem. Similiter loquuntur patres eccleſiaſtici quos ſupra citauimus de pœna etiam æterna, & remiſsione culpæ mortalis: Hæc tamen compenſatio non fit per ſolutionem æquiualentis, ſicut compenſatio pœnæ reſiduæ poſt remiſſam culpam: ſed eſt compenſatio & ſatisfactio qua Deus contentus eſt, & qualem ſecundum legem requirit, vt peccatorem in gratiam recipiat: quomodo ſatisfacit vt pœna æterna condonetur, qui pœnitens apud ſacerdotem ſua peccata confitetur, eius arbitrio ſe ſubmittens. Diximus tamen probabilem eſſe ſententiam quæ dicit, noſtra ſatisfactiõe ex gratia Chriſti ſolui poſſe æquiualens pœnæ æternæ & culpæ admiſſæ. Nec fingimus, ſed ex ſcripturis & patribus docuimus noſtram ſatisfactionem prodeſſe ad Ad virginẽ corruptam.

redimendas pœnas purgatorij. Nec diffiteretur hoc Philippus, ſi crederet poſt hanc vitam peccata temporaliter puniri, cum doceat ipſe noſtris nos mitigare & redimere calamitates ac pœnas huius ſeculi. Et in remiſsione peccatorum poſt ſcripturas, patres, & Conciliorum definitiones, docemus Deum remittere culpam, tamen ſecundum ſuam iuſtitiam punire peccatum, & mutare pœnam æternam in temporalem: id quod & ipſe Philippus docet, ſed de pœna temporali huius ſeculi, ſcripturarum euidentia conuictus. Propter quas in locis ſuis theologicis dicit, quòd iuſtitiæ Dei eſt peccata punire, & ideò neceſſe eſſe quòd fiat commutatio pœnarum: ſicut non remiſit Adæ & Dauidi ſine pœna: quodq́ue propterea non vniuerſa, ſed principalis & placâs iram Dei pœna tranſlata ſit in filium. Et clauium poteſtate quibus remittuntur peccata, pœna prius æterna fit temporalis. Et veriſimilior eſt ſententia, quod minor fit quando virtute ſacramẽti ſuſcepti fit peccatorum remiſſio: quamuis alij opinentur, quod ſolum mutetur pœna æterna in temporalem eandem ſecundum intentionem & acerbitatem, reſpondentem conuerſioni quę fiebat peccando. Porrò pars pœnæ purgatorij ſiue futuri ſeculi remittitur, ſi hæc, vt diximus, per ſe debeatur peccato remiſſo vel veniali. Quod docent ſententiæ B. Chryſoſtomi ſuperius citatæ, & clariſsimè beatus Cyprianus in 2. epiſtola 4. libri quæ eſt ad Antonianum, loquens de his qui fidem negauerant ad pœnitentiã receptis, Nec putes inquit, frater chariſsime, hinc aut virtutem fratrum minui, aut martyria deficere, quòd lapſis laxata ſit pœnitentia, & quòd pœnitẽtibus ſpes pacis oblata. Manet verò fidentium robur immobile, & apud diligentes ac timentes toto corde Deum ſtabilis & fortis perſeuerat integritas. Nam & mœchis à nobis pœnitentiæ tempus conceditur, & pax datur, non tamen idcircò virginitas in Eccleſia deficit, aut continentiæ propoſitum glorioſum per aliena peccata langueſcit. Aliud eſt ad veniam ſtare, aliud ad gloriã peruenire: aliud miſſum in carcerem non exire donec ſoluat nouiſsimum quadrantem, aliud ſtatim fidei & virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari & purgari diu igne, aliud peccata omnia paſsione purgari: aliud denique pendere in die iudicij ad ſententiam Domini, aliud ſtatim à Domino coronari. Vbi manifeſtè docet noſtra paſsione, & ſatisfactione nos poſſe compenſare & auertere longum cruciatum, quo poſt hãc vitam per ignem eſſemus emendandi & purgandi. Nam remiſſa culpa non ſtatim omnem pœnam condonari ſupra ſatis docuimus, quam in futuro ſeculo ferre oportebit, ſi eam hic non compenſauerimus. Liberè itaque confitemur poſt B. Cyprianum quòd noſtræ ſatisfactiões ſunt pœnæ redimentes purgatorium. Quòd autem ſatisfactiones valeant ſi fiant ab ijs qui relapſi ſunt in peccatum mortale, nos non docemus, ſed habemus tãquam problema, in quo vnicuique licet ſuo ſenſu abundare: tametſi credamus probabiliorem eſſe ſententiã quę dicit non ſatisfieri, ne pro pœna quidẽ temporali per opera facta in ſtatu mortalis peccati: Sicuti poſt B. Thomã docet Cardinalis Caietanus quæſt. 2. de ſatisfactione, tertiæ parti adiecta. Sed quòd diuina offenſa placari queat ab his qui ſunt in peccato mortali per ſolutionem æquiualentis, nullus doctorum ſcholaſticorum dicit. Porrò contra authoritatem ſcripturæ, veterum ſcriptorum & generalium Conciliorum eſſe quod ſubdit Philippus, ſcilicet quod tota hęc res, hoc eſt doctrina de ſatisfactione quam ipſe recitauit, ſit commentitia, recens conficta, palam teſtabuntur eorum libri ſi aperiantur. Id quod non ignorabat Caluinus, apertè aſſerens, vniuerſos ferè lapſos eſſe quotquot de ſatisfactione ſcripſerunt: contra quorum authoritatem & ſententiam nemo tam ſuæ ſalutis negligens eſſe deberet, vt ijs contemptis ſequeretur Philippi ſententiam ab Catholicis vniuerſis damnatam.

Clauium poteſtate peccata remittuntur, & pœna æterna mutatur in temporalẽ.

Noſtra ſatisfactione cõpenſare & auertere poſſumus longũ purgatorij cruciatum.

Scripturæ citatæ ac aduerſarijs prorſus nihil loquuntur de canonicis ſatisfactionibus, et de opinionibus ſcholaſticorum, cum conſtet eas nuper natas eſſe. Quare mera calumnia eſt quòd ſcripturas detorquent ad illas ſuas opiniones. Nos dicimus quòd pœnitentiam, hoc eſt conuerſionem ſeu regenerationem boni fructus, bona opera in omni vita ſequi debeant, nec poteſt eſſe vera conuerſio, aut vera contritio, vbi non ſequuntur mortificationes carnis & boni fructus. Veri terrores, veri dolores animi non patiuntur corpus indulgere voluptatibus: & vera fides non eſt ingrata Deo, nec mandata eius contemnit. Deniq; nulla eſt interior pœnitentia, niſi foris pariat etiam caſtigationes carnis. Et hanc dicimus eſſe ſententiam Ioannis cum ait, Facite dignos fructus pœnitentiæ, item Pauli, Exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ: ſicut alibi dicit, Exhibete corpora veſtra hoſtiam viuam, ſanctam, &c.

Philippus.

Matth. 3.
Rom. 6.

Scripturæ per nos citatæ de ſatisfactione loquuntur euangelica, in qua conſiſtunt digni fructus pœnitentiæ: quæ olim præpoſitorum eccleſiæ iudicio determinabantur ad pœnas canonicas, hoc eſt eas quæ canonibus pœnitentialibus præſcribebãtur. Et vanum ac ridiculum eſt, argumentari ſcripturas nõ loqui de ſatisfactionibus, ex eo quòd nuper natæ ſint de ijs ſcholaſticorum opiniones. Opinamur enim & diſputamus de rebus ſcripturarum, inquirendo veram earum intelligentiam. Nec detorquemus ſcripturas ad noſtras opiniones, ſed noſtram ſententiam, quæ eſt & Eccleſiæ Catholicæ, per ſcripturas confirmamus. Benè quidem dicis quòd pœnitentiam boni fructus & bona opera in omni vita ſequi debeant, ſed falleris in eo quòd omnia opera bona credas eſſe fructus pœnitentię. Sicut enim alij ſunt fructus patiẽtiæ, alij fortitudinis, & alij tẽperantiæ:

Reſponſio.

Fallitur Philippus quòd putet omnia bona opera eſſe fructus pœnitentiæ.

ita

ita peculiares fructus habet & pœnitentia. Et non eoſdem eſſe fructus virtutũ ac nouæ vitæ clariſsimè docent patrum ſententiæ, quos in principio circa articulũ citauimus. Nam cum pœnitẽtia ſit odium peccati propter Dei offenſam, peculiaris eius fructus eſt exterminare peccatum & Deum offenſum conciliare. Nec ſolam cõtritionem ſiue pœnitentiam ſequuntur carnis mortificationes & boni fructus, verùm etiam charitatem & obedientiam mandatorum Dei. Teſtatur enim B. Gregorius & Chryſoſtomus quòd à licitis multis abſtinere debet, qui illicita commiſit. Et iuſtum eſt, inquit ille, vt peccator tanto maiora ſibi inferat lamẽta per pœnitentiam, quãto maiora intulit damna per culpam. Carnis autem mortificatio, mandatorum Dei obſeruantia, & opera bona, communia ſunt his qui peccauerunt, & alijs qui à peccatis Dei gratia ſunt ſeruati: Et carnis caſtigatio quam interior pœnitentia operatur, vera eſt ſatisfactio de qua loquitur Ioannes Baptiſta, dum hortatur, vt faciamus dignos fructus pœnitẽtiæ (quemadmodum Philip. ipſe hic teſtatur) de qua loquimur & nos. Si enim carnis caſtigationem pariat pœnitentia, ad ſuum finem eam refert, Deum ſcilicet conciliandum, eiusq; offenſam vindicandam: qui ſunt fines pœnitentiæ, propter quos etiam exhibet membra noſtra ſeruire iuſtitiæ, & corpora hoſtiam ſanctam, viuam, &c. Vt autem mandatis obtemperetur, fructus eſt quem parit obedientia: parit etiam pœnitẽtia, ſi fiat ne offendatur Deus. Suos namque fines ſingulæ habent virtutes.

Matth 3.

Philippus. Eſaiæ 29. Exodi 20. *Et cùm Chriſtus inquit, Agite pœnitentiam, certè loquitur de tota pœnitentia, de tota nouitate vitæ: non loquitur de illis hypocriticis ſatisfactionibus quas fingunt ſcholaſtici.*

Reſponſio. Diximus alios eſſe fructus pœnitentiæ, & alios nouitatis vitæ, quæ vniuerſas complectitur virtutes. Non igitur intelligi poteſt quòd Chriſtus inquit, Agite pœnitentiam, de fructibus quos tota parit vitæ nouitas.

Explicat autẽ in locis ſuis Philippus quas intelligat hypocriticas ſatisfactiones, eas videlicet quæ ſine mandato Dei fiunt in ieiunijs, vigilijs, & vitæ auſteritate.

Philippus. *Nam cruciatus, inquit, vltro accerſiti pertinent ad regulam, Fruſtra me colunt mandatis hominum. Item pugnant cum his præceptis, non occides, Item habete honorẽ corpori, &c. Vult enim Deus non agnoſcere hanc noſtram vitam: & mirificam omnium partium ac ſenſuum naturam & harmoniam ſuum opus & donum eſſe, imò & Dei imaginem habere & cõtineri: ideò diligenter ſeruari & tractari vult hominum naturã. Sed quia peccatum hæret in nobis, alioqui ſatis erit calamitatum, quæ cito hanc mortalem naturam abſument: Has ferre iubet cum inquit: Sufficit diei afflictio ſua, id eſt, non accerſite vobis vltrò maiores calmitates, ſed rectè tolerate illas quæ propter mundi miſeriam vos attingunt, etiam non accerſita.*

Matth.6.

Reſponſio. Per hæc damnat Philippus vniuerſam vitæ auſteritatem in ieiunijs & vigilijs, quas ſponte aſſumimus, vel ab Eccleſiæ præpoſitis in pœnitentiam nobis iniunguntur. Doctrinam hanc didicit in ſchola non Chriſti, ſed Epicuri, qui docet, quæ corpori commoda ſunt & ſuauia quærere, & incommoda ac moleſta fugere, contra ſcripturas quæ ad pœnitentiam hortantur, reclamantibus etiã exemplis & vita ſanctorum, quos magnificè commendat ſcriptura. Prædicat enim Apoſtolus Paulus triumphantem & victricem fidem eorum qui circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, in ſolitudinibus errantes, in montibus ac ſpeluncis & in cauernis terræ, quibus dignus non erat mundus: qui tamen præ cæteris hominibus nulla acceperãt ſpecialia auſterioris vitæ illius præcepta. Et Rechabitas commendat Dominus, quòd ſpeciale vitę inſtitutum ſectabantur ex patris inſtituto ſeueriùs & expeditius: quò ſuę peregrinationis admonebantur, qui præ cæteris ſui populi ſpecialia nulla mandata acceperant, ſed patris duntaxat præcepto obtemperabant. Quod Philippus damnandum hic dicit ſecundum regulam, Fruſtrà me colunt doctrinis & mandatis hominum. Ac prætermiſſo Helia, Heliſeo, filijsque prophetarum, qui ſine Dei mandato vitam cœlibem & eam ſeueram ieiunijs, vigilijs, laboribus, veſtitu, cubitu, cæteroque victu & habitu ſimili duram & aſperam ducebant, ſponteque ex animi religione hanc aſſumpſerant. Nec mandatum legitur Ioanni Baptiſtæ vt vitam eremiticam viueret. Nazaręorumque inſtituta ab infantia ſectando, & vitam ſeueram ageret: vt ei eſſet veſtitus pili camelorum: locuſta, mel ſylueſtre & aqua cibus & potus. Et Anna illa Phanuelis filia nullius pręcepti neceſsitate, ſed proprij arbitrij electione vltronea, tot annis à templo non diſcedebat, ieiũnijs & obſecrationibus continẽter ſeruiens Domino. Hos omnes Philippus hic damnat quaſi hypocritas fruſtra Deum colentes ac ſeruientes. Peſtilens igitur eſt hęc eius doctrina, & aduerſaria ſcripturis ſacris, quę laudat magnificè quos damnat ipſe temerè, & quidẽ propter opera & vitam eandem. Latè hæc proſequitur Albertus Phigius Cãpenſis controuerſia 12. quę eſt de humanis & Eccleſiaſticis traditionibus.

Hebræ.11.
Nullũ præcepta data ſunt de auſteriori vita ſuſcipienda.
Hier.25.
Matth.15.
Mar 7.
Lucæ 2.

Philippus. *Multa colligi argumenta poſſunt quòd hæc dicta ſcripturæ nullo modo pertineãt ad ſcholaſticas ſatisfactiones, Iſti fingunt ſatisfactiones eſſe opera indebita: ſcriptura autem in his ſententijs requirit opera debita. Nam hæc vox Chriſti, Agite pœnitentiam, vox præcepti eſt.*

Reſponſio. Conforme eſt naturalis rationis iudicio quòd creditori nõ ſoluatur per id quod alio nomine eſt debitum. Et ideò ſecundũ B. Anſelmũ lib. Cur Deus homo. per illa fit ſatiſfactio pro peccato, quę ab homine exigi, niſi peccaſſet, non poſſent. Nam ſi apud me eſt alterius depoſita pecunia, & ei ex mutuo tantundem

Debitor depoſitum reſtituendo nō ſatisfacit creditori.

tundem debeam, non ſatisfacio pro mutuo accepto, depoſitum reſtituendo. Cùm igitur ſatisfactio de qua agimus, ſit iniuriæ illatæ compenſatio ſecundum æqualitatem iuſtitiæ, doctores quidam requirunt volūtariam redditionem æquiualētis alias indebiti. Intelliguntur autem opera iſta indebita iuſtis & his qui non peccauerunt, vt quod adulter debet ratione commiſsi adulterij, vel fur propter ablatam rem alienam, non eſt debitū ab eo qui à criminibus illis eſt immunis: de quo tamē apud doctores ſcholaſticos dubitatur, An per opera ad quæ ex præcepto obligamur, Deo ſatisfieri poſsit, & perſolui pœna pro peccatis debita. Nam B. Thomas quem Petrus Paludanus & Durandus ſequūtur, opinatur per huiuſmodi opera nō poſſe pro peccatis ſatisfieri, cū per opus præcepti nihil ſibi homo ſubtrahat: & bona, inquit Paludanus, intelliguntur deducto ære alieno. Contrariā ſententiā magna probabilitate ſequuntur Cardinalis Caietanus in quęſt. 1. de ſatisfactione pœnitentiali addita tertiæ parti: & ſanctiſsimus Dominus Adrianus pontifex tertius in tract. de pœnitentia. Et argumento quo obijcitur quòd ſatisfacere eſt facere æquale debito, quod non fieret, ſi id quod fit alias eſſet debitum: quia minus fieret quam deberetur, Reſpondet Cardinalis magnum diſcrimen eſſe inter ſatisfactionem quæ fit ſecundū limites & regulam puræ iuſtitiæ, & aliam quæ magis naturam ſapit amicitiæ quam iuſtitiæ: Et quòd ſatisfactio iſta pœnitētialis potiſsimum reſpiciat naturam amicitiæ. Quare etiam dicit à B. Thoma pœnitentiam aliam virtutem poni à iuſtitia vindicatiua, quę ius attendit, illa autem voluntatem offenſi & offendētis, quod amicitiæ magis eſt quàm iuſtitiæ. Porrò B. Anſelmum dicit non aliud intendere quàm quod ſolùm per pœnalia pro peccatis fiat ſatisfactio. Hęc enim ſunt quę ab homine non exigerentur, ſi non peccaſſet. Idem namque opus, vt eſt honorare parētes, ſicut dicit Caietanus, ſi cum pœnalitate aliqua exercendum occurrat, poteſt eſſe præceptum pietatis, & meritorium, vt eſt à charitate: & gratiarum actio Deo, vt eſt à ſuperexcellente gratitudine, quæ vocatur religio, & eſſe ſatisfactorium, quatenus eſt à pænitētia ſponte cum pœnalitate aſſumptum. Eſt itaq; hæc quæſtio inter eas de quibus vtrinq; opinari licet. Sed qui opinantur ſatisfactiones eſſe opera indebita, hoc eſt libera, à quibus abſtinere liceret, intelligunt non eſſe debita, niſi ab his qui Deum offenderunt. Peccator, inquit B. Hiero. dormiat in ſacco, & præteritas delitias vitæ auſteritate compenſet. Confitemur quidem, quod hæc vox Chriſti, Agite pœnitentiam, vox præcepti diuini eſt. Nam agere pœnitentiam hic eſt reſipiſcere, pœnitere, & peccatum admiſſum odiſſe ad Deum reconciliandum: de quo nullum eſt dubium quin præceptum fuerit ſemper iure naturæ, & nunc euangelico, omnibus lapſis in mortale peccatum, etiam ante baptiſmum. Hoc

Diſtinct. 15. 4. ſenten. q. 3. art. 1. q 5. ad 2.

In commen. ſuper Mala.

Omnibus in mortale peccatū lapſis, præceptum eſt diuinitus vt agāt pœnitentiam.

ipſum publicauit Ioannes & præcepit Chriſtus his quos præparabant ad vitam euangelicam atque ad baptiſmum inuitabant. Nec ſterilis ſufficit pœnitētia, ſed requiritur ea quæ ferax eſt operum quæ digna ſunt peccatis admiſsis, pro eorū magnitudine: de quibus propriè præcipit Ioannes quando hortatur ad faciendos dignos fructus pœnitentiæ. Hanc ſententiā propterea debebat potiùs hic citare Philippus. De quā magiſter diſtinct. 16. 4. ſententia. Satisfactio, inquit, à Ioanne præcipitur, vbi ait, Facite dignos fructus pœnitentiæ, vt ſecundum qualitatem & quantitatem culpæ ſit qualitas & quantitas pœnæ. Non enim par eſſe debet fructus boni operis eius qui nihil, aut qui min⁹ peccauit, & eius qui grauius deliquit, Ideò diſcretio pœnitenti valde neceſſaria eſt, vt illa faciat quæ tradit Auguſtinus dicens, Conſideret qualitatē criminis, &c. Hi autem fructus pœnitentiæ, vt varij ſunt, ita alijs alij magis ſunt neceſſarij: quidam præcepti ſub pœna mortalis peccati, quidam ſub peccati venialis pœna tantum: quidam autem conſulti, non præcepti. Et hęc varietas circa cuiuslibet virtutis actus contingere poteſt. Eſt autem pœnitētiæ fructus quicquid operum ipſa parit aut ad ſuū finem referr. Actum verò proprium pœnitentiæ diximus præceptum & neceſſarium. Neceſſarius etiam eſt omnis eius fructus ſine quo peccati non fit remiſsio: qualis eſt peccatorum apud ſacerdotem confeſsio, cum ſubmiſsione in arbitrium eius. Neceſſarius eſt præterea fructus, qui eſt vitare peccata ne Deus offendatur, (de quo potiſsimū loquitur Ioannes ad turbas, publicanos & milites) neceſſarium deinde eſt peccatorū occaſiones cauere ne offendatur Deus. Propter quod dicit B. Augu. ſatisfactionem pœnitentię eſſe peccatorum cauſas excidere, nec earum ſuggeſtionibus aditum indulgere. Vindicare autem peccatum ante vel poſt remiſsionē, ieiunijs, vigilijs, & vita auſteriore, fructus eſt pœnitentiæ: de quo apud doctores dubitatur an ſit voce hac euangelica præceptus. Nam rex Niniuitarum audita comminatione Ionæ prophetæ prædicauit ieiunia & cætera ad placandum Deum: & reſpexit hęc opera Dominus atque miſertus eſt. Qualia etiam opera antiquitus imponere ſolent præpoſiti eccleſiæ ante pœnitentis abſolutionem, quæ iniuncta habebāt quidem neceſsitatem, quam non antea, niſi fortaſsis in genere, eò quòd dolorem cordis pœnitētem oporteat opere afflictiuo oſtendere. De iſtis primū dubitatur, an pręcepta ſint ante iniunctionem voce euangelica, Facite dignos fructus pœnitentiæ. Nam ſanctorū ſententiæ quas ex Chryſ. Ambr. & Gregorio citauimus, inſinuant huiuſmodi operum neceſsitatem, Longo tempore es fornicatus, ait B. Chryſoſt. à legitimo vſu ſuſpēdere coniugij: delicijs ante diffluebas, ieiunio atq; aquæ potu vtrūq; compēſa. Et eandem ſentētiam habet B. Ambroſius ad virginem corruptam. Item B. Hieronymus

Quicquid operum parit pœnitentia, vel ad finem ſuum refert, id eſt ipſius fructus.

Cap. 54. de dogmat. Eccleſ.

Ionæ. 3.

Matth. 3. Homil. 10. in Matth.

nymus in epitaphio Paulæ. Rurſus Beatus Cyprianus in ſermone de lapſis: quorum omnium ſententias ſuperius citauimus. Qui verò ſe nō afflixerit poſt grauem culpam admiſſam, vt Deum ſibi propitium faciat, meritò timere debet quòd non verè nec ſatis pro dignitate peccatum ſuū odiat ac deteſtetur. Nam ſicut charitas operatur magna ſi in eſt, & ſi operari renuit, charitas non eſt: ita & pœnitentia. Hoc tamen per ſe pręceptum eſt, ex animo odiſſe peccata quòd in eis Deū offenderimus, vindicare autē & ſe affligere vnicuiq; conueniunt ſicut ſpiritus Chriſti ſuggerit, per ſe vel ſuos præpoſitos. Plurimum enim vt frequenter diximus, ſeueritas iſta qua quiſq; ſe iudicat, miſericordiā Dei prouocat ad prouehendum affectum pęnitētiæ, & gratiam Dei conciliandam. Et verè odiens peccata ſua vt Deo reconcilietur contentus non eſt his quæ neceſſaria ſunt ad peccatorum remiſsionē, ſed aſſumit & alia quæ commoda iudicat ad impetrandam veniam: quemadmodū vehementer aliquid deſiderans, nihil eorum omittit, quæ putat eſſe oportuna, vt aſſequatur finem intentum. Sed de horum operum ſiue fructuum pœnitentię, qui pręcedunt reconciliationē neceſsitate, non requirit articulus, vt multa differamus, qui loquitur duntaxat de ſatisfactione pœnæ debitę poſt culpā remiſſam. De huius aūt neceſsitate variæ ſunt doctorum opiniones. Nam Petrus de Palude diſt. 17. 4. ſente. q. 1. art. 1. concluſ. 5. dicit fortaſsis non requiri propoſitum ſatisfaciendi pro veniali: quia poteſt, inquit, remitti in purgatorio, ſed nō ſic pro mortali: vnde non videtur eſſe in ſtatu gratiæ, qui pro mortali non vult ſatisfacere hic, ſed tantum in purgatorio. Verè patrē ſuum amans quem offendit, plenè eum placare ſtudet, & qui nouit ſe emendam debere Deo vel homini in ſatisfactionem, videtur obligari vt eā ſoluat, tempore ſaltem oportuno. Paruum ſanè eſt peccati odium & tenuis erga Deum amor, ſi citò obliuiſcimur criminis contra eum admiſsi, vel non ſtatim tollimus totum. Aliorum tamē, beati Thomæ videlicet, Scoti, & ſanctiſsimi domini Adriani contraria eſt ſententia, quòd non ſit peccatori neceſſarium ſub pęna noui peccati, ſaltem mortalis, aliam in hoc ſeculo ſatisfactionem vltra cōtritionem & confeſsionem ſuperaddere. Sufficere enim videtur plena ſubiectio in caſtigationē Dei, vt ipſe de nobis ſuam faciat volūtatem. Nec à filio requirit pater quod ſe flagellet, ſed ſatis eſt ei quòd flagello patris ſe paratum ſubijciat. Poteſt tamen hìc concurrere defectus in metu iudiciorum Dei, quibus ipſe peccata etiā dimiſſa poſt hāc vitam grauiſsime punit & vlciſcitur. Poteſt & concurrere torpor & incuria in cogitando beneficium in remiſsione conceſſum: quæ tamen regulariter non ſunt peccata mortalia. Poſſet etiam contingere ꝙ propter vnius peccatū admiſſum cōmunitas aliqua affligeretur: quo caſu grauior requiritur ſeueritas in ſe affligendo. Sed

Verè peccata odiēs cōtēt' nō eſt ijs quæ neceſſaria ſunt ad recōciliationem cum Deo, ſed etiam quæ commoda putat adhibet.

per ſe loquendo opinantur non eſſe peccatū ſaltē mortale, velle in alterum ſeculū transferri ſatisfactionē. Id quod probant, Quia, inquiunt, ira Dei de puniendo tēporaliter aliter placari poteſt, quam per ſatisfactionē præſentis vitæ, cùm in futuro ſeculo pœna ſolui poſsit: & electio nobis conuenit ſicuti ſi aliquis debeat vnum ex duobus ſub diſtinctione, electio ſpectat ad debitorem.

Per ſe loquēdo non eſt peccatū mortale velle in alterum ſeculum ſatisfactionem differre.

Proinde liberum eſt homini, vt dicunt, poſt confeſsionem hìc vel in futuro pęnam temporalem ſoluere, & per conſequens nō eſt neceſſarium ſub pœna etiā venialis peccati ſatisfacere in hac vita. Quod etiam confirmant, quia ſicut poſt culpam mortalem dimiſſam remanet homo pœnæ temporali obnoxius, ita propter veniale: ſed ad redimendam pęnā temporalem venialibus debitam nō tenemur ſub pęna noui peccati pro ipſis venialib' in pręſenti ſatisfacere: igitur nec pro pęna tēporali dimiſsis mortalibus debita. Si igitur vltra contritionem & confeſsionē dicatur à ſāctis neceſſaria vlterior pro dimiſsis peccatis ſatisfactio, intelligendum eſt de neceſsitate ex ſuppoſitione ſeu conditionata, ſi ſcilicet homo velit in præſenti vita plenam peccatorum remiſsionem conſequi, & euadere alterius ſeculi vindictam: propter cuius grauitatem quaſi intolerabilem videri poſſet quòd quiſq; ex ſui charitate, ſicuti alterum, ita & ſe ab ea præſeruare obligatur, quātum poteſt. Sicuti enim ſe & fratrem eripere ab ignis incendio debet, ita & præſeruare atq; cauere ne in illud veniat. Non igitur præceptum euangelicum regulariter obligat ad huius pœnæ perſolutionem, ſub pœna ſaltem mortalis peccati, quāuis plæruną; ſine peccato non negligamus pro ea hic ſatisfacere. Hæc probabilior & communior eſt doctorum opinio.

Præceptum euangelicū regulariter non obligat ad ſatisfactionem ſub pœna peccati mortalis.

Item aduerſarij ſcribunt confitentem ſi recuſet recipere ſatisfactiones, non peccare, ſed perſoluturum eſſe has pœnas in purgatorio. Iam hæ ſententiæ ſine controuerſia præcepta ſunt ad hanc vitam pertinentia, Agite pœnitentiam Facite dignos fructus pœnitentiæ. Quare non poſſunt detorqueri ad ſatisfactiones quas recuſare licet. Non enim licet recuſare præcepta Dei.

Philippus.

Matth. 3.

Diximus ſecundum rationem materiæ eiuſdem virtutis actus quoſdam eſſe præceptos, alios eſſe conſultos, & vnum grauius altero eſſe præceptum: & perſolutionem pœnæ reſtantis nō cadere ſub pręceptum iſtud euangelicum, ſaltem ſecundum principalem eius intentionem: & ideo eam poſſe omitti ſine peccato, ſaltem mortali. Nā ſicut pœnitentia varios habet fructus, ita & continentia in virginibus, viduis & coniugatis, & quiſque horum ſuum habet donum: in quibus eadem virtus fruct' quoſdam habet præceptos ſub pœna mortalis peccati: alios autem ſub pœna venialis, habet & fructus ad quos euangelium ſolum ſuadet. Ita iuſtitia & temperantia, fructus habent valde varios ſecundū obligationem. Quod autē pro-

Reſponſio.

Quod liceat ſatiſfactiones recuſare minus probabile eſt.

ponit Philippus nos ſcribere quod liceat recuſare ſatisfactiones, credo intelligit impoſitas à ſacerdote, fatendum eſt quoſdam doctores ſic ſcribere, ſed minus probabilis eſt eorũ ſententia. Multò eſt probabilius quod docet B. Thomas pœnitentem obligari ad ſuſcipiendam pœnitentiam, quæ rationabili arbitrio ſacerdotis ei iniungitur, eamque adimplere. Quemadmodum enim in foro cõtẽtioſo iudex habet poteſtatem pœnam pro delictis imponẽdi, quam reus etiã ſubire tenetur: multò magis iudex eccleſiaſticus hanc habebit poteſtatem in foro conſcientiæ. Non enim poteſtas Apoſtolis à Chriſto conceſſa imbecillior eſt quàm poteſtas ſecularis. Eſt præterea clauis poteſtas non ſolùm ſoluendi, ſed & ligandi, vt patet ex verbis Saluatoris Matth. 16. & extrauagante, Quia quorundam Ioannis 22. de verborum ſignificatio. Sicut autem ſacerdotes abſoluũt vice Dei, ita & ligant cum multam pro culpis indicunt. Pœna autem diuina ſententia in ſacramento taxatam nolle ſubire, ſine dubio graue peccatum eſt. Nam ſi princeps cõſtitueret aliquem legatum ad iudicãdum in Repub. de criminibus, intelligeremus illius Reipub. ciues ſententijs iudicis inſtituti obligari parere: cùm ergo Chriſtus ſic inſtituerit ſuos vicarios Ioannis 20. non eſt dubitandum quin eorum ſententiæ, & in abſoluẽdo & ligando eandem habeãt vim, ac ſi à Chriſto latæ eſſent. Quam ob rem eiuſmodi ſententijs obtemperare omninò eſt neceſſariũ.

Non aliter Chriſti vicarij ſententijs parendũ eſt, quàm ſi à Chriſto latæ eſſent.

Quem obſecro dolorem de peccatis, quem animum vitam emendandi habet, qui pœnitentiam iuſtã & æquam à iudice, Dei locum habente latam, nec vult acceptare nec implere? Qua rurſum humilitate accedit iudicandus, qui iudicis ſententiam iuſtam negligere non veretur? Imò & iudicis arbitri quẽ tua voluntate elegeris iuſtæ ſententię nolle parere, iniquum eſt, & iudici quoque arbitro iniurium. Quãtò magis iniquum erit & iniurium iudici non arbitro, ſed diuina authoritate ſubſtituto nolle obedire, cum iuſtam profert ſententiam? Nam S. Leo Papa epiſt. ad Theodorum Epiſcopum, apertè dicit Chriſtum mediatorem Dei & hominum hanc Prępoſitis Eccleſię tradidiſſe poteſtatem, vt pœnitentibus actionem pœnitentię darent. Multò igitur probabilior eſt ſententia B. Thomæ, quòd pœnitens acceptare & adimplere debeat pœnitentiã ſibi legitimè iniunctam. An autem eam non acceptare ſit peccatum mortale, Item & eam non implere, variè ſentiunt doctores. Nam plurimi putant, inter quos eſt Durandus, eſſe peccatum mortale. Cardinalis verò Caietanus in q. 2. de ſatisfactione, ſimiliter in ſummula, in verbo Satisfactio, dicit eſſe duntaxat veniale: quoniam verſatur circa ea quę ſunt ad finem, ſcilicet ſolutionẽ pœnæ temporalis, quam poteſt pœnitens reſeruare in purgatorio abſque mortali Dei offenſa. Nec neceſſarius eſt hic actus impletionis pœnitentiæ ad dilectionem Dei, ſui ipſius, aut proximi.

Tertiò, indulgentiæ remittunt illas ſatiſfactiones, vt docet cap Cùm ex eo de pœn. & remiſ. At indulgentiæ non ſoluunt nos illis præceptis diuinis. Facite fructus dignos pœnitẽtiæ, Agite pœnitentiã. — *Philippus.*

Reſponſio. Indulgentiæ ſunt remiſsiones pœnæ debitæ pro peccatis. Facta autẽ ſolutione, ſiue debiti accepta remiſsione, non amplius obligat præceptum reddẽdi debitum, quod ſolutione vel remiſsione eſt ſolutum. Ita indulgẽtiæ non ſoluũt nos illis præceptis, ſed faciunt quod præceptum locum non habeat propter factam debiti indulgentiam: Diximus etiã nos non obligari his præceptis euangelicis ad ſolutionem huiuſmodi pœnæ.

Philippus. *Præterea cùm certiſſimũ ſit remiſſionem peccatorum gratuitam eſſe, ſeu gratis propter Chriſtum donari, ſequitur nõ requiri ſatiſfactiones. Et euangelium habet mandatum gratis remittendi peccata, non imponendi pœnas & nouas leges, aut partem imponendi pœnarum parte remiſſa. Vbi enim leguntur hæc in ſcripturis? Chriſtus de remiſſione peccati loquitur, cum ait, Quicquid ſolueris, &c. quo remiſſo ſublata eſt mors æterna, & reddita vita æterna. Neq; hic loquitur de imponẽdis pœnis, Quicquid ligaueris, ſed de retinendis peccatis illorum qui non conuertuntur.*

Reſponſio. Docuimus ſatisfactionem quæ eſt ex gratia Chriſti per eius ſpiritũ nobis communicata, non aduerſari gratuitæ peccatorum remiſsioni, ſed eam ſolũ quæ ex noſtris eſt operibus gratia ſecluſa, quę tamen dupliciter cõſiderari poteſt, ſcilicet vt ſe teneat ex parte Dei, & ſic merè gratuita eſt ſatisfactio ex Dei acceptatiõe: & ex parte hominis pœnitentis conſiderati, vt eſt membrum Chriſti eodem ſpiritu & vita cum Chriſto viuens. Atq; hac conſideratione ab intrinſeco valorem habet æquiualentem pœnæ debitæ: & gratia eſt quaſi naturalis proprietas, ſicut diuinæ naturæ conſors factus eſt per pœnitentiam iuſtificantem. Et quia euãgelium conſtituit Apoſtolos in materia peccatorum iudices, eorum eſt multas & pœnas imponere ſecundum delicti qualitatem: ſicut iudicum ſecularium in foro externo. Quod autẽ pars pœnæ remittatur, ex virtute eſt ſacramenti magis quàm ex gratuita eorum condonatione. Nec mirandũ quòd partem pœnæ remittere poſsint, quando Euangelium teſtatur ipſos poteſtatem accepiſſe remittendi etiam peccata. Nec ſolũ loquitur Saluator in verbo. Quicquid ligaueritis, &c. de retinendis peccatis eorũ qui non conuertuntur, verùm etiã de vniuerſis vinculis quibus ligari conuenit peccatorẽ ad ipſius conuerſionem: potiſsimum tamen de vinculo excommunicationis, in quo intelliguntur aliæ pœnę inferiores, ſuſpenſionis, degradationis, & impoſitionis pœnę ꝓ peccatis in ſatisfactionem.

Philippus. *Quanquã igitur ſentimus quòd pœnitentia debeat bonos fructus parere propter gloriam et mãdatum Dei: & boni fructus habent mandata Dei, vera ieiunia, vera orationes, vera eleemoſynæ, &c. tamen hoc nuſquam reperimus in ſcripturis*

ſanctis

ſanctis quòd pœnæ æternæ non remittantur, niſi propter pœnam purgatorij, aut ſatisfactiones canonicas, aut quod poteſtas clauium habeat mandatum cõmutandi pœnas, aut partem remittendi.

Reſponſio. Oſtendimus proprium eſſe pœnitentiæ, bonos fructus auſterioris vitæ parere, ad reconciliandum Deum peccatis noſtris offenſum, eumq́; placandum, & ad charitatem atque obedientiam pertinere, bona opera facere propter gloriam & mandatum Dei. Et hic iterum tradit doctrinã peſtilentem Philippus, quã ex ipſius locis ſuprà citauimus, quòd ſine mãdato Dei nulli ſint fructus virtutum boni, quodq́ue non ſint vera ieiunia, veræ orationes, veræ eleemoſynæ quæ ſpontè aſſumimus, vel à præpoſitis imponuntur, ſed hypocritica quæ dãnantur ſententia Saluatoris, Fruſtrà me colunt mandatis hominum. Nec docemus pœnas æternas remitti ꝑpter pœnas purgatorij, aut ſatisfactiones canonicas, ſed poteſtate diuinitus accepta remitti peccata, & pœnam æternam prius debitam fieri temporalem hic vel in purgatorio ſoluendam. Et quòd poteſtas clauium habeat mandatum commutandi pœnã æternam in temporalẽ, apertè docet euãgelium, *Ioan.20.* dum ait, Quorum remiſeritis, &c. Quod autem pœnæ temporalis partẽ remittere poſſit, atque etiam remittat, diximus eſſe probabilius, & non propriè pertinere ad fidem.

Philippus. *Præterea mors Chriſti non eſt ſolùm ſatisfactio pro culpa, ſed etiam pro æterna morte, iuxta illud, Ero mors tua ô mors. Quid eſt igitur monſtri dicere quòd Chriſti ſatisfactio redimat culpam, noſtræ pœnæ redimant mortem æternam? vt iam illa vox, Ero mors, &c. intelligi debeat non de Chriſto, ſed de noſtris operibus, et quidem non de operibus à Deo præceptis, ſed de frigidis quibuſdam obſeruationibus excogitatis ab hominibus.*

Reſponſio. Confitemur & nos mortem Chriſti plenam eſſe ſatisfactionem pro culpa & morte æterna, imò & pœna temporali, ſed efficax non eſt niſi his quibus applicatur: ſicuti cau- *Hebr.5.* ſa ſalutis eſt ſecundum Apoſtolum Paulum, at non omnibus, ſed obtemperantibus tan- *Satisfactio fit per quarũlibet virtutũ opera.* tum. Nec dicimus noſtras ſatisfactiones redimere mortem æternam, ſed pœnam duntaxat, quæ culpa dimiſſa a filijs gratiæ adhuc ſoluenda manet in emendam. Et docemus ſatisfactionem fieri per quarumlibet virtutum opera, modò pœnalia ſint, & ad Deum propitiandum fuerint ordinata. Huiuſmodi enim operibus propitiatur Deus, & plus gratiæ plerunq; habent ſi ſpontè fuerint aſſumpta, quàm ſi præcepta eſſent.

Philippus. *Incredibile eſt quanto cum dolore has ineptias aduerſariorum recitemus: quas qui expendit non poteſt non ſuccenſere iſtis doctrinis dæmoniorum: quas ſparſit in eccleſia diabolus, vt opprimeret cognitionem legis & Euangelij, pœnitentiæ & viuificationis & beneficiorum Chriſti.*

Reſponſio. Nimium hîc ſibi arrogat Philippus quòd non vereatur doctrinam eccleſiæ Catholicæ in generalibus cõcilijs definitam dicere doctrinam dæmoniorum, atq; in eccleſia ſparſam à diabolo, & vt talẽ damnare: nimiumq́ue de ſe & ſuo ingenio præſumit. Fallitur autem credens per eam opprimi cognitionẽ legis & euangelij, &c.

Nam de lege ſi dicunt, Deus condeſcendens noſtræ infirmitati conſtituit homini menſurã eorum ad quæ de neceſſitate tenetur, quæ eſt obſeruatio præceptorum, vt de reliquo, id eſt, operibus ſupererogationis poſſit ſatiſfacere de commiſſis. Hic fingunt homines legem Dei ita facere poſſe, vt plus etiam quàm lex exigit ſatiſfacere poſſimus. Atqui ſcriptura vbique clamat quod multum abſumus ab illa perfectione quam lex requirit. Sed iſti fingunt legem Dei contentam eſſe externa & ciuili iuſtitia: nõ vident eam requirere dilectionem Dei ex toto corde, &c. damnare totã concupiſcentiam in natura. Itaq; nemo tantum facit, quantum lex requirit. Ridiculum igitur eſt, quod fingunt nos amplius facere poſſe. Quanquam enim externa opera facere poſſumus, non mandata lege Dei, tamen illa eſt vna & impia fiducia, quòd legi Dei ſit ſatiſfactum. Et veræ orationes, veræ eleemoſynæ, vera ieiunia, habent præcepta Dei. Et vbi habent præceptum Dei, nõ poſſunt ſine peccato omitti: Verùm illa opera quatenus non ſunt præcepta lege Dei, ſed habent certam formam ex humano præſcripto, ſunt opera traditionum humanarum, de quibus Chriſtus dicit, Fruſtra me colunt man- *Matth.5.* *datis hominum, vt certa ieiunia inſtituta non ad carnem coercendam, ſed vt per id opus reddatur honos Deo, vt ait Scotus, & compenſetur mors æterna. Item certus numerus precum, certus modus eleemoſynarum, cum ita fiunt vt ille modus ſit cultus ex opere operato, reddens honorem Deo, & compenſans mortem æternam.* *Philippus.*

Certum eſt determinatum eſſe numerum *Reſponſio.* & menſuram præceptorum ad quæ de neceſſitate obligamur. Docet enim B. Auguſt. lib. 1. retract. cap. 22. penè nulla eſſe in euangelica atque apoſtolica doctrina, quamuis ardua & diuina præcepta & promiſſa, quæ nõ ſunt mortalia & iuris naturæ, quę videlicet in libris illis veteribus non reperiuntur. Nam legalia per Chriſti mortem abolita ſunt. Reliqua verò relicta ſunt noſtræ libertati, quæ præceptis ſupererogare poſſumus, quamuis tamen in omnibus & ſuper Deum honorificare oporteat, dicẽte Apoſtolo, Omnia quæ- *Coloſſ.3.* cunque facitis in verbo aut opere, in nomine domini Ieſu Chriſti facite. Et de verbo & facto ocioſo in die iudicij rationem ſumus reddituri. Hæc tamen quæ extra menſuram ſunt eorum ad quæ de neceſſitate tenemur, noſtræ electioni & voluntati relinquuntur, quid eorum facere velimus. Et plura Deum præcipere potuiſſe teſtatur ſtatus populi Iudaici, & leges à Domino per Moyſen datæ, ſecundum quas populum ſuum ſeruiliter & quaſi ſeruos gubernabat, nos verò vt filios, *Rom.8.* Non enim accepiſtis, ait apoſtolus, ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed ſpiritũ adoptionis filiorũ. Propter quod nulla nobis

dedit

dedit præcepta, niſi in bonū & ſalutem noſtram. Hæc enim eſt voluntas Dei, ait Apoſtolus, in præceptis & tota adminiſtratione filiorum ſanctificatio veſtra. Multa itaque ſunt opera ſupererogationis quæ præcepta non ſunt quibus ſatisfaciamus de commiſſis. De virginibus, ait Apoſtolus Paulus, præceptum Domini nō habeo, conſilium autem do, vt ſim fidelis. Et ipſe ſaluator, Qui poteſt capere capiat. Rurſus B. Paulus, Qui matrimonio iungit filiam ſuam, benè facit, & qui non iungit melius facit. Et qui ſtatuit in corde ſuo firmus non habens neceſsitatem, poteſtatem autem habens ſuæ volūtatis, & hoc iudicat in corde ſuo ſeruare virginem ſuā, benè facit. Item cap.9. Si alij poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos? ſed non vſi ſumus hac poteſtate. Rurſus in euangelijs, Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, &c. Et ideo B. Hieronymus lib.1. contra Iouinianum, plus amat, inquit, Chriſtus virgines quia ſponte tribuunt, quod ſibi non fuerat imperatum, maiorisq́; gratiæ eſt offerre quod non debeas, quàm reddere quod exigaris. Mirum ſi Philippus dicere audeat, quòd veteris populi patres qui circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, in ſolitudinibus errantes, in montibus, ſpeluncis, & cauernis terræ, quibus dignus non erat mundus, ad vitam huiuſmodi mandato Dei adſtringebantur, & non potius ſua ſpōtè vt Deo eſſent gratiores aſſumpſerint. Nihil igitur falſi eſt in hoc edicto, Deus cōdeſcendens, &c. quod deſumptum videtur ex lectione 4. Ioannis Gerſonis Cancellarij Pariſienſ. Corol.12. de ſpirituali vita animę: nec in iſto, quòd aliqua ſunt opera ſupererogationis, quibus pro commiſsis ſatisfacere poſsimus. Atque ita non fingimus, ſed verè ex ſcripturis docemus, quòd plus quàm lex exigit, facere poſsimus. Nō enim lex exigebat, quòd vidua paupercula mittens æra minuta duo, illa, totumq́ue victum ſuum & omnia quæ habuit donaret. Nec exigebat quòd patres de quibus dictum eſt, in melotis & pellibus caprinis errarent in ſolitudinibus, montibus & ſpelūcis, Nec quòd Anna propheteiſſa, vidua maneret ad annos octoginta quatuor, quodq́ue non diſcederet de templo, ieiunijsq́; & obſecrationib. ſeruiret Deo nocte ac die: ſed præceptis hæc ſupererogabāt. Atqui ſcriptura vbiq; clamat quòd multum abſimus ab illa perfectione dilectionis, ſed illius quam tanquam ſcopum noſtrum requirit. Eam verò quæ ſaluti neceſſaria eſt & ſufficiens, multi præſtant: Qui diligit me, inquit Saluator, ſermonem meum ſeruabit. In hoc perfecta eſt charitas nobiſcum, &c. Et falſum eſt quod nobis imponit, nos videlicet docere legem contentam eſſe externa & ciuili iuſtitia. Nam & Philoſophi nouerunt nō eſſe opus bonum, niſi à volente, & propter legitimum finem eligēte proficiſcatur. Quomodo autem lex damnet cōcupiſcētiam in natura, & requirat dilectionem ex toto corde, diximus articulo 2. reſpondentes argumentis Ioannis Caluini. Ac quamuis ita ſi res haberet quòd legem hanc dilectionis implere non poſſemus, non propterea falſum eſſet, nos amplius facere poſſe, quàm lex requirit: prout ſtatim docuimus de vidua euangelica. Anna prophetiſſa, & alijs. Satisfacere autem poſſumus legi, nō quin aliquando peccemus, ſed à ſcopo & legis intentione non recedentes eo quòd ſpiritu Dei filij eius aguntur. Sic tamen (ait B. Auguſt. cap.64. Enchirid.) ſpiritu Dei aguntur, & excitantur, & tanquam filij Dei proficiunt ad Deum, vt etiam ſpiritu ſuo, maximè aggrauante corruptibili corpore tanquā filij hominum quibuſdam motibus humanis deficiant ad ſeipſos, & ideò peccent. Nec tamen, inquit, omne peccatum crimen eſt, ſine quo ſanctorum hominum vita inueniri hīc poteſt: peccatū autem ſi dixerimus quia nō habemus, noſmetipſos ſeducimus & veritas in nobis non eſt.

1. Theſſa.4. — Multa ſunt opera eroga tionn. — 1.Cor.7. — Matth.16. — Marc.12. — Heb.11. — Luca 2. — Multum abſumus à dilectiõe, quæ debet eſſe ſcopus noſter, ſed non ab ea quæ ſufficit ad ſalutem. — 1.Ioan.4.

Obſerua Philippum hic rurſus repetere abſurdum, imò & impium dogma, quòd veræ orationes, veræ eleemoſynæ, vera ieiunia habeant præcepta Dei, & ſine peccato omitti non poſſint. Non igitur ſecundum Philippum vera erant ieiunia, veræ obſecrationes, quibus Anna propheriſſa Deo ſeruiebat nocte & die. Nec veræ ſunt eleemoſynæ, ſi quis relinquat omnia, & ea det pauperibus. Nec ſi quis diſtribuat in cibos pauperū omnes facultates. Hæc enim Dei mandatum nō habent, & ſine peccato omitti poſſunt. Et ſi fruſtra Deus colitur in opere quod ex præſcripto paſtorum agitur, inutilis erit obedientia quæ præſtatur præpoſitis Eccleſiæ. Non ita ſentit Apoſt. Paulus qui eis obedire præcepit, & certam formam viris præſcripſit, vt orantes leuarent puras manus ſine ira & diſceptatione, vt nudo capite orarent, mulieres velato. Pertinet enim ad obedientiam præſtare quod præcipitur, & quidem ſecundum eandem formam.

Quæ ex præſcripto fiunt, non ſunt inutilia.

Tribuitur operibus ſupererogationis hic honos, quòd ſint precium pro morte æterna: ita præferuntur operibus præceptorum Dei, & in hunc modum lex Dei bifariam obſcuratur. Et quia putatur legi Dei ſatisfactum eſſe per externa & ciuilia opera, & quia adduntur traditiones humanæ, quarum opera præferuntur operibus legis diuinæ. *Philippus.*

Reſponſio. Non docemus quòd opera quæcunq; ſint precium pro morte æterna: ſed pro temporali pœna duntaxat, cuius reatus plerunque manet culpa remiſſa. Nec tamen propterea præferuntur operibus præceptorū maximè Charitatis, ad quæ conſilia euangelica tanquam finem ac ſcopum referuntur. Et quia præcepta affirmatiua iuris diuini & naturalis non pro quolibet tempore obligāt, opus pręcepti eſt ſupererogationis, quādo præceptum non eſt: & præceptum fieri poteſt ſupererogatio ſecundum circumſtantiam quæ non præcipitur: ſicuti diximus de obſecrationib⁹ & ieiunijs Annæ propheriſſæ, & oblatione

latione viduæ Euangelicæ. Nec propterea per externa opera putamus legi Dei ſatisfactum eſſe. Docuimus enim huiuſmodi opera proficiſci ex ſpiritu Chriſti, charitatis & pœnitentiæ: & eadem ſunt ſecundum ſubſtantiam opera legis Dei & præpoſitorum eccleſiæ. Non aduertit Philippus, quod magnam dignitatem & valorem habent iudicio Dei opera noſtra ex ſanguine Chriſti, quo aſperguntur per ſpiritum inhabitantem: Et ideò doctrina noſtra legem illuſtrat, tradens duplicem operum originem, naturam & gratiam.

Philippus. *Deinde obſcuratur pœnitentia & gratia. Nam mors æterna non redimitur illa compenſatione operum, quia eſt otioſa, nec deguſtat in præſentia mortem. Alia res opponenda eſt morti cum tentat nos. Sicut enim ira Dei fide in Chriſtum vincitur, ita vincitur mors fide in Chriſtũ: ſicut ait Paulus, Deo gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtũ. Nõ inquit, qui dat nobis victoriã, ſi aduerſus mortẽ opponamus ſatisfactiones noſtras. Nõ vident aduerſarij, quomodo in remiſſione culpæ liberetur cor ab ira Dei, & à morte æterna per fidem in Chriſtum. Cum igitur mors Chriſti ſit ſatisfactio pro morte æterna, & cum ipſi aduerſarij fateantur illa opera ſatisfactionum eſſe opera non debita, ſed opera traditionum humanarum, de quibus Chriſtus dicit, quod ſint inutiles cultus, tutò poſſumus affirmare, quod ſatisfactiones canonicæ non ſint neceſſariæ iure diuino ad remiſſionem culpæ, aut pœnæ æternæ, aut pœnæ purgatorij.* *1.Corint. 15.*

Reſponſio. Per opera gratiæ, quæ quaſi fructus ab ea procedunt, non poteſt gratia obſcurari, imò per illa eius virtus magis manifeſtatur: nec pœnitentia obſcuratur, quando eius efficacia quam ex Chriſti ſanguine habet, commẽdatur. Non dicimus mortem æternam redimi operum compenſatione, ſed pœnam temporalem duntaxat; cuius adhuc manet reatus. Nec inconueniens eſt, ſi dicatur mors æterna per opera compenſari propter virtutem quam habent, vt Chriſti ſanguine ſunt aſperta. Ocioſam eſſe hãc compenſationem, & ocioſa opera quibus compẽſatur, ſine ſcripturis dicit Philippus, & ex ſcripturis quas citauimus reclamant patres vniuerſi. Verè pœnitens agnoſcit ſe mortis æternæ, dominum ſuum offendendo, factum eſſe reum, & ideò ex animo de offenſa dolet: Non aliam mortis deguſtationem à pœnitente requirunt ſcripturæ. Et cum tentamur puſillanimitate aut deſperatione ob iram Dei, quam incurrimus, per fidem mors Chriſti eſt opponenda, ſed hæc operatur, atque iram placat per noſtram pœnitentiam & fructus eius. Quam verò efficaciam ex Chriſti ſanguine hæc habeant hic diſputatur: non autem an Chriſti mors iræ Dei ſit opponenda. Et verè Deo gratia, ſicut Paulus ait, qui dat nobis victoriam, qua & ipſi nos vincimus mortem, diabolum, & infernum, ſed per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quaſi totius victoriæ auctorem. Ait enim beatus Ioannes, Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum, Et ſcripturis conſentaneum eſt, quod aduerſus mortem opponamus Chriſtum in nobis ſatisfacientem, & vincentem per noſtras ſatisfactiones. Non enim ſeparandus eſt Chriſtus, aut ſpiritus eius à noſtris ſatisfactionibus, quas ille per nos quaſi membra ſua & inſtrumenta principaliter ac primariò operatur. Et optimè videmus, quod per fidem in Chriſtum liberetur cor ab ira Dei & morte æterna. Hoc enim docemus tanquam fidei Chriſtianæ articulum: ſed ſicut per fidem in Chriſtum, ita & pœnitentiam de offenſa Dei cum propoſito emendandi. Non enim ab ira Dei cor liberatur, niſi eius cooperatiõe. Mortem itaque Chriſti eſſe ſatisfactionem plenam certa fide confitemur: opera autem præſcripta legibus præpoſitorum vel ſponte à nobis abſumpta eſſe inutiles cultus, ſcripturis oſtendimus omninò aduerſari. Nam eadẽ ſunt opera, quæ prępoſiti, & quæ lex Dei prę ſcribunt, in hoc tantum differentia, quod legibus præpoſitorum Dei præcepta determinantur ad certum modum & tempus, quemadmodum dicit beatus Auguſtinus ad Caſulanum. Ego, inquit, in Euangelicis & Apoſtolicis literis, video pręceptum eſſe ieiunium, ſed non inuenio definitum præcepto Domini, vel Apoſtolorum, quibus diebus ieiunare oporteat: quod propterea eccleſiaſticis legibus determinari oportet. Quod autem Philippus tanquam omnium dictorum atq; ſuorum ratiocinationum concluſionem infert, nos libenter cum eo confitemur, nec eſt quod in dubium vocetur, ſcilicet ſatisfactiones canonicas non eſſe, nec vnquam fuiſſe iure diuino ad remiſſionem culpæ aut pœnæ æternæ, vel pœnæ purgatorij, neceſſarias. Affirmus nihilominus opera pietatis ad illam remiſſionem multum conducere, pœnamque purgatorij per ea compenſari & redimi, propter valorem quem habent ex Chriſti ſanguine, per quem plurimum illuſtrantur, magnumque valorem & dignitatem accipiunt. Porrò addere hic audemus, quòd maior eſt Dei gratia, ſicuti & maior eſt nobis gloria, quòd culpa remiſſa non ſtatim tota pœna condonetur, ſed in hoc opere ſalutis noſtræ dignetur nos habere cooperarios: ſicut Philippus ex ſcripturis docet expedire, quòd in hoc ſæculo Deus nos caſtiget, & flagellis erudiat, ne fortè à nobis recedat anima eius. Quis filius, ait Apoſt. Paulus, quem non corrigit pater? quem diligit Dominus caſtigat, & flagellat omnem filium quem recipit. Tale eſt enim noſtrum ingenium, tanta infirmitas, vt ſolum metu ſupplicij in officio cõtineamur. Ait enim Eccleſ. Niſi inſtãter tenueris te in timore Domini, citò ſubuertetur domus tua. Nec refert ſiue ſtatim virgam adhibeat pater, ſiue poſt aliquod tẽpus, quando creditur, quod multum apud Deum non relinquitur delictũ. Nam Deus in ſcripturis legiẽ vindicare patrũ peccata, etiã ſolum

Mors Chriſti per noſtrã pœnitentiam placat iram Dei.

1. Ioan. 5.

Chriſtus nõ eſt ſeparandus à ſatisfactionibus noſtris.

Epiſt.86.

In literis Euangelicis præceptum eſt ieiuniũ, ſed ieiunij tempus non eſt præſcriptum

Hebræ. 12.

Cap.27.

ſolum in filijs. Huius enim ſupplicij in altero ſeculo ſequuturi conſideratione, magna reuerentia & obſeruatione iuſti Deo ſeruiunt, & peccata leuia etiam, grauiter aduerſum ſe vlciſcuntur, vt ſeuerum Dei iudicium, quod poſt hanc vitam exercet, euadant: prout ſcripturæ atque ſanctorum exempla abundè teſtantur. Eſt igitur ſingularis Dei patris gratia, quòd in Baptiſmo culpa & tota pœna propriè & per ſe peccatis debita, in gratiam Chriſti, cuius familiæ tunc incorporamur, remittantur. Eſt enim peculiare Baptiſmo hoc priuilegium. Nam de circuncifione, quòd hoc operabatur, ex ſcripturis non conſtat. Nec illa gratia fit, nec facta eſt ſemper quando in gratiam primò peccator recipitur. Non enim à reatu pœnæ liberatur catechumenus, quando per contritionem ex voto Baptiſmi peccata ei remittuntur. Poſtquam autem in familiam recepti ſumus, non remittitur peccatum, niſi diſciplina adhibita. Facit enim Deus pater ob mortem filij ſui nobis gratiam & miſericordiam ſecundum conſilium ſapientiæ ſuę, & ſecundum quod noſtræ ſaluti expedire ipſe nouit. Et CHRISTVS pro nobis ſatisfecit, ſicut viſum eſt ei expedire patris honori, iuſtitiæ & diſciplinæ in filios & eorum ſaluti: Cui propterea viſum eſt non expedire, quòd ſatisfaceret afficaciter patri pro impœnitente & nolente ſe emendare, quod talis in gratiam reciperetur, vel quod ſine caſtigatione huius vitæ à patre reciperemur: quia nouerat patris honori illud non conuenire, nec iſtud noſtræ ſaluti. Reuera enim malum eſſet atque ad peccata incentiuum, ſi ſine ſupplicio peccatum ſemper remitteretur: ſicut pater filio ſecundò, tertiò, immò frequenter peccanti, ſine flagello ignoſcens eum perderet & crudelis eſſet talis miſericordia. Et ideò ſecundum Eccleſiæ Catholicæ & noſtram ſententiam, maior eſt & prædicatur gratia DEI, ſi peccatorem pœnitentem in gratiam recipiat, cum reatu ſupplicij in hoc vel in futuro ſeculo ſuſtinendi: quàm ſi cum aduerſarijs dicamus Deum cum culpa totam pœnam ſemper remittere. Neceſſarium eſt, quòd in domo & familia Chriſti vigeat diſciplina, & domeſticorum puniantur delicta. Et quemadmodum non ordinauit DEVS ſecundum veritatem Catholicam, & etiam doctrinam Philippi, mortem Chriſti ad ſatisfaciendum pro caſtigatione huius ſeculi, ita nec ad remittendam ſemper pœnam temporalem per ſe peccato reſpondentem: ſicuti nec pœnam infert mortis, nec alias, quas extraordinariè pro peccatis immittit, vel iuſto ſuo iudicio, nulla habita peccati conſideratione. Ecce quibus nos erat iudicium vt biberent calicem, ait propheta, bibentes bibent, & tu quaſi innocens relinqueris? Et Beatus Petrus, Tempus eſt, vt incipiat iudicium à domo DEI. Varijs enim ex cauſis, & varijs modis flagella Dei contingunt, vt dicit Magiſter ſententiarum, qui quinque modos ponit, Primò, vt iuſtis per patientiam merita augeantur, vt beatus Iob: vel ad cuſtodiam virtutum, ne ſuperbia tentet, vt Paulo: vel ad corrigenda peccata, vt Mariæ lepra: vel ad gloriam Dei, vt de cæco nato pronunciat Dominus: vel ad initium pœnæ, vt Herodi, quatenus hic videatur, quid in inferno ſequetur, ſecundum illud, Duplici contritione contere eos Domine. Pœnam autem per ſe peccato debitam ſemper auertere poſſumus, redimendo vel compenſando: alias verò pœnas ita aliquando DEVS inferre decernit propter aliorum exemplum, vel tollendum ſcandalum, vel in ſalutem aliorum, vel eius qui punitur, vt nulla ratione eam fugere vel vitare poſſimus: ſicuti docet beatus Gregorius libro nono comment. in Iob.

Ex ſcripturis non conſtat, quod circumcunciſio remiſerit olim totam culpã & pœnam, ſicut iam Baptiſmus.

De his penis Cardinalis Caietanus quodl. 2. q. 1. de indul. ad argumentum 8.

Hiere. 49.

1 Pet. 4.

Cap. 12.

Diſtinct 35. 4. ſentent.

Hierem. 17.

Diſtinguit autem Martinus Lutherus circa concluſionem quintam reſolutionum de virtute indulgent. ſex genera pœnarum, vt oſtendat Papam non poſſe remittere vllas pœnas, præter eas quas vel ſuo vel canonum arbitrio impoſuit: tandem concludens nullam eſſe ſatiſfactionem ſacramentalem. Sed quia doctiſsimè eius argumentis reſpondet Reuerendiſsimus Dominus Iohannes Roffenſis, circa articulum aſſertionis Lutheranæ 21. & Magiſter noſter Iacobus Latomus in ratione condemnationis articulo. Lutheri, nos ea hîc præteribimus, & ſimiliter argumenta, quæ facit contra ſatisfactionem pœnitentialem in aſſertione articuli quinti, vbi dicit ſe vehementer odiſſe hoc vocabulum Satisfactio, & velle ſublatum eſſe. His enim omnibus partim ex Ioanne Epiſcopo Roffenſi, partim ex ijs, quæ ſuperius diximus, facile erit reſpondere.

Cap. 30.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Certa fide tenendum eſt hominem habere liberum arbitrium, quo poteſt malè et cum gratia Dei benè agere, & poſt mortale peccatum admiſſum Deo adiuuante pœnitere, & peccatorum remiſſionem conſequi.

Quid liberũ arbitrium.

LIberum arbitriũ eſt facultas, qua poſitis omnib⁹ requiſitis ad eligendum & agendum, poſſumus non eligere & non agere, ita videlicet quòd omnibus ſimiliter ſe habentibus quando eligimus, poſſimus non eligere, imò plerũque refutare, & quãdo non eligimus aut refutamus, eligere poſſimus & refutare. A qua facultate dicitur cauſa aliqua libera & agẽs liberum: Et cauſa naturalis eſt quæ neceſſariò agit omnibus prequiſitis poſitis, nec poteſt nõ agere. Mouetur autem hic difficultas, An poſito Dei concurſu ſine quo nec agere, nec eligere poſſumus, poſſimus nihilominus non agere & non eligere, & an non exiſtente Dei cõcurſu eligere poſſimus & agere. Cui facile eſt reſpõdere, ſi conſideremus ad Dei prouidentiam nõ pertinere, quòd rerum naturas corrumpat, ſed ſeruet: propter quod omnia mouet ſecundum eorum conditionem, & cauſas naturales, vt per diuinã motionem conſequantur effectus ex neceſſitate, & cauſas liberas, atque ad vtrumque contingentes, vt ex ijs ſequãtur effectus contingenter. Propter quod Deus liberum arbitrium ſic mouet, vt non ex neceſſitate moueatur, nec ad vnum ipſum determinet, ſed remaneat motus eius contingens, nõ autem fiat neceſſarius. Si tamen Deus voluntatem ad aliquid moueat, impoſsibile eſt huic poſitioni quòd ad hoc non moueatur: Nec tamen eſt ſimpliciter impoſsibile: quia eo momento quo ad aliquid mouetur, poteſt contrarium velle: poſita autem hac motione & concurſu Dei quo vult nos velle & agere, volemus & agemus. Neceſsitari tamen voluntatem à Deo, qui author eſt naturæ, quamuis cogi ab eo non poſsit, nihil vetat: Nam tunc auferret illi libertatem in tali actione, mouendo eam ceu brutam pecudem, quod nunquam facit lege communi.

Diſcrimen inter cauſã liberam & naturalem.

Eſt in homine facultas quædam eligendi & refutandi ea quæ proponuntur.

Huiuſmodi autem facultatẽ eligendi vel acceptandi & refutandi atque reijciendi ea quæ per intellectum proponũtur eſſe in homine, teſtantur ſcripturæ ſacræ. Nam Geneſ. 4. cap. dicit Dominus ad Cain, Nonne ſi benè egeris recipies? ſi autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit? ſed ſub te erit appetitus eius ſcilicet peccati, hoc eſt benè & malè faciẽdi. & tu dominaberis illius, vt poſsis abſtinere & peccare. Vbi B. Heronymus, Nonne, inquit, ſi benè feceris dimittetur tibi omne delictum tuum: quod ſi malè egeris, ilicò ante veſtibulũ tuum ſedebit, & tali ianitore comitaberis? Verùm quia liberi arbitrij es, moneo vt peccatum non tibi, ſed tu peccato domineris. Et Eccleſiaſtic. *Cap. 31.* Beatus diues qui inuentus eſt ſine macula, & poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecunia & theſauris. Quis eſt hic & laudabimus eum? Fecit mirabilia in vita ſua: qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, & facere mala & nõ fecit. Item B. Paulus, Qui ſtatuit *1. Cor. 7.* in corde ſuo firmus non habẽs neceſsitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc cogitauit in corde ſuo ſeruare virginem ſuam. Et eodem cap. Qui matrimonio iungit virginem ſuam, benè facit, & qui nõ iungit, melius facit. Ac de vidua dicit, Cui vult nubat tantum in Domino: Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit, manifeſtè ſupponens in noſtra hæc eſſe poteſtate facere, vel non facere. Et Saluator ad Petrum, an putas quòd non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi plus quàm duodecim legiones angelorum? Atque hanc poteſtatem in ſe expertus Pilatus, dixit Domino, Neſcis quia *Matt. 26.* poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſta- *Ioan. 19.* tem habeo dimittere te? Quam vtramque ei admittit Chriſtus, monens tamen vt memor ſit à quo acceperit, & quòd de eius vſu aliquãdo ſit redditurus rationem. Rurſus eiuſdem epiſt. cap. 9. Nunquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi? ſed non vſi ſumus hac poteſtate. Multas alia ſcripturas pro voluntatis libertate ad vtramq; partem contradictionis adducit Richardus Armacanus, libro 15. de quæſtio. Armenorum. Item B. Auguſtinus de vera religione cap. 14. Si non voluntate, inquit, malè facimus, *Cap. 6. & ſequentib.* nemo obiurgandus eſt omninò, aut monendus. quibus ſublatis Chriſtiana lex, & omnis religionis diſciplina auferatur neceſſe eſt. Et paulò ſuperius, Vſque adeò voluntarium malum eſt peccatum, vt nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium. Atque hoc ita manifeſtum eſt, vt nulla huic doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat. Quare negandum eſt peccatum committi, aut fatendum eſt voluntate committi, vt per eandem ipſum caueri poſsit. Et quoniam peccari dubium non eſt, nec hoc quidem video dubitandum, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Idem libro tertio de libero arbitrio. Quis peccat in eo quod nullo caueri poteſt: Peccatur autem: *Cap. 1. & ſequentibus* Caueri igitur poteſt. Quod explicans cap. ſexageſimo ſeptimo de natura & gratia & *& cap. 18.* libro primo retractat. dicit cum gratia Dei *Cap. 9.* caueri poſſe: quæ quia commemorata non eſt, putant Pelagiani ſuam nos tenuiſſe ſententiam. Rurſus capite octauo libro ſecundo contra Felicem Manichæum, Iam diximus, inquit, & ex ſcripturis probauimus eſſe liberum arbitrium. Deum autem eſſe liberi arbitrij iuſtum iudicem, remunerator fidelium, eique ſe ſubijcientium & volentium ſanari, damnatorem autem ſuper-

Nullum malum niſi voluntariũ eſt peccatum.

borum & impiorum. Docet etiam idem Auguſtinus ex ſcripturis liberum eſſe hominis arbitrium, lib. de grat. & libero arbitrio. Et beatus Hieronymus quæſt. ſecunda ad Hedibiam. Ex eo, inquit, quòd reſpondes Deo & calumniam facis, & de ſcripturis tanta perquiris, vt loquaris contra Deum, & iuſtitiam voluntatis eius incuſes, oſtendis te liberi eſſe arbitrij, & facere quod vis, vel tacerè vel loqui. Si enim in ſimilitudinem vaſis fictilis te à Deo creatum putas, & illius non poſſe reſiſtere voluntati, hæc conſidera: quia vas fictile non dicit figulo, Quare me ſic feciſti? Deus autẽ ęquali cunctos ſorte generauit, & dedit arbitrij libertatem, vt faciat vnuſquiſque quod vult, ſiue bonum, ſiue malum: intantum autem dedit omnibus poteſtatem, vt vox impia diſputet contra creatorem ſuum, & cauſas voluntatis illius perſcrutetur. Idem oſtendit Ioannes Damaſcenus libro ſecundo de fide orthodoxa, noſtras ſcilicet actiones in noſtra eſſe poteſtate, vt agamus & ceſſemus ſicut nobis placet: Eorum quæ fiunt inquit cap. 26. quædam in nobis ſunt, quædam verò in nobis non ſunt. In nobis autem ſunt ea, quorum liberam ſumus adepti poteſtatem, & facere: & non facere. Hæc vero ſunt quæ per nos ſpontaneè aguntur vniuerſa (nõ enim ſpontaneè dicerentur agi, actione in nobis non exiſtente) & omninò ea quæ ſequitur laus aut vituperatio, & in quibus præuaricatio cadit & lex: & demum propriè in nobis ſunt omnia animæ de quibus conſultamus: tandem concludens, Horum arbitrij libertatem per ſe, liberamque poteſtatem adepti ſumus. Et capite ſeptimo. Quod ex neceſſitate, inquit, fit, neque virtus, neque vitium eſt. Si autem neque virtutem, neque vitium poſsidemus, neque laudibus & coronis, neque vituperationibus & punitionibus ſumus digni. Inuenietur autem & Deus iniuſtus: his bona, illis verò tribulationes tribuens, & cæt. quæ ſequuntur. Super quo eſt concors omnium patrum ſententia, quos citat Ioannes Epiſcopus Roffenſis circa articulum trigeſimum ſecundũ Lutheranæ aſſertionis: frater Alfonſus de Caſtro libro de hæreſibus, & Albertus Pighius libro ſecundo & tertio de libero hominis arbitrio. Nec tamen ex ſcripturis & patribus tantum hanc liberi arbitrij ad vtrumque oppoſitorum docti ſumus facultatem, verum etiam citra reuelationem in lumine naturalis rationis eam cognouerunt & docuerunt Philoſophi. Docet enim Ariſtoteles lib. 9. Metaphyſices, & lib. primo Peri hermenias potentias rationales eſſe ad oppoſita: ac tertio lib. Ethicorum operationes virtutum ac vitiorũ eſſe in noſtra poteſtate. Quibus enim in rebus, ait, in noſtra poteſtate ſitum eſt agere, in his & non agere: & in quibus non agere, in his & agere. Vtrumque enim in nobis ſitum, agere honeſtum & turpe. Actuum enim in principio vſq; ad finem domini ſumus, habituum verò principij tantum. Atq;

Cap. 2.

Cap. 25. & ſequentibus.

Quod ex neceſſitate fit, neq; virtus neque vitiũ eſt.

de Cicerone refert B. Auguſtinus lib. 5. de ciuitate Dei, quòd arbitratus certam futurorum præcognitionem non poſſe conſtare cum libero arbitrio, maluit negare Deum eſſe futurorum pręſcium, quàm negare liberum arbitrium. Si Deus, inquit Cicero, futura omnia præuoſcit, nihil eſt in noſtra poteſtate, nullum eſt arbitrium volũtatis. Hoc enim Ciceroni ſequi videbatur. Quod ſi concedimus, inquit, omninò humana vita ſubuertitur, fruſtra leges dantur, fruſtrà obiurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur, neque vlla iuſtitia bonis præmia, & malis ſupplicia conſtituta ſunt. Hæc Cicero in libr. de diuinationibus. Hæc ergo, inquit Auguſtinus, ne conſequantur indigna & abſurda, non vult eſſe præſcientiam futurorum, docens fidem pietatis vtrumque confiteri. Cum igitur ſcriptura & omnium ſanctorum, omnium etiam nationum vſus adhibeat exhortationes, comminationes, & ſimilia, oportet in homine eſſe liberum arbitrium. Atq; hoc ipſum tam manifeſtum eſt per experientiam eorum quæ agimus, vt propemodum ſuperuacaneum videri poſsit ad id ſcripturas aut rationes adducere. Quare rectè dicit Gabriel Biel diſtinct. vigeſima quinta. 2. ſentent. poſt VVilhelmum Ockam quæſtione 6. quotlib. 1. & Gregor. de Arimino eadem diſtinct. quòd voluntatem eſſe liberam libertate contingentiæ ſit tam euidens per experientiam, vt non poſsit per aliquid euidentius demonſtrari. Et propterea etiam B. Auguſt. in aſſerẽdo liberum arbitrium potiſsimum vtitur experimentis: ſimiliter Damaſcenus & reliqui patres. Et B. Aug. confidenter in reſponſione tertia hyponoſt. ſcribit, Liberum arbitrium eſſe hominibus, certa fide credimus & prædicamus indubitanter. Item lib. 12. de ciuit. Dei, de duobus æqualiter affectis animo & corpore, viſa eadẽ vnius corporis pulchritudine, quòd vnus ad illicitè fruendum mouebitur, & alter in volũtate pudica perſeuerabit: quòd frequenter experimur, concludit à ſola pendere voluntate: quia vnus noluit, & alter voluit à caſtitate deficere. Qui igitur noluit deficere, poterat velle, & qui voluit poterat nolle deficere, & in caſtitate pſeuerare: ſicut ſcriptura dicit, Qui potuit tranſgredi, & non eſt trangreſſus. Verũtamen an ex principijs per ſe notis demonſtrari poſsit, quòd in nobis eſt ad oppoſita contradictoriè & cõtrariè arbitrij libertas, variè ſentiunt doctores ſcholaſtici. Nam B. Thom. quęſt. 24. de veritate, art. 1. dicit, quòd non ſolùm fides, ſed & ratio euidens, quam proſequitur, oſtendit noſtri arbitrij libertatem. E diuerſò verò Andreas de Caſtro diſt. 45. 1. ſent. & Ioãnes Buridanus 3. Ethicorum, conantur oſtendere contrarium, qui etiam nituntur reſpõdere rationibus & experientijs quæ adduuci ſolent pro hac libertate: ſed nulla hoc faciunt probabilitate.

Cap. 9.

Cic maluit negare Deũ eſſe futurorũ præſcium, quàm negare hominem eſſe liberi arbitrij.

Cap. 8.

Eccleſia. 31.

Item prima parte q. 82. artic. 1.

Huiuſmodi autem facultatis eligendi vtrumlibet oppoſitorũ radix & origo eſt indetermi-

Indeterminatio intellectus eſt origo libertatis eligendi vtrumlibet.

determinatio intellectus in conſultando & iudicando: vt docet B. Thom. in prima part. q.82. art.1. Quæ indeterminatio naſcitur ex vniuerſalitate obiecti, propter quã reflecti poteſt ſuper ſuum iudicium, conſilium & electionem, de eis iudicando: poteſt & finem cognoſcere, & habitudinem mediorum ad ipſum, & ad inuicem conferre media. Reſpicit enim pro obiecto rationem veri, ſicut voluntas rationem boni, in genere & in communi: Et ideò conferre poteſt media, atque collatiuum habere iudiciũ. Bruta verò animalia iudicant ex inſtinctu naturæ determinato ad vnum: & propterea ſimiliter atque eodem modo mouẽtur ſemper & agunt: ſicut non iudicant, niſi de vno aliquo opere: non de habitudine medij ad finẽ, nec mediorum inter ſe. Ideoq; ſicut grauia ſemꝑ deorſum mouentur, & à Deo, ſiue à generãte, ita animalia bruta à Deo authore naturæ: nec ſibi cauſa ſunt iudicandi vel mouendi. Propter quæ B. Bernardus lib. de arbitr. ex hac potiſsimum libertate, qua liberum eſt volũtati ſeipſam iudicare: vel bonam ſi bono: vel malam, ſi malo conſenſerit: quippe quæ in neutro niſi volendo ſe conſentire ſentit, arbitrium liberũ nominari credit. Semper enim iudicio reſpondet appetitus: & vbi iudicium eſt naturale vel determinatum, neceſſe eſt talem eſſe appetitionem & refutationem: quando verò indeterminatum eſt, liberũ eſt, ac in optione appetitus ſitum, vel refutare, vel acceptare, prout ſibi licet. Quãdo igitur in homine dicitur eſſe liberum iudicium, ſignificatur liber eſſe appetitus, & libera electio eorum de quibus liberè iudicamus: ſignificãtur & horum actuum principia eſſe libera ac indeterminata. Principia autem ſunt ratio & voluntas. Vtramq; enim potentiã complectitur ratio liberi arbitrij.

Diſt. in 21. 2. ſentent. B. Thomas. in 2.q.17. ar.1. & 1. parte q.83. art.1. & vtroque loco Caietanus.

Et ideò definitur à Magiſtro Senten. poſt B. Auguſt. quòd ſit facultas rationis & voluntatis, qua bonũ eligitur gratia aſsiſtente, vel malum eadem deſiſtente. Eſt autem hæc facultas rationis, non ſubiectiuè, ſed originaliter: & voluntatis ſubiectiuè, & tanquam principij actiui, à quo immediatè procedit libera actio, concurrente tamen indeterminato intellectus iudicio. Quapropter à iudicio quaſi radice libertatis potius dicitur arbitrium liberum, quàm libera voluntas vel electio, quæ eſt proprius libertatis actus. de qua dicit Ariſt. 6. Ethicorum dubitando, an ſit intellectus appetitiuus, an appetitus intellectiuus: quamuis in 3. Ethicorum magis ſentiat, quòd ſit appetitus præcõſiliati. Propter vicinitatem enim & mutuum concurſum iudicij vltimi practici, in quo libertatis origo, vnum appellatur nomine alterius. Arbitrium quidem propriè eſt iudicium vel facultas iudicandi, ſicut arbiter iudex eſt à partibus aſſumptus, & nõ datus à lege: cuius officium eſt arbitrari, hoc eſt, iudicare non quod iuris eſt, ſed quod æquum eſſe exiſtimat: propter quod iudicium merè ſpeculatiuum, & rei euidentis propriè fortaſsis nõ eſt arbitrium. Exercitium igitur libertatis in actionibus intellectus, & omniũ virium animæ à ſola eſt voluntate, (quæ per ſe primò libera eſt) eiuſq; electione, cuius ſolius participatione omnes reliquæ virium animæ actiones liberæ ſint & in noſtra poteſtate.

Intellectus plerunque ſubeſt volũtatis affectioni in iudicijs circa particularia

Nam quòd etiam per intellectum iudicare poſsimus, & à iudicio ceſſare, hocque vel illud agẽdum, eligendum, aut reijciendum iudicare, procedit à voluntate: cuius affectioni in iudicijs circa particularia plerunque ſubeſt intellectus, ſi tamen varias & ad oppoſita habeat apparentias. Aliter enim iudicamus odientes, aliter amantes: quemadmodum Ariſtoteles dicit ſecundo Ethicorum. Et piè affecta voluntate ad ea quæ fidei ſunt, certò & infallibiliter ea credimus: quamuis tamen diſſentire poſſemus. Ac plerunque opinari poſſumus ex voluntatis imperio vtramq; partem cõtradictionis, quando probabiles habet pro ſe rationes. Quòd igitur iudicium vel arbitrium ſit liberum libertate contingentiæ ad contradictoria, vel contraria, habet à volũtate, quòd autem iudicium ſit, ab intellectu habet. Eſt tamen quędam libertas, hoc eſt, indeterminatio iudicij in intellectu ex eius natura, ſine participatione voluntatis in particularibus agibilibus, quæ ſunt contingentia & variè apparere poſſunt, diuerſa autem honeſti, vtilis aut delectabilis habita conſideratione, eadem refutari poſſunt, & acceptari: ſicut in Rhetoricis & Dialecticis media contingunt ad ſuadendum, imò ad perſuadendũ vtramuis partem cõtradictionis. Quæ indeterminatio eſt principium libertatis quæ eſt in voluntate, concurrente ſimul facultate reflectendi in intellectu & voluntate.

Multæ ſunt voluntatis actiones non liberæ, ſed naturales. 3. Ethic c.2.

Ex quibus manifeſtum eſt, non omnes actiones voluntatis eſſe liberas, ſed multas eſſe naturales, videlicet vniuerſas quæ vel præueniunt, vel non ſequuntur liberum rationis conſiliũ & iudicium: quales ſunt voluntates quæ ſubrepunt, & repentè fiũt in nobis, & quæ fiunt à pueris vel furioſis: cùm nec ſint humanæ, nec in noſtra poteſtate. & quamuis ſecundũ Ariſtot. ſponte & voluntariè fiant, non tamẽ liberè, nec per electionem. Nec liber eſt amor finis, niſi fortaſsis quoad exercitium tantum, hoc eſt, libertate cõtradictionis. Ea verò ſola, vt docet ipſe, liberè à nobis fiunt, quę ex conſilio & deliberatione procedunt. Nam electio, inquit, quæ ſolum mediorum eſt ad finem, & proprius act⁹ liberi arbitrij, cum ratione & mente eſt, & appetitus præconſiliati, & eorum tãtum quorum propriè Domini ſumus, quæque agere poſſumus & omittere. Quæ igitur ex ſola appræhenſione ſine iudicio & conſilio volumus, libera non ſunt. Vbi igitur maior determinatio iudicij, minor eſt libertas, loquẽdo de determinatione ante concluſionem intellectus practici ſiue operatiui. Nam quando agimus vel eligimus ex rationibus apparentibus, oportet iudicium eſſe determinatum: vt docet Card. Caietanus circa quęſt.83. primę partis

B.Thomæ. Occurrunt autem hic multæ difficultates quarum diſcuſsionem articuli explicatio non requirit, attingemus tamen eas propter aduerſariorũ argumenta, quæ à quibuſdam earum pendere videntur. An videlicet amor finis qui eſt primus actus voluntatis, à quo omnis electio & tota vita pendet, ſit neceſſarius & merè naturalis, an aliquo modo liber. An voluntas habeat ſe ad eum paſsiuè tantum: de quo variè opinãtur doctores. Ioannes Scotus quotlib.21. putat eſſe liberum: & B.Thom. docet omninò eſſe

Cap 17.

naturalem ab authore naturæ vel gratiæ. Dicit enim de hoc actu B. Auguſt. lib. de gratia & libero arb. quòd Deus facit vt velimus etiam ſine nobis: quam difficultatem latè tractat idem Cardinalis circa q.9. art.4. in 12. & quæſt. 111. artic.2. & opinatur hunc actum à voluntate elici, ſe tamen ad volendum non applicante, ſed Deo ſolo. Ioan. Capreol. diſtinct.24. & 25. dicit actum primum voluntatis reſpectu finis eſſe complacentiam innatam à Deo, & recipi ſolum, non autem effici ab ea. Franciſcus verò Ferrarienſis in comment. ſuper 1. lib. B. Thom. contra Gentiles, cap.23. & lib.3. cap.73. & 89. credit eſſe probabilius quòd voluntati naturaliter indita ſit forma aliqua quaſi habitualis, per quã vult finem, ſicuti intellectui innatus eſt habitus principiorum: & per hunc habitum & complacentiam voluntatem ſe mouere ad amorem finis, ſicut per hunc ad electionem mediorum, neceſſariò tamen & merè naturaliter: quia ſine præuio conſilio ac deliberatione. Naturalem autem & neceſſarium, atque ex inſtinctu exterioris mouentis eſſe hunc primum voluntatis actum docet Ariſtot. in magnis mora. ca. de fortuna: & 7. Ethicorum dicens, quòd virtus principium quod à fine ducitur, conſeruat: vitium corrumpit. In rebus autem agendis principium eſt cuius gratia, vt in Mathematicis ſuppoſitiones. Neq; illic ratio eſt edoctiua principiorum, neque hîc, ſed virtus aut ex natura, aut ex conſuetudine rectè ſentire faciens circa principiũ. Et ideò in 3. Ethic. dicit, Qualis quiſque eſt, talis & finis ei videtur: ſtudioſo viro verum bonum: prauo autem contingit, vt ægrotis, quò ad ſentire amara vel dulcia. Magna præterea eſt difficultas, an vehemens paſsio ſenſitiua ſic mouere poſsit voluntatem, vt neceſſariò ſequatur volendo vel nolendo: de qua B.Thom. docet 12. q.10. artic.3. quòd voluntas liberè velle & nolle poſsit, quandiu rationis nõ abſorbetur vſus, eò quòd paſsio nõ moueat, niſi ea parte qua mouetur ab obiecto voluntas, quia videlicet facit apparere bonum & conueniẽs, quod extra paſsionem tale eſſe non iudicaretur, ipſa autem ſe applicat ad volendum. Ideò circa eundem art. Caiet. repræhendit Gregorium Ariminenſ. quòd dicat diſtinct. 1. 1. ſent. 2. q. art. 2. non omnem actum volẽdi voluntatem elicere liberè libertate cõtradictionis: quia non actũ nolendi, qui ſequitur experiẽtiam alicuius intenſi ſenſibilis læſiui. Vndè non puto, inquit, quòd abſq; miraculo aliquis poſſet vri in igne, & non dolore, & per conſequens nõ nolle & odiſſe illud: quamuis fortaſsis poſſet nõ nolle nolitione deliberata, & tali triſtitia non triſtari. Sed Grego. ſic ſe explicans videtur dicere ſolum quòd neceſſario triſtetur, & nolit nolitione naturali volũtatis, vt natura eſt: & ita ſubſcribere videtur ſententiæ B.Thom. qui iſtud etiam docet q.2. de veritate art.9. in ſolutione 3. & 6. arg. & de malo q.3. artic.10.

Primum voluntatis actũ eſſe naturalem & neceſſariũ docet Ariſtot.

Narrat autem B. Aug. lib.4. de ciuitate Dei, cap. 20. poſt Titum Liuium lib. 2. de vrbis origine, quòd Mutius Sceuola immobilem manum in igne tenuit & combuſſit: in hoc oſtendens magnum & efficax imperium volũtatis in membra corporis, & ſe velle pati tantum ignis ardorem & cruciatum.

Exemplum Mutij Sceuola quo probauit efficax voluntatis imperium in mẽbra corporis.

Alij verò doctores putant voluntatem multis modis neceſsitari poſſe, præcipuè ab obiecto vehementer delectante aut contriſtante. Diſputatur etiam, An difficultatem pati poſsit voluntas in eligendo & refutando obiectum multum delectans & multum contriſtans, quò ad actum ſuum elicitum, an ſolum quò ad actum imperatum. De quibus hic agere non oportet propter aduerſarios, qui docent nullã eſſe libertatem contingentiæ, ſiue à neceſsitate & ineuitabilitate, ſed à coactione ſolum: & liberè agere, eſſe idem quod ex deliberatione ſecundum actualem voluntatis propenſionem agere, quamuis neceſſario: Pro maiori tamen materię declaratione, & argumentorum ſolutione hęc attingimus. Ex nunc dictis manifeſtũ eſt quod libertas qua poſſumus ex nobis in oppoſita, velle & non velle, ſit naturalis proprietas ſequens naturam intellectiuam: & ideò reperitur in Deo, angelis bonis, & malis, & omnibus hominibus etiam damnatis, & inſeparabilis eſt à natura intellectiua: quamuis à ſuo vſu propter corporis indiſpoſitionem in hominibus impediri poſsit. Dicit enim B. Bern. quod libertas à neceſsitate æquè & indifferenter Deo vniuerſæq; tam malæ quàm bonæ rationali conueniat naturæ: Nec peccato nec miſeria minuitur: nec maior in iuſto eſt, quam in peccatore, nec plenior in angelo quàm in homine. Manet ergo libertas voluntatis vbi etiam ſit captiuitas mentis: tam plena quidem in malis, quàm in bonis, ſed in bonis ordinatior: tam integra quoq; pro ſuo modo in creatura, quàm in creatore: ſed in iſto potentior.

De libero arbitrio.

Libertas voluntatis tam plena eſt in malis quàm in bonis.

Verum Bernardus quibuſdam loqui videtur de libertate quæ opponitur coactioni, Officium autem quod eſt de ratiõe liberi arbitrij, eſt fieri poſſe in diuerſa obiecta ad finẽ ordinata. Poſſe autem in bonum & malum ſolum ei conuenit, inquantũ eſt in natura potenti deficere: quodque vnum velit, poſtea verò oppoſitum, ei conuenit inquantum eſt in natura mutabili. Et ideò non ſunt hæc de ratione liberi arbitrij, quod propriè in Deo eſt: qui (licet non vnum poſt aliud) diuerſa velle & nolle poteſt, eo quod nulla creatura ad eius beatitudinem neceſſariam habeat habitudinem.

Eſt

Eſt autem libertas quædam ſecundum exercitium actus, quomodo liberè volumus beatitudinem, & nō velle poſſumus: & alia ſecūdum eius ſpecificationem, vt nolle poſſimus & velle oppoſitum: qua ratione beatitudinis voluntas libera nō eſt, cùm eam nolle non poſſimus, nec velle eſſe miſeri. Et eſt hæc arbitrij libertas per ſe, vt diximus, in eligendo & refutando, & ex conſequenti ſolùm in agendo & non agendo. Nam vt dicit beatus Auguſt. q.1. lib.2. ad Simplicianum. Quamuis, inquit, in cuiuſque ſit poteſtate quid velit, non eſt tamen in eius poteſtate quid poſſit vel facere cuiquam, vel à quoq; pati. Nec malis permittit Deus facere quæ volunt. Porrò de ſpiritu & litera, ca.31. Cùm volūtas, inquit, mala poteſtatem accipit implere quod intēditur, ex iudicio venit. Nam ad ea quæ foris aguntur cogi poſſumus, & contra noſtram voluntatem impediri. Propter quod inter aliarum virium operatiōes hæ tantum liberæ ſunt, quæ à volūtate eiuſque imperio efficienter procedunt, tāquam naturales eius effectus, qui neceſſariò ſequuntur: vt docet B. Anſel. cap.4. de peccato originali. Nihil igitur tam eſt in noſtra poteſtate, quam ipſa voluntas, hoc eſt, actus volendi, vt dicit B. Auguſt. libr.1. retractat. Vbi etiam explicat, quod hoc ſit in noſtra poteſtate, quod cum volumus facimus, atq; ideò in noſtra poteſtate eſt facere arborem bonā & fructum eius bonum: aut facere arborem malam & fructum eius malum. In poteſtate, inquit, hominis eſt mutare voluntatem: quāuis eius poteſtas nulla ſit, niſi à Deo detur. Itē lib. de ſpiritu & litera, Hoc, inquit, quiſque in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult facit, ſi non vult non facit: Quo ſuppoſito inquirit, Vtrum fides in noſtra ſit poteſtate, Videte nunc, ait, vtrum quiſque credat ſi noluerit, aut non credat ſi voluerit. Docet etiam magiſter in ſententijs quatuor eſſe ſtatus liberi arbitrij in homine: ante peccatū, quando ad bonum nihil impediebat, & ad malum nil impellebat: poſt peccatum ante reparationem gratię, in quo premitur a concupiſcētia & vincitur: & poſt reparationem ante confirmationem, quando premitur à concupiſcentia, ſed non vincitur: ac poſt confirmationem quando infirmitate penitus conſumpta, & gratia conſummata, nec vinci poterit, nec premi, & tunc primùm habebit non poſſe peccare: Deinde poſt B. Bern. diſtinguit triplicem libertatem, à neceſsitate, à peccato, & à miſeria. Et neceſsitas hæc diſtinguitur in coactionem, & in naturalem ac neceſſariam in obiectum inclinationem. Ac ſuper iſta ſola libertate, à neceſſitate ſcilicet ineuitabilis inclinationis, nobis ea nunc diſputatio erit cum aduerſarijs quæ etiam ſemper fuit Eccleſiæ Catholicæ, cum hæreticis. Nam quod ſponte ac volētes agimus & fugimus, nunquam fuit controuerſum propter ſui manifeſtiſsimam euidētiam: cum bruta, pueri, & furioſi ſic velint & agant. Nec vnquam controuerſum fuit, an voluntas cogi poſsit, vt aliquid velit vel nolit contra ſuam inclinationem, quum ea etiam, quæ metu eligimus, ſponte & voluntariè eligamus. Volumus enim manum abſcindi, ne corpus totū inficiatur & intereat. Et docet Ariſtoteles quòd metu facta ſint ſimpliciter voluntaria, & inuoluntaria ſolum ſecundum quid. Nec etiam controuertitur ſuper libertate à miſeria & culpa, quā cōſtat perditam eſſe per peccatum in Adam & tota eius poſteritate. Nam voluntas & ratio grauiter ſunt vulneratæ: Hæc ignorantia eſt errore agendorum: illa, malitia, hoc eſt ſui immoderato amore: De corpore ac viribus organicis nimis notorium eſt quàm multis ſubiecta ſint miſerijs. Et de culpa dicit B. Iaco. quod in multis offendimus omnes. Per quam diſtinctionem libertatis reſpondet B. Augu. Iuliano obijcienti quòd doceret per peccatum primi hominis liberū perijſſe arbitrium, & ideò vocaret eum Manichæum. Quis noſtrū, inquit, dicit quòd peccato primi hominis perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem perijt per peccatum: ſed illa, quæ in paradiſo fuit habēdi plenam cum immortalitate iuſtitiam: ꝓpter quod natura humana diuina indiget gratia. Nam liberum arbitrium vſq; adeò in peccatore nō perijt, vt per illud peccent maximè omnes qui cū delectatione peccant, & ex amore peccati hoc eis placet quod libet. Et in 3. lib. Hyponoſt. Per velle malū, inquit, rectè perdidit poſſe bonū, qui per poſſe bonum potuit vincere malum. Et poſtea, Per peccatum liberum arbit. hominis poſsibilitatis bonum perdidit, hoc eſt, poſſe bonum, opere ſcilicet pręſtare, quod habuit ante peccatum, non nomen & rationem. Verè igitur manet poſt peccatum ratio liberi arbitrij. Et ideò eodem lib. concludit. Eſt igitur liberum arbit. quod quiſque negauerit, catholicus non eſt. Quod autem hic dicit B. Auguſtinus quod per peccatū homo perdidit poſſe bonum, intelligitur poſſe ſimpliciter & abſolutè bonum, ſic quod nunquam peccet. Controuerſia igitur eſt ſuper libertate quæ eſt naturalis proprietas naturæ intellectualis, An illa ſit ad eligendum & refutandum oppoſita, volendum & non volēdum: quam ſuperiùs ex ſcripturis & patrū concordi ſententia monſtrauimus, & quam Ioannes Caluinus, Mart. Bucerus & liber à Cæſare propoſitus in Colloquio Ratiſponenſi affirmant non eſſe in homine, ſed omnia ab eo fieri neceſſariò & ineuitabiliter. Ait enim hic liber quòd concreata libertas faciendi boni & ſe continendi à malo, per hominis lapſum eſt amiſſa, ſola libertate à coactione retēta: imò Martinus Bucerus docet Deum omnia neceſſariò agere, nec poſſe alia facere quàm facit. Omnem itaque negant contingentiam & omnimodā eſſe neceſsitatem in electione, atque omni noſtra operatione affirmant. Quam hæreſim docebat Pet. Abaialdus tempore B. Bern. cuius dogmata multa in epiſt. ſuis impugnat. Philippus verò neceſsitatem

Cap. 22. *In noſtra poteſtate eſt facere arborē & fructum eius bonum vel malum.*

Cap. 31.

Diſtinct. 25. lib. 2.

Lib. de lib. arb. & gratia.

Aug. li. 1. de lib. arbitrio

3. Ethic. ca. 1.

Cap. 3.

Lib. 1. cōtra 2. epiſtolas Pelagij.

Per peccatū perijt libertas quæ fuit in paradiſo.

Quomodo per peccatū homo perdidit poſſe bonum.

docet in electionibus & affectibus, & in opere externo admittit contingentiam.

Hanc autem libertatem, quæ eſt poteſtas oppoſita eligendi, explicat articulus, quando dicit quòd per ipſum lib. arb. homo poteſt malè agere ex infirmitate, à ſua cōcupiſcentia abſtractus & illectus, nō tamen quaſi mancipium ab ea neceſsitatus, imò ex propoſito & electione: qui tametſi adeò infirmus eſt vt neceſſariò aliquando malè agat & peccet, non tamen malè agere aut peccare, nec etiam benè, cōtingit ſine hac libertate: qua poſſemus & non peccare quando peccamus.

Gene.4. Omnis enim actio bona & mala in noſtra eſt poteſtate, dicente ſcriptura, Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Nec humana eſt actio & imputabilis ſi ab homine ſecundū rationem & voluntatem non procedat. Propter quod pueri, furioſi, amentes & dormientes peccare non poſſunt ob defectum liberi vſus rationis.

Cap.25. Et B. Auguſtinus libr.1. de ciuit. Dei. Si illa concupiſcentialis, inquit, inobedientia quæ adhuc in membris moribundis habitat præter noſtræ voluntatis legem quaſi lege ſua mouetur, quantò magis abſq; culpa eſt in corpore non conſentientis, ſi abſque culpa eſt in corpore dormientis? Et non eſſe culpam in corpore

Cap.25. dormientis, clarè docet 12. de Geneſi ad li-

Cap.35. teram: & lib.1. de remiſ. peccatorum oſtēdit

Cap.22. & 24. quod in paruulis nullum peccatum eſſe poſſit: Quia, inquit, ſine propria voluntate nul-

Cap.21. lum poteſt eſſe peccatum vitæ propriæ: & li. 3. de libero arbitrio dicit quod homo incipit eſſe præcepti capax, quando incipit vti ratione, & tunc incipit poſſe peccare. Item de natura & gratia. Atque hæc videtur eſſe expreſſa ſententia Domini ſaluatoris Marci 7. vbi ait. Quæ de homine exeunt, illa coinquinant hominem. Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, &c. Poteſt etiam homo ſola electione & ſtudio non aliundè impulſus peccare: quomodo peccauerūt angeli & primi parentes no-

Cap 3. ſtri. Nam B. Auguſt. lib.14. de ciuit. Dei, contra philoſophos quoſdam oſtendit, non omnia animæ mala eſſe ex corpore, aut immoderata concupiſcentia partium inferiorum: ſicuti nec omnia ſunt ex diaboli ſuggeſtio-

Cap 82. ne. Dicitur enim de eccleſiaſtic. dogmat.

Cap.14. quòd non omnes cogitationes noſtræ malæ à diabolo excitantur, ſed aliquoties ex noſtri arbitrij motu emergunt. Sunt enim qui non ſolùm non vincuntur, ait beatus Auguſtinus lib. de pœnitentia, ſed vltrò ſe peccato offerunt, nec expectant tentationem, ſed

Cap.12.3. de lib.arb. præueniunt. Nullum autem eſſe peccatum ſine arbitrij libera actione in ſuperioribus ſatis probauimus. Quis, inquit, beatus Auguſtinus, peccat in quod nullo modo caueri poteſt? Et in expoſitione quarundum propoſitionum ex epiſtola ad Rom. dicit de Pharaone quòd obduratus præceptis Dei nō obtemperabat, iam de ſupplicio veniebat: Nō ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperarit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non potuit, ſed quia dignum ſe præbuit, vt cor obduraretur priori infidelitate. An autem excuſare poſsit neceſsitas quam fecit prior volūtas, maximè ante pœnitentiam, hic diſcutere non oportet: & ea quæ ex huiuſmodi neceſsitate fiunt libera ſunt in ſua cauſa. Ideoque nihil mirandum eſſet, ſi cauſæ malitia atq; culpabilitas in ea transferatur.

Et quia articulus inſinuare videtur quòd ſine gratia non poſsit homo benè agere, intelligendus eſt ſicut frequenter dicit B. Auguſtinus, quòd ſine gratia benè agere homo non poſsit quò ad ea quæ pietatis ſunt & Chriſtianæ religiōis. Quod pertinet, inquit, ad religionem & pietatem de qua loquebatur apoſtolus, non ſumus idonei aliquid cogitare quaſi ex nobis ipſis, ſed ſufficiētia noſtra ex Deo eſt. Et quod Dominus dicit Ioannis 15. Sine me nihil poteſtis facere, interpretatur quòd nullos fructus, quales proferunt palmites vitis, quam ſe eſſe dicit. Nam ſine gratia ex viribus naturæ multa bona ab homine fieri poſſe docet idem Aug. libr. de ſpiritu & litera. Idem docet Apoſtolus Paulus ad Rom.1.cap. dum ait, Reuelatur ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum, eorum qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent: quia, quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtauit. Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita vt ſint inexcuſabiles: qua cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerūt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis. Quæ verba explicās B. Amb. Ex ipſa, inquit, cæli fabrica iratus illis Deus videri poſſet. Idcirco enim tam pulchra aſtra condidit, vt ex his quantus & quàm admirabilis creator eorum eſt, poſſit agnoſci, & ſolus adorari. Per naturalem ergo legem reum facit genus humanum. Potuerūt enim id per legem naturæ appræhendere, fabricâ mundi teſtificante authorem Deum ſolum diligendum, quod Moyſes literis tradidit. Sed impij facti ſunt non colendo creatorem. Notitia Dei manifeſta eſt ex mundi fabrica. Vt enim Deus qui natura inuiſibilis eſt, etiam viſibilibus poſsit ſciri, opus factū eſt ab eo quod opificem viſibilitate ſua manifeſtaret: & ille eſſe Deus omniū crederetur, qui hoc opus facit: Et vt omninò excuſari impietas non poſsit, adiecit etiam virtutes Dei & diuinitatem ſempiternā cognitam eſſe ab hominibus. Multis enim modis qui reus conuincitur, excuſari non poteſt. Ex quibus patet quod impij & infideles, de quibus loquitur Apoſtol. ſicut Deum cognoſcere, ita eum ſolum adorare & gratias agere potuerunt. Vſque adeò, addit B. Amb. non ignorauerunt, vt faterentur vnum eſſe principium, à quo omnia initiū ſortita ſunt: cœleſtia terreſtria, & infernalia: & hunc vnum eſſe, qui omnibus decreuerit proprietates & officia naturaliter: & hæc ſcientes nō

Quomodo ſine gratia homo nō poſſit benè agere.

Lib. de prædeſtina. ſanctorū cap.2.

2. Cor.3.

Cap.27.

Impij et infideles ſicut Deū ex creaturis cognoſcere, ita eſt ſolum adorare potuerunt.

egerunt gratias. Item cap. 2. Cum enim gentes quæ legem nō habent naturaliter ea quę legis ſunt faciunt, hi eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordib⁹ ſuis, teſtimonium reddēte illis cōſcientia ipſorū. Quod etſi beatus Auguſtinus li. de ſpiritu & litera, intelligendum credat de gentibus ad Chriſtū conuerſis, quæ ad nouū pertinent teſtamentum: non tamen aliorum patrum improbat interpretationē, qui intelligunt gentes à fide omnino alienas. Ait enim: Si autem hi qui naturaliter quæ legis ſunt faciunt, nondum ſint habendi in numero eorum quos Chriſti iuſtificat gratia, ſed in eorum potiùs, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter iuſteq; colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel nouimus, vel audimus, quæ ſecundum iuſtitiæ regulam non ſolum vituperare non poſſumus, verū etiam meritò rectéq; laudamus: quanquam ſi diſcutiatur quo fine fiant, vix inueniuntur quæ iuſtitiæ debitam laudē defenſionémue mereantur: verum tamen quia non vſque adeò in anima humana, imago Dei terrenorū affectuum labe detrita eſt, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint, vnde meritò dici poſsit etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ facere aliqua legis vel ſapere: ſi hoc eſt quod dictum eſt, quia gentes quæ legem non habent, hoc eſt legem Dei, naturaliter quæ legis ſunt faciunt, & quia huiuſmodi homines ipſi ſibi ſunt lex, & ſcriptum opus legis habent in cordibus ſuis: id eſt, non omnino deletum eſt quod ibi per imaginē Dei cùm crearentur impreſſum eſt, &c. Sicut enim cognitio ita & ſenſus & affectus honeſtatis in ea manſit. Si tamen à Chriſti gratia alieni ſunt, illi qui ſecundum illum modū, de quo ſuperius, naturaliter quæ legis ſunt faciunt, quid eis proderunt excuſantes cogitationes in die qua iudicabit Deus occulta hominū, niſi fortè vt mitiùs puniātur? Sicut enim non impediunt à vita æterna iuſtū quędam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur, ſic ad vitam ęternam non proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficilimè vita cuiuſlibet peſsimi hominis inuenitur. Et 3. li. Hyponoſtic. Eſſe, inquit, fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod ſit idoneum quæ ad Deum pertinent ſine Deo inchoare aut certè peragere. ſed tantum in operibus vitæ præſentis tam bonis, quàm etiā malis: bonis dico quæ de bono naturæ oriuntur. id eſt velle laborare in agro, velle manducare & bibere, velle habere amicum, velle quicquid bonum ad præſentem pertinet vitam: malis verò dico, vt eſt velle homicidiū, velle adulteriū, velle res alienas diripere. Sed iſta non pertinent ad ſubſtantiā vitæ præſentis, quia non ſunt à Deo: ſed zizania animæ & carnis, quæ inimicus homo, id eſt diabolus, dormitante Adam, Dei præceptum non conſeruante, in liberum ſeminauit arbitriū: in quibus procliuior & paratior eſt quàm in proſperis vulnerata & deprauata voluntas. Opera igitur quæ non requirunt aliud principium quàm vires naturales, hoc eſt, quæ ad pietatem & religionem chriſtianam non pertinent, ſine gratia Dei facere poſſumus. Et in epiſtola ad Circenſes, quæ eſt 130. dicit idem Aug. virtutes morales gentilium eſſe dona Dei, Ruſus epiſtola 59. quæ eſt ad Euodiū dicit quorundam infidelium vitam ſecundum modū quendam fuiſſe laudabilem. ſimiliter epiſtola 5. quæ eſt ad Macedonium. Et in lib. de patientia, dicit laudandam eſſe patientiam ſchiſmatici morientis ne Chriſtum neget. Item beatus Chryſoſt. & poſt eum Theophylactus & Oecumenius exponentes eundem locum B. Pauli, de ſolis gentibus à fide alienis ipſum interpretantur. Quod verò dicit, Ex natura, naturæ ratiocinationes ait Chryſoſto. intelligit. Et Oecumeni⁹ explicās particulam, Quæ legis ſunt faciunt. Naturæ, inquit, ratiocinationibus ad boni operationem vtentes: admirandi autem ſunt qui lege pœdagogo non egent, ſed ſibijpſis legem ferunt ac latam complent legem. Neque enim illis opus eſt, inquit, literis legis, quorū cor inſcriptum eſt conſiderata lege atteſtāte eorum conſcientia. Idem B. Paul. Act. 14. Et nos mortales ſumus ſimiles vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis cōuerti ad Deum viuum, qui fecit cœlū & terram & mare & omnia quæ in eis ſunt, qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas: & quidem non ſine teſtimonio ſemetipſū reliquit benefaciens de cęlo, dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda eorum: docens idipſum quod Romanis ſcripſit, quod ſcilicet ex his beneficijs Deum cognoſcere benefactorem, venerari & adorare oportebat. Quod autem dicit Beatus Auguſtinus, in impijs & infidelibus nulla eſſe opera bona: quia omne quod non eſt ex fide peccatum eſt, & arbor mala non poteſt bonos fructus facere, &c. ipſe ſe interpretatur in fine eiuſdem cap. dum ait Iuliano. Quoniam ſaltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, nō tamen ad ſalutem ſempiternam regnumq; perducere, ſcito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam ſine Dei gratia, quæ datur per vnum mediatorē Dei & hominum nemini poſſe cōferri, per quod ſolū homo poteſt ad ęternum Dei donū regnūq; perduci: Omnia proinde cætera quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes verę, videantur opera bona, & ſine vllo facta peccato: quod ad me attinet hoc ſcio, quia non ea facit voluntas bona. Voluntas quippe infidelis atq; impia non eſt bona. Dicantur ſecundum te huiuſmodi volūtates arbores bonę: ſufficit quod apud Deum ſteriles ſunt, ac per hoc nō bonę: ſint inter homines fructuoſę, inter quos ſunt & bonæ te authore, te laudatore, ſi vis etiam plantatore: dum tamen velis nolis obtineam, quòd amor mundi, quo quiſque

Cap 29.

Auguſtinus locum Apoſtoli ad Ro. ca 1. de gentibus, intelligendū putat de gentibus ad Chriſtum conuerſis.

Sicuti iuſtū à vita æterna non impediunt peccata venialia, ita ad vitam æternam nō proſunt impio aliqua bona opera.

Opera quæ tantum vires naturales requirūt ſine gratia Dei fieri poſſunt.

Cap. 26.

Lib. 4. contra Iulianū, Cap. 3.

Voluntas infidelis et impia non eſt bona, nec arbor bona.

que amicus eſt huius mundi, non eſt à Deo, amorq; fruendi quibuſcunque creaturis ſine amore creatoris non eſt à Deo: amor autē Dei, quo peruenitur ad Deum, hoc eſt ad regnum cœlorum, non eſt niſi à Deo patre per Ieſum Chriſtum cum ſpiritu ſancto. Per hūc amorem creatoris benè vtitur quiſque etiā creaturis. ſine hoc amore creatoris nullus quiſquam benè vtitur creaturis. Et concludit. Hoc ergo amore, inquit, opus eſt vt bonū beatificum ſit & pudicitia coniugalis: propter quam inſtituta fuerat cum Iuliano diſputatio. Eo itaque ſenſu intelligendæ ſunt ſententiæ B. Auguſtini, vbicunque dicit opera impiorum non eſſe bona vel eſſe mala: quia videlicet deficiunt ab ea perfectione & conditione operis, ſecundum quam perducerent ad regnum cœlorum: nec ſteriliter, ſed cum multo fructu bona eſſent. Eodē enim capite dicit etiam tenebroſa eſſe opera, quæ non fiunt intentione fidei per dilectionem operantis. Nam ſicuti impius & infidelis ſolis naturæ talentis naturalibuſq; viribus relictus, Deo generaliter cooperante diſcernit inter multa licita atque illicita: ita pro tempore & loco poteſt non peccare, nolle fornicari, furari, ex eo quòd iudicat illa eſſe illicita. Omne enim quod malum eſſe nouit, odiſſe atq; abominari poteſt. Et ſicut in ratione eſt lumen naturale, ex quo ratio poteſt ratiocinari ac diſcurrere ad multarum veritatum cognitionem: ita in voluntate ipſi ſyndereſi, quę eſt in intellectu ſimilis, habitus reſpondet in voluntate, quo naturaliter amamus honeſtatem & virtutem. De quo ait B. Tho. 12. q. 63. art. 1. & q. 51. art. 1. item. q. 8 de virtutibus.

Auguſtino opera impiorum nō ſunt bona quia deficiunt ab ea perfectione & conditione operis ſecundum quam perducerēt ad regnum cœlorū.

Et poteſt homo per liberum arbitrium cum gratia Dei benè agere, opera videlicet pietatis chriſtianæ religionis, & alia quę ad ſalutem ęternam perducunt: quando in peccatis eſt, ſe ad iuſtitiam prępararе: & quando iuſtus eſt, facere opera iuſtitiæ. Nec ſolum hæc agere poteſt per liberum arbitrium, ſed & eligere & velle facere. Admittit enim Mart. Lutherus quòd homo effectiuè ſe habeat ad operationes à voluntate imperatas, ſed merè paſſiuè reſpectu actuum voluntatis. Et quia per liberum arbitrium hæc agimus, poſſumus ea non agere, & ad vtrumlibet nos habemus in operibus pietatis quę ex gratia agimus: ſicut opera ciuilia & naturalia, vt libet refutare poſſumus & eligere. Intelligitur autem in articulo propriè gratia quę eſt auxilium gratuitum Dei animā interiùs mouentis, dirigentis & ei inſpirantis cogitationes ſalutares, ac bonum propoſitū atq; affectum, adeo quæ ſunt ſalutis. Dicit enim B. Auguſtinus lib. 3. de libero arb. Præſens eſt, inquit, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſeruientem auerſum vocat, credentem docet, conſolatur ſperantē, diligentem exhortatur, conantem adiuuat, exaudit deprecantem: ſed ſi hæc per creaturam agit & foris tantum, locum habet ſententia apoſtoli, Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus, intus in corde operando, illuminādo intellectum, & voluntatem efficiendo. Ipſe enim ſolus eſt qui intus operari poteſt: ipſe eſt ſolus qui docet hominem ſcientiam, & in eius ſolius poteſtate eſt cor hominis vt vertat quò voluerit. Diuina igitur ſuaſio, ſuggeſtio, pulſus ad oſtium cordis, directio Dei, quando intus in corde fiunt, propè ſunt gratia per quam benè agimus. Omnis tamē affectus Dei gratuitus, qui natus eſt ſalutem hominis promouere, nomine gratiæ hic intelligi poteſt: Eſt præter hanc gratiam quæ in interna Dei motione conſiſtit, & alia per quam natura humana corrupta ſanatur, & ſanata eleuatur ad operandum opera vitæ æternę meritoria, quæ naturæ proportionem excedunt: per quam ſecundum ſententiam Beati Petri ſumus diuinæ naturę conſortes, & deiformes: Et ideo vires præbet ad benè operandum per amorem Dei & proximi, fidem, ſpem, & reliquas virtutes, ſicut ſanitas corporis ad operandum naturaliter. Atque hęc dicitur gratia hominem per ſpiritum ſanctum gratum faciens, diffuſa in cordibus noſtris. De qua dicit B. Auguſt. lib. de natura & gratia, quod ſit vera iuſtitia fidei & gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, eam non diſtinguens à charitate quæ ipſam ſemper comitatur. Per hanc gratiam quæ eſt ſanitas animæ, non agimus benè, niſi ratione virium & virtutum, quæ ab ea, ſicut potentiæ ab anima profluunt. Et ſecundum B. Petrum, magis eſt habitus benè diſponens & perficiens naturam, quam ad operandū inclinans: vt habet magis probabilis doctorum ſententia. Et ideo multum ad opera pietatis conducit, ad quæ tamen non eſt neceſſaria, ſicut ſanitas corporis ad opera naturę: motio autem diuina ad benè operādum, ſicut oſtendemus, eſt neceſſaria. Nam Cardinalis Caietanus circa 12. q. 109. art. 4. (vbi Beatus Thom. dicit quod homo in ſtatu naturæ integrè poteſt omnia diuina mandata implere quantum ad ſubſtantiam operū, quodque præceptum de dilectione Dei ex toto corde, & ex tota anima homo implere poteſt, ex puris naturalibus ſecundum ſubſtantiam operis, ſed non ſecundum modum quem ex gratia & charitate habet. Nam clarè dicit 22. q. 171. art. 2. ad 3. quod diligere Deum ad quod inclinat charitas, non eſt ſuper naturam humanam ſecundum ſubſtantiam operis) dicit quod reſponſio data ad 3. à B. Thoma, extendatur ad omnia præcepta virtutum theologicarum, ita vt etiam credere, ſperare, diligere Deum, confiteri Chriſtum poſsit homo per ſua naturalia, quantum ad ſubſtantiam operum, adimplere: quamuis non inquantum fiunt ſpe, fide & charitate: id quod ex eo conuinci dicit, quòd gentilis edoctus fidē nolens eſſe Chriſtianus, poſſet nihilominus credere totam fidem eſſe veram vt eccleſia tenet, de quo tñ conſtare ait, quòd nulla ſupernaturali gratia adiutus crederet, ſed ſolum humana authoritate & pro babi-

Cap. 19.

In articulo nomine gratiæ poteſt intelligi omnis affectus Dei gratuitus, qui natus eſt ſalutem noſtram promouere

2. Pet. 1.

Cap 70.

Ex puris naturalibus poteſt homo diuina mandata implere ſecundum ſubſtantiam operum.

babili ratione perſuaſus. Poſſet quoque ſperare, vt idem dicit, ſe fore beatum in cælo, quamuis inanis eſſet huiuſmodi eius ſpes. Et hæreticus poſſet actus fidei, ſpei, & charitatis, quantũ ad ſubſtãtiam operum, intus & extrà exercere ſine vllo ſuo ſupernaturali dono. Quæ ſententia quamuis ambigua ſit in eo quod dicit, per ſola naturalia hæc opera virtutum theologicarum exerceri poſſe: quamuis eiuſdem ſententiç eſſe videatur B. Tho. tamen quantum ad gratiam habitualem & virtutes infuſas communis eſt doctorum ſententia, quòd ſine eis agere poſſumus omnia quæ ſunt pietatis & religionis Chriſtianæ. Nam Ioan. Capr. diſt. 28. 2. ſentẽt. circa. 1. concluſ. ex B. Thoma oſtendit quòd ſine habitu infuſo, poſſumus aſſentire articulis fidei. Item diſt. 17. 1. ſenten. q. 1. circa 1. concluſ. quòd ſine habitu charitatis poſſumus Deum ſuper omnia diligere: vbi etiam docet, quòd gratia non exigitur vt per eam potẽtia poſſit efficere actum aliquem in genere naturæ, quẽ prius efficere non poterat, ſed ſolum quòd nouo modo eoque diuino id poſſit. Non enim habitus dant poſſe, ſed potentiam diſponunt, vt poſſit facilius in actum procedere. Nam catechumenus credit, ſperat, & Deum diligit ſine his virtutibus. Et certè plurimum refert quomodo eundẽ actum operemur in cõſpectu & iudicio Dei, an hilariter & promptè. Hilarem enim datorem diligit Deus qui modum magis ſpectat, quàm operum ſubſtãtiam, videlicet an fiant ex ſpiritus inſtinctu, Chriſto operante quaſi in membris ſuis. Nam & meriti rationem & dignitatem Deo placentem opera habent ex motione ſpiritus ſancti, non autẽ ex ſua ſubſtantia. Nec tamen natura ſine virtutibus infuſis iſta opera prçſtare poteſt, niſi quadam violentia illata ſe erigendo ſupra id quod eſt, nõ quaſi naturaliter: quomodo fiunt ab homine virtutibus decorato. Videri tamen poſſet quòd ſpecie diſtinguãtur opera, ex eo quòd promptè procedunt ab homine quaſi inſtrumento, quando ſcilicet à virtutibus infuſis proficiũtur, & à Deo principali agente: & ex eo quòd à principijs naturæ principaliter: ſi dicãtur non requirere ſpecialem Dei motionem. Multaque harum virtutum eſt vtilitas, quamuis neceſſariæ nõ eſſent ad ſubſtantiam operum vitæ Chriſtianæ, ex eo quod faciant eſſe diuina & digna quæ remunerentur vita æterna. Tametſi igitur hæc gratia habitualis per quam renaſcimur, & qua ſanamur, imò quę eſt ipſa animæ ſanitas & vita, ad bene operandum multum conducat, ſicut ſanitas corporis ad opera vitæ, non tamen neceſſaria eſt ad bene agendum: licet neceſſaria ſit vt viuamus in Chriſto & ſanemur: gratia autem ad bene operãdum neceſſaria, eſt motio qua Deus applicat intellectum ad cogitandum ſalutaria, & voluntatem ad eadem bene afficit. Sic autem his viribus diuinitus applicatis & motis per eas liberè operamur, hoc eſt, per lib. arbitr. ſicut principium effectiuum, cui ratio agendi eſt diuina motio, aut vis intentionalis ei impreſſa, quaſi inſtrumẽto à cauſa principali, vel potius cogitatus immiſſus & bonum propoſitum inſpiratum, per quæ ſe mouet effectiuè & omnibus viribus, omnibus item membris imperat, quæ eius imperium neceſſariò exequuntur, vt docet B. Anſelmus, li. Cur Deus homo. Et quòd effectiuè ſe ad huiuſmodi opera habeat, probat multis modis Gregorius de Arimino diſt. 25. 2. ſent. & maximè de ea voluntate, quæ in noſtra eſt poteſtate, atque adducit beatum Auguſt. 3. lib. de li. arb. & de perfectione iuſtitiæ, vbi ait, Pręcepta diuina vt fierent non iuberentur, ſi nihil ibi noſtra voluntas ageret: Iſtud quoq; apertè teſtantur ſcripturæ quæ in operibus ſalutis vocant homines agricolas, vinitores, ędificatores, operarios, mercenarios, imò & Dei adiutores atque cooperatores: & è diuerſo Deus dicitur adiutor noſter & cooperator. Nemo autem adiuuat eum qui non operatur, vt frequenter dicit Beatus Auguſtinus. Dicit item ſcriptura. Facite vobis ſpiritum nouum & cor nouum. Emundate corda veſtra, &c. & alia huiuſmodi. Quæ omnia ſignificant nos agere opera ſalutis noſtræ, & non ſolum nos ea recipere aut pati: In quo ſecundum beatum Chryſoſtomũ eſt magna Dei gratia, quòd nobis donat vt faciamus cum eo, quod ipſe ſolus facere poteſt: Imò plus facit nobis cooperando, quàm ſi ſolus operaretur. Et hæc agimus per vim atq; naturam liberi arbitrij, adiutam tamen & gratia eleuatam. Non enim pietatis opera liberum arbitriũ operatur, ſicut aqua calida calefacit. Tota enim hic operandi ratio eſt calor cõtra naturã, aquę impreſſus: Illic aũt ratio agendi eſt natura liberi arbitrij. Sed ꝙ diuina ac pietatis opera exerceat, ratio ſic operandi eſt gratia totum tamen opus & quicquid eſt eius, & gratiæ eſt & liberi arbitrij. Iſtud ipſum docet B. Aug. ex verbis Domini Saluatoris lib. 1. retract. Retractans enĩ quod dixerat in lib. contra Adimantum Manichæi diſcipulum: Niſi quiſque voluntatem mutauerit inquit, bonum operari non poteſt, quod in noſtra poteſtate poſitum eſſe Saluator alio loco docet, vbi ait, Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum, aut facite arborem malam & fructum eius malum: quod, inquit, nõ eſt contra Dei gratiam quam prędicamus. In poteſtate quippe hominis eſt in melius mutare voluntatem, ſed ea poteſtas nulla eſt, niſi à Deo detur: de quo dictũ eſt, Dedit eis poteſtatẽ filios Dei fieri. Cum enim hoc ſit in poteſtate quòd cũ volumus facimus, nihil tam eſt in noſtra poteſtate quã ipſa voluntas. ſed operatur volũtas à Domino. Sic etiam intelligendum eſt quod dixi poſtea, In noſtra poteſtate eſſe vt vel inſeri bonitate Dei, vel excindi ei' ſeueritate mereamur, quia in noſtra poteſtate nõ eſt niſi quod noſtram ſequitur volũtatẽ: quæ cùm fortis & potens præparatur à Domino, facile fit op' pietatis etiã quod difficile & impoſſibile fuit. Et lib. de prædeſtinat.

Sancto

2. Cor 9.

Cap. 1.

Nemo adiuuat eum qui nõ operatur.

Ezech. 18.

Ratio operandi quæ pietatis ſunt eſt gratia.

Cap. 22.

Ioannis 1.

Cap. 5.

Sanctorum, dicit quod poſſe habere fidem hoc eſt poſſe credere, ſicut poſſe habere charitatẽ naturæ eſt hominum: habere aũt fidem quemadmodum habere charitatem, gratiæ
Cap.2. eſt fidelium. Item liber de gratia & lib. arbitrio, docet ex diuinis præceptis homini datis liberum eſſe voluntatis arbitrium, Quomodo, inquit, iubet ſi non eſt liberum arbitrium? Rurſus lib. 1. retract. oſten-
Cap.23. dit credere noſtrum eſſe propter arbitrium voluntatis, ſimiliter alia virtutum opera: & Dei eſſe. quia ipſe præparat voluntatem, ipſe dat credentibus & volentibus facultatem, bene operandi per ſpiritum ſanctum. Nulla enim eſt actio libera, niſi per vim & naturam liberi arbitrij, à qua ſola omnis naſcitur libertas. Et ſicut idem intellectus eſt principium cognitionis naturalis & fidei, ita eadem voluntas principium eſt omnium affectionum naturalium & piarum, propter obiecti vtriusq; vniuerſalitatẽ quę complectitur omne verum etiam ſupernaturale & omne bonum etiam diuinum. Hic tamen aduertendum eſt quod primi actus intellectus & voluntatis, vt ſuperius diximus, fiunt
Primi actus intellectus et voluntatis ſunt à Deo vt autore naturæ. naturaliter à Deo tanquam primo authore naturæ & gratiæ: ab his tamen viribus etiam effectiuè procedunt, ſed neceſsario & naturaliter: quamuis doceant quidam quod ſolũ receptiuè ſe habeant ad iſtos actus: ſicut ſupra de hac re varias doctorũ recitauimus opiniones. Et ideo ſi Martinus Luthe. intelligeret voluntatem ſolum paſsiuè ſe habere, quò ad iſtos actus primos, tolerabilis eſſet eius opinio. Nunc autem tollit actiuitatẽ reſpectu omnium actuum volũtatis. Sunt aũt hi primi actus cogitatio ſalutaris, & complacentia, ſiue affectio boni, ac placendi Deo: qui ſunt voluntati ratio conſultandi & eli-
Cap.17. gendi. Docet iſtud B. Aug. in lib. de gratia & lib. arbitrio, Ipſe inquit, vt velimus operatur incipiens, qui volẽtibus cooperatur per-
Philip.1. ficiens. Propter quod Confidens ait Apoſt. Paulus, in hoc ipſum, quia qui operatur in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu. Vt ergo velimus, ſine nobis operatur: cùm aũt volumus, & ſic volumus vt faciamus, nobiſcum cooperatur: tñ ſine illo vel operante, vel cooperante, cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus: Quod ex varijs ſcripturæ teſtimonijs proſequitur. Per hanc aũt gratiam quæ eſt ſemen ſanctę vitę & operum pietatis nos poſſumus benè agere, & ſine ea nihil, dicente Apoſto. Paulo, Non ſumus ſufficientes cogitare ali-
2. Cor.3. quid à nobis quaſi ex nobis (in his quæ pietatis ſunt & vitæ chriſtianæ) ſed ſufficientia noſtra à Deo eſt. De quo articulo præcipua erat diſputatio beati Auguſtini & eccleſiæ catholicæ aduerſus Pelag. eiusq; ſequaces Cœleſtium & Iulia. in qua quæſtione, quam difficillimam eſſe confitetur idem B. Aug. ita verſari oportet, vt nec derogetur gratiæ,
Cap 47. nec libertas tollatur arbitrij. De hac ſcribit
Cap.4. lib. 1. contra Pelag. & Cœleſt. & lib. 4. contra Iulia. atque in vtraq; epiſtola ad Valentinũ. Quæſtio, inquit, de libero voluntatis arbitrio & gratia ad diſcernendum eſt difficillima. Nam quãdo defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videtur: & quãdo Dei gratia aſſeritur, liberum arbitrium putatur auferri. Difficillimum namque eſt intelligere quòd Deus operetur ipſum velle vtens voluntate tanquam inſtrumento, ipſam applicans ad opus, ſicut intellectum ad ſalutares cogitationes, vt docent ſcripturæ: ipſam tamen voluntatem ſic applicatam & motam ad opus vnum nihilominus poſſe & in ſua habere poteſtate, liberè eligere & velle contrarium, ac refutare opus ad quod mouetur. Nam in poteſtate inſtrumenti non eſt quòd moueatur, aut non moueatur potiſsimum comparatione Dei, cuius poteſtati nemo reſiſtere poteſt, qui vt omnipotens plenum in omnia habet dominiũ multò magis quã figulus in vas quod format, vel maſſam ex qua lutum ſumit. Non igitur in poteſtate liberi arbitrij eſſe videtur agere vel eligere aliud, quàm agit vel eligit: cum non operetur niſi motum: Motum autem videtur non poſſe ceſſare, aut agere aliud quàm ad quod mouetur. Sed hæc obiectio & difficultas non minus aduerſatur libertati voluntatis in naturalibus & politicis, in quibus etiam per diuinam prouidentiam mouetur & determinatur ad opus, cuius propterea prouidentiæ concordia cum libero arbitrio ſuperat omnem intellectum: vt docet Cardinalis Caiet. circa q. 22. in 1. parte B. Tho. art. 4. ita vt magis fide credatur quàm plenè intelligi poſsit: & illuſtrari poteſt hęc obſcuritas ſi conſideremus Deum operari in vnaquaq; creatura ſecundum eius conditionẽ & naturam: & propterea agentia libera vt inſtrumenta mouere atq; ad opus applicare, ita vt liberè & contingenter ipſa operentur. Hoc aũt intelligetur, ſi conſideremus, quod præter primum velle quod diximus produci naturaliter & neceſſariò: quamuis in cõtinuatione liberè reliquos actus voluntas operetur, ex deliberatione & iudicio rationis, ex quibus dum indeterminata ſunt, ipſa libertatem & contingentiam habet in ſua electione. Agit enim Deus in cordibus noſtris ſuaſione inclinando, & auertendo diſſuaſione. Nouit enim vt ait beatus Auguſtinus quæſtione. 2. ad Simplicianum, vnumquemque vocare quomodo pro ſuo affectu aptum & ideoneum nouit ad ſequendum: Et qui hoc modo vocati non conſentiunt, poſſent alio modo vocati accõmodare fidei voluntatẽ, vt quamuis multi vno modo vocati ſint, tamen quia non oẽs vno modo affecti ſunt, illi ſoli ſequantur vocationem, qui ei capiẽdæ reperiuntur idonei. Item lib. de ſpiritu & litera, Viſorum ſuaſionibus, inquit, agit *Cap.24.*
Deus vt velimus, & vt credamus ſiue per euangelicas exhortationes, ſiue intrinſecus, vbi nemo habet in poteſtate quid ei in mentem veniat. Et ſicut quod nobis humana perſuaſione ſequendum eſſe videtur, ſequi poſſumus & nõ ſequi, habentes de errore ſuſpe-

ctam

ctam perſuaſionem vel plenius deliberare volentes, ita contingenter ſequimur quod ſuaſi ſumus diuinitus. Qui enim vocati ad nuptias perſuaſi venerunt, poterant ob apparentem aliquam difficultatem non venire, & qui vocati non venerunt, venire poterāt: vt ait beatus Auguſtinus lib.83. quęſt. q.68. Et Pharao vocationi Domini potuit obtemperare, dimittendo ad iuſſum Dei filios Iſrael: ſed quia noluit, & maluit in eos crudelitatem exercere, meruit pœnam vt illi cor induraretur. Suaſio enim ſola ſiue à Deo fiat ſiue ab homine, non mouet voluntatē efficaciter, quia ſolùm in genere cauſę finalis & obiectiuè: & ſi actiuè non ſufficiēter. Ipſa enim ſola ex ſuo iudicio ſe flectit in eam partem quæ magis placet, quam tamen tunc refutare poteſt, nec vlla creatura quacunque ſuaſione, comminatione, promiſsione ei dominari poteſt, & reddere neceſſariò volentem aut nolentem: quam tamen poteſtatem in eam habet Deus, in cuius manu ſunt corda etiā regum, vt à propoſito quod habent in aliud flectere poſsit efficaciter, imò quocunque voluerit. Et hac poteſtate ſæpe vſum eſſe Deum ex ſcripturis docet beatus Auguſt. in lib. de grat. & lib. arb. Et de corrept. & gratia. Ait enī, Agit omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat quod per eos agere ipſe voluerit, qui omnino iniuſtū aliquid velle non nouit. Tandem concludens, Satis, inquit, quantum exiſtimo manifeſtatur operari Deum in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit: ſiue ad bona pro ſua miſericordia, ſiue ad mala pro meritis eorum: iudicio vtique ſuo aliquando aperto, aliquando occulto, ſemper autem iuſto. Sed hæc facere poteſt voluntate liberè ſequente ob ſuaſionem vel apparentiam, qua hoc magis conuenire videtur. Facit enim Deus voluntatem ſequi ex ſuo iudicio & deliberatione: & quando ex ea non agit voluntas, tūc mouetur à Deo, non vt liberum arbitrium, ſed vt agens naturale. Nam & Chriſtus ſecundum naturam aſſumptam organum erat peculiare deitatis corporaliter inhabitātis: qui tamen libere agebat, & poterat non agere & non velle, quæ agebat & volebat: quēadmodum de ſe teſtatur, quod potuit patrē rogare pro duodecim legionibus angelorū: & tamen non fecit. Ex quibus patet quòd ſicut inſtrumentum nihil operari valet, niſi motum à principali agente: ita nec voluntas, nec liberum arbitrium, niſi à Deo vt naturæ authore, per virtutes naturaliter inſitas ad opera naturalia moueatur: & ad opera pietatis per ſemina ſanctarum cogitationum & affectionum, quibus miſericorditer ipſum præuenit. Hanc doctrinam vbique tradit beatus Auguſtinus qui lib.2. contra 2. epiſtolas Pelagia. Multa bona, ait, facit Deus in homine quæ non facit homo, nulla verò facit homo, quæ non facit Deus vt faciat homo: Vbi etiam docet quod nec boni quic-

Sola ſuaſio efficaciter voluntatem mouere non poteſt.

Ca 20. et 21
Cap.4.
Cap.8.

quam ex nobis incipere poſsimus quaſi ex nobis, nec cogitare, nec cupere: vt ne cupiditas quidem aut deſiderium ſit ab homine quaſi ex eo. Item 1. libro cap. 19. Nemo, inquit Saluator, poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum, non dicit, duxerit eū ne intelligamus aliquo modo præcedere voluntatem noſtram. Quis trahitur ſi iam volebat? Rurſus li.13. de ciuitate Dei. Et li.15. Dei voluntas, inquit, ſemper prior eſt volūtate hominis ad bonū, & volūtas hominis ad malum prior eſt voluntate Dei. Et ideo lib. de gratia & libero arbi. Sententia, inquit, apoſtoli, Igitur non currentis neq; volentis, ſed miſerentis eſt Dei, nullo modo poteſt ſic cōuerti, vt dicatur, Non miſerentis, ſed volentis & currentis eſt hominis. Quod latius explicans in Enchirid. ait, Cùm procul dubio ſi homo ei⁹ ætatis eſt, vt ratione iam vtatur, non poſsit credere, ſperare, diligere, niſi velit, nec peruenire ad palmam ſupernæ vocationis Dei, niſi voluntate cucurrerit: quomodo ergo non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: niſi quia & ipſa voluntas, ſicut ſcriptū eſt, à Deo præparatur? Alioquin ſi propterea dictum eſt, Non volentis neq; currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia ex vtroq; fit, id eſt ex voluntate hominis & miſericordia Dei: vt ſic dictum accipiamus, non volentis neq; currentis, ſed miſerentis eſt Dei, tanquam diceretur: Non ſufficit ſola voluntas hominis, ſi non ſit etiam miſericordia Dei. Non ergo ſufficit ſola miſericordia Dei, ſi non ſit etiam volūtas hominis: ac per hoc ſi rectè dictū eſt, Nō volentis hominis, ſed miſerentis eſt Dei, quia id voluntas hominis ſola non implet, cur non & ecōtrario rectè dicitur, Non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, quia id miſericordia Dei ſola non implet. Porrò ſi nullus Chriſtianus dicere audebit, Non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, ne apoſtolo apertiſsimè contradicat, reſtat vt propterea rectè dictum intelligatur, non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, ſed non omnia, quæ autem non præcedit ipſa, in eis eſt & ipſa. Nam vtrunque legitur in ſanctis eloquijs: Et Miſericordia eius præueniet me: Et miſericodia eius ſubſequetur me. Nolentem præuenit vt velit, volentem ſubſequitur ne fruſtra velit. Cur enim admonemur, orate pro inimicis noſtris, vtique nolentibus piè viuere, niſi vt Deus operetur in illis & velle? Item cur admonemur petere vt accipiamus, niſi vt ab illo fiat quod volum⁹, à quo factum eſt vt velimus? Oramus ergo pro inimicis noſtris, vt miſericordia præueniat eos, ſicut præuenit & nos: oramus autem pro nobis vt miſericordia eius ſubſequatur nos. Nihil igitur valet liberum hominis arbitrium ex naturæ ſuæ viribus ad opera pietatis, quæ ſola hominis vera ſūt bona, &

ad ſa-

Ioannis.6.
Cap 19.
Cap.12.
Cap.7.
Rom.9.
Cap.32.
Rom.9.
Pſal.56.
Pſal.22.
Philip.2.
Matth.6.
Aliter oramus pro inimicis, aliter pro nobiſipſis.

ad ſalutem perducunt: Præuentum tamen & præparatum gratia Dei effectiuè hæc producit & liberè, ſuáque virtute & natura, ſed adiutum diuinitus: quod adiutorium eſt ei ratio agendi, & vires præbet faciendi hęc pietatis opera. Nam omnis electio, acceptatio, & refutatio fit per voluntatem, quæ illorum ſubiectum eſt & principium effectiuum: ſicut intellectus principium eſt omnium cognitionum, earum etiam quas habere nequit niſi ex Dei reuelatione: quas propterea in lumine à Deo infuſo cognoſcit, ſicut veritates naturales in lumine propriè naturæ intellectiuæ. Idem tamen eſt intellectus qui omnium cognitionum eſt principium, cuius cauſam eſſe diximus cõmunitatẽ rationis obiectiuæ volũtatis & intellectus, quę complectitur naturalia & ſupernaturalia.

Poteſt etiam homo poſt mortale peccatũ admiſſum per liberum arbitrium verè pœnitere: Deo tamen ipſum præueniente, & oſtendente peccata, quibus indignè contra Dominum ſuum operatus eſt, & ſupplicium cuius factus eſt reus: & Dominum quem offendit paratum eſſe remittere offenſam, & in gratiam recipere: idque propter Chriſtũ paſſum qui hoc à Patre obtinuit. Horum enim conſideratione odio peccatorum afficitur, & certa ſpe erigitur, vt ad Deum quamuis iratum fugiat, & amplectatur remedia peccatorum à Chriſto ordinata. Iſtud hominem per Dei gratiam poſſe, & ſe ad gratiam præparare, docẽt vniuerſæ ſcripturæ, quę inuitant peccatores ad pœnitentiam: Et clariſsimè Dominus apud Hieremiam. *Cap. 31.* Poſtquam, inquit, conuertiſti me, egi pęnitentiam: & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſsi fẽmur meum. *Cap. 22.* Rurſus ex verbis ſaluatoris B. Aug. lib. 1. retractat. explicans quod ſcripſerat contra Adimantum Manichæi diſcipulum, cap. 26. Niſi quiſquam, inquit, voluntatem mutauerit, bonum operari non poteſt, quod in noſtra poteſtate eſſe poſitum docet Saluator vbi ait, Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum, aut facite malam & fructum eius malum: Quod, inquit, non eſt contra gratiam Dei quam prædicamus. In poteſtate quippe hominis eſt mutare in melius voluntatem: ſed eius poteſtas nulla eſt niſi à Deo detur: de quo dictum eſt, Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. *Ioannis 1.* Idem docet capit 3. de fide ad Petrum, quòd ſcilicet voluntatem ſuam & vitam peccator hic mutare poteſt. Multa enim dona ſpiritus Chriſti largitur nobis priuſquam inhabitet, & charitatem in cordibus noſtris diffundat. Fatendum eſt, inquit B. Auguſt. in epiſtola ad Sixtum, quod aliter adiuuat ſpirit⁹ Chriſti nõdum inhabitans, & aliter inhabitans. *Epiſt. 105. Spiritus Chriſti nondũ inhabitans, aliter adiuuat quam inhabitans.* Nondum enim inhabitans operatur vt ſint fideles: inhabitans vero adiuuat iam fideles, & mouet: quaſi principium intrinſecum & connaturale: non inhabitans autem quaſi extrinſecum agit & mouet. Quòd tamen hęc poteſtas non ſit liberi arbitrij, vt ex eo quaſi radice fructifera gigni poſsit voluntas bona, quaſi eadem ſit bonorum & malorum radix, oſtendit libro primo de gratia CHRISTI, contra Pelagium & Cœleſtium cap. 18. & 19. docens malorum radicem eſſe cupiditatem: bonorum verò charitatem. Hominem verò vel liberum arbitrium eſſe quaſi terram, in qua bona & mala radices fingunt. Per amorem igitur boni diuini voluntas potens eſt, & efficit fructus bonos & opera pietatis: ſicut per cupiditatẽ inclinatur & efficit malũ. Et vt dixim⁹, ſcripturæ nos monent, vt faciamus cor nouum & ſpiritum nouum. *Ezech 18.* & Hiere. Laua à malitia cor tuum. *Cap. 4.* Auferte malum cogitationum veſtrarum: *Eſa. 1.* Emundate manus peccatores. Purificate corda: *Iaco. 4.* Cõuertat ſe vnuſquiſq; à malitia ſua: *Hiere. 18.* &, Si quis emundauerit ſe ab iſtis, *2 Tim. 4.* &c. Et Quicunq; perdiderit animam ſuam, viuificabit eam. *Luca 17.* Et, Qui hanc ſpem habet in eo ſanctificat ſe. *1. Ioan. 3.* Quæ ſcripturæ & innumeræ aliæ docẽt in noſtra eſſe poteſtate, de peccatis admiſsis pœnitere, & ad gratiam nos præparare: *2. Timo. 2.* Sed vt diximus ex Auguſt. hæc poteſtas nulla eſt, niſi gratia Dei præueniamur. Et ideo Apoſt. Paul. Ne quando ait, det illis Deus pœnitentiã ad cognoſcendã veritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis. Item Act. 5. & 11. Ergo & gentibus dedit Deus pœnitentiam ad vitam. Circa hæc eſt difficultas perplexa & obſcura, An bonus vſus gratię qua à Deo præuenimur, & qua voluntas ad pęnitentiã & conuerſionem præparatur, noſtri ſit liberi arb. ita vt cuilibet ſit liberũ gratia data per ipſam liberi arbit. vim & naturam vti, Deo vocanti reſpondendo, & gnauiter dona acceptando, & ſimul eandem reſpuere: vt videlicet liberè ea vtatur, & poſſit non vti atque reſpuere, & quando reſſpuit ea poſsit acceptare. Hęc quæſtio multa complectitur, non diſtinguens inter gratiã internæ vocationis & externæ, prædicationis videlicet, correptionis, & miraculorum: quamuis & de hac externa vocatione dicat Saluator, Si nõ veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: *Ioannis 15.* nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Et ſi opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autẽ & viderunt: & oderunt & me & patrem meũ. Poterant igitur credere qui audierant Dominum prędicãtem & miracula facientem, eum à patre eſſe miſſum, Domino tamen ſimul ad cor loquente: quod feciſſet, ſi eius ſermonem & miracula non contempſiſſent: Sola enim externa prędicatio, quamuis veri ſimilis, cũ miraculorũ operatione ad fidem nõ ſufficit, eam tamen quaſi veriſimilem ſuſcipiẽtes, & ſuper veritate inquirentes, quomodo feciſſe legũtur Theſſalonicenſes, Act. 17. piè creditur Deum ad perfectum reducere quod incepit. Item aliud eſt vſus gratiæ, aliud ei aſſentiri, amplecti, & acquieſcere vt ipſum deſideret. Super hoc aũt & interna inſpiratione eſt apud Aug. dogma Eccleſia. *Lib. de eccle. dog.* ca. 21. plenè explicans officia gratiæ & liberi arbitrij, vnicuique propria & communia, &

quomodo

quomodo per peccatum liberũ arbitriũ ſit
debilitatũ. Ait enim, Libertati arbitrij ſui
cõmiſſus eſt homo ſtatim in prima cõditio-
ne, vt vigilantia mẽtis annitente, etiam præ-
cepti cuſtodia perſeueraret, ſi vellet in eo q
creatus fuerat permanere. Poſtquam verò
ſeductione ſerpentis per Euam cecidit, na-
turæ bonum perdidit pariter & vigorẽ arb.
non tñ electionem ne non eſſet ſuum quod
euitaret peccatum: nec meritò indulgeretur
quod nõ arbitrio diluiſſet. Manet itaq; poſt
lapſum Adę ad quærendam ſalutẽ arbitrij li
bertas, id eſt, rationalis volũtas, ſed admonẽ
te prius Deo, & inuitãte ad ſalutẽ, vt vel eli
gat, vel ſequatur, vel agat occaſione ſalutis,
hoc eſt inſpiratione Dei, Initium ergo ſalu-
tis noſtræ Deo miſerante habemus: vt acqui-
eſcamus ſalutiferæ inſpirationi, noſtræ po-
teſtatis eſt: vt adipiſcamur quod acquieſcen-
do admonitioni cupimus, diuini eſt mune-
ris, vt non labamur in adepto ſalutis mune-
re, ſolicitudinis noſtræ eſt & cœleſtis pari-
ter adiutorij: vt labamur, poteſtatis noſtræ
eſt & ignauiæ. Sicut ergo initium ſalutis no-
ſtrę Deo miſerante & inſpirante habere nos
credimus, ita arbitriũ naturæ noſtræ ſequax
eſſe diuinæ inſpirationis liberè cõfitemur.
Igitur vt non labamur à bono naturę vel me
riti, ſolicitudinis noſtræ eſt & cœleſtis pari-
ter adiutorij: vt labamur poteſtatis noſtrę &
ignauiæ. In hoc verbo inquit B. Bonauentu-
ra, ſi quis diligenter inſpiciat, inſinuatur val
dè clarè, quantum poſsit liberum arb. reſpe
ctu gratię. Nam cum ſint in ſalutis opere iſta
quatuor, videlicet, inuitare, acquieſcere, ad-
iuuare, permanere: primum eſt inſpiratio-
nis Dei: ſecundum libertatis arbitrij. Nec
hoc ſolum, ſed & ſequax eſſe diuinæ inſpi-
rationis: tertium muneris diuini: quartum
ſolicitudinis noſtræ & diuini pariter adiu-
torij. Et ſi dicatur hic liber non eſſe B. Aug.
ſed Gennadij: recepta tamen ſunt eius dog-
mata, & eandem ſententiam habet B. Aug.
de ſpiritu & litera, vbi ait. His ergo modis
quando Deus agit in animam rationalem vt
ipſi credat. Neque enim credere poteſt quod
libet arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio vel vocatio
cui credat: profecto & ipſum velle credere
Deus operatur in homine, & in omnibus
miſericordia ſua præuenit nos. Conſentire
autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſi-
cut dixi, propriæ voluntatis eſt. Quæ res
non ſolum non infirmat id quod dictum
eſt, Quid enim habes quod non accepiſti, ve-
rum etiam plurimum confirmat. Accipere
quippe & habere anima non poteſt dona, de
quibus hoc audit niſi conſentiendo: ac per
hoc quid habeat & quid accipiat Dei eſt. Ac-
cipere autem & habere vtique accipientis &
habentis eſt. Et ideo cap. 14. de bono perſeue
ran. dicit apparere ex his quæ dixerat quoſ-
dam habere in ipſo ingenio diuinum natu-
raliter munus intelligẽtiæ quo moueantur
ad fidẽ ſi congrua ſuis mentibus vel audiant
verba, vel ſigna conſpiciant. Et tamen ſi Dei
altiore iudicio à perditionis maſſa non ſint

Quæ opera propria Deo, quæ libero arbitrio propria, quæ ambobus communia.

Cap. 24. & præcedentibus.

gratiæ prædeſtinatione diſcreti, nec ipſa
eis adhibentur vel dicta diuina vel facta,
per quæ poſſent credere ſi audirent vtique
talia vel viderent. Item lib. 83. quæſti. q. 68. *Lucæ 14.*
explicans locum euangelij de vocatis ad cœ
nam, & ad nuptias, docet vocatos qui vene-
runt potuiſſe non venire, & qui vocati ve-
nire neglexerunt aut contempſerunt, potu-
iſſe venire: quibus propterea grauiter in-
dignatus eſt Dominus, quod non venerunt.
Nemo, inquit, virorum illorum qui vocati
ſunt, guſtabit cœnam meam. Ad illam, in-
quit B. Aug. cœnam, quam Dominus dicit
in Euangelio præparatam, nec omnes qui vo
cati ſunt venire voluerunt, neq; illi qui ve-
nerunt venire potuiſſent niſi vocati. Itaque
nec illi debent ſibi tribuere qui venerunt,
quia vocati venerunt: nec illi qui noluerũt
venire, debent alteri tribuere, ſed tantum
ſibi: quoniam vt venirẽt erat in libera volũ
tate ſiue poteſtate. Vocatio ergo ante meri-
tum voluntatẽ operatur, propterea & ſi quiſ
quam ſibi tribuat quòd venit vocatus, non
ſibi tribuere poteſt quòd vocatus eſt: qui au-
tem vocatus non venit, ſicut non habuit me
ritum præmij vt vocaretur, ſic inchoat me-
ritum ſupplicij, cùm vocatus venire neglexe
rit. Ita erunt duo illa Miſericordiam, & iu-
dicium cantabo tibi Domine. Vbi Auguſti-
nus loqui videtur de externa vocatione, ſi-
cut & in ſententia præcedente ex lib. de bo
no. perſeue. quodq; propterea ex ea eſt fa-
cultas veniendi ad finem & ad nuptias. Et Ec
cleſiaſticus beatum prædicat qui potuit trãſ *Cap. 31.*
gredi, & non eſt tranſgreſſus: facere mala,
& non fecit. Item iuſtus pulſatus tentatione
fornicationis in eam poteſt conſentire, ſua
illectus & abſtractus concupiſcentia: poteſt
& eam deteſtari, in iuſtitia manendo, & gra
tia quam habet vtendo. Et ſicut iuſto liberũ
eſt & in eius poteſtate fornicari, & hac ten-
tatione eam abominari: ita peccator præ-
uentus Dei vocatione interna eam ſequi po-
teſt. Habet enim iam ſemen diuinitus accep-
tum ex quo Domino dirigente ac greſſus e-
ius promouente progredi poteſt ad opera
veræ pœnitentiæ. An verò ad vſum gratiæ
quo acquieſcimus ſalutari monitioni, ſuaſi-
oni & internæ vocationi, & quo pulſanti o-
ſtium cordis aperimus, per quæ omnia ex
parte obiecti inclinatur voluntas (propriè
enim ad intellectum pertinent) exigatur ad
huc alia gratia per quam immediatè incline
tur & accommodetur voluntas per pium af-
fectum, cuius hic non meminit Auguſt. &
per quam etiam voluntas à Deo effectiuè fle
ctatur, an non, nihil mutat nec impedit vo-
luntatis libertatem in libero vſu gratiæ:
quia ita ſuauiter inclinat & determinat e-
am Deus, vt ex iudicio ac conſilio, & ſic libe
rè ſequatur hanc Dei appropriationem: &
ſpiritus Chriſti ſuadendo vt ſequamur ſi-
mul voluntatem quaſi naturaliter afficit
placentia quadam rei ſuaſæ, quæ eſt volunta
ti ratio ſe determinãdi, principium & ſemi-
narium bonarum volitionum, quas ex eo

Vocatio voluntatem operatur ante omne meritum.

Placentia rei ſuaſæ eſt voluntati ratio ſe determinãdi, principium & ſeminarium bonarum volitionum.

quaſi ſemine producit. Imò ex ſemine bonæ cogitationis,& ſuaſione ſequitur etiam plerunq; deſiderium emendandi vitam & placendi Deo. Nam ſicut naturali ratione atque lumine, ex his quę fidei ſunt in lumine fidei poſſumus ſyllogizando ex principijs ad concluſiones procedere atq; ex vna bona cogitatione ad aliam eliciendam pergere, ita ex vna bona voluntate in aliam progredi poſſumus tam in his quæ ſunt pietatis, quam in alijs quæ ad mores pertinent. Si enim aliquid placeat, poſſumus ex eo quod placeat velle ipſum aſſequi,& ad hoc media aſſumere neceſſaria. Suadendo autem Deus facit vt placeat, vt diximus, Omnis inquit, qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me. Vbi videtur Saluator ponere in actu intellectus id quod requiritur ad veniendum, ſed tali intellect⁹ actu cui coniungitur pius affectus: & ita B. Auguſtinus meminit aliquando ſolum vocationis aut ſuaſionis quæ pertinet ad ſolū intellectum. Quòd autem diximus de libero vſu, liberoque neglectu gratiæ quæ datur ad pœnitentiam & conuerſionem peccatoris, quódque ea ad ipſam vel vti poſſumus & conuerti, vel negligere etiam eam quæ ad conuerſionem eſt ſufficiens, ſic quod ea ſtante non conuertamur, adeòvt in neutra parte contradictionis ſit neceſsitas, ſed mera contingentia, definitum eſſe videtur in Concilio Tridētino in decretis & canonibus de iuſtificatione. Dicit enim cap. 5. ſeſsione 6. Declarat præterea ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum gratia præueniente ſumendum eſſe, hoc eſt ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur: vt qui per peccata à Deo auerſi erāt, per eius excitantem atq; adiuuantem gratiam ad conuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem eidem gratiæ liberè aſſentiendo & cooperando diſponantur: ita vt tangente Deo cor hominis per ſpiritus ſancti illuminationem, neq; homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem ipſam percipiens, quippe qui & illam abijcere poteſt: neq; tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam coram ipſo, libera ſua voluntate poſsit. Vnde in ſacris literis cùm dicitur, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, libertatis noſtræ admonemur. Cū verò reſpondemus, Conuerte nos Domine ad te & conuertemur, Dei nos gratia pręueniri cōfitemur. Et in canone 4. anathema dicitur his qui cōtrariū aſſerunt, Si quis, inquit, dixerit liberū hominis arbitrium à Deo motū & excitatū nihil cooperari, aſſentiendo Deo excitanti & vocāti, quo ad obtinendam iuſtificationis gratiā ſe diſponat & præparet, neq; poſſe diſsētire: ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereq; paſsiuè ſe habere, anathema ſit. Nam ſicut credere voluntarium eſt, ita de peccatis propter Deum pœnitere, & ab eis ad Deum conuerti: nec vlla ad hæc eſſe poteſt per quamcunq; gratiā neceſsitas, quin ſemper contemni poſsit. Sed an noua an alia opus ſit gratia, ad progrediendum ſecundum primā vocationem ad verā vſq; cordis conuerſionem, vel an ex prima illa vocationis gratia Deo vt gratiarū principio vniuerſali cooperante & dirigente, diuinitus præparati, noſtra induſtria progredi poſsimus ex ea, quaſi ſemine, & tandē verè pœnitere, non æquè certum eſt. Cui quæſtioni annexa eſt alia, An omnis gratia dās nobis poſſe credere, poſſe cōuerti, poſſe bene operari,& poſſe perſeuerare, quaſi ad ea ſufficiēs, ſimul etiā faciat nos credere, cōuerti, perſeuerare, & facere pietatis opera, an alia ſit op⁹ & potentiore, quæ hæc faciat: hoc .n. videtur dicere B. Aug. li. de cor. & gratia, cap. 11. & 12. vbi de primo homine aperta eſt eius ſententia quod accepit gratiam, per quam ſi voluiſſet, poterat perſeuerare, non eam per quam perſeueraret. Ait enim, Tale quippe erat adiutorium quod deſereret ſi vellet,& in quo permaneret ſi vellet, nō quo fieret vt vellet. Hæc eſt prima gratia quæ data eſt primo Adam, ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim qua fit vt habeat homo iuſtitiam ſi velit, ſecunda ergo plus poteſt. qua etiam fit vt velit:& tantum velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluptatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat. Dubitatur autem, & de homine iuſto poſt lapſum Adæ, an ſimiliter gratiam habeat, per quam ſi velit ſaltem ad tempus perſeuerare poſsit, quamuis non perſeueret. Quæ clarius ſic explicantur, An duobus ſimiliter illuminatis & ad credendum tractis fieri poſsit quod vnus credat, & alter maneat incredulus: & duobus ſimiliter intus vocatis & tractis ad pęnitendum fieri poſsit, quòd vnus pœniteat, & alius maneat in peccatis:& in eadem tentatione vnus iuſtus tentationi cedat, alio in iuſtitia perſeuerante. Eſt enim argumētum quod habeat quod glorietur, quodq; reſpondeat Apoſtolo dicenti, Quis te diſcernit? Quid habes quod non accepiſti? ſi ſua induſtria, quāuis à Domino adiutus & pręuentus, ipſe prę alio ſimiliter vocato credidit, pęnituit,& in bono ſtetit. Et in contrarium argumētantur alij, quòd liberè credimus, conuertimur, & in bono perſeueramus. Oportet igitur ad cōtraria eſſe cōtingentiam & à libero pendere arbitrio, quod ad vnam vel alteram ſe flectat contradictionis partem. Difficultates iſtæ obſcuræ ſunt & perplexæ, circa quas doctores noſtro ſeculo contra hæreſes ſcribentes variè ſentiunt, & contrarias ſequuntur opiniones. Propter quod ſine vlla aſſertione pro materiæ tantum huius de concordia liberi arbitrij & gratiæ declaratione,& vt occaſio detur diligentius eam expendendi & examinandi, ponam aliquot propoſitiones, primò circa libertatem arbitrij, quas & omnia quæ hic & ſequentibus dicturus ſum: quæque ſuperius dixi, iudicio ſacroſanctæ ſedis Apoſtolicæ & omnium rectius ſentientium ſubijcio.

Ioannis.6.

Zacha.1.
Thren 5.

1. Cor.4.

Explicatur concordia liberi arbitrij & gratiæ per aliquot propoſitiones

Prima propoſitio. Quamlibet gratiam externā & internam ex viribus liberi arbitrij poſſu-

poſſumus non contemnere, & non negligere: quum hoc ſit ſpeciale peccatum, monente Propheta. Si vocem eius audieritis nolite obdurare corda veſtra.

Secunda. Secunda. Percipienti gratioſum Dei pulſum, tractum & inſpirationem ſine noua gratia placere poteſt, & gratum eſſe quod ſic trahitur, & quod ad cordis ſui oſtium dominus pulſare dignatur. Quod enim nec placeat nec diſpliceat vix fieri poteſt: in quo tñ non conſiſtit vſus gratiæ ſiue inſpirationis: ſed in ſequendo, & faciendo quod diuinitus inſpiratur: vt ſi immittitur cogitatus quod vita mala eſt, & ad ęternum perducet ſupplicium, huius gratiæ vſus conſiſtit in voluntate vitam mutandi, dolendo de peccatis & ea cofitendo. Hæc enim cogitatus ille veluti ſemen quoddam continet: maximè ſi cordis aliquis reſpondeat affectus, cum cogitatu ſimul inſpiratus.

Tertia. Tertia. Gratia ſiue adiutorium ſpeciale intelligi poteſt, vel principium operationis ſalutaris, quales ſunt piæ & ſanctæ cogitationes, tractus & inſpirationes per quæ De⁹ in nobis, & per nos operatur, credere, pœnitere, perſeuerare, & alia quæ ad pietatem & ſalutem faciunt: Vel etiam intelligi poſſunt Dei opera, quibus nos dirigit, protegit, & defendit, & ſemẽ cuſtodit. Intelligitur præterea gratia operatio ipſa Dei efficax, qua hæc dona, fidem, conuerſionem, & opera pietatis, & horum initia in nobis operatur.

Quarta. Quarta. Omnes gratiæ quæ ſunt nobis operandi principia, aut quibus dirigimur & protegimur, & vniuerſæ quæ pręcedunt tẽpore, vel natura Dei operationem efficacem eſſe poſſunt ſine vſu & fructu, & in vanum à nobis accipi, ita vt eis poſitis poſsimus non credere, non conuerti, non bene operari: Nec voluntati adducunt neceſsitatem.

Quinta. Quinta propoſitio. Sola gratia efficacis operationis diuinæ poſita, neceſſariò ſequitur effectus quem operatur, fides ſcilicet, conuerſio, peręeuerantia, & opus bonum: quamuis ſimpliciter per arbitrij libertatem poſsint non fieri.

Sexta. Sexta. Impoſsibile eſt quòd gratiæ præcedentes conuerſionem vel fidem, ſi fiant ex vocatione ſecundum propoſitum Dei, ſuo effectu & fine fruſtrentur: quamuis eædem ſi aliter fiant, per hominis libertatem quandoque ſuo fine atq; effectu fruſtrari poſsint.

Septima. Septima. In eo qui ſequitur vocationem credendo vel pœnitendo, & in alio qui eam negligit, poteſt eſſe idem conuerſionis & fidei principium, hoc eſt eædem illuminationes, ſuaſiones, & inſpirationes: adeò vt ex ſola eorum libertate vnus negligat vocationem, & ideo non credat nec conuertatur, Deo ad hoc propter eius negligentiam non cooperante: & alter credat & conuertatur ob ſuam diligentiam, qua ad verbum Domini auſcultat, & ideo efficaciter conuerſionẽ eius Deus operatur. Nec in iſto differẽtia eſt inter opera ſalutis & moralia ac naturalia. In eo enim qui vult ambulare Deus cooperatur, & ſi non vult, Deus ei non cooperatur. Nec tamẽ aliquid poſitiuum abſolutum eſt ante actionem in vno, quod non in alio. Et vbique eſt eadem voluntas ac liberum arbitrium, per gratiam aut naturam operans. Regulariter enim Deus non flectit voluntatem ad alteram contradictionis partem determinando, niſi ſuaſione & inſpiratione, quas etiam liberum eſt homini ſemper ſequi & negligere: per quas ipſe operatur in cordib⁹ noſtris velle & perficere, ſicut in ſemine operatur ad animaliũ & arborũ productiones.

Octaua. Octaua. Sicut eodem ſemine in terram cordis iacto ob vnius diligentiam fructificat, & propter alterius negligentiam ſine fructu ſterile manet, ita in vno multum fructum profert, cẽteſimum videlicet vel ſexageſimum, in alio triceſimum, propter variã hominis induſtriam ſedulitatẽ & laborem. Quare proxima cauſa qua vnus ſit altero ſanctior & iuſtior, eſt eius induſtria & conatus in vſu gratiæ Dei. Nam ad terræ diſpoſitionem Saluator refert fructus diuerſitatem. Qui verò, inquit, in terram bonam ſeminatus eſt, hic eſt qui audit verbum & intelligit, & fructum adfert, ac facit, aliud centeſimum aliud ſexageſimum, aliud verò triceſimum. Et apud Lucam, Quod autem in terrã bonam, hi ſunt qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum adferunt in patientia. Quã parabolam tractans Origenes hom. 1. in Exodum, Videtur inquit, mihi vnuſquiſque ſermo diuinus ſimilis eſſe alicui ſeminum, cuius natura hæc eſt vt cum iactum fuerit in terram, regeneratum in ſpicam, vel in quamcunq; aliam ſui generis ſpeciem multipliciter diffundatur, & tanto cumulatius, quantò vel peritus agricola plus ſeminibus laboris impenderit, vel beneficium terræ fœcundioris indulſerit. Sic ergo efficitur vt culturæ diligentia exiguum ſemen, verbi cauſa, ſinapis, quod eſt minimum omnium, efficiatur maius omnibus holeribus, & fiat arbor: Ita, inquit, & ſermo diuinus ſi peritum inueniat, & diligentẽ colonũ, vt cœperit excoli & ſpiritualiter retractari, creſcit in arborẽ, &c. Quod tamen incrementum ſpirituale in humilitate, patientia, & charitate dat Deus virtute verbi ſui ſeminati in corde noſtro, per noſtram diligentiam & laborem: opus tñ eſt vt fructus hic ſequatur: ſicut & ex ſemine naturali, Dei protectione ab incommodis & impedimentis, eiuſq; directione & gubernatione per pluuiam tempeſtiuã & ſerotinam. Intelligimus aũt non alia eſſe opus gratia operatrice, quæ operis ſalutaris ſit principiũ præparans voluntatem, & facultatem tribuens ſalubriter operandi.

Induſtria & conat⁹ in vſu gratiæ Dei, eſt cauſa quare vnus ſit alio ſanctior & iuſtior. *Matth. 13.* *Cap. 8.* *Matth. 13.*

Nona. Nona. Sicut Adam adiutoriũ habuit quo poterat perſeuerare in bono ſi voluiſſet, nõ ſolum contra tentationem vxoris ſuæ, ſed ſimpliciter per totam vitam in omnibus ſibi occurrẽtibus: ita iuſti in ſimili tẽtatione in bono perſeuerare poſſunt: imò & facultatem habent ſimpliciter tota vita perſeue-

R 2 randi:

Ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus. Ex quibus infert cauſam ob quam duo æqualiter diuinis inſtinctibus, & admonitionibus tracti, non æqualiter credunt aut obediunt euangelio, hanc plerumque eſſe, quia non æqualiter ſunt affecti: quemadmodum propoſito lucro aliter mouetur auarus, aliter pecuniæ contemptor. Ille ad facinus perpetrandum, iſte ad contemnendum: & aliter mouetur iratus, aliter manſuetus: & aliter qui ex natura, vel conſuetudine eſt caſtus, aliter adulter, vel impudicus. Nec minus ad opus virtutis, ſi eius habet principium, charitatē ſcilicet vel virtutis amorem, quàm ad vitia ſe poteſt deflectere. In omni enim materia, ita pietatis & gratiarum ſicut morali & ciuili, ad voluntatem pertinet ſe determinare ad vnam vel alteram patrem. Et quamuis ſub Dei determinatione, non tamen propterea minus liberè ſe determinat, quàm ſi nō concurreret, nec determinaret Deus. Quare hîc nihil diſputare oportet, quis prior ſit in determinando voluntatem, an ipſa, an Deus, & an prius voluntas aliquid velit, quàm Deus eam vult velle, an ecōtra. Nec magis hę quęſtiones locum habent in operibus gratiæ, quàm morum vel naturæ. Et quia voluntas ſecundum beati Hieronymi, Origenis, & aliorum patrum ſentētiam vis media eſt inter carnem & ſpiritum, & ad vtrumlibet ſe flectere poteſt: ideo in opere bono, quamuis ipſum totū ſit à gratia & libero arbitrio, quòd tamen opus pietatis eſt, à ſola habet gratia: quod autem opus ſit & eius fiat determinatio, à ſolo eſt libero arbitrio. Hîc tamen obſeruandum eſt, quòd hi qui vocantur ſecundum æternum Dei propoſitum indeclinabiliter & inſeparabiliter vocationem ſequuntur, vt dicit B. Auguſtinus cap. 12. de correp. & gratia: Subuentum eſt, inquit, infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter & inſeparabiliter ageretur. Et ideo quamuis infirma ſit voluntas, non tamē deficeret, nec aliqua aduerſitate vinceretur. Et cap. 8. Voluntas humana non libertate ſequitur gratiam, ſed gratia potius libertatē, & vt perſeueret delectabilem perpetuitatē & inſuperabilem fortitudinem. Quo autem modo ex hoc Dei propoſito æterno infirma hominis voluntas hæc conſequatur: an ex eo ſolum quòd vocatur prout apta eſt ſequi ſecundum ſuas affectiones, an diſpoſitione & directione Dei inſuperabili: quæ tamen nihil in homine ſic directo ponit præter motus cordis, quales ſunt etiam in alio, qui ſecundum hoc propoſitum non dirigitur: vel ex eo quòd impediuntur cogitationes & motus animi, quibus impediri vel retardari poſſet vocatio, vel alijs modis, ipſe nouit ſolus. Attingit enim ſapientia, ſecundum ſcripturam, à fine ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter: ita vt liberè & contingenter, quamuis indeclinabiliter & infallibiliter, ſemper ſequatur voluntas. Huius autem propoſiti & diuinæ gubernationis habita conſideratione, & non ſolū principij diuinitus immiſſi, quo agimus noſtram ſalutē, impoſsibile eſt quòd duo ſimiliter vocentur, & vnus vocationem ſequatur & non alter. Qui enim ſequitur, vocatur & dirigitur ſecundum æternum Dei propoſitum & directionem, alius autem non ſic vocatur. Quid autem & an aliquid poſitiuum neceſſariò requirat vel ponat hoc propoſitum in voluntate ante aſſenſum, ſiue voluntatis determinationem in eo qui ſecundum ipſum vocatur, obſcurum eſt: videtur tamen fieri poſſe per hoc quod impediuntur cogitationes, quę ſequelam poſſent impedire, vel per ſubmiſsionem occaſionum quæ ad eam conducant: manentibus ijſdem in vtroque inſpirationibus, per quas tamen is ſolus ſequitur vocationem, qui ſecundum Dei propoſitum vocatur, & non alius propter impedimenta cogitationum aliò rapientium. Ex quibus videtur quòd in ſequente vocatione eiuſdem vocationis modus quidam eſt, vel ablatio impedimenti, vel ſimile aliquid quod non eſt in alio, & plerunq; ob eius culpam, vel negligentiam. Ex ſola enim Dei ordinatione inſpirationes vim quandam intentionalem accipere poſſunt, ſicuti in ſimili declarat Cardinalis Caietan⁹ in tertia parte, quæſt. 13. art. 2. & q. 62. art. 9. Ad hoc autem Dei propoſitum refert B. Aug. quòd ex baptizatis quidam ab eccleſia recedant, & alij maneant. Ait enim in lib. de bono perſever. Ex duobus itaque paruulis originali peccato pariter obſtrictis, cur iſte aſſumatur: & ex duobus ætate iam grandibus impijs, cur iſte ita vocetur vt vocantē ſequatur: ille autem aut non vocetur, aut non ſic vocetur vt vocantem ſequatur, inſcrutabilia sūt iudicia Dei. Ex duobus pijs cur huic donetur perſeuerantia vſque ad finem, illi autem non donetur, inſcrutabiliora ſunt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet eſſe certiſſimum hunc eſſe ex prædeſtinatis, illū non eſſe. Nam ſi fuiſſent ex nobis, ait vnus prędeſtinatorum, manſiſſent vtique nobiſcum. Quid eſt quæſo, Non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent, manſiſſent vtiq; nobiſcum? Nonne vtriq; vocati erant & vocantē ſequuti vtriq; ex impijs iuſtificati, & per lauacrū regenerationis vtriq; renouati? Sed ſi hoc audiret ille qui ſciebat proculdubio quod dicebat, reſpondere poſſet & dicere, Vera ſunt hæc: ſecūdū hæc omnia ex nobis erant. Veruntamen ſecundum aliam quandam diſcretionem non erāt ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtiq; nobiſcum. Quænam eſt tandem iſta diſcretio? Patent libri Dei, non auertamus aſpectū. Clamat ſcriptura diuina, adhibeamus auditum. Non erant ex eis, quia non erant ſecundum propoſitum vocati, nō erant in Chriſto electi ante conſtitutionem mundi, non erant in eo ſortem conſecuti, non erant prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui vniuerſa operatur. Nā ſi hoc eſſēt, ex illis eſsēt, & cū illis ſine dubitatione manſiſſent. Et quamuis per arbitrij diuinit⁹ adiuti libertatem, nosipſos determinando,

Inæqualis affectus cauſa eſt quare vnus credat & euāgelio obediat altero non credē te nec obediente.

Sap. 8.

Cap. 8.

1. Ioan. 2.

credendo & pœnitendo, vocationem ſequimur, altero ſimilem negligente, nõ propter ea nos diſcernimus, nec habemus quod gloriemur, niſi in Domino, qui voluntatem ſic præparauit & prçuenit, vt ſequeremur: quẽadmodum dicit B. Auguſtinus lib. 83. quæſtionum, quæſt. 8. Si, inquit, quiſpiam ſibi tribuit quòd veniat vocatus, non ſibi poteſt tribuere quod vocatus eſt. Item ca. 34. de ſpiritu & litera ſibi iſtud obijcit. Nam poſtquã dixerat conſentire vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſſe: quæ res, inquit, non ſolum non infirmat quod dictum eſt, Quid enim habes quod *1. Cor. 4.* non accepiſti, verum etiam confirmat: accipere quippe & habere anima non poteſt dona de quibus hoc audit, niſi conſentiendo: ac per hoc quid habeat, & quid accipiat Dei eſt, accipere autem & habere vtique accipientis & habentis eſt. Ad primam autem huius diſcriminis cauſam reſpiciens addit, Si ad illam profunditatem ſcrutãdam quiſquã nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur vt perſuadeatur, illi autem non ita: Duo ſola occurrunt interim quæ reſpondere mihi placeat. *Rom. 11. et 9* O altitudo diuitiarum, &, Nunquid iniquitas apud Deum? Cui reſponſio iſta diſplicet, quçrat doctiores, ſed caueat ne inueniat prçſumptores. Et quia omnis diuerſitas in conſentiendo & negligendo ab iſta quaſi prima cauſa dependet, ideo in alijs libris, puta dè gratia & libero arb. de corrept. & gratia: de bon. perſeuerã. & de prædeſtinatione ſanctorum ad hanc ſolam cauſam refert quod vnus diſcit & ſequitur, à Deo doctus & vocatus, & non alius. Et quia vocationi conſentire tantum pertinet ad libertatem arbitrij, ſi diuinitus eſt prçparatum, ideo quod dogma Eccleſiaſticum & ſententiæ ex Auguſt. citatæ ſoli tribuunt arbitrio, ſolam voluntatis determinationem ſpectando, liber ſecundus de vocatione gentium cap. 9. tribuit etiam diuinæ gratiæ, ſine qua non poteſt ſe determinare. Ait enim, Quòd diuina excitatio à multis refutatur atque ſpernitur, ipſorũ eſt nequitiæ, quòd autem à multis ſuſcipitur, eſt diuinæ gratiæ pariter & humanæ voluntatis. Poteſt quidem humana voluntas reſiſtere diuino inſtinctui, ſed nõ poteſt impedire intentionem prædeſtinantis Dei, quia corda hominum in manu Dei ſunt, quocũq; voluerit inclinabit ea, quamuis ſeſe efficienter ſola determinent: Certum quidem eſt obedientem admitti, inobedientem repelli: faceret tamẽ Deus ex rebellibus obedientes ſi vellet. Dominus enim, inquit Ambroſius, quos dignatur vocat & quẽ vult religioſum facit: vt citat B. Aug. *Cap 46.* lib. 1. de gratia Chriſti contra Pelag. & Cæleſt. Habet itaque qui inſpirationes ſequitur, quod glorietur, nõ in ſe ſed in Domino. Teſtantur enim ſcripturæ quòd magna apud Deum erit gloria, magna laus homini operanti bonum. Reddet, inquit Apoſtolus, *Rom. 2.* vnicuique ſecundum opera eius, ijs quidem qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærentibus, vitam æternam: Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum. Item alio loco, Tunc laus erit vnicuique à Deo, quando *1. Cor. 4.* veniet & illuminabit abſcondita tenebrarum. Rurſum in Euang. Saluator, Euge ſerue *Matth. 25.* bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: Quod autem dicit Apoſtolus, Quis te diſcernit? proprè in *1. Cor. 4.* telligitur nõ de perſeuerantia in bono, ſed *Epiſt. 46.* ſecundum B. Aug. de maſſa perditionis quæ facta eſt ex Adam. Ab hac enim dicit in epiſtola ad Valentinum ſolum Deum hominẽ diſcernere, vt eum faciat vas in honorem, non in contumeliam: vbi addit quòd ij gloriantur quaſi non acceperint, qui ſe à ſeipſis iuſtificari putant: ac per hoc in ſemetipſis, non in Domino gloriantur. Eſt tamen à Domino eiuſq; gratia quòd in bono perſeueramus quòd in via virtutum progredimur, quòd piè & ſanctè viuim⁹. Ipſius enim ſumus *Ephe. 2.* factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus, & ideo frequẽs eſt oratio in pſalmis, *Pſal 85.* Deduc me Domine in via tua, Quis deducet *Pſal. 59. & 107.* me in ciuitatem munitam? Et de hoc beneficio eſt gratiarum actio. Deduxiſti ſicut o- *Pſal. 76.* ues populum tuum. Item, Vt iumentum fa- *Pſal. 72.* ctus ſum apud te, & ego ſemper tecum. Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me. Et de Iacob patriarcha *Sapient. 22.* dicit Sapiens. Iuſtum deduxit ſapientia per *Pſal. 22.* vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei & de *Pſal. 30.* dit illi ſcientiam ſanctorum, honeſtauit illum in laboribus, & cõpleuit labores illius. Cuſtodiuit illum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum, & certamen fortè dedit illi vt vinceret, & ſciret quòd omnium fortior eſt ſapientia. Item, Eſto mihi in Deum protectorem in domum refugij, vt ſaluum me facias: quoniam fortitudo & refugium meum es tu, & propter nomen tuum deduces & enutries me. Dominus regit me, & nihil mihi deerit: & quæ ſequuntur. Propter quod dicit dogma Eccleſiaſticum, Vt non labamur in adepto ſalutis munere, ſolicitudinis noſtræ eſt & cœleſtis pariter auxilij. Atque hinc eſt quòd derelicti à Domino ſtatim hæreant in ſuis adinuentionibus. Propter quod beatus Auguſtinus lib. 2. confeſs. Quis hominum, inquit, ſuam cogitans in- *Cap. 7.* firmitatem, audet viribus ſuis tribuere caſtitatem atque innocentiam ſuam: vt minus amet te, quaſi minus fuerit ei neceſſaria miſericordia tua, donans peccata conuerſis ad te? Gratię tuę deputo & miſericordiæ, quòd peccata mea tanquam glaciem ſoluiſti: gratiæ tuæ deputo & quæcunque non feci mala. Quid enim non facere potui, qui etiam gratuitũ facinus amaui. Omnia mihi dimiſſa eſſe fateor, & quæ mea ſponte feci mala, & quæ te duce non feci: Et ideò qui vocatus à te ſecutus eſt vocem tuam, & vitauit ea quæ me de meipſo recordantem & fatentem legit: non me derideat ab eo medico ægrum ſanari, à quo ſibi præſtitũ eſt vt non ægrotaret, vel

Humana voluntas poteſt reſiſtere diuino inſtinctui ſed nõ poteſt impedire intentionem prædeſtinantis Dei.

ret,vel potius vt minus ægrotaret. Et ideò te tantundem, imò verò amplius diligat, quia per quem me videt peccatorũ meorum languoribus exui, per eum ſe videt tantis peccatorum languoribus non implicari. Item libro 10.cap.31. Qui,inquit,ebrioſus non eſt, à te habet quod non eſt: ſicut qui fuit,& iam non eſt, dono tuo habet quòd non eſt. Rurſus in homil.23. tractans euangelium de Maria Magdalena. Nullum,inquit,eſt peccatum quod fecit homo, quòd non poſsit facere alter homo, ſi deſit rector à quo factus eſt homo. Et paulò ſuperius. Tu qui dicis te non multa commiſiſſe, quare? quo regente? Deo gratias. Hic multa commiſit, ille gubernante Deo pauca cõmiſit. Cui deputat ille quòd dimiſit, huic deputat iſte quod non commiſit. Adulter non fuiſti in vita tua præterita, nondum credens in illum, qui te naſcentem regit. Hoc tibi dicit Deus tuus, Regebam te mihi, ſeruabam te mihi, vt adulterium non committeres, ſuaſor defuit, & vt ſuaſor deeſſet ego feci. Locus & tempus defuit, & vt hæc deeſſent, ego feci. Adfui ſuaſor, non defuit locus, non defuit tempus, vt nõ conſentires ego terrui. Agnoſce ergo gratiam eius cui debes, & quod non admiſiſti: Et, quia nõ ſolùm ad gloriam æternam elegit nos Deus, ſed ad certum etiam gloriæ gradũ & certam in cœlis manſionem, ad hunc quaſi ſcopum totam noſtram vitam, omniaq; opera & incrementa, eadem ſua gratia diſponit & gubernat. Nec tamen ſolum electos ſecundum æternum propoſitum ſic regit & dirigit ad gratiam, verum etiam & eos, qui tantum ad tempus credunt, & benè viuunt, & facta tribulatione, atque in tempore tentationis recedunt, & pietatem relinquunt. Dei enim gratia eſt, & ſecundũ eius propoſitum, quòd ſaltem ad tempus benè viuant, ad quod ipſe eos ab æterno præparauit. In his enim quæ ad pietatem pertinent, non ſumus ſufficientes ſine Dei gratia aliquid cogitare aut velle: non ſolùm ſine gratia, quæ eſt operis principium, ſed nec voluntatis ad hæc opera determinatio fit ſine peculiari ex Dei propoſito diſpoſitione. Ab æterno enim voluit ſaltem ad tempus eos habere amicos, filios, & hæredes. Ex quibus manifeſtum eſt, quòd multi poſſunt venire ad Chriſtum, peccata relinquere & vitare ac perſeuerare, qui tamen hæc non faciunt. Nemo, inquit, Saluator, poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à patre meo. Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me traxerit eum, Et apud Mathæum. Qui poteſt capere, capiat. Item Paulus Apoſtolus, Induite vos armaturam Dei, vt poſsitis ſtare aduerſus inſidias diaboli, & vt poſsitis reſiſtere in die malo. Et poſtea, In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſsimi ignea extinguere. In quibus ſcripturis clariſsimè diſtinguũtur poſſe & facere, & vnum ab altero ſeparatur. Quod autem plerunque huius poteſtatis, quaſi ſufficientis rationis veniendi & conuertendi, liber ſit vſus etiam in reſpuendo, præueniendo ſaltem efficacem Dei operationem, qua facit noſtram conuerſionem, fidem & perſeuerãtiam ex donis præcedentibus, diximus ſuperius eſſe veriſimilius. An verò hæc Deus operetur prius natura quàm liberum arbitrium, alia ratione quàm quia ipſe operatur independenter, & voluntas in ſua actione & agẽdi principio à Deo dependet, eadem videtur eſſe difficultas, quæ eſt circa quamlibet operationẽ cauſæ ſecundæ: & tractatur diſtinct.22.pri.ſentent. per multas quæſtiones ab Andrea de Caſtro nouo: & à Gabriele Biel diſtinct.37.2. ſentent. & diſtinct.1. quæſt.2. item diſtinct. 45.1. ſent. qui docent Deum non prius cauſare quam creatura eundem effectum: & Deum eſſe cauſam primam primitate perfectionis, illimitationis, & durationis ſecundum eſſe, non ſecundum cauſare: & ordinem cauſarum eſſentialium ſolum eſſe ordinem perfectionis, illimitationis, & neceſsitatis, quia neceſſariò cauſa prima requiritur. Docent etiam diuerſas eſſe actiones Dei & creaturæ. Porrò Gregorius de Arimino dicit Deũ & creaturam æquè immediatè cauſare, & non Deum per creaturam, nec ea mediante libro 1. ſententiarum diſtinct.45. quæſtio.1. concl.5. Et ſecundum hanc opinionem voluntas humana nullo modo eſt inſtrumentum Dei in operibus pietatis, imò nec in ciuilibus: nec agentia naturalia: eo quòd æquè immediatè cum Deo ad eundem effectum concurrant: Nec ſecundum ſentẽtiam B. Thomæ voluntas ea ratione inſtrumentum eſt, qua inſtrumenta artis, quæ ab ea virtutem recipiunt per modum qualitatis aut intentionis, quando ad actionem aſſumuntur. Nam in cauſis naturalibus virtus naturã ſequitur, & actionem præcedit. Propriam enim habent virtutem actiuam, peculiareſque habẽt effectus: quia tamen agunt in virtute cauſæ primę propria actiuitate immanente, per quandam participationem virtutis cauſæ ſuperioris, modo quodam inſtrumenta dicuntur ſimiliter & voluntas, non tamen propriè ſicut inſtrumẽta artis, quæ vim actiuam ſuſcipiunt eo ipſo quo aſſumuntur, & mouentur à principali agente. Et Cardinalis Caietanus 1.parte ſummæ art.13.q.14. reſpondens argumento Scoti probantis, quòd nulla poſsit eſſe libertas in creaturis, ſi Deus eſſet agens naturale & non liberum, diſtinct.2. primi ſentent. quæſt.2. & diſtinct.39. quæſt.1. Item diſtinct.8. quæſt. 4. Cauſa, inquit Scotus, quæ mouet inquantum mota, ſi neceſſariò mouetur, neceſſario mouet: ſed omnis cauſa ſecunda neceſſario mouet, inquantum mota à prima, neceſſario ergo mouet ſeu agit, ergo nulla datur cauſa contingens. Præterea cauſa prior prius naturaliter reſpicit effectũ, quàm cauſa poſterior, ergo in illo priori prima cauſa dabit effectui neceſsitatem. Igitur in ſecũdo inſtanti naturæ cauſa proxima non poteſt eidem dare contingẽtiam. Reſpondet priori rationi diſtinguendo maiorem, quæ habet quòd cauſa quæ mouet inquantum mota neceſ-

Voluntatis determinatio ad opera pietatis non poteſt eſſe ſine peculiari ex Dei propoſito diſpoſitione.

Joann.9.
Cap 29.
Epheſ.6.

ſario mouet, ſi neceſſario mouetur. Nam ſi particula, inquãtum mota ab alio, dicit cauſam præciſam, ita vt motio ſit ei cauſa agendi, iam propoſitio illa implicat cõtradictionem in adiecto: quia ſi cauſa ſecunda eſt cauſa, non præciſè mouet, quia mota, ſed etiam ex ſe aliquid confert. Et ſi ſolum quia mota mouet, nihil ex ſe confert, & ſic nõ eſt cauſa: quod falſum eſt. Habent enim cauſæ ſecundæ, qualis eſt liberum arbitrium, ſibi concreatas virtutes agendi citra omnem motionem. Si verò ea particula dicat concauſam principalem, tamen falſum eſt quod aſſumitur, quoniam ſtat quòd neceſſario moueatur, & non neceſſariò moueat, quia motio cauſæ prioris modificatur in cauſa ſecunda ſecundum motũ ipſius cauſæ ſecundæ: quod prolixius ibidem declarat. Ad ſecũdum autem argumentum reſpondet quòd illa prioritas non eſt vniuerſaliter ſecundũ aliquam quaſi durationem naturę, vt in vno inſtanti naturæ effectus attingitur à cauſa prima, & in alio à ſecunda: ſed eſt ſecundum independentiam & immediationem, virtutis immediatione, quia prior independentius & immediatius, immediatione virtutis: non ſuppoſiti attingit effectum, quàm ſecunda, in eodem tamen inſtanti naturæ effectus ab vtraque attingitur.

Vltima propoſitio. Opera pietatis vt liberè fiunt & inquantum opera ſunt per naturalem virtutem liberi arbitrij fiunt: inquãtum autem ſunt pietatis opera, à gratia fiunt.

Vltima propoſitio. Opera pietatis credere pœnitere, implere præcepta, & in bono perſeuerare fiũt per naturalem virtutem liberi arbitrij inquantum liberè fiunt, & opera ſunt, nec ab alio fieri poſſunt, niſi per naturam liberi arbitrij: A gratia verò, vt pietatis ſunt opera: tamen vt ſic, à libero arbitrio gratia informato effectiuè fiunt: non autem à ſola gratia, quę potius eſt ratio agendi, quã cauſa efficiens. Actiones enim ſunt ſuppoſitorum. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt vt dicit frequenter B. Auguſtinus, quòd quęſtio de libero volũtatis arbitrio & gratia ſit difficillima, propterea quòd in alterius eorum defenſione alterum auferri putetur, vt diximus ſuprà, qui etiam ſcribit lib. 2. contra literas Petiliani cap. 44. Credebat enim ille quod liberum tolleretur arbitrium legum coercionibus. Cui propterea reſpondit, Si tibi, inquit, proponam quæſtionem, Quomodo Deus pater attrahat ad filium homines quos in libero dimiſit arbitrio, fortaſsis eam difficilè ſoluturus es. Quomodo enim attrahit ſi dimittit vt quis quod voluerit eligat? & tamen vtrumque verum eſt, ſed intellectu hoc penetrare pauci valent. Sicut ergo fieri poteſt vt quos in libero dimiſit arbitrio, attrahat tamen ad filium pater: ſic fieri poteſt vt ea quæ legum coercionibus admonentur, liberum non auferant arbitrium. Intellectum enim ſuperat humanum quòd electi ſuæ relinquãtur libertati, vt peccare poſsint, & relinquere in bono pſeuerantiam: & tamẽ firmi ac immobiles permaneant inter perpetuos & grauiſsimos tentationum impetus, & dæmonum inſidias, vt nullus eorum hæreditate ad quam ſunt electi fruſtretur: Et inter eos qui electi nõ ſunt ſecundum æternum Dei propoſitum, quamuis gratia Dei & libero arbitrio credere poſſint, pœnitere & perſeuerare: multi item conuertantur atque in filios & hæredes Dei ſuſcipiantur, nullus tamen eorum perſeueret, ſed tandem finaliter in peccatis moriatur, & vita fruſtretur æterna. Nam dicit beatus Auguſtinus in reſponſione ad duodecimum articulum ſibi falsò impoſitum, quòd prædeſtinatio facit, vt ex filijs diaboli fiant filij Dei, & ex templo dæmonũ, templa ſpiritus ſancti: quia ipſe allegat fortem, & vaſa eius rapit, eruens ea de poteſtate tenebrarũ, & transferens de contumelia in gloriam: Hi autem de quibus dicitur, Ex nobis exierunt: ſed non fuerunt ex nobis: voluntate exierunt, voluntate ceciderunt: & quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati: eſſent autem prædeſtinati ſi eſſent reuerſuri, & in ſanctitate ac veritate manſuri. Ac per hoc prædeſtinatio multis eſt cauſa ſtandi, nemini labendi. Eſt enim prædeſtinatio efficax ordinatio & directio electorum per media congrua ad ſalutem æternam. *Quid prædeſtinatio.*

EX propoſitionibus iam dictis manifeſtum eſt quòd gratia perficit & roborat, non autem tollit arbitrij libertatem. Ponendæ ſunt nunc aliæ propoſitiones, quibus declaretur quòd ſimiliter perficit, erigit & diuinas facit vires intellectus, voluntatis & liberi arbitrij, in quibus ſimul apparebit eius cum iſtis concordia.

Prima. Prima propoſitio. Quemadmodum intellectus ex lumine naturę cõcreato verum naturale ex ſenſibilibus cognoſcere poteſt, & voluntas bonum naturæ conueniens amare & amplecti: ſimili modo intellectus per donum fidei, prophetiæ, & diſcretionis ſpirituum, veritates ſupernaturales & Dei myſteria cognoſcere poteſt, & voluntas eis affici velle, amare & proſequi ex dono ſupernaturaliter ei dato. Idem eſt enim intellectus, cuius virtute omnia cognoſcimus, & eadem volũtas qua vniuerſa amamus: ſed fidei myſteria cognoſcũtur naturali eius virtute diuinitus adiuta, & amantur voluntate à Deo præparata.

Secunda. Secunda. Intellectus ex principijs fidei argumentando & inueſtigando procedere poteſt in nouas cõcluſiones, etiam à principijs multum diſtantes: ſicut ex principijs naturaliter notis ad concluſiones, vſque ad naturæ abditiſsima.

Tertia. Tertia propoſitio. Cum finis in operabilibus ſe habeat ſicut in ſpeculabilibus principium, amor finis in rebus fidei imperare poteſt mediorum inquiſitionem, & quod ſit conuenientiſsimum diſquirere, quodque commodiſsimum iudicauerit, eligere. Nam ſicut gratia non deſtruit naturam liberi arbitrij, ita nec cauſalitatem, efficientiam & efficaciam impedit, nec obſiſtit: ſed nobiliorem facit, & ad ordinem ſuperiorem erigit. Et veriſimile eſt non eſſe hic opus alio auxilio ſpe-

Gratia non deſtruit naturam liberi arbitrij, nec eius cauſalitatem et efficientiã impedit.

lio ſpeciali, in his diſcurſibus & effectuum horum productione, ſicut nec in operibus naturæ nouo auxilio naturali. Suppoſito nãque auxilio circa ſeminũ & operum pietatis conſeruationem, eadem videtur eſſe actiuitas ſicut & libertas, circa ea, quæ ſunt pietatis, quæ eſt in naturalibus & ciuilibus.

Quarta. Quarta propoſitio. Opus externum pietatis ſuo imperio facit voluntas efficax ſine alio gratiæ concurſu. Quapropter Deus operatur velle, perficere, & omne opus bonum, ſed diſsimiliter. Velle enim in nobis operatur, hoc eſt primum benè operandi affectum immediatè ſine nobis, hoc eſt ſine noſtra vt velimus cooperatione: cum autem ſic volumus vt faciamus, nobiſcum cooperatur: non immediatè potẽtiam cooperatiuam ſiue executiuam inclinando, vel opus externum producendo, ſed per medium ſolum bonæ volũtatis. Declarans enim B. Auguſt. lib. de gratia & lib. arbit. quomodo operetur perficere ſiue opus bonum, Certum eſt, inquit, cap. 16. nos mandata ſeruare ſi volumus: ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt vt tantum velimus, quantum ſufficit vt volendo ſatisfaciamus. Et paucis

Cap. 17. interpoſitis. Certum eſt nos facere cum facimus, ſed ille facit vt faciamus, præbens vires efficaciſsimas voluntati qui dixit, Faciam vt in iuſtificationibus meis ambuletis: qui & ſimiles habet ſententias cap. 15. & 35. de ſpiritu & litera. Nam voluntas efficax & impe-

Ezech. 12. rans opus cauſa eſt eius, & ſemper ſequitur effectus remoto impedimento, vt docet Ariſtoteles lib. 7. Ethicorum, & commentator in 8. lib. Phyſicorum. Non enim fieri poteſt, vt efficaciter volens ambulare nõ ambulet, ſi liber eſt, & non impeditus. Et qui pauperi vult dare eleemoſynam, ſi adeſt pauper & diuitiæ, non poteſt non dare eleemoſynam: opus enim imperatum, etiam in his quę ſunt pietatis, naturaliter ſequitur voluntatis imperium. Et ideò B. Thomas 12. quæſt. 111. art. 2. Actus inquit, exterior in his quæ pietatis ſunt attribuitur voluntati à qua imperatur: ad ipſum autem adiuuat nos Deus, interius voluntatem confirmãdo & cuſtodiendo, vt ad actum perueniat: & exterius facultatem operandi præbendo, per impedimentorum ſcilicet ablationem. Nam interna facultas operandi eſt volũtatis efficacia. Sicut igitur aliter à voluntate procedit velle, aliter operari, videlicet ſolum mediante velle: ita diſſimiliter à Deo vtrunque proficiſcitur, nec gratiam nouam potentiæ executiuæ inclinatiuam exigit operari, cum ſufficiẽter eam determinet & inclinet ipſa voluntas.

Quinta. Quinta. Quilibet actus imperatus ſiue fuerit intellectus, ſiue voluntatis vel alterius potentiæ rationi ſubiectæ, neceſſariò & naturaliter ſequitur voluntatis imperium ex amore finis & cognitiõe medij ad illum neceſſarij: & ſi plura ſint media vtilia poſt inquiſitionem, liberè eligit mediũ ſibi magis conueniens: & hoc totum virtute amoris, cognitionis & diſcurſus, cum ſola gratia horum conſeruatiua & directiua, à Deo videlicet vt cauſa prima in ordine gratiarum & patre miſericordiarum concurrente. Ex ſola enim voluntate finis fiunt huiuſmodi progreſsiones in intellectu & volũtate ad concluſiones, & media ad finem ordinata. Cui enim Deus ſuggeſsit ſui ſtatus periculoſi cogitatum, ſimul & ſuppliciorum gehennæ, quodq́; multipliciter ea eſt meritus: & per hanc cogitationẽ odium vitæ ſuæ & terrorẽ gehennæ, per hæc inſpirans etiã voluntatem ſe eripiendi ab his malis: ex voluntate quaſi naturaliter hic quærit media per quæ eripiatur ab his malis: & intelligẽs quòd oporteat ſe recolligere in amaritudine animæ, vt peccata ſua ſacerdoti confiteatur, neceſſario hæc media eligit, & cum animi dolore peccata ſua ſacerdoti confitetur. Operatur autem hæc omnia peccator Dei gratia præuentus: operatur ea in nobis & Deus, ſed per ſua dona cuſtodiens, confortãs, & vires præbens primæ voluntati ab ipſo nobis inſpiratæ. Non enim tollit, vt diximus, gratia efficaciam cauſarum, quam habent ex ordine potentiarum, nec naturalem ad ſuas cauſas ſequelam: ſed magis eam ſtatuit & confirmat. Nã, vt diximus, ſicut in Phyſicis, ita ex his quę fidei ſunt argumentamur ad concluſiones, quibus & fide ex principijs aſſentimur: & hoc ſine noua gratia intellectum ad earum aſſenſum inclinante. Ex aſſenſu enim præmiſſarum naturaliter ſequitur aſſenſus cõcluſionum, vt in practicis & ſpeculatiuis, ita in veritatibus fidei. Ex quibus patet, quòd poteſtas cognoſcendi, amandi, & operandi ſalutaria in nobis eſt, à Deo tamẽ præuentis affectu & amore ſalutis, qua vti poſſumus ſi velimus, poſſum⁹ & negligere. An verò bonus cogitatus bonaq́; voluntas, quibus ſine noſtra cooperatione à Deo pręuenimur & præparamur, per ſolum liberũ arbitrium ad tempus ſaltem conſeruari, continuari, & cuſtodiri poſsint, ſub Deo tanquam generali cauſa, hic requiri poſſet. Quòd enim per ipſum continuari poſsint & conſeruari, ſicut & negligi atque contemni, certum eſt. Poſſet hic etiam inquiri, An ſicut ex bona volũtate tanquam ſemine ac principio, ad alios voluntatis actus, & mediorum electionem progredi poſſumus, ſine alio auxilio gratuito præter generale, quo Deus cooperatur donis ſuis gratuitis, & ex principijs fidei inferre concluſiones. ita an virtutum diuinarum habitibus fide, ſpe, & charitate, cum ſolo auxilio generali, quo cooperatur donis ſuis, ad opus progredi poſſumus. Sed magna ex parte ex præcedentibus facilè innoteſcere poſſunt. Nam fidelis credere poteſt Chriſtũ pro nobis eſſe paſſum quando vult: & homo iuſtus in operibus pietatis exercitatus, pauperi occurrenti eleemoſynam dare poteſt, ex fide & charitate fratris ob Dei amorem: ſicut ex naturali pietate, & quia honeſtum eſt, hoc facere poteſt peccator, imò & ethnicus. Pro quo ſit ſexta propoſitio.

Quomodo Deus per ſuggeſtionem ſuam prouehat hominẽ ad ſui conuerſionem.

Sexta. Fidelis in lumine fidei diuinitus accepto

poteſt

poteſt cogitare, cognoſcere & credere ea q̄ ſunt fidei: vt quòd Chriſtus eſt propitiator noſter in ſanguine ſuo apud patrem: ſicut Phyſicus in lumine naturalis ratiõis cognoſcit, quòd cælum & terra ſunt figuræ ſphęricæ. Nec requiritur alius Dei cõcurſus, quàm conſeruatio luminis, & eius tanquam cauſę vniuerſalis in ordine gratiarum cooperatio per hoc lumen & liberum arbitrium: ſicut cooperatur ad cognitionem phyſicā per lumen naturale. Nam poſito operis principio ſufficiente cognoſcendi vel credendi, hoc eſt ſpiritu fidei, poſſumus eo vti quando volumus. Et concurſus Dei cum principio operis gratuiti & ſupernaturalis ad effectū ſupernaturalem, omneque opus ſalutis gratia ſiue auxiliū ſpeciale dicitur, ſine quo fidelis non poteſt credere, nec iuſtus benè operari. Nam dicit B. Aug. de ſpiritu & litera quòd in noſtra poteſtate eſt credere, & non credere, quando credimus: ſicut cognoſcere aliam veritatem naturalē. Homo enim fidelis poteſt credere & cogitare Deum trinum quando vult, nec opus eſt ibi motione aliqua ſpeciali: & ſimiliter operari opera ſalutis. Eget tamen ad perſeuerandum auxilio Dei protegente & defendente.

Cap 31. & ſequentibus.

Septima.

Septima. Homo nondum fidelis, ſed ſufficienter inſtructus, voluntate per pium affectum à Domino præparata, poteſt velle credere ſine alio auxilio prius natura voluntatem flectente quàm credere velit, & informationi acquieſcendo ad credendum ſe determinare, poteſt & eligere vt relinquat infidelitatis errores. Voluntate enim à Domino præparata in hac gratia omnia poſſumus, & nobis ſufficientia eſt cogitādi, credendi, & faciendi opera pietatis. Non enim ſpiritus fidei & charitatis minus ſufficiēs eſt, aut minus potens ſuos fructus operari, fidei ſcilicet & charitatis ac naturæ diuinæ opera, quàm ſpiritus naturalis, puta rationalis anima opera vitæ naturalis. Eadem namque in iuſtis eſt potentia operandi propinqua, quæ erat in Adam ante peccatum. Et ideò eadem operari poſſunt: quamuis propter infirmitatem & ignorantiam, ad perſeuerandum indigeant ſpeciali auxilio protegente, & dirigente, vt dicit B. Thomas artic. ſuprà citato: quo tamen auxilio poſito, non alio principio operantur quæ ſunt pietatis quàm per gratiam quaſi habitualem ſiue ſpiritum inhabitantem, per quem non tam nos quàm Chriſtus in nobis, & per nos operatur. Quare hic nihil tribuitur libero arbitrio quod eſt pietatis, ſed ſolum quod liberè agat & velit, quodque principium ſit huiuſmodi operis vt opus eſt. Per virtutem autem & gratiam diuinam ita operatur ea quæ ſunt ſalutis, ſicuti ea quæ ſunt naturæ & morum per ſuam naturam. Hæc videtur eſſe ſententia B. Thomæ in articulis 8. 6. & 10. ſuprà allegatis: quæ tamen omnia dicta eſſe velim ſine vlla aſſertione, vt diligētioris inueſtigationis detur occaſio.

Ex quibus manifeſta fit reſponſio non ſolùm ad difficultates ante concluſiones & circa vndecimam concluſionem propoſitas, ſed etiā ad alias multas quæ hic moueri poſſunt. Primò enim patet quòd non eſt opus noua gratia vel auxilio in vſu gratiæ ad credendum, pœnitendum, piè operādum, vel perſeuerandum ſufficientis, quod ſcilicet auxilium ſe habeat ex parte hominis excitati vel inſpirati. & quod ſit operis principium vel ipſum præcedat. Non enim neceſſaria eſt alia inſpiratio vel motio, vt habet quarta propoſitio: neceſſaria tamen eſt Dei cooperatio vt authoris gratiarum. Et videtur ꝓbabilius quòd ſicut ex ſemine producitur arbor, quæ ſua virtute profert fructus, ita ex ſemine verbi Dei (ſi corde bono ſuſcipitur) peccator ſe diſponere poteſt, vt à Deo iuſtificetur, nō virtute ſeminis, quod non ita virtualiter continet iuſtificantē gratiam, ſicut ſemen arboris ipſius formam quę è potentia materiæ educitur, quum gratia creetur. Propter quod ad gratiam iuſtificantem ſemen quod eſt verbū Dei potius ſe habet ſicut ſemen hominis ad hominem qui ex eo producitur. Iſtud docere videtur B. Petr. *1. Pet. 1.*
Apoſt. cùm ait. Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbū Dei viui, & permanentis in æternum: &, Sicut modò geniti infantes lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem. Iren. Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſe- *1. Ioann. 3.*
men ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt. Rurſus ca. vlt. Ioan. Omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat, ſed generatio Dei conſeruat eum, & malignus non tanget eum: vbi & cauſam perſeuerantiæ filiorum Dei docet: Et iuſtificatus per ſpiritum charitatis operari poteſt vitæ ſpiritualis opera cum ſola Dei cooperatione, ſine alio auxilio quod operationem præcedat: quamuis in eis perſeuerare non poſſit, niſi adiuuetur nouo & ſpeciali dei dono. Nam iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſq; ad perfectam diem: de quo circa propoſitionem octauam.

Secundò patet quòd non omnis gratia dās poſſe credere, poſſe conuerti, poſſe benè operari & perſeuerare, facit hæc opa. Nam iuſtus auxilium habet quo reſiſtere poteſt peccato, & quādo peccat perſeuerare, & multa pietatis opera facere quæ nō facit. Abſurdū enim eſt dicere omnia opera eū facere quæ facere poteſt, quodq; alia non poſſit facere, quàm quæ facit, nec magis creſcere. Nam ex gratia oblata, imò & præſente multi credere poſſunt, qui ob huius ſeculi affectum non credunt, de quo in fine decimæ propoſitionis. An verò omnis gratia interior ſiue auxilium vel quælibet ſuaſio aut inſpiratio ſufficiat ad opus ad quod primò & immediatè cõceditur: an ex ea liberum arbitrium iſtud efficere poſſit ſola Dei cooperatione concurrente, dubitari fortaſsis poſſet: certum tamen eſt quòd ad illud, ſaltem per orationem à Deo impetrādum ſufficiat. Qui enim

fidei habet initia impetrare poteſt legis impletionem & perſeuerantiam. Ait enim B. Auguſtinus de gratia & libero arbitrio, cap. 16. Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putāt quando dicunt, Non iuberet Deus quod ſciret ab homine non poſſe fieri, Quis hoc neſciat? Sed ideo iubet aliqua quæ non poſſumus, vt nouerimus quid ab illo petere debeamus. Ipſa eſt enim fides quæ orando impetrat quod lex imperat, Certū eſt nos mandata ſeruare ſi volumus: ſed quia pręparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt vt tantum velimus, quantū ſufficit vt volendo faciamus: vbi oſtendit nō quamlibet bonam voluntatem, quæ tamē magna gratia eſt, ſufficere ad legis impletionem. Idem dicit cap. 11. & 12. lib. de correp. & gra. Iuſtus itaq; poſt lapſum habet adiutorium per quod ad tempus perſeuerare poteſt ſi velit, ſi tamen non perſeuerat adiutorium, non habet quo hoc velit. Adam verò pro toto vitę tempore perſeuerare poterat, in quo adiutorio Adæ dato & multis iuſtis eſt diſcrimen. Manifeſtum eſt præterea quòd inter duos ſimiliter (quantum ad illuminationes & inſpirationes, & alia, excepta tamen gratia prędeſtinationis) affectos, poteſt fieri quòd vnus pœniteat & perſeueret, & non alius. Vti etiam poſſumus habitibus, fide, ſpe, charitate, cæteriſq; virtutibus, ſi voluntas his vti velit, ſicut alijs habitibus virtutum moralium & ſcientiarum naturalium; quamuis vt eis vti velimus Deus operetur gratuita ſua motione abſque conſilio & deliberatione eius, præuium quendam cogitatum immittens, aut motum ad bonum, quo voluntas reducatur aut ex ocio in actum, aut ex vana ſeu inutili cogitatione in voluntatem ſalutarem, qua ſeſe ex ratione & ex virtute accepta applicet ac moueat ad operandum. Non enim ſe mouere poteſt ad actum ſalutarem, niſi prius diuinitus moueatur, ſicut & moueri debet ad primos actus naturales.

Inter adiutorium datū Adæ, & adiutoriū datū multis alijs iuſtis eſt diſcrimen.

Tractantur circa hanc materiā gratiæ & liberi arbitrij & aliæ quęſtiones. Imprimis an ad libertatem arbitrij re & non nomine ſolum defendēdam neceſſarium ſit omnibus dari gratiam, ſiue æqualem ſiue diuerſam, qua credere poſsint, conuerti, & bonum operari. Deinde an illa gratia data alij per naturam & vim arbitrij vtātur, alij eam reijciant. Poſtremò an diſcretio ſaluandorū à damnandis, bonorum à malis, & imperfectorū, à perfectis ſoli gratiæ tribuenda ſit & voluntati diuinæ, an potius libero arbitrio, diuerſitati meritorū, aut bono vſui gratiæ.

Ad harum quæſtionum primam reſpondendum eſt, quòd circa opera ciuilia & naturalia, arbitrium gratia deſtitutum liberum manet in eligendo & refutādo: ſed ad eligēda ea quæ ſunt pietatis & religionis Chriſtianæ (ſi ſic deſtitutū eſt vt gratiam nec pro tunc habeat nec habere poſsit) non manet liber arbitrij vſus, nec locum in illis habet libera hominis electio, quā diu gratia deſtituitur: maximè ſi ſine culpa propria ſic deſtituatur: non enim liberum circa illa eſt arbitrium in quibus nullum vel ſolum determinatum poteſt eſſe iudicium: & electio (quæ eſt proprius liberi arbitrij actus) eorum dun taxat eſt quæ in noſtra ſunt poteſtate. Quòd ergo naturam ſuperat & cognoſcendi, & eligendi facultatem, in electionē cadere non poteſt, nec in voluntatis libertatem. Si igitur deeſt gratia qua opus eſt vt ad Deum cor conuerti poſsit, non poteſt pro tunc ad Deū conuerti, & neceſſariò non conuertitur, & per conſequens nō liberè: Quemadmodum ſi neceſſariò conuertetur ad Deum (ſicut ſancti angeli) non conuertetur liberè: Intelligo autem, vt dixi, ſi gratia ſic deeſt, vt nec pro tunc impetrari poſsit, quo caſu nec peccatum eſt, quòd quis non conuertitur: ſicuti peccatum non eſt, quòd nō credit, qui non habens à quo euangelium audiat, credere non poteſt: Quapropter neceſſariò & non liberè non credit, quum non ſit in eius poteſtate vt credat: Eſt tamen huiuſmodi incredulitas pœna peccati, eò quòd talis diuinorum ignorantia conſequuta eſt peccatum primi parentis: vt dicit beatus Thomas 22. quæſt. 10. art. 1. poſt beatum Auguſtinum. Liberum tamen ei manet nolle credere, repugnare & negligere euangelij prædicationem propter quod id peccatum eſt. Et motus primò primi ad illicita, quales ſunt affectiones inuidiæ, odij, libidinis, & in oratione diſtractiones propter impotētiam vitandi, non ſunt liberi, neque peccata, imputabiles: quemadmodum nec ea quæ ex ignorantia inuincibili committuntur, de quibus & impotentia eadem eſt ratio. Hanc doctrinam videtur tradere beatus Auguſtinus in expoſitione quarundam propoſitionum ex epiſtola ad Rom. Obduratum eſt, inquit, cor Pharaonis, vt tam euidentibus ſignis nō moueretur. Quòd ergo tunc Pharao non obtemperabat præceptis Dei, de ſupplicio veniebat: non ergo hoc illi imputatur quòd tunc non obtemperarit: quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat: ſed, quia dignum ſe præbuit cui cor obduraretur priori infidelitate. Item libro tertio, de libero arbitrio, cap. 18. & ſequentibus. Non tibi deputatur ad culpam, inquit, quòd inuitus ignoras, neque illud quod vulnerata membra non colligis, ſed quòd volentem ſanare contemnis. Et poſt pauca, Nam illud quod ignorans quiſque non rectè facit, & quòd rectè volens facere non poteſt: ideò dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt: nō propriè quòd libera voluntate & ab ſciente committantur.

Non eſt libertas arbitrij vbi nullum aut ſolum determinatum eſt iudicium.

Obduratio Pharaonis imputatur quòd dignū ſe præbuit cui cor obduretur: non autem quòd non obtemperabat.

Hæc confirmantur expreſſa ſententia Saluatoris Ioannis 15. cap. Vbi ait Saluator, Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autē excuſationem non habent de peccato ſuo: Et ſi opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Quæ verba explicans B. Auguſt. in comment. ſuper eundem locum,

Ma-

Magnum videlicet illud peccatum, inquit, non haberent, quòd in eum loquentem & operantem non crediderunt. Similiter in epiſt. ad Sixtum eadem interpretatur & addit, Inexcuſabilis eſt omnis peccator, vel reatu originis, vel additaměto etiam propriæ voluntatis: quia & ipſa ignorantia in eis qui credere noluerunt ſine dubitatione peccatum eſt, in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati: propter quod ſcilicet damnătur. Ergo in vtriſque non eſt iuſta excuſatio, ſed iuſta damnatio. Item libr. quæſtionum noui & veteris teſtamenti, quæſt.7. Ille ignorans excuſari poteſt, inquit, qui à quo diſceret non inuenit: non illi, qui habent à quo diſcant. Et lib. de gratia & lib. arbit. Aliud eſt neſciſſe, aliud ſcire noluiſſe. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur, Noluit intelligere vt benè ageret. Sed vt illa ignorantia quæ non eſt eorum qui ſcire nolunt, ſed eorum qui tanquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, vt ſempiterno igne nõ ardeat, ſi propterea non credidit, quia nõn audiuit omnino quod crederet, ſed fortaſſis vt mitiùs ardeat, propter peccatum originale, à quo ſine fide Chriſti nemo liberari poteſt: ac per hoc qui non audierunt, ita iudicabũtur, vt pereant. Item lib.4. de Baptiſmo contra Donatiſt. docet articulum neceſſitatis, in quo baptiſma ſumi non poteſt, à peccato excuſare. Sumus autem hic loquuti de conuerſione peccatoris ad Deum, quæ naturalem hominis facultatem ſuperat: de hac enim ſola agitur. Et diximus hominem non peccare, ſi ob gratiæ defectum & impotentiam nõ conuertatur, ſi defectus gratiæ, ſine qua conuerti non poteſt, à propria eius voluntate non deſcendat. Idem autem eſt iudicium de vniuerſis operibus, quæ ſunt ſupra hominis facultatem, qualia ſunt credere Euangelio, ſuper omnia Deum patrem miſericordiarũ diligere, in eo ſperare, & ſimilia, quorum omiſsio non eſt peccatum, quan do præter noſtram culpam non ſunt in noſtra poteſtate. Sed aliud eſt de operibus, quæ ex ſuo genere naturæ noſtræ vires non excedunt, niſi propter infirmitatem ex peccato proprio vel Adæ ſecutam, & gratiæ defectũ. Hæc enim ſingula, quamuis ſimus infirmi, & gratia deſtituti, in noſtra ſunt poteſtate. Nemo enim eſt qui non poteſt nolle & etiam vitare homicidium, & quodlibet aliud peccatum etiam veniale. Nam nulla paſsio, nulla mortis formido inducere poteſt neceſsitatem ipſam ſequendi, vt non maneat in noſtra poteſtate ipſum velle & nolle, quandiu non abſorbetur, ſed liberũ manet iudicium rationis, vt docet B. Aug. q.24. ſuper Leuit. & cap.31. de ſpiritu & lite. & B. Thom. q. 10. 12. art.3. & mate.3. de malo quæſt.10. Oſtendit enim quòd nec ab obiecto, nec à paſsione appetitus inferioris, nec à Deo de neceſsitate mouetur, & ex conſequenti à nullo. Neceſſitas igitur peccădi, quę ex noſtra eſt infirmitate, opponitur ineuitabilitati, quò ad vniuerſa, non quò ad ſingula, nec eſt ad aliquod peccatum in ſpecie committendum. In priori autem operum genere defectus ſiue impotẽtia naturam ſequitur, vt proprietas naturalis, accedit tamen potentia ſi à Deo præparetur, & ad ſuperiorem ordinem transferatur. Et ideò locum in eis habet propriè omiſsio, quamuis concurrere etiam poſsit reſpondens commiſsio, vt nolle conuerti. In ſecundo genere eſt naturæ infirmitas ſiue impotentia ſecundum quod deficit à perfectione, in qua eſt à Deo inſtituta, manẽte tamen libero arbitrio vitandi ſingula peccata, & ea odiendi. Propter quod in hoc operum genere defectus gratiæ & impotentia, quæ ad ſingula vitanda non eſt à peccato, excuſare non poteſt, ſicut nec libertatem tollit voluntatis: Quamuis impotentia credendi, vel ſe conuertendi, ſi nullo modo eſt voluntaria propria voluntate ſemper excuſet. Quocirca peccata quæ non immerito ſecundum Auguſtinum dicuntur non voluntaria, quia vel à neſcientibus, vel à coactis, hoc eſt, concupiſcẽtia victis perpetrantur, & ex quadam neceſsitate, non omni modo poſſunt ſine voluntate committi: vt docet idem Auguſtinus libro primo retractat. Quoniam inquit, & ille, qui peccat ignorans, voluntate vtique facit, quod cum faciendum non ſit, putat eſſe faciendum. Et ille qui concupiſcẽte aduerſus ſpiritum carne non ea quæ vult facit, concupiſcit quidem nolens, & in eo non facit, quod vult: ſed, ſi vincitur, concupiſcentiæ conſentit volens, & in eo non facit, niſi quod vult. Item libro tertio, de libero arbitrio. Illud quod ignorans quiſque non rectè facit, & quod rectè volens facere non poteſt, peccatum dicitur non propriè ſed ſecundum tropum, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducit. Non tibi deputatur ad culpam quòd inuitus ignoras: ſed quod negligis quærere quod ignoras. Id quòd repetit lib.1 retract. cap.15.

Ad horum intelligentiam conſideranda eſt diſtinctio impotentiæ. Quædã enim contrahitur ex culpa Adæ, quæ in baptizatis nec imputatur ad pœnã vel culpam, nec ea quæ ex ipſis ſequuntur ſine negligẽtia & conſenſione voluntatis. Alia eſt quæ propriam ſequitur voluntatem, Et hæc conſiderari poteſt antequam per pœnitentiam purgata fuerit culpa voluntatis quam ſequuta eſt, & poſtquam per pœnitentiam fuerit purgata, vel ſaltem per contrariã voluntatem interrupta. Sicut enim concupiſcẽtia per baptiſmum deſijt eſſe culpa, malique affectus concupiſcendi hec peccata ſunt, nec imputantur, niſi propriæ voluntatis acceſſu, ita ſimiliter impotentia & ignorantia quæ ex peccato Adæ contrahuntur, & quæcunque opera ex eis ſequuntur ſine conſenſione voluntatis, non poſſunt eſſe peccata, nec etiam deſtitutio à gratia Dei: & ideò improbabiliter docet Gregorius de Arimino diſt. 28.2. q.1. in ſolutione 3. argumenti principalis, & q.2. in ſolutione vltimi, quòd impotentia benè agendi

Cap.1. *Pſalm.35.* *Cap.22.* *Cap.13.* *Duplex impotentia in homine.*

agendi & ignorãtia, quę ſunt pœnæ peccati, à peccato non excuſant, ſi non agat homo quod debet, aut agat quod non debet: quodque nunc ſecundum præſentem ſtatum naturæ lapſæ, omnis homo eſt ex ſe impotens ad benè agendum & ignorans, propter culpam ſaltem originalem: & ideò impotentia quæ defectum gratiæ ſequitur, & ignorantia etiam inuincibilis non excuſat. Eſt inquã hoc improbabile: Soli enim peccato originali proprium eſt, quòd ad ipſum ſufficiat voluntas aliena. Nullum, inquit B. Auguſt. poteſt eſſe peccatum propriæ vitæ ſine propria voluntate, libr. 1. de peccatorum remiſs. Et negat eſſe peccatum, ſi non per volũtatem qua committitur poſsit vitari. Rurſum de corrept. & gratia docens differentiam inter primum hominem & nos, dicit quòd ſi ille non accepiſſet quo poſſet perſeuerare, non fuiſſet in eo peccatum: In nobis autem eſt peccati pœna: non audet dicere quòd ſit peccatum: fuiſſet tamen in Adam peccatum, ſi non recurriſſet ad Deum qui poterat, & qui paratus erat dare perſeuerantiam, ſicut eſt in nobis. Et propterea (ſicut dicit idem beatus Auguſtinus) non tibi deputatur ad culpã quòd inuitus ignoras, ſed quòd negligis: ſic nec ei imputatum fuiſſet quòd non perſeueraſſet, ſed quòd ſolicitus nõ fuiſſet hoc à Domino petere. Idẽ enim iudiciũ eſt quantum ad iſtud de Adam & de nobis: Accepiſſet tamen ille facultatem cauendi peccatum per quod à perſeuerantia lapſus eſt. Potuiſſet enim non comedere de fructu vetito: quamuis poſſe perſeuerare non accepiſſet. Ex quibus ſequitur quòd qui gratia deſtituuntur, & ideò non credunt nec pœnitent, nec ad Deum conuertũtur, non poſſunt hæc à Deo ad peccatum imputari, cum in eorum poteſtate aut facultate non ſint: nec deſtitutio, nec quod ex ea committitur vel omittitur ſine voluntatis conſenſione. Quod autem dicit Hugo de ſancto Victore, libr. 1. de ſacramentis parte 7. quòd non poteſt excuſare illa neceſsitas quam operata eſt prior voluntas. Culpa enim voluntaria, inquit, pœnam meruit: pœna autem operata eſt infirmitatẽ, infirmitas induxit neceſsitatem: & quia neceſsitatem operata eſt voluntas, ipſam voluntatem non poteſt excuſare neceſsitas: intelligit neceſsitatẽ peccandi, quæ eſt ineuitabilitas vniuerſorum peccatorum, hoc eſt, neceſsitas peccandi in genere: non autem intelligit neceſsitatem quæ opponitur euitabilitati ſingulorum. Nullum enim datur peccatũ quod nõ potuerit homo præcauiſſe innitendo etiam regulari aſsiſtentiæ diuinæ. Nam idem venerabilis Hugo, lib. 2. de ſacramentis parte 14. probans totum meritum & demeritum apud voluntatem reſidere, inter alia dicit: Quãdo non poteſt homo ſi vult, propter voluntatem impoſsibilitas non imputatur: ſi autem non vult, propter impoſsibilitatem voluntas non excuſatur. Et B. Auguſt. lib. 1. de ciui. Dei, Si illa, inquit, concupiſcentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter noſtræ voluntatis legem quaſi lege ſua mouetur: quanto magis abſque culpa eſt in corpore non conſentientis, ſi abſq; culpa eſt in corpore dormientis? Itẽ quod dicit B. Anſelmus in lib. Cur Deus homo, Sicut, inquit, culpa eſt homini non habere poteſtatem illam quam accepit, vt poſsit cauere peccatũ, ſic culpa eſt illi habere impotẽtiam, per quã nec iuſtitiam tenere & peccatum cauere, nec quod pro peccato debet reddere poteſt, intelligit impotentiã manere peccatum, quãdiu debitum habendi poteſtatem remiſſum aut ſolutum non fuerit: quemadmodũ actus exterior etiã neceſſariò continuatus, vt deſcendere in aquam vnde ſubmergetur, vel ſuffocari ſtrangulo cui ſe alligauit, manet culpa quamdiu pœnitentia voluntatis culpam non excuſſerit. Debitum autem habendæ poteſtatis qua omnia & ſingula peccata vitare poſſemus, ſacro regenerationis lauacro remittitur, & ideo impotentia non manet peccatum. Eſt præterea circa prædicta conſiderãdum quòd ſicut apud Ariſtotelem lib. 3. Ethicorum aliud eſt ex ignorantia aliquid facere, aliud ignorantem, ita diuerſa ſunt agere ex impotentia, aliud agere impotentem. Ex ignorantia quippe operatur, qui non operaretur ſi adeſſet ſcientia: & ex impotentia nõ operatur vel ceſſat, qui ſi potentia adeſſet, operaretur & nõ ceſſaret. Ex impotentia operatur qui exclamat, Infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Igitur mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati. Quod enim operor nõ intelligo. Non enim quod volo hoc ago, ſed quod odi malum illud facio: Non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.

Cap. 25. Cap. 11. Cap. 23. Cap. 6. Cap. 25. Cap. 23.

Aliud eſt ex ignorantia operari, aliud operari ignorantem. Rom. 7.

PRocedunt autem ea quæ diximus ex hac ſuppoſitione, quòd homo deſtituitur ſine propria culpa gratia, q̃ neceſſaria eſt ad conuerſionẽ & pœnitẽtiam. Nam Deum paratum eſſe omnibus dare gratiam, & per ſolam noſtrã culpam impediri poſt patrum ſententias quas citabimus, videtur docere B. Thomas lib. 3. contra gent. & poſt eum plurimi doctores ſcholaſtici, docentes quòd Deus facienti quod in ſe eſt, ſemper apponit gratiam. Quum ſit, inquit B. Thomas, in poteſtate liberi arbitrij impedire gratiæ receptionem vel non impedire, non immeritò in culpam imputatur ei qui impedimentum præſtat receptioni gratiæ. Deus enim quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiã dare. Nam vult omnes homines ſaluos fieri & ad cognitionem veritatis venire. Sed illi ſoli gratia priuantur qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant: ſicuti ſole mundum illuminante in culpam imputatur ei qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malũ ſequatur, licet videre nõ poſsit niſi lumine ſolis præueniatur. Vbi Frãciſcus Ferrarienſis in comment. Nullus eſt, inquit, qui à Deo non moueatur ad bonum & gratiæ præparationem, iuxta illud Apocalyp. Ego ſto ad oſtium &

Cap. 159. Cap. 3.

pulſo. Et omnibus hoc auxilium impendit, quamuis non ſic auxilium gratiæ iuſtificantis: quod etiam latiſsimè deducit venerabilis magiſter noſter Dominicus de Soto, libr. 1. de natura & gratia cap. 15. & 18. Et ſanctus martyr ac doctor Ioann. Epiſcopus Roffenſis circa articulum 36. qui eſt de lib. arbitrio. Et quia hoc proponitur in prima q. ideò ſuper iſto, ſaluo aliorum iudicio, dicam quod mihi videtur ſine aliqua diffinitiõe. Nam ſcripturæ hic contrariæ videtur, & patrum imò & ſcholaſticorũ ſententiæ. Admodum perplexa eſt, obſcura & ſublimis huius myſterij cognitio, ſicut & tertiæ quæſtionis. Pendent enim ab inuicem hæ quæſtiones. Mihi quidem certum eſt non omnibus & ſingulis ſemper adeſſe huiuſmodi auxiliũ quo opus eſt, vt conuertatur aut conuerti poſsit peccator, & hanc eſſe ſententiam B. Auguſtini. Nam huiuſmodi effectus vocationis ſuæ non ſemper in quolibet peccatore operatur Deus: aliquando tamen & ſecundum temporum viciſsitudines omnibus adeſſe, à multis ſanctis doctoribus piè creditur: quamuis ex ſcripturis nec hoc, nec contrarium efficaciter probari poſsit, neutrumque eis manifeſtè aduerſetur. Et ideò nullũ eſſe fidei periculum ſi ſecundum hanc pietatem de Deo ſentiamus, de quo latius ſumus loquuturi.

De natura & gratia c. 28. & 9. lib. 2. cõtra duas epiſt. Pelagianorũ lib. 4. contra Iulian cap. 8. & epiſt. ad Vitalem.

Non omnibus per æqualem gratiam adeſt Deus.

QVòd autem omnibus per æqualem gratiã adſit Deus, improbabile eſt & ſcripturis aduerſatur. Plerumque enim ſecundum altitudinẽ inſcrutabilis iudicij nobis occulti indignis dat auxilia ſuperabundãtia, quæ alijs æquè vel minus indignis negat: quod fieri in paruulis & adultis ſcribit & ſentit B. Auguſtinus libr. 4. contra Iulianum, & contra duas epiſtolas Pelagia. lib. 2. Item in epiſtola ad Vitalem, & de prædeſtinatione ſanctorum. Et populo Iudæorum dedit Deus ſigna & virtutes ex quibus non erat crediturus, Tyrijs autẽ & Sydonijs qui ex eis (teſte Saluatore) fuiſſent in melius etiam vitam commutari nõ dedit. Item Ioannes inter matris viſcera Spiritu ſancto repletur & exultat: Hieremias in vtero ſanctificatur. Et beatus Paulus perſequẽs Eccleſiam in terram proſternitur & illuminatur. Et quoſdam rapit Deus ne malitia intellectum mutet, aut fictio decipiat animam. Placita enim (inquit Sapiens) erit Deo anima illius, & propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum. Non omnibus hanc miſericordiam & gratiam facit Dominus, nec æqualiter omnes expectat, locum & tempus pœnitentiæ eis relinquens: quod apertè docere videtur Dominus Lucæ 13. cap. in Galilæis, quorum ſanguinem miſcuit Pilatus in ſacrificijs eorum: & in decem & octo viris ſuper quos cecidit turris Siloe. Putatis, inquit, quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerunt, quia talia paſsi ſunt? Nõ, dico vobis: ſed niſi pœnitentiam habueritis omnes ſimiliter peribitis. Idem de decem & octo viris illis pronũciat & declarat ſimilitudo quæ ibi à Saluatore proponitur. Hæc eſt ſententia B. Auguſtini de prædeſt. ſanctorum: item de bono perſeuerãtiæ, quam etiã declarat B. Thom. 3. contra gentiles cap. 161. An verò quoſdam ita deſerat Deus vt nunquam oſtium cordis pulſet, nunquam inſpiret cogitatiões pacis & deſiderium vitæ melioris, hoc eſt, vt nunquam in eis operetur effectus miſericordiæ ſuæ, per quos peccatores ad veram pœnitentiam adducere ſolet, nihil certitudinis nec pro affirmatiua nec negatiua parte ex ſcripturis habemus. Nam vtraq; pars pro ſe ſcripturas habet. Et re vera iniuſtitiæ argui non poſſet Deus, nec miſericordiæ eius præiudicaretur, ſi dignos deſeri & in damnationem æternam ſtatim præcipitari permitteret, ac relinqueret, & gratiam qua ſola conuerti poſſent, nollet largiri: ſicut nec ſi inſanos ſtatim faciat, vel rationis vſu priuet, aut de vita tollat. Et certum eſt & paruulum vnũ ex gratia Dei percipere baptiſmum, & ex eius iudicio ſine eo mori alterum. Immò ſi ſine peccato eſſet genus humanum, ex illo tamẽ poſſet quoſdam damnare, vt habet cap. vltimum, lib. de prædeſt. & gratia: & epiſtola ad Paulinum, quæ eſt 106. Et Sapiens ait, Quis ſtabit in his omnibus contra iudicium tuum? & quis tibi imputabit ſi perierint nationes quas feciſti? Piè tamen credere & de immenſa Dei bonitate, erga filios hominum miſericordia confidere poſſumus, neminem adultorum ſic gratia deſtitui, vt nunquã ad oſtium cordis eius pulſet dominus, nunquam ſalutares ei ſuggerat cogitationes, ex quibus credere, pœnitere, & ſaluari poſsit. Quin potiùs viciſsitudines eſſe inſtinctuum & inſpirationum diuini ſpiritus euntis, & ad peccatores redeuntis, quibus eos ſingulos & vniuerſos trahit, vt ſuam agnoſcant turpitudinem, & cum filio prodigo ad patrem reuertantur, ne quis excuſationem prætendere poſsit, quòd ſaluus fieri non potuerit: tametſi ſcriptura huius nõ meminerit. Ideò beatus Auguſt. lib. 83. quæſtionum, quæſt. 68. dubitãdo de vocatis ad nuptias, dicit, Hæc autem vocatio, ſiue in ſingulis hominibus, ſiue in populis, atque in ipſo genere humano per temporum oportunitates operatur, altæ & profundæ eſt ordinationis. In lib. tamen de prædeſtin. & gratia, de Pharaone, cuius cor fuiſſe obduratum contra Domini monitiones & flagella teſtatur ſcriptura, dicit, An fortè ſi piè de Deo, ſicut expedit, ſentiamus, etiam Pharaoni datam miſericordiam reperimus? Patientia enim Dei valere ei debuit ad ſalutem, qua differens iuſtum meritumque ſupplicium miraculorum verbera crebra denſabat. Nunquid non potuit, ſicut flagellis cedens expulit populum, ita miraculis credẽs Deum tantæ virtutis agnoſcere? &c. quæ ſequuntur cap. ſequenti. Porrò hæc pia credulitas fundamentum habet ex lib. Sapient. vbi Sapiens de habitatoribus terræ ſanctæ hominibus peſsimis ait, O quàm bonus & ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus, ideoque

Cap. 8. Cap 7. Epiſ. 107. Cap. 8. De prædeſtinatione ſanctorum. cap. 19. Sap. 4. Cap. 8. Sap. 12. Cap. 14. Cap. 12.

ideoque hos qui exerrant partibus corripis, de quibus peccant mones & alloqueris, vt relicta malitia credant in te Domine, & partibus indicans dabas eis locum pœnitentiæ. Et tamen ſi inimicos ſeruorum tuorum & debitos morti cum tanta cruciaſti attentione & liberaſti, dās tempus & locum, per quæ poſsint mutari à malitia, cum quanta diligentia iudicaſti filios tuos? Hæc tamen eſt differentia inter filios & alios, quòd illi vocantur & mouentur, quomodo natos & diſpoſitos nouit Deus vt ſequantur, ſicuti dicit beatus Auguſtinus quæſtio.2. ad Simplicianum: alios verò vocat non ſic vt ſequantur, ſequi tamen poſsint: Quod vocationis diſcrimen ſæpè magis eſt ex qualitate & affectu eorum qui vocātur, quàm ex vocationis, inſpirationis, aut ſuaſionis varietate aut differentia. Eadem namque ſuaſione, vt dicit B. Auguſt. quæſt.18. ſuper Exodum, aliter mouetur auarus, aliter pecuniæ contemptor, aliter caſtus quàm intemperatus aut incontinens: id quod & apertè videntur monſtrare verba Domini de Tyro, & Sydone, Capharnao, & Bethſaida, de quibus idem Auguſtin. de bono perſe. cap.19. Vnde autem fit diſcrimen in Eccleſia, beatus Aug. docet in lib. ad articulos ſibi falſo impoſitos. Quod multi, inquit, pereunt, pereuntium eſt meritum: quòd multi ſanātur, ſanantis eſt donum. Vt enim reus damnetur, inculpabilis eſt Dei iuſtitia: vt autem reus iuſtificetur, ineffabilis Dei gratia eſt. Item alio articulo, Prædeſtinatio Dei multis eſt cauſa ſtādi, nemini cauſa labendi. Perditio tua, ait Oſee propheta, ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum. Quòd vocati ad cœnam & qui venire poterant non venerunt, ex eorum erat culpa & libertate: Qui autem venerunt, niſi vocati fuiſſent venire non poterant. Et ſeruus qui negotiando ſua induſtria multum lucri Domino fecit, poterat abſcondere talētum Domini ſui, poterat & plus lucri adferre, poterat & minus: ſed Domino cooperante, ſine quo caſsi & fruſtranei eſſent omnes eius conatus. Similiter qui abſcondit pecuniam Domini ſui in ſudario, poterat negotiari & lucrum facere, quod ſua culpa neglexit. Quod igitur peccatori vita tranſacta diſplicet & proponit meliora, ex Dei eſt gratia noſtrum arbitrium ſua miſericordia præueniente: ſequimur autem, ſed cum iudicio & conſilio ex deliberatione, Ideoq; liberè, ità vt poſsimus non ſequi. Quod deinde progredimur in mandatis Domini, & in charitate creſcimus ex Dei gratia eſt, ſed faciente nos liberè & voluntariè currere ad brauium propoſitum. Diſcretio itaque bonorum qui vſum habent rationis à malis, ac meliorum à minus bonis, eſt Dei donum & ex liberi arbitrij induſtria ac miniſterio, quo ille vti dignatur in iuſtificādo impios & pios ſaluando, vt iuſtitia noſtra & ſalus modo quodam ſit & noſtra & ſimul Dei, ſicut dicit beatus Auguſt. de fide lib.1. retract. Ad hunc modum à nobis quoque diuinitus motis &

Matth.11. Luc.10. *Vnde ſit in Eccleſia diſcrimen an à libero arbitrio.* *Cap.13.* *Cap.13.*

directis eſt hæc diſcretio: & ideò ſcripturæ ſacræ hæc iam Deo, iam nobis tribuunt. Si quis ſe emundauerit ab iſtis, inquit D. Paulus, erit vas in honorem ſanctificatum, & vtile Domino. Item apud Ezechielem Dominus: Facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum. Alibi, Laua à malitia cor tuum. Emundate manus peccatores, & purificate corda. Et Acto.3. Vobis prius Deus ſuſcitans filium ſuum miſit eum benedicentem vobis, vt cōuertat ſe vnuſquiſque à nequitia ſua. multa ſunt ſimilia ſcripturarum loca, quibus apertè declaratur quod peccatores ſe ſegregant (præparata tamen prius à Domino voluntate) ab impijs relinquentes viam iniquitatis. Cognouit Dominus ait Apoſtolus Paulus, qui ſunt eius. Diſcedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini. Sed ſegregant & ſe diſcriminant ab impijs electi, diuinitus priùs tracti & ſuaſi. Quare huius diſcriminis cauſa originalis & primaria eſt gratia Dei vtentis noſtræ voluntatis cooperatione. Quod verò multi maneant in maſſa damnata, vel ad eam ſemel libertati relabantur, ex eorum voluntate & culpa eſt, quam vitare poterant manendo in ſanctorum ſocietate. Non deſerentes, inquit Paulus, collectionem noſtram: electos autem continet & ſeruat ne deſerant, ne quis eos de manu ſua rapiat: alios abire ſinit. Cuius exemplum habemus Ioannis 6. de diſcipulis qui abierunt retrò, Chriſtum Dei filium deſerentes. Et in Pſalm. de quibuſdam dicit Dominus. Dimiſi eos ſecūdum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionib' ſuis. Hæc ſunt iudicia miſericordiæ & iuſtitiæ Dei quorundam miſerentis & alios iuſto iudicio relinquentis. Inducit enim beatus Aug. lib. de bono perſeuerantiæ, quendam interrogantem, Cur in eadem cauſa me potius quàm illum puniet, aut illum potiùs quàm me liberabit. Cur quibuſdam qui eum coluerunt bona fide perſeuerare vſque in finem non dedit. & reſpōdet ipſe: Cur putas? niſi quia non mentitur qui dicit, Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, mā ſiſſent vtiq; nobiſcum. Hominibus quidem videtur, omnes qui boni apparent fideles perſeuerantiam vſque in finem accipere debuiſſe, Deus autē melius eſſe iudicauit miſcere quoſdam non perſeueraturos certo numero ſanctorum ſuorum, vt quibus non expedit in huius vitæ tentatione ſecuritas, nō poſsint eſſe ſecuri. Multos enim à pernicioſa elatione reprimit quod ait Apoſtolus, Quapropter qui videtur ſtare, videat ne cadat: Voluntate autem ſua cadit qui cadit, & voluntate Dei ſtat qui ſtat. Potens eſt enim Deus ſtatuere illum: non ergo ipſe ſeipſum, inquit, ſed Deus.

2.Tim.2. *Cap.18.* *Iere.4.* *Iacob.4.* *2 Tim.2.* *Heb.10.* *Pſal.80.* *Cap.8.* *1.Ioan.2.* *1.Cor.10.*

Eſt autem hæc ſentētia de diſcretione bonorum à malis & meliorum à minus bonis ex doctrina beati Auguſtini: qui hoc diſcrimen aliquādo refert ad liberum arbitrium, frequentius tamen ad Deum tanquam cauſam primariam & originalem. Nam lib.2. de

Cap.17.

peccatorum meritis. Cùm voluntate inquit humana, gratia adiuuante diuina, ſine peccato in hac vita poſsit homo eſſe, Cur non ſit, poſſem facilimè & veraciſsimè reſpondere, Quia homines nolunt: Nolunt autem homines facere quod iuſtum eſt, ſiue quia latet an iuſtum ſit, ſiue quia non delectat: Vt autem innoteſcat quod latebat, & ſuaue fiat quod non delectabat, gratię Dei eſt, quæ hominum adiuuat voluntates, qua vt non adiuuētur in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo. Et tractat.53. in Ioannem circa locum, Propterea non poterant credere. Quare non poterant, inquit, ſi à me quæratur, cito reſpondeo, Quia nolebant. Malam quippe eorum volūtatem præuidit Deus, & per prophetam Eſaiam, pronunciauit ille cui abſcondi futura nō poſſunt. Ad prædeſtinationem verò totum iſtud diſcrimen refert in lib. de bono perſeueran. quòd Iudæi quamuis excæcati non crediderunt viſis miraculis, & quòd Tyrij & Sydonij naturaliter propenſum habentes ad credendum animum, quo credere potuiſſent viſis miraculis ac virtutibus, & tamen ea non viderunt. Non erant, inquit, ſic excæcati oculi iſtorum, nec ſic induratum cor, quin credidiſſent, ſi qualia viderunt illi ſigna vidiſſent: ſed nec eis profuit quòd poterant credere, quia prædeſtinati non erant ab eo, cuius inſcrutabilia ſunt iudicia & inueſtigabiles viæ. Nec illis obfuiſſet quòd non poterant credere, ſi ita prædeſtinati eſſent vt eos cæcos Deus illuminare, & induratis cor lapideū vellet auferre. Item cap.8. docet ex Apoſtolo Ioanne cauſam eſſe, propter quam quidam non perſeuerant, Si fuiſſent ex nobis, ait vnus prædeſtinatorū, manſiſſent vtique nobiſcum. Quę eſt tandem iſta diſcretio? Non erant, inquit, ex eis: quia non erant ſecundum propoſitum vocati: non erant in Chriſto electi ante conſtitutionem mundi: non erant prædeſtinati ſecundum propoſitū eius qui vniuerſa operatur. Nam ſi hoc eſſent, ex illis eſſent, & cum illis ſine dubitatione manſiſſent. Et eadem hæc cauſa eſt (vt eodem loco dicitur) quare ex duobus paruulis originali peccato pariter obſtrictis iſte aſſumatur, ille relinquatur: & ex duobus ætate iam grandibus impijs, cur iſte ita vocetur vt vocantem ſequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur vt vocantem ſequatur: item quare vnus ſic vocetur quomodo aptum eſt ei vt ſequatur, alius non. Octauo quoque capitulo de prædeſtinat. ſanctorum, Cur vnus ſic audiat à Patre vt diſcat & veniat ad filium, & non alius. Illud, inquit, fidelibus debet eſſe certiſsimum, vnum eſſe ex prædeſtinatis, alium non eſſe. Et eodem cap. Quare inquiunt non omnes docet? Si dixerimus, quia nolunt diſcere quos non docet, reſpondebitur nobis. Vbi eſt quod dicitur, Domine tu conuertens adiuua nos? Aut ſi non facit volentes ex nolentibus Deus, quid orat Eccleſia pro perſecutoribus ſuis? quid ergo oramus pro nolentibus credere, niſi vt Deus in illis operetur & velle? Et iſtud vſque ad finem capitis proſequitur. Et hanc cauſam reſpiciens tanquam principalem a qua pendet ſequela liberi arbitrij, & quia altera non in omnibus locum habet: lib.4. contra Iulian. cap.8. non probat reſponſionem quam dedit in lib. de pecca. merit. & in tractat.53. ſuper Ioan. non quòd erronea ſit, ſed quia altera eſt cauſa principalior. Nam Iuliano intelligente ſententiam Apoſtoli, Deus omnes homines vult ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, ideò non omnes ſaluos fieri, quia ipſi nolunt petere, cū Deus velit dare: nolunt quærere, cùm velit Deus oſtendere: nolunt pulſare, cùm Deus velit aperire. Ponebat enim ille ante gratiam præcedere petere, quærere & pulſare: Quia dixerat Dominus, Petite & accipietis, quærite & inuenietis, &c. vt his meritis debita illa reddatur, ac ſic gratia inaniter nuncupetur, tanquam gratia nulla præceſſerit, & cor tetigerit vt beatificum bonum peteretur à Deo, vt quæreretur Deus, vt pulſaretur ad Deum, fruſtraque ſit ſcriptum, Miſericordia eius pręueniet me. Et calumnabātur Auguſtinum docere, nihil ſtudij debere expectari ab humana voluntate. Propterea reſpondet Aug. Senſum veſtrum infantes ipſa ſua taciturnitate conuincunt, qui nec petunt, nec pulſant, imò etiam cùm baptizantur reclamant, accipiunt tamen & inueniunt: nō pulſant & aperitur eis, & intrant in regnum Dei, vbi ſit eis æternitatis ſalus & agnitio veritatis, longè pluribus infantibus in iſtam gratiam non adoptatis ab eo qui vult omnes homines ſaluos fieri: quibus dicere non poteſt, Volui & noluiſtis, quia ſi voluiſſet, quis eorum qui nondùm habent voluntatis arbitrium voluntati eius omnipotentiſsimæ reſtitiſſet? Cur ergo non ſic accipimus quod dictum eſt, Qui omnes homines vult ſaluos fieri & in agnitionem veritatis venire, quomodo & illud accipimus quod idem Apoſtolus dixit, Per vnius iuſtificationem in omnes homines ad iuſtificationem vitæ: Hos enim omnes vult Deus ſaluos fieri, in quos omnes per vnius iuſtificationem gratia peruenit ad iuſtificationē vitæ, ne dicatur nobis, Si Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: ſed ideò non veniunt quia ipſi nolunt, Cur tot milia paruulorum qui non percepto baptiſmate moriuntur non veniunt in regnum Dei, vbi certa agnitio veritatis? Nunquid aut homines non ſunt vt nō pertineant ad id quod dictum eſt, Omnes homines: aut aliquis potuit dicere, Deus quidem vult, ſed ipſi nolunt, qui nondùm velle aut nolle iſta nouerunt? quando nec hi qui paruuli baptizantur atque moriuntur, & per illam gratiam ad agnitionem veritatis certiſsimam veniunt, ideò veniunt quia ipſi renouari Chriſti baptiſmate voluerunt. Cùm ergo nec illi propterea non baptizentur quia noluerunt, nec iſti propterea baptizentur, quia volunt, cur Deus qui vult omnes homines ſaluos fieri, tam multos in re-

Cap.14.

1.Ioan.1.

1.Tim.2.

Matth.7.

Pſalm.18.

gnum ſuum, qui nullo ei reſiſtunt volũtatis arbitrio, patitur nõ venire? niſi fortè dicturus es, ideò paruulos non in eorum numero deputandos quos Deus omnes vult ſaluos fieri, quia ea ſalutę, quæ hic intelligenda eſt ſalui ſunt ipſi, nihil trahẽtes omninò peccati: atq; ita te intolerabilior ſequetur abſurditas. Iſto enim modo beneuolentiorẽ facis Deum omnibus impijſsimis & ſceleratiſsimis hominibus, quàm innocẽtiſsimis & puriſsimis ab omni labe peccati: quandoquidem illos, quia vult eos omnes ſaluos fieri, vult etiam intrare in regnum ſuum. Hoc eſt enim illis conſequẽs ſi ſalui fuerint: ſed qui noluit, ipſi ſibi obſunt: immenſum verò numerum paruulorũ qui ſine baptiſmate moriuntur ſuo regno adijci non vult. Sic fit vt eſſe Chriſtianos omnes velit quorum multi nolunt, non omnes velit quorum eſt nemo qui nolit: quod abhorret à vero: id quod toto hoc capite proſequitur, & cap. 6. de prædeſt. ſanctorum: Multi audiunt verbum Dei: ſed alij credunt, alij contradicunt: volũt ergo iſti credere, nolunt autem illi: Quis hoc ignoret? quis hoc neget? ſed cum in alijs pręparetur voluntas, in alijs nõ præpararetur, à Dño diſcernendum eſt vtiq; quid veniat de miſericordia, quid de iudicio. Item in epiſt. ad Vitalẽ docet malè dici, quòd omnes homines gratiam acciperent, ſi non ſua voluntate reſpuerent: quodq́; multos ſaluos fieri nolit: ac multi non ſaluantur, non quia ipſi non volunt, ſed quia Deus non vult eos ſaluos fieri. Rurſum cap. 7. de correp. & gratia docet neminem diſcerni à damnata conſperſione ſuis meritis, ſed per gratiã mediatoris. Itaq; cum audimus inquit, Quis enim diſcernit, quid habes quod non accepiſti, ab illa perditionis maſſa quæ facta eſt per primum Adam, debemus intelligere neminem poſſe diſcerni, niſi quia hoc donũ habet quiſquis habet quod gratia Saluatoris accepit. Quicunq; ergo ab illa originali damnatione iſta diuinæ gratię largitate diſcreti ſunt, non eſt dubium quòd & procuratur eis audiendum euangelium: & cum audiunt credunt, & in fide quæ per dilectionem operatur vſque in finem perſeuerant: & ſi quando exorbitant, correpti emendantur: & quidam eorum & ſi ab hominibus nõ corripiantur, in viã quam reliquerant redeunt: & nonnulli accepta gratia in qualibet ætate periculis huius vitę mortis celeritate ſubtrahuntur. Et cap. præcedenti fructum & vtilitatem correptionis refert ad electionem & ad filios promiſsionis. Atque cap. 15. de gratia & lib. arbit. dicit per gratiam fieri, vt bona voluntas quæ iam eſſe cœpit augeatur, & tã magna fiat vt poſſit implere diuina mandata. Principalis igitur diſcretionis cauſa eſt æterna dei electio & voluntas. Cauſa verò ſubordinata eſt hominis voluntas Deo ſubſeruiens & miniſtrans. Et ideò B. Tho. in ſumma de veritate quæſt. 29. art. 7. in ſolutione 4. arg. Meritum, inquit, Chriſti quantum ad ſufficientiam æqualiter ſe habet ad omnes, nõ autem quantum ad efficaciam: quod accidit partim ex libero arbitrio, partim ex diuina electiõe per quam quibuſdã miſericorditer effectus meritorum Chriſti confertur, quibuſdam verò iuſto Dei iudicio ſubtrahitur. Et 12. q. 112. artic. 4. quòd vnus perfectius illuſtratur à lumine gratiæ quàm alius, poteſt eſſe ratio aliqua ex parte præparantis ſe ad gratiam. Qui enim magis ſe ad gratiam præparat pleniorem gratiam accipit: ſed ex hac parte non poteſt accipi prima ratio huius diuerſitatis: quia præparatio ad gratiam nõ eſt hominis, niſi inquantum liberum arbitrium eius pręparatur à Deo. Vnde prima cauſa huius diuerſitatis accipienda eſt ex parte ipſius Dei, qui diuerſimodè ſuæ gratiæ dona diſpenſat, ad hoc vt ex diuerſis gradibus pulchritudo & perfectio eccleſiæ conſurgat: ſic etiam diuerſos gradus rerum inſtituit, vt eſſet vniuerſum perfectũ. Vnde Apoſtolus ad Epheſios, poſtquam dixerat, Vnicuiq; data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti, enumeratis diuerſis gratijs ſubiungit. Ad conſummationem ſanctorum in ædificationem corporis Chriſti. Eandem ſententiam tradit in 22. quæſtio. 24. art. 3. & 4. Ex quibus manifeſtum eſt modo quodam eſſe verum, nullum eſſe diſcrimen aliquorum in Eccleſia Dei niſi ex libertate arbitrij, quia videlicet quidam gratia non vtuntur, alij autem variè vtuntur. Nam in vtentibus ratione verum eſt reſpiciendo cauſam proximã & immediatam: & in paruulis etiam, ſi conſideretur negligentia & diligentia eorum, quibus illorum cura incumbit. Quod enim pręædicato euãgelio veriſimiliter, vnus credat, alius non, cauſa proxima eſt, quia vnus vult credere, alius non. Et vnus paruulus, à peccato liberatur, & non alius, quia vnus baptizatur, alius non. Et vnus peccator recipitur in gratiam, nõ alius, quia ſolum alter pœnitet. Quare autem vnus velit credere & verè pœnitere, cauſa eſt quod ei ſic int⁹ ſuadetur, quomodo ſecundum ſuas affectiones aptus eſt vt ſequatur, & quomodo à parte doctus idoneus eſt vt diſcat: cuius cauſa eſt æterna Dei electio. Et ideò verum nõ eſt quod Deus quantum in ſe eſt omnibus æqualiter ſuam gratiam impartitur: quamuis ſcripturis ſit conſentaneum quod Deus quantum in ſe eſt omnes iuuat, & ſuam impartitur gratiã: ſicut docet B. Thomas 3. contra gentiles, vt ſupra dictum eſt. Et ideò omnibus gratiam impartiretur, ſi non eſſet in homine obſtaculum impediens diuini luminis ingreſſum: quod impedimentum non ipſe Deus, ſed homo poſuit in homine, & eſt vel actuale vel originale peccatum, vel vtrumque ſimul. Si autem ipſum tollat Deus, gratiæ eſt indebitæ: ſi autem non tollit: iuſto facit iudicio, vt docet B. Tho. eodem lib. cap. 161. Et originale peccatum eſſe gratiæ diuinæ impedimentum, docet in 22. quæſt. art. 5. in ſolut. primi argumenti. Item in 12. quæſt. 98. artic. 4. ad 2. argumentum. Quòd tamen ex abundantia miſericordiæ ſuæ omnium & ſingulorum

Epiſt. 107.

1. Cor. 4.

Cap. 4.

Cap. 158.

corda aliquando ſic moueat Deus, vt crede-
re poſsint & conuerti, diximus eſſe piè cre-
dendum, & in quibuſdam locis hoc inſinua-
ri à beato Auguſtino. Sed quod ſemper & o-
mnibus præſtò ſit gratia Dei, qua peccator
credere & conuerti poteſt (niſi à Deo pror-
ſus ſit derelictus ob peccatorum enormita-
tem, vt dicit Reuerendus Epiſcopus Ioan-
nes Roffenſis) vel quod ſine exceptione om-
ninò omnibus quandiu hic ſunt in via & pe-
regrinantur, vt docet Reuerendus magiſter
Dominicus à Soto, libro de natura & gratia
cap.15. circa 4. argumentum quod proponit,
& cap.18. (qui propterea arguit Roffenſem,
quòd ſcripſerit Deum nonnullos ita deſe-
rere vt reſipiſcere nequeant) doctrinæ beati
Auguſtini nō eſt conſentaneum, nec ex ſcri-
pturis probari poteſt: de quo tractat ipſe Au
guſtinus libro de natura & gratia, & libro
quarto contra Iulianum. Ait enim Epiſco-
Cap 2.8. pus Roffenſis, Vbique, inquit, præſens eſt
& 9. tam generalis influxus ille, quàm illud au-
Cap.8. xilium ſpeciale, nec deeſt aut hoc aut ille
cuiquam peccatori, niſi vel indurato (qualis
Pharao fuerat) vel in ſenſum reprobum tra-
dito: de cuiuſmodi Paulus loquitur ad Ro-
manos 1. de quibus vtriſque certum eſt quòd
auxilio Dei ſpeciali fuerunt deſtituti. Et ſu-
periùs diſtinguendo tres gradus libertatis,
Peccator, inquit, poſt peccatum per præſen-
tiſsimum auxilium Dei quod nemini deeſt,
ad gratiam ſe præparare poteſt, & ex hoc ni-
mirum ingentis libertatis eſſe conuincitur.
Nam vt influentia illa ſemper adeſt volun-
tati, ita & auxilium diuinę gratiæ cunctis ad
manum eſt pręſens: quod probat ex teſtimo-
Ioann 1. nio Ioannis, Dedit eis poteſtatem filios Dei
fieri. Vnde colligit, Peccatoribus itaq; quan-
tumlibet ingentibus hęc poteſtas oblata eſt,
vt ſi faciant quantum in ſe fuerit ad hanc
gratiam conſequendam, præſtò aderit auxi-
lium Dei. In cuius confirmationem beatum
Hylarium 1. libr. de Trinit. adducit. Et huic
opinioni multum fauere videtur beatum
Chryſoſto. in fine homil. 16. circa epiſtolam
ad Heb. Si voluerimus inquit, & in cœlum
aſcendere, velle hic opus eſt tantum, & om-
nia ſequuntur. Non poteſt enim dici, Non
poſſum, neque accuſari poteſt conditor. Ha-
bemus quippe cooperatiorem & adiutorem
Deum, tantùm rem aſſumamus, tantum ve-
luti ad opus accedamus. Quòd verò Deus o-
mnibus ſit præſentiſsimus, ad oſtium ſem-
per pulſans, vt à ſe nihil omninò officij de-
ſit, quin perditiſsimo cuiq; opem ferat, niſi
per ſe homo ipſe abnuerit, latiſsimè proſe-
quitur magiſter noſter Dominicus à Soto, li.
1. de natura & gratia, cap.15. & 18. quod certè
non videtur conſentire ſentētijs B. Auguſt.
ſuprà citatis. Poteſt enim nolentes conuer-
tere vt velint, & rebelles vt obediāt, quem-
admodum ſuprà citauimus ex cap.8. libr. de
prædeſtinatione ſanctorum, & libro 1. con-
tra duas epiſtolas Pelagianorum, ca.19. Item
Enchirid. cap.32.

Quod autem Pharao fuerit ſpeciali Dei
auxilio deſtitutus & induratus, vt credere
& conuerti nō potuerit, dicit etiam Thoſta-
tus Epiſcopus Abulenſis quæſt.12. circa 4. ca.
Exod. Item B. Auguſt. videtur fuiſſe aliquā-
do in ea opinione, quòd peccatum in ſpi-
ritum ſanctum ſit ſimpliciter irremiſsibile:
ſimiliter venerabilis Beda in commen. epiſt.
1. Ioan. cap.5. ſed eam ille retractat libr.1. re- Cap. 18
tract. Harum difficultatū quæ maximæ ſunt,
perfecta declaratio magis pertinet ad mate-
riam de prædeſtinatione, quàm ad concor-
diam gratiæ cum libero arbitrio: quarum ta-
men vna ſine altera plenè intelligi nequit,
& eadem eſt vtriuſque obſcuritas & difficul
tas, nō ſolùm propter materiarum in ſe pro-
funditatem, ſed & propter diuerſitatē ſcri-
pturarum & ſententiarum doctorum. Quæ- Ecclef 7.
dam enim ſcripturę videntur omnia tribue- Ad Rom.1.
re gratiæ Dei, aliæ verò libertati arbitrij. Si- Eſai.6.
quidem nonnullæ teſtantur quòd Deus ho-
mines quoſdam deſpicit, & in ſenſum repro
bum tradit, excæcat, indurat: non ſolùm de-
ſerendo, ſed viſum deſtruendo, & per poten
tiam in deſideria peccandi impellendo (ſe-
cundum ſententiam B. Auguſt. lib.5. contra
Iulianum) quodque aliquādo ſeducit, & in Cap.3.
operationem erroris mittit, vt credant men Ezech 11.
dacio: facitque declinare ſemitas noſtras à 2. Theſſ 2.
via ſua, & conuertit cor populi peccatoris Pſal.41.
vt odiant populum eius. & Chriſtus orans
patrem optat oculos impiorum Iudæorum
obſcurari, & iniquitatem apponi ſuper ini- Eſaie 6.
quitatem: corda eorum excæcari, aures ag-
grauari ne populus conuertatur & ſaluus fi-
at. Ait enim, Ne fortè conuertātur & ſanen-
tur: Et: Receſsit à te zelus meus, non iraſcar
tibi amplius. Item, Non viſitabo ſuper filias Ezech.16.
veſtras cum fuerint fornicatæ. Rurſus, Di- Oſee 4.
ruam maceriam eius & erit in conculcatio- Eſai.5.
nem, & nubibus mādabo deſuper ne pluant
imbrem ſuper illam. Et quod hæc faciat non
tantum iratus & per peccata prouocatus, at-
que ita his qui digni ſunt & merentur hæc
pati, ijsque qui propter peccatorum ſuorum
enormitatem merentur deſtitui ſufficiente
auxilio quo credere & conuerti valeant, ſed
promiſcuè etiam alijs, teſtatur Apoſtolus
Paulus, Cùm enim, inquit, nondum nati fu-
iſſent, nec boni vel mali aliquid egiſſent, vt Rom 9.
ſecundum electionem propoſitum Dei ma-
neret non ex operibus, ſed ex vocante di-
ctum eſt, Quia maior ſeruiet minori, ſicut
ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio
habui: ad quod inducit exemplum de Pha-
raone & luto figuli, qui ſua voluntate ex ea-
dem maſſa facit aliud quidem vas in hono-
rem, & aliud in contumeliam, quod B. Aug. Cap.8.
fieri docet lib.4. contra Iulianum, etiā in ad-
ultis, exemplo paruulorum quorum vnus ſi-
ne baptiſmo moritur, quia electus nō eſt, &
alter ſtatim poſt baptiſmum, quia æterno
Dei decreto eſt electus: propter quod idem
Auguſt. multis in locis, & præſertim lib. de Cap.6.
prædeſt. ſanctorum refert cauſam diſcrimi-
nis, ob quam inter audientes Euangelium
quidam credunt, alij autem non credunt, nō

ad di-

ad diuerſitatem humanarum voluntatum,
vt prædiximus: quod illi credant quia crede
re volunt, iſti verò non credant, qua cre-
dere nolunt, ſed ad diuinam voluntatem.
Credunt, inquit, illi, quia in eis præparatur
voluntas à Domino: iſti non credunt, quia
in iſtis non pręparatur voluntas à Domino.
Ex his igitur ſcripturis ſequi videtur quòd
non omnibus adeſt auxilium ſufficiens quo
ſalui fieri poſsint, quodq́; omnis diuerſitas
fidei & morum referenda ſit ad æternũ Dei
propoſitum. Aliæ verò ſcripturæ omnino
cõtrarium ſonare videntur. Nam ſine diſcri
Ioan. 2. mine & vniuerſaliter docẽt Deum illumina
1 Timo 2. re omnem hominem venientem in hunc
2 Pet 3. mundum. Deum velle omnes homines ſal-
Sapie n1. uos fieri. Ipſum neminem velle perire. Pa-
tienter, inquit beatus Petrus, agit propter
vos uolens aliquos perire, ſed omnes ad pœ
nitentiam reuerti: Deum non feciſſe mortẽ.
Nolle mortem vllius peccatoris, ſed velle vt
Ezech. 18. & 33 conuertatur & viuat. Item, Expectaui vt fa-
ceret iudicium, & ecce iniquitas. quid eſt
Eſa 5 & 30 quod debui vltra facere vineæ meæ? An
quòd expectaui, vt faceret vuas, fecit autem
labruſcas? Et cap. 30. Propterea expectat Do-
minus vt miſereatur veſtri. Rurſus: Dixit Si-
Eſaiæ. 49. on, Dereliquit me Dominus, & Dominus
Hiere. 3. oblitus eſt mei: Nunquid obliuiſci poteſt
mulier infantem ſuum? Et ſi illa oblita fue-
rit, ego tamen non obliuiſcar tui. Cui con-
ſentiunt parabolæ Domini Lucæ 15. de drag
ma vna perdita & filio prodigo. Et de viro
dimittente vxorem ſuam, vbi Dominus, Tu
inquit fornicata es cum amatoribus multis,
Apoca. 3. tamen reuertere ad me, & ego ſuſcipiam te.
Heb. 3. Item ipſe ait, Ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi
Pſal 144. quis audierit vocem meam & aperuerit mi-
Luc. 11. hi ianuam, intrabo ad illum, & cęnabo cum
illo, & ipſe mecum. Ipſe dixit, Non te deſe-
ram neque derelinquam. Et diſsimulat pec-
cata hominum propter pœnitentiam. Rur-
Loco. 1. ſus, ipſe dat ſpiritum bonum petentibus ſe.
Propè eſt omnibus inuocantibus illum: Ait
enim, Omnis qui petit accipit, & qui quæ-
rit inuenit, & pulſanti aperietur. Petite &
dabitur vobis, quærite & inuenietis, pul-
ſate & aperietur vobis. Si quis veſtrum in-
diget ſapientia poſtulet à Deo, qui dat om-
Ioe. 2. nibus affluenter, & dabitur ei. Et, Conuer-
timini ad Dominum Deum veſtrum, quia
benignus & miſericors eſt, patiens & multę
miſericordiæ. Ad te, inquit Propheta, leua-
Pſal. 85. ui animam meam, quia tu Domine ſuauis
& mitis, & multę miſericordiæ omnibus in-
uocantibus te. Et primo ad Corinthios quin
to Pro Chriſto legatione fungimur tanquã
Dionyſius Deo exhortante per nos, obſecramus, Pro
Areopagita Chriſto reconciliamini Deo. Ex quibus
ca. 9. cæleſt. ſcripturis viſum eſt patribus conſequens
hierar. eſſe quòd diuina voluntas inuariabilis &
immutabilis ſeſe æqualiter ſemper habet
ad omnia, quemadmodum ſol ſeſe ſemper
habet ęqualiter ad omnium oculos, tametſi
non omnes ęqualiter luminis eius influxum
propter diuerſas oculorum diſpoſitiones
percipiant. Nã ſicut cauſa, inquiunt, propter
quam iſti percipiunt præſentis ſolis lumen,
alijs in tenebris remanentibus, non à ſolis
mutatione, ſed ab oculorum conſurgit di-
uerſitate: ita ſol iuſtitiæ æqualiter præſens
eſt omnium hominum mentibus, cui æqua-
liter cura eſt de omnibus. Nam in fine 2. lib.
de vocat. gentium, irrefragabilis defenſor
gratiæ ſimul & liberi arbitrij eiuſdem libri
author, inquit Apoſtolus dicendo, Qui eſt *1. Timot. 4.*
ſaluator omnium hominum, confirmat bo-
nitatem Dei ſuper vniuerſos homines eſſe
generalem: adijciendo autem, Maximè fi-
delium, oſtendit partem quandam humani
generis ſpecialibus beneficijs prouehi ad æ-
ternam ſalutem. Et B. Auguſt. tractans verſi-
culum pſal. Deus in medio eius non commo *Pſal 45.*
uebitur. Aequaliter inquit omnibus conſu-
lit, perſonas non accipit, ęqualiter fauet om
nibus. Item Apoſtolus Paulus, Qui vult om- *1 Timo. 2.*
nes homines ſaluos fieri, ſubintellecta con-
ditione, ait beatus Ambroſius, Si & ipſi ve-
lint. Si Deus inquit, qui omnipotens dicitur
omnes homines ſaluos vult fieri, cur non *Deus vult*
impletur eius voluntas? Sed in omni locu- *omnes homi*
tione ſenſus eſt conditio latet. Vnde dicit *nes ſaluos fieri ſi & ipſi*
Petrus Apoſt. Omnis ſcriptura indiget inter *velint.*
pretatione. Vult enim Deus omnes ſaluos *3. Pet. 1.*
fieri, ſed ſi accedant ad eum. Non enim ſic
vult vt nolentes ſaluentur, ſed vult illos
ſaluari, ſi & ipſi velint. Nam vtique qui le-
gem omnibus dedit, nullum excepit à ſalu-
te. Nunquid non medicus idcirco proponit
in publico, vt omnes ſe oſtendat velle ſalua-
re, ſi tamen ab ægris requiratur. Ipſe etiam
illuminat omnem hominem, ſed quantum
in ſe eſt, inquit B. Chryſoſto. Eſt ergo Deus
quantũ in ſe eſt paratus omnes amplecti &
ſuſcipere. Ad omnes enim Chriſtus clamat,
Venite ad me omnes qui laboratis & onera- *Matth. 11.*
ti eſtis, & ergo reficiam vos. Et, ſic Deus di-
lexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum
daret, vt omnis qui credit in eum non pe-
reat, ſed habeat vitam æternam. Et omnes
ſitientes ad ſe inuitat Dominus. Et cum non
ſit perſonarum acceptio apud Deum, vide-
tur quòd omnibus æqualiter ſeſe offerat, id
quod Saluator etiam ſignificaſſe videtur in
parabola de talentis quę diſpenſauit ſecũdũ
propriã vniuſcuiuſq; virtutẽ. Ideo b. Anſel.
lib. de cauſa diaboli docet diabolum non
habuiſſe gratiam perſeuerantiæ, non quia
Deus non dedit, ſed quia Deo volente dare,
ipſe non accepit. Et idem videtur de quoli-
bet homine. Nam Theophylact. & OEcume-
nius in comment. loci 1. ad Timoth. 2. Qui
vult omnes homines ſaluos fieri, Quare in-
quiunt non fit quod vult? Non fit inquiunt
quia illi nolunt, Nihil enim ex neceſsitate
facit Deus in nobis. Ex quibus conſequitur
cauſam propter quam iſti illuminatur, cæ-
teris in tenebris remanentibus, non emer- *Matth. 25.*
gere ex volũtate Dei aut prædeſtinantis aut
reprobantis, ſed ex diuerſis qualitatibus,
conditionibus & diſpoſitionibus rationalis
creaturæ, quæ prodeunt ex liberis volũtati-

ad hauriendum,vt meritò reus ſit, q̃ui accedere & haurire neglexerit: ſicut docet venerabilis Fauſtus Galliç Epiſcopus duobus libris de gratia Dei, & humanæ mentis libero arb. qui 2. libr. reprehendit eos,qui ex doctrina Apoſtoli Pauli concludunt deum inter duos perditos non habita vlla conſideratione laborum,vnum ceſſantibus officijs ſine ratione aſſumere, alterum in perditione relinquere. Quare B. Proſper ſcribit ad B. Aug. & ſimiliter Hilarius, quorum epiſtolæ præmittuntur libro de prædeſt. ſanct. quòd plurimi credant doctrinam eius in libris cō tra Pelagium æditis & præſertim in lib. de prædeſt. ſanct. in eo quòd docet reprobationem & electionem ad gratiam ſalutarem, non ſecundum præſcientiam operum futurorum à liberis hominum arbitrijs, ſed ſecundum æternum Dei propoſitum prædeſtinantis aut reprobantis homines, non propter vlla præuiſa merita, eſſe contrariam omnium patrum ſententijs, aliter hanc electionem intelligentium, aliterque quàm ipſe nonum ad Romanos caput interpretātium, quodque omnes patres dilectionem Iſaac & Iacob, populique electi in illis deſignati, odium autem Iſmael & Eſau populique reprobi in illis deſignati definiūt eſſe propter opera futura à Deo in illis præuiſa. Pertractatis, inquit Proſper, priorum de hac re opinionibus, penè omnium inuenitur vna ſententia qua propoſitum & prædeſtinationem Dei ſecundum præſcientiam acceperunt, vt ob hoc Deus alia vaſa honoris, alia contumeliæ fecerit, quia finem vniuſcuiuſque præuiderit, & ſub ipſo gratiæ adiutorio in qua futurus eſſet voluntate & actione præſcierit. Et quantum ad Deum pertinet omnibus paratam eſſe vitam æternam, quantum autem ad arbitrij libertatem ab his eam apprehendi qui Deo ſponte crediderint: Verbum autem Apoſtoli ad Roma. dicentis, Cum enim nondum nati eſſent, &c. aliter intelligunt cōſiderantes eiuſdem capituli finem, vbi peruenire ad iuſtitiam attribuitur motui fidei, & non peruenire, propriæ arrogantiæ & incredulitati. Gentes, inquit, quæ non ſectabantur iuſtitiam apprehenderunt iuſtitiam, & id ex fide: Iſrael verò ſectādo legem iuſtitiæ in legem iuſtitiæ non peruenit, quia nō ex fide ſed quaſi ex operibus. Atque ſecundum hunc ſenſum omnes fermè patres intelligentes ſuperiora eiuſdem capituli dicta, aliter quàm Auguſtinus ſunt interpretati, nihil commemorantes de prædeſtinatione illa, qua ſecundum æternum Dei propoſitū vnus eſt electus ad præparationē gratiæ iuſtificātis, alter verò derelictus. Intelligūt enim in Iſmaele & in Eſau reprobari arrogātiā Iudçorum in proprijs operibus confidentiū, ac Chriſtum cōtemnentiū, in Iſaac autem & Iacob, fidem & obedientiam gentium commendari, & hanc geminorum fratrum hiſtoriam non propter res ipſas, ſed propter iſtarum rerum myſteria futura deſcribi, dicente Domino: Duæ gentes in vtero tuo ſunt, & duo populi in vtero tuo diuidentur: & populum deſignatum in Iſrael & Iacob diligi, quia credit obeditq; euangelio: populum verò in Iſmaele & Eſau deſignatum odio haberi & in legem iuſtitiæ non perueniſſe, quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus voluit iuſtificari, offendens in Chriſtum. Atq; exponunt, Non ex operibus legis, aut non ex operibus ſine fide & gratia factis, ſed ex vocante, hoc eſt inuitante Deo. Non enim ob originale malum Iſmael & Eſau ſunt damnati, quibus circunciſionis ſacramento fuerat remiſſum. Videtur itaque in ipſis damnatum, non quod ſunt nati, ſed quod ſunt operati. Non enim in Adam ille iniquus eſt aut damnatur, qui poſt ſuſceptum legitimè baptiſmum delinquit, ſed in peccato quod ipſe operatur. Et ipſe Auguſtinus hac in re ſibi ipſi videtur fuiſſe contrarius. Dicit enim in quæſtionibus contra Prophyrium quòd Chriſtus tunc voluit apparere hominibus, & apud eos prædicare doctrinam euangelij, quando & vbi ſciebat eos eſſe qui in eum fuerunt credituri: Salus, inquit, huius religionis per quam ſolam ſalus vera veraciter promittitur, nulli vnquā defuit qui dignus fuit, & cui defuit dignus non fuit. His enim temporibus & his locis quibus euangelium eis non eſt prædicatum, præſciebat omnes in eius prædicatione tales eſſe futuros, quales multi in eius corporali præſentia fuerunt, qui etiam ſuſcitatis ab eo mortuis in eum credere noluerunt. Quid ergo mirum ſi Chriſtus prioribus ſeculis apparere vel prædicare noluerit eis, quos nec verbis nec miraculis ſuis credituros eſſe præſciuit? Hic ſi dixeris quòd beatus Auguſtinus ſententiam hanc tractauerit & ſeipſum ad meliorem intellectum ſit interpretatus, docens diuinam gratiam eos quos elegerit præuenire, atque ſubijcere ſibi hominum volūtates, iam videbis beatū Auguſtinum aliter ſenſiſſe quàm totam veterū patrum ſcholam, beato Proſpero planè affirmante veteres ea quæ de epiſtola Apoſtoli Pauli ad Romanos ſcribentis ad manifeſtationem diuinç gratiæ præuenientis electionis merita ab Auguſtino proferuntur, à nullo vnquam eccleſiaſticorum ſic eſſe intellecta, vt nunc ſentiunt. Hæc enim, inquit, eorum definitio ac profeſsio eſt, omnem quidem hominem Adam peccante peccaſſe, & neminem per opera ſua: ſed per Dei gratiam regeneratione ſaluari: vniuerſis tamen hominibus propitiationem quæ eſt in ſacramento Chriſti ſine exceptione eſſe propoſitam: vt quicunque ad fidem & ad baptiſmum accedere voluerint, ſalui eſſe poſſint. Hoc autē propoſitum vocationis Dei, quo ante mundi initium eligendorum, & reijciendorum dicitur facta diſcretio, vt ſecundum quod placuit creatori alij vaſa honoris, alij vaſa contumeliæ ſint creati, & lapſis curā reſurgendi adimere, & ſanctis occaſionem tepōris adferre: eò quòd in vtramq; partem labor ſuperfluus ſit ſi neq; reiectus

vlla

Cap.6.

Proſper et Hylarius reprehendunt B. Auguſt.

Rom.9.

Geneſ.25.

Videri poſſet Auguſtinus ſibi cōtrarius

vlla induſtria poſsit intrare, neque electus vlla negligentia poſsit excidere. Scribit prӕterea B Hilarius in epiſtola ad Auguſtinum quòd multi moleſtè ferebant doctrinam eius diſtinguẽtis inter adiutorium gratiæ primo homini datum, & adiutorium quod nũc datur prædeſtinatis, admittentes quidem neminem poſſe perſeuerare niſi accepta perſeuerandi virtute: nolentes tamen hanc perſeuerantiam ita prædicari vt ſimpliciter emereri & contumaciter amitti non poſsit, & vnumquemqe poſſe à perſeuerantia deficere volũt. Præterea vt cui datur (inerti licet) præcedenti tamen proprio arbitrio tribuatur, quod ad hoc tantũ liberum aſſerunt, vt velit vel nolit admittere medicinã. Aſſerũt, inquit, idem inutilem exhortandi cõſuetudinem, ſi nihil in homine remãſiſse dicatur quod correctio valeat excitare, nec ſic eſſe prædeſtinaos ad vtramq; partem, vt de alijs ad alios nullus poſſet accedere. Nata eſt autẽ ex ſcripturis & patrũ ſcriptis nunc citatis ſentẽtia doctorum ſcholaſticorum, homini ſcilicet facienti quod in ſe eſt Deum ſemper adeſſe, & largiri quæ ſaluti eius ſunt neceſſaria: de qua ſtatim ſumus latiùs acturi: habet enim variam intelligentiam, nec ab omnibus illis ſimiliter eſt intellecta. Tractat autem has duas quæſtiones de ſufficientia auxilij, & de diſcrimine bonorum à malis diligenter, & latè magiſter noſter Ioannes Driedonis tractatus quarti ca.2. de redempt. generis humani. Item cap. 1. & 2. tractatus 5. & priorem ſanctiſsimus dominus noſter Adrianus ſextus in 1. quæſt. de pœnitentia.

QVemadmodum ſcripturarum loca quę citauimus, nihil inter ſe pugnant, ſed conſentire inuenientur bene excuſſa: Idem enim eſt ſpiritus qui in eis loquitur, & hic ſpiritus eſt pacis non diſſenſionis: Ita nec contrariæ ſunt veterum ſanctorum ſententiæ, quantumlibet inter ſe diſcrepare videantur. Colliguntur enim ex ſupradictis locis ſcripturarum: nec ab iſtis ita multum variant doctores ſcholaſtici, & præcipuè Magiſter Sententiarum diſt.40. & 41. primi Sententiarnm, qui in omnibus conſentit, & ſequitur ſententiam B. Auguſtini, & ſimiliter B. Tomas perpetuus beati Auguſt. ſectator. Nam ſcripturæ quæ promiſsionem vel Dei infallibilem ordinationem ſonant, loquuntur de vocatis & gratia præuentis, quorum voluntas iam vtcunq; eſt à Domino per vocationem præparata. Fiunt enim populo fideli ad quem ſolum diriguntur, cui non deeſt, ſed adeſt ſemper iuxta eaſdem ſcripturas auxilium ſufficiens, ex quo conuerti poſsit, & ſuam operari ſalutem. Nam locum apud

Lib.4.ca.8. cap.7.

Matthęum, Petite & accipietis, &c. tractans Beatus Anguſtinus contra Iulian. qui ſuam & Pelagianam hæreſim his verbis ſtabiliebat, ei reſpondet, Sine gratia præueniente, neminem poſſe petere, quęrere, aut pulſare. Neceſſe eſt, inquit, gratiam pręcedere & cor tangere, vt beatificum bonum à Deo petatur, & vt pulſetur ad Deum. Item cap. quinto de gratia & libero arbitrio tractans locũ Zachariæ quinto, Conuertimini ad me & cõuertar ad vos, dicit nos non poſſe conuerti, niſi ex dono Dei. Quapropter in Pſalm. dicitur, Deus virtutum conuerte nos. Et, Tu conuertens viuificabis nos. Et in Enchiridio ca.32. Voluntas hominis bona præcedit multa Dei dona, ſed non omnia: quæ autem non præcedit ipſa, & in eis eſt ipſa. Et lib.1. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 19. dicit quòd proponere. & velle bonum eſt ex Dei dono, & ſimiliter 1. lib. retract. cap. 26. Nam petere, quærere, & orare quemadmodum oportet, præſupponunt agnitionem gratiæ, & fiduciam quandam inueniendi & obtinendi eam: principium enim gratiæ eſt eam agnoſcere & deſiderare. Surdi qui non habent aures audiendi, nihil excitantur, nec iuuantur vocatione & inuitatione Domini. Scripturę verò quæ ſeueritatẽ iudicij diuini ſonant, vt quòd Deus dereliquit, deſerit, excæcat, indurat, & ſimilia, loquuntur de reprobis. In ſcripturis enim ſacris aliquando Deus loquitur ad vnum genus hominum, aliquando ad aliud. & ſi ad idem genus, non tamen ſecundum eandem eius partem. Quomodo Apoſtolus Paulus in epiſto. ad Roma. cap.11. docet Deum non repellere populum ſuum propterea quod non totaliter repellat & vniuerſos. Non repulit (inquit) plebem ſuam quam præſcinit: tacitè declarans ſcripturas in quibus Deus loquitur ad populum Iſraeliticum, Ego non te deſeram, neque derelinquam, ego non obliuiſcar tui, intelligendas eſſe de vaſis electis in populo Iſrael: Scripturas autem quibus Deus ſignificatur relinquere populum Iſrael, intelligẽdas eſſe de veteri ſynagoga, ad quam Chriſtus, Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina, &cæ. & noluſti. Ecce relinquetur domus veſtra deſerta. Subtrahit ergo Deus ſuæ miſericordiæ dona ab his qui merentur hæc pati: iuſtos autem non derelinquit, niſi deſertus ab ijs fuerit: nec tamen ex toto ab illis ſe ſubtrahit, ſed ſecundum aliquos gratiæ effectus quibus peculiariter præſens erat, nunquam autem relinquit abſque vllo amoris ſtimulo, & abſq; vllo conuerſionis inſtinctu: atque ita quamuis anima quę ſemel acceptam gratiam deſerit, iuſtè repudietur, & digna ſit quæ ea ſemper indigeat: ſi tamen ita cadat vt ſupra lapidem Chriſtum maneat, non negans aut contemnens ipſum, quin potius per fidem tenens illum vt manum ſibi diuinitus ſuppoſitam, ſic lapſa nõ prorſus conteritur, ſed gratuitum Dei auxilium habet, quo per pœnitentiam reſeruatur ad ſalutem hauriendam ex fonte gratiæ Chriſti, vt interpretatur beatus Hieronymus in commentar. Matth. 21. Alia namque eſt ratio credentis: alia nondum credentis: qui incipit credere in Chriſtum, iam iuuari incipit ab illo: nec deſunt pro loco & tempore conuerſionis auxilia, quamdiu in illum credit, ſi etiam peccet per mala opera, quamuis conſideratis

Pſal. 40.
Pſal. 84.

In ſcripturis Deus nunc vni hominũ generi loquitur, nunc alij, nunc eiuſdem generis vni parti, nunc alij.

Matt. 23.

tis alijs ſcripturis docentibus Deum nolle mortem peccatoris, & velle omnes ad pœnitentiam reuerti, ita piè vt diximus de Deo ſentire expedit, quod nec tales prorſus deſerat & abijciat, qui in tenebris infidelitatis habitauerunt nondum accepta teſta fidei in Chriſtum, qua hauriant aquas gratiç ex fonte Saluatoris. Nullum enim hominem in hac vita abſque ſpe veniæ relinquendum vt ſperare nec poſsit nec debeat, probant nonnulla teſtimonia ſcripturarum prius citata, & certè quòd dicit Dominus apud prophe. Ezechiel. cap. 18. Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij? &c. & concludens ſingulos hortatur: Cõuertimini ergo & agite pçnitẽtiam, &c. vbi Hieronymus: Ergo diuinæ inquit voluntatis eſt omnes ſaluos fieri, & ad notitiam veritatis venire: Vbicunque autẽ truculenta videtur ſententia Dei, non homines, ſed peccata condemnat, non dicit, Conuertimini, niſi his qui cum Deo prius erant, & eius comitatum deſeruerunt, Nam miſericordia Dei ſuperexaltat iudicium eius. Quç latè perſequitur M.N. Ioannes Driedonis loco citato.

Nec reipſa diſſentit B. Auguſt. ab aliorum patrum B. Amb. Chryſoſt. Fauſti catholici Galliæ Epiſcopi, & aliorum ſententia: quamuis ſi verba nuda ſpectentur videatur horum ſententiam improbare, & hi doctrinam Auguſtini. Alio namque modo ipſi vtuntur verbo prædeſtinationis & reprobationis, odij & amoris quam Aug. Loquuntur enim de electione ſiue amore ad vitam æternam, & ab hac hæreditate reprobatione, ad ſuppliciumq; çternum deſtinatione. Beatus verò Auguſtin⁹ initium electionis & vocationis conſtituit in ſeparatione à maſſa damnata: & ideo illi ad præſcientiã meritorum (propter quæ Deus largitur vitam æternam & retribuit æternum ſupplicium) referunt electionem & reprobationem Et B. Aug. ad miſericordiam Dei liberantis à peccato interna vocatione & inſpiratione & ad iudicium deſerentis. Beatus namque Ambroſius, Chryſoſtomus, & Fauſtus, optimè nouerũt regulam fidei quæ habet, quòd nemo ex damnata maſſa humani generis liberatur, niſi quem gratia Dei miſerentis erexerit, & eundem ab æterno fuiſſe electum ac ſcriptum in libro vitæ, nullumque eſſe hominis meritum vt præparetur voluntas à Deo, & fiat bona, aut ex maſſa perditionis vocetur ſiue ad regenerationis lauacrum, ſiue ad fidem, intuſque ita doceatur à Deo vt credat, aut vt dignus ſit ita adiuuari, vt ex fide in Ieſum fiat vas in honorem, reſipiſcendo à veteri vtia. Proinde ſi ex hac maſſa faciat vas in contumeliam, ſecundum exigentiam materiæ debitam operatur: ſi autem ex illa faciat vas in honorem ſublato peccato, & infundat formam nobilem, ex ſola facit liberalitate, nõ propter vllum hominis meritum: ad quæ conſiderationem habuit venerabilis pater Auguſt. definiens dilectionẽ ſeu electionem, qua ita diligitur homo vt ex maſſa perditionis ſegregatus Dei ſuggeſtione & inſpiratione fiat fidelis. Cum autem homo diuinitus vocatus fidelis factus eſt ſpiritu fidei & charitatis deſuper accepto, multa ſunt illius merita, quibus ſuperlucratur alia Dei dona ſeu talenta: ad quod conſiderationẽ habuerunt alij patres definientes dilectionem, qua homo diligitur ob bonum aliquod ſuo tempore tribuẽdum illi propter præuiſam illius fidem, obedientiam, inuocationem, ſeu eleemoſynam quemadmodum Deus dilexit Cornelium Centurionem, ad tribuendum ei regenerationis lauacrum, propter orationes & eleemoſynas ex fide quadam prodeuntes. Et ideo ſi quis dixerit in Iacob & in populo deſignato per ipſum antequã naſceretur præuiſam fuiſſe fidem obedientiam, & propter hæc opera præuiſa, illum fuiſſe dilectum ad præmiũ quoddam & remunerationem & coronam gloriæ: veriſsimum quidem dicit, ſed ex ſacris ſcripturis ſimul diſcat fidem illam & obedientiam eſſe Dei dona, quódque nihil fecerit operis boni quo merebatur ad fidem vocari, intuſque ita præparari, adiuuari, attrahi, ſeu doceri vt crẽderet, & credendo ſpiritũ fidei principium omnis meriti acciperet. Auguſtinus itaque arguit eos qui docuerunt Deum dilexiſſe Iacob & populum in illo deſignatum, & Eſau odio habuiſſe propter futura opera præuiſa in illis, vocabulis dilectionis & odij acceptis pro prçdeſtinatione & reprobatione, de quibus tractat ſcrptura, docens Deum electos ante mundi conſtitutionem prædeſtinaſſe, vt fiant vaſa gratiæ ſecundum propoſitum ſuum, operando omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ: alios autem deſeruiſſe in vaſa contumeliæ. Nam ſi Deus ſuos electos ad primam gratiam aut auxilium, quo ad illam præparantur, prædeſtinaſſet, propter opera in ijs præuiſa eiuſdem gratiæ meritoria, conſequẽs eſſet primam gratiam dari propter merita liberi arbitrij ſine gratia operantis, & ita principium ſalutis eſſe ex nobis tãquam ex nobis, & ſtatueretur hæreſis Pelagiana. Nequaquam autem reprobat Beatus Auguſtinus ſententiam eorum tanquam falſam, qui docuerunt Deum dilexiſſe Iacob ad prçmium, tum in hac vita, tum in futuro ſeculo tribuendum propter præuiſa ab illo opera bona, per gratiæ adiutorium futura, & alterum odiſſe ad ſeruitutem ſupplicij irrogandi propter futura opera mala ab æterno præuiſa. Firmiſsima enim fide tenendũ eſt, Deũ venturum eſſe iudicem, & vnicuique ſecundum opera ſua redditurum, & ipſum dare gratiam & remiſsionem peccatorum præparantibus ſe, credentibus, pœnitentibus, orantibus, & ſupplicantibus: & ita propter opera quædam tanquam diſpoſitiones & præparationes ad gratiam dandam ordinatas. Verum Auguſtinus textum Apoſt. ad Roma, non ſecundum tales ſenſus eſt interpretatus, imò arguit eos qui ſic interpretantur, tanquam nõ aſſecutos illic verum Apoſtoli ſenſum,

Vt habet Auguſt. lib. 1. de gratia Chriſti cap. 44. & ſequentibus de B Amb.

Conſentiunt patres Aug. circa gratiã Dei.

B. Aug. aliter interpretatur c 5. ad Roma quã Ambroſius. Chryſ et alij antiqui patres.

ſenſum habens argumenta & rationes quibus ſibi videbatur Apoſtolus Paulus non loqui de dilectione qua Deus vult dare bonũ aliquod propter præuiſa opera quæ ſunt tãquam merita, ſeu diſpoſitiones & præparationes ad bonum illud, ſed de dilectione prædeſtinationis præparantis hominem ad primam gratiam, qua valeat bene operari, & ſine qua bene operari non poteſt: qua ita pręparatur vt fiat iuſtus qui prius erat impius, & hunc ſenſum huius 9. capitis, ad Roma. delegit Auguſt. diſputans cum Pelagio aſſerente primam gratiam dari propter ſolius liberi arbitrij opera: beatus autẽ Chryſoſtomus, Ambroſius, Fauſtus, & alij venerandi patres quibus diſputatio erat contra eos qui ex textu Apoſtoli arbitrabantur ſublatum eſſe liberum hominis arbitrium, ad alium quendam ſenſum etiam veriſſimum intellexerunt huius capitis doctrinam, elicientes ex eo ſententias ex quibus demonſtraretur liberum hominis arbitrium, & opera illius bona & mala contra Manichæos. Non ſunt igitur ſententiæ patrum in hac re contrariæ, quamuis eundem ſcripturæ locum aliter interpretentur: vtriſque aſſerentibus ſentẽtias veriſsimas, ex alijs ſcripturæ locis euidenter demonſtrabiles, quę omnia latè proſequitur M.N. Ioannes Driedonis in ſecunda parte libri de concordia liberi arb. & prędeſtinationis, 3. cap. in ſolutione tertij argumenti. Et quòd eadem & omnino conſentiens fuerit B. Auguſtini doctrina, Ambroſij, & aliorum patrum de neceſsitate gratiæ ad omne opus bonum & eorum initia, docet & demonſtrat tertio cap. primæ partis in ſolutione tertij argumenti. Nullus enim patrum docuit aliquod eſſe hominis meritum propter quod à Deo aut vocetur, aut præparetur vt credat, & ex impio iuſtificetur, neque eorum aliquis docuit aliquando Pelagij hæreſes: quãtumlibet ipſe Pelag. eas ſtabilire conaretur eorundem patrum ſentẽtijs, vt patet ex lib. B. Aug. de natura & gratia cap. 16. & ſequentibus, in quibus refert dicta ſanctorum Hylarij, Ambr. Chryſoſt. B. Hie. imò & ſua, hoc eſt ipſiuſmet Auguſt. ad quæ reſpondet, & oſtendit eos non tenuiſſe ad quod Pelagius ea citabat, ſed id ipſum quod ipſemet Auguſt. & ſemper tota eccleſia catholica ex ipſis eorum libris, maximè Ambroſij: & in lib. 1. de gratia Chriſti contra Pelagium & Cæleſtium ca. 93. & lib. 4. Contra duas epiſt. Pelag. cap. 11. multa ex Amb. loca adducit: & in fine epiſt. ad Sixtũ quæ eſt 96. & cap. 9. de prædeſtinatione ſanctorum interpretatur quod ſcribunt ſancti, quod dixerit & ipſe in lib. de ſex quæſtionibus contra Paganos, quæſt. 2. tũc voluiſſe apparere hominibus Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quãdo & vbi ſciebat eſſe qui in eum eſſent credituri, quodq́; ſalus religionis Chriſtianæ nulli vnquam defuit qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit: ac per hoc quibus omnino annunciata non eſt nõ credituri præſcribantur: de

In cõcordia gratiæ et liberi arbitrij conſentiunt B. Aug. Ambro. Chryſo. et reliqui patres.

quibus etiam in principio capitis ſequentis, & quæſtio. 68. in lib. 83. quęſt. Cui reſpondet. Vtrum prædicato Chriſto à ſeipſis habituri eſſent fidem, an Deo donante ſuſcepturi, id eſt, vtrum tãtum eos præſcierit, an etiam prædeſtinauerit Deus, quærere ac differere tunc neceſſarium non putaui, & cap. 10. Si diſcutiatur vnde quis dignus ſit, non deſunt qui dicant voluntate humana: nos autem dicimus gratia vel prædeſtinatione diuina. Nam lib. 5. contra Iulianum cap. 3. Nullum, inquit, dignum eligit, ſed eligendo facit dignum. Et lib. 1. retractat, cap. 9. & capite 23. & 24. & 26. regulã conſtituit quòd in ſcripturis ſacris & libris veterum commemorata gratia non excluditur libertas arbitrij, nec in huius prædicatione & inuitatione intelligenda eſt excludi gratia, quin potius in operibus pietatis, commemorata gratia intelligitur etiam lib. arb. & ediuerſo. Confitendum eſt tamen quod ante exortam Pelagij hæreſim nondum fuerat exactè diſputatum de diuinæ prædeſt. & reprobationis iudicijs, quia nondum huius myſterij difficultates in quęſtionem venerãt hęreticis Pelagianis nondum eccleſiam perturbantibus, vt dicit B. Aug. de prædeſt. ſanctorum, cap. 14. & cap. 19. de bono perſeuerantiæ, in quibus libris reſpondet etiam epiſtolis B. Proſperi & Hylarij de Maſsilienſibus in Gallia, & fratribus in Aphrica offenſis libris quos aduerſus Pelagianos ſcripſerat.

DOctores autem ſcholaſtici variè & cõtrariè ſunt opinati de ſufficientia auxilij, per quod quiſque credere poteſt, & de peccatis pœnitere: atque etiam ſuper diſcriminis bonorum à malis cauſa & origine, ferè tamen conueniunt omnes, quod facienti quod in ſe eſt, Deus non deeſt in his quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, paratus intellectum eius illuſtrare & inſpirare ſalutaria: quamuis non ſimiliter hoc intelligant & applicẽt. Cum igitur, vt aiunt, in vniuſcuiuſq; poteſtate ſit facere ꝗ in ſe eſt, vt credat & ſalutẽ conſequatur, videtur quòd cuilibet adulto, etiamſi ethnicus ſit, adeſt ſufficiens auxilium quo credere poteſt, & ſaluus fieri, vel ſaltẽ eò peruenire vt credere poſsit & fieri ſaluus: & ita videretur principium diſcriminis eſſe in libero hominis arbitrio. Cui conſentire videtur B. Aug. 3. de libero arb. ca. 20. Ante meritum, inquit, boni operis, nõ parũ eſt accepiſſe naturale iudicium quo mens ipſa ſapientiam præponat errori, & quietem difficultati, vt ad ſapientiam non naſcendo ſed ſtudendo perueniat: quòd ſi agere noluerit, peccati rea tenebitur tanquam nõ bene vſa ſit facultate ea quam accepit. Et B. Ambro. nulli pereũtium excuſatio ſuppetit de abnegato lumine veritatis, quoniam ſiue occultè ſiue manifeſtè Chriſtus (vt ait Apoſtolus) eſt ſaluator omnium hominum maximè fidelium: & B. Hieron. tranctans locum Pauli ad Galat. 1. Segregauit me ex vtero matris meæ, naturaliter omnibus Dei ineſſe notitiam dicit, nec quenquã ſine Chriſto naſci, & vnum-

Variè ſentiunt doctores de ſufficientia diuini auxilij hominibus dati.

Dionyſius ca.7. cæleſt. Hierarch.

vnumquemq; habere in ſe ſapientiæ & iuſtitiæ reliquarumq; virtutũ ſemina:& quòd ſicut ſol omnes homines corporaliter illuminat,ita Deus ſpiritualiter illuminat omnem hominem venientem in hunc mundũ, Multo namque magis curam gerit animarũ, quàm corporum . Si ergo ſolem facit oriri ſuper iuſtos & iniuſtos: ſi pluit ſuper bonos & malos, multo magis videtur ſemina fidei & pluuiam ſalutaris doctrinæ ſuper impios & iniuſtos diſpergere. Sic & beatus Baſilius in cap.7.regulæ:& B Chryſoſt. neminem ſine Dei notitia & amore naſci docent. Ex quibus videri poſſet, quod omnes gentes, idololatræ,& impij(quamuis ſine fide Deo placere nõ poſsint)aliquid tamen habeant quo poſsint aſſurgere ad id quo Deo placeant, & oſtium cordis aperire, quærere, pulſare, & impetrare fidem qua iuſtificentur. Habent nempe lumen rationis internæ,quo naturaliter cognoſcũt Deum, qui intus pulſat ſemper,huius mundi fabricam oculis obijciendo,& fideli miſericordiam & iudicium ſuum. Nulla eſt anima quantum peruerſa, inquit Auguſt. cuius in conſcientia non loquatur Deus,vt Paulus in Actis inquit,Deus quamuis præteritis generationibus reliquerit gentes ingredi vias ſuas, non tamen ſine

Ad Rom. 1.

teſtimonio ſui reliquit eas, & proinde Deum agnitum non colentes facti ſunt inexcuſabiles,& traditi in reprobum ſenſum & in paſsiones ignominiæ, vt faciant ea quæ non conueniunt: manet tamen in peccatore ſic tradito naturale lumen ſynderesis ſemper illuſtre : Semper namque habet facultatem

Rom. 2.

diſcernendi inter ſanctũ & prophanum,licitum & illicitum, ſicut dicit Apoſt. Gentes legem non habentes naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt:per quam naturalem legẽ, vt dicit B. Hiero. Cain homicida peccatum ſuum nouit, & Pharao per eam ſtimulatus

Exod 9.

ſua crimina confitetur,dicens,Iuſtus Dominus,ego aũt & populus meus impius. Videntur ergo etiam ethnici habere auxilium ſufficiens, quo ſi rectè vti vellent ad fidem qua Deo placerent, aſcenderetur,vt videtur accidiſſe in Cornelio Centurione. Et propter hanc deductionem plærique ſcholaſtici docent, quòd in cuiuſlibet hominis poteſtate poſitum eſt & relictum, quòd infundatur ei fides & charitas,quamuis à ſe illa habere nõ poſsit. Nam aliquid facere poteſt, quo facto fidem & charitatem, Deo dante ſecundum ſuam infallibilem ordinationem,accipiat:quemadmodum qui in domo eſt, feneſtris ex omni parte clauſis, non poteſt ſeipſum illuminare,nec lumẽ in oculis ſuis producere. feneſtram tamen aperire poteſt,quo facto lumen ei ſtatim accedet. Vnde Alexander de Hales, in 3. parte ſummæ quæſtio.69. Feneſtra,inquit,comparatur actui voluntario,qui eſt cõſentire vel diſſentire, tenebræ comparantur peccato. vnde ſicut in poteſtate hominis non eſt vt remoueat tenebras, niſi appareat prohibens lucem, ſcilicet feneſtram,& lux ipſa remouet tenebras: ita in poteſtate hominis non eſt vt remoueat peccatum à ſeipſo,ſed ſi remoueat actum ſuum voluntarium , ſcilicet diſſenſum à bono , & conſenſnm ad malum, tunc remouet illud ꝙ eſt prohibẽs gratiam:ſicut feneſtra prohibet lucem,& intrat gratia in ipſum,ac tenebræ diuino adiutorio remouentur. Reſpondet enim argumento in quo dicebatur quòd ita ſe habet in nobis peccatum, quod eſt remouens lumen gratiæ, ſicut feneſtra clauſa ne illuminetur domus, ſi autem in homine non eſt vt ab eo remoueatur peccatum, non eſt in ipſo quo ad lumen diuinæ gratiæ recipiendum ſe diſponat. Quam ſententiam etiam ſequi videtur Fauſt⁹ venerabilis Galliæ epiſcopus, lib.1. de gratia Chriſti. Pro huius pleniore intellectu conſiderandum eſt aliud eſſe, hominem facere quãtum in ſe eſt, & facere quantum poteſt ex his quæ à ſe habet. Nihil enim à ſe habet homo præter peccatum quod per vnum hominem intrauit in hunc mundum, quo modo peruerſè Mart. Luthe. interpretatur hominem facere quãtum in ſe eſt, docens eum peccare quando facit quantum in ſe, art. 36. ſuæ aſſertionis. In homine autem tria reperiuntur per quæ liberum arb. operatur, primũ eſt natura & quę naturam ſequuntur, ſecundum eſt gratia per Chriſtum facta, pulſus, illuſtrationes, vocationes, inſpirationes, diuinitus immiſſæ, & tertium eſt peccatum in natura habitans, ſecundum quod operantes ſemper peccamus.

Aliud eſt hominem facere quod in ſe eſt, aliud facere quantũ poteſt ex ijs quæ à ſe habet

Tria ſunt in homine in quibus liberum arbitriũ operatur.

Homo autem relictus in ſolis naturæ talentis, per ea Deo generaliter cooperante, diſcernit inter multa licita atq; illicita, & pro tempore & loco poteſt non peccare, & iuxta Apoſt. Pauli ſententiam naturaliter ea quæ legis ſunt facere, vt docet B. Aug. de ſpiritu & litera, cap. 26. & duobus ſequentibus. Et ideo quod eiuſdem libri cap. 3. dicit liberum arbitrium non valere quicquam niſi ad peccandum, ſi lateat veritatis via, intelligit ipſum nihil valere ad opera bona quæ valeant ad iuſtitiam, remiſsionem peccatorum, aut vitam æternam, quale bonum nemo agere poteſt ſine cognitione veritatis, quæ eſt per fidem, & ſine dono dilectionis, quod eſt charitas: & ita intentio eius eſt quòd ad nullum meritum valeat niſi malum, quale eſt peccatum. Loquitur enim contra Pelagium de operibus quibus redditur merces poſt hanc vitam. Nam manifeſtum eſt ſine gratia liberum arbitrium poſſe ædificare domos, plantare vineas, comedere & bibere pro ſuſtentatione naturę, honorare & alere parẽtes, nolle mentiri & adulterari: ſicut ipſe docet lib. 3. Hypog. Et ſibi contrarius eſſet in eodem libro de ſpiritu & litera, ſi intelligeretur liberum arb. ſine gratia ſimpliciter nihil poſſe niſi peccare. Docet enim cap. 27. in impijs reperiri quædam facta ſecundum iuſtitiæ regulam non vituperanda. Sine gratia igitur in talentis naturæ homo relictus agere aliquid poteſt, & hoc ipſum faciendo non peccare: Sed an poſsit ſe ad gratiam fidei præparare, aut gratiam gratum facientẽ qua à pec-

Rom. 2.

cato liberetur, non æquè certum eſt. Nam B. Aug. in libro de natura & gratia, ca. 2. apertè docet, quòd ſi fieri vel potuit vnquam, vel adhuc poteſt, vt quiſpiam reperiatur, qui nō ſit vlla fide in Chriſtum imbutus, qui vel ante Chriſti aduentum non audiuit hoc futurum, vel adhuc non comperit factum, & tantum credit in Deum qui fecit cælum & terram, à quo ſe naturaliter factum ſentit, & honeſtis moribus viuendo Dei impleat volūtatem: Si illud inquit fieri poteſt, hoc ego de natura, id eſt, naturali lege, quod de lege Moyſi dicit Apoſt. Ergo Chriſtus gratis mortuus eſt, ita, inquit, & ego dico, Si per naturam iuſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Si enim Apoſtolus hoc dixit de lege quā accepit gens vna Iudæorum, quanto iuſtius hoc dicitur de lege quam accepit vniuerſum genus humanum? Si ergo Chriſtus non eſt gratis mortuus, conſequens eſt quòd omnis humana natura iuſtificari & redimi ab ira Dei nullo modo poteſt, niſi per fidem & ſacramentum ſanguinis Chriſti. & capite octauo Rectè ergo non admittitur paruulus in regnum cælorum quamuis Chriſtianus non ſolum fuerit, ſed nec eſſe potuerit. Et cap. 9. De infante modò non loquor, Iuuenis vel ſenex in ea regione defunctus eſt vbi non potuit Chriſti nomen audire, potuit fieri iuſtus à natura & libero arbitrio, an non potuit? Si potuiſſe dicunt, ecce (quòd eſt crucem Chriſti euacuare) ſine ea quenquam per naturalem legem & voluntatis arbitrium iuſtificari poſſe contendere, dicamus & hîc, Ergo Chriſtus gratis mortuus eſt & quæ ſequuntur. An verò homo in naturalibus ſuis relictus ſine auxilio gratiæ, ſi legitimè vtatur naturalibus quamuis per hoc iuſtificari non poſſit ſine fide in Chriſtum, an tamen ſe aptum faciat ad accipiendum ſalutis auxilium à Domino, & ſalutarem quandam fidem, qua diuinitus illuſtretur, maior & perplexior eſt difficultas: an ſcilicet huiuſmodi homini facienti quod in ſe eſt, ſeu vtenti naturalibus ſuis, ſufficienter adſit Deus inſtruens eum per hominem vel angelum aut per ſe ipſum, ſuper his quæ ſunt ad ſalutem ei neceſſaria, ſicut accidiſſe videtur Cornelio Centurioni, Act. 10. qui antequam in Chriſtum crederet, eleemoſynis & orationibus impetrauit vt ad eum mitteretur Petrus. Quod ſignificaſſe videtur Paulus ca. 10. ad Romanos, dicens Verbum prope eſt in ore tuo & corde tuo, hoc eſt verbum fidei: quaſi auxilium, quo ſufficientes ſumus vt valeamus credere, omnium cordibus adſit, licet non omnes credant, quippe qui intus ad cor non conuertuntur vt audiant Deum intus per lumen rationis internæ loquentem, Vel ſi audiant, obedire nolunt. Et quamuis iniuriam faciat diuinæ gratiæ quiſquis dixerit hominem ex ingenitis legis naturę ſtimulis per vim liberi arb. poſſe credere, placere Deo abſque peccato, ſiue iuſtè & rectè viuere, non tamen eidem gratiæ derogare videtur, ſi dixerit hominem ex ſolis ingenitis naturæ ſtimulis ſeſe modo quodam præparare, aptumq; facere ad quem adiuuandū veniat Deus: non quòd adiuuari mereatur, vt dicit Pelagius, ſed quòd ſe tam docilem & tractabilem exhibeat vt deceat Deum, & dignum ſit eius bonitate, illum adiuuare, præſertim ſi per lumen rationis internæ ad vnū Deum ex mūdi fabrica ſuſpiret eumq; vt parentem diligat, accolat & iniurias ſibi fieri nolēs, alteri non faciat: qui etiam ſi paſſione ac infirmitate vel occaſione alia victus tranſgrediatur naturalis legis præcepta, ingemiſcit ad deum naturalis legis & naturæ authorē. Hoc enim ſonare videtur ſententiæ ex Aug. Hiero. & Baſilio citatæ ſuperius non aūt quòd abſq; gratuito Dei auxilio ad gratiam ſufficiēter ſe pręparare, poſſit. Hoc enim falſum eſſe patet ex verbo Chriſti, Nemo poteſt venire ad me niſi pater meus cæleſtis traxerit eum. Vnde ſequitur quòd poſt lapſum Adæ nemo ſibi relictus faciens quātū in ſe eſt ex ſolis naturæ talentis, ſi non peculiariter intus à patre trahitur, habet poteſtatem veniendi ad Chriſtum, cum ex ſolo tractu naſcatur hæc poteſtas: atq; ita nec ſufficienter ſeſe ad gratiam præparare quiſquā poteſt antequam ſuperueniat ſpecialis tractus Dei intus ſuggerentis animæ, vt diſſentiens à peccatis Deo conſentiat, tanquam authori gratiæ gratis iuſtificanti. Non enim poteſt ſe homo præparare per virtutem naturæ ſic vt ad gratiam ſit ſufficienter & vltimatè pręparatus, niſi præceſſerit tractus Dei inſpirātis initia quædam gratuitæ fidei aut charitatis. Vnde & Cornelius Centurio antequā Chriſtum iam natum & paſſum diſti. credidit, initia quædam habuit fidei ex qua & orabat & eleemoſynas dabat, non ſuis fidens operibus, ſed diuinæ miſericordiæ. Homo itaq; ſibi relictus abſq; omni auxilio Dei gratuito faciens quantum in ſe eſt, non ita tractabilem & docilem ſe exhibet, vt ſē faciat aptū & ſufficienter præparatum ad accipiendam Dei gratiam, niſi interceſſerit tract⁹ & inſpiratio Dei qua accipiantur initia quędam fieri & pius erga Deum affectus. Quamuis enim homines ſecundum humanæ vitæ conuerſionem laudabiliter ſecundum leges naturæ viuentes tales ſe præſtent, qui minus ſint inepti minuſq; indigni gratia accipiēda non tamen aptos ſe faciunt, & præparatos eidem gratiæ, propterea quòd non habeant ſua poteſtate tollere impedimenta prius appoſita, hoc eſt peccata: in quo ſe correxit beatus Thomas in prima ſecundæ quęſt. 109. articulo 6. docens hominem non poſſe ſe ſine Dei gratia ſpeciali ex viribus naturæ ad fidem ſeu gratiā gratum facientē præparare: cuius contrarium docuerat in 2. ſententiarum diſt. 28. Vbi cōcludit q. 3. ar. 4. Et ideo alijs cōſentiendo dicimus quòd ad gratiā gratum facientem habendam, ex ſolo lib. arbitrio ſe homo poteſt præparare. Faciendo enim quod in ſe eſt, gratiam à Deo conſequitur. hoc autem ſolum in nobis eſt, quod in poteſtate liberi arbitrij eſt conſtitutum.

An homo ex talento naturæ ad gratiā ſe præparare poſſit.

Galat. 2.

Homo iuſtificari nō poteſt niſi per fidem & ſacramētum ſanguinis Chriſti.

Poteſtas veniendi ad Chriſtum ex ſolo tractu naſcitur.

A ſolo

A ſolo enim Domino volũtas hominis propriè præparatur ad fidem & ea quæ ſunt ſalutis, hoc eſt, vt fidem capiat vel charitatem: quamuis fortaſsis remota quædam diſpoſitio ſeu præparatio fieri poſsit per naturam, ſed hæc non ſufficit niſi tractu & inſpiratione diuina accedente, qua trahatur & doceatur in his quæ ſunt ſalutis. Et ſi dicatur, Homo nondum habens fidem ſua oratione poteſt eam impetrare, Reſpõdetur, quod abſq; fide homo orare non poteſt. Attamen ſicut iam diximus non fallitur pernicioſè, nec in hæreſim conſentit Pelagij, ſi quis tam piè de diuina ſentiens miſericordia credat omni homini adulto aliquid gratuiti auxilij pro loco & tempore adeſſe, quo diuinitus trahitur, vt valeat ſe ad accipiendam ſeu obtinendam gratiam præparare: & ita neminem ex adultis ſic eſſe derelictum per totum vitæ ſuæ tempus in ſolis naturæ talentis, aut ſi fuerit ſic derelictus, eundem per ea quæ facta ſunt, & mundi fabricam poſſe aſſurgere ad cognoſcendũ Dei in creaturis inuiſibilia: ex qua cognitione ſi quantum in ſe eſt faceret vt Deũ glorificaret, ad illumque per peccatorũ remiſsionem ſuſpiraret ex mera Dei gratia, prius tamen per eam attractus intus illuminaretur, vel prouideretur ei de magiſtro qui doceret eum ſuper his quæ credere aut facere oporteat: quemadmodum dici ſolet contigiſſe in Cornelio Centurione Act. 10. & in Macedonibus Act. 16. quibus quantum in ſe eſt facientibus diuinitus magiſtris prouidebatur. Quo ſenſu videntur intelligenda eſſe quæ ſuperius citata ſunt ex 3. lib. de libero arbit. ca. 20. Ambro. Baſilio, Hieronymo in commentarijs epiſtol. ad Galatas. Quod autem ſic docens non conſentit hæreſi Pelagij, ex hoc patet, quod Pelagius docebat hominẽ ex ſola naturalis arbitrij poſſibilitate poſſe eſſe ſine peccato, mereri gratiã ac fidẽ qua Chriſtianus fiat, placere Deo rectè viuere, & hæc ſolum eſſe Dei dona, quia Deus liberum condidit arbitrium, ſine quo nemo credere poteſt, & præcepta dedit quibus docetur quomodo ſit viuendum, & credibilia reuelauit: Illa aũt docent quod iſta ſunt Dei dona, qui per ſpiritũ ſanctũ diffundit fidem ſcilicet & charitatem in cordibus eorum, qui pro loco & tempore cœlitus inuitati intuſque vocati voluntariè conſentiunt diuino ſpiritui reuelanti & pulſanti, non ſuis ſolum viribus, ſed præcedente ſuaſione ſancti Spiritus, ad quam præſtandã eius bonitas & liberalitas inuitatur bono vſu naturalium, non tanquam merito, ſed vt diſpoſitione quam eum non decet contemnere. Sic dicit beatus Thomas, materia 14. ſũmæ de veritate, quæſtione 11. in ſolutione primi argumenti. Ad diuinam, inquit prouidentiam hoc pertinet, vt cuilibet prouideat de neceſſarijs ad ſalutem, dummodo ex parte eius non impediatur. Si enim aliquis in ſyluis nutriatur, vbi nihil de fide audiat nec cognoſcere poſsit, ductũ tamẽ rationis naturalis ſequeretur cum appetitu boni &

Non ſentit cum Pelagio qui dicit nemini deeſſe auxilium ſufficiens ad ſalutem.

fuga mali, certiſsimè eſt tenendũ quòd Deus ei per internam reuelationem inſpiraret, quę ad credendum ſunt neceſſaria, vel fidei prædicatorem mitteret, vt Cornelio Centurioni Petrum miſit. Similiter loquuntur Alexander de Hales parte 3. quæſti. 68. articulo 3. & Altiſsiodorenſis lib. 3. quæſt. 5. & Gerſon de regulis mora. alphabetò 24. M. Gabriel diſtinct. 23. 2. ſentent. dubio primò. Nullũ enim eſt periculum hæreſis Pelagianæ, quando auxilium ſufficens, quo poſſent ſalui fieri, non ponitur eſſe naturæ talentum, ſed fides, aut excitatio ad fidem aut initia quædam fidei. Nec tamen omnino ſimile eſt, ꝙ adducitur de homine in domo clauſa, qui etſi non poſsit illuminare domum, poteſt tamen facere aliquid quo facto domus à ſole illuminabitur. In hac enim ſimilitudine cauendum eſt ne homo arbitretur ſuis viribus abſque Dei auxilio poſſe oſtium cordis aperire: ſed quemadmodum languidus in domo clauſa nequit abſque adiutorio ſeſe erigere ad aperiendum feneſtram, ſic nemo, niſi diuinitꝰ attractus poteſt oſtium cordis ſui aperire Deo pulſanti. Nam & ipſe interior pulſus eſt quidam animæ tractus. Poſſumus quidem ex nobis aliquid facere quo accipiamus Dei dona, ſed non ex nobis ſolis, ſed diuino ſpiritu excitatis & attractis. Certum eſt nos, inquit B. Auguſtinus, credere ſi volumus, & ſeruare mandata ſi volumus; & bene viuere ſi volumus, Deum intrare ad nos ſi aperiamus illi corda, eum nos ſuſcipere ſi ad illum confugiamus, & accedamus ad thronũ illius: ſed vt hæc velimus, aperiamus, & tantum velimus quantum ſufficit vt mandata faciamus, adiuuatur & præparatur voluntas à Domino. Proinde interrogantibus nos, Cur non omnes quibus euangelium prædicatur credant & reſipiſcant, cum Deus velit omnes ſaluos fieri? bene reſpondetur, quia non omnes qui audiunt volunt credere, nõ omnes vocati volunt reſipiſcere & pœnitere: Credere enim & pœnitere, fiunt à libero hominis arbitrio cælitus attracto. Si verò vltra interrogemur, cum Deus in ſua poteſtate omnium habeat corda, quare non omnium corda ſic præparat, attrahit & ſuadet, qualiter aptum nouit vt non contemnant, ſed velint & obediant: cur non præparauit illis auxilia quibus illos ſciret obedituros? Iterũ forſan reſpondebimus, quia Deꝰ quoſcunq; trahit, ſic trahit vt eos dimittat in libero arbitrio, ex quo qui contemnunt, aut reluctantur Deo vocanti, aut negligenter audiũt, ſuo merito malo ſe faciunt indignos, & permittuntur ire ſecundum deſideria cordium ſuorum mala: Sed per hoc ſatis fit interrogantibus cur quidam credunt, & alij permittuntur ire ſecundum deſideria ſua: At ſi rogetur, cur Deus omnipotens habens in ſua poteſtate omnium hominum corda, non ſic ea omnia trahat, vt velint credere, cur dimittẽs omnes in libero arbitrio, habens in ſua poteſtate illos trahere quando vult, cur non ſecundum æternum ſuum

Interior pulſus eſt animæ tractus vt oſtiũ aperiat.

Cur non oẽs credant qui audiunt euãgelium, nec ſequantur qui vocãtur.

Deus quoſcũque trahit ita trahit vt eis reliquat libertatem ſequendi.

propoſitum omnibus præparauit auxilia per quæ obedirent, nec contemnerent, nec euangelium audirent negligenter? Hæc certè quæſtio inquirit occultiſsima diuinæ ſapientiæ iudicia, & eius quærit rationem, quod ab hominis intellectu eſt impenetrabile, nec ad hominis voluntatem vllo modo referri poteſt, qua faciũt quod in ſe eſt. quòd etiam facere nõ poſſunt, niſi ſpeciali Dei directione tanquam naturæ authoris & directoris. Ex quibus manifeſtũ eſt ad quid conducat & valere poſsit, quod homo faciat quod in ſe eſt ex ſolis naturæ dotibus, ſine gratuita Dei præparatione, ſine qua nemo fidem vel initia fidei accipere poteſt, ad quã tamen vtcunque præparatur bono vſu naturalium. Homini verò iam iuſtificato quantum in ſe eſt facienti ex ſpiritu inhabitante & auxilijs quæ ſemper præſto adſunt, nunquam deeſt Deus in his quæ ſunt, & ad permanendum in iuſtitia, & ad ſalutem neceſſaria. Spiritus eum Dei inhabitans paratus eſt adiuuare imbecillitatẽ eius. ad Rom. 8. ca. de quo etiam variæ ſunt promiſsiones Dei in ſcripturis, Non te deſeram neque derelinqnam, ita vt confidenter dicamus, Dominus mihi adiutor, non timebo: quid faciat mihi homo: & ſimilitudines ſuperius citatæ ex Hiere. cap. 3. & Eſaiæ cap. 49. Inſuper & homini nondum iuſtificato, imò nondum fidem habenti, tamen ad accipiendam gratiam fidei attracto, Deus in neceſſarijs ad ſalutem non deeſt, ſi ſic attractus, quantum in ſe eſt Deo adiuuante faciat, & colat atque cuſtodiat ſemen cordi diuinitus inſitum. Ex multis enim ſcripturis notum eſt Deum adiuuare, illuminare, & ſuſcipere homines etiam non iuſtificatos, ſic tamen attractos, ſi quantum in ſe eſt faciant, & non in vanum gratiam hanc Dei ſuſcipiant. Nam ipſe dat ſpiritum bonum petentibus ſe, ipſe prope eſt omnibus inuocantibus ſe, aperit pulſantibus, illuminat omnes accedentes ad ſe, inuenitur ab his qui fidem habentes in illum, quærunt eum ex toto corde ſuo. & Iacobus ait, Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo qui dat omnibus affluenter & non improperat. Omnis qui petit accipit, qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur, ait Saluator. Qui igitur fidem habet vel fidei initia, impetrare poteſt quicquid ad ſalutẽ eſt ei neceſsarium. Propriè itaque & ſimpliciter verum eſt de iuſto & etiam impio diuinitus attracto, quod nunquam ei Deus deeſt in his quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria: & ideo communem hanc ſententiam quæ dicit, quod Deus adeſt facienti quod in ſe eſt in neceſſarijs ad ſalutem. B. Tho. in 1. 2. q. 109. art. 6. in ſolutione ſecundi arg. & in art. 3. q. 112. in ſolutione primi arg. intelligit de faciente quod in ſe eſt, præuento per motionẽ diuinã. Et in 4. diſt. 17. q. prima ar. 2. Et de veritate materia 28. dicit quòd nemo facit ꝙ in ſe eſt, niſi affectu & deſiderio cõuertatur ad Deum per ſpem & amorem, & peccatum deteſtetur. Et Cardinalis Caietan. in art. 6. q. 109. 1. 2. dicit quod cõmune dictum, Homo faciendo quod in ſe eſt, diſponit ſe ad gratiã intelligitur de diſpoſitione & præparatione nõ ſimpliciter, ſed quantum eſt ex parte ſua: & rurſus de diſpoſitione ſimpliciter accipiendo, intelligitur vt faciat, quod in ſe eſt, motus ſpecialiter à Deo, obſequendo videlicet diuinæ motioni: & B. Tho. (inquit) dicta ſua in ſecũdo Senten. ad meliorem ſenſum hîc reduxit declarando & addendo. Et ſimiliter B. Bonauẽ. diſtinct. 28. 2. Senten. ar. 2. quæſt. 1. in ſolutione argument. Argumentatur enim, Sufficienter ad gratiam ſe diſponit, qui facit quod in ſe eſt: facere autẽ quod in ſe eſt dicitur homo, quando facit illud quod in ſua eſt poteſtate, ſed liberum arbitrium omni gratia deſtitutum poteſt facere quod in ſua eſt poteſtate: ergo ſe diſponere ad gratiam gratum facientem. Cui reſpõdet Facere ꝙ in ſe eſt, dupliciter exponitur: vno modo poſitiuè, quia facit aliquid ordinatum ad gratiam, & tantum quantum poteſt: & hoc modo veritatem habet ſermo prædictus. alio modo priuatiuè, vt dicatur facere quod in ſe eſt quia facit quod poteſt, quãuis illud non ſit ordinatum ad gratiæ ſuſceptionem: & hoc ſenſu prædictus ſermo non habet veritatem. Qui enim hoc modo facit, quod in ſe eſt, nihil facit reſpectu gratiæ ſuſcipiendæ. Plenè etiam explicat Alexander de Hales. q. 90. art. 3. ad 6. argumen. quid ſit facere quod in ſe eſt, Et doctores hac ſententia vtentes citant ſcripturas quæ loquuntur de iuſtificatis, vel ſaltem de fidelibus aut attractis: his enim non deeſt in neceſſarijs ad ſalutem procurandum, aut perſeuerandum & progrediendum modò iugiter orent ne intrent in tentationem, vtq; perficiat Deus quod incepit. Cõfidens, ait Apoſt. Paulus ad Philippen. 1. quia qui cœpit in vobis opus bonum perficiet vſq; in diem Chriſti Ieſu, ſicut eſt mihi iuſtum hoc ſentire de omnibus vobis. Quòd tamen Deus adeſt etiam facienti quod in ſe eſt, ex puris naturalibus ad illuſtrationem & inſtinctus diuinos, ad quos ex immenſa erga peccatores charitate inuitatur, non autem ex vllo merito aut dignitate piè creditur, ſed quòd ſemper & quaſi ex infallibili ordinatione eis adſit, vt neceſſaria ſalutis largiatur, diximꝰ ſuperiꝰ ex ſcripturis non certò conſtare poſſe, piè tamẽ hoc confidimus, nec de aliquo deſperetur. Et ideo alia eſt ratio quò ad hanc aſsiſtentiam de paruulo baptizato, & à paganis ſublato, & alio non baptizato, qui in locis educantur vbi de Chriſto & religione noſtra nihil auditur. Illi enim poſtquam ad ætatẽ peruenerit adultam, ſi faciat quantum in ſe eſt, non deerit Deus in his quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem propter ſpiritum ſanctum inhabitantem, & cuſtodientem omnem hominem iuſtum qui eſt Chriſti membrũ, ſi faciat quantum in ſe eſt: id quod non ita certum eſt de alio paruulo non baptizato. Nam & doctores ſcholaſtici ſuper hoc non conueniũt, an omnibus adſit ſaltem aliquando auxilium ſuffici-

Ad quid cõducat facere quod in ſe eſt ex ſolis naturæ dotibus.

Hebr. 13.

Cap. 1.

Luc. 11.

Quid ſit hominẽ facere quod in ſe eſt

Alia eſt ratio paruuli baptizati & non baptizati ſi ambo apud Ethnicos educantur.

ſufficiens in hac vita, per quod pęnitere poſſint, & ad Deum ſe conuertere, & eſt inter eos ſuper illo opinionum cõtrarietas. Nam quòd huiuſmodi auxilium nulli negetur, dicit Nicolaus de Lyra ſuper verbum Iacobi 4. Appropinquate Deo & ipſe vobis appropinquabit, Sicut Deus, inquit, influxu generali conuertit omnia ad ſeipſum, ſicut ad finem vltimum ſecundum eſſe naturę, ſic influxu ſpeciali conuertit humanam naturam ad ſe ſicut ad finem ſupernaturalem. Nec hic influxus ſpecialis & motio diuina ſiue inſtinctus quo mouet humanam naturam ad bonum meritorium alicui negatur, quamdiu eſt in hac vita præſenti, ſed homines diuerſimodè ad hunc inſtinctum ſe habent: quia aliqui acquieſcunt & ſequuntur, & ſic ad gratiam habitualem de congruo diſponuntur quibus Deus eam dat, per quam meritoriè operantur: alij reſiſtunt inſtinctui, & ſic meritò eis hæc gratia negatur. Patet ergo quòd diſpoſitio ad gratiam de congruo quæ fit ab homine modo prædicto præcedit collationem gratiæ habitualis quæ eſt à Deo: & ſic dicitur appropinquâte Deo &: &c. Verum tamen hanc diſpoſitionem præcedit diuin᷒ inſtinctus aut motio ad bonum meritoriũ, ad quod natura hominis de ſe non poteſt aſſurgere: & ſic dicit Saluator Ioannis 6. Nemo poteſt venire ad me. Et idem dicit ſuper verbo Apocal. 3. Ego ſto ad oſtium & pulſo. niſi quòd hic paulo reſtrictius loquitur, dicens quòd talis influxus Dei communiter fit omnibus hominibus quàm diu ſunt in vita præſenti, non ita abſolutè vt nulli negetur. Et eiuſdem ſententiæ videtur eſſe Alexand. de Hales, quæſt. 69. art. 3. tertiæ partis ſummę vbi quærit, An omni facienti quod in ſe eſt detur gratia. Deus inquit benefacit omnibus quantum eſt de ſe, non tamen in omnibus efficitur bonum, propter defectum recipientis, non autem ſummæ bonitatis: & ponit exemplum, Si quis porrigeret eleemoſynam duobus pauperibus, & vnus extenderet manum & non alter, ille qui manum extenderet, reciperet donum non alter, ita Deus ſemper porrigit omnibus gratiam ſuã, non tamen omnes extendunt manum, id eſt, voluntatem ſiue conſenſum ſuum. Cui conſentire videtur beatus Anſelmus in lib. de caſu diaboli, vbi quęrens quare Lucifer non habuit perſeuerantiam, an quia Deus non dedit, an quia ipſe quod offerebatur non accepit, determinat quod non habuit, nõ quia Deus non dedit, ſed quia ipſe nõ accepit, cũ Deus paratus eſſet dare. Ex quo ſimiliter argumentum fit, Si aliquis homo non habet gratiam, hoc eſt, non quia Deus non dat, ſed quia ipſe non vult, nec paratus eſt accipere. Secundum hanc viam magis apparet inexcuſabilitas hominum ſi peccata non caueãr, aut per pœnitentiam non reſurgant: quia ſi non negetur auxilium ſufficiẽs ex parte Domini, manifeſtum eſt ex parte ipſorum eſſe, ſi peccata non vitent, vel non pœniteant. & hoc modo planiſsimè ſaluatur ſententia Apoſt. 1. ad Timoth. 2. Deus vult omnes homines ſaluos fieri, quia dat auxilium ſufficiens quãtum eſt ex parte ipſius quo omnes homines ad ſalutem perueniant, nec ipſius eſt, ſed eorum defectus, ſi non ſaluentur: quamuis & plures aliæ ſunt huius authoritatis expoſitiones, vt videre licet apud Auguſt. Et hanc expoſitionem magis acceptat Ioãnes Scotus circa diſtinct. 46. primi ſenten. in ſolutione ad primum dicens, quod licet dictum Apoſtoli exponi poſſet ſecundum diſtributionem accomodam pro omnibus qui ſalui fiunt, multo tamen melius exponitur de voluntate antecedente, pro quanto dedit eis dona naturalia & leges rectæ rationis, & adiutoria communia ſufficientia ad ſalutem. & paucis interpoſitis, Quamuis inquit Deus non habeat voluntatem bene placiti ad iſtum ſaluandum, tamen vult ei dare adiutoria communia ad ſalutem omnium antecedentia, quibus etiam ipſe bene viuere poteſt & ſaluari ſi velit: propter quæ dici poteſt quod vult omnes homines ſaluos fieri quãtum eſt ex parte ſui. Et fundatur hæc opinio ſuper ſententia Apocal. 3. Ecce ego ſto ad oſtium &c. quæ quum generalis ſit, videtur nulli deeſſe pulſatio Dei ad oſtium cordis, per quam intelligitur auxilium Dei gratuitum, per quod excitatur voluntas ad bonũ, & inſinuatur auxilium eſſe ſufficiens, cùm dicat, Si quis mihi aperuerit, &c. Deus etiam omnes inuitat abſque diſtinctione, vt conuertantur ad ipſum, & pœnitentiam agant. Ezechie. 18. conuertimini & agite pœnitentiam: facite vobis ſpiritum nouum, & cor nouum: & ſimiliter Ioelis 2. Et ſaluator: Venite ad me omnes qui laboratis. Vana autem eſſet huiuſmodi vocatio ſi dirigeretur ad eos quos ſciret non poſſe conuerti & pœnitere. Cũ ergo ſine gratuito Dei auxilio nemo hoc poſſit, ſequitur quòd Deus omnes ad pœnitentiam vocans nulli negat huiuſmodi auxilium, quodque illud ſit ſufficiens ex parte Dei. Idem etiam oſtenditur ex longanimitate Dei. Nam peccatores expectat ad pœnitentiam, 2. Petri vltimo: & indiſtinctè dicit, Nolo mortem peccatoris. Vana autem & ſtulta videretur expectatio ad pœnitentiam, vtpote impoſsibilem, niſi adeſſet ſufficiens auxilium. Et addunt, Si quibuſdam huiuſmodi auxilium negaret, maximè illis quibus ſciret ipſum non profuturum, &c. hoc eſt, qui ſequi nollent, ſed nec talibus ipſum negat, qui loquitur ad Hieruſalem, Quoties, inquit, volui congregare filios tuos, &c. dicens, Volui congregare, ſignificat ſe ad auxiliandum paratum: dicens autem, Et noluiſti, inſinuat eos repuliſſe. Et ſcriptura de Cain Geneſ. 4. Subter te erit appetitus tuus, ſignificat huiuſmodi auxilium gratuitum adfuiſſe, ſine quo non poterat dominari ſuper appetitu ſuo. Addũt præterea, Si quibuſdã peccatoribus huiuſmodi auxilium negatur, ſequitur huiuſmodi non poſſe conuerti & pœnitere, atque ita pręceptum de agenda pœnitentia eos non aſtringere, cum nullus

In Enchirid. ca. 103. & de cor. & gratia cap. 14. & 15.

Matth. 11.

Ezech. 18.

Matt. 23.

ad impoſsibile obligetur. Ex quo vlterius ſequitur quòd excuſentur, ſi non pœniteant à nouo peccato. Pro hac opinione videtur eſſe definitio Concilij generalis de ſumma Trinit.&fide cath.cap.Firmiter,quod habet de baptizatis,Si poſt ſuſceptionem baptiſmi quiſque prolapſus fuerit in peccatum, per veram poteſt ſemper pœnitentiam reparari. Multa etiam pro ea adducit ſãctiſsimus Dominus Adrianus ſextus in 1.quęſt.de pœnit.lib.4. ſentent. Adduximus etiam ſuperius plurima pro hac pia credulitate. Alia tamen opinio magis conſentanea eſt Aug. & patrum Concilijs, quod non omnibus Deus concedit tale auxilium: ſed ſicut mera voluntate prædeſtinat aliquos ad ſaluté, quibus ex ſola bonitate ſua diſponit dare bona gratuita neceſſaria ad ſalutem, ita mera voluntate, non propter præuiſam aliquã rationem ex parte reprobatorum, aliquos reprobat à gloria. Non eſt ergo paratus quãtum in ſe eſt dare illis gloriam nec finalem gratiam, & pari ratione nec auxilium gratuitum ad tenendam & recuperandam huiuſmodi gratiam. Quam ſententiam prætendere videtur proceſſus Apoſtol. ad Roma. 9. Et huius opinionis eſt Grego. de Arimino & eius ſequaces: qui poſitionem prædictam Ioannis Scoti dicit eſſe falſam, eamq́ue impugnat tribus rationibus, quarum prima eſt de paruulis diſcedẽtib⁹ in vteris matris vel ſine baptiſmo, quibus non dat Deus adiutoria ſufficientia antecedentia. Secunda quia non eſt adiutorium ſufficiens ſine fide quæ donum Dei eſt, nec tamen omnibus à Deo datur. Et ſimile argumentum fieri poſſet de alijs gratuitis donis ad ſalutem neceſſarijs. Tertia eſt, quia ſi dicatur Deus velle omnes homines ſaluos fieri, quia omnibus vult, & dat antecedentia ſalutis, multo fortius dici poſsit quòd vult omnes antecedenter peccare, quia dat antecedentia quę ad peccatum ſufficiunt: cuius etiam ſententiæ videtur eſſe Iſidorus lib. 2. de ſummo bono, cap. 15. Nonnulli, inquit, ita deſpiciuntur à Deo vt deplorare ſua mala non poſsint. Pro qua opinione multa etiam adducuntur argumenta. Nam ad Roman. 9. concludit Apoſtolus de Deo: igitur cuius vult miſeretur, & quem vult indurat, æqualiter indurationem peccatoris diuinæ aſſcribens voluntati, ſicut electionem & miſericordiam: aſſcriberetur autem induratio ſoli peccatori recuſanti accipere oblatam gratiam vel adiutorium, ſi Deus ſufficiens auxilium ex parte ſua paratus eſſet cuilibet cõmunicare. Nam indurat Deus quando non communicat gratiam peccatori, qua poſsit cor eius ad pœnitentiam emolliri. AEqualiter etiã aſſcribit Apo. nudæ voluntati diuinæ electionem & reprobationem dicens, Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui, adducens exemplum de Pharaone & de luti figulo, qui ſua voluntate ex eadem maſſa facit vnum vos in honorem & alterum in cõtumeliam: Deum autem aliquos

Opinio dicẽs non omni homini dari ſufficiens auxilium ad ſalutem cõformior eſt Auguſtino et patribus.

Argumenta pro 2. opinione.

reprobare, eſt non velle vel nolle eis dare gratiam finalem, & per conſequens nec adiutorium, per quod eam recuperare, aut in recuperata perſeuerare poſsint. Nam ſæpe dicit B. Auguſt. & præcipuè in epiſtola ad Vitalem, & de prædeſtinatione ſanctorum, ca. 8. & 6. & de bono perſeuerantiæ, cap. 8. Et Enchirid. cap. 103. quod quibuſdam Deus nolit dare gratiam. Citant. etiam Eccleſiaſten, cap. 7. Conſidera opera Dei quòd nemo poſsit corrigere quem ille deſpexit. Non autem videtur ſufficiens auxilium ad ſalutem offerre his quos ipſe deſpicit: & clariſsimè dicit B. Auguſt de Tyrijs & Sidonijs, quòd eis negatum eſt vnde crederent, quia non erat eis datum vt crederent, de bono perſeuerantiæ, cap. 14. Quibus igitur non eſt datum pœnitere, nec eis datur auxilium ſufficiens quo pœniteant, Ioan. 12. dicitur de Iudæis, quòd credere non poterant, quamuis coram eis multa fierent ſigna, quia excæcauit Deus oculos eorum, & indurauit cor, quibus propterea nõ videtur cõceſsiſſe ſufficiens adiutorium quo credere poterant & ſaluari. Eſt præterea argumentum quod valde ponderant, Si, inquit, communicetur omnibus hominibus ſufficiens auxilium, ſequitur quòd per illud non diſcernuntur peccatores qui conuertuntur, ab alijs qui non conuertũtur: quæritur ergo per quid primo ab illis diſcernuntur, & non videtur quod aliundè, quàm quia conſentiunt, & ſequuntur illud auxilium, quod alij non ſequuntur: & ſi ſic, qui cõuertitur ſe primò diſcernit ab eo qui non conuertitur contra Apoſtol. prioris epiſt. ad Corinth. Quis te diſcernit? Harum autẽ opinionũ prior magis videtur commendare diuinam bonitatem, vtpote quæ ſic ſit ſuiipſius diffuſiua, vt nulli neget adiutorium ſufficiens ad ſalutem: altera magis videtur oſtẽdere Dei iudicium & diuinam libertatem per hoc quòd quibuſdam vult dare ſalutem & adiutoria ſufficientia, & alijs non vult dare tanquam Dominus vitæ & mortis. Quæ autem earũ ſit verior, difficilimum, vt diximus, eſt iudicare. Diximus autem ſuperius pie credẽdum eſſe, & valde probabile, quòd cuilibet adulto habenti vſum liberi arbitrij communicatur ſufficiens adiutorium, quantum eſt ex parte Dei, quo poſsit credere, pœnitere, & ad Deum conuerti, ſed aliquando, non ſemper. pro quo ſuperius citauimus ſcripturas & patrum ſententias. Quoties autem & quando Deus hoc auxilium communicet, ad occulta diuinæ prouidentiæ decreta & multam iudiciorũ eius abyſſum pertinet, & quandoque aliquos iuſtiſsimè deſerit in hac vita, ſed an ſic deſerat, vt pœnitere non poſsint, maximè fideles, ſtatui viatoris adhuc à Domino peregrinantis conuenire non videtur: quædam tamen ſanctorũ dicta hoc ſonant. Eſt autem conſiderandum pro pleniori intellectu, quòd tripliciter ſe homo habere poteſt ad huiuſmodi auxilium ſeu diuinum inſtinctum: primò illi renitendo: ſecundo nec cõſentiendo, nec reniten-

Cap. 4.

Collatio harum inter ſe opinionum.

Tripliciter homo ſe habere poteſt ad inſtinctus Dei.

renitendo: tertiò illum ſequendo. Primum ex ſe poteſt volũtas, & ne faciat monet propheta, Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite, &c. Secundum etiam ex ſe poteſt, ſimiliter & tertium, præſuppoſito tamen huiuſmodi auxilio: &, vt diximus, probabiliter, ſine vllo alio vlteriori auxilio. Et ſi dicatur ſine vlteriori adiutorio voluntatem nõ poſſe conſentire, & ſequi diuinum hunc inſtinctum, videtur tunc quod media illa diſpoſitio voluntatis quæ eſt negatiua, ſcilicet non reniti, ſit talis vt congruum ſit & deceat bonitatem Dei vlterius auxilium ad conſentiendum & ſequendum non negare. De diſpoſitione autem hac media & negatiua dicit Henricus Gandenſis 4. quodlib. quæſt. decima nona, quòd ſi ſint duo homines habentes vſum liberi arbitrij infideles vel fideles, quorum corda aliquo motu gratiæ præuenientis ſtimulat Deus ad bonum ſpirituale, & vnus reſpuat, recalcitret, & contradicat, alter verò negatiuè ſe habeat, nec reſiſtendo, nec contradicendo: quamuis nullum motum bonum eliciat, non eſt, inquit, congruum, vt Deus æqualiter ſe habeat erga iſtos duos. Nam contradicens fortè mortaliter peccat & meretur æternã damnationem: alter verò quamuis nihil mereatur, congruum tamen eſt vt diuina liberalitas ei prouideat de adiutorio gratiæ vlterioris, quo poſsit de peccatis verè pœnitere. & quodlib. 8. quæſt. 5. ponit quandam ſcalam ſeu proceſſum ab huiuſmodi diſpoſitione negatiua per diuerſos gradus ad gloriam, & ait, Sicut poſt primam admonitionem qua Deus præuenit peccatorem bonus vſus liberi arbitrij ſaltem negatiuè eſt ratio conferendi primam gratiam gratificantem, ſic bonus vſus in cooperãdo gratiæ gratificanti eſt ratio augmentandi ipſam, cuius augmentatæ vſus bonus ratio eſt ipſam perficiendi, & bonus vſus gratiæ iam perfectæ, finaliter eã cuſtodiendo, eſt ratio conferendi gloriam. Notat tamen in quodlib. 4. quòd gratia gratificans non habet aliquam rationem præcedentem meritoriã de digno, ſed de congruo tantum. Quæ hoc modo declaratur, Quum Deus pulſat ad oſtium cordis per ſuos inſtinctus ad bonum, ſi voluntas renititur, iuſtè hoc auxilium ei ſubtrahitur, quamdiu diuina prouidentia hoc decreuerit: & ſi iterum clementer pulſet, & ei reſiſtatur, & hoc multoties contingat, tandem poſt huiuſmodi repulſam frequentem quoſdam Deus deſerit, negando eis deinceps tale auxilium gratuitum exhibere, quos propterea deſpicere dicitur: de quibus Eccleſiaſtes, Conſidera opera Dei quòd nemo corrigere poſsit quẽ ipſe deſpexerit. De his loquitur Iſidorus de ſummo bono libro 2. cap. 15. qui poſt verba ſuperius citata ſubdit, Ingemiſcendum eſt iugiter, & poſtpoſita ſecuritate lugendum, ne Dei iuſto iudicio & ſecreto deſeratur homo, & perdendus in poteſtate dæmonum relinquatur: vbi loqui videtur de deſertione Dei finali. Nam nonnullos ad tempus relinqui, & non finaliter, docet D. Gregorius in comment. ſuper Iob circa locum cap. 30. Non fuit qui ferret auxilium, Omnipotens, inquit, Deus, quos in æternum diligit, aliquãdo ad tempus relinquit. Et de Antichriſto & alijs quibuſdam qui pertinent ad myſteria eius, doctores quidam ſcribunt quòd finaliter & ſimpliciter tandẽ eos Deus deſeret, & illum maximè qui ſe dicet eſſe Deum, & extollet ſuper id quod dicitur Deus. De Pharaone idem diximus ſuperius ſcripſiſſe Reuerendiſsimum dominum Roffenſem, & Thoſtatum Epiſcopum Abulenſem ſuper Exodo. Rationes autem pro prima opinione adductæ, non aliud probant quàm auxilium iſtud omnibus & ſingulis adeſſe non ſemper, nec pro tota vita, ſed ſolum ſecundum diſpoſitionem diuinæ prouidentiæ, vt diximus: nec Deus ad pœnitentiam omnes & ſemper expectat, ſed poſtquam frequenter neglectus fuerit iuſtiſsimo iudicio eos deſerit (ſecundum hanc opinionem) quos tamen viuere permittit ad purgationem & exercitium bonorum, vel vt aliquid fœlicitatis temporalis pro bonis operibus per eos factis accipiant. De his verò quos non pœnitet ob defectum auxilij, dicũt quidam hanc impotentiam non excuſare à peccato, ſi eos non pœnitet, ex eo quòd ſua culpa in eam venerunt, & in tempore & ſtatu ſunt pœnitendi, ſed nouam culpam non contrahunt, quamuis ira Dei maneat ſuper eos propter peccata præcedentia. Alij dicunt quod in ſcripturis, nõ ab omni homine Deus exigit, vt illum pœniteat & conuertatur, ſed ab eo duntaxat ad quem huiuſmodi præceptorum excitatio & monitio poteſt peruenire. Dicunt enim quòd animæ non deputatur in peccatum quòd non quærit Ieſum, quòd non inuocat, quæ nondum vt hæc poſsit, accepit: quod certum eſt de pueris & adultis furioſis. Quomodo autem verum ſit in vtentibus ratione, dictum eſt ſuperius: hortatur tamen ſcriptura ad huiuſmodi opera generaliter, ſignificans neminem ſaluari adultum abſq; motu & conſenſu propriæ voluntatis. Et ad argumenta ſecundæ opinionis dicitur, quòd Apoſtolus indurationem attribuit diuinæ voluntati, quia gratiæ gratum facientis, viuificantis, & mollificantis priuatio & ſubtractio, in qua induratio cõſiſtit (vt docet poſt beatum Auguſtinum magiſter in diſtinct. 40. primi Sententiarum) eſt à Deo, ſed ob culpam hominis præcedentem: & ideò cauſam habet ex parte hominis: quamuis non æterna Dei reprobatio. Nec ſequitur ex eo quòd quibuſdam Deus non vult dare gloriam nec finalem gratiam, quòd nolit dare auxilium gratuitum, quod, ſicut aliæ gratiæ gratis datæ, conceditur etiam multis reprobis, qui & ſi huiuſmodi auxilio ſufficienti poſsint non reniti, & conſentire, & peruenire ad finalem gratiam, non tamen hoc facient, ſi eos ab æterno reprobauit Deus. Nec ex verbis Saluatoris, nec B. Auguſtini concludi poteſt

Pſalm. 94.

Opinio Henrici de Gandauo de preparatione ad gratiam & augmentum eius.

Cap. 7.

Reſponſio argumenti primæ opinionis.

Ad argumenta ſecundæ opinionis reſponſio.

Tyrios & Sidonios non habuiſſe ſufficiens adiutorium, aut eis defuiſſe inſtinctum interiorem diuinum, quo ſtimularetur ad bonum, ſed ſolum quod negatum eſt eis auxilium abundans, quod ſi priori auxilio ſufficienti Deus adieciſſet, operationem ſcilicet miraculorũ, moti fuiſſent ad pœnitentiam, ad quam ex priori quamuis ſufficiente moti non fuerunt: & ex oppoſito illi de Capharnaum & Corozaim habentes etiam abundãs auxilium, mala voluntate renitebantur, nec pœnitentiam egerunt. Illud autem quo diſcernitur peccator à non peccatore, eſt ipſa gratia ſiue ſpiritus Chriſti inhabitãs, qui eſt à Deo tantum. Per hoc enim quod peccator non renititur diuino inſtinctui, aut illum ſequitur, non ponitur ad ſtatum iuſtorum quamdiu ſpiritum Chriſti non accipit. Nihil etiam concludunt argumenta Gregorij de Arimino contra poſitionem Scoti. Nam primum eſt de paruulis qui relinquuntur in peccato originali, in quibus non habet locũ hæc quæſtio, ſed in adultis tantum, qui compotes ſunt liberi arbitrij, & capaces diuinæ motionis & inſtinctus ad bonum. Et ad ſecundum dicitur, quod quiſq; fidem habere poteſt, ſicut diximus ſuperiùs, & paratus eſt Deus fidem dare, & alia auxilia ad ſalutẽ neceſſaria. Quæritur enim hic magis an Deus paratus ſit omnibus auxilium & media ſalutis conferre, ſi per nos non prohibeatur, quã an ea nobis conferat, de quo B. Thomas diſtinctione 28. ſuper ſecundo ſententiarum quæſt.4. in ſolut.4. arg. Multa etiam de hoc quod vnuſquiſque aliquãdo intus ad fidem inuitatur diximus ſuprà. Item nec ſequitur, quod Deus antecedenter velit homines peccare, ſi hoc modo omnes ſaluos fieri velit, quod dat auxilia antecedentia quæ ſufficiũt ad operandum ſalutem. Quia principia quibus abutimur ad peccãdum, non ſunt nobis data ad illum finem: data ſunt autem, vt noſtram operemur ſalutem. Ex quibus manifeſta eſt reſponſio ad primam & tertiam quæſtionem ſuperius propoſitas: manifeſta eſt etiam reſponſio ad quæſtionem ſecundam, quæ erat, An gratia data à Deo alij per naturam & vim liberi arbitrij vtantur, & alij per eandem eam reijciant. Oſtendimus autem quod per naturam & vim liberi arbitrij aliqui vtũtur gratia, adiuti, tracti, ac ſuaſi diuinitus, alij eam reijciunt & contemnũt, concupiſcentia ſua abſtracti & illecti. Liberum enim arbitrium, neq; per peccatum in natura habitãs, neq; per gratiam quicquam agit, quod non agit per naturam ſuam, quæ tam peccati quàm gratiæ eſt ſubiectum ſeu fundamentum: nõ enim eſt actio libera, niſi per naturam liberi arbitrij, quæ omnis libertatis actionum eſt principium, vſus autem gratiæ & neglectus liberæ ſunt actiones. Quòd autem opus gratię opus eſt, & quod liberum eſt, habet à natura liberi arbitrij: ſicut quod pietatis eſt, à gratia: & vt opus pietatis eſt à libero habet arbitrio gratia adiuto, ſicut frequenter dictum eſt ſuperiùs.

Soluuntur argumenta Gregorij de Arimino.

Circa concordiam gratiæ & liberi arbitrij multæ ſunt difficultates, in quibus licet cuique in ſuo ſenſu abundare, Can. 12

Manifeſtum eſt ex nunc dictis quòd totus articulus eſt certa fide tenendus, quamuis plurimę circa ipsũ contingunt difficultates, de quibus à doctoribus Catholicis in vtramque partem diſputatur probabiliter, circa quas etiam licet vnicuique in ſuo ſenſu abundare: propter quod Cæleſtinus papa poſt regulas fidei de gratia & libero arbitrio addit, profundiores verò difficilioresq́; partes occurentium quæſtionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis reſtiterũt, ſicut nõ audemus contemnere, ita non neceſſe habemus aſtruere: quia ad confitendum gratiam Dei, cuius operi & dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus quicquid ſecundum prædictas regulas Apoſtolicæ ſedis nos ſcripturæ docuerunt: vt prorſus nõ opinemur Catholicum quod apparuit prædictis regulis eſſe contrarium. Inter quas regulas, vna eſt quòd auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, ſed liberatur, vt de tenebroſo lucidum, de prauo rectum, de languido ſanum, de imprudente ſit prouidum. Quia præparatur volũtas à Domino, & vt boni aliquid agãt paternis inſpirationibus ſuorum ipſe tangit corda fidelium. Quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei, vt nec noſtrum deeſſe ſentiamus arbitriũ, & in bonis quibuſq; voluntatis humanæ ſingulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium. Et concludit B. Auguſtinus. Eſt igitur liberum arbitrium, quod quiſque eſſe negauerit, Catholicus non eſt: & quiſquis ſic eſſe dixerit, quod ſine Deo bonum opus, id eſt, quod ad eius ſanctum propoſitum pertinet, nec incipere, nec perficere poſsit, Catholicus eſt. Quomodo vnicuique ſecundum ſua opera redderetur in die iudicij, niſi liberum eſſet arbitrium? In omni itaq; opere ſancto prior eſt voluntas Dei, poſterior eſt liberi arbitrij, id eſt, operatur Deus, cooperatur homo. Omnis ergo Chriſtianus cui iam donatum eſt poſſe per gratiam, vt Dei faciat voluntatem, abundare debet in operibus bonis: quia labor eius non erit inanis in Domino: ſic tamen vt non in ſe, ſed ſemper in Domino glorietur, cuius gratia eruditur abnegare impietatem & ſecularia deſideria, vt ſobriè, iuſtè, & piè viuat in hoc ſeculo. Nemo ſit ſegnis & remiſſus ad ſeruiendum Deo, nec ſic de gratia confidat tanquam Deus liberi arbitrij eius, quod per mortem filij ſui reparauit, & ſibi præparauit, opera non requirat: Vigilet, quęrat, petat, pulſet, contendat vincere ſeculum, Deo placere: ſic, vt dum per mundi pelagus currit, amorem gratiæ ceruicibus reuinctum fiducia liberi arbitrij non ſoluat: quia ſiue in proſpero curſu ne extollatur, ſiue in tempeſtate tentationũ ne mergatur, eius gubernaculo, quoaduſque ad portum Paradiſi perueniat, poterit permanere ſecurus, & cum impleuerit curſum, fidenter dicat cum Paulo, Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, & cæt. Hæc enim ille cum diceret, non in ſe, ſed in Domi-

Canone 8.

Lib.3. Hypo. Catholicus non eſt qui negat liberum arbitrium.

2. Tim. 4.

Idem docẽt canones. 4. 5. & 6. concilij Tridentini de iuſtificatione.

Domino gloriabatur. Item principio 3. libr. Hypognoſt. inquit idem Aug. ipſum liberũ arbitriũ hominibus eſſe, certa fide credimus & prædicamus indubitáter, habens quidem iudiciũ rationis, non per quod ſit idoneum quæ ad Deum pertineut, ſine Deo aut inchoare, aut certè perficere, ſed tantum in operibus vitæ præſentis tam bonis quàm etiã malis. Et in Pelagio damnatum eſt, quòd nõ eſt liberũ arbit. ſi Dei indiget gratia. Item aliud ꝙ pœnitentibus venia datur ſecũdum laborem & meritũ eorũ. Eſt igitur totus hic arti. certa fide tenendus, & cuiuslibet particulæ eius contrariũ, & erroneum eſt & hæreticũ.

Sententia Lutheri de libero arbitrio.

IAm reliquum eſt vt proponamus aduerſariorum ſententias, & eorum argumentis reſpondeamus. Martinus Lutherus primo docuit liberũ arbitrium paſsiuè tantum ſe habere in motibus fidei, ſpei, & charitatis, nullamque habere actiuitatem niſi in actibus externis ſiue imperatis, Ait enim libro quẽ inſcribit, Operationes in pſalmos, in digreſsione quam facit.

Error eſt itaq; liberum arbitrium habere actiuitatem in bono opere, quando de interno opere loquimur, Velle enim illud quod credere, ſperare, diligere iam diximus, eſt motus, raptus, ductus verbi Dei, et quædam continuata purgatio & renouatio mẽtis & ſenſus, de die in diem in agnitionem Dei, licet non ſemper æquè intenſa ſit illa paſsio, tamen ſemper eſt paſsio. Ecce, inquit Hiere. 18. ſicut lutum in manu figuli, ita & domus Iſrael in manu mea. Quid obſecro actiuitatis habet lutum, quando figulus formam ei affingit, Nónne mera paſsio ibi cernitur? qua tamen proficit de ſua deformitate in formam ſimilem artificis Ideæ. Ita per ſpem tribulatione operante ante naſcentem, diuinæ imagini conformamur & creamur ad imaginem, iuxta Paulũ, eius qui fecit nos. Volũtas verò incarnata, ſeu in opus externũ effuſa, rectè poteſt dici cooperari et actiuitatẽ habere: ſicut gladius in ſuo motu priùs nihil agit, merè aũt patitur, at in vulnere facto, cooperatus eſt per motũ ſuũ ſecanti per ipſum. Quare ſicut gladius ad ſui motum nihil operatur, ita nec voluntas ad ſuum velle. qui eſt diuini verbi motus, mera paſsio voluntatis, quæ tum cooperatur ad opus manuũ orando, ambulãdo, laborãdo, &c.

Ex quo ſtatim conſequens erat, quòd liberum arbitrium non habet poteſtatem in ſuis actibus. Quod & idem ipſe tradit in Reſolutionibus circa concluſ. 7. Ait enim.

Error eſt quòd liberum arbitrium ſit Dominus actuum ſuorum, quod vna ſolius Apoſtoli authoritas ſatis confutat ad Rom. 6. Fuiſtis ſerui peccati, liberati autem à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ: ita in quocunq; vitæ ſtatu ſumus, ſerui ſumus ſeu concupiſcentiæ, ſeu charitatis. Vtraq; enim dominabitur libero arb. Sic Chriſtus, Ioan. 8. Qui fecit peccatũ, ſeruus eſt peccati. Ita et Petrus, 2. Pet. 2. A quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt.

Deinde in deterius proficiens ſcripſit, ꝙ liberum arbitr. poſt peccatum eſt res de ſolo titulo: quam propoſitionẽ, licet per Leonẽ pont. cõdemnatam adhuc pertinaciter aſſerit, & ſcripturis probare conatur, & tandem reuocans multò peſtilentiorem ſubſtituit.

Malè, inquit, dixi, quòd liberum arbitrium ante gratiam ſit res de ſolo titulo: ſimpliciter debui dicere liberum arbitrium eſt figmentum in rebus, ſeu titulus ſine re, quia nulli eſt in manu ſua quippiã cogitare vel mali vel boni, ſed omnia (vt VVIclephi articulus Conſtantiæ damnatus rectè docet) de neceſſitate abſoluta eueniunt: quod & poeta voluit quando dixit. Certa ſtant omnia lege: & Chriſtus Matth. 6. Folium arborũ non cadet in terram ſine voluntate patris veſtri qui in cælis eſt, Et, Capilli veſtri omnes numerati ſunt. Item Eſaia 41. eis inſultat, dicens, Bene quoq; aut male ſi poteſtis facite. Et paulò ſuperiùs, Non eſt dubium Sathana magiſtro in Eccleſiam veniſſe hoc nomen, Liberum arbitrium, ad ſeducendos homines à via Dei in vias ſuas proprias. Et iterum, Quomodo poteſt ſe ad bonum præparare, cùm nec in poteſtate ſit ſuas vias malas facere? Nam & mala opera in impijs Deus operatur. Vt Prou. 16. dicit, Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, etiam impium ad diem malum. Et Rom. 1. Tradidit illos Deus in reprobũ ſenſum, vt faciãt quæ non conueniũt. Et 11. Quem vult indurat, cuius vult miſeretur. Sicut et Exod. 9. de Pharaone dicit, In hoc ipſum excitaui te, vt oſtendã virtutẽ meã in te. Ideò enim eſt terribilis Deus in iudicijs & operib⁹ ſuis.

PHilippus Melanch. in locis theologicis VVittenbergæ anno 21. impreſsis abſurdum hunc errorem & toti naturæ humanæ infamẽ, per quẽ videlicet ſpoliatur naturali libertate (ſecũdum q̃ potiſsimũ beſtias & pecora excellit) intolerabili arrogãtia & Luciferiana ſuꝑbia cũ omniũ veterũ doctorum contẽptu ꝓbat, & latè proſequit. Ita. n. habet circa locũ de virib⁹ hominis & lib. ar.

Auguſt. inquit Philip. multipliciter retractauit quæ ſcripſit de lib. arb. Bern. varius eſt. Vide Philippi adoleſcentis adhuc arrogantiam.

Scripſere de libero arbitrio Auguſtinus et Bernardus: & ille quidem ſua poſterioribus libris, quos aduerſus Pelagianos edidit, multipliciter retractauit: Bernardus non eſt ſimilis ſui. Sunt hac de re etiã apud Græcos quædam, ſed ſparſim. Ego quandoquidem non ſequar hominum opiniones, & ſimpliciſsimè & planiſsimè rem exponã, quam ferè obſcurarunt authores tum veteres, tum noui: quia ſic interpretabantur ſcripturas, vt ſimul vellent tamen rationis humanæ iudicio ſatisfieri. Parum ciuile videbatur docere neceſſario peccare hominem. Crudele videbatur reprehendi voluntatem, ſi non poſſet ſe ad virtutem à vitio conuertere: ideo et plura viribus humanis quàm par erat tribuere, & mirè variarunt, cùm rationis iudicio viderent vbiq; refragari ſcripturas. Et in hoc quidem loco, cùm prorſus Chriſtiana doctrina à Philoſophia & humana ratione diſſentiat, tamen ſenſim irrepſit Philoſophia in Chriſtianiſmum, quia receptum eſt impium de libero arbitrio dogma, & obſcurata Chriſti beneficentia per prophanam illam & animalem rationis noſtræ ſapientiã, vſurpata eſt vox liberi arbitrij, à diuinis literis, à ſenſu & iudicio ſpiritus alieniſsima, qua videmus ſanctos viros non raro offenſos eſſe. Additũ eſt è Platonis

Rectè ſic interpretabantur in re humana rationi ſubiecta.

Agnoſcit Philippus vniuerſos

patres aliter ſcripſiſſe de libertate arbitrij, aliâq; doctrinam tradidiſſe, quã hic tradit ipſe adhuc adoleſcens.

tonis philoſophia vocabulum Rationis aquè perniciofum. Nam perinde atq; his poſterioribus Eccleſiæ temporibus Ariſtotelem pro Chriſto ſumus amplexi, ita ſtatim poſt Eccleſiæ auſpicia per Platonicam Philoſophiam Chriſtiana doctrina labefactata eſt: ita factũ eſt, vt præter canonicas ſcripturas nullæ ſint in Eccleſia ſynceræ literæ: Redolet philoſophiam quidquid omninò commentarijs proditum eſt.

Et paucis interpoſitis. *Eſt autem libertas poſſe agere aut non agere, poſſe ſic aut aliter agere. Itaq; in quæſtionem vocatur, Sit ne libera voluntas, & quatenus libera ſit.*

Reſponſio.

Nulla eſt arbitrij noſtri libertas, omniáq; neceſſario eueniunt iuxta diuinam prædeſtinationem. Omnia neceſſario euenire ſcriptura docent.

Quandoquidem omnia quæ eueniunt neceſſario iuxta diuinã prædeſtinationem eueniunt, nulla eſt arbitrij noſtri libertas. Paulus ad Romanos 11. Quoniam ex ipſo, & in ipſo, &c. Ad Epheſ. 1. Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ. Et Matth. 10. Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro. Quid igitur inquies, Nullàne eſt in rebus, vt iſtorum vocabulo vtar, contingentia? Nihil caſus, nihil fortuna? Omnia neceſſariò euenire ſcriptura docent. Eſto videatur tibi in rebus humanis eſſe cõtingentia, iudicio rationis hic imperandum eſt: Voluntati noſtræ libertatem per prædeſtinationis neceſſitatem adimit ſcriptura. Vallam ait Eckius, quòd ſcholarum ſententiam de libero arbitrio confutauit, plura voluiſſe ſcire quàm didiciſſet. Et poſt pauca.

Vallæ ſententia hic probatur.

Non poteſt eſſe libertas in operibus externis ſine libertate volũtatis qua procedunt.

Si voluntatis humanæ vim pro natura captu aſtimes, negare non potes iuxta rationem humanam, quin ſit in ea libertas quædam externorum operum, vt ipſe experiris in tua poteſtate eſſe, ſalutare hominem aut non ſalutare, indui hac veſte, vel non indui, veſci carnibus, aut non veſci. Et in hanc externam operum contingentiam defixerunt oculos philoſophaſtri qui libertatem voluntati tribuẽre. Verùm quia Deus non reſpicit opera externa, ſed internos cordis motus, ideò ſcriptura nihil prodidit de iſta libertate: Qui externa & perſonata quadam ciuilitate mores fingunt, huiuſmodi libertatem docent, nempe philoſophi aut recentiores theologiſtæ. Contra affectus interni nõ ſunt in poteſtate noſtra. Experientia enim vſuq; comperimus non poſſe voluntatem, ſuũ ponere amorem, odiũ, aut ſimiles affectus, ſed affectus affectu vincitur: vt qui læſus ab eo quẽ amabat, amare deſinit. Nam te ardentius quàm quemuis aliũ amas, &c. Quę prolixè deducit. Et paucis interiectis. *Fateor in externo rerum delectu eſſe quandam libertatem, internos verò affectus prorſus nego in poteſtate noſtra eſſe: nec permitto aliquam eſſe voluntatem quæ affectibus ſeriò repugnare poſſit. Atque hæc quidem de hominis natura.* Et in fine huius loci ſummam colligens dicit. *Si ad prædeſtinatioonem referas humanam voluntatem, nec in externis, nec in internis operibus vlla eſt libertas, ſed eueniunt omnia iuxta prædeſtinationem diuinam. Si ad opera externa referas voluntatem, quædam videtur eſſe iudicio naturæ libertas: ſi ad affectus referas voluntatem, nulla planè libertas eſt, etiam naturæ iudicio. Et in annotationibus epiſt. ad Rom. circa locum, Scimus autem quòd his qui diligunt Deum. Et locum qui ſequitur, Iuxta prædeſtinationem Dei, confirmãs quæ ſuperius ex locis eius recitata ſunt, quòd nulla eſt rerum contingentia, nec libertas arbitrij, ita ſcribit. Nos verò docemus non ſolùm permittere Deum creaturis, vt operentur, ſed ipſum omnia propriè agere,* (Improbat enim diſtinctionem ſcholæ de generali influentia & ſpeciali) *ſicut fatentur propriũ Dei opus fuiſſe Pauli vocationem, ita fatemur opera Dei propria eſſe, ſiue quæ media vocantur. vt comedere, bibere, cõmunia cum brutis: ſiue quæ mala ſunt, vt Dauidis adulterium, Manlij ſeueritatem animaduertentis in filium. Conſtat enim ex capite 1. ad Romanos, Deum omnia facere non permiſſiuè, ſed potenter (vt Auguſtini verbo vtamur) id eſt, vt ſit eius propria Iudæ proditio, ſicut Pauli vocatio: ſicut in Actis Apoſtolicis ſcribitur. Conuenerũt Herodes & Pilatus facere quæ manus tua & conſilium tuũ decreuerunt fieri. Quid enim magis perſpicuũ dici potuit quàm quòd ait, Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat. Ergo non eſt cur frigidum gloſſema admittamus, Deum mala permittere, non etiam facere. Nam & illa ipſa mala quæ fiunt ipſe ordinat ad ſuam gloriam: ſicut ait Pharaoni, In hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te maieſtatem meam.*

Quomodo ergo omnia iuxta diuinam prædeſtinationem neceſſario eueniunt. Interim affectus non ſubiunt libertati voluntatis.

Malè cohærent & conſentiunt dicta Philippi Melanchthonis in comment. ad Rom.

Proprium Dei opus eſt Dauidis adulterium & quodlibet peccatum.

Deus potenter peccata operatur, & non permiſſiuè tantum. Cap. 4.

TOtum hunc locum ſingulaſq; eius ſententias diligenter examinat & erroris cõuincit inſignis ille theologus Magiſter noſter Ioannes Cochlæus duobus libris quos pro libero arbitrio ſcripſit contra Philippum: in priori de libero arbitrio ſeptem teſtes adducens omni exceptione maiores, primum ex lege, ſecundum ex hiſtoria, tertium ex hagiographis, quartum ex prophetis, quintum ex euangelijs, ſextum ex epiſtolis Pauli, ſeptimum ex epiſtolis canonicis. Et in poſteriori ſigillatim ad ea quæ contra veritatem de libero arbitrio Philippus ſcripſerat reſpondet, eaque in vndecim ſectiones diuidit. Ex quibus doctior factus ipſe Philippus plurima eorum quæ hic ſcripſit recantauit in iiſdem locis anno 36. Argentorati, 38. VVittembergæ, & 46. Baſileæ excuſis, vniuerſa ferè damnans quæ pertinaciſsimè & arrogantiſsimè ſcripſit ſuperius. Ea etiã recantat quæ ſupra ex commentarijs ad Romanos recitauimus, adductis ſcripturis & argumentis ſuæ retractationis. Incipit enim locus hic, De humanis viribus ſeu de lib. arbitr. Valla, inquit & plerique alij non rectè detrahunt hominis voluntati libertatem, ideò quia fiant omnia decernente Deo: atque ita in vniuerſum tollunt contingentiam. Sed aliena eſt diſputatio ab hoc loco de

Valla falsò detrahit voluntati libertatem.

Vallæ imaginatio ex Stoicis diſputationib⁹ nata.

de viribus humanis. Addit autem in locis anno 46. excuſis quòd hæc Vallę imaginatio, & quorúdam aliorum orta ex Stoicis diſputationibus, deducat eos ad tollendam contingẽtiam bonarum & malarum actionum, imò omnium motuum in pecudibus & elementis. Dixi autem, inquit, ſuprà non eſſe in Eccleſiam inuehendas illas Stoicas opiniones, nec defendendam eſſe neceſsitatem fatalem omnium, ſed aliquam contingentiam concedendam: Non neceſſe fuit Alexandrum interficere Clitum. Nec miſcenda eſt diſputatio de determinatione diuina quæſtioni de libero arbitrio. Inſuper addit in locis anni 36. & 38. Quum in natura hominis reliquum ſit iudicium & delectus quidam rerum quæ ſunt ſubiectæ rationi aut ſenſui, reliquus eſt etiam delectus externorum operum ciuilium: quare volũtas humana poteſt ſuis viribus ſine renouatione aliquo modo opera externa legis facere: Hæc eſt libertas voluntatis, quam philoſophi rectè tribuunt homini. Nam hanc etiam ſacræ literæ aliquo modo concedunt hominibus: quia ſcriptura docet eſſe quandam iuſtitiam carnis, quædam opera legis in his qui non ſunt renati, imò hanc diſciplinam externam ſeuerè requirit, cum inquit, Lex eſt iniuſtis poſita. Item, lex eſt pædagogus. Et quantas vtilitates habeat hæc pædagogia paulò poſt dicemus, nunc illud addam, hanc ipſam libertatẽ efficiendæ ciuilis iuſtitiæ ſæpè vinci naturali imbecillitate, ſæpè impediri à diabolo: ſæpè obtemperant homines prauis cupiditatibus non recto iudicio, ſicut inquit apud poetam Medea, Video meliora proboq́ue, deteriora ſequor. Præterea diabolus captiuam naturam impellit ad varia flagitia etiam externa: ſed tamen inter has difficultates, vtcunq; reliqua eſt aliqua libertas efficiendæ iuſtitiæ ciuilis. Et poſt pauca interpoſita, Volũtas humana non poteſt ſine ſpiritu ſancto efficere ſpirituales affectus quos Deus requirit, ſcilicet verum timorem Dei, veram fiduciam miſericordiæ Dei, obedientiam ac tollerantiam afflictionum, dilectionem Dei, & ſimiles motus, quos nec cõcipere poteſt ſine ſpiritu ſancto: eius autem auxilio & eos concipere & efficere poteſt. Quę multis proſequitur & ex ſcripturis probat conſentiens articulo, in eo quod dicit hominem per liberũ arbitrium cum gratia Dei benè agere. Et concludit, Hæc ſententia de libero arbitrio nihil habet abſurdi, & eſt germana cum aliorum ſcriptorum ac ſynodorum, tum verò etiam Auguſtini ſentẽtia, nec adigit ad deſperationes bonas mentes, nec deterret quò minus conentur, Imò amplificat ſpiritus ſancti auxilium & acuit curam ac diligentiam noſtræ voluntatis: Non probo deliramenta Manichæorum qui prorſus nullam voluntati actionem tribuebant, ne quidem adiuuãte ſpiritu ſancto, quaſi nihil intereſſet inter ſtatuam & voluntatem. Atque hinc facilè poſſunt conciliari ſenten tiæ de libertate, Eccleſiaſticus inquit, Deus

Libertati voluntatis ſubſunt res ſubiectæ naturali cognitioni.

Scripturæ ſacræ concedunt hominibus libertatem volũtatis, quam ei tribuunt philoſophi.

Volũtas per naturam ciuilem iuſtitiam efficere poteſt, per ſpiritum ſanctum affect⁹ ſpirituales.

Probat ſententiam Auguſtini & patrum de libero arbitrio.

reliquit hominem in manibus conſilij ſui. Dico voluntatem in pijs actionibus & conatibus non eſſe ocioſam, ſed tamen adiuuandam eſſe à ſpiritu ſancto, ita fit veri⁹ libera. Et in cap. præcedente quod eſt de cauſa peccãti & contingentia. Eſt autẽ hæc pia & vera ſententia vtraque manu, ac veriùs toto pectore tenenda, quòd Deus non ſit cauſa peccati, & quod Deus non velit peccatum: ſed cauſæ peccati ſunt voluntas diaboli & volũtas hominis, quæ ſua libertate abuti potuit ſeque à Deo auertere. Id quod ex ſcripturis probat. Nec figuræ illæ verborũ, ait, in ſcripturis offendunt, Indurabo cor Pharaonis & ſimiles. Certũ eſt enim Hebraica phraſi ſignificare eas permiſsionem, non volũtatem efficacem, vt, Et ne nos inducas in tentationem, id eſt, ne ſinas nos induci. Conſtituta autem hac ſententia quòd Deus non ſit cauſa peccati, planè ſequitur contingentiã concedendam eſſe. Quia enim peccatum propriè à voluntate diaboli & hominis ortum eſt, nec Deo approbante aut cogente voluntates noſtras factum eſt, ideò nequaquam eſt neceſſariò factum neceſsitate abſoluta. Et quidem voluntas noſtra ante peccatum verè libera fuit: Eſt autem libertas volũtatis cauſa contingentiæ noſtrarum actionum. Hæc ratio ſumpta à cauſa peccati, opponenda eſt alijs rationibus, quæ omninò tollunt contingentiam, quæ in curioſis ingenijs ſæpè magnos tumultus excitant. Deinde concedendum & hoc eſt, quod ſcriptura tribuit homini nunc etiam poſt peccatum, libertatem aliquam diligendi ea quæ ſunt ſubiecta rationi ad ciuilem iuſtitiam efficiendam. Sicut igitur Deus vniuerſam naturam condidit, ita condidit etiam hoc naturæ donum ceu modum agendi, videlicet libertatem: Eſt autem libertas, vt dictum eſt, fons contingentiæ in actionibus humanis. Ergo contingentia præuidet Deus ac determinat, ita vt non tollat modum agendi inditum naturæ, ſed determinat actiones ſicut fiunt: permittit vt voluntas Saulis ſic agat, & non impellit vt agat ſecus, & decernit vbi Saulem repreſſurus ſit. Sicut autem creatio ipſa non poteſt intelligi & iudicari ab vlla creatura, ita hæc neque perſpici poſſunt, quomodo maneat libertas, cùm & Deus impartiat naturæ vitam & vires, & determinet contingentia: nec ſatis hæc expiicari poſſunt. Ideò defendenda eſt contingentia, ne Deum faciamus authorem ſeu cauſam peccati. & libertas donum Dei eſt ſeu ordinatio Dei in voluntate. Quare etiam ſi præuidet Deus & determinat contingentia, tamen ita determinat ne modum agendi voluntatis ſeu ordinationem ſuam tollat. Cæterùm illa diſtinctio neceſſaria eſt, Neceſsitatum alia eſt conſequentis ſeu abſoluta, qualis eſt hæc, Neceſſe eſt Deum eſſe, Deũ eſſe bonum, iuſtum, &c. alia eſt conſequentiæ, vt oportet euerti Hieroſolymã. Hęc nõ ſunt natura ſua neceſſaria, ſed fiunt immutabilia poſtquam decreta ſunt, vt quod mortui reuiuiſcent: Vel

In pijs actionibus & conatibus voluntas ſuam habet actionẽ adiuuante ſpiritu Chriſti.

Conſentit Philippus articulo.

Toto pectore tenenda ſententia, quòd Deus non eſt cauſa peccati.

Permiſsio ſignificatur non operatio Dei, quando dicitur, Indurabo cor Pharaonis.

Contingentia concedẽda in actionibus humanis.

Curioſa ſunt ingenia quæ tollunt contingentiam & magnos excitant tumultus.

Præſcientia Dei non tollit modum liberè agendi inditum naturæ.

Concordia liberi arbitrij & præſcientia Dei determinantis contingẽtia ſuperat humanam intelligentiam.

Vel quia ſequuntur propter præcedẽtes cauſas, vt oportet hæreſes eſſe. Quia enim diabolus odit Deum & incitat impios contra euangelium qui obſequuntur, ideò oportet hæreſes eſſe. Hæc ſunt naturæ contingentia. Neque enim hæc conſequentia libertatem voluntatis tollit. Nec inuehenda ſunt in Eccleſiam deliramenta de Stoico fato aut de néceſsitate. Nihil enim habent veri aut firmi, ſed ſunt meræ præſtigiæ, ac ſophiſticæ coaceruationes. Deinde non eſt obſcurum, quãtum hæc opinio noceat pietati & moribus, ſi ſic ſentiant homines, vt Zenonis ſeruulus dicebat, nõ debere ſe plecti, quia Stoico fato coactus eſſet peccare. Ab his opinionibus decet pios auribus & animis abhorrere.

Determinatio Dei circa contingentiã non tollit modum liberè agendi.

Neceſſaria eſt diſtinctio neceſsitatis conſequẽtiæ ſeu abſolutæ & conſequentiæ.

Ex his manifeſtum eſt, quod Philippus Melanchthon vniuerſam ſuam ſententiam locorum communiũ anni 21. ſimul & magiſtri ſui Martini Lutheri opinionem, tanquam impiam & pietati atque moribus peſtilentem reuocauit in locis poſtea excuſis, & multò apertius Epitome moralis philoſophiæ impreſſa anno 36. Recãtauit etiam locum citatum ex annotationibus in epiſtolam ad Roman. quòd proprium Dei òpus ſit Iudæ proditio, ſicut Pauli vocatio, quodq́ue Deus mala operatur, vt Dauidis adulteriũ: quem paſſus non eſt manere in operibus impreſsis anno 41. imò vniuerſum ſuſtulit. In Epitome autem probat & ſequitur doctrinam quam Ariſtoteles tradit in Ethicis: & primò de fine naturæ humanæ dicit quod philoſophia conſtituit eius finem obedire rationi, theologia obedire Deo, ex quo oriri dicit, quòd finis ſit obedire rationi. Significat enim Ariſtoteles hominem regi debere ea parte, ratione videlicet, quia naturæ conditor hanc velut gubernatricem cæteris præfecit. Sit igitur finis hominis iuxta philoſophiam obedire rationi: ſed magis philoſophicum eſt conſtituere eundem finem quẽ lex Dei conſtituit, ſcilicet obedire Deo. Nam philoſophia & recta ratio ſtatuere debet finem hominis eſſe, obedire Deo, cùm intelligat Deum eſſe conditorem iuſtum, Deoq́ue parendum eſſe, & homines propter Deum eſſe conditos, ſicut ſanctiſsimè dixerunt Stoici omnia condita eſſe hominũ cauſa, homines verò deorum cauſa. At ſecundum euangelium finis hominis eſt agnoſcere & accipere miſericordiam oblatam propter Chriſtum, viciſsim pro illo beneficio gratum eſſe, Deo obedire, & eius gloriam illuſtrare. Cùm autem philoſophia pars ſit legis diuinæ, pertinent etiam præmia ad has virtutes ſcilicet ciuiles ac morales, quæ in philoſophia traduntur. Proinde diligenter meminerimus Deo reddere præmia his ciuilibus beneficijs, & punire flagitia: ſicut ipſæ gentium hiſtoriæ & ſapientum ſentẽtiæ teſtantur, quales ſunt, Habet Deus vindicem oculum, & Sophocles, in iuſto eſt ſpes ſalutis. Et demonſtrat finem hominis eſſe virtutis actionem, & rectæ rationi obedire. De virtutis definitione, inquit, quam tradit Ariſtoteles, Virtus eſt habitus electiuus quẽ mediocritatẽ efficit, quam ratio præſcribit ſicut ſapiens iudicat, dicit, quòd in ea ſingularis eruditio & prudentia Ariſtotelis conſpici poteſt, quæ definitio reipſa conuenit cum alia, quæ dicit quòd virtus eſt habitus, qui inclinat voluntatem ad obediendum rectæ rationi: ſed illa, inquit, addit effectum virtutis, eſtq́ue eius ſententia: Virtus eſt habitus quo voluntas obtẽperat rationi & efficit mediocritatem in affectionibus & actionibus. Eſt & prudentiſsimè ab Ariſtotele addita rationis deſcriptio, Vt ſapiens iudicat: quia non debet valere iudicium imperitorum, ſed periti artifices iudicare debent. Deinde docet quid Ariſtoteles vocet habitum electiuum. Et tractans de humanæ voluntatis libertate, Cùm præcipua, inquit, cauſa virtutis ſit voluntas, neceſſe eſt quærere an ſit libera, hoc eſt, an poſsit obtemperare rationi rectè monenti. Suprà autem iam aliquoties dixi procul fugiẽdas eſſe nouas opiniones, præſertim ſi noceant moribus. Quare & in hac quæſtione prudentia adhibenda eſt, ne quas amplectamur opiniones in vtrãque partem, quæ aut moribus noceant aut beneficia Chriſti obſcurent. Porrò ingenia turbulenta multas finxerunt contentiones, quæ ex quibus fontibus oriantur, & quos habeant prætextus, paulò poſt dicemus. Prius enim ſimplicem & veram ſẽntentiam proponam. Sic igitur ſentiendum eſt ſine vlla dubitatione, quod humana voluntas aliquo modo libera ſit, hoc eſt, quòd poſsit obtemperare iudicio rationis, expetere aut fugere res oblatas, & imperare inferioribus membris ac viribus, in externis actionibus. Docẽt enim & ſacræ literæ quãdam eſſe humanam ſeu legis iuſtitiam, quam homines efficiunt proprijs naturæ viribus. Neceſſe eſt igitur in hominibus delectum quendã & libertatem eſſe, qua ſibi officia legis imperẽt, cùm conſtet eos alioqui poſſe contrarias actiones facere. Altera ratio ſumitur ab experientia, quæ in cõmuni vita teſtatur homines libertatem quãdam & delectum habere, vt etiam in artibus apparet: Videmus homines poſſe applicare animos ad certas artes, & in illis aſſueſieri. Præterea Deus vult legibus & diſciplina coerceri homines, quorſum autem opus eſſet legibus, ſi prorſus non poſſet obſequi voluntas? Hæ rationes & pleræq; aliæ ex ſacris literis & experientia deſumptæ nõ obſcurè teſtantur aliquam eſſe humanæ voluntatis libertatem. Sciendum eſt autem alios bifariam detrahere libertatem hominibus, quidam omiſſa naturæ humanę conſideratione reſpiciunt ad diuinam gubernationem, & diſputant omnia neceſſariò fieri, quia regũtur Dei conſilio: ſed hæc ratio nequaquam tollit libertatem humanæ voluntatis, quia Deus gubernat naturas pro ipſarum conditione, aliter mouet rationales naturas, aliter brutas. Nam vtraſque condidit, & ſuum modũ agendi addidit vtrique. Ideò ſeu

Opinio neceſsitatis humanarum actionum nocet pietati & moribus.

Philoſophia & recta ratio docent finem hominis eſſe obedire rationi propter Deum & Deo primum.

2. Ethicor. Virtus eſt habitus mediocritatem efficiens in affectibus & actionibus.

Abſurda & fugienda eſt opinio quæ actionibus humanis tollit libertatẽ.

Simplex & vera ſententia de libertate arbitrij ſecundum Philippum.

Ex proprijs naturæ viribus iuſtitiam legis ſiue moralẽ homo poteſt efficere ſine auxilio gratiæ.

Chriſtiana doctrina à philoſophia & humana ratione non diſſentit, ſed magis ſubſeruit.

Gubernatio Dei non tollit humanæ voluntatis libertatem.

Abſurda imaginatio Vallæ.

ſeu Stoicas illas de fato, ſeu Vallę abſurdas imaginationes, quę propter diuinam gubernationem adimunt libertatem voluntati, fugiamus. Altera ratio eſt tollendæ libertatis ipſa naturæ imbecillitas. Etſi enim ſunt in natura hominis aliqui boni affectus & rationi conſentientes, tñ propter viciũm originis acceſſerunt & alij vicioſi & contrarij affectus, qui rapiunt homines ad turpitudinẽ. Plerumque enim propter imbecillitatẽ magis obtẽperãt homines affectibus, quã rectæ rationi. Sæpe etiam diabolus impellit homines ad flagitia. Habet enĩ impios in poteſtate: ſed hæ partiales cauſæ nõ pęnitus tollunt libertatem voluntatis. Hanc in natura hominis diſcordiam valde mirati ſunt Philoſophi, nec tantam hominis infirmitatem ratio perſpicere potuit, ſed doctrina Chriſtiana cauſas & fontes huius mali oſtendit, monſtrat etiam auxilium aduerſus hoc malum. Ideo fateri prudentes coguntur hoc loco mancam eſſe Philoſophiam. Ac prodeſt bonis mentibus hoc loco conferre doctrinam Chriſtianã & Philoſophiã. Non volo miſceri & confundi hęc doctrinæ genera: collatiõ iuuat. Obſeruandum eſt enim quouſq; progredi ratio ſeu philoſophia poſsit: Videndum quæ beneficia Chriſtus attulerit. Illud etiam gratiſsimũ eſt bonis, intelligere quã placeat Deo hæc diligentia in componendis moribus, de qua præcipiunt Philoſophi, & quòd hanc diligentiam Spiritus ſanctus adiuuat. Quanquam igitur actiones ciuiles aliquo modo ſunt in poteſtate noſtra, tamen quia ſępe vincuntur naturali animi imbecillitate, aut à diabolo impellũtur ad aliquod facinus, diſcamus hic duas cauſas externarum honeſtarum actionum in pijs ſcilicet diligentiam noſtram, & auxilium Spiritus ſancti, quod vero pectore petere debemus, vt reſiſtere diabolo & vincere imbecillitatem noſtram poſsimus. Nam in his actionibus externis certè diligentia noſtra ſeu conatus aliquid valet, & illa ipſa moderatio, & ſuauitas multò verius efficitur, cum illa cœleſti luce animus perfunditur, & fit tranquillior cùm Deum agnoſcimus, & ab eo auxilium petimus, noſque ei ſuijcimus, & in ipſo acquieſcimus. Hæc ſententia de libero arbitrio, ꝙ ad has actiones attinet, eſt vera, pia & vtilis moribus Acuit enim curam & ſtudium bene operandi, & tamen admonet auxilium Dei petendum eſſe. Cæterum de mõribus ſpiritualibus de quibus concionatur euangelium, profectò etiam ſentiendum eſt nos non debere repugnare Spiritui ſancto monenti, aut verbo Dei, non indulgere imbecillitati noſtræ, ſed nos excitare verbo Dei atque aſſentiri, quod cũ facimus, noſq; verbo erigim⁹, efficax eſt Spiritus ſanctus. Et prædicatio pœnitentiæ & promiſsio euangelij eſt vniuerſalis. Itaque viderimus ne repugnemus Deo vocanti & monenti. Hoc modo quum à verbo Dei ordimur, facilè intelligi poteſt concurrere has cauſas, Verbum Dei, Spiritum ſanctum & voluntatem, quæ adiuta à Spiritu ſancto repugnat naturali imbecillitati, & ſuſtentat ſe verbo Dei: ſicut ille apud Marcum inquit, Credo Domine, ſed adiuua incredulitatem meã. In hoc certamine conſtat humanam volũtatem poſſe eijcere verbum Dei. Itaque cum retinet adiuta à Spiritu ſancto, certè ipſa ſecum luctatur, nec eſt prorſus occioſa. Et quanquam in his diligentia noſtra aliquid valet, tamen ſciamus auxilium Dei petendum eſſe, vt reſiſtere valeamus diabolo.

In natura hominis poſt peccatũ ſunt aliqui affect⁹ boni.

Philoſophi cauſam infirmitatis naturæ perſpicere nõ potuerũt.

Manca eſt Philoſophia.

Voluntas adiuta à Spiritu ſancto repugnat naturali imbecillitati.

Humana voluntas poteſt eijcere verbum Dei & retinere.

Docet etiam per virtutem internos hominis affectus moderari ac dirigi, eoſque ſubeſſe libertati voluntatis.

In hac autem retractatione & doctrina Philippi, nihil fere eorum deſiderari poteſt quæ ſana fides ſanctaq; ſcriptura tradit de libertate arbitrij & gratia Dei, ſed omnia patrum traditioni noſtroque articulo conſentiunt. Idem etiam docet articulus 18. confeſſionis Auguſtanæ & eius Apologia: quamuis hæc falſa quædam admiſceat, & doctoribus ſcholaſticis imponat, quæ nunquam ſcripſerunt. Et cum Philippus retractet & euertat fundamenta impij erroris, quem in locis anni 21. aſſerit, ſuperuacaneum eſſet eadem tractare & rationibus oppoſitis reſpondere. Quod enim ex Apoſtolo citat, Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Item, Deus operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, nihil facit contra libertatem voluntatis: quia (vt ipſe reſpõdet) Deus hæc operatur per hominis voluntatem; ſaluo modo liberè operandi, qui naturaliter ex Dei dono ei eſt inditus. Et generalis cura patris & prouidentia à Saluatore ſignificatur, quando dicit paſſerem non cadere ſuper terram ſine patre noſtro. Prouidentiam autem & prædeſtinationem idem Philippus docet non derogare libertati voluntatis, imò nec determinationem voluntatis diuinæ circa rerum contingentiam: quod clarius adhuc explicat in locis anni 45. vbi ait, Quod Deus dicitur determinare contingentiam, diſcrimen tenendum eſt: aliter determinat ea quæ vult, aliter illa quæ non vult: aliter quæ partim ipſe facit, partim voluntas humana: Præuidet Deus delicta Saulis, ſed non vult ea nec impellit eius voluntatem, ſed permittit vt voluntas Saulis ita graſſetur. Hæc igitur pręuiſio non adfert neceſsitatem, nec mutat in voluntate hominis modum agendi, In his locis latiſsimè & apertiſsimè proſequitur & complectitur vniuerſa quæ ex alijs locis anni 36. & 38. & Epitome ſunt citata. Reſpondet etiam ſcripturis quæ contra voluntatis libertatem facere videntur. Nã ſententiam Hiere. 6. Scio domine quod non eſt hominis via eius, nec eſt viri dirigere greſſus ſuos, intelligendam dicit de euentu ſeu ſucceſſu, non de electione voluntatis. Reſpõdet præterea ad dictũ Apoſt. ad Ephe. 1. Electi ſecundum propoſitum eius, qui facit omnia ſecundum conſilium voluntatis, & 1. ad Corin. 12. Idem eſt Deus agens omnia in omnibus. Loquitur enim (vt rectè dicit)

Rom. 11.

Philippus.

V Apoſt.

Apoſt. de ſalutaribus actionibus, quas Deus excitat & regit in Eccleſia ſua, nec excludit Dei operatio naturalem modum agendi liberi arbitrij.

Reſponſio ad argumenta Luth. contra actiuitatem voluntatis.

AD ea quæ adducit Martinus Lutherus contra voluntatis actiuitatem, facilis patet reſponſio ex ſuperioribus. Oſtēſum eſt enim quòd credere, ſperare, diligere, & reliqui virtutum actus, adiuuante ſpiritu Chriſti, in noſtra ſunt poteſtate, & à nobis efficiūtur. Dedit enim poteſtatē filios dei fieri his qui credunt in nomine eius. Et ſecūdum ſententiam domini Saluatoris facere poſſumus arborem bonam & malam, & facere nobis cor nouum. Nemo enim credit, ſperat aut diligit, niſi volens, & ex ſuę volūtatis libertate potens ceſſare & non operari. Et quamuis amorem ſalutis noſtræ eiuſq; complacentiam plerumque nobis inſpiret, & ſuggerat ſalutares cogitationes Deus, non tamen actus fidei, ſpei, charitatis, aut virtutum ſine nobis operatur, cùm ex conſilio, deliberatione, & rationis prudentia neceſſariò proficiſci debeāt. Et quamuis ſine nobis, hoc eſt noſtro libero arbitrio huiuſmodi cogitationes, ſalutareſq; affectus immittat, veriſimilius tamen eſt, quòd actiuè ſe habeant intellectus & voluntas. Nec tamen tunc liberè, ſed naturaliter ab ijs procedunt. Eſt enim cogitare propria operatio intellectus, & voluntatis amare. Et ideo ab his potentijs producuntur, ſicut calefacere ab igne. Et tametſi ſint raptus & ductus verbi Dei, non tamen propterea prohibentur eſſe operationes potentiarum quæ illas efficiunt. Dicit enim beatus Auguſtinus lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagian. A patre trahimur, vt velimus. Ad hoc itaque etiam ducimur & rapimur. Ita enim habet, Non ait Saluator, Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me duxerit eum: ne aliquo modo intelligamus voluntatem præcedere, ſed dicit, Niſi pater traxerit eum. Quis trahitur ſi iam volebat? & tamen nemo venit niſi velit. Trahitur ergo miris modis vt velit, ab illo qui nouit intus in ipſis hominum cordibus operari, non vt homines quòd fieri non poteſt, nolentes credant, ſed vt volentes ex nolentibus fiant. Horum autem operum Dei effectus quidem ſunt purgatio & renouatio mētis. Fide inquit B. Petrus, corda eſt purificans: non autem ipſa opera propriè ſunt purgatio mentis. Ea tamen ratione dici poſſunt paſsiones, quia in his viribus animæ recipiuntur, & ſunt actus immanentes principio à quo proficiſcuntur: propriè autem ſunt operationes quas efficiūt. Nec ſimile eſt quod Martinus de luto figuli adducit, quia lutum omnino paſsiuè & receptiuè ſe habet ſine actiuitate formę quę ei affingitur, nec vlla ei operatio imprimitur, ſed forma ſiue figura tantum. actus autem virtutum interni, videlicet intelligere, cognoſcere, aſſentiri, ſperare & diligere ſunt actus vitales intellectus & voluntatis. Similiter dicendum eſt de altera ſimilitudine quam de gladio adfert, qui recipit motum & vim inſtrumentaliter actiuam reſpectu vulneris. Nam hic motus & vis impreſſa non eſt operatio à gladio procedens, ſed aliunde extrinſecus impreſſa. Maior eſſet ſimilitudo motus grauis deorſum à proijcente procedens, ad quem cooperatur natura & grauitas eius: ſicut in actibus virtutum cum Deo operantur intellectus & voluntas. Diximus tamen quòd amor quidam voluntati diuinitùs imprimi poteſt & etiam quoddam velle, ſine libera eius cooperatione: atque probabiliter defendi poſſet quòd etiam ſine eius efficientia quemadmodum & cogitationes: Sed longè aliter ſe habent actus fidei & aliarum virtutum. Et quamuis erroneum ſit, quòd intellectus & voluntas non habeant efficientiam ſuorum actuum, non tamen certò cōſtat eſſe hæreticum. Nam quidam doctores ſcholaſtici hoc ipſum ſunt opinati, ſaluantes nihilominus libertatem voluntatis in vtramque partem contradictionis: vt videre eſt apud Ioan. Scotum, diſtinct. 3. primi Sentent. Sed à minoribus erroribus qui fortaſsis vtcunque defendi poterant, Martinus progreſſus eſt ad maiores, atque adeo peſtilentiſsimas hæreſes. Nec ex Apoſtoli ſententia quam citat ex epiſtola ad Romanos, cōcludi poteſt, quòd non habemus actuum noſtrorū poteſtatem aut dominium. Libera enim & voluntaria eſt hæc ſeruitus de qua loquitur. Liberè enim ſequimur dominū & inclinationem iuſtitiæ & peccati: item ſeruus liberè obtemperat mandatis domini ſui, in poteſtate habens non obtemperare. Hortatur Apoſtolus Paulus Epheſios, & Colloſſenſes, Serui obedite dominis carnalibus, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed vt ſerui Chriſti facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate. Et beatus Bernardus diſtinguit libertatem à peccato & à miſeria, ab ea libertate quæ naturę inſita eſt, quam dicit inamiſsibilem, & libertatem à neceſsitate. Vbi enim, inquit, neceſsitas eſt, ibi nec libertas nec voluntas. Huic igitur libertati oppoſita ſeruitus, non poteſt eſſe in voluntate, eius natura repugnante. Et certum eſt Apoſtolum hoc loco non loqui de hac libertate, nec de ſeruitute ei oppoſita: ſicut nec Saluator de hac ſeruitute naturæ concreata, ſed peccati loquitur, Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Conſiſtit autem hæc peccati ſeruitus in duobus, quorum vnum eſt, non poſſe illud à ſe abijcere, nec eius reatum, nec maculam, nec funes quibus per ipſum ligamur diſſoluere. Eſt enim in poteſtate noſtra facere vel non facere peccatum, factum autem abijcere non eſt in noſtra poteſtate. Hanc ergo ſeruitutem primò incurrit is qui peccat, vt neceſſariò ſubiectus ei maneat conſideratione poteſtatis eius. Hoc modo intelligit hanc Saluatoris ſententiam Bernardus libro de gratia & libero arbitrio. Alterū eſt quòd peccatum remanens in animo dominatur, trahendo ad aliud peccatū,

Ezech. 2.
Auguſtinus de Spiritu et litera c. 13. et ſequentibus Lib. 1 retrac. ca. 22.
Cap. 19.
Cap. 6.
Cap. 3.
Ioan. 8.
Peccati ſeruitus in duabus conſiſtit.

& tanta

& tanta efficacia vt oporteat hominem peccato ſubiectum, niſi pœniteat, denuò peccare: quia animus auerſus eſt ab incõmutabili bono retinente ne peccemus. Eſt enim peccator velut nauis gubernaculo deſtituta, vt habet Chryſoſtomus homil. 22. in Matthæum, & beatus Auguſtinus circa verſiculum, pſal. 77. Immiſsiones per angelos malos. Sed hic tractus vel inclinatio nec neceſſitatem adducit, nec coactionem. Nam beatus Bernardus de hac ſententia loquens, Liberum inquit arbitriũ liberatore indigere Saluator ſignificabat, qui illud liberaret nõ à neceſsitate, quam voluntas (cum eſſet) penitus nõ nouerat, ſed à peccato, in quod tam liberè quam voluntariè corruerat: ſimiliter à pœna peccati: quo vtroque malo liberari omnino non poterat, niſi per illum qui ſol' factus eſt inter mortuos liber. Idem dicendum eſt de ſententia Apoſt. Pauli, 2. Timot. 2. Et reſipiſcant à laqueis diaboli, à quo captiui detinentur ad ipſius voluntatem: Similiter ad dictum Petri 2. epiſtolæ cap. 2. A quo quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt: poteſt tñ effugere & ſe à ſeruitute eximere, vinculaq; diſſoluere qui detinetur Deo adiuuãte quando vult, Quo ſenſu interpretatur ſancta ſynodus Tridentina ſeruitutem peccati cap. 1. quintę ſeſſ. quæ eſt de iuſtificatione.

Ad ea verò quæ adducta ſunt ex aſſertione Martini Lutheri circa art. 36. in qua multis ſcripturis & argumentis conatur ſtabilire impietatem hanc, quod nulla eſt humani arbitrij libertas: & aliam quòd homo faciens quod in ſe eſt mortaliter peccat, quodq; ad gratiam ſe nemo præparare poteſt, copioſe atq; catholicè reſpõdet clariſsimus Chriſti martyr Ioan. Epiſcopus Roffenſis. Quare ea hic repetere, quæ in omnium manib' sũt operæpreciũ nõ eſt, & plurimis eius argumentis etiam reſpondet Philippus Melanchthon, vt ſuperius videre licet. Nobis iã ineũda eſt diſputatio cum Ioanne Caluino qui abſurdiſsimam impietatẽ quam docuit Mar. Luthe. reſuſcitat, & nouis ſcripturis atq; argumentis eam probare molitur: nihil deterritus quòd nouerit Philippum & Confeſsionem Auguſtanam principũ & ſtatuum imperij, ab ea tanquam impia receſsiſſe, & iam doctrinam omnino contrariam proponere & confiteri. Huius ergo ſententias & argumenta ſimul cum noſtra reſponſione in medium adferemus. Ioannes Caluinus poſt Mart. Luthe. docet cap. 2. Iuſtificationis ſuæ, nullum eſſe in homine liberum arbitrium, per quod in noſtra ſit poteſtate agere & non agere, ne in indifferentibus quidem, & his quæ ſunt ſenſui & rationi ſubiecta: propter quod nomen ipſum liberi arbitrij tanquam fidei & moribus pernicioſum cenſet abolẽdum, Ait enim.

Cenſo cauendas eas voces quæ abſurdum aliquid ſonãt, præſertim vbi pernicioſe erratur. Quotus autem quæſo quiſque eſt qui dum aſsignari homini liberum arbitrium audit, non ſtatim concipit illũ eſſe & mentis ſuæ & voluntatis dominum qui flectere ſe in vtramuis partem à ſeipſo poſsit, & euehitur in exitialem confidentiam? Quod ſi nos patrum authoritas mouet, qui aſsiduè in ore habent vocabulum, ſimul tamen declarant quanti faciant illius vſum. In primis Aug. qui non dubitat ſeruum appellare, alicubi ſuccenſet quidem aduerſus eos qui liberum negant arbitrium, ſed præcipuam dicit rationem, cum ait, Tantumne audeat quiſquam ſic negare voluntatis arbitrium, vt velit excuſare peccatum: At certè alibi fatetur ſine ſpiritu non eſſe liberam hominis voluntatem, quũ cupiditatibus vincientibus ac vincẽtibus ſubdita ſit. Item victam vitio in quod cecidit voluntate, cœpiſſe carere libertate naturam. Item hominem libero arbitrio malè vſum & ſe & arbitrium ſuum perdidiſſe. Item liberum arbitrium captiuatum. Similes ſententias habes lib. 3. contra duas epiſtolas Pelagianorum & li. 1. ca. 3. & lib. 3. cap. 7. De verbis Apoſtoli ſerm. 3. & cap. 30. de ſpiritu & litera, poſtquam oſtendit liberum arbitrium conſtitui per gratiam, acriter in eos inuehitur qui ſibi illud arrogant ſine gratia. Vt quid, inquit miſeri homines de libero arbitrio audent ſuperbire antequam liberentur, aut de ſuis viribus, ſi iam liberati ſunt? nec intelligunt in ipſo nomine arbitrij vtique libertatem ſonare: vbi autem ſpiritus domini, ibi libertas. Si ergo ſerui ſunt peccati, quid ſe iactant de libero arbitrio? A quo enim quis deuictus eſt huic & ſeruus additus eſt. Si autem liberati ſunt, quid ſe iactant velut de opere proprio? An ita liberi ſunt, vt nec ſerui eius eſſe velint qui dicit, Sine me nihil poteſtis facere? Et alio loco iocoſè eludere videtur huius vocis vſum, quum dicit liberum quidem eſſe arbitrium, ſed non liberatum: liberum quidem iuſtitiæ, ſed ſeruum peccati. Itaq; ſi quis vocis huius vſum non praua intelligentia ſibi permittat, per me quidem non vexabitur ob eam rem, ſed quia ſine ingenti periculo nõ poſſe retineri cenſeo, magno contra Eccleſiæ bono futurum ſi aboleatur, neque ipſe vſurpare velim, & alios, ſi me conſultant, abſtinere optarem.

Lib. 1. cõtra Iulianum.

Homil. 53 in Ioan.

Ad Anaſtaſium epiſto 144. Enchirid. 30.

Cap. 8:

De corrept. et gratia. c. 13.

Mirum eſt Ioannem Caluinum ex Auguſtino aliquid citare audere contra vocem & rem liberi arbitrij, qui ipſe ea vtitur frequentiſsimè, & pronunciat catholicum non eſſe quiſquis liberũ arbitriũ eſſe negauerit, ipſumq; in hominibus eſſe, certa fide credendum & prædicandũ indubitanter. Oportebat eum memorem eſſe, ipſi Auguſtino hæc obijci à Iuliano Pelagiano, vt teſtatur ipſe lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum.

Reſponſio.

Cap. 2.

Dicunt, inquit Iulianus, illi Manichæi quibus modo non cõmunicamus (vocat Auguſtinum & catholicos Manichæos) quod primi hominis peccato liberum arbitrium perierit, & nemo iã poteſtatem habeat benè viuendi, ſed omnes in peccatum neceſsitate carnis ſuæ cogantur. Cui reſpondet, Quis noſtrum dicat quòd primi hominis pecca-

Manichæi non negabãt ſpontaneam voluntatis inclinationẽ in bonum & in malũ. ſed liberam li-

[illegible]to perierit liberum arbitrium de humano genere: libertas quidem perijt per peccatũ ſed illa quæ in paradiſo fuit, habendi plenam cũ immortalitate iuſtitiam: Quapropter natura humana, diuina indiget gratia, dicente Domino, Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis: Nam liberum arbitrium vſque adeo in peccatore nõ perijt, vt per illud peccent maximè omnes qui cum delectatione peccãt & amore peccati hoc eis placet quod eis libet. Quum itaq; non bene viuant homines, niſi effecti filij Dei, quid eſt quòd iſte libero arbitrio vult bene viuendo tribuere poteſtatem, cum hæc poteſtas non detur niſi gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, dicẽte euangelio, Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, quæ proſequitur cap. ſequenti, vbi ſe apertiſsimè declarat, & ſententias quas citat Cal. oſtendit ſe intellexiſſe de libertate quę eſt poteſtas benè & iuſtè viuendi, quam Iulianus docebat eſſe libero arbitrio naturalem & eſſe proprietatem ab homine inſeparabilẽ: ſicut ſunt intellectualitas & ſenſibilitas. Ipſe autem ex ſcripturis docet eam poteſtatẽ libero arbitrio nõ competere niſi per gratiam Chriſti. Diximus enim ſuprà ſecundum diſtinctionem Beati Bernardi triplicem eſſe libertatem: à miſeria, à peccato, & à neceſſitate: quarum poſtremã Bernardus manere dicit vbi eſt mentis captiuitas. De hac autem quæ eſt poteſtas iuſtè viuendi, loquũtur ſcripturæ quas citat Beatus Auguſtinus, vt docet idem Beatus Bernardus, & ipſæ authoritates manifeſtè inſinuant. Ait enim libro de Spiritu & litera, Liberum ergo arbitrium euacuamus per gratiam? Abſit, ſed magis liberum arbitrium ſtatuimus. Sicut enim lex per fidem, ſic liberum arbitrium per gratiã non euacuatur, ſed ſtatuitur. Neq; enim lex impletur niſi libero arbitrio, ſed per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratię contra peccatum, per gratiam ſanatio animę à vitio peccati, per animæ ſanitatem libertas arbitrij, per liberum arbitrium iuſtitiæ dilectio, per iuſtitiæ dilectionẽ legis operatio: gratia ſanat voluntatem qua iuſtitia liberè diligatur: lex dicit, Non concupiſces: fides dicit, Sana animam meam, quoniã peccaui tibi: gratia dicit, Ecce ſanus factus es, iã noli peccare: ſanitas dicit, Domine Deus meus clamaui ad te & ſanaſti me: liberum arbitrium dicit, Voluntariè ſacrificabo tibi: dilectio iuſtitiæ dicit, Narrauerunt mihi iniuſti dilectiones, ſed non vt lex tua. Habent enim hæc omnia voces ſuas in ſcripturis ſanctis. Et libro 4. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 6. Quid mihi obtendis liberum arbitrium quod ad faciendam iuſtitiam liberum non erit niſi ouis fueris. Qui facit igitur oues homines, ipſe ad obedientiam pietatis humanas liberat voluntates. Vbi manifeſtum eſt, ſicut & in alijs ſentẽtijs iam citatis de libertate arbitrij, quæ ſit eius ſanitas, nempe qua poſsit iuſtitiam diligere & implere legem, quæ eadem eſt cum libertate habendi plenam cum immortalitate iuſtitiam, non autem de ea de qua Apoſtolus Paulus dicens, Qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſsitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, &c. & alio loco, Nunquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi? & ſi alij poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos? ſed non vſi ſumus hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum ponamus euangelio. Occaſio certè & cauſa ſcribendi, & hæreſis Iuliani atque etiam Pelagij aduerſus quam ſcribit libris illis vnde deſumptæ ſunt ſententiæ prædictæ, docere poterant Ioan. Caluinum Auguſt. loqui de libertate arbitrij, quæ eſt poteſtas rectè & ſine peccato viuendi, quæ eſt per gratiam Chriſti, & amittitur quando per peccatum mortale gratia aufertur: non autem de ea quæ eſt poteſtas agendi ac volendi & ceſſandi, de qua loquitur libro de lib. arbi. & alijs quos ſcripſit ante natam hæreſim Pelagianam, & libro 1. retract. quos conferre oportebat cũ alijs libris quos aduerſus Pelagium ſcripſit, & inter ſe conciliare: quemadmodum ipſe facit caput 9. 22. & 26. libro 1. retract. Erat enim (vt ſcribit B. Auguſtinus) hæreſis Pelagij, quòd gratia qua prædeſtinati ſumus in adoptionem filiorum, & qua eruimur de poteſtate tenebrarũ, vt in eũ credamus, atq; in regnum ipſius transferamur, & qua diffunditur charitas in cordibus noſtris, nõ ſit neceſſaria ad hoc vt faciamus omnia diuina mandata, ſed nos hoc poſſe per liberum arbitrium: gratiam autem Dei ſine qua nihil boni poſſum⁹, docet eſſe in libero arbitrio, Deo tantum adiuuante per ſuam legem atque doctrinã, vt diſcamus quæ facere & quæ ſperare debeamus: charitatem dari negat qua piè viuitur, vt ſcilicet cum ſit Dei donũ ſcientia quę ſine charitate inflat, non ſit Dei donum ipſa charitas, quæ vt ſcientia non inflet ædificat: Sic tamen liberum arbitrium (quale accepimus in primo parente, & docebat in nobis omnibus manere Pelagius) ſcribit B. Auguſtinus perijſſe per peccatum, hoc eſt eam libertatem quæ eſt poteſtas ſine peccato, iuſteq; viuendi, credendi, ſperandi & diligendi ſecundum præſcripta Saluatoris. Nũc audiamus quid deterreat Caluinum ab vſu huius nominis ſcilicet arbitrij.

Quotus, inquit, quiſque eſt, qui dum aſsignari homini liberum arbitrium audit, non ſtatim concipit illum mentis ſuæ & voluntatis dominum, qui flectere ſe in vtramuis partem à ſeipſo poſsit?

Sed vt quis hoc concipiat atque firmiter credat ſecundum ſcripturas & omnium maiorum concordem traditionem, frequentem oportet eſſe vſum huius nominis. Dixit enim Dominus ad Cain, Quare iratus es & cur concidit facies tua? Nõnne ſi bene egeris recipies, ſi autem male, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit? ſed ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Item de patrefamilias dicit Apoſtolus, Poteſtatẽ habens

[Margin notes, left column: [illegible] generis: docebat autem neceſſarió eſſe ferri in bonũ & in malũ, et ob hãc cauſam Iulian⁹ Auguſtinum vocat Manichæum. — Cap. 30.]

[Margin notes, right column: 1. Corinth. 7. — 1. Corinth. 9 — Ca. 88 de hæreſibus 6. — Geneſ. 4 — 1. Cori. 7.]

bens voluntatis ſuæ. Et frequens eſt apud Auguſtinum, nihil tam in noſtra eſſe poteſtate, quam ipſam voluntatem. Nec vllum eſt periculum exitialis confidentiæ, ſi arbitriū noſtrum liberum eſſe dicatur in volendo & operando: quin potius, vt dicit Beatus Auguſtinus periculum eſt ſi hoc negetur: ne nimia noſtræ voluntatis diffidentia eijciamur in negligentiam. Audiam inquit Dominum dicentem, Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua, ne ſic exiſtimemus fidem noſtram eſſe in libero arbitrio, vt diuino nō egeat adiutorio. Audiamus & euangeliſtam dicentē, Dedit eis poteſtatē filios Dei fieri, ne omnino exiſtimemus in noſtra poteſtate non eſſe quòd credimus: verum tamen in vtroq; illius beneficia cognoſcamus: Ne audeat quis liberum arbitriū ſic defendere, vt nobis orationem qua dicimus, Ne nos inferas in tentationem, conetur auferre. Rurſus, ne quiſquā neget voluntatis arbitrium & audeat excuſare peccatum. Sed audiamus dominum præcipientem & opitulantem, iubentem quid faciamus: & adiuuantem vt implere poſſimus. Nam & quoſdam nimia ſuæ voluntatis fiducia extulit in ſuperbiam, & quoſdam nimia ſuæ voluntatis diffidentia deiecit in negligentiam. Vtraq; ex parte periculū eſt. Eſſet autem iuſta peccati excuſatio ſecundū beatum Auguſtinum, ſi vitari non poteſt, ſi liberum non eſt abſtinere. Quis enim peccat in eo quod nullo modo caueri poteſt? Vſque adeò peccatum voluntarium eſt malum, vt nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium. Et hoc quidem ita eſt manifeſtum, vt nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat. Tales enim ſeruos ſuos meliores eſſe Deus iudicauit, ſi ei ſeruirent liberaliter: quod nullo modo fieri poſſet, ſi nō voluntate, ſed neceſsitate ei ſeruirent. Quare cap. 19. libri. 3 de lib. arb. explicans quòd dixerat capite præcedenti, neceſsitate facta improbanda, vbi vult rectè facere & non poteſt, quodque per ignorantiam facta quædam improbantur, ait ſic facta dici peccata non propriè, ſed tropo quodam, quia à peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt. Nec eſt confidentia exitialis, nec improbanda gloriatio, ſi in Domini noſtri donis ſiue in Domino gloriemur. Pl' omnibus, inquit Apoſtolus laboraui, non ego, ſed gratia Dei mecū. Item alibi, Omnia poſſum in eo qui me confortat. Non enim Apoſtolus prohibet gloriari, quin potius mandat, vt gloriemur (ſecundum beatum Bernardum) modò in Domino: Quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum. Et tūc laus erit vnicuiq; à Deo, quando veniet Dominus & illuminabit abſcondita cordis. Vt autem ſolida ſit hæc gloria & confidentia, conuenit intelligere quid à Deo vt naturæ & gratiæ authore habeamus, quid item ex vitio naturæ, & quid in eis ſit noſtrum. In donis autem Dei noſter etiam eſt vſus, noſtraque induſtria & libertas in vſu: quamuis horum vtrumque ſit à Deo. Vera igitur huius rei conſideratio, ſecundum quam diffidentiam & inanem fugiamus præſumptionem hæc eſt, ſi intelligamus vſum donorum atque munerum Dei, eſſe quidem à Deo, ſed noſtro vtente miniſterio, induſtria & cooperatione. Gloriari ergo & confidere quòd pietatis opera faciamus quaſi virtute à Deo accepta, in qua ipſe magis quàm ipſi nos operatur, ſolida eſt Deoq; grata gloriatio. Vnuſquiſque, inquit beatus Petrus, ſicut accepit gratiam in alterutrum illam miniſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei: ſi quis loquitur, quaſi ſermones Dei: ſi quis miniſtrat, tanquam ex virtute quam adminiſtrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum. Item propheta, In Deo faciemus virtutem. Diximus autem ſupra (iuxta multorum doctorum ſententiam) quod voluntatem eſſe liberam libertate contingentiæ, tam euidens ſit per experientiam, vt non poſſit per aliquid euidentius demonſtrari. Certiſsimum enim eſt quod colimus agrum, manducamus & bibimus, parentes honoramus, ſubuenimus pauperi quando volumus, eadem etiam negligimus, atq; ab eis ceſſamus quando libet: Ita & liberum eſt vitia deteſtari, homicidium, adulterium, diuitias etiam & honores. Addit Calui. omnes philoſophos omneſque veteres doctores velut à ſuffragij iure depellens, quòd illi ad quos propriè pertinet de anima eiuſque viribus (inter quas potiſsimum eſt liberum arbitrium) tractare, nimium ei tribuerunt: veteres quoq; theologi ita ambiguè, variè & perplexè hac in re locuti ſunt, excepto vno Auguſtino, vt certi quid ex eorum ſcriptis haberi nequeat. De philoſophis ait,

Hoc extra controuerſiā ponunt, virtutes & vitia in noſtra eſſe poteſtate. Nā ſi noſtra, inquit, electionis eſt hoc aut illud agere, ergo & non agere. Rurſum, ſi non agere, ergo & agere. Libera autem electione agere videmur quæ agimus & ab his abſtinere à quib' abſtinemus. Ergo ſi quid boni agim', vbi libeat poßumus illud omittere: ſi quid mali perpetramus, poſſumus illud quoq; fugere.

Quid precor offendere poteſt in philoſophorum doctrina quam certa experientia euidentiq; ratione & nos & ipſi compertam habemus, quam & ſacra ſcriptura & omnes catholici cōſtanter profitentur. Aiunt enim quòd liberi arbitrij nos cōdiderit Deus, nec ad virtutem nec ad vitia neceſsitate tradamur, alioqui vbi neceſsitas eſt corona nō eſt.

De theologis autem veteribus dicit idem Caluinus, *Inter ſcriptores Chriſtianæ profeßionis, tametſi nemo extitit qui non a agnoſceret, & ſanitatem rationis in homine grauiter ex peccato vulneratam & volūtatem prauis cupiditatib' valdè implicatam, multi tamen eorum philoſophis plus æquo acceſſerunt: & hoc conſilio vires humanas b extuliſſe mihi videntur, ne ſi impotentiam diſertè eſſent confeßi, primum philoſophorum ca-*

Tracta. 53. in Ioannem. — *Lucæ. 22.* — *Ioannis 1.* — *Cap. 18. li. 3. de lib arbit.* — *De vera religione ca. 14.* — *Item de duabus animab' cōtra Manichæos ca. 10. & 11.*

1. Pet. 4. — *Pſal. 59.*

Caluinus. — *Ariſto. l. 3. Ethic. cap. 5.* — *Hiero libro 2. cōtra Iouinianum.*

a Agnouerūt ſcriptores Eccleſiaſtici rationem hominis & voluntatē vulneratas, ſed non quantū decet. Caluinus vt nihil boni operis efficere poſſint.

b Pelagius vires liberi arbitrij nimium extulit. Caluinus eius libertatē penitus tollit: fides catholica ita gratiam defendit, vt ſalua maneat arbitrij libertas.

c Communi hominũ iudici cõfitetur abſurdũ eſſe quod homo nõ habeat poteſtatẽ agendi & non agendi.

d Cõcorditer docẽt omnes veteres liberũ eſſe hominẽ arbitriũ, neceſſariũ tamẽ ſuper gratiã, eaq; clariſſime.

chinnos, quibus cum tunc certamen habebant, excuterent: deinde carni ſuapte ſponte nimis ad bonum torpenti nouam deſidiæ occaſionem præberent, ergo ne quidc cõmun: hominum iudicio abſurdum traderent, ſcripturæ doctrinam cum philoſophiæ dogmatibus dimidia ex parte conciliare ſtuduerunt: & Græci præ alijs, atque inter eos ſingulariter Chryſoſtomus, in extollenda humanæ voluntatis facultate modum exceſſerunt: d veteres tamen omnes, excepto Auguſtino, ſic in hac re aut variant aut vacillant aut perplexè loquuntur, vt certi ferè nihil ex eorum ſcriptis referre liceat. Apud Latinos liberi arbitrij nomẽ ſemper extitit: Græci verò multò arrogantius vſurparunt vocabulum αὐτεξούσιον, quod ſignificat ſuiipſius poteſtatem, ac ſi illa eſſet penes hominem. Et quibuſdam interpoſitis. Magnum mihi præiudicium attuliſſe forſan videor qui ſcriptores omnes Eccleſiaſticos excepto Auguſtino, ita ambiguè aut variè in hac re locutos eſſe confeſſus ſum, vt certum quippiam ex eorum ſcriptis haberi nequeat. Hoc enim perinde nonnulli interpretabuntur, quaſi à ſuffragij iure depellere ideo e ipſos voluerim, quod mihi ſint omnes aduerſarij: Ego verò nihil aliud ſpectaui, quàm quod volui ſimpliciter ac bona fide conſultum pijs ingenijs: quæ ſi eorum ſententiam hac in parte expectent, ſemper incerta fluctuabunt: adeò nunc hominem liberi arbitrij viribus ſpoliatum ad ſolam gratiam confugere docent, nunc proprijs ipſum armis inſtruunt aut videntur inſtruere.

e Nimis arrogãter oẽs veteres ſcriptores contẽnis arrogantia tua decepit te & ſuperbia cordis tui. Hier. 49.

f Nemo catholicorum hominem libero ſpoliat arbitrio nec inſtruunt niſi armatura Dei.

Magnum reuera ſuæ ſententiæ præiudicium facit Caluinus, quòd ipſe confitetur à ſe diſſentire in hoc dogmate de libertate arbitrij vniuerſos philoſophos, ad quorũ tamen profeſsionem propriè pertinet tractatio de anima & viribus eius & excepto Aug. veteres theologos vniuerſos, quos tamen cũ Auguſtino conuenire ſuprà oſtendimus in eo quod fidei eſt in hoc argumento gratiæ & liberi arbitrij. Nunquam enim docuerũt aliquam hæreſim Pelagianam. Nec inuenietur aliquis veterũ ſcriptorum vnquam vacillaſſe, ambiguè ſcripſiſſe, vel dubitaſſe, an homo liberum habeat arbitrium. Et ipſe Auguſtinus quem gloriatur ſe habere patronum, apertè pronunciat catholicum non eſſe, qui negat arbitrium in homine eſſe liberum. Et ob impij huius erroris manifeſtam abſurditatem & falſitatem improbabilem, relinquit Philippus Melanchthon magiſtrum ſuum Lutherum, in cuius tamen verba iuraſſe videtur, ac palàm confitetur cum principibus & ciuitatibus proteſtantibus, quod in politicis & ijs quæ ſub ſunt naturalis rationis cognitioni, ſine gratia Dei homo habeat liberum arbitrium, atque cum gratia in his quæ ſunt pietatis & ſalutis. Hæc namq; fides ab Apoſtolorum temporibus ſemper tradita eſt, & in Eccleſia cuſtodita, eamq; vniuerſi doctores Eccleſiaſtici & epiſcopi plebem ſuam docuerunt. Id quod teſtatur lib. 1. de lib. arb. Albertus Pighius de Græcis & Latinis ſcriptoribus, incipiens à B. Clemente, Origene, & Irenæo: Idem oſtendit lib. 3. de B. Auguſt. Item reuerendus pater Alphon. de Caſtro lib. quem aduerſus hæreſes ſcripſit. Hi itaque cum clariſsimè ſuam fidem tradant de libertate arbitrij, falſo Cal. aſſerit in libris ſcriptorum Chriſtianæ profeſsionis de hoc dogmate philoſophico (quod certiſsima fide ſemper in Eccleſia ſuſceptum eſt) eſſe ambiguitatem, varietatem, obſcuritatem, vel perplexitatem. Inueniuntur quidam ante enatam hæreſim Pelagianam de concurſu gratiæ in operibus ſalutis variè & obſcurè ſcripſiſſe, ſed de libertate arbitrij conſtanter & apertè, ſicut ipſe Aug. quem ſolũ de hac re variè egiſſe, & priora poſterius reuocaſſe auſus fuit dicere Melanchthon: id quod tamen poſterioribus in locis recantauit. Nec minus à ſententia Cal. diſſentit beatus Auguſtinus quam reliqui doctores eccleſiaſtici, qui impias certè iudicauit has ſententias, quod nullæ ſunt partes liberi arbitrij in g opere pietatis. (Tunc eni per gratiam tolleretur liberum arbitrium) quodq; h titulus ſine re ſit liberum arbitriũ, ſi intelligatur eligendi facultas quæ ſit in vtramque partem libera & ſoluta: & quòd hoc affirmantes Chriſtum habeant authorẽ qui dicit liberos fore quos filius liberauit, alios eſſe ſeruos peccati: Libertas certè, ait, & ſeruitus contraria ſunt. Scribit enim vt diximus Auguſt. quod catholicus non eſt qui in homine liberum negat eſſe arbitrium. Et argumento huic reſpondetur quòd nõ quælibet libertas cuilibet ſeruituti cõtraria eſt. Nam ſeruituti miſeriæ & peccati ipſe Cal. docet non aduerſari libertatem à coactione, cum hæc naturam voluntatis ſequatur: quãuis enim homo ſeruus ſit miſeriæ & peccati, ſemper tamen, ſecundum eum, à coactione manet liber. Nec minus libertas à neceſſitate ad vnum aliquid determinatè, quæ propria eſt naturali agenti, naturaliter & neceſſario ſequitur liberum arbitrium in actu electionis, qui ꝓpriè eius eſt, & ita manet in voluntate obnoxia peccato & miſeriæ, nec contrariatur ſeruituti iuſtitiæ, peccati vel miſeriæ. Et hanc Saluatoris ſententiam certum eſt loqui de libertate, non ea quæ naturam ſequitur, ſed qua donauit nos Chriſtus, condonando & tollendo noſtra peccata: quã Auguſt. dicit in paradiſo perijſſe, manente libertate quæ ſequitur rationem deliberantem & conſultantem de medijs ad finem. Laborat itaque hæc ratiocinatio Caluini in æquiuocatione, inferendo nullam eſſe in homine libertatem ex eo quòd ex natura ſua non habeat libertatem, qua liberi ſunt filij Dei, ſed ſeruitutem qua obnoxius eſt peccato & ſeruis eius. Non enim in genere, vt diximus, ſunt contraria ſeruitus & libertas, ſed duntaxat ſi ſecundum eandem qualitatem intelligantur: quin potius in genere ſumpta & ſecundum diuerſa ſeſe conſequũtur. Nam liberati atque liberi facti à peccato, eo ipſo ſunt ſerui iuſtitiæ. Cum enim

g Cap. de libertate arbitrij. Cal. in inſtitut. cap. 2. §. 53.

h In antidoto circa cano. 5. ſeſſi. ſextæ. Argumentum Caluini ſophiſticum.

(inquit apoſtol. Paulus) ſerui eratis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ. Nunc verò liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, &c. Et diximus beato Auguſtino hoc argumentum à Iuliano fuiſſe obiectum, & reſpondiſſe illum Iuliano. Nec tacet Apoſtolus Paulus quam hic vocet ſeruitutem: non quidem neceſsitatem, vt ibi ſit neceſsitas (quemadmodum vult Caluinus) vbi ſeruitus. Non enim, inquit Apoſtolus, regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis ei in concupiſcentijs eius. An neſcitis quoniam cui exhibetis vos ad obediendum ſerui eſtis eius cui obediſtis, ſiue peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam. Sequi igitur impetum aut inclinationē peccati vel gratiæ ijſque obedire, eſt ſeruum eſſe, ſiue eis ſeruire. Hoc autem, vt ſępè diximus, in noſtra eſt poteſtate & libertate: & peccatum regnare in nobis eſt ipſum ita nos mouere atque inclinare vt eius concupiſcentias liberè ſequamur. Similiter reſpondendum eſt ad argumentum & ſcripturam quam adfert in defenſione aduerſus Pighium.

Lib. 1. cōtra duas epiſtol. Pelag. ca. 2.

Lib. 2.

Caluinus.

Libertas, inquit, & ſeruitus inter ſe pugnant, vt qui alterum dixerit, alterum neget. Proinde ſi ſerua eſt hominis voluntas, libera ſimul niſi impropriè dici non poteſt. Nunc audiamus quid ſpiritus ſanctus pronunciet. Quum ſanctorum conditionem deſcribit Paulus, conſtringi captiuos ſub peccati vinculis teſtatur, qua parte nondum per ſpiritum Dei ſunt liberati. Et cum de hominis natura loquitur, dicit eum venditum eſſe ſub peccato. Si ſerui ſunt ex ea parte ſancti, qua ſibi naturæque ſuæ adhuc relinquuntur, quid de hominibus dicendum erit, in quibus ſola viget ac regnat natura? Si poſt regenerationem non niſi dimidia eſt libertas, quid in prima carnis generatione, niſi plena ſeruitus? Quod etiam ipſum antea dixerat Paulus. Agit enim cap 6. gratias Deo quod à peccato liberati fuerint Romani, cui antea ſeruiebāt. Videmus vt ante regenerationem non carnis reliquias, ſed totum hominem addicat ſeruituti. Qui ergo liberū aſſerit arbitrium, alio idiomate quàm ſpiritus ſanctus vtitur.

Sanctorum conditio eſt quamdiù à Domino hic peregrinantur quòd detinentur captiui ſub vinculis peccati, vt nec faciant nec facere poſsint quæ volunt. A multis enim ſpiritus eorum per molem & legem carnis, impeditur, & multa quæ nolunt patiuntur. Atque hanc tyrānidem etiam in ſanctos exercet peccatum. Propter quod ait Apoſtolus Paulus, Lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato, vt ſcilicet carnalis ſim, & ad ea quæ carnem oblectant propenſus. Quia, inquit, pro ratione, quod operor non intelligo. Non enim quod volo bonum hoc ago, ſed quod odi malum illud facio. Operor, inquit Auguſtinus, & facio, non affectu conſentiendi & implendi, ſed motu concupiſcendi. Multa enim illicita deſideria in me, hoc eſt, in carne mea peccatum, me inuito & repugnāte operatur: propter quod non ego operor, ſed quod habitat in me peccatum. Et hac ratione peccatum in ſanctis dominatur, & ipſi ſubiecti, eius ipſi ſerui ſunt. Ego ipſe, ait, mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati, varijs concupiſcentiæ motibus obnoxius. Sed hæc nihil arguunt neceſsitatem electionis quæ ex rationis deliberatione procedit, & in qua potiſsimum volūtatis noſtræ libertas conſiſtit: magis autem arguunt voluntatis infirmitatem & ademptā poteſtatem, qua omnes vires in officio continere poterat, quàm libertatem. Liberè enim cōſentiebat legi, quamuis faceret quod nollet: & Velle adiacebat ei, quamuis perficere bonum, in ſe non inueniret. Nec poſt regenerationem dimidia eſt libertas, ſed impotens & infirma: & ita nec ante eam plena eſt ſeruitus, hoc eſt, neceſsitas electionis arbitrij noſtri, ſed miſeria magna. Hæc enim libertas electionis non carnis eſt, ſed mentis, requirens quòd in noſtra ſint poteſtate quę ex conſilio & rationis iudicio agimus, non autem quod nihil inuiti patiamur ab homine vim extrinſecus inferente, vel à peccato inhabitante: Motus autem noſtrorum deſideriorū, qui à diabolo vel peccato iſto inuitis ſubrepunt contra noſtram voluntatem, patimur tantum & nō agimus. Non enim quod volo bonum, ait Apoſtolus hoc ago, ſed quod odi malum illud facio.

Lib. 1. cōtra duas epiſtol. Pelagianorū cap. 10.

Rurſus in Antidoto Caluinus (vbi Concilij Tridentini patres poſt concilium Arauſicanum 2. cap. 25. docent per peccatum Adæ liberum arbitrium minimè extinctum, licet attenuatum ſit & inclinatum) vtrique concilio ſe opponit, volens per peccatum Adæ extinctum eſſe liberum arb. Ita enim habet.

Circa 1. cap. ſextæ ſeſſ.

Quum libertatem minimè extinctam eſſe contendunt, hoc ſanè intelligunt, aliquid reſtare facultatis volūtati humanæ ad bonum eligendum. Vbi enim non eſt interitus, illic ſaltem aliqua eſt vitæ portio. Tollūt deinde omnem ambiguitatem, cùm attenuatū dicunt & inclinatum. Ergo ſi illis credimus, debilitauit nos peccatum originale, vt voluntatis noſtræ vitium non prauitas ſit, ſed infirmitas. Nam ſi praua omninò voluntas eſſet, non inclinata modo eſſet ſanitatis & attenuata, ſed perdita, donec noua fieret: atqui hoc poſterius vbique ſcriptura docet. Vt innumera teſtimonia omittam, Paulus cùm de natura humani generis concionatur, non infirmitatis damnat liberum arbitrium, ſed omnes eſſe inutiles pronunciat, auerſos à Deo, & tyrannidi peccati addictos, ita vt idoneos eſſe neget ad quicquam boni cogitandum. Neque tamen interea negamus quin maneat homini voluntas, ſed mala. Nam lapſus Adæ non ſuſtulit voluntatem, ſed ex libera ſeruam fecit, vt non modo ad peccandum ſit procliuis, ſed peccato obnoxia.

Rom. 3.

2. Corinth. 3.

Iſtæ argumentationes Caluini & ſcripturarum quas adducit teſtimonia, non tam euidentia ſunt, vt contra communem omnium ſapientum, & vulgi ſenſum atque iudicium, & perpetuam Eccleſiæ traditionem,

Reſponſio.

imò contra ipſas ſcripturas, abſurdum eius dogma quod non eſt liberum homini arbitrium, ſequamur. Teſtimonia enim quæ ex ſcripturis adducit, impertinentia ſunt, docentque voluntatis magis impotentiam ad benè iuſteq; viuendum, vt diximus, & ablatam per peccatum hanc poteſtatem, potius quàm libertatem, & attenuatũ liberum arbitrium, magis quàm extinctum, vt docent & teſtãtur duo illa Concilia. Multum enim facultatis poſt peccatum humanæ voluntati relinquitur, non ſolùm in rebus quæ ad regnum Dei non pertinent, vtpote ad hominis naturam vel vitam ciuilem, verumetiam ad eligendum bonum pietatis ſi gratia præueniatur, & operandum quod naturalis ratio iudicat bonum, idque ex viribus naturę: Et quum per peccatum nõ interierit natura, ſed vulnerata tantum ſit, non ſolùm portio vitæ naturalis quam in homine libertas ſequitur, ſed tota ipſa vita manſit ſalua. Attenuatum tamen & inclinatum dicunt patres liberum arbitrium, quia donis gratuitis quę in ſua conditione acceperat eſt ſpoliatum, & vires homini naturales nõ extinctæ ſunt, ſed vulneratæ. Peccatum igitur reuera nos debilitauit, roburque ademit & fortitudinem animi, (qua continere poterat in ſua obedientia vires inferiores) non poteſtatem liberè conſentiendi & agendi. Eſt autem volũtatis noſtræ & totius hominis hoc vitium ante baptiſmum quidem peccatum & culpabilis prauitas, poſt ipſum verò infirmitas tãtum & vitium non culpabile, vt diximus circa articulum 2. Quemadmodum & manifeſtè id docet B. Auguſt. Reſtat baptizatis, inquit, cum carne cõflictus, quia deleta eſt iniquitas, & manet infirmitas. Item, Habemus, inquit, ex parte infirmitatem, ex parte accepimus libertatem. Quicquid peccatum eſt à nobis antea, deletum eſt in baptiſmo. Nunquid quia deleta eſt tota iniquitas, nulla remanſit infirmitas? Et nos confitemur quòd praua voluntas, hoc eſt, peccatis obnoxia, nõ inclinatæ tantum eſt ſanitatis & attenuatæ, ſed perditæ donec noua fiat: Verùm docem' magnum eſſe diſcrimen inter voluntatis ſanitatem quæ ſequitur charitatem per ſpiritum ſanctum in cordibus noſtris diffuſam, & eiuſdem libertatem, quæ naturam ſequitur. Nam ſanitatem pœnitus tolli docemus per peccatum mortale, & minorem atq; maiorem eſſe ſecundũ charitatis quantitatem, quæ in hac peregrinatione, quia perfecta nõ eſt, nec ſanitas voluntatis, nec etiam iuſtitia eſt perfecta. Et B. Paul. omnes declinaſſe, & inutiles factos pronuncians auerſos à Deo, & tyrannidi peccati addictos, vt idonei non ſint ad quicquam boni cogitandum, docet libertatem benè ſancteque viuendi, imò & ſalubria cogitandi per peccatum perijſſe, nõ autem eam per quã in poteſtate noſtra ſunt quæ agimus. Quemadmodum autem homini manet voluntas ita & libertas, circa media quæ ob finem eliguntur: & ex libera per peccatum fit ſerua quidem peccati, ſed non obnoxia neceſsitati in ſua electione, vt per rationem procliuitati ad peccandũ non poſſit reſiſtere, nec ſecum Chriſti gratia à peccato eximere. Non ſunt igitur teſtimonia hæc conuenientia ad probandum poſt peccatum non remãſiſſe in homine liberum arbitrium. Et quia Caluinus poſt Martinum Lutherum docet omnia neceſſariò euenire propter efficacem Dei prouidentiam, qua omnia in omnibus operatur: ne in ciuilibus quidem aut naturalibus, homini libertatem admittit. Et ſequitur ex eodem fundamẽto quòd nec ante peccatum quidem, nec homo, nec angelus, nec Deus, quem docet omnia neceſſariò agere, libertatem habeat arbitrij. Præter hanc tamen neceſsitatis communem omnibus rationem, propriam ponit in iuſto ad benè viuendum, & aliam in peccatore ad malè viuendum. Illi tanquam equo inſidente Deo, huic autem diabolo, quorum nutu moueri & dirigi illos dicit. Quod autem ne in ciuilibus quidem & externis libertatem habeamus electionis, probare conantur ex cap. 20. lib. de gratia & libero arb. vbi Auguſtinus dicit, Scriptura ſi diligenter inſpiciatur, oſtendit non ſolùm bonas voluntates, quas ipſe facit ex malis, & à ſe factas in actus bonos & vitam dirigit æternam, ſed & illas quæ conſeruãt ſeculi creaturam ita eſſe in Dei poteſtate, vt eas quò voluerit, quando voluerit faciat inclinari, vel ad præſtanda benefacta, vel ad pœnas infligẽdas occultiſsimo quodam iudicio, ſed iuſtiſsimo. Sed quia hoc facit Deus ſuaſione & conſilio efficaci, cuius ſequendi poteſtatem nobis relinquit, non oportet non eſſe in noſtra poteſtate eas actiones & electiones ad quas efficaciter inclinat & in Dei ſunt poteſtate. Contingit etiam quòd bonam & malam hominis voluntatem generalem Deus inclinet & determinet, vt voluntatẽ tyrannide opprimendo Deus determinat ad vnã gentem vel alteram, Iſrael videlicet vel Aegyptum, ſecundum quod conuenit occulto eius iudicio. Sed quia hæc inclinatio fit ex ſuggeſtione mediorum conuenientium, in noſtra eſt poteſtate eam non ſequi. Et hic frequenter fallitur Ioannes Caluinus, concludens ex huiuſmodi inclinatione, & ex poteſtate quã Deus habet ſuper corda regũ, neceſsitatem electionis humanæ voluntatis. Et quamuis nouerit libertatem hanc noſtri arbitrij ſecundum omniũ doctorũ pariter & indoctorum intelligentiam eſſe poteſtatem vtrumlibet eligendi, ait enim.

Ser. de verbis Apoſtoli. Tractatu 41. ſuper Ioannem.

Rom. 3.

Lib. 2. aduerſus Albertum Pighium.

Quotuſquiſque eſt qui dum aſsignari homini liberum arbitrium audit, non ſtatim concipit mentis ſuæ & voluntatis dominum qui flectere ſe in vtramuis partem à ſeipſo poßit.

Et Græcos ipſum vocare αὐτεξούσιον, ac ſi poteſtas ſuijpſius penes hominem eſſet: & Origenem ſcribat aſſerere ipſum liberum arbitrium eſſe facultatem rationis ad malum & bonum diſcernendum, & voluntatis ad vtrumuis eligendum: nec ab eo variare Auguſtinum.

Lib. 3. Periarch.

guſtinum, cum doceat facultatem eſſe rationis & voluntatis, qua bonum eligitur gratia aſsiſtente, malum ea deſiſtente. Et hanc Auguſtini definitionem Petrum Lombardum & ſcholaſticos eſſe amplexos: & ſcripturas homini tribuere electionẽ & opinionẽ non ignoret, Ipſe tamen hæc omnia ſcribens no-

Deut.10. Ioſue vltim. 2. Reg.24. uam fingit nominis huius rationem, reclamantibus, vt iam diximus, vniuerſis, quam audet etiam tribuere magiſtro ſenten. quem tamen malè memor ſui dixerat ſequi Auguſtinum in diffinitione liberi arbitrij, qui & poſt hanc Auguſtini definitionem manifeſtè dicit quòd poteſtas ipſa & habilitas voluntatis & rationis quam ſuprà dixerat eſſe liberum arbitrium, libera eſt ad vtrumlibet,

diſtinct. 25. quia liberè poteſt moueri ad hoc vel ad illud: & quòd refertur ſolum ad futura contingentia. Quod enim, inquit, in præſenti eſt, nec in poteſtate eſt vt tunc ſit vel non ſit quando eſt. Poteſt enim non eſſe vel aliud eſſe poſtea, ſed non poteſt non eſſe dum eſt, vel aliud eſſe, dum id eſt quod eſt: ſed in futuro an hoc ſit vel illud, ad poteſtatem liberi arbitrij ſpectat: Nec tamen omnia futura ſub poteſtate liberi arbitrij veniunt, ſed ea tantũ quæ poſſunt fieri vel non fieri. Et poſtea, Si diligẽter inſpiciatur, liberum videtur dici arbitrium, quia ſine coactiõe & neceſsitate poteſt eligere vel appetere, quod ex ratione decreuit: excludens non ſolùm coa-

Lib.1. de libero arbit. ctionem, ſed etiam neceſsitatem. Et B. Auguſtinus opponens libertatẽ neceſsitati, intelligit coactionem in neceſsitate, ſed non eam ſolam. Et idem Caluinus libro 2. aduerſus Pighium.

Si coactioni opponitur libertas, liberum eſſe ar-

Caluinus. Quid vulgo concipitur quando homines liberũ audiunt eſſe arbitrium. *bitrium & conſtãter aſſeuero, ac pro hæretico habeo quiſquis ſecus ſentiat. Si hoc, inquit, liberum vocetur, quia non cogatur aut violenter trahatur externo motu, ſed ſpõtè agatur ſua: ſed cum aliud prorſus vulgo concipiant, dum hoc epitheton homini attributum, vel audiunt vel legunt, & ad facultates vireſque referant: & imaginatio hæc in mentem veniat, habere ſub poteſtate ſua bonum et malum, vt alterutrũ eligere ſuaptè natura queat. Hæc cauſa eſt cur mihi diſpliceat.*

Reſponſio. Sed hanc voluntatis libertatem quæ coactionem excludit, & externum motum, quo violenter trahitur volũtas, quæ & in pueris eſt, in ebrijs, dormientibus & furioſis (hoc enim ſpontè agere docet in 3. Ethicorũ cap. 2. Ariſtoteles) nec Manichæi, nec Valla, nec vlli hæretici negauerũt. Nouerunt enim inſeparabilem eſſe à voluntate. Non enim docebat Manichæus quòd voluntas violenter externo motu inuita trahitur ad bonum vel malum, ſed quòd homo ea parte quam à malo habeat principio ſpontè ſua & voluntariè ferebatur in malum, parte verò alia quæ à Deo eſt, in bonum, ſed neceſſariò, ita vt ſecundum illam bonum eligere nõ poſsit, nec malum ſecundũ iſtam: propter quod dicitur negaſſe liberum in homine eſſe arbitrium. Et ideo quando apud Auguſtinũ diſputatur an gratia tollat liberũ arbitrium, quod credebant monachi Adrumetini (propter quos ſcripſit librum de gratia & lib. arbitr.) non agitur de arbitrio libero à coactione, quæ naturæ volũtatis repugnat. Non enim ignorare poterant quòd voluntas externo motu inuita nõ cogitur. Nec inuitam velle ex doctrina B. Auguſtini monachi illi credebant: ſed an gratia faciat opera ſalutis non eſſe in noſtra poteſtate, quod illi ex ea ſequi putabant, vt patet ex duabus epiſtolis quas ſcribit Auguſtinus ad Valentinum, & ſunt numero 46. 47. docens ſimul hanc libertatem concludi ex præceptis & conſilijs Dei. Nullam enim hæc quæſtio de gratia & libero arbitrio, quam difficillimam dicit B. Auguſtinus haberet difficultatem, ſi libertas intelligeretur coactionem excludere ſolũ & non neceſsitatem. Et quia ex doctrina B. Auguſtini multi intelligebant per gratiam induci neceſsitatem, & tolli libertatem arbitrij. Contra hunc errorem ſcribit etiam Fauſtus epiſcopus Galliæ librum de libero arbitrio & gratia, qui totus eſt contra Ioannem Caluinum, qui in eodem eſt errore in quo Monachi Adrumetini. Et voluntatem cogi poſſe potius eſt hæreſis contra philoſophiam, quàm contra fidem Catholicam.

Voluntatem autem neceſsitate in malum trahi *Caluinus.*
vel duci: quamuis libertate abdicata, offendit eos qui inter neceſsitatem & coactionem diſtinguere neſciunt. At, ſi quis interroget eos, An nõ Deus neceſſariò bonus ſit? An nõ diabolus neceſſariò malus? Quid reſpondeant? Sic enim connexa eſt Dei bonitas cum diuinitate, vt non magis neceſſarium ſit ipſum eſſe Deum, quàm bonũ. Diabolus autem per lapſum, ſic à boni communione alienatus eſt, vt nihil quàm malè agere poſsit. Quòd ſi quis ſacrilegus obganniat, Deo parum laudis ex ſua bonitate deberi, ad quam ſeruandam cogatur, Cui non erit prompta reſponſio, immenſa eius bonitate fieri ne malè agere poſsit, non violenta impulſione? Ergo ſi liberam Dei voluntatem in benè agendo non impedit, quod neceſſe eſt illum benè agere: Si diabolus qui non niſi male agere poteſt, voluntate tamen peccat, Quis hominem ideo minus voluntariè peccare dicet, quòd ſit peccandi neceſsitati obnoxius?
Hanc neceſsitatem quum vbiq; prædicet Auguſti- *Lib. de perfecta iuſt.*
nus, dum etiam inuidiosè Cæleſtij cauillo vrgeretur, ne tum quidem aſſerere dubitauit, in hæc verba, Per libertatem factum eſt, vt eſſet homo cum peccato: ſed iam pœnalis vitioſitas ſubſequuta ex libertate fecit neceſsitatẽ. Ac quoties incidit eius rei mentio, non dubitat in hunc modũ loqui de neceſſaria peccati ſeruitute. Hæc igitur diſtinctionis ſumma obſeruetur, Hominẽ vt vitiatus eſt ex lapſu, volentem quidem peccare, nõ inuitũ nec coactũ, affectione animi ꝓpenſiſsima, nõ violenta coactione: propria libidinis motu, nõ extraria coactione. qua tamen eſt naturæ prauitate, nõ poſſe niſi ad malum moueri et agi. Quod ſi verum eſt peccandi certè neceſsitati ſubiacere, nõ obſcurè exprimitur.

Nemo

Reſponſio.

Nemo tam rudis eſt, vt inter neceſsitatem & coactionem, hoc eſt, inter inuitum externo motu aliquid agere, & ſpõtaneum, diſtinguere neſciat: nec tamen hi ſoli offenduntur in eo quod dicitur, quòd libertate, abdicata voluntate, neceſsitate in malum trahimur, ſed & vniuerſi ſcriptores eccleſiaſtici: qui concorditer docent q͛ nec ad virtutes, nec ad vitia trahimur neceſsitate, quodq́ue vbi neceſsitas eſt, nec damnatio ſit nec corona. Nec tamen dicimus voluntati repugnare neceſsitatem, (Nam non repugnare libenter agnoſcimus, & in declaratione articuli docuimus, in quo tamen ſolo probando laborat Caluin.) ſed docemus libertati voluntatis repugnare neceſsitatem. Non enim in omni operatione ſua libera eſt voluntas, ſed in electione potiſsimum, in qua conſiſtunt actus virtutum & vitiorũ. Nam vt diximus, proprius actus liberi arbitrij eſt circa ea quę ad finem ordinãtur, ipſum autem finem naturaliter & neceſſariò amat voluntas quem propterea liberum arbitrium non reſpicit. & docet B. Thom. poſt Ariſt. quòd electio & liberi arbitrij operationes neceſſariò præſupponunt aliquem voluntatis actum naturalem & neceſſarium. Diximus quoque voluntatem non eſſe liberã, niſi in his quæ agit ex conſilio & deliberatione, in qua eſt origo & radix libertatis eius. Caluinus autem hic promiſcuè loquitur de voluntate lib. arbit. quaſi nullum eſſet inter ipſa diſcrimen. Libero itaque arbitrio, vt tale eſt repugnat neceſsitas, non voluntati: quinimò neceſſariũ eſt quòd quædam neceſſariò velit. Nam (vt quit B. Auguſt.) nemo eſt qui non velit ob bonam naturæ conſtructionem eſſe beatus: Et neceſſariò ac naturaliter bonus eſt Deus, & voluntariè: Talis enim eſſe vult, ſed non libere & ex ſua voluntate, vt docet idem B. Auguſt. & diabolus neceſſariò ac ſpontaneè malus eſt, & talis eſſe vult ex ſuæ voluntatis obſtinatione, ſed non liberè talis manet. Nõ enim (vt ait Ariſtotel.) ſi vult, cum eſt iniuſtus deſinet eſſe talis, ac iuſtus erit: Nec enim qui ægrotat, ſi vult, ſanus erit, & fortè ſua culpa ægrotat, ſi incontinenter viuebat, & præcepta medicorum contemnebat. Tunc igitur licebat ipſi non ægrotare, ſed poſtquã valetudinem ſuam perdidit, non licet: Simili modo & iniuſto & intemperanti licebat quidem ab initio talem nõ fore: quapropter ſua ſponte eſt talis, & dignus vituperio: ſed poſteaquam talis eſt factus, non licet ipſi iam non eſſe talem. Non enim in noſtra ſunt poteſtate habitus ſicut actus. Hic autem alia accedit ratio ex obſtinatione volũtatis diaboli in malum. Tametſi enim factus eſt malus ex libera electione qua voluit Deo eſſe æqualis, dicendo, Aſcendam in cęlum & ero ſimilis altiſsimo: inflatus enim electione ſua hoc voluit: non tamen (quamuis ſpontaneè) liberè malus manet, ſed neceſſariò propter obfirmatam in malo voluntatem, ex qua neceſſariò malè vult omnia & operatur: ſicut ſancti angeli ex confirmatione in bono non poſſunt malè velle, nec operari. Cuius confirmationis & obſtinationis cauſa, vel natura eſt liberi arbitrij, ſecundum quam immutabiliter inhærent ſpiritus angelici in quodcunque ſemel ſe tanquam in finem inclinauerint: vel vt alij dicunt deſertio Dei in malis, & clara eius viſio in ſpiritibus beatis. Quidam etiam docẽt Deum neceſsitate volũtatem beatorum in fine boni, & malos in fine mali: & ideò hoc actus qui nõ ſunt in eorum libero arbitrio, ſed à Deo voluntatem neceſsitate, docent nõ eſſe peccata in damnatis, nec virtutum actus in beatis, ſed præmium & ſupplicium prioris vitę: de quo multa ſcribunt doctores ſcholaſtici, diſt. 7. 2. lib. ſent. Operationes verò bonorũ & malorum angelorũ quæ ſunt circa media ad finem, quaſi naturaliter amatũ, vel odio habitum, in bonis ſunt actus virtutum atq; laudabiles non meritorij: & in malis peccata, quamuis nullum mereantur ſupplicium. Vltima enim lata ſententia Iudex eſt quaſi functus officio ſuo, vt amplius in cauſa non cognoſcat: maximè quando ſententia lata eſt per abdicationem & abiectionem à domo atque familia ſua, quaſi poſt hac nolit ſe intromittere, niſi exequendo ſuam ſententiã. Et inter omnes doctores conuenit, quòd actus damnatorum, poſt ſentẽtiam non ſunt demeritorij, nec viciſsim meritorij quos faciunt beati: An verò peccent damnati in odio Dei & hominũ, inuidia & ſuperbia ſua, variè opinantur doctores Scholaſtici circa diſtin. 50. 4. ſent. Nam Albertus Magnus credit eos nec mereri pœnam, nec peccare. Atque ad ſententiam eius ſatis accedit Robertus Holcot, lib. 2. quæſt. 4. & Gerſon de vita ſpirituali animę litera, l. B. autem Thom. aliter ſentire videtur. Nam quæſt. 2. huius diſtinct. artic. 1. q. 6. proponit hoc argumẽtum. Actus inordinatus ex libertate arbitrij procedens, nõ excuſatur quin ſit demeritorius, etiãſi aliqua neceſsitas adſit cuius aliquis ſit ſibi cauſa. Ebrius enim meretur duplices maledictiones, ſi ex ebrietate aliquod peccatũ committit: ſed ipſi damnati fuerũt ſibi cauſa propriæ obſtinationis, per quam neceſsitatem quandã peccãdi patiuntur. Ergo cum eorum actus inordinatus à libero arbitrio procedat, nõ excuſatur à demerito. Ad quod reſpondet quòd nõ propter hoc excuſantur à demerito quia neceſsitatẽ peccati habent, ſed quia ad ſummum malorũ peruenerunt: neceſsitas tamen peccandi, cuius cauſa ſumus, excuſat a culpa inquantum eſt neceſsitas quædam, quia omne peccatum oportet eſſe voluntarium: ſed quòd nõ excuſet, hoc eſt, inquantum à voluntate præcedente proceſsit, & ſic totum demeritum ſequentis culpæ videtur ad primã culpam pertinere. Eandem hanc difficultatem Magiſter ſenten. tractat ex Auguſtino prædicta diſtinct.

Quamuis itaq; vniuerſa damnatorum opera & electiones mala ſunt inordinata, & cõtra legem Dei æternam, nec bona eſſe poſſint propter voluntatis eorum in malo obſtinatio-

1. par. q. 82. 3. Ethic. capit. 5.

Lib. de natura & gratia cap. 46.

Lib. 1. de libero arbit. cap. 3.

Ethic. 3. c. 31.

Aug. quæſt. 2. lib. 4. veter. teſtam.

Thom. 1 par te quæſt 49. artic. 1.

ſtinationem: Quia tamẽ ſingula ſunt libera & in eorum poteſtate (conſultãt enim & ex deliberatione operantur angeli tam boni quàm mali, vt ex multis locis ſcripturæ eſt manifeſtum) nihil impedire videtur quin peccata ſint eorum opera & digna vituperatione, & beatorum opera laude & commendatione: quia tamen illi ad ſummum malorum, hi autem ad ſummũ felicitatis per ſententiam Iudicis peruenerunt, & ſtatum merendi & demerendi exceſſerunt, ad nullam ordinantur remunerationem eorum opera. Nec miſceri debet quæſtio de peccato & merito diſputationi de libertate arbitrij, quam apud ſcriptores Eccleſiaſticos certum eſt excludere omnem neceſsitatem. Quantum enim neceſsitatis & determinationis accedit noſtræ actioni, tantum decedit ei libertatis. Libertatem namq; & neceſsitatem in agendo non eſſe compoſsibiles in eodem principio reſpectu eiuſdem actiõis, clariſsimè demonſtrat Gregorius Ariminenſ. ex Ariſt. B. Aug. & Damaſceno. An verò omnis neceſſitas, Item quæ neceſsitas à peccato excuſet diximus ſuprà, nec eius rei tractatio propriè ad libertatem arbitrij pertinet, licet Caluinus ipſa hic & ferè ſemper confundat. Concedimus igitur diabolũ per lapſum ſicà boni communione eſſe alienatũ, vt nihil quàm malè agere poſsit propter voluntatis in malo fine obſtinationem: quia tamẽ multa malè agit quæ in eius poteſtate ſunt vt nõ agat, ſufficiens in his libertas eſt peccandi, nulla autem neceſsitas: & ſimiliter in angelis bonis, volũtas in bono confirmata eſt, vt peccare non poſsint, multa tamẽ liberè agunt quę in eorũm ſunt poteſtate. Sed & Deus omnia operatur ſecundũ conſilium voluntatis ſuę, quæ poteſt non agere. Poteſt enim non elegiſſe, imò nec eligere quos ab æterno elegit. Propter quod laudandus & glorificãdus eſt Deus in ſanctorum prædeſtinatione, vt ait Apoſto. Paulus: & ſanctis angelis multa laus & gloria debetur, & vituperatio magna malis ob ea quæ operantur. Diximus tamen in declaratione articuli, non eſſe de ratione liberi arbitrij poſſe peccare, vt etiã docet Magiſter ſent. lib. 2. diſtinct. 25. Confitemur etiam quòd liberam Dei voluntatem in bene agendo non impedit quòd neceſſe ſit illum benè agere, eo quòd ſingula liberè agit ex conſilio voluntatis ſuæ, poteſtatem habens aliter agendi: ſed nõ liberè eſt Deus, nec bonus, imò nec in genere liberè benè agit. Nam apertè docet B. Auguſtinus, quòd non voluntate viuimus, ſed neceſsitate: non voluntate morimur, ſed neceſsitate. Non voluntate autem volumus, quis vel delirus audeat dicere? voluntatem opponens neceſsitati. Et paucis interiectis. Nec aliud quicquã eſt in poteſtate, niſi quod volentibus adeſt. Voluntas igitur noſtra nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate. Porrò quia eſt in poteſtate, libera eſt nobis. Non enim eſt nobis liberum, quòd in poteſtate nõ habemus. Et multa ad hoc propoſitum, Pro cuius explicatione B. Thom. quæſt. 41. primæ partis art. 2. quęrens, Vtrũ actus notionales ſint voluntarij, dicit dupliciter intelligi poſſe aliquid eſſe vel fieri voluntate: Vno modo, vt ablatiuus deſignet concomitantiam tantum, ſicut poſſum dicere quod ego ſum homo mea voluntate, quia ſcilicet volo me eſſe hominem. Alio modo, vt importet habitudinem principij, ſicut artifex operatur voluntate, quia voluntas eſt principium operis: ſecundum quem modum dicendum eſt quòd Deus pater non genuit volũtate filium, nec Deus eſt nec bonus eſt voluntate, ſed voluntate produxit creaturam. Similiter & diabolus ſingula ex iudicio & liberè agit, poteſtatem habens ea non agendi: quamuis in genere neceſſario malè agat, nec in eius ſit poteſtate aliter agere. Confitemur etiam hominem obnoxium eſſe neceſsitati peccandi. Non enim poteſt non peccare. Nam vt ait Atticus apud Hieronymum libr. 3. aduerſus Pelagianos, In noſtra eſt poſitum poteſtate vel peccare, vel nõ peccare, & vel ad bonum, vel ad malum extendere manum, vt liberum ſeruetur arbitrium: ſed hoc pro modo & tempore conditionis humanæ: Perpetuitas autẽ impeccãtiæ ſoli reſeruatur Deo, nec quia ad breue poſſum, coges me vt poſsim iugiter: quamuis ſuper hac re diſputet B. Auguſtin. lib. 2. de peccatorum meritis, reſoluẽs quòd homo cum gratia Dei ſine peccato viuere poteſt. Et per libertatem quidem factum eſt, vt eſſet homo cum peccato, & iam pœnalis vitioſitas ſubſecuta ex libertate, fecit neceſsitatem peccandi aliquando: nunquam tamen peccamus ſine libero arbitrio volũtatis noſtræ aſſenſu, ſine quo motus inordinati, ad quos eſt ex noſtra infirmitate neceſsitas, peccata non ſunt: ſicut nec vitioſitas iſta in baptizatis, niſi ſecundum tropum tantum, vt idem Auguſt. docet. Nam ſine hoc conſenſu ſpontanei quidem ſunt & voluntarij, ſicut in pueris & dormientibus, ſed nõ liberi. De quibus multa ſuprà dixim⁹ in hoc articulo, & articulo ſecundo, vbi agitur, An concupiſcẽtia in baptizatis maneat peccatum. Vnde clariſsimè patere poteſt nõ ſufficere ad peccandum & Dei offenſam, quòd homo ex lapſu vitiatus volens quid faciat, vel moueatur contra legẽ mentis, quodq; non inuitus vel coactus, ſed propenſiſsima animi affectione: non violenta coactione, ſed proprio libidinis motu operetur: verùm requiritur acceſſus liberæ conſenſionis volũtatis, ita vt huiuſmodi motus aliquo modo in noſtra ſit poteſtate. Propter quod docet B. Aug. libr. 1. de ciuit. Dei, quòd ſi vlla concupiſcentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat præter noſtræ voluntatis legem, quaſi lege ſua mouetur, quantò magis abſque culpa eſt in corpore dormientis? Et quamuis homo vitiatus etiam poſt regenerationem non poſsit non peccare, & ante regenerationem (niſi reſipiſcat & de peccatis pœniteat) neceſſario mortaliter peccet, quãuis ſingula cauere poſsit: non tamen tanta eſt na-

Iob 1. Daniel. 10. Heb. 1.

Lib 1. de libero arbit. cap. 1. & ſe Lib. 2. c. 28.

Ephes. 1.

Lib. 3. de lib. arbit. cap. 3. Volũtati opponit Auguſtinus neceſſitatem.

Liberum nobis non eſt, quod in poteſtate non habemus.

Cap 6. & ſequenti.

Lib. 3. de libero arbit. cap. 19.

Cap. 25.

eſt naturæ prauitas, ſicut oſtendimus ſuperius, vt non poſsit, niſi ad malum moueri & malè agere. Oſtendimus etiam hanc naturæ prauitatem inclinare tãtum, nullam autem adducere neceſsitatem operis ad quod inclinat: ſicut habitus boni & mali inclinãt, ſimiliter conſilia, ſuaſiones & cõminationes, quas tamen non neceſſariò ſequimur. Nam ſapiens dominatur aſtris, & eorum inclinationibus. Prolixè his Caluin. argumentis reſpondet Albertus Pighius lib.3. de lib. hominis arbitrio, qui cum in omnium manib' ſit, non eſt operæ precium ea hic repetere, & noſtram reſponſionem hac de re latius proſequi & extendere.

CVm igitur Ioannes Cal. doceat hominẽ nõ habere arbitrium liberum, hoc eſt, in cuius poteſtate ſit non agere quod agit, non peccare quãdo peccat, non conuerti quando ad Dominum conuertitur: & ediuersò non eſſe in eius poteſtate agere quando non agit, conuerti & pœnitere quando non conuertitur: ſed ex prouidentia efficaci, (qua omnia in omnibus operatur Deus, fortique inclinatione volũtatis) omnia fieri neceſſariò, nihilque relinqui noſtræ poteſtati: doceat præterea liberum arbitriũ tanquam equum à ſeſſore in bonum vel malum duci atque trahi: & ideò ſicut neceſsitate à malo quod inhabitat malè agere: ita à gratia Dei actum nihil ſua virtute agens, neceſſariò operari benè. Nec vllã ad grãtiam & remiſsionem peccatorum admittat præparationem. Cùm hæc inquam, palam doceat, nullas partes habet noſtra voluntas, quando noſtram operamur ſalutem, quando etiam à Domino præparata eſt, nec in regenerato, nec ante regenerationem. & ita nullus eſſe poteſt concurſus & cooperatio liberi arbitrij cum gratia Dei. Siquidem ſcripſit voluntatem noſtram non adiuuari diuina gratia, nihilque boni expreſſum iri à corde noſtro, niſi penitus aliud fiat, ne inter Deum & nos partiamur quod ſibi vni vendicat. Hoc enim frequenter inculcat. Nam paragrapho 22. dixerat doctores eccleſiaſticos doctrinam ſcripturę dimidia ex parte cum philoſophia cõciliare, eò quòd aliquid tribuunt libero arbitrio in operibus ſalutis: reprehendẽs propterea Chryſoſtomum quod dixerit Deum electionis liberum donaſſe arbitrium, & bona ac mala in noſtra poſuiſſe poteſtate, & inuitos non retinere, ſed volentes amplecti. Item alio loco. Sæpè qui malus eſt, ſi voluerit, in bonum mutatur, & qui bonus, per ignauiam excidit, & fit malus: quia liberi arbitrij eſſe noſtram naturã fecit, nec imponit neceſsitatẽ, ſed congruis remedijs appoſitis totum iacere in ægrotantis ſententia ſinit. Similiter B. Hieronymum reprehendit quòd dixerit noſtrum eſſe incipere, Dei autem perficere: noſtrum offerre quod poſſimus, illius implere quod non poſſumus. Quæ certè ſententiæ nihil habent incommodi, ſi intelligantur de nobis credentibus & voluntate à Domino prius præparata, & ſancta inſpiratione præuenta: vt docet beatus Aug. lib.1. retract. Offendunt autem Ioannem Caluinum, quòd aliquid tribuũt libertati noſtri arbitrij, quam tolli omninò voluit.

In inſtitutione 20. parag.

Ho. de proditione Iudæ.

Hom. 15. in Geneſ.

Dialog. 3. contra Pelagianos.

Cap. 22. & 26.

Addit autem parag. 53. *Erunt fortè qui concedent voluntatẽ à bono ſuaptè ingenio auerſã ſola Domini virtute conuerti: ſic tamen vt præparata ſuas deinde in agendo partes habeat: quemadmodum docet B. Auguſt. omne bonum opus gratiam præcedere, & id comitante, non ducente pediſſequa, non praua voluntate. Vbi ab Auguſtini ſententia recedens eamque improbans dicit, Sed quia reformata opus eſt Domini, hoc perperam homini tribuitur, quod gratia præuenienti pediſſequa voluntate obſequatur.*

Epiſt. Ioan. ad Bonifacium & lib. 3. Hypnoſt.

Quod tamen clariſsimè ſcribit. B. Auguſt. Vbi ergo nunc eſt gloriatio Caluini, quòd ſuam ſententiam prior docuit Auguſtinus? & quòd Chryſoſtomũ improbat eodem loco idem ſcribentem quod Aug. nec gratiam ſine voluntate, nec voluntatem ſine gratia quicquam poſſe operari. Rurſus, parag. 58.

Serm. de inuentiõe ſanctæ crucis. Ioan. Calu. mulierum doctrinam carpit.

Voluntatem mouet gratia, non qualiter multis ſeculis traditum eſt & creditum, vt noſtræ poſtea ſit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari, ſed illam efficaciter efficiendo. Illud ergo toties à Chryſoſtomo repetitum repudiari neceſſe eſt, Quem trahit, volentem trahit. Sed intelligit Chryſoſtomum contra illius mentem, quaſi velit volentẽ eſſe prius quàm ille trahat: cùm ipſe, ſicut & Auguſtinus, intelligat quod tractu fiat volens. Cùm igitur Caluinus clariſsimè gratiam Dei ſic aſſerat, vt liberum tollatur arbitrium, quod ſemper in Eccleſia Catholica tanquam hæreticum eſt habitum, videlicet quòd in operibus noſtræ ſalutis locum non habeat libertas arbitrij, ſed neceſſarium, non liberum ſit noſtrum obſequium. Nec liberum ſolum tollat arbitrium, ſed & omnem voluntatis noſtræ actiuitatem & efficientiam in operibus ſalutis, contra ſentẽtias Saluatoris, Omnem palmitem, qui fert fructũ, purgabit, &c. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic &c. ex his quæ diximus ſuperius abſurdus hic error manifeſtè conuincitur. In noſtra enim poteſtate eſt arborem bonam facere & malam, præparata prius à Domino voluntate. Hæc omnia prolixè tractat Albertus Pighius, lib.6. de libero hominis arbitrio, vbi manifeſtè falſitatis eadem conuincit. Nec propterea non totum opus eſt à Domino, quia ſimul à libero eſt arbitrio virtute Dei præuento. Tradit enim B. Bernardus in fine lib. de libero arbitrio Catholicam ſuper iſto totius Eccleſiæ doctrinam, dum ait, quòd gratia liberum excitat arbitrium cum ſeminat cogitatum, (Vtitur enim, ſicut patres Concilij Tridentini, nomine Excitationis) ſanat cum immutat affectum, roborat vt perducat ad actum, ſeruat ne ſentiat defectum: Sic autem iſta cum libero arbitrio operatur, vt illud tantùm in primo

Ioan. 15.

Gratia commitatur liberum arbitrium, & ei cooperatur.

primo præueniat, in cæteris comitetur, ad hoc vtique præueniens, vt iam ſibi deinceps cooperetur, ita tamen quod à ſola gratia cęptum eſt pariter ab vtroque perficitur, vt mixtim non ſigillatim, ſimul non viciſſim per ſingulos profectus operentur non partim gratia, partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere indiuiduo peragunt: totum quidem hoc, liberum ſcilicet arbitrium, & totum illa: ſed vt totũ in illo, ſic totum ex illa. Credimus placere lectori, quòd à ſenſu Apoſtoli nunquam recedimus. Quid enim noſtra aliud ſonant quàm illud: Ergo neque currentis, neque volentis, ſed miſerẽtis eſt Dei. Quod ſanè non ideo dicit quaſi quis velle aut currere poſsit in vanum, ſed quod is qui vult & currit, nõ in ſe ſed in eo à quo accipit & velle & currere, debeat gloriari. Item paulò ante hęc verba, Vtitur, inquit, Deus & angelis & hominibus bonæ voluntatis tanquam commilitonibus & coadiutoribus ſuis, quos peracta victoria amplißimè remunerabit. Denique & Paulus de ſe ſuiſq; ſimilibus audacter pronunciat, Coadiutores enim Dei ſumus. Hinc coadiutores Dei & cooperatores ſpiritus ſancti, promeritores regni nos eſſe præſumimus, quòd per conſenſum vtiq; voluntarium diuinæ voluntati coniungimur. Quid igitur? hoc ergo totum liberi arbitrij opus? hoc ſolum eius eſt meritum quod conſentit? Eſt prorſus. Hæc eſt veriſsima ſicut Bernardi, ita Auguſtini & Ambroſij (à quibus tanquam à duabus columnis ille teſtatur difficulter ſe poſſe auelli) concors ſententia. Nunquid, ait B. Aug. de Cypriano, iſte factus tam memorabilis eccleſiarum in verbo veritatis inſtructor, liberum arbitrium negat eſſe in hominibus, quia Deo totum tribuit quod rectè viuimus? & lib. 1. retra. docet noſtrum eſſe credere, ſperare & diligere, propter arbitrij libertatem: & Dei eſſe, propter gratiã qua noſtram præparat voluntatem. Sicut enim voluntas in rebus pręſentis vitę tota eſt à Domino, & nihilominus tota ab homine ſiue libero arbitrio per naturam à Deo acceptam operante. Nam cauſa prima efficientiã ſecundæ non excludit, ſed opus ſuum per eã perficit. Calorem enim producit per ignem. Ita per ſpiritum precum nos precari & orare facit. Ipſe ſpiritus, inquit Apoſt. interpellat pro nobis, & idẽ ipſe loquitur in nobis. Vnuſquiſque, ait Apoſtolus Petrus, ſicut accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtrãtes, vt ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur quaſi ſermones Dei, ſi quis miniſtrat, tanquam ex virtute quam adminiſtrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum. Ipſe producit in montibus fœnum & herbam ſeruituti hominum. & tamen ſcriptura dicit, Germinet terra herbam virentem, & protulit terra herbam virentem & faciẽtem ſemen.

In epiſto ad Hugonẽ de ſancto Victo-re, quæ eſt 77

Li. 4. contra 2. epiſt. Pela

Cap. 9.

Cap. 26.

1. Pet. 4.

Pſal. 146.

Geneſ. 1.

SED quia hęc ſua dogmata & argumenta prolixè tractat in ſua inſtitutione Calu. iiſque omnibus reſpõdet Albertus Pighius, hoc loco ſubijciam ea quę habet in ſua Antidoto, quæ ſuccinctè complectitur ea quæ in inſtitutione adducit contra concurſum liberi arbitrij cum gratia, & cõtra præparationẽ ad peccatorum remiſsionem, de quibus ſunt poſterioris articuli partes.

Scribit autem contra 6. caput ſeſsionis de iuſtificatione, quod in articuli probationẽ ſuprà adduximus. *Sexto capite aſſerunt* (patres videlicet) *gratia Dei nos præparari ad percipiendam iuſtitiam, ſed huic gratiæ partes aſſignant, excitandi, & adiuuandi, vt ipſi libere cooperemur. Nempe putidas nænias hic audimus, quas in ſcholis deblaterare Sophiſtæ ſolent. Ego autem quæro, Sitne idem excitare voluntatem, & adiuuare per ſe infirmam, an cor nouum formare in homine vt velit. Reſpondeant ergo, an cor nouum creare, ex corde lapideo facere cor carneum* (*quorum vtrumque ſcriptura teſtatur Deum in nobis facere*) *nihil aliud ſit quàm ſupplere quod deeſt infirmæ voluntati.*

Gratia Dei nos præparari ad iuſtitiam clarè docet Dominus Saluator in parabola de filio prodigo, qui multis moleſtijs & incommodis fractus, in ſe reuerſus dixit, Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. Surgam & ibo ad patrem meum, &c. quæ ſequuntur. Et aliæ ſcripturæ teſtantur quòd per timorem & pœnitentiam perueniatur ad peccatorum remiſsionem. Pœnitẽtiam agite, inquit ſaluator, & appropinquabit regnum cœlorum. Item, Poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiã, & poſtquã oſtendiſti mihi, percuſsi femur meum. Itẽ, A timore tuo Domine cõcepimus & quaſi parturiuimus & peperimus ſpiritũ ſalutis. Et B. Petrus ad Simonem Magũ, pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum ſi fortè remittatur tibi hęc cogitatio cordis tui. Rurſum, Conuertatur vir à via ſua mala & ab iniquitate quę eſt in manibus eorũ. Quis ſcit ſi cõuertatur & ignoſcat Deus, & reuertatur à furore irę ſuę, & non peribimus? Et vidit Deus opera eorũ, quia conuerſi ſunt à via ſua mala, & miſertus eſt ſuper malitia quam locutus fuerat, vt faceret eis & non fecit. Et ad Deum placandum viri ſancti ſemper vſi ſunt ieiunijs, oratione & eleemoſyna. Et audet dicere B. Auguſtin. quod rariſsimè accidit, imò ferè nunquã, vt quiſquam veniat ad baptiſmum volens fieri Chriſtianus, qui non ſit aliquo Dei timore perculſus. De ipſa quippe ſeueritate Dei, qua corda mortalium ſaluberrimo terrore quatiuntur, charitas ædificanda eſt, vt ab eo quem timet, amari ſe gaudens, eum redamare audeat, eiuſque in ſe dilectioni, etiam ſi impunè poſſet, tamen diſplicere vereatur. Et teſtantur ſcripturæ quòd hominis ſit animam præparare: atque vt animam præparet, frequenter hortantur. Nam cordis præparationem audit Dominus. Nec in ſcholis ſolùm Sophiſtæ docent partes gratiæ eiuſq; officium in excitando conſiſtere, ſed &

Reſponſio.

Lucæ 15.

Matth. 3.

Hiere. 31.

Eſa. 26.

Act. 8.

Ionæ. 3.

Iohe. 2.

Lib. de catechizandis rudibus cap. 5.

Prouerb. 16.

1. Reg. 7.

Eccleſiaſt. 18

Pſal. 9.

vniuerſi epiſcopi in eccleſijs hoc ſemper docuerunt plebem ſibi à Domino concreditã: nec aliquis ſcriptorum Chriſtianæ profeſſionis aliter locutus eſt quam hi patres: nẽpe liberum arbitrium per gratiam excitari, & deinde adiuuari eius cooperatione, vt Caluinus ipſe fatetur parag.22.& 28.quomodo ſtatim adiuimus loquentem Bernardum quod gratia comitatur liberum arbitrium, & ad hoc præuenit, vt deinceps ei cooperetur. Et beatus Auguſtinus, Qui præparat voluntatem cooperando, perficit quod operando incipit: quoniam ipſe vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Vt ergo velimus ſine nobis operatur, excitando videlicet ſomnolentos: Cum autem volumus, & ſic volum' vt faciamus, nobiſcum cooperatur: ſine quo tamen vel operante vt velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. Vbi aduertendum eſt dici Deum per ſuam gratiam nobis cooperari ad bona pietatis opera, tanquam operarijs quaſi principalibus. Et dum quærit Caluinus, Sitne idem excitare voluntatem & adiuuare per ſe infirmam, An cor nouum formare in homine vt velit? Reſpondemus, Nihil horum eſſe: ſicut excitare hominem dormientem, vt ſurgat & vigilet, non eſt ipſum adiuuare, vt ſurgat & ambulet, & medicum accedat pro ſanitate: multum diuerſa ſunt hæc tria, ſed tamen ſe habent ordine quodam. Excitamus enim dormientem pulſando, trahendo & vocando: adiuuamus ſurgentem & ambulãtem cooperando: medicus eſt qui ſanat. Sic in anima fit (ad quam per Metaphoram hoc nomen Excitationis transfertur). Nam per gratiæ vocationem, pulſum & tractum internum ipſa excitur ad cogitandum cogitationes pacis & ſalutis: ad quam gratiam pertinent quæ dicit Propheta, Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me dicit Dominus. *Hiere.3.* Leua oculos tuos in directũ, & vide vbi nunc proſtrata ſis. Frons mulieris meretricis facta eſt tibi & noluiſti erubeſcere, ergo ſaltem amodo voca me, Pater meus & dux virginitatis meæ tu es. Scito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum præuaricata es. Huiuſmodi ſermones excitatorios in ſcripturis frequenter eſt inuenire. Quando autem iam excitatus eſt peccator iſtiuſmodi pulſu, incipit de peccatis dolere, & inquirere media, per quæ ſanetur, & cor nouum accipiat. Nouitas enim cordis eſt eius ſanitas & vita. Nec propriè in homine cor nouum format Deus vt velit, ſed vt ſobriè iuſtè, & piè viuat in hoc ſeculo & per ſpiritum inhabitantem hoc velit efficaciter. Vt enim ſimpliciter velit & deſideret ſanari, & medicum Chriſtum accedere, imò vt accedat, ſufficit internę vocationis & excitationis gratia. Ex quibus patet quòd ad cogitandum & amandum quæ ſunt ſalutis per gratiam excitamur: & excitati ea exequendo & operando adiuuamur: non vt gratiæ liberò cooperemur, ſed vt ipſa cooperando nos adiuuet operantes. Ait enim beatus Auguſtinus. Nec ideo tamen quia à Deo deprecanda eſt iuſtitia, de hac re ſolis votis agendum eſt, vt non ſubinferatur ad benè viuendum etiam noſtræ efficacia voluntatis. Adiutor enim noſter Deus dicitur, nec adiuuari poteſt, niſi qui aliquid ſponte conatur: *Lib.2.de peccatorum meritis, & de perfectione iuſtitiæ in fine cap.5.* quia non ſicut in lapidibus inſenſatis, aut ſicut in eis in quorũ natura rationem volũtatẽ que non condidit, ſalutem noſtram Deus operatur. Et conuerſos, inquit, Deus adiuuat, & auerſos deſerit. Reſpondemus igitur longè diuerſa eſſe hæc tria. Et magnum etiam eſſe diſcrimen inter cor nouum creare, ac facere cor carneum ex corde lapideo, & ſupplere quod deeſt infirmæ voluntati. Nam cor nouum & cor carneum creare, eſt peccatori ſpiritum viuificantem infundere, per quem non ſolum ſuppletur, quod deeſt infirmæ voluntati, ſed & eius infirmitates ſanantur: per quem & vires accipit ambulandi in via mandatorum Dei, & vincendi omnes aduerſarias poteſtates. Cui (inquit, B. Petrus de diabolo loquens) reſiſtite fortes in fide. *1.Pet.5. 1.Ioan.5.* Omne enim quod natum eſt ex Deo vincit mundum. Nam ſicut creatio hominis facit eſſe hominem, & vitam largitur naturalem: ita cordis noui & carnei creatio dat eſſe diuinum, & diuinæ conſortes facit. Quod enim dicitur in Geneſi, *Geneſ.2.* Formauit Deus hominem de limo terrę, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem, hoc ipſum fit in creatione noui cordis & voluntatis, per quam inſpiratur in animæ faciem ſpiritus vitę, & fit homo in ſpiritum viuificantem. In vtroque diuerſa ſunt excitare dormientem, adiuuare operãtem, & ſupplere quod deeſt homini & volũtati, vtriſque infirmis. Hoc enim ſupplementum infirmitatis, ſiue impotentiæ non propriè reſpicit eſſe, ſed vitalem operationem, quæ ex animo atque corde nouo proficiſcitur: reſpicit etiã opera per quæ præparamur, vt ſpiritũ vitæ accipiamus. Confundit autem hic Caluinus & commiſcet quæ ſunt à ſe mutuo diuerſiſſima, quem morem ſeruant omnes hæretici, quorum figura præceſſit in Hæliu ſecundum interpretationẽ Gregorij, de quo Dominus, Quis eſt iſte, inuoluens ſententias ſermonibus imperitis? *Iob 38.* Eorum, inquit, qui intra eccleſiam catholicã inani gloriæ ſtudent, non immerito typum tenẽt, qui dum ſe præ cęteris peritos credũt, diuino iudicio de imperitia redarguuntur.

Quod ſi minus eos mouent illa teſtimonia, reſpondeant, An qui efficit in nobis velle, ſimpliciter voluntatem adiuuet. Paulus totum Deo vẽdicat, iſti nihil ei præter adminiculum acceptum ferunt. Sed in quo hominẽ Deo ſocium adiungunt? quia gratiam Dei quam repudiare poſſet liberè recipit, & ſpiritus ſancti illuminationem. Quantum ex Dei virtute detrahunt, quæ à propheta deſcribitur, Dabo, inquit, legem meam in corda veſtra faciamque vt in præceptis meis ambuletis? *Caluinus* *Hiere.31.*

Nihil

Reſponſio. Nihil nos mouent hæc ſcripturarum teſtimonia vt ob ea patrum Concilij Tridentini & totius Eccleſiæ catholicæ relinquamus doctrinam. Oſtendimus enim impertinentia eſſe: quod ipſe Caluinus etiam agnoſcẽs ex eis facit interrogationes, quibus iam reſpondimus nec quicquam certi ex eis contra noſtram doctrinam concludit. Ita & nunc interrogat,

Reſpondeant, inquit, An qui efficit in nobis velle, ſimpliciter voluntatem adiuuet?

Cui libenter reſpondemus quòd Deus velle efficiens, hominem excitat & amare ac deſiderare facit ea quæ ſuæ ſunt ſalutis, & vires miniſtrat illa proſequendi: In quo voluntatem propriè non adiuuat, quia iuxta ſententiam Auguſtini, adiuuari non poteſt, niſi qui aliquid ſponte conatur: ſed voluntatem format & afficit ad ea quæ ſalutẽ promouent. Sed Paulus,, inquit, totum Deo vendicat, & non ſolum quòd ſimpliciter voluntatem adiuuat: patres verò nihil ei præter adminiculum acceptum ferunt. Vbi patribus falſum imponit. Totum enim nos Deo vendicamus: nihilominus totum quod eſt in opere ſalutis poſt B. Bernardum atq; totius eccleſiæ catholicæ doctrinam, tribuimus libero arbitrio, ſed ob virtutem quam accipit à Deo efficiente vt velit. Et mirum quod hæc calumniari audeat Caluinus, quum eadem doceat B. Auguſtin. Prædicamus enim quòd non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed tamen quòd ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, non litera ſed ſpiritu, quodque palmes non poteſt fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite. Quãdo igitur in vite manet, à ſemetipſo, hoc eſt, ſuapte virtute poteſt ferre fructũ: & ſufficientes ſumus cogitare ſalutaria, eaque amare, ſed ſufficiẽtia quam à Deo accepimus: Longè tamen eminentius hæc opera à Deo proficiſcuntur, ſicut & opera quæ per naturę vires efficiuntur. Ipſe enim ſua gratia nos præueniens excitat intellectum pia cogitatione, & affectum format ſancto amore, per quem concipere poſſumus ſpiritum ſalutis, & per hunc noſtram operari ſalutem. Declarat enim B. Auguſtinus, quòd non licet dicere: Nõ eſt miſerentis Dei, ſed volentis & currentis hominis: quemadmodum e diuerſo dicit Apoſtolus, Non eſt volentis neque currẽtis, ſed miſerentis Dei. quamuis ex vtroq; fiat, id eſt voluntate hominis & miſericordia Dei. Sicut enim non ſufficit ſola voluntas hominis, ſi non ſit etiam miſericordia Dei, ita non ſufficit miſericordia Dei, ſi non ſit etiam voluntas hominis. Sed propterea, inquit, rectè dictum intelligitur, Non volentis neq; currentis, ſed miſerentis eſt Dei, vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem & præparat adiuuandam, & hoc ſine eo, & adiuuat præparatam ad omne opus ſalutis: quod propterea totum ab ea procedit, ſicut à Deo. Nec ſolum hominem Deo ſocium, hoc eſt, cooperarium adiungimus, quia gratiam Dei quam repudiare poſſet, liberè recipit (in quo propriè non eſt ſocietas hominis cum Deo, quæ communem operationem reſpicit) nec in hoc ſolo communicãt, vt calumniatur nos dicere Caluinus: ſed in eo magis quòd accepta virtute & poteſtate credendi, ſperandi, & diligendi ex gratia patris hæc ſimul cum Deo operatur. Et Deo cooperante iuſtè & ſanctè viuimus, & per dilectionem mandata legis implemus. Hac de re ſuprà alligauimus dogma eccleſiaſticum. Docemus enim, quòd ſicut animam viuentem à Deo accepimus, & illius virtute omnia opera vitæ humanæ operamur, Deo in omnibus tanquam cauſa prima ac principali cooperante, ita hic accipimus ſpiritum viuificantem, cuius virtute ea quæ ſalutis ſunt agimus, Deo nobis ſimiliter cooperante. Docemus etiam cum Propheta, quòd Deus dat legem ſuam in corda noſtra, hoc eſt, ſui amorem & charitatem per Spiritum ſanctum in ea diffundit, per quem facit nos in præceptis ſuis ambulare, ſed liberè & voluntariè, nulla autem impulſos neceſsitate. Lex Dei, inquit Beatus Auguſtinus, eſt charitas: huic prudentia carnis non eſt ſubiecta, neque enim poteſt: ſed ad hanc prudentiam carnis terrendam, cum in tabulis ſcribuntur opera charitatis lex eſt operum & litera occidens præuaricatorem: cùm autem charitas diffunditur in corde credentiũ lex eſt fidei, & ſpiritus viuificans dilectorem. Rurſus, c. 21. Quid ſunt ergo leges Dei ab eo ſcriptæ in cordibus, niſi ipſa pręſentia Spiritus ſancti qui eſt digitus Dei, quo præſente diffunditur charitas in cordibus noſtris? Item beatus Gregorius circa locum Iob, Lex Dei multiplex. Quid hoc loco lex Dei accipi, niſi charitas debet, per quam ſemper legimus præcepta vitæ in mente, qualiter in actione teneantur? Id quod latius proſequitur & probat, De hac re licet videre B. Thomam in 12. quæſt. 106.

Ca. 5. lib. 2. de peccatorũ meritis. — *De gratia & lib. arb. cap. 17.* — *2. Cor 3.* — *Ca. 32. in Enchirid.* — *De dogmat. eccle. ca. 21* — *Hiere 31.* — *Lex Dei eſt charitas* — *De ſpiritu et litera. ca. 17*

Caluinus. *Sed hoc eſt ſcilicet quod alicubi ab Auguſtino traditum eſt, Laborant, inquit, homines vt inueniant in noſtra voluntate, quid boni ſit noſtrum quod nobis non ſit ex Deo, & quid inueniri poſſit ignoro. At verò, vt alibi tradit, Si relinqueretur homini ſua voluntas, vt in adiutorio Dei maneret ſi vellet, nec Deus etiam efficeret ipſum velle, inter tot ac tantas tentationes infirmitate ſua volũtas ſuccumberet. Ideo ſubuentum eſt infirmitati voũltatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter & inſeparabiliter ageretur, & ideo quamuis infirma non deficeret.*

Ezech 18 li. 2. de peccatorum meritis cap. 18.

Reſponſio. Cap. 11. Et nos cum B. Auguſt. confitemur & docemus nihil boni eſſe noſtrum, quod nobis non ſit ex Deo. Docuimus enim ſuperiùs ex 2. eius libro contra duas epiſtolas Pelagianorum, quòd Deus multa bona facit in homine, quæ non facit homo. ſed quòd nulla facit homo, quæ non facit Deus vt faciat homo. Vbi etiam oſtendit quod nec boni quicquam ex nobis incipere poſſumus, nec perficere quaſi ex nobis, nec cogitare, nec cupe-

re, nec operari. Et cap. ſequenti per ſolam gratiam Dei bonum eſſe in nobis multipliter oſtenditur. Non igitur laboramus nos vt inueniamus in noſtra voluntate, quid boni ſit noſtrum quod nobis non ſit ex Deo. Scimus enim huiuſmodi inueniri non poſſe.

Li.2.de peccatorum meritis cap.13.

Diſputat autem B. Auguſtinus eo capite quod citat Caluinus, cum Pelagio, qui docebat bonam voluntatem eſſe ex viribus liberi arbitrij. Et quia huius capitis ſolum fragmentũ adfert Calui. ipſum caput integrum hic inſeremus, quum multum illuſtret noſtram diſputationẽ & ſententiam. Docens enim quod omne bonum quod habemus, à Deo accipimus, quodq; in voluntate nihil boni ſit noſtrum quod nobis non ſit ex Deo, præmonet ne ſic gratiam defendamus, vt liberum arbitriũ auferre videamur: rurſus ne ſic aſſeramus liberum arbitrium, vt ſuperba impietate, ingrati Dei gratiæ iudicemur. Illud namque Apoſtoli, Quid habes quod nõ accepiſti, ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi nõ acceperis. ſic defendere quidam voluerunt, vt dicerent ideo quicquid etiam bonæ voluntatis habet homo, Deo tribuẽdum eſſe: quia & hoc in ipſo eſſe non poſſet, ſi homo ipſe nõ eſſet. Cùm vero vt ſit aliquid, atque vt homo ſit, non habeat niſi à Deo, Cur non authori tribuatur etiam quicquid in illo eſt bonæ voluntatis, quod non eſſet, niſi eſſet in quo eſſet? Sed hoc modo, inquit, etiam illud dici poteſt, malam quoq; voluntatem Deo authori tribuendam eſſe: quia nec ipſa eſſe poteſt in homine, niſi homo eſſet in quo eſſet: vt autem homo ſit, Deus author eſt, & ita eius quoq; malæ voluntatis, quæ niſi hominem haberet in quo eſſet, eſſe omnino non poſſet, ad authorem Deum eſſe referendum: quod nefas eſt dicere. Quapropter niſi obtineamus non ſolum voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur atque in eis naturalibus bonis eſt, quibus & malè vti malus poteſt: ſed etiam voluntatem bonam quæ iam in eis bonis eſt quorum vſus non poteſt eſſe malus, niſi ex Deo nobis eſſe poſſe, neſcio quemadmodum defendamus quod dictum eſt, Quid enim habes quod non accepiſti. Nam ſi nobis libera quædam voluntas ex Deo eſt, quæ adhuc poteſt eſſe vel bona vel mala, bona verò volũtas ex nobis eſt, melius eſt id quod à nobis quam quod ab illo eſt Quod ſi abſurdiſsimè dicitur, oportet etiam fateantur bonam voluntatem diuinitus adipiſci: quanquam voluntas mirum ſi poteſt in medio quodam ita conſiſtere, vt nec bona nec mala ſit. Aut enim iuſtitiã diligimus, & bona eſt: & ſi magis diligimus, magis bona: ſin minus, minus bona eſt: aut ſi omnino non diligimus, non eſt bona. Quis verò dubitet dicere voluntatem nullo modo iuſtitiam diligentem non modò eſſe malam, ſed etiam peſſimam voluntatem? Si ergo voluntas aut bona eſt aut mala, & vtique malam non habemus ex Deo, reſtat vt bonam voluntatem ex Deo habeamus: alioquin neſcio,

Nefas eſt malam voluntatem ad Deum tanquam authorẽ referre.

cùm ab eo iuſtificamur, quo alio munere ipſius gaudere debeamus. Declarans autem quo modo bonam voluntatem à Deo habemus, Hinc, ait, ſcriptum arbitror, Paratur voluntas à Domino, Et in pſalmo. A domino greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet. Item quod Apoſtolus ait Deus eſt enim qui operatur nobis & velle & operari pro bona voluntate. Quocirca quoniam quod à Deo nos auertimus, noſtrum eſt, & hæc eſt voluntas mala: quod verò ad Deum nos conuertimus, niſi ipſo excitante & adiuuante non poſſumus: & hæc eſt voluntas bona, quid habemus quod non accepimus? Ex quibus manifeſtum eſt ſentẽtiam B. Aug. eſſe, quòd ratio liberi arbitrij habeat huc atq; illuc liberum flecti. quodque ſine huiuſmodi libertatis arbitrij præiudicio defendenda eſt gratia. Item quòd noſtrum etiã ſit, quòd ad Deum nos conuertimus, ipſo excitante & adiuuãte: ſolum autem noſtrum ſit quòd à Deo nos auertimus. Quæ omnia ſunt contra Caluini doctrinam, ſed eadem quæ docemus nos. Altera autem ſententia quam ex Auguſtino citat, non loquitur contra liberã cooperationem liberi arb. in opere pietatis cum gratia, de qua tamen agunt patres (contra quos eam adducit) in hoc capite, ſed de perſeuerantia in bono vſque ad finem vitæ, ad quam neceſſarium eſſe Dei auxiliũm dirigens & protegens contra tentationum impulſus, ſuprà ſatis declarauimus: propter quos inſultus etiã iuſtus à Deo petere debet Ne nos inducas in tentationẽ, & libera nos à malo. Multis enim datur gratia, quibus nõ datur in ea perſeuerare. De quo latè diximus circa propoſitionem nonam & decimã ſuprà poſitam. Nos quidem liberè confitemur atque docemus poſt ſcripturas, & Beatum Auguſt. veriſsimam eſſe hanc eius ſententiam: attamen quamuis infirma hominis voluntas indeclinabiliter & inſeparabiliter diuina gratia agatur: agitur tamen vt liberè agat & prudenter ſe regat, non vt aguntur animalia bruta: & ideo quamuis infirma non deficiat, deficere tamen in ſua habet poteſtate, & auxilium quo ſic agitur deſerere: ac in eo manere, ſi velit. Sic enim habet author lib. de vocatione omniũ gentium, certiſsimè nouerimus nullum fidelium à Deo non diſcedentem relinqui. neque cuiuſquam ruinam ex diuina eſſe conſtitutione diſpoſitam: ſed multis qui iã iudicio rationis vtuntur, ideo liberum eſſe diſcedere, vt nõ diſceſsiſſe ſit præmiũ: & vt quod nõ poteſt, niſi cooperante ſpiritu Dei, fieri, eorũ meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri. Item ca. 9. Quòd opitulatio gratiæ quæ per innumeros modos ſiue occultos ſiue manifeſtos, omnibus adhibetur, à multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ: quod autem à multis ſuſcipitur gratiæ eſt diuinæ & voluntatis humanæ. Siue igitur initia, ſiue profectus fidelium, ſiue vſque in finem perſeuerantium cogitemus genus, nulla ſpecies cuiuſquã virtutis occurit, quæ vel ſine dono diuinæ gra-

Pſal.36.

Philip.2.

De corre. & grat. cap.2.

Auguſtinus de corre. & gra. cap.2.

De bono perſeuer. cap.7.

Lib.2.cap. 4. & 9.

tiæ,vel ſine conſenſu noſtræ voluntatis habeatur.Et in fine cap.Vniuerſis qui in fide & dilectione permanent, ab ipſo donatur ne in tentatione ſuperentur, vt qui gloriatur in Domino glorietur,ipſamque gloriam eiſdem quibus eam impertit aſcribit,vt quamuis auxilio Dei ſteterit, tamen quia in ſe habebant vnde caderent ipſorum ſit meritum quod ſteterunt.Igitur ſicut qui crediderunt iuuantur vt in fide maneant, ſic & qui nondum crediderunt iuuantur vt credant : Et quemadmodum illi in ſua habent poteſtate vt exeant, ita & iſti in ſua habent poteſtate ne veniant : Hanc doctrinam omnino eandem tradunt patres Concilij Tridentini,quã hic impugnat Ioãnes Caluinus:docent eandem ſcripturæ ſacræ. Ait enim Apoſtolus
Rom 11. Paulus,Noli altum ſapere,ſed time.Si enim Deus naturalib⁹ ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & ſeueritatem Dei in eos quidem qui ceciderunt ſeueritatem, in te autem bonitatem Dei,ſi permanſeris in bonitate,alioqui& tu excideris: ſed & illi ſi non permanſerint in
1. Cor.9. incredulitate inſerentur.Et alio loco,Caſtigo corpus meum,&in ſeruitutem redigo,ne cùm alijs prędicauerim ipſe reprobus efficiar.Item,Qui ſe exiſtimat ſtare,videat ne cadat.
1. Cor.10. Propter quod B.Bern.in ſerm.de duplici baptiſmo, trãctãs locũ Apoſt. ad Roma.8. Quis ſeparabit nos à charitate Chriſti? Multa hic ponit Apoſt.inquit:non tamen adijciens,Nec nos ipſi : Nulla nos creatura ab ipſo auellere poteſt. Soli id deſerere poſſumus propria voluntate. Et ideo diuina gratia indeclinabiliter & inſeparabiliter voluntas agitur,vt(quãuis infirma)non deficiat, neq; aduerſitate aliqua vincatur, ſi tamen diuinæ gratiæ nõ defuerit. Vigilate,inquit Saluator:& iterum ac tertiò dicit,Vigilate. Tunc enim nulla nos vincere poteſt aduerſaria poteſtas,diuinæ gratiæ virtute adiutos, quam negligere poſſumus, hoſti cedere atque locum in nobis dare: ſed quòd tunc vincimur ex noſtra eſt ignauia,noſtro vitio, & non ex aduerſarij virtute ſupra diuinam gratiam. Nunquam enim neceſsitatem adducit diuina gratia quamuis potentiſsima. Semper enim ſicut vti, ita & negligere eam poſſumus.Mouet enim liberum arbitrium ſecundum modum naturæ eius, & relinquit modum liberè volendi, qui ei eſt naturalis: quemadmodũ Philippus veritatis euidentia conuictus, frequenter confitetur & repetit in locis poſterioribus: Indeclinabiliter tamen & inſeparabiliter à diuina gratia, noſtra agitur voluntas:quia fieri non poteſt,vt declinet ab eo ad quod Deus eam ſecundum æternum ſuum propoſitum flectit, nec vt ſeparet ſe ab eo aliorſum quàm ad quod ab ipſo dirigitur.Infirma namq; voluntas hanc virtutem accipit à Deo vt contemnat, & ſuperet vniuerſas malorum tentationes, Deo ſimul ſeruante & protegente. Fidelis De-
1. Cor.10. us eſt,ait Apoſt.qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cũ tentatione prouẽtum, vt poſsitis ſuſtinere: virtus enim liberi arbitrij,vt ex Apoſt. citat Auguſt.hic perficitur per gratiam, non tollitur: & in eius manet poteſtate vt peccet: quamuis ſimul ſtare nequeant, vt ſcilicet ſecundum Dei propoſitum agatur, & ipſum non ſequatur.Non enim ex inſeparabilitate aut indeclinabilitate ſequitur neceſsitas, quum Dei voluntas indeclinabilis ſit &inſeparabilis à ſuo iudicio, quæ tamen liberrimè omnia agit ſecundũ conſilium voluntatis ſuæ. Et ſicut virtus moralis non mutat naturalem agendi modum voluntatis,ſed magis liberam facit electionem, ita & virtus, robur & fortitudo, quam gratia ei tribuit. Non enim tam vehemens poteſt eſſe impulſus ad bonum vel malum, vt ipſum neceſſario ſequamur . Nihil difficultatis adfert hæc B.Aug.ſententia, ſi legantur ea quæ præcedunt,& quæ vſq; ad finem ca. ſequuntur. Nam ca.8.eiuſdem li.explicãs verba Saluatoris.Rogaui pro te Petre,vt non deficiat fides Luca.22.
tua, Quando,inquit, rogauit, ne fides eius deficeret,quid aliud rogauit quàm vt haberet in fide liberrimam,fortiſsimã,inuictiſsimam, perſeuerantiſsimam voluntatem? Ecce quemadmodum ſecundum gratiam Dei, non contra eam libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana nõ libertate conſequitur gratiam,ſed gratia potius libertatem,& vt perſeueret delectabilem perpetuitatem, & inſuperabilem fortitudinem.

Excudunt autem Neptunij patres in noua officina,quod Auguſtino fuit ignotum, non eſſe ex Deo gratiæ receptionem , quia libero voluntatis propriæ motu Deo vocanti aſſentiamur. At repugnat ſcriptura, quæ Deum authorem facit bonæ voluptatis. Aliud eſt moueri à Deo voluntatem, vt obſequatur ſi libeat, aliud autem formari vt bona ſit. Porrò non ſe facturum promittit Deus, vt poſſimus bene velle,ſed vt bene velimus, imò vltrà progreditur,cũ dicit, Faciam vt ambuletis. Quod diligenter ab Auguſtino annotatum eſt : atq; idẽ Paulus affirmat,cum docet Deum eſſe qui & velle efficit in nobis & perficere pro ſuo beneplacito. Caluinus.

Hîc Caluinum memorem eſſe oportebat Reſponſio.
eius ſcripturæ quæ dicit,Principi populi tui Exod.22.
non maledices.Item illius:Vę qui prædaris, Eſa.33.
nonne & ipſe prædaberis? & qui ſpernis,nõne & ipſe ſperneris ? Prouer.3.
Cùm fatigatus deſieris contemnere,ipſe tunc contemneris. Et ipſe dominus deludet illuſores: quia abominatio eſt domino omnis illuſor,& cum ſimplicibus ſermocinatio eius. Magna eſt autem irriſio reuerendos Epiſcopos,quos ſpiritus ſãctus poſuit regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo,vocare patres Neptunios quaſi idololatras, qui Neptunum colãt aut imitentur:quibus inſuper falſum imponit. Non enim dicunt, nec etiam nos docemus non eſſe ex Deo gratiæ receptionem, ſed omnino contrarium , quòd niſi à Deo gratia nõ recipitur. Gratiam enim & gloriã dabit Dominus. Vt enim velimus, inquit B. Aug. multas ſalutares cogitationes, atq; ex

eis ſanctos affectus in nobis ſine nobis operatur Deus. Non eni in noſtra eſt poteſtate quibus viſis tangamur. Sunt tamen & aliæ gratiæ, quas ſolum noſtra voluntate accipimus, & libero eius aſſenſu, qualis eſt gratia iuſtificationis, fidei, ſpei, et charitatis. Nam qui creauit te, inquit B. Aug. ſine te, non iuſtificabit te ſine te. Et aſſentimur gratiæ vocanti, trahenti, ducenti & ſuſcipienti, libero atq; proprio voluntatis motu: Hoc patres hic docēt, de quo etiam eſt dogma eccleſiaſticum & expreſſa ſenten. B. Aug. libro De ſpiritu & litera, vbi ait, Conſentire vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt. Item libro 83. q. 68. Rurſus B. Ambro lib. 2. de vocatione gentium. Quæ omnia ſupra latius declarauimus: vbi etiam hoc diximus quo ſenſu B. Ambro. dicat, ca. 9. eiuſdem lib. quod gratiæ ſit diuinæ & voluntatis humanæ quod opitulatio gratiæ à multis ſuſcipitur. Ideo quod B. Aug. in locis nunc citatis, tantú ad noſtræ voluntatis poteſtatē referr. Quòd enim pars aliqua ſalutaris eligatur, & ad eā ſe volūtas inclinet, ad ſolam libertatē referri poteſt, hic ſcilicet modus vnū libere præ alio eligendi. Nō enim referri poteſt, niſi ad voluntatis libertatem, quamuis ex gratiæ perſuaſione & cooperatione fiat omnis electio ſancta ac libera. Atq; hoc intellectu ſolius liberi arbitrij eſt cōſentire, Deoq; vocanti acquieſcere, ita vt Dei vocationem nō negligat, ſed apprædendat, iuxta dogma Eccleſiaſticum. Nec hoc dicentes facimus nos bonæ volūtatis authores: ſed docemus quòd Deo in nobis operante velle, eadem voluntate & eodem velle liberè volumus, & in his quæ Deus agit in nobis nos libere cooperamur: & hoc noſtrum eſſe eſt ex natura li. arbitrij, quam Deus in nobis plantauit & condidit. Multæ tamen bonæ cogitationes, affectus & deſideria in nobis ſunt à Deo ſolo, in quibus locum nō habet liberum arbitrium. Ea autem voluntas de qua ſancti angeli in ſuo cantico Gloria in excelſis Deo, & pax hominibus bonæ voluntatis, eſſe non poteſt ſine noſtræ voluntatis aſſenſu libero. Docem' etiam nos, aliud eſſe moueri à Deo voluntatem, vt obſequatur ſi libeat, & aliud eſſe formari vt bona ſit. Addimus & tertium, aliud eſſe voluntatem moueri vt libeat & velit: tametſi ad præſentem diſputationem nihil pertineant. Formatur autem voluntas vt bona ſit, quando accipit charitatem Dei per ſpiritum viuificantem, quo potens efficitur, vt mandata Dei impleat, & Deum toto corde diligat. Hic enim ſpiritus eſt forma faciens hominem conſortem diuinæ naturæ & filium Dei. Mouetur autem voluntas à Deo, vt obſequatur vocationi ſi libeat, quando immittuntur ſanctæ cogitationes ſanctiq; affectus quibus obſequi poteſt ſi velit. Si autem velit & libeat obſequi, ad hoc diuinitus etiam mouetur. Huius diuerſitatis cauſam refert Aug. ad diuerſam hominum affectionem & perſuaſionē. Quoſdam enim vocat eo modo quo modo aptum eſt eis vt ſequantur: alios verò non ſic vocat, vt ibi proſequitur. Nec ſolum mouetur à Deo voluntas hominis iuſti, vt iuſtè operetur & viuat, ſed & impij, vt conuertatur, ſeq; ad iuſtitiā præparet. Adiuuat enim nos, & ſpiritus nndum inhabitans: Volūtatem autem bonam nō facit niſi Dominus infundendo ſpiritum nouum, & cor mundum atq; rectum in viſceribus noſtris creando, ac ſine nobis eam operando: quamuis noſtram requirat præparationem, iuxta mandatum Domini, Proijcite a vobis omnes iniquitates veſtras, & facite vobis cor nouū & ſpiritum nouum. Conuertimini & agite pœnitentiā. Fallitur hic Ioā. Calvin' in eo quod arbitratur, non poſſe fieri quòd Deo faciente bonā in nobis voluntatē, & nos ambulare in mandatis eius, hoc ipſum & nos liberè velimus & ambulemus in eis, quum tamen nihil tam ſit in noſtra poteſtate (ait frequēter B. Aug.) quam ipſa voluntas. Promittit autem ſe facturum Deus, imo & facit non tantum vt poſſimus bene velle, & poſſimus ambulare, eiuſque voluntatem facere: ſed hæc operatur ſecundum modum & conditionem naturæ humanæ, qui eſt liberè velle, liberè ambulare, & reliqua facere, ita vt in manu atque poteſtate habeamus agere his contraria, multa autem opera pietatis nos poſſe facere quæ non facimus: Nec facere omnia quæ facimus, & multo plura nos facere poſſe quæ non facimus ſuperius oſtendimus ex capite. 19. Matthæi. & capitulo vltimo epiſtolæ ad Epheſios & locis alijs. Deus itaque velle efficit in nobis & perficere, ſed non ſine nobis noſtræq; voluntatis libera cooperatione.

De verbis Apoſt. ſer. 15.
Cap. 24.
Ca. 4. & 9.
De dogma. eccl. cap. 21.
Li. 1. ad Simpli. quæſt. 2. Aug. epiſt. 110. ad Sixtum.
Ezech. 18.
Lib. 3. de li. arb. ca. 3. li. 1. retract. c. 8. & ca. 22.

Calvinus.

In eo hallucinantur, quod motum nobis offerri ſomniāt qui mediam electionem nobis relinquat: nihil autem de efficacia illa cogitant, qua cor hominis renouatur, vt ex prauo fiat rectum. Hac verò efficax ſpiritus ſancti operatio ab Hiere. ca. 32. deſcribitur, cum ita loquitur in perſona Dei, Ponam timorem nominis mei in cordibus eorum, ne declinent à mandatis meis. Denique in eo falluntur quod nullum obſeruant inter regenerationis gratiam qua nunc miſeriæ noſtræ ſubuenit, & primam quæ Adæ data fuerat, diſcrimen: quòd diligenter Aug. exponit, Per mediatorem Chriſtū, inquit, ex malis Deus facit deinceps in æternum bonos. Iſtam gratiam non habuit primus homo, qua nunquam vellet eſſe malus. Tale quippe erat adiutorium quòd deſereret cum vellet, & in quo permaneret ſi vellet: nō quo fieret vt vellet. Sed potentior eſt gratia in ſecundo Adam, qua fit etiam vt velimus: tantumq; velimus, ac tanto ardore diligamus, vt carnis voluntatem contraria concupiſcentē voluntate ſpiritus vincamus. Paulò poſt, Eſt in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiēdo & perſeueranter tenendo nō ſolum poſſe quod volumus, verum etiam velle quod poſſumus.

Responſio.

Nos non hallucinamur, ſed ſecundum ſcripturam docemus motionē Dei ſæpe nobis

bis

bis offerri, hoc eſt gratiam Dei nobis paratã eſſe & exhibendam, ſi nos aptos & idoneos exhiberemus, & per noſtram culpam non impediretur: quamuis multis etiam indignis non ſolùm eam offerat, ſed & exhibeat Deus bonas cogitationes, quibus pœnitentiam & ſancta opera exerceri poſſent, inſpirando, qui tamen eam negligunt, & in vacuum recipiunt. Relinquunt igitur motus Dei, libertatem ſequendi, eligendi, & refutandi ea ad quæ inſpirantur. Docent iſtud, vt diximus B. Ambr. B. Aug. locis paulò ſupra citatis, & poſt eos patres, quibus ſe opponit Ioannes Caluinus. Sic enim Deus liberum mouet arbitrium, vt ſaluum relinquat naturalem modum eligendi & operandi, hoc eſt vt relinquat poteſtatem ad vtrumque ſe flectendi. Quomodocunq; enim moueatur arbitrium ad bonum vel malum, poteſt non ſequi: Nam qui cum gratia Dei perſeuerat in bono, eam peccando abijcere & non perſeuerare poteſt. Eademq; libertate ſequimur, quãdo nos efficaciter ad aliquid mouet ſuo ſancto ſpiritu perſuaſos. Indicibiliter quidem perſuaſibilia ſunt verba, quibus Deus electis ad cor loquitur: & ſemper ea ſequimur, relicta tamen poteſtate non ſequendi. Nullam enim perſuaſiones afferunt neceſsitatem. An verò alia ſit Dei motio, & efficacia præueniens in eo qui eam non ſequitur, alia gratia & efficacia in obſequente, in genere cauſæ efficientis: ſicut certum eſt aliam eſſe efficientiam in eo qui ſequitur, tractauimus in ſuperioribus, & diximus probabile eſſe quòd non oporteat aliam eſſe motionem aut nouam gratiam, voluntatem ſiue actionem præcedentem, quodq́ue ex ſola voluntatis libertate omninò eodem & æquè efficaci in eis exiſtente principio vnus gratiam ſequatur plerúque, & alter non ſequatur. Nam liberum arbitrium poſitis omnibus ad volendum & agendum requiſitis, poteſt non velle & non agere: ſicuti quando ignis calefacit, Deus ei cooperatur tanquam cauſa vniuerſalis, calorẽ vnà cum igne producendo & aliquid facit quod non faceret igne à calefaciendo impedito, eodem tamen & inuariato principio caloris. Et probabile eſt quod in genere cauſę efficientis prius natura quàm ignis calefacit, non aliter Deus moueat igne calefaciente, quã eo impedito. Et idem dicendum eſſe videtur de voluntate efficaciter aliquid volente, quòd in ea nihil prius natura requiritur quod non eſt in non volente. Et probabiliter in vtramque partem diſputari fortaſsis iſtud poteſt, vt liceat vnicuique in ſuo ſenſu hic abundare. Quod autem Caluinus hic proponit, quòd ſcilicet motio Dei electionem excludat, improbabile eſt, & ſcripturis & patribus aduerſatur. Efficacia aũt diuinæ motionis qua cor hominis ex prauo fit, rectum hominis fit cooperatione. Solius enim Dei potentia ſpiritus rectus innouatur & infunditur viſceribus noſtris: requirit tamẽ præuiam hominis pręparationem. Efficax verò ſpiritus ſancti operatio, de qua Hieremias, nõ eſt ea qua ex prauo fit rectum, ſed hæc illam præſuppònit. Timorem enim nominis ſui caſtum, ut à mandatis eius declinent, tantum ponit in cordibus filiorum, quæ recta & noua prius facta ſunt per eiuſdem ſpiritus inhabitationem. Nec ponit Auguſtinus diſcrimen inter regenerationis gratiã Adæ datam & nobis. Idem namque eſt ſpiritus viuificans, eadem vita, & idem naturæ diuinæ conſortium in eo & in nobis: Nos tamen per hanc gratiam ex mortuis regeneramur, & ex vetuſtate priſtinæ reſtituimur nouitati. Adam verò qui nunquam in morte nec vetuſtate fuerat per eandem gratiam, eundemque ſpiritum accepit eſſe diuinum, creatus in conſortio naturæ diuinæ. Eſt autem præcipuũ inter Adam & nos diſcrimen in ea gratia, per quam eſt obedientia, pax & tranquillitas omnium virium animæ ſub voluntate, & voluntatis ſub Deo, per cuius defectum ſecuta eſt infirmitas, & rebellio ac inobedientia omnium virium, poſtquam ipſe fuerat Domino ſuo inobediens: Ex qua infirmitate ſecuta eſt neceſsitas peccandi, & impotẽtia in bono vſq; ad finem perſeuerandi ſine ſingulari protectione & directione gratiæ diuinæ. Adam verò creatus eſt in ea virtute & fortitudine, qua perpetuò perſeuerare poterat per ſola dona quæ acceperat. Non autem eſt differentia in poſſe reſiſtere, & ad tempus perſeuerare contra particularem aliquam tentationẽ, qualem patiebatur à ſua vxore, & hæc à ſerpente. Reſiſtere enim poſſunt ſua virtute diuinitus accepta & perſeuerare homines iuſti contra tentationes multò grauiores, ſi tamen velint. Sicut enim Adam neglexit vti virtute ſua & perſeuerare, ita iuſti ſæpè ſe negligunt, & arma in quibus eſt eorũ virtus ſponte abijciunt, & ſe voluntariè tradunt in laqueos diaboli. Et ideò quod dicit B. Auguſt. capite citato de Adam, verum eſt etiam de quolibet homine iuſto non perſeuerante in bono.

[Lib. 2. de voca. gentiũ cap. 4. & 9. lib. 83. q. 64.]

[De corrept. & gratia. cap. 11 et 12.]

At ſcripturam ſibi quoque ſuffragari obtendunt. Nam cum dicitur, conuerte me Domine, & conuertar, ex eo colligunt præueniri homines Dei gratia. Rurſum ex his verbis, Cõuertimini ad me, et ego conuertar ad vos, liberi arbitrij vim eliciũt. Scio alicubi Auguſtinum hac diſtinctione vti: Sed longe diuerſo ſenſu. Diſertè enim teſtatur, idque plurimis locis, gratiam Dei ſic operari in nobis, vt ex nolentibus volentes faciat. Vnde etiam concludit, nihil hominem boni facere quod Deus in ipſo non faciat. Quid ergo, inquies, ſibi vult Auguſtinus, cum de libertate voluntatis loquitur? Nempè quòd toties repetit, non cogi homines inuitos Dei gratia, ſed voluntarios cogi, vt ſponte pareant ac ſequantur: ideò tamen quia eorum voluntas ex mala verſa ſit in bonam. Vnde illud, Nos ergo volumus, ſed Deus in nobis operatur & velle: Nos operamur, ſed Deus efficit & operari. Item, Bonum quod non tenemus niſi propria voluntate, non tamen tenebimus, niſi operetur in nobis & velle, Itẽ,

[Caluinus. Hiere. 31.]

[Lib. ad Bonif. 2. cap. 8.]

[De bono perſeuer. ca. 11. De gratia et libero arbit. cap. 13.]

Certum eſt nos velle cum volumus: ſed ille facit vt velimus: Certum eſt nos facere cum facimus: ſed ille facit vt faciamus, prebendo vires efficaciſſimas voluntati: Hac ſit ſumma, Perperam eos facere qui ſic inter Deum & nos partiuntur, vt obedientiam piæ voluntatis quæ Dei gratiæ aſſentitur ad nos transſcribant, cùm proprium ſit ipſius Dei opus.

Reſponſio. *De gratia & lib. arb. cap. 15.*

Reuera eis ſuffragatur, & quidem hæc ipſa quam citant. Nam eandem B. Auguſt. ſcribit Pelagium citaſſe contra gratiam pro libero arbitrio, qui credebat ſe per eam probare quòd ſecundum merita noſtræ conuerſionis ad Deum detur gratia qua ad nos ipſe conuertitur, & ob hoc dici, Conuertimini ad me, & conuertar ad vos. Qui, inquit, non attendunt quòd niſi donum Dei eſſet ipſa noſtra ad Deum conuerſio, non ei diceretur, Deus virtutum conuerte nos: &, Deus conuertens viuificabis nos. Non hic negat beatus Auguſt. ad liberum pertinere arbitrium, quòd ad Deum conuertimur, ſed negat id fieri niſi ex præcedente dono Dei. Atq; ex hac & ſimilibus ſcripturis poſt B. Auguſt. patres verè eliciunt vim liberi arbitrij. Et agnoſcit Caluinus B. Auguſt. hac eadem diſtinctione vſum eſſe ante patres ſynodi, ſed contendit diuerſo ſenſu eundem hac eſſe vſum: quod perſuadere nititur ex eo quòd diſertè teſtetur plurimis in locis gratiam Dei ſic operari in nobis, vt ex nolentibus volentes faciat: quia docet hominẽ nihil boni facere quod Deus in ipſo non faciat: quaſi neceſſariò velimus & faciamus atque operemur id quod Dei dono facimus, & quod ipſe nos velle & operari facit: perinde ac ſi non poſsit voluntatem ad opus mouere, niſi violando naturalem operandi modum, quem ei concreauit. Facit quidem Deus nos multa velle, multa facere: in noſtra tamen relinquens poteſtate hanc Dei gratiam abijcere, & nolle facere illud cuius nobis inſpirat voluntatem. Sciens autem Caluinus ex huiuſmodi præceptis B. Auguſt. frequẽter colligere arbitrij voluntatem, ſibi obijcit. Quid ergo ſibi vult Aug. cum de libertate voluntatis loquitur? Non cogi, inquit, homines inuitos Dei gratia. Certè plus requirere libertatẽ arbitrij, ſecũdum B. Auguſt. & vniuerſos Chriſtianæ profeſsionis patres, ipſam quoque nominis rationem, nimirum, vt huc atq; illuc flectatur, ipſe Caluinus in ſua Inſtitutione teſtatur: nec vllus vnquam hæreticorum arbitrij libertatem negãs, ſpontaneitatem negauit, aut ſpontè agere pueros, amentes & ebrios, non autem liberè, docet vt diximus Ariſtoteles 3. Ethic. Et ideò omniũ doctorum & indoctorum communi animorum conceptione alia eſt electionis libertas, quàm ſpontaneitas: quemadmodum id ſupra declaratum eſt. Et efficit in nobis Deus velle & operari, ſed liberè, vt in noſtra ſit poteſtate aliò flecti: in quo eſt præcipuus totius huis diſputationis ſtatus. Nec hæc docẽtes inter Deum & nos partimur. Nam obedientiam piæ voluntatis, quæ Dei gratiæ aſſentitur, totam Deo aſſcribimus: quod tamen volũtas aſſentiatur potens diſſentire, quodque ſe ad obedientiam determinet, ad libertatẽ arbitrij pertinet: hoc eſt modus iſte liberè aſſentiendi ad arbitrij libertatem ſpectet.

Zach. 1. *Pſal 79.* *Pſal. 84.*

Aug cap. 2. 4. & 5. de grat. & lib. arbit.

In vtraque epiſtola ad Valẽtinum, & cap. 2. et 4. de gratia & lib. arb.

Caluinus.

Sed inſiſtunt prophetæ verbis quod conuerſionẽ à nobis eligendo liberũ arbitrium compellet: quod fruſtra faceret, eorum quidem opinione, niſi aliquod eſſet liberum arbitrium. Fateor ſanè abſurdas fore eiuſmodi locutiones niſi eſſet aliqua in homine voluntas: Non tamen propterea concedo liberam obſequendi facultatem inde poſſe colligi. Valde enim nouitios eſſe oportet veterandos iſtos patres, ſi ex præceptis æſtimant quid valeat homo: cum ideo potius requirat à nobis Deus quod ſupra vires noſtras eſt, vt imbecillitatis noſtræ conuicti ſuperbiam omnem exuamus. Meminerimus ergo aliud eſſe voluntatem in homine, aliud liberã boni ac mali electionem, Sublata enim poſt lapſum primi hominis eligendi libertate, ſola voluntas relicta eſt, quæ ſub peccati tyrãnide captiua vſq; adeò tenetur, vt non niſi ad malum feratur.

Reſponſio.

Non voluntatem, ſed voluntatis arbitriũ, quod huc atque illuc liberum flectatur, requirunt prophetæ verba, ſecundum concordem B. Auguſt. & omnium patrum Eccleſiaſticorum doctrinam. Nam pueri & furioſi ex hac cauſa non magis ſunt præcepti capaces, quàm animalia bruta: quæ, ſicut illi, non coacta nec inuita, ſed ſpontè multa operantur. Et vniuerſi patres ſacris ſcripturis edocti, ex ſcripturarum præceptis voluntatis libertatem concorditer concludunt. Atque Cicero, vt inquit Auguſtinus, maluit negare Deum futurorũ eſſe præſcium, quàm negare eſſe in noſtra poteſtate: Quia, inquit, fruſtra leges dantur & exhortationes adhibentur, ſi in noſtra non ſunt poteſtate quæ agimus, hæc omnia in ſuperioribus prolixius tractauimus. Et ex præceptis rectè colligitur quid valeat homo, non ex ſuis viribus, ſed ex gratia Dei, viribuſque adiutis ac præparatis à Domino. Non enim à nobis per ſua præcepta exigit Dominus quod eſt nobis impoſſibile. Nam vt dicit B. Aug. nec impoſsibile aliquid potuit imperare, quia iuſtus eſt: nec damnaturus eſt hominẽ pro eo quod non potuit vitare, quia pius eſt. Item alibi, Non igitur inquit Deus impoſsibilia iubet, ſed iubendo admonet & facere quod poſsis, & petere quod non poſsis. rurſus, Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant quando dicunt. Non iuberet Deus, quod ſciret nõ poſſe ab homine fieri. Quis hoc neſciat? Sed ideò iubet aliqua quæ non poſſumus, vt nouerimus quid ab illo petere debeamus. Ipſa eſt enim fides quæ orando impetrat, quod lex imperat. Et poſt pauca, Certum eſt nos mandata ſeruare, ſi volumus: ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendũ eſt, vt tantum velimus, quantum ſufficit vt volendo faciamus. Ac B. Hieronymus. Deus homini poſsibilia mandauit: Hoc, inquit, ne-

Lib. 5. de ciuit. cap. 9.

Serm. 61. de tempore: & lib de natura & gratia cap penult. De gratia et lib arbitrio cap. 16.

Lib. 3 aduerſus Pelag. initio Hom. 2. in Cantic.

mini

mini dubium eſt. Et Origenes de præceptis dilectionis Dei & proximi loquens, Nõ eſt, inquit, inordinatus ſermo diuinus, nec impoſsibilia præcipit. Meminimꝰ & nos aliud eſſe voluntatem in homine, aliud liberam boni ac mali electionem. Quod autem poſt lapſum primi hominis ſublata ſit eligendi libertas, & relicta ſola voluntas, qua tanquã bruta animalia neceſſariò feramur in commoda quæ proponuntur, & omnia incommoda fugiamus, nec ſit in poteſtate noſtra vitare mendacium, fornicationem aut periurium, nec per Dei gratiam de peccatis pœnitere, ad Dominum conuerti, & Deo eiuſque ministro peccata confiteri, palam reclamant ſcipturæ. Et audet pronunciare B. Auguſtin. quòd hæc dicens Catholicus non eſt. Quod autem dicit Caluinus volũtatem poſt lapſum primi hominis ſub ea captiuitate tyrannidis teneri, vt non niſi ad malum feratur, multis Apoſtoli Pauli ſententijs aduerſatur. Ait enim, Peccatum vobis non dominabitur. Nõ enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia. Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati & mortis. Nam quod impoſsibile erat legi in quo infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum mittẽs in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum. Et qui ſecundum ſpiritum ſũnt quæ ſunt ſpiritus ſentiunt. Et alio loco, Non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberauit. Nec ſecundum ſpiritum & totam volũtatem captiuus eſt homo, ſed ſecũdum carnem duntaxat. Ego ipſe, inquit Paulus, mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati. Item libr. expoſitionis quarundam præpoſitionum ex epiſtola ad Rom. diſtinguit Auguſt. varios ſtatus liberi arbitrij: & dicit perfectũ fuiſſe in primo homine, in nobis autem ante gratiã non eſſe liberum arbitrium vt nõ peccemus, ſed tantum vt peccare nolimus, & gratiam efficere, vt non tantum velimus recta facere, ſed etiam poſsimus: non viribus noſtris, ſed liberatoris auxilio, qui nobis etiã perfectam pacem in reſurrectione tribuit, quæ pax bonam voluntatem conſequitur. Rurſum idem in Enchirid. quatuor differentias hominis ponit: & Magiſter in ſententijs lib. 2. diſtin. 25. Falſum eſt igitur quòd voluntas noſtra poſt peccatum Adæ non niſi ad malum feratur.

Lib. 3. Hyp. — *Rom. 6.* — *Rom. 8.* — *Galat. 4.* — *Cap 118.*

Caluinus. Ioan 3. Libr. 1 de prædeſt. ſanctorum c. 8.

Porrò ne longius hic immoremur, dico apertè pugnare quod hic pronunciant Tridentini patres, cum illa ſententia, Quiſquis audiuit à patre meo, venit ad me. Nam, vt prudenter animaduertit Auguſtinus, inde ſequitur, nullum à Deo audire et diſcere, quin ſimul in Chriſtum credat, motumq́ ſpiritus ſancti ſic eſſe efficacem, vt fidem ſemper gignat. Conſtituunt autem hoc in hominis opinione, vt Dei inſpirationi, ſi velit, auſcultet. Hæc nullo modo inter ſe conciliari poſſunt, Omnes qui à Deo didicerunt Chriſto credere, & non aliter valere ratamq́ eſſe Dei inſpirationem, niſi homines ex ſeipſis aſſentiantur. Prioris ſententiæ authorem habemus filium Dei, qui ſecum minimè diſsidet. Secundam ergo quæ prorſus contraria eſt, cui acceptam feremus niſi patri mendacij?

Reſponſio. Si Caluinus rectè intelligeret hanc Chriſti ſentẽtiam, Quiſquis audiuit à patre meo & didicit, venit ad me, non applicaret eam contra illa quæ patres hic docẽt de libertate arbitrij, conuerſioni peccatoris. Poſt B. Auguſtinus & nos animaduertimus ex ea nullũ à Deo audire & diſcere, quin ſimul in Chriſtum credat & veniat ad eum: ſed ad Chriſtũ nemo venit, nec in eum quiſquã credit, niſi libera voluntate ſua volens, imò nemo in ſchola patris diſcit, niſi liberè aduertere ad eius verba velit. Poteſt enim obturare aures cordis ſui ne audiat. Propter quod propheta dicit, Audiã quid loquatur in me Dominus. Et nos docemus motum ſpiritus ſic eſſe efficacem, vt in electis fidẽ gignat: ſed non ſemper, nec in omnibus. Atque ad eum veniunt quotcunque audiunt & diſcunt à patre, qui tamen vt diximus liberè veniũt & diſcunt. Nec mirãdum eſt, quòd in hominis poteſtate & optione conſtituamus, vt Dei inſpirationi ſi velit auſcultet, eamq́; reijciat ſi nolit, quando ſcriptura teſtatur multos reſiſtere ſpiritui ſancto, multosq́; ſpiritum extinguere, gratiam Dei in vacuum recipere, gratiæ Dei quoſdã deeſſe. Frequenter enim ſanctas cogitatiões & deſideria immittit Deus, quibus contemptis noſtri cordis ſequimur concilia. Attamẽ omnis qui audit à patre & iam perſuaſus didicit ab eo venit ad filium. Valde remota eſt, inquit B. Auguſtinus, à ſenſibus carnis hæc ſchola, in qua pater auditur & docet, vt veniatur ad filium. Iterum miſcet hic Caluinus inſpirationẽ cum doctrina patris, per quam diſcimus & venimus ad filiũ, quaſi nihil diſcriminis haberent. In eo enim qui à patre didicit perſuaſus vt auſcultet, ſemper operatur Deus vt velit, non ita in eo cui ſanctos affectus inſpirat. Nec difficilis eſt conciliatio inter hæc duo, Omnes qui à Deo didicerint Chriſto credunt. Et, Non aliter rata eſt Dei inſpiratio, imò nec interna doctrina, niſi homines ei aſſentiantur: non ex ſeipſis, ſed moti hac inſpiratione & doctrina: tum quòd nemo diſcat niſi auſcultare & diſcere velit, tum quòd poſtquam didicerit liberè veniat. Quis, inquit Auguſtinus, nõ videat & venire quenquam, & nõ venire arbitrio voluntatis? ſed hoc arbitrium poteſt eſſe ſolum, ſi non venit: non autem poteſt, niſi adiutum eſſe ſi venit: Et B. Thom. annotauit in commentarijs ſuper Ioannem poſt hãc beati Auguſtini doctrinam, quòd in hac Saluatoris ſentẽtia diſcere pertinet ad liberum arbitrium, & eius aſſenſum. Diximus tamen quòd Deus ita inuitare poteſt intellectum illuminando, & voluntatem inſpirando, vt non ſolùm indeclinabiliter & inſeparabiliter ſequantur, verum etiã neceſſariò, vt non ſit in noſtra poteſtate

De prædeſt. ſanctorum cap. 8. — *Libr. 1 de gratia Chriſti cap. 14.*

non

non cogitare, aut non velle diuinam inſpirationem ſuſcipere: vt ſi fiant ſine rationis deliberatione reuelatio & inſpiratio: & fortaſsis ſi etiam fiat ex pleno rationis iudicio, ratio tamen & voluntas à reflexu ſuper ſe actuſq; ſuos impediantur, vel à cogitationibus per quas iudicium immutari poſſet impediatur ratio, & quidem ita impediantur, vt occurrere vel potius aſſumi non poſsint. Quod ſi fiat aliquando, rarò certè fit. In electis autem impeditur ne huiuſmodi cogitationes ſe ingerant, occurrant aut aſſumãtur: non tamen hoc agitur, vt occurrere aut ab eis aſſumi non poſsint. His autem qui credunt & ad filium veniunt, datur à patre vt diſcant, & non occurrãt quæ à diſcendo impedirent, nec tamen tollitur eis illa cogitandi poteſtas, nec auditum auertendi ac relinquendi vltimum iudicium practicum de veniendo ad Chriſtum. Deinde circa 8. ca. eiuſdem 6. ſeſs. pergit Caluinus inuehi in patres Concilij Tridentini.

Caluinus.

Ac ne parum ſint in prædicandis hominum viribus liberales, iterum in hoc capite repetunt ſpiritum Dei agere in nobis ſecũdum propriam cuiuſque diſpoſitionem & cooperationem. Qualem, obſecro diſpoſitionem inueniet ſpiritus Dei in cordibus lapideis? An non pudet eos diſpoſitionem fingere, vbi ſpiritus ipſe vbiq; in ſcripturis pronunciat omnia eſſe contraria? Nam hoc gratia initium eſt, vt ex nolentibus adeóq; repugnantibus faciat volentes: vt fides tam in ſuis exordijs, quàm incrementis ad vltimam vſq; perfectionem, Dei ſit donum, & gratuita Dei electio ſit ſuſcipiendæ gratiæ præparatio, vt ait Auguſtinus. (*Libr. 1. de prædeſt. ſanctorum cap. 10. 11.*) *Et clara ſunt Pauli verba, Deum nos benedicere omni benedictione ſpirituali, quemadmodum nos elegit in Chriſto, ſecundum placitum voluntatis ſuæ.* (*Epheſ. 1. Cap 2.*) *Quibus certè nos cohibet, ne in tanto beneficio gratia Dei, placito gloriemur volũtatis noſtræ, inquit idem Auguſtinus. Itáne? vt quod Deo acceptum referre homo deberet, id illi quaſi meritum opponat? Nam vnde prima diſpoſitio, niſi quia ſumus Chriſti oues? Quis porrò ſibi tantũ auſit ſumere vt ſe ouem faciat?*

Reſponſio.

Secundum propriam vniuſcuiuſque diſpoſitionem & cooperationem, quæ tamen ex Dei vocatione & tractu procedunt, ſpiritus Dei in nobis agit. Dum autem quærit iterum Caluinus, Qualem, obſecro, diſpoſitionem inueniet ſpiritus Dei in cordibus lapideis? reſpõdemus quòd eam inueniet, quam ipſemet prius eſt operatus, noſtra plerunq; cooperatione. Nam ſcriptura hortatur: Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas: circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium: Facite vobis cor nouum. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Emundate manus peccatores, & purificate corda duplices animo. (*Hiere. 4. Iacob. 4. Ezech. 18.*) Hęc autem operamur diuina vocatione præuenti. Ipſe enim, inquit beatus Auguſtinus, (*Lib. 1. ad Si. q. 2.*) vnumquemque vocare nouit, prout nouit affectibus eius conuenire vt ſequatur. Quis audeat dicere Deo defuiſſe modum, quo etiam Eſau (cuius cor erat lapideum) ad eam fidem mentem applicaret voluntatemq; coniungeret, in qua Iacob iuſtificatus eſt? Mille modos habet Dominus quibus nouit lapidea corda contere re, & mollia reddere, idque ſubitò vel paulatim ſecũdum beneplacitũ voluntatis ſuæ. Nam verba ſapientium ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi. Nam & ferrum calore ignis liqueſcit, & duriſsimi lapides molleſcũt in leniſsimã calcem. Exemplum huius præparationis manifeſtum eſt in publicano & filio prodigo. (*Eccleſiaſtici vltimo.*) Cor namque lapideum non niſi duriſsimã volũtatem & aduerſus Deum omninò inflexibilem ſignificat. (*De gratia et lib. arbit. cap. 14.*) Talis autem volũtas varijs cogitationibus quas Deus immittere nouit remitti poteſt & molleſcere atque in contrariam mutari. De huiuſmodi præparatione infidelium ad fidem & credentium ad pœnitentiam prolixè agit Magiſter noſter Ioannes Driedonis, libr. de redempt. generis humani. (*Cap. 2. tractat. 4.*) Sed ſpiritus, inquit Caluinus, vbique in ſcripturis pronunciat omnia eſſe contraria. Intelligit credo, Omnia quæ ſunt in corde lapideo, Deo eſſe contraria: Sed non puto ei ſic eſſe contrària, vt neque conterere neque flectere ea poſsit, & hoc ipſum per voluntatis noſtræ, id eſt ipſius cordis noſtri miniſterium. Quod certè in ſcripturis ipſe ſpiritus frequenter teſtatur, quarum quædam ſtatim ſupra ſunt citatæ. Et quamuis ſapientia carnis Deo ſit inimica, & legi eius non ſubiecta, imò nec ſubiecta eſſe poſsit, nec Deo placere poſsint ij qui in carne ſunt: ſpiritum tamẽ ſuũ infundere poteſt atque ad hunc piè ſuſcipiendum præparare, per quem incipient eſſe in ſpiritu, vt parati ſint ad omnem ſpiritus motionem. Atqui liberè confitemur quod ſola virtute liberi arbitrij, ſe ad gratiam præparare non poſsint: Nec gratiæ initium eſt quod ex nolentibus ac repugnantibus faciat volentes, ſed eſt magnus in ea progreſſus. Præcedunt enim ſanctæ cogitationes mortis aut gehennæ, quibus terrore cõcutitur peccator. Confitemur præterea quod fides tam in ſuis exordijs quã incrementis ſit Dei donum, ſed dignatur in multis vti noſtra cooperatione. Et rectè ait Auguſtinus quod gratuita Dei electio ſuſcipiendæ gratiæ ſit præparatio: ſed præcedente vocatione. (*Rom. 8.*) Docet enim Apoſtolus Paulus electos prius vocari à Deo quàm iuſtificentur: ſicut prius iuſtificat quam magnificat. Quos, inquit, prædeſtinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & magnificauit. In vocatione verò eſt eorum præparatio. Nec dubitatur quin Deus nos benedicat omni benedictione ſpirituali, ſed diſputatur an huius benedictionis vſus in noſtra ſit poteſtate: id quod nos cum his patribus conſtanter ex ſcripturis affirmamus: & tamen non niſi in Domino gloriari poſſumus. Item quòd quærit. Vnde prima diſpoſitio, niſi quia ſumus Chriſti oues? Idem repetit quod dixerat gra-

rat gratuitam Dei electionem eſſe ſuſcipiendæ gratiæ præparationem. Nam intelligere videtur oues ſecundum æternam Dei electionem: quam & nos libenter confitemur eſſe ex mera Dei miſericordia, ſegregante à maſſa damnata: ſi tamen intelligat oues ſecundum promptam obedientiam, & innocentiam vitæ, quiſque ſe ouem facere poterit. Qui enim perdiderit animam ſuam, teſte Saluatore, viuificabit eam. Et B. Auguſt. Facit homo arborem bonam, inquit, quando Dei accipit gratiam: non ſe ex malo bonum per ſeipſum facit, ſed per illum & in illo qui ſemper eſt bonus.

Lucæ 17. De gratia Chriſti contra Pelag. cap. 19.

Caluinus. *Itaque Lucas cùm de efficaci vocatione loquitur, credidiſſe eos docet: non qui à ſeipſis erant diſpoſiti, ſed qui ad vitam erant præordinati.*

Reſponſio. Diximus neminem à ſeipſo diſponi poſſe, vt credat vel conuertatur ad Dominum, ſed ex Dei vocatione, in qua eius cor aperit, vt intendat his quę dicuntur. Atque ex hac Dei præordinatione procedunt omnes præparationes, quibus ad iuſtitiam præparamur.

Caluinus. *Atq; vt eiuſdem Auguſtini verbis concludam, Voluntas humana nō libertate gratiam conſequitur, ſed gratia libertatem: & vt perſeueret, delectabilem perpetuitatem, & inſeparabilem fortitudinem.*

Reſponſio. Libertatem intelligit beatus Auguſtinus facultatem iuſtè viuendi, & perſeueranter implendi Dei mandata. Hanc per gratiam Chriſti conſequimur. Eſt enim fructus gratiæ: & naturam liberi arbitrij longè ſuperat Chriſti gratia: quare ad eam conſequendam non ſufficit.

Caluinus. Matth. 7. Obijcit etiam Caluinus cōtra Canonem ſeptimum, qui habet, Si quis dixerit, Opera alia quæ ante iuſtificationem fiunt, quacunque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri: aut quantò vehementius quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tantò eum grauius peccare, anathema ſit, Contra hunc inquam canonem ſic obijcit.

Certè arbor mala non poteſt niſi malos fructus producere. Quis autē, niſi perditus, neget nos malas eſſe arbores, donec inſiti in Chriſtum ſimus? Ergo ſi quis bonus fructus in homine laudatur, in fide quæratur radix, vt Auguſtinus admonet. Deinde toties clamat Deus, ſe nō morari externas laruas, per fidē cordis inſpicere: & nominatim per Hiere. Qualis autem erit cordis munditles aut veritas, quod nō niſi fide purificari docet Petrus? Ergo præclarè Auguſtinus ad Bonifacium. Religio noſtra, inquit, iuſtos ab iniuſtis, nō operum, ſed ipſa fidei lege diſcernit: ſine qua, quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur. Ad hæc, ideo peccant infideles quicquid agant, quod facta ſua non ad legitimum finem referunt. Qua de re copiosè diſputat idem ſcriptor libro aduerſus Iulia. 4. Vnde & eleganter alibi errorem vocat illorum curſum, in quo vt quiſq; magis eſt ſtrenuus, longius à meta recedit, ideoq; fit miſerior. Ac tandem concludit, melius eſſe in via claudicare quàm extra viam currere. Et quid plura volumus? Apoſtolum anathematizent, qui negat abſque fide poſſe quempiam placere Deo: Chriſtum & Paulum anathematizent, qui omnes infideles mortuos eſſe pronunciant, ac per euangelium à morte ſuſcitari.

Præfatione in pſalm. 3. Cap. 5. Actor. 15. Lib. 1. cap. 5. Cap. 3. Præfatione in pſalm. 31. Hebr. 11. Epheſ. 2. Ioann. 5.

Reſponſio. Contra Pelagium & Celeſtinum lib. 1. cap. 18. & 19. Matth. 7.

Secundum ſententiam beati Auguſt. duæ arbores bona & mala, duo ſunt homines, bonus & malus. Quid eſt, inquit, bonus homo, niſi voluntatis bonæ, hoc eſt arbor radicis bonæ: Et quid eſt homo malus, niſi voluntatis malæ, hoc eſt arbor radicis malæ? Fructus autem harum radicum atque arborum facta ſunt, dicta ſunt, cogitata ſunt: quæ bona de bona voluntate procedunt, & mala de mala. Suas hæ arbores habent radices: bona, charitatem: mala, cupiditatem: non eandem, vt docebat Pelagius. Habemus, inquit iſte, poſsibilitatem vtriuſque partis ab eo inſitam, velut quandam radicem fructiferam atque fœcundam, quæ ex voluntate hominis diuerſa gignat & pariat: & quæ poſſit ad proprij cultoris arbitrium vel nitere flore virtutum, vel ſentibus horrere vitiorum. Vbi, inquit beatus Auguſt. contra euangelicam veritatem vnam eandemque radicem conſtituit bonorum & malorum? Arbor itaque bona, bonos duntaxat fructus facit, nec malos facere poteſt: & mala malos. Quicquid enim ex cupiditate, quæ ex Deo non eſt, proficiſcitur, malum eſſe oportet, & bonum quod ex radice charitatis. Non enim harum arborum fructus ſunt quæ ex earum radice non procedunt. Opera autem quæ fiunt ante iuſtificationem, & ad iuſtitiam diſponunt, non ſunt fructus bonæ arboris, nec etiam malæ, ſed ex dono Dei ſunt illuminantis & vocantis: non ex cupiditate, cui omninò aduerſantur. Non igitur ſunt fructus arboris malæ, ſed gratiæ per arborē malam operantis in ea pœnitentiam actuſque ſalutis. Nec habet euangelium quòd arbor mala non poſsit niſi malos fructus facere. Facit enim ramos, folia, & flores: quæ tametſi mala ſint, ſi ex malæ huius arboris radice proficiſcantur, laudabilia tamen eſſe poſſunt, ſi ex naturæ talentis ſolum procedant, vel ex gratijs quibus peccator à Domino præuenitur. Sunt autem propriè fructus boni ſecundum B. Auguſt. fructus veræ vitis (quæ eſt Chriſtus) quos eius palmites proferunt, quos alibi vocat fructus iuſtitiæ. Huiuſmodi fructus, arbor mala facere non poteſt: Et arbor bona ſolū fructus bonos facit ex ꝓpria ſua radice: mala tamen multa facit ex cupiditate, ſine qua nō eſt charitas in hac peregrinatione. Non enim eſt homo iuſtus in terra qui faciat bonum & nō peccet. Sunt igitur arbores malæ quotquot Chriſto non ſunt inſiti, qui eius non ſunt viua membra, quos Chriſti ſpiritus nō inhabitat, in quibus propterea nō inuenitur fructus bonus: multa tamen in eis operatur Deus per naturæ & gratiarum dona, quæ ſecundū iuſtitiæ regulas non ſolùm vituperari nō poſſunt, ſed & laudari

Ioan. 1. 15. De ſpiritu & litera et 15. Epiſtola priori ad Valentinum. Eccleſiaſ. 7. 2. Reg. 8. 2. Paral. 6.

laudari

laudari debent, aliena omninò à radice cupiditatis: per quæ Chriſtus eos diſponit ac præparat ad iuſtificationem: & ſunt fructus non arboris bonæ aut palmitum Chriſto inſitorum, ſed naturæ ac donorum Dei. Boni quidem fructus in fide quærenda eſt radix: ſed ſana manet fides in multis peccatoribus, qui palmites ſunt à vite amputati, vel adhuc ei adhærentes, ſed non vitaliter. Docemus autem Deum hæc opera nõ ſpectare ad propitiationem, ſi ex ſolis naturæ talentis proficiſcantur: reſpicit tamen quando ex fide, vocatione & benedictione ſua oriuntur. Nã cor contritum & humiliatum Deus deſpicere non poteſt. Fides enim qua Deus cognoſcitur propitius & propitiabilis in peccatores, ſalua in eis poſt perditam munditiem & purificationem manere poteſt. Et rectè dicit beatus Auguſtinus, quòd noſtra religio diſcernat iuſtos ab iniuſtis per fidẽ, ſed non opera iuſta ab iniuſtis. Et quicquid fuerit de infidelibus, manifeſtum eſt quòd fideles in peccatum mortale lapſi ea quæ agunt, referre poſsint ad finem legitimum. Ac beatus Auguſtinus docens infidelibus atque impijs nulla eſſe opera bona, quo ſenſu id dixerit, in fine capitis declarat. Scito, inquit, nos illud bonum hominum dicere illud opus bonum, per quod ſolum ad æternum Dei regnum homo perduci poteſt. Atque verè erroneus eſt eorũ curſus, qui Chriſtum ignorant, quia extra viam currunt, & ideò veræ vitæ ſcopo fruſtrabuntur. Et cum Apoſtolo dicimus anathema his qui dicunt abſque Chriſto quenquam Deo placere poſſe: Item docemus omnes infideles, nec hos ſolos, ſed omnes qui Chriſti ſpiritum non habent, mortuos eſſe, & per euangelium à morte ſuſcitari, ſed paulatim: ſicut apud Marcum cæcus quidam illuminatus legitur.

Lib. 4. contra Iulianũ cap. 1.

Marc. 8.

FINIS PRIMI TOMI.

RVARDI TAPPERI AB ENCHVSIA, ECCLESIAE COLLEGIATAE S. PETRI LOVANIENSIS DECANI, ET EIVSDEM FLORENTISSIMAE ACADEMIAE CANCELLARII,

OPERVM TOMVS SECVNDVS.

Qui, quid contineat, vide lector poſt præfationem.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

In Officina Birckmannica.

cIↃ.IↃ.LXXXII.

Cum gratia & Priuilegio S. Cæſareæ Maieſtatis.

PHILIPPVS DEI GRATIA ANGLIÆ ET NEAPOLIS REX FIDEI DEFENSOR: PRINCEPS HISPANIARVM, DVX MEDIOLAnen. &cæt.

Venerabili, deuoto nobis dilecto Doctori Ruardo, Decano & Cancellario Louanienſi.

VENERABILIS deuote dilecte. Opus, quod nuper in lucem dederas contra eos errores, qui his temporibus oborti ſeu verius renouati ſunt, legimus libenter: fuitq; nobis ſupra modum gratum in eo perſpicere, & tuam pietatem cum ſingulari doctrina coniunctam, & intimam charitatem, & in veram religionem, ſtudium atq; conſtantiam. Quæ omnia nō potuimus non magnificare, præſertim in hoc rerum ſtatu, in quo tantum refriguit charitas, tantumque (quod non ſine dolore referre poſſumus) errorum atq; opinionum varietate laboratur, veritatiſq; viæ vndiquaque diſtorquentur & diſsipantur. Quum tamen intelligamus hunc tuum laborem non omnino abſolutum eſſe, multaq; adhuc ſupereſſe, quæ ſi ad huius mali remedium à te ſcripta manerent, & clariſſimam lucem poſteris, & maximum præſentibus commodum ſint allatura, te enixè hortamur, vt nō ſolùm in iſtis tuis tam pijs cœptis, & conſtanti in religionem animo, perſeueres, verùm etiam quantum vires & ætas tua ferre poterunt (quas nulla alia in re, aut melius, aut vtilius impendere potes) ſummam manum huic operi tam pio ac Chriſtiano imponas. Quod erit quidem certè tua probitate & eruditione dignum, Chriſtianæ Reip. non minus vtile, quàm neceſſarium, Deo optimo maximo imprimis gratum, nobiſque qui eius honorem omnibus (quæcunque illa ſint) anteferimus, quàm gratiſſimum. Canthuariæ Cal. Septembris. M.D.LVI.

PHILIPPVS.

G. Pereziu.

SERENISSIMO AC PIEN-TISSIMO D. PHILIPPO HISPANIAE, ANGLIAE, FRANCIAE, HIBERNIAE, NEAPOLIS, REGI, DOMINO AC PRINcipi noſtro.

QVANTVM per occupationes meas quotidianas eaſq; plurimas licuit, præſtiti Sereniſsime Rex, quod me in literis tuis, S. Maieſtas tua vt facerem adhortatur. Ecce offero Maieſtati tuæ Secundum Tomum Explicationis Articulorum venerandæ Facultatis noſtræ Theologiæ circa dogmata, quæ noſtro hoc ſeculo controuertuntur, vnà cum reſponſione ad argumenta, quibus ab aduerſarijs impetuntur. Complectitur autem hic Tomus articulos de impij iuſtificatione (in qua præcipuus ſacramentorum Baptiſmi & Pœnitentiæ fructus conſiſtit) & de reliquis quinq; catholicæ Eccleſię ſacramentis, Confirmatione, Extrema vnctione, Euchariſtia, Ordine & Matrimonio, ex quibus aduerſarij noſtri, quatuor quaſi inanes cæremonias & ritus ab hominibus inſtitutos à numero reijciunt ſacramentorum: de ſacra verò Euchariſtia, quam inter ſacramenta retinent, implacabiliter contendunt & rixātur, quibuſdam prorſus negantibus, alijs autem conſtanter defendentibus in ea ſubſtantialiter & realiter corpus & ſanguinem Domini cōtineri, ſed in vſu tantùm non permanenter, ſimilitudine aliorum ſacramentorum, quæ in vſu & actione duntaxat conſiſtunt, deceptis: qui præterea docent ſacram Euchariſtiam inſtitutā eſſe in peccatorum remiſſionem, ſicut Baptiſmum & Pœnitentiam, non in cibum & potum animæ, cùm tamen Chriſtus clariſſimis verbis teſtetur, carnem ſuam vere eſſe cibum, & ſuum ſanguinem verè eſſe potum. Quamuis igitur aduerſarij duo confiteantur & doceant eſſe ſacramenta, Baptiſmum videlicet & Euchariſtiam, eorum tamē ita corrumpunt ſignificationem & operationem, vt nullum agnoſcant ſecundum ſenſum Eccleſiæ catholicæ ſacramentum, ſed quaſi noui inſtitutores & reſtauratores, vetera abolentes, noua inſtituunt ſacramenta, Baptiſmum nouum, & ſacram Euchariſtiam nouam: quæ omnibus noſtris maioribus ſpiritu ſancto illuſtratis, fuerunt ignota.

Oſtendit itaq; hæc quam offerimus operis noſtri pars Confirmationem (quæ fit per ſacri chriſmatis conſignationem) Infirmorum vnctionem, Ordinem ſiue Sacerdotium & Matrimonium, vera & propria ratione eſſe ſacramenta, per quæ ſalutem noſtram Chriſtus efficaciter operatur, & ſacrā Euchariſtiam eſſe ſacramentum, ſiue ſignum corporis & ſanguinis Chriſti realiter & eſſentialiter præſentis & permanentis, & animā reficere per modum cibi & potus, ac proinde non eſſe in peccatorum remiſſionem. In his alijſq; dogmatibus Eccleſiaſticis hallucinātur & aberrant aduerſarij, ex peruerſa ſcripturarum intelligentia, quas detorquentes ſuis dogmatibus accōmodant, cum magis deberent doctrinam ſuam ex ipſis ſcripturis colligere, eiſq; accommodare ſecundum eum ſenſum intellectis, quo veteres ſcriptores Eccleſiaſtici eas ſunt interpretati: Quemadmodum docet B. Clemens papa & martyr, & in regimine Eccleſiæ B. Petri ſucceſſor, qui in hunc modū ſcribit ad Eccleſiam Hieroſolymitanam: Relatum eſt nobis quòd quidam in partibus veſtris commorantes aduerſantur ſanis doctrinis, & prout eis videtur non ſecundum traditionem patrum, ſed iuxta alium ſenſum docere videntur: Multas enim quidam, vt audiuimus, ſecundum ingenium hominum ex his quæ legunt, veriſimilitudines capiunt Et ideo diligenter obſeruandum eſt, vt lex Dei cum legitur, non ſecundum propriam ingenij intelligentiam

ligētiam legatur vel doceatur. Sunt enim multa verba in ſcripturis diuinis quæ poſſunt trahi ad eum ſenſum quem ſibi vnuſquiſq; ſponte præſumpſit, quod fieri non oportet. Non enim ſenſum extrinſecus ab alteris alienum & extraneum quærere debetis, aut quomodo ipſum ſcripturarum authoritate confirmetis, ſed ex ſcripturis ſenſum capere veritatis. Et ideo oportet ab eo intelligentiam diſcere ſcripturarum, qui eam à maioribus ſecundum veritatem ſibi traditam ſeruauit, & ipſe poſſit ea quæ rectè ſuſcepit competenter aſſerere. Nam Apoſtolus ad diſcipulum ſuum Timotheum, Quæ audiſti, inquit, per multos teſtes hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt & alios docere. Quæ ſancti Clementis doctrina dum negligitur, menſa Domini, hoc eſt ſcriptura ſacra, fit in laqueum, in captionem legentium, in ſcandalum & retributionem, & obſcurantur eorum oculi ne videant claram ſcripturæ veritatem: Clauis namq; aperiens literarum ſacrarum intelligentiam, eſt maiorum interpretatio, & Eccleſiæ catholicæ perpetuus conſenſus, vt docet Origenes circa præmonitionem Domini: Tunc ſi quis vobis dixerit, Ecce hic Chriſtus: ecce illic, nolite credere. Exurgent enim pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & cæt. Quid eſt, inquit, Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic, hic eſt inquiunt, non extra ſcripturam foras aſpiciendū eſt. Dicet enim qui ſeducere voluerit & defendere contraria veritati, Ecce hic eſt Chriſtus, demonſtrans verbi gratia hunc vel alterum euangelij locum: alterius autem erroris author dicet, Ecce hic Chriſtus, offerens ad exemplum textum alterum, qui videtur defendere mendacij illius verbum quod propoſuit vindicare: Et ſic ex lege, & Prophetis, & ex Apoſtolis profert vnuſquiſq; quæ videntur defendere mendacium illud vt veritatem. Quoties autem canonicas proferunt ſcripturas, in quibus omnis Chriſtianus conſentit & credit, videntur dicere, Ecce in domibus verbum eſt veritatis, ſed nos illis credere non debemus, nec exire à patria & eccleſiaſtica traditione, nec aliter credere, niſi quemadmodum per ſucceſsionē eccleſiæ Dei tradiderunt nobis. Et definit illum eſſe habendum hæreticum qui Chriſto ſe credere profitetur, & aliud de veritate Chriſtianæ fidei credit, quam habeat definitio traditionis Eccleſiaſticæ. Et clariſſima eſt B. Petri ſententia, quòd in epiſtolis Pauli ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionē: qui propterea ſubiungit ſalutarem monitionem: Vos, inquit, fratres præmoniti cuſtodite, ne inſipientium errore traducti excidatis à propria firmitate. Hæc ſcribo, Sereniſsime Rex, vt intelligat Maieſt. tua qua ratione tractandæ ſunt ſacræ literæ, & qua forma ex eis inſtituendæ ſunt diſputationes cum fidei ac religionis Chriſtianæ aduerſarijs, eaq; forma & ratio præſcribatur in Colloquio obſeruanda quod Sereniſſimo Romanorum Regi Ferdinando, & Illuſtriſsi. Germaniæ Principibus placuit proximo menſe Auguſto, ſuper religionis & fidei controuerſijs VVormaciæ celebrari inter Catholicos & doctrinæ veteris oppugnatores. Quæ diſputandi ratio ſi obtineri non poteſt, verendum eſt ne ſine vllo fructu, imò potiùs cum religionis detrimento, cum fidei hoſtibus concertatio ineatur. Si enim vnicuiq; permittatur ſuo arbitratu intelligere ſcripturas, eiſq; nunc hunc, nunc illum tropum accommodare, quod defendetur ac ſuſtinebitur à parte vna, hoc negabitur ab altera, & pari gradu pariq; altercatione incertior fiet veritas. Propter quod antiquus doctor Tertullianus docet nō eſſe cum fidei aduerſarijs ad ſcripturas prouocandum, nec cum eis ex ſcripturis conſtituendum certamen, in quibus aut nulla eſt, inquit, aut incerta victoria, aut parum certa: vt ſi fiat inter Collocutores diſceptatio, an in ſacra Euchariſtia ſit ſubſtātialiter & reuera corpus & ſanguis Chriſti, adducet Catholicus verbū cœnæ Dominicæ, Hoc eſt corpus meum. Reſpondebit aduerſarius figuratum eſſe hunc Domini ſermonem, & verbum, Eſt, non ſubſtantiuè intelligi, ſed accipi pro Significat: Vel ſi ſubſtantiuè intelligatur, nomine corporis intelligi corporis figuram, ad quod adfert ſimiles locutiones ex ſcripturis. Catholicus

tholicus contra contendet ex ſcripturis alijs, non poſſe hæc verba ſecundũ tropum intelligi. Quid hic agas vbi quod defendis ex aduerſo negatur, & quod negaueris defenditur, niſi requiras quam verborũ iſtorum intelligẽtiam, propriam ne an figuratã, ſecuta ſit ſemper Eccleſia catholica, & quomodo hæc verba ſcriptores veteres ſemper concorditer ſint interpretati, eundemq; ſenſum ſequamur? Hanc igitur colloquẽdi rationem & formã, ſi ſuggerente Tua maieſtate, & præſcribentibus Sereniſſimo Roman. Rege & principibus, partes colloquentes ſequi conſenſerint, fructum aliquem ex futuro colloquio ſperare licebit. Lugendum tamen eſt Eccleſiam Catholicam in hunc veniſſe contemptum, eamq; calamitatem, vt cùm pertinaciſſimis ſuis aduerſarijs ſuper fide & religione ſua extra legittimum iudicium tractare & conferre oporteat. Faxit Dominus vt hi conatus cedant fœlicius quàm hactenus ceſſerunt. Corda enim hominum noſtrique ſermones ſunt in manu Domini, qui Sereniſſimam T.M. cunctis in rebus ſuo miniſterio ac Reipub. ſaluti ſeruet incolumem.

Louanij, Anno 1557.
18. Maij.

Tuæ ſereniſs. M. addictiſsimus

Ruardus Tapper ab Enchuſia.

ARTICVLI HOC SECVNDO TOMO
CONTENTI ET EXPLICATI.

8. *Ad iuſtificationem ante omnia neceſſaria eſt in adultis fides, qua certò credimus Chriſtum Ieſum Dei filiũ, nobis propitiatorem à patre propoſitum eſſe, pro peccatis noſtris in ſanguine ipſius, ſine qua nullis noſtris operibus, nullaq́ pœnitentia iuſtificatio obtineri poteſt. ſicut nec fide ſola, ſine pœnitentia & propoſito viuendi ſecundum mandatum Dei.*

9. *Fides qua quis firmiter credit, & certò ſtatuit, propter Chriſtum ſibi remiſſa eſſe peccata, ſeque poſſeſſurum vitam æternam, nullum habet in ſcripturis teſtimonium, imò eiſdem aduerſatur: etiamſi firma & certa ſpe expectare debemus, in hac quidem vita, per Sacramentum Baptiſmi & Pœnitentiæ peccatorum remiſſionem, in ſeculo autem futuro, vitam æternam.*

10. *Itaq́, quamdiu inter hoſtes noſtros & aduerſarias poteſtates hic viuimus, nulla nobis eſt ſecuritas: ſed cum timore & tremore (iuxta ſententiam Apoſtoli) noſtram ſalutem operari debemus. Et ſecundum varias animorum noſtrorum affectiones, nunc magis ſperare, nunc magis timere, ſimpliciter tamẽ magis & frequentius de miſericordia Domini ſperandum eſt, quam formidandum de ſeueritate.*

11. *Opera bona omnibus adultis ſunt ad ſalutẽ neceſſaria: & cũ ex Fide & Charitatis ſpiritu proficiſcũtur, ita grata ſunt Deo, vt eis tanquam iuſtam mercedem vitam retribuat æternam.*

12. *Confirmatio & extrema Vnctio, Sacramenta ſunt à Chriſto inſtituta, ſed non vt duo præcedentia ad ſalutem neceſſaria: ex contemptu tamen illa omittere, mortale peccatum eſt.*

13. *In Euchariſtiæ Sacramento eſt re ipſa verum corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti, illud ipſum, quod de virgine natum & in cruce paſſum eſt.*

14. *In Euchariſtia non manent panis & vinum, ſed hæc in corpus & ſanguinem Chriſti admirabili potentia verbi ipſius ſunt conuerſa, manentibus tantùm panis viniq́ ſpeciebus: vnde certa fide tenendum eſt ſacram Euchariſtiam ſanctè à nobis adorari, ſiue in Miſſa, ſiue extra Miſſam, vbicunque repoſita fuerit: aut quoties in ſupplicationibus publicis à ſacerdote circumfertur.*

15. *Non eſt laicis neceſſaria ad ſalutem communio ſub vtraque ſpecie, iuſtisq́ de cauſis ab Eccleſia ſancitum eſt, vt illis ſub vna tantùm panis ſpecie ſacramentum communicetur: in quo carnem & ſanguinem, atq́ ita totum Chriſtum ſub vna ſpecie ſumunt.*

16. *Sacrificium Miſſæ ex inſtitutione Chriſti, tam viuis prodeſt, quam defunctis.*

17. *Solis ſacerdotibus ſecundum Eccleſiæ ritum ordinatis, data eſt à Chriſto poteſtas conſecrandi verum corpus Chriſti & ſanguinem.*

18. *Matrimonium contractum & conſummatum inter Chriſtianos, eſt indiſſolubile qualiſcunque fiat alter coniugum, ſiue adulter, ſiue ſterilis, ſiue hæreticus.*

19. *Nunquam licet Chriſtiano poſt diuortium contrahere matrimonium, viuente eo, cum quo prius ligitimè contraxerat.*

20. *Matrimonia contracta contra Canones ipſa dirimentes, ſimpliciter ſunt irrita & nulla.*

Præterea eiuſdem auctoris orationes Theologicæ & Quodlibeticæ.

ARTICVLVS OCTAVVS.

De Iuſtificatione.

Ad Iuſtificationē ante omnia neceſſaria eſt in adultis fides, qua certò credimus Chriſtū Ieſum Dei filium nobis propitiatorem à patre propoſitū eſſe, pro peccatis noſtris in ſanguine ipſius, ſine quā nullis noſtris operibus, nullaq; pœnitentia iuſtificatio obtineri poteſt: ſicut nec fide ſola ſine pœnitentia & propoſito viuendi ſecundum mandata Dei.

Quid iuſtificatio. IVSTIFICATIO eſt motus ſiue trāſitus ad iuſtitiam, Sicut calefactio motus eſt ad calorem. Et quemadmodum aqua calefit, atq; ad calorem alteratur, non tantum quando calorem primò accipit, verū etiam quando iam calor in ea intenditur & perficitur: ita & homo etiam iuſtificatur, quando in iuſtitia creſcit, & non ſolùm quum ex impio fit iuſtus. Ait enim in Apoc. B. Ioannes: Qui *Cap.22.* iuſtus eſt iuſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc, Et Eccleſiaſtic. Ne verearis *Cap.18.* vſque ad mortem iuſtificari, quoniam merces Dei manet in æternum. Toto nanque peregrinationis noſtræ tempore mundamur, iuſtificamur, & renouamur, non ſolùm ab immūditia, peccatis, & vetuſtate, ſed per nouitatis, munditiæ, & iuſtitiæ perfectionem. Is, inquit Apoſtolus Paulus, qui intus eſt noſter homo renouatur de die in diem. Et ideò *2.Corint.4. Epheſ.29. ad beatum Hieron.* B. Aug. Mihi, inquit, videntur Stoici falli, quòd hominem in ſapientia & virtute proficientem nolint habere ſapientiam & virtutem, ſed tunc primum cùm omninò in ea perfectus fuerit, non quia profectum illum negant, ſed niſi ex profundo quodam ſtultitiæ emergendo, repentè emicet in auras ſapientiæ liberas, nulla ex parte eſſe ſapientē. Et paulò pòſt: Hæc, inquit, ſimilitudo, vbi ſtultitia velut aqua quaſi præfocās & opprimēs & ſapientia velut aer ponitur, vt anim⁹ à præfocatione ſtultitiæ, tanquam emergens ſapientia, repentè reſpiret, nō ſatis mihi videtur accōmodata noſtrarum ſcripturarum authoritati: ſed illa potius, vt vitium, vel ſtultitia tenebris, luci autem virtus & Sapientia comparetur. Non itaque ſicut de aquis in aerem ſurgens, vbi earum ſummū tranſierit, repentè quantum ſufficit inſpiratur, ex inſipiente fit ſapiens, & ex iniuſto iuſtus, ſed ſicut de tenebris in lucem procedens, paulatim progrediendo, illuminatur. Quod donec pleniſsimè fiat, iam eum tamē dicimus, tanquam de ſpelunca abditiſsima egredientem vicinia lucis afflatam, tantò magis, quātò magis propinquat egreſſus, vt illud quod in eo lucet, fit vtique ex lumine quo progreditur: illud autem quod adhuc obſcurū eſt, ſit ex tenebris vnde egreditur. Itaque & non iuſtificabitur in conſpectu Dei omnis viuēs, *Pſal.141. Abacuc 2.* & tamen iuſtus ex fide viuit, & induti ſunt ſancti iuſtitia, alius quidem magis, alius minus. Et nemo hic viuit ſine peccato, & hoc alius magis, alius minus, optimus autem qui minimum. Dupliciter autem fieri poteſt in homine iuſtitia: *Dupliciter fit iuſtificatio in homine.* Vno modo per modum ſimplicis generationis, quæ eſt ex priuatione ad formam, quomodo iuſtificatio competere poſſet ei etiam qui nō eſſet in peccato, dum iuſtitiam à Deo acciperet, ſicut Adam accepit originalem iuſtitiam, & ſancti angeli, & Chriſtus Dominus. Poteſt etiam in homine hæc iuſtitia fieri ſecūdum rationem motus, qui eſt ècontrario in contrarium. Atque hoc modo iuſtificatio importat tranſmutationē ſiue translationem è ſtatu iniuſtitiæ ad ſtatum iuſtitiæ. Et hoc ſenſu ſcripturæ ſacræ & *Rom.4. Actor.13.* Apoſtolus loquuntur de iuſtificatione impij, quæ eſt cum peccatorum remiſsione. Ait enim Apoſt. Ei autem qui non operatur, credenti autem in eum qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam. Item: Notum ſit vobis viri fratres, quòd per hunc vobis remiſsio peccatorum annunciatur ab omnibus, à quibus non potuiſtis in lege Moyſi iuſtificari. In hoc omnis qui credit iuſtificatur. In hac iuſtificatione per quam ſcilicet *Iuſtitia eſt rectitudo interioris hominis.* hoſtis & mortis æternæ reus in filium & hæredem vitæ æternæ ſuſcipitur, multò maior eſt Dei gratia quàm in priori, qua purum & mundum Dei plaſma in filium adoptatur. *Charitas totam hominis vitam rectā facit, omneſque eius operationes.* Et illam quidem extollunt ſcripturæ ſacræ, quando dicunt, eam impij vel à peccatis iuſtificationem, quorum fit in ea remiſsio, nō extenuant, quaſi in ſola peccatorum remiſſione conſiſteret. In articulo autem intelligitur iuſtificatio, qua ex impio & iniuſto efficitur quis pius & iuſtus, verè & ſimpliciter in conſpectu Dei. Adfert enim ſecum rectam atq; ordinatam hominis interioris diſpoſitionem, ſecundū quā id quod in homine ſupremum eſt ſecundum fidem, ſpem & charitatem, ſubijcitur Deo, & inferiores animæ vires rationi, ne regnent & dominentur. Eſt autem ex nominis ratione iuſtum quod rectum, adæquatum, & ſuæ regulæ eſt reſpondens. Et hanc hominis diſpoſitionem Apoſtolus Paulus vocat iuſtitiam Dei, iuſtitiam *Rom.1.3.4.& 10. Gala.2.3.4.* quæ ex Deo eſt in fide, iuſtitiam fidei. Et propheta Dauid, iuſtos appellat rectos corde. Iuſtum adiutorium, inquit, à Domino, qui *Pſal.7. Pſal.63.* ſaluos facit rectos corde. Item: Lætabitur iuſtus in Domino, & ſperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde. Et alibi: Benefac Domine bonis & rectis corde. *Pſal.124.* Atque Ariſtoteles hanc hominis diſpoſitionem ſecundum virtutes morales, iuſtitiam metaphoricè dictam appellauit. *5.Ethic.cap. vltim.* Nam propriè iuſtitia ſignificat ordinem rectum in actu qui eſt ad alterum, & eſt ſpecialis virtus, atque appellatur

pellatur iuſtitia particularis, ſi ordinat actũ hominis ſecũdum rectitudinem ad alterum particularem aut ſingularem hominem: legalis autem ſi ad bonum commune multitudinis, vt poſt Ariſtotelem docet etiam beatus Thomas. Nõ eſt igitur hæc iuſtitia quam ſcripturæ commendant, iuſtitia operum, ſiue ad operandum immediatè inclinans, ſed eſt forma dans eſſe diuinum, & mentem tranſmutans, vt ſit benè ad Deum diſpoſita, deiformis, cæleſtis, & noua creatura in Chriſto. Quod enim ex Deo & ſpiritu natum eſt, ſpiritus, nõ iam amplius caro aut terrenum eſt. Hanc mentis nouitatem, hoc eſt, rectam diſpoſitionẽ inſeparabiliter comitatur charitas, quæ per hunc ſpiritum, ex quo renaſcimur deiformes, in cordibus noſtris diffunditur, & facit in tota hominis vita, primò autem in amore & affectibus rectitudinem & conformitatem ad Dei voluntatem & legem eius æternam: Charitas enim patiens eſt, benigna eſt, &c. quæ ſequũtur. Et beatus Auguſt. Ille, inquit, iuſtè & ſanctè viuit, qui rerum integer æſtimator eſt: ipſe eſt autem qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat, quod non eſt diligendum: aut non diligat, quod eſt diligendum: aut amplius diligat, quod eſt minus diligendum: aut æquè diligat, quod vel minus, vel amplius diligendum eſt: aut minus vel amplius, quod æquè diligendum eſt. Rurſus, quod ad rectè viuẽdum attinet, inquit, virtus eſt charitas, qua id quod diligendum eſt diligitur, hæc in alijs maior, in alijs minor, in alijs nulla eſt. Et alio loco dicit virtutem eſſe ordinem amoris. Item lib.14. De ciuitate Dei, rectam voluntatem dicit eſſe bonum amorem. Et cap.14. amorem illorum rectũ eſſe dicit, qui omnes affectiones rectas habent. Nam patiens eſt charitas, benigna, &c. Totum enim virtutum chorum ſecum adducit, per quas omnes animę vires in ſuis operationibus rectè diſponũtur. Complectitur itaq; nomen iuſtitiæ, qua impius iuſtificatur, vniuerſas has potentiarũ hominis virtutes, in eo quòd omniũ virium & totius hominis quaſi ſubſtãtialem & diuinã importat rectitudinem.

5. Eth.12. q.113. art.1.

Lib 1 de doctrin. Chriſt. cap 27. Epiſt. 29. De moribus Eccleſ. cap 15. & libr. 83 q. cap.7.

Vt igitur à peccatis iuſti vero Dei iudicio efficiamur, neceſſaria eſt fides intellectum illuminans ſuper propitiatione patris propter filij mortem nobis parata, àqua ab Apoſtolo nominatur iuſtitia fidei, quia ex fidei cognitione à Deo proficiſcitur. Nam iuſtitia legis eſt, quæ ex legis eſt cognitiõe, & virtute liberi arbitrij. Vtriuſque autem huius iuſtitiæ & iuſtificationis, fidei ſcilicet & legis, apud Apoſt. Paulum frequens fit mentio, & à ſe mutuo diſcretio. Ait enim: Quid ergo dicemus? quòd gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam, iuſtitiam autem quæ ex fide eſt, Iſrael verò ſectãdo legem iuſtitiæ, in legem iuſtitię non peruenit. Quare? quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus. Et, ignorantes iuſtitiam Dei, & ſuã quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Moyſes enim ſcripſit: Quoniam iuſtitiam quæ ex lege eſt, qui fecerit homo viuet in ea. Quæ autẽ ex fide eſt iuſtitia, ſic dicit, &c. Item alibi, Scientes quod non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti, & nos in Ieſum Chriſtum credimus, vt iuſtificemur ex fide Ieſu Chriſti, & nõ ex operibus, propter quod ex operibus legis non iuſtificatur omnis caro. Vnde patet quod hanc legis iuſtitiam variè nominat Apoſt. Paulus. Aliquando enim iuſtitiam operum, quia ex operibus naſcitur, vel operũ rectitudo: Aliquãdo iuſtitiam hominis, vel ſuam iuſtitiam, quia ex virtute eſt liberi arbitrij: quandoq; iuſtitiam legis, ſiue quæ ex lege eſt, eiuſq; cognitione. Et eſt eadem cum iuſtitia morali, ſeu ea quam philoſophi vocant iuſtitiam legalem, complectens omnes virtutes, atque ab ipſa virtute ſola ratione differens. Per hanc iuſtitiam iuſta operantes, iuſti fiunt atque iuſtificantur: ſicuti temperata & fortia agentes, temperati fiunt & fortes. De hac & Apoſt. Paulus: Si Abraham, inquit, ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed nõ apud Deum. Sequitur enim hæc iuſtitia, nõ fidei, ſed naturalem hominis cognitionem, qua cognoſcimus, quod neminem lædere, nemini nocere, item quod iuſtè & temperatè viuere debeamus. Cui cognitioni in voluntate reſpondet naturalis affectus, quo inclinatur ſequi quod iuſtum eſſe cognoſcitur, atque ita in naturalibus hominis ſunt principia huius iuſtitiæ, quæ tamen ex operibus iuſtitia, nec vera eſt in Dei conſpectu, nec hominem verè iuſtum facit, ſed impium, iræ Dei & æternæ morti obnoxium relinquit. Nam qui incredulus eſt filio, non habebit vitã, ſed ira Dei manet ſuper eum. Nemo enim hac iuſtitia à peccatis liberatur, ſed magis operationes hominis dirigit, eaſque rectas facit, quàm ipſum hominem operãtem. Si enim, inquit Apoſt. per legẽ eſt iuſtitia, ergo Chriſt⁹ gratis mortuus eſt. Quod argumentum B. Aug. transfert etiam ad naturam: Si, inquit, per naturam viresq; hominis naturales & naturale lumen rationis eſt iuſtitia, Chriſtus gratis mortuus eſt. Hæc autem iuſtitia, & in vniuerſum virtutes morales Ethicorum, an ſint verè virtutes, etiã omnibus circunſtantijs veſtitæ, an tantũ officio & materia, ſiue obiecto rectę ſint: fine autem debito deſtitutæ (vt dicere videtur B. Auguſtinus libr.4. contra Iulianum. Item de ciuitate Dei libr.5. & libro 19. Rurſum libr. 14. docet, quòd viuere ſecundum rationem, & optimum quod in homine eſt, ſit viuere ſecundum hominem, id quod improbat ſcriptura) tractat diligenter B. Thomas in varijs locis: & B. Auguſtinus de ſpiritu & litera. De quo etiam quædam diximus circa articulum præcedentem. Et quamuis verè officio & fine rectæ eſſent hæ virtutes, ſolum opera iuſtificant, & ſecundum habitus operum illorum, operantem: non autem abſolutè, aut ſimpliciter bonum aut iuſtum faciunt hominem (vt docet beatus Thomas) ne moraliter quidem, niſi iuſtitia legalis, quæ omnes

Rom.9.

Galat.2.

Rom.10.

Iuſtitia operum ſiue philoſophica nõ eſt vera iuſtitia.

Galat.2.

Cap.3. Cap.12. Cap.25. Cap.4. 1.2.q.65.artic.2. & 9. Et 2.q.23. art.7.

virtutes

virtutes complectitur, non autem diſtributiua, nec comitatiua, nec aliqua aliarum virtutum, niſi vt coniunctę fuerint alijs & connexæ. Meminit autem frequenter Apoſtolus Paulus iuſtitiæ fidei, quam vbique mirificè extollit, & quam ſolam appellat iuſtitiam Dei, tum quòd Deus eam ſolam reſpicit, & verè à peccatis iuſtum cõſtituit coram oculis Dei, eiuſq; tribunali, tum quia ſolus eam infundit, nec niſi ab eo eſſe poteſt per ſpiritum ſanctum in cordibus noſtris diffuſum: ſecundum hanc enim ex Deo naſcimur. Charitas ex Deo eſt, & omnis qui diligit fratrem ſuum, ex Deo natus eſt, vt habet B. Ioannes. De qua etiam Apoſt. Omnia arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciã, & vt inueniar in illo, non habens meam iuſtitiam quæ ex lege eſt, ſed illam, quę ex fide eſt Ieſu Chriſti. Per hanc ſolam diſcernitur filius à ſeruo, bonus à malo, qui manet in peccato mortali, & ira Dei ſuper illum. Et quia hæc iuſtitia non eſt ſterilis, ſua habet opera ab operibus legis diſtincta, & ſuos per fidem & charitatem parit fructus, quos Apoſt. Paulus explicat in epiſtola ad Galatas. Iidem enim ſunt fructus ſpiritus & huius iuſtitiæ, per q̃ tanquam per vitam animæ, ſpiritus eos producit, ac eandem iuſtitiam perficit. Nam ſecundum ſententiam B. Auguſt. charitas meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici: Et Apoſtol. Paulus hortatur, vt in omni opere bono fructificãtes, creſcamus in ſciẽtia Dei, & in omni virtute confortati, in omni patientia & longanimitate. Item B. Petrus, vt quemadmodũ modo geniti infantes lac concupiſcamus, & in eo creſcamus in ſalutem. Ad quod ſanè non hortarentur, niſi noſtra operatiõe hic profectus perficeretur. Et propriè merentur iuſtitiæ ſiue charitatis opera eius augmẽtum & perfectionem (ſicut operationes virtutum moralium perfectionem ſuarum virtutũ faciunt) non autem efficienter operantur, maximè ſi charitatis augmentum fieri intelligatur per additionẽ gradus ad gradum: ſecus fortaſsis, ſi per maiorem in ſubiecto radicationem: de quo eſt diſputatio inter philoſophos. Omnem namq; naturæ facultatem hęc diuina qualitas, per quam Deiformes, & naturæ diuinæ participes naſcimur, excedit & ſuperat. Secũdum hos autem fructus ſiue opera iuſtitiæ, vnicuiq; retribuet Deus vitã æternam, & ſecundum diuerſos gradus, iuxta operum quibus rependet mercedem, diuerſitatem. Reddet enim vnicuiq; ſecundum opera ſua. Quæ quidem opera ſunt Chriſti capitis per ſuũ ſpiritum in membris, & per membra ſua hæc operantis, quibus propterea Deo placemus, & vitã æternam promeremur, & coronam gloriæ. Et quemadmodum fide præparamur ad iuſtitiam, ita & per opera fidei, inter quæ præcipua ſunt pœnitentia, diſplicentia ſiue odiũ peccati cõtra Deum admiſsi: quæ opera tantum abeſt vt excludantur quando Paulus dicit nos iuſtificari ex fide, non ex operibus, vt magis excludantur cùm ſint fructus fidei: ac

Iuſtitia Dei quare in ſcripturis ſic vocetur.

1. epiſt. ca. 4.

Cap. 5.

In 1. epiſtol. Ioannis.

Coloſſ. 1.

1. Petri 2.

Rom. 2.

propterea aliquando addit idem Apoſt. non ex operib9 legis nos iuſtificari, ne fidei opera videatur excludere. Intelligit enim fidem non habitualem aut ocioſam, ſed actualem & operatoriam: non quidem operum ſpiritus vitæ, quem præcedit & adducit, ſed eorum quæ ad hunc ſuſcipiendum diſponunt & præparant, pœnitentię ſcilicet. Ex his itaque operibus, ſicut ex fide iuſtificamur, & naſcitur in nobis iuſtitia fidei. Id quod & forma ſermonis apoſtolici indicat, quę frequenter repetit multis in locis de hac iuſtitia agens. Iuſtitia enim fidei dicitur, quia fidei cognitionem & opera ſequitur. Nos (inquit Apoſtolus) ſpiritu & fide ſpem iuſtitiæ expectamus. Quod igitur ait: arbitramur iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis etiam decalogi, vt interpretatur B. Auguſtinus, non quælibet, ſed legis & naturæ opera excludit ab impij iuſtificatione: fidem autem & opera eius omninò includit, pœnitẽtiam ſcilicet, quæ ex fide procedit. Nam cor ex fide contritum & humiliatum, non deſpicit Deus, ſed iuſtificando in gratiã ſuſcipit. Et ideò poſtquam dixerat: Si ex operibus Abraham iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum: ſtatim ne putetur quælibet opera intelligere, addidit: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Credere autem, eſſe opus quoddã, docet ipſe ſaluator, Hoc eſt opus Dei, inquiens, vt credatis in eum quem miſit ille.

Hunc ſenſum verborum Apoſtoli Pauli tradit B. Auguſt. lib. 83. quæſt. 76. Item libro de fide & operibus, & oſtendit Apoſtolum Paulum docẽtem hominem fide iuſtificari, non ex operibus, nõ aduerſari ſententiæ diui Iacobi, in eo quod dicit Abraham patrem noſtrum ex operibus iuſtificatum eſſe, offerendo filium ſuum Iſaac ſuper altare. Intelligit enim B. Paulum loqui de operibus quæ fidem antecedunt, & quę legis tantum ſunt, non autem gratiæ vel fidei: Iacobum verò agere de ijs operibus, quæ ex fide proficiſcũtur, vt clariſsimè eius verba teſtantur. Idem docet Auguſtinus in præfatione Pſalm. 31. Certum eſt enim Apoſtolum Paulum per fidem nolle excludere fructus & opera fidei. Nam ſcopus totius epiſtolæ ad Rom. hic eſt, quòd nec per legem Moyſi Iudæi, nec per legem naturæ, & vires liberi arbitrij, gentes ſalutem aut peccatorum ſuorum remiſsionem conſequi poterant, ſed per ſolam Chriſti fidem. Eſt igitur iuſtitia & iuſtificatio impij ex his fidei operibus, hoc eſt ex fide propitiationis, agnitione offenſæ Dei, eiuſque pœnitentia atque diſplicentia: ſed diſpoſitiuè, non per modum meriti vel efficientiæ. Nuſquam enim in ſcripturis iuſtitia vel fides dicta eſt merces, ſicuti dicitur, quòd iuſtitiæ vel fidei redditur merces. Nam quemadmodum anima rationalis eſt ex corporis præparatione, ſed diſpoſitiuè tantum: niſi dicatur quod diſpoſitiões iſtæ effectiuè operantur nõ vt anima rationalis ſit, ſed vt corpus informet, ita vt ſint cauſæ effectiuæ non

Galat. 5.

Philipp. 3.

De ſpiritu et litera ca. 23. & 24.

Ioann. 6.

Cap. 14. Rom. 3. Cap. 2.

Aug. epiſt. 105. ad Sixtum.

animæ, ſed informationis eius. Similiter hic dici poſſet, quòd ex fide pœnitentes, cauſa ſimus nō iuſtitię vel qualitatis, per quam ſumus Deiformes, diuinæque naturæ conſortes, ſed quòd hęc forma nobis adſit atque inhæreat: augmentū autem iuſtitiæ ex his operibus eſt, vt ex merito. *Ephes. 2.* Porrò quia hæc opera fidei ſunt, ſunt etiam gratiæ: Gratia enim, ait Apoſt. eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, vt ne quis glorietur. Ideò nec nos vnde gloriemur habemus, quàmuis ex huiuſmodi fide operibus iuſtificemur, & quotidiè in nobis iuſtitia augeatur & perficiatur, ſed ſit omnis mundus ſubditus Deo, quia ex operibus legis, aut virium noſtrarum non iuſtificabitur omnis caro coram illo: quoniam per legem cognitio peccati eſt, non ablatio aut remiſsio. *Rom. 3.* Et nunc ſine lege, inquit, iuſtitia Dei, manifeſtata eſt, teſtificata à lege & prophetis. Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes qui credūt in eum, quem & Deus propoſuit propiatorem per fidem in ſanguine ipſius, vt ſit ipſe iuſtus & iuſtificans eum, qui ex fide eſt Ieſu Chriſti. Ex quibus quaſi concludit Apoſtolus & interrogat: Vbi eſt ergo gloriatio tua? & reſpondet: Excluſa eſt non per legem factorum, ſed per legem fidei, quæ eſt de credendo, & ex fide operando. Nam beatus Auguſtinus. *De ſpiritu & litera cap. 7.* Lex, inquit, fidei eſt, & ſpiritus viuificans dilectorem, cùm charitas diffunditur in cordibus credentium. Et lex Dei charitas eſt: opera autem & principia charitatis, quum in tabulis, vel chartis aut libris ſcribuntur, lex eſt operum, & litera occidens præuaricatorem. Habitus autē quos ex operibus iuſtitiæ, fidei, & charitatis acquirimus (Nam teſtatur experientia poſt frequens exercitium in his virtutibus nos reddi paulatim promptiores ad operandum, quamuis de hoc aliter B. Thomas ſentire videatur) ab actibus efficiūtur, ſicut virtutes morales. & quamuis hi Deo placeant, quia ex fide, quaſi proprij gratiæ ſuæ effectus proficiſcuntur, quemadmodum actus ex quibus naſcuntur, patiuntur tamen ſuper nos manere iram Dei & peccatum. Iuſtitia autem fidei & reliquæ virtutes, quæ eam quaſi naturaliter ſequuntur, à ſolo Deo efficiuntur, præcedente tamen per eius gratiam noſtra cooperatione, nec iram Dei compatiūtur, ſed ſemper Deo gratos & Dei amicos atque filios faciunt. Ex his patet eandem eſſe iuſtitiam fidei & operum quæ ex fide per Dei gratiam naſcuntur. Nam eandē Abrahæ iuſtitiam, quam Apoſt. fidei Abrahæ tribuit, aſſcribit B. Iacob. eius operibus, & quaſi interpretans ſententias beati Pauli: Vides, inquit, quoniā fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt, hoc eſt, aucta & perfecta, & in fide eius iuſtitia, & ſuppleta eſt ſcriptura dicens: Credidit Abraham Deo & reputatum ei ad iuſtitiā, & amicus Dei appellatus eſt. Suppleta, inquit, eſt hæc ſcriptura per opera Abrahæ, & oblationem Iſaac filij ſui: quia quod deſiderabatur ꝑ eius intellectu, hoc eſt, quod de fide ad operandū parata & efficaci intelligebatur, quando dicit: Credidit Abraham Deo, hoc in opere oblationis ſuæ ſuppletum eſt & expreſſum. Et concludit: Videtis quoniam ex operibus iuſtificatur homo: operibus, inquam, gratiæ & fidei, non ex fide tantum, hoc eſt ea, quæ ſine ſpiritu & operibus mortua eſt. Eſt autem ex his operibus Abraham iuſtificatus (priùs tamen iuſtus) in iuſtitia creſcendo & proficiendo. Nam & iuſtus erat, quando de eo dictum eſt: Credidit Abraham Deo, & reputatū eſt illi ad iuſtitiam. *Geneſ. 15.* Sicuti enim ad iuſtificationem à peccatis, neceſſaria eſt fides, ita & ad profectum iuſtitiæ eiuſq; perfectionem, quamuis non eadem, hoc eſt fides propitiationis. *Ad profectū iuſtitiæ neceſſaria eſt alia fides quam propitiationis.* Nam vnumquodque genus operum ſalutis, ſuam peculiarem fidē exigit: ꝓgreſſus enim in ſancta vita, requirit fidem remunerationis, in quam ſcripſit Apoſt. Paul. Moyſen reſpexiſſe: *Hebr. 11.* & cap. ſequenti hortatur, vt in certamine & tribulatione in authorem fidei, & conſummatorē Ieſum reſpiciamus. *Hebr. 12.* Recogitate, inquit, eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſum ſemetipſum cōtradictionem, vt ne fatigemini animis veſtris deficientes. Vult & memores nos eſſe exhortationis eius ſcripturæ, quæ dicit: Quem diligit dominus caſtigat, & flagellat omnem filium quem recipit: & in tota vitæ noſtræ militia requiritur fides Saluatoris, inſpectoris, nos obſeruātis, adiutoris & remuneratoris, ducis ſub quo militatur, quaſi exercitus præfecto: & ita fides parati nobis auxilij quādocunq; ad ipſum confugimus. Et homini morienti neceſſaria eſt certa fides vitę futuræ & promiſsionum Dei de peccatorum remiſsione noſtraque ſalute, vt ſpem ex eis concipiamus. Itaq; ſoli pœnitenti, cui nunc propitiandus eſt Deus, & à peccatis iuſtificādo, neceſſaria eſt fides propitiatiōis in ſanguine Chriſti. *Soli pœnitenti neceſſaria eſt fides propitiationis non autem legitimè certanti pro brauio.* Propter quod in iuſtificatione primi hominis neceſſaria quidem erat fides, ſine qua impoſsibile eſt quamcunque creaturam etiam angelicam, quamdiu Deum non videt, vel aliquod eius opus, placere Deo. Imò pronūciat Apoſt. Paulus peccatum eſſe quod non eſt ex fide: Fides tamen propitiationis locum habere non poteſt, vbi nullum eſt peccatū, ſuper quo Deus propitietur. Nec requireretur hæc fides, niſi Deus pater propoſuiſſet Ieſum filium ſuū propitiationem per fidem in ſanguine ipſius. Et quia pro Angelis mortuus non eſt Chriſtus, nec eis propitiator propoſitus, ad eorum poſt lapſum iuſtificationem, ſi fieri potuiſſet, hac fide opus non fuiſſet, ſed miſericordiæ & pietatis Dei in gratiam recipientis, quotquot ad ipſum pœnitentes confugiunt. Nulli enim creaturæ vnquā contingere potuit iuſtificatio ex viribus naturæ quāuis integris, nec ex cognitione, aut operibus legis, vel naturæ, ſed ex gratia Dei per fidem tantum. *Nulli creaturæ ne angelicæ quidem contingere potuit iuſtitia ex viribus naturæ.* Siquidē iuſtitia Dei longe ſuperat virtutem etiā Angelicā, non enim in ſolis Epheſijs, ſed in vniuerſis

uerſis

uerſis hominibus & in ſanctis angelis, vera eſt ſententia Apoſtoli Pauli: Gratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc nõ ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, vt ne quis glorietur. Sed generalis eſt doctrina, qua tradit quo modo ſalui fiant & iuſtificentur electi à Deo patre, gratia ſcilicet ex fide, non ex operibus, ne quis etiam ſanctorum angelorum glorietur.

Sine fide nec angeli ſunt iuſtificati nec beati.

Omnium enim qui ſaluãtur, ſicut electio & prædeſtinatio eſt ſecundum propoſitũ voluntatis Dei in laudem gloriæ ſuæ, ita & vocatio & iuſtificatio, neque eſt volentis, aut currentis, ne angeli quidem ſancti.

Rom. 9.

Nam quod de Iacob & Eſau dicit ſcriptura: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui, in eorum perſonis de omnibus electis & reprobis intelligitur, vt liceat dicere Michaelem dilexi, Luciferum autem odio habui.

Per Iacob et Eſau intelligũtur omnes electi & reprobi etiã angeli.

Ex electione igitur & propoſito voluntatis Dei eiuſq; vocatione, ſancti angeli ad ipſum conuerſi ſunt, ipſiusque ſunt factura, & creati in operibus bonis, quæ fecit Deus vt in illis ambulent. Et ex gratia eos credere oportebat ad Deum accedentes. Non enim ſufficientes erant in his quæ ad pietatem & verum Dei cultum attinent cogitare aliquid ex ſe, quaſi ex ſeſe, ſed omnis eorum, ſicut & noſtra ſufficientia erat ex Deo, qui & eos fecit ſua gratia idoneos miniſtros volũtatis ſuæ, charitatem per ſpiritum ſanctum quem largiebatur infundens. Eſt igitur commune omnibus quibus iuſtitia contingit, quod fide & perſuaſione ſpiritus Chriſti iuſtificantur, fide quidem propitiationis, qui in peccatum aliquod ſunt lapſi: Adam verò & ſancti angeli iuſtificati ſunt fide, qua crederẽt Deum eſſe Saluatorem, qui ſuos miniſtros eſſe vellet ſuæ naturæ conſortes, & in eadem gloria ac fœlicitate in qua eſt ipſe, eos quoque perpetuò manere, vt eſſent ipſi participatione, ſecundum cuiuſque capacitatem, quod ipſe erat per naturam: ex qua fide toto corde per amorem, ipſum complectebantur propter inexplicabilem hanc ipſius bonitatem.

Qua fide primus homo & ſancti angeli ſunt iuſtificati.

Certum eſt itaque omnibus & ſemper neceſſariam fuiſſe fidem Dei Saluatoris ad iuſtificationem. An verò fides Chriſti Domini ſui, & capitis in carne naſcituri neceſſaria fuerit etiam ſanctis angelis, non ita certum eſt. De primo homine Apoſtol. Paulus hoc pronunciaſſe videtur, dum de coniugio in paradiſo inſtituto ait: Sacramẽtum hoc magnum eſt in Chriſto & in eccleſia.

Epheſ. 5.

Quamuis autem de ſanctis angelis ex ſcriptura clarè doceri non poſſit, quòd hanc fidem Chriſti Domini ſui habuerint, ſcripturis tamen conſentaneum eſt, & multum veriſimile, quod oſtenſum ſit eis in lumine fidei, quòd Chriſt' Dominus in carne, quam filius Dei aſſumpturus erat, à patre vniuerſis creaturis præponeretur, etiam angelicis, quem & ipſæ deberent agnoſcere atq; adorare tanquam dominum ſuum.

An ſancti angeli iuſtificati ſint ex fide Chriſti naſcituri.

Ait enim Apoſtolus: Cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei.

Hebr. 1.

Dedit enim Deus Chriſtũ caput ſuper omnem Eccleſiam, conſtituens eum ad dexterã ſuam in cœleſtibus ſuper omnem principatum, poteſtatem, virtutem & dominationem, & ſuper omne nomen quod nominatur, non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro: &. Omnia ſubiecit ſub pedibus eius.

Epheſ. 1.

Quod ſuũ propoſitum æternum mentibus angelorum videtur ſuggeſsiſſe & propoſuiſſe, & iuſtificati ſunt, quibus hoc patris conſilium placebat, agnoſcẽtes Chriſtum Dominum ſuum, eique ex animo ac ſpontanea volũtate obedientiam deferentes, & ſe totos tanquam Domino & capiti ſuo ſubijcientes. Alij verò ſua ſuperbia quaſi indignantes, quòd omiſſa angelica natura humana ſic ſublimaretur, & quòd ipſi ipſorumque omnia, deberent homini ſubiecta eſſe, ei ſubeſſe & obedire recuſabant: indignum enim videbatur ſublimiſsimos ſpiritus ſubeſſe imperio hominis lutei, & ex terra formati. Quo ſuppoſito, iuſtificati ſũt angeli, & ſalui facti ex fide Chriſti Domini, & oblata ei obedientia, nõ ex fide propitiationis. Modum hunc, & quod per eum iuſtificati ſunt ſancti angeli, prolixè tractat Epiſco. Chriſtopolitanus Iacobus de Valentia, in comment. Pſal. 81. & 102. An verò qui Chriſto adhærebant, & ex fide quam acceperant, ſe ei ſponte ſubiecerunt, ab eo eiuſq; merito ſint iuſtificati, an ex pura Dei patris gratia ſine Chriſti merito: & an Deo patri placeant, ſolum quia Chriſti membra ſunt, & in Chriſto, vt etiam eos elegerit pater ante mundi conſtitutionem in Chriſto, vt eſſent ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate, eoſque prædeſtinauerit in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, & gratificauerit in dilecto filio ſuo & in Chriſto ſic inſtaurauerit omnia quę in cælis, & quæ in terra ſunt in ipſo, ex ſcripturis quoque non omninò eſt manifeſtum.

Corpus cuius Chriſtus eſt caput complectitur etiam angelos

Ratio enim capitis, cuius eſt influere vitam, ſenſum, & motum in membra, hoc exigere videtur: eſt enim ſaluator corporis ſui. Et beatus Bernardus docet Chriſtum Dominum angelis ſicut hominibus fuiſſe redemptionem, iuſtitiam, ſapientiã, & ſatisfactionem.

Ser. 22. ſuper Cantic.

Redemptionem quidem, non à peccato (cui non erant obnoxij) ſed quia erexit, inquit, hominem lapſum, dedit ſtanti angelo ne laberetur, ſic hominem de captiuitate eruens, ſicut hunc à captiuitate defendens, qua ratione vtrique fuit redemptio, ſoluẽs illum, & ſeruans iſtum. Contrarium tamen, quòd ſcilicet ſancti angeli ſuam iuſtitiam & beatitudinem non debeant Chriſto Domino, videtur ſubindicare Apocalypſis, quæ refert turbas, quas videbat gratias egiſſe Deo & agno, angelos verò Deo ſoli, nulla facta agni mentione.

Cap. 7.

Sed eius myſterij tractationem tanquam articulo impertinentem prætermittimus.

Ex quibus patet quòd ſententia Apoſtoli Pauli. Quis te diſcernit? quid habes quod nõ accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi nõ acceperis? vera eſt in ſanctis angelis

1. Corint. 4.

ſicut in nobis: vt docet B. Anſelmus lib. de
Cap. 2. & 3. cauſa diaboli, inquirẽs, an angeli mali ideò
non perſeuerabant, quia eis non dabatur à
Deo, vt perſeuerarent (datum aũt fuerat vt
perſeuerare poſſent) vel potius ideò nõ per-
ſeuerabant, quia quod offerebatur non acci-
piebant. Difficultates igitur quæ nunc ſunt
in nobis de concordia gratiæ & prædeſtina-
tionis cum libertate arbitrij, eædem ſunt in
angelis ſanctis & in Adam ante peccatum.
Hoc tamen (vt diximus) diſcriminis eſt in
ſanctorum angelorum, primi parẽtis, & no-
ſtra iuſtificatione (omittimus hic ſanctifica-
tionem & iuſtificationem Chriſti, de quo B.
Cap. 1. Lucas, ideò & quod naſcetur ex te ſanctum,
vocabitur fili' Dei) quòd nos ex peccatis iu-
ſtificamur, illi autẽ diffuſione charitatis per
ſpiritum inhabitantem, nulla peccati, à quo
immunes ſunt, facta remiſſione vel expurga
tione, per ſolam videlicet ſublimationem
in cõſortium naturæ diuinæ, ſine vllius mi-
ſeriæ peccati aut damnationis ſublatione
Maior eſt Dei gratia in noſtra iuſtificatione quàm ſanctorum Angelorum. iuſti ſunt. Propter quod incomparabiliter
maius eſt beneficium noſtra iuſtificatio, in
qua filij iræ & æternæ damnationis ob ſcele-
ra noſtra, in filios & hæredes adoptamur, o-
mnibus condonatis peccatis, quàm quod in
filium aut hæredem adoptetur, qui talis mã-
net, qualis de manu creatoris eſt conditus,
purum & mundum eius plaſma, nullo vitio
contaminatum: Id quod ſingulariter (vt di-
ximus) Apoſt. obſeruat loquens de iuſtifica-
Actor. 13. tione. Notum ſit, inquit, vobis viri fratres,
quod per hunc vobis remiſſio peccatorum
annunciatur ab omnibus, à quibus non po-
tuiſtis in lege Moyſi iuſtificari. Et ad Roma.
Cap. 4. Credenti, inquit, in eum qui iuſtificat im-
pium, reputatur fides eius ad iuſtitiam. Et
commẽdat charitatem ſuam in nobis Deus:
Quoniam cùm adhuc eſſemus ſecundũ tem-
pus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus
Cap. 5. eſt: Item ad Epheſios, Deus qui diues eſt in
miſericordia, propter nimiam charitatem
ſuã, qua dilexit nos, & cùm eſſemus mortui
peccatis, conuiuificauit nos Chriſto, cuius
gratia eſtis ſaluati. Incomparabiliter igitur
Cap. 2. maiori gratia maiorique Dei miſericordia
nos iuſtificamur, quàm ſancti angeli, aut pri-
mus homo. Noſtra enim iuſtificatio eſt cum
redemptione à captiuitate & ſeruitute dia-
boli, peccati, & mortis æternæ, qua ex hoſti-
Fides propitiatoris ſicut mediatoris ſemper poſt lapſum hominis ſunt neceſſaria. bus & inimicis adoptamur in filios. Ex qui-
bus manifeſtum eſt, quòd hęc fides propitia-
tionis, vt modo eſt, ita ſemper fuit ad iuſti-
ficationem neceſſaria poſt lapſum in pecca-
tum, ſicut fides Chriſti mediatoris. Eadem
namq; fides eſt propitiatoris & mediatoris.
Nam mediator eſt Chriſtus, Deũ nobis pro-
pitiando & reconciliando: mediatoris au-
tem fidẽ à tempore peccati Adæ, docet ma-
giſter in ſentent. eſſe neceſſariam, ex doctri-
na B. Auguſtini in epiſtola ad Optatum. Et
cap. 7. lib. de corrept. & gratia, vbi ait. Sicut
Diſtinct 3. veritas loquitur, nemo liberatur à damna-
3. ſentent. 5 tione quæ facta eſt per Adam, niſi per fidem
Epiſt. 157. Ieſu Chriſti, & tamen ab hac dãnatione non

ſe liberabunt, qui poterunt dicere ſe non
audiſſe euangelium Chriſti, cùm fides ex au-
ditu ſit: quantò minus ſe liberabunt, qui di-
cturi ſunt, perſeuerantiam non accepimus.
Iuſtior enim videtur excuſatio, dicentium,
non accepimus audientiam, quàm dicentiũ,
non accepimus perſeuerantiã. Quoniam po
teſt dici homini, In eo quod audieras & te-
nueras in eo perſeuerares ſi velles: nullo mo
do autem dici poteſt, Id quod non audieras
crederes ſi velles. Et paucis interpoſitis: qui-
cunq; ergo ab illa originali damnatione iſta
diuinæ gratię largitate diſcreti ſunt, non eſt
dubium quod & procuratur eis audiendum
euangelium, & quum audiunt credunt, & in
fide quæ per dilectionem operatur, vſque in
finem perſeuerant. Ad quod citat ſentẽtiam
B. Petri, Quid tentatis Deum imponere iu- *Libr. 1. de*
gum ſuper ceruices populorum, quod neq; *gratia ca. 2.*
nos, neque patres noſtri portare potuimus. *Actor. 15.*
Sed per gratiam Domini Ieſu Chriſti credi-
mus ſaluari, quemadmodum & illi. Et alio
loco, Non eſt in alio aliquo ſalus, nec aliud
ſub cœlo datum nomen hominibus, in quo
oporteat nos ſaluos fieri. Item, Huic omnes *Actor. 4.*
prophetæ teſtimonium perhibent remiſſio- *Cap. 10.*
nem peccatorum accipere per nomen eius,
omnes qui credunt in eum. Habuerũt enim
eundem ſpiritũ fidei & charitatis, quotquot
iam inde à mundi conſtitutione facti ſunt
ſalui. Nec ſufficeret fides natiuitatis, reſur-
rectionis & aſcẽſionis Chriſti, imò nec mor-
tis aut paſsionis, niſi in ea intelligatur hæc
propitiatio pro noſtris peccatis, vt iuſtifican
di & peccatorum remiſſionem accepturi,
quaſi eius ſanguine expectemus aſpergi &
lauari, eiuſq; merito apud patrem reconci-
liari, & in gratiam redire: Sed fuit neceſſaria
hæc fides vſq; ad euangelij manifeſtationem
diſtincta vel velata, in aperto, vel in myſte-
rio, vt docet Magiſter eadem diſtinct. poſt B.
Auguſtinum: Nunc autem neceſſaria eſt di- *Libr. 6. con-*
ſtincta & expreſſa mediatoris & propitiato- *tra Fauſt.*
ris fides. Nam fidem ſemper creuiſſe docet *cap. 14.*
B. Gregorius. Et Hugo de S. Victore lib. 1. de
Sacramentis. Item B. Bernardus in epiſt. ad *Hom. 29. ſu-*
eundem Hugonem. Et videtur beatus Augu- *per Ezech.*
ſtinus ſenſiſſe tam neceſſariam eſſe & fuiſſe *parte 10. ca.*
hanc fidem, vt nulla ignorantia quantum- *4. & 6.*
cunque inuincibilis excuſare potuerit, vel
poſsit à damnatione, etiam ſi Euangeliũ au-
diri non potuerit: vt ſonare videtur ſenten-
tia eius iam ſtatim citata ex cap. 7. lib. de cor-
rept. & gratia. Et de natura & gratia, cap. 2. 8.
& 9. Rurſus de gratia Chriſti cap. 24. vbi di-
cit Pelagium eiuſq; diſcipulos contra veri-
tatem ſcripturarum diſtinxiſſe tria tempo- *Actor. 10.*
ra, & primũ vixiſſe iuſtos homines ex natu- *Quamuis fi-*
ra: deinde ſub lege: tertiò ſub gratia, quam *des propitia-*
diſtinctionem ex ſcripturis improbat. Certa *tionis ſit ne-*
eſt enim ſentẽtia Apoſt. Pauli: Omnes enim *ceſſaria, an*
filij Dei eſtis per fidem quæ eſt in Chriſto Ie- *ſit neceſſaria*
ſu: & B. Petri: Huic omnes prophetæ teſtimo *quãdo iuſti-*
nium perhibent, &c. Sed difficultatem ma- *ficamur.*
gnam articulus hic habere videtur, dum di-
cit hanc fidem neceſſariam ad iuſtificatio-
nem.

Magiſter noſter Iacobus Latomus de fide & operibus. et Albertus Pighius cõtrouerſ. 2. circa finem

Heb 11.

Reſponſio ad obiectionem.

nem, quaſi ab ea pendeat, vt ſine hac fide nemo iuſtificari poſsit. Videtur enim ſufficere fides quæcũq;, vt quidam Doctores catholici docent, & probant ex epiſt. ad Hæbr. Nã fide, Noe reſponſo accepto de his quę adhuc non videbantur metuens aptauit arcam in ſalutem domus ſuæ, per quam damnauit mũdum, & iuſtitiæ quæ per fidem eſt, hæres eſt inſtitutus. Ex quo colligunt fidem imminentis diluuij per timorẽ operantem iuſtificare. Item ex eo quòd fide plurimam hoſtiam Abel quàm Cain obtulit Deo, per quam conſecutus eſt eſſe iuſtus teſtimonium perhibẽte muneribus eius Deo. Et credidit Abrahã Deo, nullo habito reſpectu ad ꝓpitiationẽ, ſed ad promiſsionẽ & ſeminis ſui multiplicationem tantum, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Quibus reſpondetur, quòd articulus regulam ponit, ſecundum quam pœnitentes remiſsionem peccatorũ & iuſtitiam ſperare debent. Hæc autem eſt fidei regula,

Regula fidei

quòd ex Chriſti propitiatione in ſanguine ipſius, non ex pura patris cæleſtis gratia, nec ex ſuis operibus, niſi hoc ſanguine aſperſis peccator pœnitẽs veniam peccatorum conſequitur. Propriè igitur ſperanda eſt venia, conſideratione mortis Chriſti paſsi pro peccatis noſtris. Atqui neceſſaria eſt hęc fides in actu, ſaltem virtuali atque implicitè, ita vt pœnitentia ſaltem ſecundum ſpem veniæ ab eo procedat. Fides autem hæc in habitu tantum, ſufficere nõ videtur: ſed talis requiritur, quæ ſic dirigat pœnitentes, vt nõ quaſi ex operibus ſuis, aut mera patris gratia, ſine redemtionis per filium factæ interuẽtu, veniam aut iuſtitiam ſperent. Non enim pater peccata remittit, niſi reſpiciendo in faciem Chriſti filij ſui. Et doctores putantes quamlibet fidem ad iuſtificationem ſufficere, magis de ea loquuntur ſecundum eius augmentum & perfectionem, quàm quæ eſt à peccatis liberatio. Certum eſt enim de ſecunda hac iuſtificatione loqui Apoſtolum Paulum in locis quæ citantur ab iiſdem. Nam Abraham & Noë prius erant iuſti. Et fortaſſis fides hominis Chriſtiani cõplectitur hãc fidem propitiationis. Suſcepit enim quiſq; Chriſtianus ſacramenta ea fide, eoque fine ac modo, quibus Chriſtus ea ſuſcipienda inſtituit, & maiores credunt & ſuſcipiunt. Porrò hæc propitiatio non tollit omnem reatum. Nam filij ſunt, quibus mãdatum eſt orare: Dimitte nobis debita noſtra. Item filius eſt, qui dicit ſe ſcire, quòd pater non parcit delinquenti. Rurſus, de Moyſe & Samuele ait propheta, Propitius fuiſti eis, tñ vlciſcens in omnes adinuentiones eorum.

Pſal. 98.

Secunda pars articuli.

SINE hac fide nullis noſtris operibus, nullaq; pœnitentia iuſtificatio obtineri poteſt: ea autem præſente noſtris operibus, noſtraq; pœnitentia inde procedentibus, & ſanguine Chriſti per eam tinctis, iuſtificamur, & à peccatis liberamur propter hanc fidem & Chriſti propitiationem. Facit enim hæc fides, vt noſtram pœnitentiam & cordis contritionem aſpiciat Deus. Teſtantur enim ſcripturæ, quòd propter pœnitentiam Deus diſsimulat peccata hominum. Et triſtitia quæ ſecundum Deum eſt, pœnitentiam & ſalutem ſtabilem operatur. Niniuitarum quoque opera vidit Deus, quia conuerſi ſunt à via ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitia, quam locutus eſt. In articulo autem intelliguntur opera & pœnitentia noſtra, nõ, quæ ſunt fructus fidei, quæque ex ea procedunt, ſed quæ ex naturali hominis cognitione & viribus liberi arbitrij proficiſcuntur. Ea enim propriè noſtra ſunt opera. Nam ex operibus fidei Abraham eſſe iuſtificatum, & ſimiliter Raab meretricem, apertè docet epiſtola B. Iacobi, declarans in ea parte Paulũ Apoſtolum in epiſt. ad Rom. de alijs operibus, quæ ex fide non proficiſcuntur eſſe locutum. Palam enim dicit Iacobus, Videtis quoniam ex operibus iuſtificatur homo, operibus ſcilicet Fidei, de qua ibi agit: ſed non ex fide tantum. Nec tacet opera ex quibus iuſtificati ſunt pater noſter Abraham & Raab meretrix: Abraham quidem ex oblatione Iſaac filij ſui: & Raab, quia ſuſcepit nuncios & alia via eiecit. Et his operibus dicit fidem eſſe cooperatam & conſummatam. Opponit enim Apoſtolus Paulus gratiæ & fidei, noſtra & legis opera, non gratiæ & fidei opera. Si autem gratia, inquit, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non eſſet gratia. Item, Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Et fidei opponit opera, dum ait. Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum. Quid enim dicit ſcriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Eſt igitur iuſtificatio à peccatis & eorum remiſsio ex pœnitẽtiæ, fidei, & gratiæ operibus, non ſecundum rationem meriti. Nuſquã enim in ſcripturis fides, vel iuſtitia (vt diximus) merces dicitur ſicut vita æterna. Nã ex ſola Chriſti morte, quaſi ex merito, à peccatis iuſtificamur. Hic enim ſolus meruit, vt nos quaſi filij & hæredes in gratiam patris rediremus. Nec tamen ſolum ex his operibus tanquam conditione requiſita ex lege Chriſti, & iudicio naturalis rationis, ſecũdũ quod filius agnoſcere debet, & dolere de offenſa in patrem commiſſa, & ad emendam ſe ſubijcere ad eius voluntatẽ ſine qua conditione peccata nunquã cõdonarentur, ſed hæc opera efficaciter præparant ex Chriſti propitiatione & ordinatione mouentis cor peccatoris, vt ad Deũ conuertatur. Atq; huius cõſideratione, vera eſt ſentẽtia cõmunis, quòd iniquitas eſſet apud Deum, ſi ad ſe cõfugientẽ nõ reciperet. Opera verò quæ Chriſtus vt caput in nobis membris ſuis per ſpiritũ inhabitantẽ operatur, verè ſecundum rationẽ meriti iuſtitiam perficiunt, & efficerẽt niſi iuſtitiæ qualitas eſſet omnẽ naturæ creatæ virtutem excedens: Habitum tamen iuſtitiæ acquiſitũ alterius ſpeciei per mũdũ efficientiæ poſt ſe relinquũt. Dicimur autẽ & ab operibus his iuſtis iuſti, quem-

Sapient. 11.

Ionæ 3.

Cap. 2.

Cap. 4.

Rom. 11.

Rom. 4.

Tho. 22. quæ. 12.

quemadmodum ab iniuſtis, iniuſti, & ratione maiorum & plurium operum magis iuſti & iniuſti. Qui facit iuſtitiam, ait ſcriptura, iuſtus eſt, ſicut & ille iuſtus eſt. Qui facit peccatum ex diabolo eſt. Secundum quam operum iuſtitiam, eorumq; iniquitatem à Deo fiet retributio, non ſecundum habitus. Reddet enim Deus vnicuique ſecundum opera ſua: quamuis noſtra fides, hoc eſt

Lib. 2 contra 2. epiſt. Pela. cap. 5.

fides catholica, vt ait B. Auguſt. non operũ, ſed ipſa fidei lege diſcernit iuſtos ab iniuſtis, mercedem aũt lege operum, quia iuſtus ex fide viuit & ſecundum opera ei retribuitur merces. Iuſtitia autem & iniuſtitia, habitus ſunt nomina, non actus. Ex his manifeſtum eſt, nos ex operibus iuſtificari à peccatis, & in iuſtitia perfici, quamuis ratione diuerſa. Manifeſtum eſt etiam, quòd multiplex eſt iuſtitia fidei, ſicut eſt multiplex operum iuſtitia. Eſt enim iuſtitia fidei habitualis, quæ à Deo infunditur per ſpiritũ inhabitantem, & facit naturæ diuinæ conſortes ac filios dei. Alia eſt, quæ acquiritur ex operum fidei frequentia, & ideo dicitur iuſtitia acquiſita, manens in peccatore. Eſt & actualis, quæ eſt rectitudo operum iuſtitiæ. Omnis autem iuſtitia eſt & operũ iuſtitia, quia ex operibus perficitur & gignitur: ex operibus autem quæ ex ſpiritu fidei procedunt.

Rom. 2.

Sed retributio fiet ſecundum iuſtitiam operum. Paruulis autem & adultis, qui tempus operandi non habuerunt, retribuentur ſecundũ merita Chriſti, iuxta proportionem tamen ad eius imaginem, hoc eſt, Dei formitatem.

ADdit deinde artic. nec ſola fide, ſterili ſcilicet & otioſa, vel per timorem, non per amorem operante, quam Beatus Iacobus dicit eſſe dæmonum, id eſt, non ea fide quæ conſiſtat intra limites illuminationis intellectus ſe captiuantis in obſequium verborum Dei, quam non iuſtificare do-

Galat. 5.

cet Apoſtolus Paulus, dum ait, In Chriſto Ieſu neque circuncißio aliquid valet, neq; præputium, ſed fides quę per charitatem operatur. De qua fide, euangelica ſcilicet, dicit B.

Cap. 14.

Auguſt. lib. de fide & operibus loqui Apoſt. quando fide docet nos iuſtificari. Iuſtificamur enim fide non formata, ſed fœcunda, operumque pœnitentiæ feraci, ſine quibus non contingit peccatoribus iuſtificatio. Triſtitia, inquit Apoſtolus, quæ ſecundum Deum eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Nec tamen hac fide iuſtificamur, niſi perfectam adduxerit pœnitentiam, vel ſacramentũ pœnitentiæ aut baptiſmi acceſſerit. Quapropter B. Paulus teſtificatus eſt Iu-

Fides ſine pœnitentia non iuſtificat.

dæis atque Gentibus pœnitentiam in Deum, & fidem in Ieſum Chriſtũ, clariſſimè docẽs vnũ ſine altero non ſufficere. Et Saluator

Mar. 1.

in principio ſuæ prædicationis, Pęnitemini

Luc. vltim.

inquit, & credite Euãgelio. Itẽ Apoſtolis iuſ-

Act. 8.

ſit prædicare in nomine ſuo pœnitẽtiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes. Rurſus B. Petrus ad Simonem Magum: Pœnitentiam itaque age, inquit, ab hac nequitia tua, & roga Deum ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Et B. Ioannes in Apocalypſi Angelo Epheſi: Memor eſto

Apocal. 2.

vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Et angelo Pergami. Dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere: ecce ego mittam eam in lectũ, & qui mœchantur cum ea, niſi pœnitentiam ab operibus ſuis egerint. Sicut autem in his ſcripturis tantum mentio fit pœnitentiæ, non expreſſa fide, quæ tamen ex alijs ſcripturis ſimul intelligitur, ita nihil mirandum, ſi B. Paulus in epiſt. ad Rom. & Galat. ſolum fidei (de qua ſcopus diſputationis erat) expreſſè meminerit, ſuppreſſis interim operibus, quæ tamen propterea nõ excluduntur, ſed ex alijs ſcripturarum locis etiam intelliguntur. Et vtraq; hæc expreſſè requirit Dominus Saluator, Apoſt. Paulus quoque, locis iam citatis. Quòd autem pœnitentia formalis, qua diſplicet peccatum ob Dei offenſam, neceſſariò requiratur, & virtualis non ſufficiat, oſtendimus ſuperius, circa articulum de pœnitentia ex ſcripturis & ex doctrina beati Thomæ & Alexandri de Hales: quamuis multi doctores contrarium defendant, ſufficere nimirum dilectionem Dei ſuper omnia, in ea autem virtualiter contineri pœnitentiam, & odium peccati. Quam difficultatem latè proſequitur reuerendus M. N. Dominicus à Soto ſecundo lib. de natura & gratia. Nec obſtat his quæ diximus, ſcilicet, ſola fide non fieri iuſtificationem, ſententia Apoſtoli Pauli, Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes qui

Cap. 18.

Intellectus ſcripturarũ quæ ſonãt ſola fide iuſtificari impiũ.

credunt in eum: Ex quo ſequi videtur, quod qui credit in eum eo ipſo iuſtificatur, quamuis ſola ſit fides ſine pœnitentia: quia argumentatio & intentio Pauli non requirit aliud, quàm quòd ſine fide in Chriſtum nemini contingere poteſt iuſtitia. Et ideo eo-

Rom. 3.

dem ſermonis tropo intelligenda eſt, quo alia eius ſententia, Per vnius iuſtitiam in om-

Rom. 5.

nes homines in iuſtificationem. Item Sicut in Adam omnes moriũtur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. Et B. Petrus: Pati-

2. Pet. 3.

enter agit propter vos nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. Rurſus apud Ioannem. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Sicut enim iſta intelliguntur ſecundum diſtributionẽ accommodam, quotquot ſcilicet illuminantur, per eum illuminari oportet. Et ſicut iuſtificatio vitæ non niſi per vnius hominis iuſtitiã propagatur, ita nec iuſtitia Dei alicui communicatur, niſi per fidem Ieſu Chriſti, & ei ſolum ſi credat in eum. Quòd autem ſimpliciter in omnes credentes veniat Dei iuſtitia, impertinens eſt huic loco Apoſtoli, & ſcopo diſputationis eius, nec patiuntur Euãgelia. Si tamẽ intelligitur eſſe abſoluta diſtributio, ſolum ſequitur modus quidam credendi eſſe, quẽ ſequitur ſemper iuſtificatio: de quo Apo. ad Romanos 10. cap. Item ad Galathas 5. vbi ea interpretatur quæ dixerat de fide iuſtificante.

te. Et hæc ſententia ſuperius citata, Iuſtitia Dei in omnes, &c magis tradit efficaciam & virtutem fidei quam perpetuum eius effectum & euentũ: virtute autem includit ſuos effectus, hoc eſt, vniuerſa quæ didicit eſſe neceſſaria ad iuſtificationem. Et in omnes credentes venit, ſed nõ ſtatim: verum præſtitis & perfectis fidei operibus, inter quæ eſt imprimis pœnitentia. Eſt autem hic difficultas, quùm ab his duobus, fide nimirum & pœnitẽtia noſtra pendeat iuſtificatio, vtra principalius eam operetur, fides an pœnitentia. Nam hic articulus noſter tribuere videtur primas partes fidei, dum dicit: ante omnia neceſſariam eſſe hanc fidẽ. Videtur probabilius pœnitentiam eſſe cauſam immediatam remiſsionis peccatorum & iuſtificationis: ea tamen ratione qua ex fide procedit, nõ quidem propitiationis, ſed ex fide communi catholica, ſicut opera noſtra immediatè Deo placent, vt quòd currimus & contendimus, ad brauium ſupernæ vocationis, quod legitimè certamus, ſed placent propter charitatem & ſpiritum Chriſti, à quibus procedũt. Quia tamen ex pœnitentia noſtra tantum iuſtificamur, tãquam ex diſpoſitione Deum inuitante & prouocãte, & ex Chriſti propitiatione tanquam merito, quæ ſola fide conſideratur, ideo fides hæc præ cæteris omnibus dicitur neceſſaria. Et deinde hæc fides principalior comparatione ad ſpem veniæ, quã pœnitentia includit. Sed ſecundũ quod pœnitẽtia odium peccati includit ex fide catholica procedẽs, expellit peccatũ, & principalior eſt in hominis iuſtificatione. Propria autẽ pœnitentiæ ratio, conſiſtit in odio peccati cõtra Deum eiusq; mandatum cõmiſsi, ita vt dolendi ratio ſit Deus, fide cognitus: ad quam pœnitentiam odiumq; peccati, nõ eſt neceſſaria fides propitiationis: Attamen vt in ſe complectitur propoſitum Deum offenſum placandi, & veniæ expectationẽ, hac parte pœnitẽtia requirit fidem propitiationis, ſine qua efficax eſſe non poteſt. Nam per eam regulari debet pœnitentia, vt gratiam & peccatorum remiſsionem à patre quæramus ob redemptionẽ filij ſui, certò cognoſcentes, quòd ſine ea in gratiam non recipiemur. Proprius igitur pœnitentiæ effectus, eſt remiſsio culpæ, & impij iuſtificatio. Si impius, inquit Propheta, egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, omnium iniquitatum eius quas operatus eſt, non recordabor. In iuſtitia ſua quam operatus eſt viuet. Conuertimini & agite pœnitentiam. Agite pœnitentiam, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Rurſus, Nullus eſt qui agat pœnitentiã ſuper peccato ſuo, dicens, Quid feci? Huiuſmodi plurimas ſententias ſupra citauimus, quæ pœnitentiæ tribuunt peccatorum remiſsionem. Fides verò magis oſtendit ad quem recurrere debeamus, vt iuſtificemur, & quo modo remiſsionem exſpectare nos oporteat, quàm vt immediatè tanquã cauſa proxima iuſtificet. Quemadmodum enim oſtendit quomodo orare, quodque in nomine IESV petere debeamus (oratio tamẽ fide directa impetrat, non ipſa fides) ita pœnitentia eſt principalis & proxima cauſa ad remiſsionem peccatorum diſponens: fides autem oſtendit, qua ratione in gratiam patris quis redire poteſt. Cor enim contritum & humiliatum Deus propriè reſpicit, fide, vt diximus, dirigente, & oſtendente media, per quæ DEVM placare poſsimus, & cuius gratia ipſum placabimus.

An iuſtificatio impij magis à fide pendeat, an à pœnitentia.

Pœnitentia eſt ex fide catholica vniuerſali: ſpes autem veniæ ex fide propitiationis.

Pœnitentia principalior eſt in hominis iuſtificatione.

Proprius pœnitentiæ effectus, eſt peccatorum remiſsio

Ezech. 28.

Hierem 8.

Et ſicut requiritur ad veram pœnitentiã propoſitũ amplius non peccandi, ita & propoſitum viuendi ſecundum mandata Dei. Reconciliatio namque amici & amicitiæ leges hoc requirunt, vt mutua fiat inter eos voluntatis beneuolẽtia, & potiſsimũ quando fili᷒ poſt offenſam patris & rebellionem atque inobedientiam contra eum admiſſam, reconciliatur, offerre debet obedientiã & propoſitum ſecundũ patris mandata viuendi. An verò requiratur ad iuſtificationẽ explicitum atque formale propoſitum viuendi ſecundum mandata Dei, ſicut ad formalem pœnitentiam, non concorditer ſentiunt ſcholaſtici (qui diligentiores ſunt in omnium difficultatum veritate inquirẽda.) Nec ſatis inter eos conuenit an requiratur formale propoſitum à peccatis abſtinendi, an ſufficiat virtuale. Docent enim quidam ſufficere, quòd non adſit relabendi propoſitum, aut ad peccandum affectus, beatus Thomas tanquam de quæſtione non parum dubia, dubie loquitur, & ſibi non ſatis conſtare videtur. Proponit enim argumẽtum. Pœnitentia ſecundum propriam rationem reſpicit præteritum: ergo non decet poni in eius definitione, plangenda non committere, Cui reſpondet, Quamuis ad pœnitentiã, in quantum pœnitentia eſt, non pertineat reſpectus ad futurum, tamen in quantum eſt emendatoria offenſæ commiſſæ in Deũ, exigit reſpectum in futurum, ſcilicet propoſitũ de cætero peccata cauendi. Et hoc propoſitum intelligitur in hoc quod dicit, flenda iterum non committere, id eſt, habere propoſitum non committendi. Vel intelligatur quantum ad perfectam pœnitentiam, & nõ ſit de eius eſſentia, ſed perfectione, quia ſine hoc non conſequitur vltimum fructum ſuum. Vel referatur ad idem tempus, vt Magiſter dicit.

Propoſitũ viuendi ſecundum mandata Dei, requiritur in pœnitentie.

Diſtinc. 14 4 ſent. q. 1. art. 1. quæſt. 6.

Diſtinct 7. 4. 2. art. 2. quæſt. 4.

Idem alio loco, dicit pœnitentiãm reſpicere peccatum futurum ex conſequenti ſolum, ſecundum quod habet aliquid de actu prudentiæ adiunctum, & non ratione propriæ ſpeciei: propter quod ille qui conteritur, dolet quidem de peccato præterito & cauet futurum: ſed non dicitur eſſe contritio de peccato futuro, ſed magis cautio, quæ eſt pars prudentiæ adiunctæ cõtritioni. Et cauere futura peccata, eſt actus pœnitentiæ, vt mota eſt & directa à prudentia. S. Bonauentura quoque eadem diſtinctione dicit propoſitum peccata cauendi vitamque mutandi non eſſe de neceſsitate pœnitentiæ,

ſed

ſed de bene eſſe eius, & actum pœnitentiæ annexum. Et Gabriel Biel conſtanter pronunciat, ſolam criminis deteſtationem ſine omni alio actu ſufficere ad peccati deletionem. Et ſatis videtur quòd hoc propoſitum magis ad charitatem & obedientiam Dei pertinet, quàm ad pœnitentiam. Sanctiſsimus autem Adrianus ſextus docet emẽdationis propoſitum in futurum requiri ad veram pœnitentiam, ex definitione quam diſt. prædicta tradit Magiſter, hac videlicet, Pœnitentia eſt virtus vel gratia qua cõmiſſa mala cum emendationis propoſito plangimus & odimus, & plangenda amplius committere nolumus. Quam definitionem colligit ex verbis B. Gregorij & Ambroſij. Oportet enim quòd verè pœnitens odiat diuinam offenſam: Ex quo conſequens eſt quòd ſaltem implicitè nolit in poſterum peccare. De quibus opinionibus loquens Gerſon de regulis moralibus. Mitis, inquit, eſt opinio pro peccatoribus, dicens ſufficere ad abſolutionis ſacramẽtalis fructuoſam ſuſceptionẽ, quòd confeſſus non habeat actuale propoſitũ peccandi. Hoc enim dicunt eſſe non ponere obicem: ſed alia opinio quòd actuale propoſitum poſitiuum non peccandi in futurum requiritur, eſt probabilior & ſecurior. Et quia in Concilio Florentino definitur ad cordis contritionem pertinere, vt pęnitens doleat de peccato commiſſo cum propoſito nõ peccandi de cætero: Rurſus in concilio Tridentino, quòd ſuſcepturus baptiſmum debeat proponere ſe inchoaturum nouam vitam ſeruaturumq; diuina præcepta: præſens articulus dicit propoſitum ſecundum mandata Dei viuendi quaſi in pœnitentia comprehenſum, aut ei inſeparabiliter annexum, ad iuſtificationem eſſe neceſſarium. Quæ autem diximus de iuſtificatione fidei, confirmat Concilium Trident. dum ait, Cùm Apoſt. dicit iuſtificari hominem per fidem & gratis, ea verba in eo ſenſu intelligenda sũt, quem perpetuus eccleſiæ catholicæ conſenſus tenuit & expreſsit, vt ſcilicet per fidem ideo iuſtificari credamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis iuſtificationis, ſine qua impoſsibile eſt placere Deo, & ad filiorum eius conſortium peruenire: Gratis autem iuſtificari ideo dicamur, quia nihil eorum quæ iuſtificationem præcedunt, ſiue fides ſiue opera, ipſam iuſtificationis gratiam promeretur: Si enim gratia eſt, iam nõ ex operib⁹, alioquin (vt idem Apoſt. inquit) gratia iam nõ eſt gratia. Quæ patrum doctrina ſumpta videtur ex cap. 7. lib. Beati Auguſtini de prædeſt. ſanctorum, vbi inquit. Cum ipſam fidem Dominus opus Dei eſſe dicat, & hac vt operemur iubeat, ſic diſtinguit Apo. Paulus ab operibus fidem, quẽadmodum in duobus regnis Hebræorũ diſtinguitur Iudas ab Iſrael, quum & ipſa Iudas ſit Iſrael. Ex fide autem ideo dicit iuſtificari hominem, non ex operibus, quia ipſa prima datur, ex qua impetrẽtur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus iuſtè viuitur. Et poſt pauca, Si Cornelius Centurio poſſet ſine fide Chriſti eſſe ſaluus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apoſ. Petrus. Et dicitur a vobis, fides eſt à nobis, cętera à Domino, quaſi ad ædificandum non pertineat fides, quaſi ad ędificium, inquam, non pertineat fundamentum. Et in epiſto. ad Anaſtaſium quæ eſt 144. Fides iuſtificat, quia impetrat iuſtificationem. Similiter beatus Cyril. in Ioannẽ Ianua & via in vitam fides eſt, & recurſus quidam atque reductio à corruptione ad immortalitatem Et Origenes in commen. epi. ad Rom. circa locum Credidit Abrahã Deo, &c. Puto, inquit, quòd prima ſalutis initia & fundamenta fides eſt. Item de acceptæ iuſtificationis incremento, idem Conc. Trident. ſic inquit: Sic ergo iuſtificati & amici Dei facti & domeſtici, euntes de virtute in virtutem, vt Apoſt. inquit, renouãtur de die in diem, hoc eſt, mortificando membra carnis ſuæ, & exhibendo ea arma iuſtitiæ in ſanctificationem per obſeruationem mandatorum Dei & Eccleſiæ in ipſa iuſtitia per Chriſti gratiam accepta cooperante fide bonis operibus creſcunt, atq; magis iuſtificantur, ſicut ſcriptum eſt. Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc. Et iterum, Ne verearis vſque ad mortem iuſtificari. Et rurſum, Videtis quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantum? Hoc vero Iuſtitiæ incrementum petit ſancta Eccleſia cum orat: Da nobis Domine fidei, ſpei, & charitatis argumentum.

Eadem diſt. quæſt. 1. & quæſt. 2.

Homi 84. in Euang. part. 2. alpha. 25.

Cap. 8. ſeſſ. 5

Ioan. 6.

Cap. 9.

Cap. 10.

PRO maiori explicatione huius articuli cõſiderandum eſt, & oſtẽdendum, quod iuſtitia qua iuſtificamur, hoc eſt, quæ terminus eſt noſtræ iuſtificationis, ſit qualitas à qua intrinſeca denominatione, verè iuſti dicimur, quodque hæc qualitas vera ſit iuſtitia. ſicut formaliter ſapientes ſumus & temperati à qualitatibus ſapientia & temperantia quas ſpiritus Chriſti nobis communicat. De qua ſapientia B. Iacobus ait, Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & nõ improperat, & dabitur ei. Loquitur enim ſimiliter Sapiens de his virtutibus: Sobrietatẽ & ſapientiam docet & iuſtitiam & virtutẽ, quib⁹ vtilius nihil eſt in vita hominis. Sicut igitur fieri non poteſt vt homo ſit ſapiens niſi à ſapientia inhærente, nec ſobri⁹ aut fortis, niſi intrinſeca denominatione ab inexiſtentibus his qualitatibus, ita nec iuſtus, niſi in ſe habeat qualitatẽ quæ eſt iuſtitia participata & deriuata, ſicut à capite ad membra: à iuſtitia Chriſti, à qua ſola homo iuſtus eſſe non poſſet, ſicut nec ab eius fortitudine & prudentia, fortis & prudens, niſi eas participaret intrinſecè ſecundum formales earum rationes.

Iuſtitia qua iuſti ſumus corã Deo qualitas eſt menti hominis intrinſeca, vel per modum qualitatis immanentis ſe habet.

Sapien. 8.

Quemamodum creaturæ bonæ non dicerentur à Dei bonitate, ſi in ſe non haberent bonitatis eius participationem. Multos autem dici & eſſe verè iuſtos, paſsim teſtantur ſcripturæ ſacræ. Nam iuſtus, inquit Abacuc propheta, ex fide viuit. Et Apo. Paulus, Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores

Multi ſunt vere iuſti.

res conſtituti ſunt multi, peccato Adæ in poſteros transfuſo: ita per vnius obeditionem iuſti conſtituentur multi, per transfuſionē & communicationem ſpiritus & iuſtitiæ Chriſti. Et ideo non tantum extrinſeca denominatione iuſti ſumus: ſicut non dicimur peccatores extrinſecè ab inobedientia Adę, ſed intrinſecè tam à peccato Adæ peccatores, quàm à iuſtitia Chriſti iuſti dicimur, tā quam nobis inhærentibus & in nos transfuſis.

Rom 5. Heb. 11.

Et Abel teſtimonium conſecutus eſt, ſe eſſe iuſtum, teſtimonium perhibente muneribus eius Deo. Item in Euāgelio dicit Chriſtus, ſanguinem iuſti Abel. Et Noë iuſtitiæ quæ per fidem eſt, hæres eſt inſtitutus, Adæ videlicet hæres & maiorum ſuorum. Itaque cum ſcriptura hos & infinitos alios ſimpliciter iuſtos pronunciet, non poſſunt ſecundum tropum & abuſiuè iuſti intelligi, tum quod nomen ipſum iuſtus non patiatur extrinſecam denominationem, ſicut nec nomina ſapiens, fortis, & temperatus, tum maximè quod ſecundum tropum nō ſit intelligēda ſcriptura ſacra, niſi ſermonis proprietas abſurdum ſenſum faciat, vt docet B. Auguſt.

Math. 23. Lib. 2. de doctrin. Chriſt. cap. 1.

Præterea palam teſtantur ſcripturæ in iuſtificatione impij magnam fieri mutationem & alterationem qualitatiuā in interiori hominis diſpoſitione, quam diſpoſitionem vocant munditiem, nouitatem, cordis rectitudinem, conſortium, & eſſe naturæ diuinę, vitam ſpiritus, & alijs nominibus, à quibus denominatio fieri non poteſt, niſi intrinſeca. Non enim cor alicuius eſt rectum, niſi à rectitudine inhærente, nec mundū nec nouū nec viuum, niſi à munditia, nouitate & vita, quæ menti inhærent. Contra communem hominum ſenſum, diceretur linea eſſe recta, non à propria, ſed alterius lineę rectitudine. Nec minus abſurdum eſſet quòd homo qui intus in corde & impius & iniuſtus eſt, ab alterius extrinſeca iuſtitia iuſtus denominaretur: Pronunciat autem Apo. Paulus apud Cor.

1. Cor. 3.

Hæc aliquando fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis in nomine domini Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri. Eadem namq; iuſtitia per Chriſti gratiā nobis reſtituitur, quæ ablata eſt per primū noſtrum parentem, quæ ei intrinſeca erat & inhærens. Similiter vita eadem ſicut idem ſpiritus. Ait enim, ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabūtur.

1. Cor. 10. Rom. 5.

Quoniam quidem per hominē mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et alibi, Sed non ſicut delictum, ita & donum. Si enim vnius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis abundantiā gratiæ & donationis & iuſtitiæ accipientes in vita regnabūt per vnum Ieſum Chriſtum. Igitur ſicut per vnius delictū in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores cōſtituti ſunt multi, ita & per vnius obeditionem iuſti conſtituentur multi: Vt ſicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iuſtitiam & vitam æternam per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum. Quæ Pauli ſententiæ clare docent, per Chriſtum nobis reſtituta eſſe, quæ ablata ſunt per peccatum Adæ, & gratiam abundantiorem nobis eſſe factam, quàm fuit calamitas inflicta per Adam. Et ideo Corinth. ſcribit, quòd in omnibus erant facti diuites in Chriſto Ieſu, & quòd Chriſtus, propter nos egenus factus eſt cum eſſet diues, vt illius inopia vos diuites eſſetis: Et Benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus.

1. Cor. 1. 2. Cor. 8. Ephe. 1.

Item: Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, vt ſublimitas ſit virtutis Dei & non ex nobis. Has autē diuitias nobis explicat, dum dicit, Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autē dominus.

2. Co. 12. et 13

Quod proſequitur duobus capitibus. Vbi enim eſt ſpiritus Chriſti inhabitans, ibi eſt & vita diuina, qua viuit in nobis Chriſtus potius quàm nometipſi.

Rom. 12.

Eandem præterea vitā in membris eſſe oportet, quæ eſt in capite, ſicut idem eſt ſpiritus totum corpus viuificans. In vno ſpiritu oēs nos in vnū corpus baptizati ſumus, & oēs vno ſpiritu potati ſumus. Vos autem eſtis corp' Chriſti & mēbra de membro: omnia autem corporis vnius, cum ſint multa, vnū tamen corpus ſunt: ita & Chriſtus, qui ſuo influxu toti corpori ſuum ſpiritū cōmunicat, per quem diffundit charitatem & iuſtitiam in cordibus noſtris, & per charitatem vniuerſas virtutes, quæ ad rectè pieq; viuendum ſunt neceſſariæ, imò & dona ſancti ſpiritus, quæ propheta Eſaias ſuper florem aſcendentem de radice Ieſſe filium Mariæ virginis vidit requieſcere, ſpiritum ſcilicet ſapientiæ, intellectus, ſpiritū conſilij & fortitudinis, ſpiritū ſapientiæ & pietatis, & ſpiritum timoris domini.

Cap. 12.

Hæc enim omnia inſeparabilia ſūt à ſpiritu Chriſti nos viuificante. Et Sapiens aperte pronūciat. Venerunt mihi omnia bona cum ea, ſapientia ſcilicet, quæ indiuidua comes eſt ſpiritus Chriſti, & charitatis per ipſum in cordibus noſtris diffuſæ. Et fructus ſpiritus deſcribit Apoſtolus apud Gal. & Charitatis apud Corint. Nam ſicut patiens eſt charitas, benigna, ita iuſta eſt, vnicuique reddens ꝙ ſuum eſt, imò & totius legis eſt impletio:

Cap. 5.

Abſurda igitur eſt aduerſariorum ſentētia, & in copioſam Chriſti redemptionē impia & blaſphema quòd in nobis ipſis, poſtquam in Chriſto ſumus renati, manemus iniuſti, iniqui, contaminati, & in conſpectu Dei abominabiles, & in Chriſto duntaxat iuſti, Deo placentes eiquę accepti, & ob illius tantum iuſtitiam: nec minus grati quàm ſi perſonaliter Chriſti iuſtitiam præſtitiſſemus.

1. Cor. 15.

Magis certè copioſa eſt Chriſti redemptio, per quam non ſolùm à malis & inopia liberamur, ſed in omnib. per eā diuites facti ſumus. Qui proprio filio nō pepercit, ait Apo.

ſed

ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo per illum non omnia nobis donauit? Natiuitatem enim qua in Chriſto ex Deo renaſcimur, per ſpiritum eius, vniuerſæ diuitiæ & dignitates filiorum & hæredum Dei ſequuntur. Hanc autem ſentẽtiam, inhærentem ſcilicet eſſe nobis iuſtitiam, plurimis in locis ex ſacris ſcripturis manifeſtè oſtendit & docet B. Aug. nec tacet quæ ſit hæc fidei iuſtitia per quã impi⁹ iuſtificatur. Ait enim, Charitas inchoata, inchoata iuſtitia eſt: charitas prouecta, ꝓuecta iuſtitia eſt: charitas magna, magna iuſtitia eſt, charitas perfecta, perfecta iuſtitia eſt: ſed charitas de corde puro, & cõſcientia bona & fide nõ ficta, quæ tunc maxima eſt in hac vita, quãdo ꝑ illa ipſa cõtemnitur vita. Ipſa eſt gratia Dei per Ieſum Chriſtum dominum noſtrũ. Charitatem autem ſiue dilectionem qua deum diligimus, neceſſe eſt eſſe intrinſecã. Si, inquit, in Abel iuſto charitas Dei, qua vere iuſt⁹ eſt quicunque iuſtus eſt adhuc erat quo poſſet & deberet augeri, quicquid minus erat, ex vitio erat, ſcilicet cupiditatis. Rurſus, neque illud nimis curo, vtrum fuerint hic aliqui, vel ſint vel eſſe poſsint, qui perfectam, cui nihil addendum eſſet, habuerunt, vel habeant, vel habituri ſint charitatem. Ipſa eſt enim veriſſima, pleniſsima, perfectiſsimaq; iuſtitia. Et iterum, Ex fide Chriſti ante eius paſsionem iuſtos vixiſſe non dubiũ eſt, qui præſtat ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, per quẽ diffunditur charitas in cordibus noſtris, qua vna iuſti ſunt, quicunq; iuſti ſunt. Et loquẽs contra Pelagium. Iſtam quippe gratiam, inquit, qua iuſtificamur, id eſt qua charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, in Pelagij & Celeſtij ſcriptis nuſquam eos inueni quemadmodum confitenda eſt, cõfiteri. Item alio loco clariſsimè, Diſputans enim cõtra eundem Pelagium, docentem non propagatione in alios homines peccatum ex primo homine, ſed imitatione tranſijſſe: Aliud eſt, inquit, quod exemplũ eſt voluntate peccantibus, aliud quod origo eſt cum peccato naſcentibus. Nam & Chriſtum imitantur ſancti eius ad ſequendam iuſtitiam. Vnde & idem Apoſtolus dixit: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Sed præter hãc imitationem gratiæ eius, illuminationẽ, iuſtificationemque noſtram etiã intrinſecus operatur. Hæc enim gratia baptizatos quoq; paruulos ſuo inſerit corpori, qui certè imitari aliquem nondum valent. Sicut ergo ille in quo omnes viuificabuntur, præter quod ſe ad iuſtitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam ſui ſpiritus occultiſsimam fidelibus gratiam, quam latẽter infundit & paruulis: ſic & ille in quo omnes moriuntur, præter quod eis qui præceptum Domini voluntate tranſgrediuntur, imitationis exemplum eſt, occulta etiam tabe carnalis concupiſcentiæ ſuæ, tabificauit in ſe omnes de ſua ſtirpe venientes. Et ca. ſequenti, Legimus iuſtificari in Chriſto qui credunt in eum, propter occultam cõmunicationem & inſpirationem gratiæ ſpiritalis, qua quiſquis hæret Domino, vnus ſpiritus eſt, quamuis eum & imitentur ſancti eius. Et circa verſic. Pſal. 10. Iuſtus domin⁹, & iuſtitias dilexit, In multis iuſtis, inquit, multę ſunt iuſtitiæ, cùm ſit vna Dei iuſtitia, cui⁹ participatione omnes ſũt iuſti. Clariſsimè igitur docet B. Aug. iuſtitiã Dei qua iuſtificamur eſſe internã filijs Dei, & vniuerſis qui verè iuſti ſunt, vel qui in ſcripturis iuſti vocãtur. Idem docet B. Chryſ. & (vt palam confitetur Martinus Bucerus in explicat. cõcordiæ de iuſtificatione) vniuerſi patres. Ait enim. Alterũ ſignificatũ huius verbi Iuſtificari, eſt iuſtũ fieri & iuſtitia imbuí, in qua ſignificatione ferè vtũtur patres hoc verbo. Latinis nonnullam occaſionem huius ſignificationis dedit forma verbi, ex qua ſtatim in mentem venit, quòd ſit idem quod iuſtũ fieri: vbi poſt pauca interpoſita, Chryſoſtomus in iuſtificatũ eſſe, plus intellexit, quàm accepiſſe remiſsionem peccatorum. Cùm enim cauſam reddit, cur Paulus agens de iuſtitia fidei, adduxit illud Pſal. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, cum in eo loco nihil inſit de iuſtitia fidei: dicit illum hoc de induſtria feciſſe, vt iuſtificationem fidei magis extolleret. Nam ſi ſcriptura, inquit, beatũ pronunciat, cui ex gratia remiſſa ſunt peccata, multò beatiorẽ eum qui iuſtificatus ſit & fidem exhibeat. Chryſoſtomum autẽ ſequuntur Theophilactus & OEcumenius. Docet præterea Aug. hanc iuſtitiam eſſe charitatem vel occultiſsimã gratiã, quam Deus latenter infundit, & communicat etiam paruulis: ſicut Adam occulta tabe in ſe omnem ſuam poſteritatem tabificauit & infecit. Quamuis non ita multũ referat inter quæſtiones fidei, an iuſtitia dicatur eſſe charitas, an gratia latenter inſpirata etiã paruulis, diligentiſsimè tamen hoc examinant & inquirunt doctores ſcholaſtici circa diſtinct. 26. 2. ſent. & variè de hac re ſentiunt. Nam B. Thomas & veteres ſcholaſtici probabiliùs eſſe putant, quòd peccatũ originale & iuſtitia iſta fidei, ſiue gratia gratum faciens, ſint in eſſentia animæ, quodq; per hãc gratiã conſortes ſumus naturę diuinę & deiformes, ſicut ferrũ candens, ignis habet conſortium. Horũ ſentẽtiam inſinuare videtur B. Aug. loco citato ex 1. lib. de peccatorum remiſ. Alij verò putant iuſtitiam eſſe in voluntate, & eſſe charitatẽ, vt tamẽ in ſe complectitur alias virtutes, quibus vires hominis rectè ordinantur, Requirit enim iuſtitia quę in cõſpectu Dei hominẽ Chriſtianũ verè iuſtum facit & ordinatum, rectam diſpoſitionem omnium viriũ animæ, quæ fit per virtutes theologicas, fidem, ſpem, & charitatẽ: & morales, quales ſunt fortitudo, temperantia, iuſtitia, & prudentia: atq; ita iuſtitia iſta moralis infuſa, pars eſt iuſtitiæ fidei qua iuſtificamur, quamuis propriè nos Deo gratos faciat charitas, ſiue gratia quæ eſt in animæ eſſentia, faciens diuinæ naturæ conſortes. Et hãc ſententiã apertè etiam proponit B. Aug. & docet locis ſupra citatis ex lib.

de

Iuſtitia qua vere iuſti ſumus eſt inhærens.

Ca. vlt. de natur. et gra.

Cap. 38.

Cap. 42.

Cap. 61.

Li. 1 de gra. Chriſti ca. 30

Lib. 1. de peccatorũ remiſ. cap. 9. & 10

1. Cor. 4. et. 12.

de nat. & gra. In eadem diſt. latè quoque diſputãt doctores, an gratia ſit aliquod creatũ, & qualitas animæ inhærens. De qua difficultate non opus eſt hic prolixius agere, quum parum referat (vt diximus) ſiue iuſtitia dicatur eſſe gratia, per quam naturæ diuinæ ſumus participes, ſiue dicatur eſſe charitas: sũt enim à ſe inuicem hęc duo inſeparabilia. Solum hoc nunc agitur, vt oſtendamus quòd iuſtitia qua iuſti dicimur, ſit intrinſeca animæq; inhæreat. Id quod definiuit ſacroſanctum Concilium Tridentinũ poſt B. Auguſt. Lentè nanq; & paulatim circa huius dogmatis definitionem (ne temerè quicquam ageretur) progreſſa eſt Eccleſia Catholica. Primò enim in cap. Maiores. Innocẽtius 3. quaſi problema vtrinque diſputabile commemorat, An paruulis fides, charitas, aliæ item virtutes infundantur: & apparet nihil dubitare quin adultis conferantur. Ait enim, Illud quod opponentes inducunt, fidem aut charitatem, aliasq; virtutes paruulis, vtpote nõ conſentientibus, non infundi, à pleriſq; non conceditur abſolutè, quum propter hoc inter doctores theologos quæſtio referatur, alijs aſſerentibus per virtutem baptiſmi paruulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferri: nonnullis dicentibus remitti peccatum & virtutes infundi, vt habeant illas quoad habitum, non quoad vſum, donec veniant ad ætatem adultã. Propoſitum enim fuerat argumentum contra baptiſmum paruulorum, & ſupponi videtur tanquam certum, quòd gratia & virtutes in baptiſmo adultis infundantur, quamuis expreſsè hoc nõ dicatur. Opiniones iſtas circa baptiſmum paruulorum recitat Magiſter diſt. 4. 4. ſent. addens, quòd de adultis qui dignè recipiunt Sacramentum non ambigitur, quin gratiam operantem & cooperantem perceperint: De paruulis verò qui nondum ratione vtuntur, quæſtio eſt. Deinde in Concilio generali Viennenſi tempore Clementis V. narratis opinionibus contrarijs ſuper eo, an virtutes, ac informans gratia paruulis infundatur quoad habitum, & ſi non pro illo tempore quoad vſum. Nos attendentes (inquiunt patres) generalem efficaciã mortis Chriſti, quæ per baptiſma applicatur pariter omnib. &c. Opinionem ſecundam, quę dicit tam paruulis quã adultis conferri in baptiſmo informantem gratiam, & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis ſanctorũ & doctorum modernorum theologiæ magis conſonantem, ſacro approbante concilio, diximus eligendam. In Concilio verò Tridentino de iuſtificatione clarè & apertè tanquã certum definitur, quòd vnica formalis cauſa iuſtificationis eſt iuſtitia Dei, non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit, qua videlicet ab eo donati, renouamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modo reputamur, ſed verè iuſti nominamur & ſumus, iuſtitiam in nobis recipientes vnuſquiſque ſuam, ſecundum menſuram quam ſpiritus ſanctus largitur ſingulis, ſecundum propriam vniuſcuiuſq; diſpoſitionem & cooperationem. Eſt poſt pauca. In iuſtificatione cum remiſsiõe peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtũ cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem, quæ ipſi inhærẽt. Itẽ Can. 2. Si quis dixerit homines iuſtificari, vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorũ remiſſione, excluſa gratia & charitate quæ in cordibus eorum per ſpiritum ſanctũ diffunditur, atque eis inhęret, aut etiam gratiam qua iuſtificamur, eſſe tantum fauorem Dei, anathema ſit. Ante quã definitionẽ Reuerendus pater Guido Ellenenſis in Maiorica Epiſcopus, ordinis B. Mariæ de monte Carmelo, in ſumma de hæreſibus circa errores Petri Ioannis, eiuſque ſequacium, quorum primum ponit, quòd in baptiſmo paruulo gratia & virtutes non conferantur, audet pronunciare hæreticam eſſe hanc ſententiam. Id quod ex ſcripturis etiã probare videtur. Vnde patet quòd hæretica & ſcripturis contraria ſit ſententia, quòd iuſtificatio conſiſtat in ſola remiſsione peccatorum, vt docet Caluinus, aut in imputatione iuſtitiæ Chriſti, vt dicit Philippus, & gratiam Dei eſſe duntaxat Dei fauorem, vt idem tuetur.

De baptiſmo & eius effectu. — *Cap. vlt.* — *Cap. 7.*

Qvamuis autem vera ſit iuſtitia in hac peregrinatione, diuinarumq; literarũ teſtimonijs homines verè iuſti & veraciter laudabiles ſint, imò verè magni, teſte Auguſtino, ſine peccato tamen non ſunt, nec ſine vitio concupiſcentiæ, propter quod nec perfecta eſt in hac vita iuſtitia, vera tamẽ eſt. Charitatis. n. venenum, vt ait B. Aug. cupiditas nutrimentũ, imminutio cupiditatis, perfectio nulla cupiditas. Quiſquis igitur eam nutrire vult, inſiſtet minuendis cupiditatib. Et alio loco, Pleniſsima charitas, inquit, quę iam non poſsit augeri quamdiu viuit homo, eſt in nemine. Quamdiu autẽ augeri poteſt, profectò illud quod minus eſt quàm debet, ex vitio eſt. Ex quo vitio, nõ eſt iuſtus in terra qui faciat bonum, & nõ peccet: ex quo vitio non iuſtificabitur in conſpectu Dei omnis viuẽs, perfecta ſcilicet & pleniſsima iuſtitia. Item de ſpiritu & litera, Si quãto maior notitia, tantò erit maior dilectio: profectò nunc quãtum deeſt dilectioni, tunc perficiendæ iuſtitiæ deeſſe credendũ eſt. Impletur autem omnis iuſtitia, impletis prçceptis diligendi Deum & proximũ, quæ in hac vita perfectè non implentur. In multis enim offendimus omnes, dum putamus Deo quem diligimus placere, vel nõ diſplicere id quod facimus, & poſtea per ſcripturã eius, ſiue certa & perſpicua ratione cõmoniti, quum didicerimus quod ei non placeat, pœnitendo deprecamur vt ignoſcat. Et quibuſdã interiectis, In ea, inquit, quæ perficienda eſt iuſtitia, multum in hac vita ille profecit, qui quã longè ſit à perfectione iuſtitiæ proficiendo cognouit. Sed dici poteſt quædã iuſtitia minor huic vitæ competens, qua iuſtus ex fide viuit, quãuis peregrinus à Domino, & ideò per fidem ambulans, nondum per ſpeciem: Perficitur enim iuſtitia in vera & perfecta

Vera eſt in nobis iuſtitia — *Libr. 83. q 36.* — *Epiſt. 30.* — *Charitas augetur, quãdiu viuimus* — *Cap. 36.* — *Iuſtitia hominis perfecta eſt magis ſecũdum efficaciam et virtutem, quã ſecundum ſubſtãtiam, quæ hic & in alijs eadem eſt.*

Lib.1. cont. 2. epiſt. Pelag. cap.7.

Dei dilectione. Idē habet de perfectione iuſtitiæ. In plenitudine charitatis, inquit, implebitur illud, Diliges dominū Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Nam cùm eſt adhuc aliquid concupiſcentiæ, quod vel continēdo frenetur, non omni modo ex tota anima diligitur Deus.

Quid requirat iuſtitia noſtræ peregrinationis.

Et addit, Hæc eſt autem noſtra in ipſa peregrinatione iuſtitia, vt ad illā perfectionem plenitudinemq; iuſtitiæ, vbi in ſpecie decoris eius iam plena & perfecta charitas erit, nunc ipſius curſus rectitudine & perfectione tendamus.

Quæ iuſtitia peregrinantium à Domino.

Hæc eſt nunc noſtra iuſtitia, qua currimus eſurientes & ſitientes ad perfectionem plenitudinemq́ue iuſtitiæ, vt ea poſtea ſaturemur.

Auguſt lib. 2. de pecca. merit. capit.13.

Oportet autem imperfectam eſſe iuſtitiam, quando eius adhuc ſitis eſt & eſuries nō ſaturitas. propter quod alio in loco docet, nos in hac vita perfectos eſſe viatores, tametſi nondum ipſius itineris perfectione peruentores.

Luc.1.

Vbi etiā docet ex ſcripturis, quod Zacharias & Elizabeth, quibus teſtimoniū perhibet euangelium, quòd ambo iuſti erant apud Deum, incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini ſine querela, non habuerūt perfectam iuſtitiā, quia ſine peccato non vixerūt. Item cap. 15. multū referre docet, qua in re perfectio dicatur: Poteſt enim fieri vt iam ſit aliquis ſapientiæ perfectus auditor, cuius nondū eſt perfectus doctor. Poteſt eſſe perfectus iuſtitiæ cognitor, nondū perfectus effector.

Philip.3.

Et eodem loco Apoſt. Paulus ſe perfectū eſſe negat, & tamen perfectum confitetur, non quòd iam acceperim, aut perfect⁹ ſim. Et ſtatim poſtea, Quicunq; perfecti ſumus, &c. Vera itaque & modo quodam perfecta eſt iuſtitia, quāuis non ſit ſine peccato. Quòd tamen perfecta iuſtitia, qua ſine peccato viuamus, manēte etiam carnis vitio, non ſit nobis impoſsibilis, docet eodem loco Aug. aſsignans etiā rationem, propter quam in nullo mortalium vnquam inuenta ſit, aut inuenietur.

De ſpirit. et lit. cap.35. et 36.

Ait enim, Fieret in hominibus perfecta iuſtitia, ſi tanta voluntas adhiberetur, quanta ſufficit tātæ rei. Eſſet autem tanta, ſi & nihil eorum quæ pertinent ad iuſtitiam nos lateret, & ea ſic delectarēt animum, vt quicquid aliud, ſiue volúptas, ſiue dolor, impedit, delectatio ſuperaret. Quod vt non ſit, non ad impoſsibilitatem, ſed ad iudiciū Dei pertinet.

Libr. 2. de pec. remiſſ.

Rurſus, Quum volūtate humana, gratia adiuuante diuina, ſine peccato in hac vita poſsit homo eſſe, cur non ſit, ſi quæritur, poſſem facilimè ac veriſsimè reſpondere, Quia homines nolūt. Etſi quæritur, Quare nolint, ſine præiudicio diligentioris inquiſitionis, breuiter dicam. Nolūt homines facere quod iuſtum eſt, ſiue quia latet an iuſtū, ſiue quia non delectat. Non igitur ſimpliciter incompoſsibilis eſt perfecta iuſtitia, qua ſine peccato viuamus, vitio ſiue concupiſcentiæ carnis ex peccato innatæ: quāuis longè perfectior ſit futura quando Deum videbimus, quàm nobis hic eſt poſsibilis, ex qua tamen præcepta dilectionis implere poſſemus,

Ser. 5 de verbis Eſaiæ.

Diſcrimen autem iuſtitiæ noſtræ à iuſtitia Adæ ante peccatum & vtriuſque à iuſtitia Dei & ſanctorum angelorum, docet B. Bernardus, quadruplicē diſtinguens iuſtitiam. Cernere eſt, inquit, quàm ſit iuſtitia ſublimis, quam ſicut mōtes Dei propheta miratur. Noſtra enim ſi qua eſt humilis iuſtitia, recta forſitan, ſed non pura: niſi fortè meliores nos eſſe credimus quàm patres noſtros, qui non minus veraciter quàm humiliter aiebant.

Pſalm.35

Omnes iuſtitiæ noſtræ tanquā pānus mēſtruatæ mulieris. Quomodo enim pura iuſtitia, vbi adhuc non poteſt culpa deeſſe? Recta proinde interim videri poteſt iuſtitia hominum, ſi tamen peccato nō conſentiant, vt non regnet in eorum corpore. Nam primi hominis in initio quidem non modò recta, ſed etiam pura fuit, quàm diu ei datum eſt, nec ſentire peccatum: Ceterū & hæc ipſa quoniam firma non fuit, & puritatem facilè perdidit, & ne ipſam quoque retinuit rectitudinem ſuam: Sanè apud Angelos iuſtitia recta pura & firma eſt: ſublimis quidem, ſed adhuc longè inferior, quàm diuina. Non enim innata eſt eis, ſed à Deo collata, vt natura ipſa quòd ex ſe eſt, non modo iuſtitiæ, ſed etiam iniuſtitiæ capax eſſe inueniatur. Nunquid non iſta eſt prauitas quædā, quam in Angelis ſuis vera illa iuſtitia legitur inueniſſe? Non enim iuſtificabitur in cōſpectu tuo omnis viuens, ait is, qui Dei iuſtitiam minimè ignorabat. Nec ait, Omnis homo, ſed omnis viuens, fortè, vt ne ipſos Angelicos eū noueris ſpiritus excepiſſe. Viuūt enim & ipſi tantò verius quantò propius aſtant ei, apud quem fons eſt vitæ. Nihilominus etiam iuſti ſunt, ſed ex eo, nō coram eo, munere eius, non in eius comparatione.

Noſtra iuſtitia habet veram rationē iuſtitiæ.

Ex quibus manifeſtum eſt, veræ iuſtitiæ & nomen & rationem ſaluari in nobis, quamuis à Domino peregrinātes, in carne adhuc ſeruiamus legi peccati, ſub peccato venundati, modò tamen mēte ſeruiamus legi Dei: ſicut vera eſt ratio vitæ, ſpiritus, fidei, ſpei, charitatis, & aliarū virtutum, quas iuſtitia, qua Deus nos ornat & imbuit, cōplectitur: quēadmodum vera eademq́; ratione dicitur calor, tā is qui remiſſus eſt, quàm qui intenſus.

1. Corint. 13.

Nam charitas nūquam excidit, nec nomine, nec ratione, quæ propterea eadem manet in patria. Aduerſatur igitur ſcripturis (vt diximus) quòd tropo quodam ſecundum extrinſecam denominationem dicamur iuſti: ſicut in ſcripturis Chriſtus dicitur eſſe peccatum vel peccator. Manifeſtum eſt præterea, quòd eadem eſt ſecundū ſpeciem & ſubſtātiam in nobis vita, ſpiritus, iuſtitia, & charitas, q̃ eſt in Chriſto capite, iſanctis angelis, & in Adā ante peccatum, ſicuti idem eſt ſpiritus vitæ, fidei, & charitatis. Nam copioſè ac abundè reſtituit & reparauit Chriſtus id quod perdimus in Adam. Differētia autem eſt horum donorum ex diuerſa eorū perfectione ſecūdum menſurā donatiōis Chriſti, quæ perfectio, conditio eſt & qualitas à ſubſtantia ſeparabilis: Vel potius differentia eſt ſecundū

exiſten-

exiſtētiam, & dominium cupiditatis in carne, & defectum cognitionis agēdorum, quæ ambo ſunt extra rationem iuſtitiæ. Ignorantia tamen agendorum & infirmitas faciunt, quòd non ſine peccato hic viuimus, ad quæ imperfectionem iuſtitiæ refert B. Auguſt. & aliquando ad defectum viſionis Dei, in locis ſupra citatis. Eſt enim veriſimile, ìmò indubitatum, quòd Adam iuſtitiā fidei, quā peccando perdiderat, per pœnitentiam reparauit, quodq́; perpetuo pietatis exercitio aucta ſit, & intentior facta, quàm in creatione eam acceperat: erat tamen perfecta ante peccatum, & poſt ipſum admiſſum dicta eſt imperfecta. Et B. Paulus adhuc à Domino peregrinans, maiorem habebat charitatem & iuſtitiam, quàm paruuli & alij multi in cælo cum Chriſto regnantes, in quibus iuſtitia eſt perfecta & ſine vitio: niſi dicatur quòd gratia, vita ſpiritualis, & virtutes, in morte ſiue tranſitu ad gloriam augentur, prout docere videtur B. Thomas. Certum eſt enim magis amari, quòd melius cognoſcitur, & viſum Deum magis quàm ſolū fide cognitum, ſed ob hæc non oportet habitum eſſe intentiorem. Solam autem iuſtitiam perfectam ſeruare nomen & rationem iuſtitiæ, improbat B. Auguſt. ad B. Hieronymū (vt diximus ſuperius) & docet eſſe dogma profectum ex ſcholis Stoicorum. Mihi, inquit, videntur Stoici falli, quòd hominem in ſapientia & virtute proficientem, nolint habere ſapientiam & virtutem, ſed tunc primum cum in ea omninò perfectus fuerit. Et reprobata ſimilitudine, qua ſuum errorem ſtabilire nitebantur, Potius, ait, virtus & ſapientia luci comparātur, vitium & ſtultitia tenebris. Et ſicut de tenebris in lucem procedens paulatim progrediendo illuminatur, ita non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens, perfectè ſcilicet, vt ſine peccato viuat: Et tamen, inquit, iuſtus ex fide viuit. Et apertè docet Apoſt. Paul. ex fide nos iuſtificari. Sed abluti eſtis, ait, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis, in nomine Dñi noſtri Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri. Item, Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. Et, Ne verearis vſque ad mortem iuſtificari. Rurſum, Videtis, quoniā ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantum. Oportet igitur ſententiam prophetæ intelligere, quòd non plenè iuſtificetur, vt ſcilicet ſine peccato viuat in conſpectu Dei omnis viuens. Iuſtitiam autem luci comparari, apertè teſtantur ſcripturæ, Iuſtorum ſemitæ quaſi lux ſplendens procedit & creſcit vſque ad perfectum diem. Et Apoſto. Paulus, Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate. Non enim omne peccatum iuſtitiam tollit, ſed criminale tantum, vt docet B. Auſt. Iſtud apertè conuincit oratio dominica, in qua filij agnoſcunt, & apud patrem confitentur ſe eſſe debitores, petentes debita ſibi remitti. Et B. Aug. tractans locum, Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit. Quid eſt, inquit, iuſtificare? Audemus dicere iam hoc tertium habere nos? Et erit quiſquā noſtrum qui audeat dicere iuſtus ſum? Puto enim hoc eſſe, Iuſtus ſum, quod eſt, Peccator nō ſum. Si audes hoc dicere, occurrit tibi Ioannes, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Quid ergo? nihil habemus de iuſtitia, an habemus? Sed non totum habemus, hoc ergo quæramus. Si enim aliquid habemus, & aliquid nō habemus, creſcat quod habemus & implebitur quod non habemus. Ecce enim baptizati ſunt homines, omnia illis peccata dimiſſa ſunt, iuſtificati ſunt à peccatis, negare non poſſumus: reſtat tamen lucta cum carne, reſtat lucta cum mundo, reſtat lucta cum diabolo. Qui autem luctatur, aliquando ferit, aliquando percutitur, aliquando vincit, aliquando perimitur: quomodo de ſtadio exeat, attendatur. Nam ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, noſipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt. Item ſi dixerimus, quia iuſtitiæ nihil habemus, aduerſum Dei dona mentimur. Si enim iuſtitiæ nihil habemus, nec fidem habemus: Si fidem non habemus, Chriſtiani non ſumus. Si autem fidem habemus, iam aliquid habemus iuſtitiæ. Ipſum aliquid, vis noſſe quantum ſit? Iuſtus ex fide viuit, quia credit quod non vidit: beati, inquit, Dominus, qui non viderunt & crediderunt. beati prædicti ſumus, & de iuſtitia nihil habemus? Omninò habemus. Grati ſimus ex eo quod habemus, & non perdamus quod habemus. Ergo & hoc tertium iam agitur in nobis. Iuſtificati ſumus, ſed ipſa iuſtitia cum proficimus creſcit. Quæ deinceps latè proſequitur, oſtendēs hanc iuſtitiam eſſe fidem, quæ per dilectionem operatur, & quę beatos nos facit, nos autē eam habere, & hoc debere agnoſcere, vt gratias Deo agamus.

Part. 3. q. 4. art. 4. & de veritate q. 7. art. 4. ad ſextum.

De ſpir. & lit. cap. vlt. epiſt. 29.

Ex ſcripturis probat Aug. quod ſumus hic verè iuſti, & tamen non ſine peccato, et ideò non plenè iuſti.

Prouer. 4. Ephes. 5.

Lib. 4. contra 2. epiſt. Pelag. cap. cap. 3. lib. 1. de ciuit. cap. 11. Item lib. 22. cap. 26. & epiſt. 89. lib. 2. de peccatorum meri. cap. 11. & de dogm. eccleſiaſt. capit. 89.

Serm. 16 de verbis Apoſtoli.

EST autem circa prędicta difficultas non modica, videlicet quomodo homo iuſt° eſſe poſsit, hoc eſt, iuſtitia imbutus, & proinde rectus. Iuſtos enim vocat ſcriptura, Rectos corde. Et Eccleſiaſtes docet, quòd Deus hominem rectum fecit, & ipſe ſe infinitis miſcuit quæſtionibus, quum ſit per fomitem & innatam ex peccato concupiſcentiam curuus & obliquus, & à regula ſibi à creatione præſtituta deuius atque deficiens. Nam caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem: nec quod volo (ait Apoſtol.) bonum hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio. Propter quod conqueritur propheta Dauid, Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem, quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas &c. Præterea amor qui ad Deum ſe rectū erigere deberet, curuus eſt & reflexus ad nos. Prauum enim eſt cor hominis & inſcrutabile, & cuncta cogitatio cordis intenta eſt ad malū omni tempore, quæ alioqui circa Deū, & ea quæ Dei ſunt occupare deberet. Item: Ab adoleſcentia in malum prona ſunt, ſenſus & cogitatio humani cordis.

Cap. 7.

Rom. 7.

Pſal. 17.

Hier. 17.

Geneſ. 3. Huic quæſtioni reſpondetur, quòd idem homo rectus eſt ſecundum mentem, & obliquus ſecundum carnem. *Chieſtionū ſolutio.* Ego ipſe, inquit Apoſtolus, mente ſeruio legi Dei: carne autē, legi peccati. Poſſunt autem contraria eidem ſecundum diuerſa ſubiecta ineſſe. Et ſi dicatur, quòd mens hominis iuſti etiam caro eſt, varijſque erroribus corrupta: cor ita obliquum per ſui & carnis immoderatum amorem atq; deſideria, quærens quæ ſibi & carni commoda & ſuauia ſunt, imò & carni naturaliter compatiens, eiq; grata amans, etiam ante peccatum. *Epheſ. 5.* Nemo enim vnquam, nec ante peccatum quidem, carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam, ſicut Chriſtus Eccleſiam. Eidem ergo animæ ſecundū idem hæc contraria rectum & obliquum conuenient, ſi iuſtitia & rectitudo animam informent eique inhæreant.

Solutio argumētorum. Ad quod reſpondetur, quòd eidem quidem, ſed diuerſa ratione conuenire poſſunt contraria. Amor autem ſui & carnis coniunctæ, qui naturalis eſt, & hominis à Deo inſtitutam, imò & omnium animalium naturam ſequitur, niſi nimius fuerit & inordinatus, manens ſcilicet & hærens ſine relatione in amato, nullā adducit obliquitatem, nec aliquo modo contrarius eſt charitati. Inordinatus autem eſt, qui peccatū ſequitur, & creaturæ propter ſe inhæret. Non tamen ſtatim facit cor obliquum vel curuum: nec iuſtitiæ rectitudinem tollit, quamdiu Dei amor in hominis affectu præponderat, hoc eſt, quamdiu fundamētum cordis manet Chriſtus, vt docet B. Aug. *Lib 21. de ciuit. ca. 16. Item libr. 4. contra Iulianum capit. 14.* Solus enim hic ſui amor ſuprà Deum iuſtitiæ rectitudinem, & Chriſtū fundamentum à corde hominis tollit. Nam coangustatū eſt ſtratum cordis, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumq; operire non poteſt. *Eſai. 28.* Præterea obliquitas, quæ eſt ſecundū habitualem propenſionem in carne vel anima vt caro eſt, & rectitudo oppoſita, qua homo creatus eſt rectus, ſunt alterius rationis, quàm rectitudo iuſtitiæ fidei, quæ pars erat originalis iuſtitiæ vel radix, & obliquitās ei oppoſita. Imò ſunt & alterius generis. Contraria autem ſunt ſub eodem genere, & proinde hæc non ſunt contraria. Iuſtitia namq; fidei, per quam fit mentis ad Deum conuerſio, non opponitur, niſi auerſioni & receſſui mentis à Deo, & ipſum ſequēti obliquitati: non autem ei, quæ eſt rebellio, vel eſt ex rebellione virium contra rationem: vel rationis, aut volūtatis aduerſus Deum. ſi tantum habitualis ſit, & ſine peccato mortali. Solum enim peccatum mortale iuſtitiam tollit, & magis per modum demeriti, quàm realis cōtrarietatis. Nā nec motus quidē inuidiæ, vel odij Dei, aut fratris ſubreptitij tantum, imò nec venialiter culpabiles aduerſantur charitati vel iuſtitiæ, quæ eſt apud Deum, quanto minus pronitas ad hos motus, & curuitas, quę eſt per habitum ex peccato innatum, vel ex actibus acquiſitum, charitati aut iuſtitiæ repugnat. In anima igitur, vt caro eſt, pronitas eſt ad malum: vt autem ſpiritus eſt atq; à ſpiritu inhabitatur, ꝓnitas eſt ad opera ſancta & pia, quæ in Deo fiūt. Habituales igitur pronitates ad bonū & ad malum, ſimul ſunt in eodem, ſed diuerſa ratione & reſpectu, & ſecundum diuerſas naturas diuinam ſcilicet & humanā. Nam & ſpiritus humanus ad optima deprecatur & aſpirat in homine etiam impio, ſecūdum quem eſt & tertia in homine pronitas & inclinatio. Explicari hæc poſſunt per varias ſimilitudines in rebus naturalibus. Ferrū enim habet inclinationē per grauitatē ſuā, imò & per naturā, vt deorſum feratur, ſimiliter & aqua: ſursū tamen feruntur, & nata ac propēſa ſunt moueri ex virtute ſuperiore, ferrum à magnete accepta virtute, & aqua ad vitandū vacuum virtute naturæ vniuerſalis. Itē cæli inferiores mouentur naturaliter ad Occidentem, & motu raptus ſuperiorū cælorum ad Orientem. Anima quoq; rationalis, vt deiformis eſt cōſors diuinæ naturæ, per ſpiritum ſanctū ſurſum mouetur ad Deum, imò vt rationalis eſt, quanquam alio modo. Vt tamē ſenſitiua eſt, aut corpori coniuncta, ſed deſtituta iuſtitia originali ſecundum partem inferiorem ſine ordine fertur ad commoda & iucunda, atq; ad malum propendet, non per aliquam qualitatem poſitiuam, ſed ſolum quia priuata eſt iuſtitia & gubernaculo rationis, ſicut docet B. Anſelmus lib. de concept. virgin. Nam B. Aug. circa particulam Pſal. 32. Rectos decet collaudatio, quærit qui ſunt recti corde. *Cap. 5.* Qui dirigunt, inquit, cor ſecundum voluntatem Dei, & ſi eos perturbat humana fragilitas, diuina conſolatur æquitas. Et quamuis corde mortali priuatim aliquid velint, quo ſuo negotio vel præſenti neceſſitati conſulant, vbi tamē cognouerint Deum aliud velle, præponunt voluntatem melioris voluntati ſuæ, & voluntatem Dei voluntati hominis. Quantum enim diſtat Deus ab homine, tantum voluntas Dei à voluntate hominis. Vnde gerens hominem Chriſtus, & regulam nobis proponens, oſtendit hominis priuatam quandam voluntatem, in quam ſuam figurauit & noſtram, quia caput noſtrum eſt, & ad eum nos ſicut membra pertinemus. Pater, inquit, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte. Hæc humana volūtas erat proprium aliquid & tanquam priuatum volens, ſed quia recto corde voluit eſſe hominem, qui quod in illa aliquantum curuum eſſet, ad illum dirigeret, qui ſemper rectus eſt. Verum non quod ego volo, ait, ſed quod tu pater. Gloſa itaque ex Aug. deſumpta, recti inquit, ſunt, qui dirigunt cor ſecūdum voluntatem Dei, quam ſuæ præponunt: vt & Chriſtus docuit, Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis, transfigurans in ſe ſuos. Quamuis igitur iuſti carne ſint obliqui: Carne enim ſeruiunt legi peccati, ſimpliciter tamē & abſolutè recti ſunt, & rectos ſine additione ſpiritus appellat eos ſcriptura. Recti, inquit, diligunt te, & rectos decet collaudatio. Quod autem carne obliqui ſunt, ex vindicta eſt diuinæ iuſtitiæ, & propterea hæc obliquitas recta eſt, ſecun-

dum

dum regulam diuinæ iuſtitiæ vindicâtis hominis inobedientiam. Eſt tamen naturæ obliquitas ſi referatur ad regulam ſecundum quam Deus hominem in paradiſo inſtituit: nec tamen baptizatis imputari poteſt in culpam, imò nec Deo minus placet hoc modo curuus, modò cordis rectitudinem ſtudeat perficere, & contra obliquas & malas carnis propenſiones bellum ſumat perpetuum. Eſt enim homo iuſtus talis, qualem eum vult Deus eſſe poſtquàm peccauit & Adæ peccatoris factus eſt filius. Nam rectiſsimum ac iuſtiſsimum eſt, quòd caro ſit rebellis homini, quando ipſe ſuo domino fuit inobediens.

Rom. 7.

Ideò Apoſt. regulam diuinæ iuſtitiæ, ſecundum quam eſt hæc carnis noſtræ rebellio aduerſus mentem, vocat legem membrorum quaſi ex lege diuina conſequuta. Ex quibus patet, quòd iuſtitia fidei, etiam hoc ſtatu, non ſolùm eſt mentis iuſtitia, ſed totius hominis, imò & corporis, quãuis dicat Apoſt. Paulus, Ego ipſe mẽte ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati. Item, Scio quia in carne mea nõ habitat bonum, ſed peccatum quod eſt fomes malorũ. Aliud enim eſt caro, aliud corpus. Nec habitat in ea bonum iuſtitiæ originalis, qua totus homo menti & Deo ſubijciebatur. Nam corpus noſtrum ſanctum eſſe & templum ſpiritus ſancti, teſtatur Apoſt. Paul. Et virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta & corpore & ſpiritu. De quo Aug. ad Iulianam. Item alio loco, Virtus, inquit, qua rectè viuitur, ab animi ſede membris corporis imperat, ſanctumq́ue corpus fit vſu ſanctæ voluntatis, qua incõcuſſa permanente, quicquid alius de corpore vel in eo fecerit præter culpam eſt patientis.

1. Corint. 3. & 6.
Lib. de bono viduit. c. 6.
Lib. 9. de ciuit. cap. 4.

Nam membra ſunt ſancta, in quantum ſeruiunt iuſtitiæ, & ſunt organa ſanctæ voluntatis. Nec mirandum eſt, quòd tam varia & diuerſa ſit in homine inclinatio: Nam virtutes morales, per quas proni ſumus ad bonum, ſunt in parte etiam ſenſitiua ſimul cum fomite, quo ad malum inclinamur. Et docent quidã philoſophi probabiliter, quòd actus inuidiæ & odij ſubreptitius, & inculpabilis eſſe poſsit cum amore proximi deliberato. Nam quòd act⁹ boni eſſe poſsint cum habitu malo, nullum eſt dubium in philoſophia. Similiter, quòd virtutes infuſæ compatiantur habitus malos ex actibus acquiſitos, & naturalem ad malum procliuitatem, non ambigitur. Iuſtus igitur verè rectus eſt, ſecundum ſcripturarum teſtimonia, & ordinatum habet amorem, reliquoſq́ue affectus liberos, modo tamen quodam curuus eſt, & obliquè mouetur, ſed hoc ei in peccatum non reputatur. Pleniùs hæc intelligentur, ſi conſideremus rectitudinem & curuitatem per Metaphorã nobis attribui. Conſiſtit enim hæc rectitudo in debito ordine actus, vel rei ad ſuum finem. Eſt autem ordo debitus, qui eſt ſecundum regulam, ſiue legem rationis, vel diuinam. Porrò diuerſa eſt regula, ſecundum quam creatus eſt homo rectus in iuſtitia & veritate, cum plena omnium virium obedientia, ſed ea per peccatum perdita, ab hac regula omnes deuiamus & receſsimus, vnuſquiſque in adinuentiones ſuas; atque ita facti ſumus curui, per varias concupiſcentiæ motus, & malas pronitates. Eſt & alia regula, ſecũdum quam homo lapſus & infirmus, vitam ſuam debet inſtituere. Hæc autem regula charitas Dei & proximi eſt, qua ſalua manente, nulla eſt cordis obliquitas. Diuerſa ſunt præterea obiecta formalia charitatis & cupiditatis: quare nullo modo ſunt formaliter contraria, vt ſe non compatiantur in eodem ſubiecto. Quanto tamen magis rẽgnũ cupiditatis deſtruitur, ait Auguſtinus, tantò regnum charitatis augetur, ſed magis per viam meriti & repreſsionis, quàm (vt diximus) realis contrarietatis.

Lib. 3. de doctrin. Chriſt. cap. 10.

Et quamuis opera ad quæ inclinant ſint contraria, plerumque tamen non ipſæ pronitates ſeu inclinationes. Docet præterea Auguſtin. quis amor propriè ſit cupiditas, & quis charitas. Scholaſtici verò diſputant, & inquirunt, an ſit aliquis amor ſui, qui peccatum non eſt, ſi in Deum non referatur. Vide Greg. Arminenſ. quæſt. 3.

Lib. 2. ſent. diſtinct. 1.

Iuſtitia noſtra ſeuerum Dei iudicium ferre poteſt.

Hæc autem iuſtitia, quia vera eſt & recta, quamuis imperfecta, ferre poteſt ſeuerum Dei iudicium, eique opponi: nec ſolum habitualis, per quam naturæ diuinæ ſumus conſortes & Chriſto conformes, verum etiam actualis, opera ſcilicet iuſta, quæ in Deo ſunt facta merentur à iuſto iudice iuſtã mercedem, quam etiam ab eo exigere poſſemus: Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ait Apoſtolus, vt referat vnuſquiſq; propria corporis prout geſsit, ſiue bonum, ſiue malum. Et, Reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Item alibi. Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecũdum ſuum laborem.

1. Corint. 5.
Rom. 2.
1. Cor. 3.

Non ſolùm igitur opera iuſtorũ ſeuerum Dei iudicium ſuſtinent, vt reprehendi non poſsint, etiam diligẽtiſsimè examinata diſcuſsis circumſtantijs, ac diaboli accuſatione audita. Nihil enim culpæ, nihil deformitatis habent: Nam in Chriſtum & ſpiritũ eius blaſphemia eſt dicere, opera iuſtorum optimè facta ex ſpiritu Chriſti & in Deo, eſſe peccata. Quapropter nulla ratione reprehendi poſſunt ſeueriſsimè etiã diſcuſſa, quum ſolum peccatũ Deo diſpliceat, & ab eo arguatur, verum etiam mercedem ſecũdum iuſtitiam, & non merè ex gratia accipiunt. Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, inquit Apoſtol. Paulus, quã reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex, miſericors pater: non ſolùm autem mihi, ſed & his qui diligunt aduentũ eius. Et iniuria fieret legitimè currenti in ſtadio, ſi non redderetur tandem brauium. Hæc autem videtur eſſe aperta ſententia Apoſtoli, dum ait. Vniuſcuiuſq; opus manifeſtum erit: dies enim domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus quale ſit ignis probabit. Si cuius opus manſerit, ferens ignis & diuini iudicij examen mercedem accipiet: Suſtinent autem ignis probationẽ, aurum, argentũ, & lapides precioſi,

2. Tim. 4.
1. Cor. 3.

cioſi,& exuritur ſi quid ſchoriç ſit admixtũ, ſalua tamen eorum ſubſtãtia. Quem locum tractans Occumenius, diem iudicij dicit, inquit, in igne aũt dicit reuelari opera, hoc eſt, manifeſtũ fieri cuius ſint naturæ, vtrum aurum, vtrũ argentum. Taliũ, inquit, ignis probatiuus erit. Si cuius opus exuſtũ fuerit, hoc eſt, vim ignis non tulerit, ſed probatum ac conuictum fuerit eſſe malum, damnum pa-
Cap.3. tietur. Nam Malachiæ dictum eſt, quod tanquàm aurum in fornace, & tãquam herbam fullonum quoſdam abluet Deus & purifica-
1.Ioann.4. bit. Item apud Ioãnnẽ Apoſt. In hoc eſt perfecta charitas nobiſcum, vt fiduciam habeamus in die iudicij apud Deũ iuſtum iudicẽ: quia ſicut ille eſt & nos ſumus in hoc mũdo, imbuti ſcilicet iuſtitia & charitate per ſpiritum inhabitantem: non quia miſericors eſt tantum. Non enim Chriſtus in iudicio repellerre eos poteſt, qui conformes ſunt imagini ſuæ, ornati ſcilicet charitate, pietate, & membra corporis, cuius ipſe eſt caput, & quæ ſecum adferunt arrabonem hęreditatis promiſſæ, ac ſpiritum adoptionis, quem in ea transfundit. Sed nec Deus pater filij ſui membra contemnere, vel repellere poteſt. Non enim in membris non placere poſſunt, quæ ſunt grata in capite: & veſte nuptiali
Ioan.6. indutus ſecurè ad nuptias venit. Item, Qui facit veritatem, audacter venit ad lucem vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo facta ſunt. Rurſum cum ſecuritate ad iudiciũ ve-
Matth.25. nit, quem propter opera laude dignum iudex iuſtus iudicabit & pronunciabit, vt pote cui dicet, Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, &c. Sicut enim Chriſtus in ſua iuſtitia Dei patris iudicio ſe opponere poteſt, quia eſt plenus gratia & ſpiritu ſancto, quẽ ſine mẽſura accepit, ita & nos qui de plenitudine eius accepimus, & eiuſdem gratiæ atque iuſtitiæ facti ſumus participes. In hoc, inquit B. Ioannes, fiduciam habem⁹ in die iudicij: quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo, hoc eſt, conformes imagini eius. Nec hic quicquam mirãdum eſt quando conſideratur, quod iſta opera per ſuum ſpiritum Chriſtus in nobis magis operatur, quàm noſipſi. ita vt eius potius ſint opera quàm noſtra, eius iuſtitia, quam nobis infundit & communicat. Neceſſariò enim placent, quæ Chriſtus eiuſque ſpiritus operatur, propter quæ etiam ipſe patri placet, gratus eſt & acceptus.

2.Epiſt.c.4. Ioann.1. QVod autem merces eis debeatur ex iuſtitia, docet ſententia Apoſt. Pauli nũc citata ex epiſtola ad Timot. quam explicans B. Auguſt. tractans ſententiam Saluatoris, De plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Audi, inquit, Paulum flagitantem debitum, qui primo indebitam ſuſceperat gratiam. De cætero, ait, repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. Iam debitum flagitat, iam debitum exigit. Nam
De merito operum. vide verba ſequentia, Quam mihi reddet Dominus in illa die iuſtus iudex, vt antè ſuſpiret gratiam miſericordiæ patrem opus habebat, vt præmium gratiæ iuſtũ iudicem. Et alibi, audi, quia ille cui gratia donata eſt, Pſal.100. tenet etiam Deum debitorem. Inuenit eum donatorem tẽpore miſericordiæ, tenet eum debitorem tempore iudicij. Bonum, inquit, certamen certaui, hoc tempore miſericordiæ. Audi de iudicio, In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. Non dixit. Donabit, ſed, Reddet: quando donabat, miſericors erat: quando reddet, iudex erit, quia miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine: ſed donando delicta, fecit ſe coronæ debitorem, ibi miſericordiam conſecutus ſum: miſericors ergo Dominus: hic aut reddet mihi coronam iuſtitiæ. Vnde reddet? quia iuſtus iudex, Et explicans verſiculũ, Miſericordiã & veritatẽ diligit Deus: Qui tribuit miſericordiã, inquit, ſeruat veritatẽ. Vnde ſeruat Pſal.83. veritatẽ? quia dicente veritate, Illam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex. Indulgentiam donauit, coronam reddet. Donator eſt indulgentiæ, debitor coronæ. Vndè debitor? accepit aliquid? Cui debet aliquid Deus? Ecce videmus, quia tenet eũ debitorem Paul. Cõſequutus eſt miſericordiã, exigit veritatẽ. Reddet mihi, inquit, in illa die Dominus. Quid tibi reddet? niſi quod tibi debet? Non ei dicitur, Redde quod accepiſti, ſed redde quod promiſiſti. Rurſum, Cùm conuertetur iuſtitia in iudicium tem- Circa pſalmum 93. pore extremi iudicij, quærit propheta, qui iuxta illum ſecurè tunc ſtare poterunt, & expectare eius ſententiam. Et reſpondet, quòd omnes qui recto ſunt corde. Tunc enim iuſti ſtabunt in magna conſtantia, & cum gaudio, & magna ſecuritate leuabunt capita ſua. Sicut igitur ſancti angeli, & primus homo ante peccatum iudicium Dei ferre poterant, propter ſpiritum inhabitantem, & diffundentem iuſtitiam & charitatem in cordibus eorum: ita & nunc iuſti, quamuis carne ſeruiant legi peccati: Hoc enim veram iuſtitiam nec tollit, nec minuit. Nam noſtra iuſtitia veram iuſtitiæ rationem habet, nec minus gratiæ apud Deum habet propter peccatum in carne habitans, aut frequẽtia quæ ex eo proficiſcũtur peccata, imò nec propterea minus iuſti ſumus. Chriſtus enim ad eũdem iuſtitiæ ſtatum nos reſtituit in quo eramus ante peccatum. Et ſicut paruulus nunc recens baptizatus iudicio Dei præſentari poteſt, ipſumque ſuſtinere ob gratiam Chriſti in baptiſmo ſuſceptam, ita & alij iuſti. Nam ſecundum opera ſua ſeuero Dei iudicio iudicabuntur digni vita æterna. Vt digni habeamini, inquit Apoſtolus Paulus, in regno Dei, pro quo & patimini: ſi ta- 2.Theſſ.1. men iuſtum eſt apud Deum retribuere vobis, qui tribulamini requiem vobiſcum, &c. Hæc omnia confirmantur ex pleriſque locis in ſcriptura ſacra ſæpius recurrentibus, vbi innocentiæ, ſuæque integritatis memoria ſe conſolantur, & confirmant ſancti, neque ab ea prædicanda abſtinent, imò in iuſtitia ſuiſque operibus in Deo gloriantur quaſi in

Deo & ex Deo factis. Nam Ezechias rex, Obſecro inquit, domine, memento quæſo quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod placitum eſt coram te fecerim. Item propheta Dauid, In toto corde meo exquiſiui te, ne repellas me à mandatis tuis. Memento domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius. Sed & iuſtitiã ſuam Dei iudicio examinandam offerunt ſancti Dei homines, & ſecundum eam de ſe ſtatui exigũt & iudicari, in quo Dauid (cuius magna erat in domino fiducia) omnium eſt frequentiſsimus. Retribuet mihi dominus, inquit, ſecundum iuſtitiam meam, & ſecnndum puritatem manuum mearum retribuet mihi, quia cuſtodiui vias domini, nec impie geſsi à Deo meo, quoniam omnia iudicia eius in conſpectu meo, & iuſtitias eius non repuli à me. Et ero immaculatus cũ eo, & obſeruabo me ab iniquitate mea, &c. Nec ad ſolam Dei miſericordiam eiuſq; bonitatem oculos intendunt ſancti, huiuſmodi dicentes, quaſi ignorent iuſtitiam: Nam ſoliùs iuſtitiæ meminerunt, Retribuet mihi dominus ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum, in conſpectu etiam oculorũ eius retribuet mihi. Nec his obſtat quòd impura ſit noſtra iuſtitia, quamuis recta ſecundum B. Bernardũ: quia impuritas non contaminat iuſtitiam, quaſi ipſa maculis inficeretur, vel aliquid in ea deſideraretur. Sic enim recta nõ eſſet: Sed impuram dicit, propter coexiſtentiam macularum, quæ ſunt in operationibus animæ. Solius namque Dei eſt perfectè peccato carere, homines verò & ſi quàm maximè iuſti fuerint, non perfectè puri ſunt. Si quidem dictum eſt quòd in multis labimur omnes, Et, Nullus purus à peccato, ne ſi vnius quidem diei ſit vita eius. Propter quæ imperfecta quidem eſt noſtra iuſtitia ſecundum virtutem & efficaciam, ob carnis infirmitatem, non potens omne peccatum prohibere: vera tamen & recta eſt ac eiuſdem rationis eiuſdemque gratiæ apud Deum cuius iuſtitia Adæ ante peccatum, ſanctorum Angelorum, ac deniq; Chriſti domini, de cuius plenitudine ipſa noſtra iuſtitia emanat. Et ideo iuſtus iudex propter huiuſmodi filiorum peccata (quæ potius animi nitorem offuſcant quàm commaculãt) ſuos negligere aut deſpicere nõ poteſt, quaſi in eorũ iuſtitia aliquid ſit, quod deeſſe debeat: aut deſit, quod adeſſe oporteat. Nec propter imperfectiones filiorum eos repellere poteſt ab hæreditate. Nemo enim ſapiens abijcit lapidem pretioſum, vel aurum, propter admixtũ aliquid ſchoriæ, ſed exurit illud, vt purum habeat. Nec pulchram imaginem quis reijcit propter maculas vel pulueres qui facilè abſtergi poſſunt. Et ſi iuſto ante tribunal Dei iudicis conſtituto à dæmonibus accuſatoribus huiuſmodi peccata obijciantur, vt repellatur tanquam indignus vita æterna, reſpondere poteſt, & rectè, quòd habeat arrabonem ſpiritus adoptionis, quodq; ex Dei gratia Chriſti ſit cohæres, eiuſq; membrum ac templum Dei, & quod ſecundum teſtimonia ſacri Euãgelij repelli non poteſt ab hæreditate, propter minutulas quaſdam maculas, quæ facilè lachrymis, oratione dominica, feruore charitatis in hac vita abſtergi poſſunt, in ſeculo autem futuro per ignem purgatorium: Non enim quælibet culpa & infirmitas filij exhæredationem meretur. Gladio, inquit B. Hiere. dignum ſcelus, ferula coercendum non eſt, nec ferula dignum gladio vindicandum. Item B. Iob. Vtinam appenderentur, inquit, peccata mea quibus iram merui, & calamitas quam patior in ſtatera quaſi arena maris, hæc grauior appareret. Improbabilis eſt enim eorum ſententia, qui dicunt ob quodlibet peccatum Deum poſſe hominem damnare, ſecũdum leges & regulas quas tradit Euangelium. Nam mortale peccatum & veniale ſecundum ſpeciem & genus amoris ab inuicem primò diſtinguuntur, vt docet B. Tho. poſt B. Aug. & non ex varia Dei imputatione. Quid autem præter has leges Euãgelij de potentia ſua abſoluta poſsit Deus, an ſcilicet filium, id eſt hominem iuſtum annihilare & repellere ne hæreditatem aſſequatur atq; damnaré non ſolum ob minora illa peccata, ſed etiam ſi omnino pura eſſet iuſtitia ſine peccati coexiſtentia, qualis erat in ſanctis Angelis ante confirmationem, & in primis parentibus ante lapſum. Itẽ an ſanctos angelos & animas cum Chriſto in cœlis regnantes nunc annihilare & eijcere poſsit. Et an Chriſtum filium ſuum abijcere poſsit, & ſoluere vnionem hypoſtaticam naturę humanæ cum diuina, impertinens eſt huic propoſito, atq; adeo curioſę ac ſuperuacaneę sũt quæſtiones, quæ offendunt magis quàm fidẽ aut charitatẽ ędificent, niſi propter importunitatem hæreticorum ſuo loco & tempore proponãtur. Certæ quidem ſunt leges, ſecũdum quas orbem terræ Chriſtus eſt iudicaturus. Nec tamen mihi veriſimile ſit, quòd Deus ſupradicta facere poſsit, idq; propter immenſam eius bonitatem, & nimiam charitatem qua proſequitur nos omnemq; creaturam intellectualem quam elegit. Diſputat de his B. Tom. 4. ſent. 46. quæſt. 2.

Occurrit hic alia difficultas, an conſortium diuinæ naturæ, ſiue charitas Dei in cordibus iuſtorum per ſpiritũ inhabitantẽ diffuſa, neceſſariò faciat Deo gratum: ſicut albedo neceſſario facit album, & iuſtitia iuſtum. Vel an poſsit eſſe in eo qui Deo gratus nõ eſt, ſed diſplicens & ingratus. Hãc diſputant doctores ſcholaſtici in 1. ſentent. Mihi quidem vera videtur ſentent. B. Thom. quod gratia hæc, per quam eſt ſocietas & participatio naturæ diuinæ, faciat Deo gratum ad vitam æternam, ſicut albedo album, quum per eam ex Deo naſcamur filij Dei & cohæredes Chriſti. Nam ſicut Chriſtus dominus noſter patri ſuo placet ſecundum naturam aſſumptam, quia plenus eſt hac gratia & veritate, nec ei diſplicere poteſt: ita ſimiliter in membris Chriſti, quę de eius plenitudine

4. Reg. 11. — *Pſal. 118.* — *Pſal. 17.* — *Oecum. in 1. epiſt. ad Cor. cap. 1.* — *Lib. 1. aduerſus Iouinianum.* — *Cap. 8.* — *1. 2. quæſt. 88* — *Lib. 21. de ciui. cap. 20 & in epiſ. ad Hila. quæ eſt. 86.* — *Diſt 17.* — *Quomodo ſit Deo patri beneplacitũ in Chriſto filio ſuo.*

participant, neceſſariò eſt bene placitum patri per hanc gratiam, non tantum quia participatio eſt gratiæ Chriſti, ſed quia ex ſua ſpecie facit conſortes diuinæ naturæ. Nam ob ſolam vnionem hypoſtaticam(niſi per ſpiritum iſtius gratiæ plenitudinem, quaſi naturalem proprietatem huius vnionis hypoſtaticę accepiſſet)non ita vt modò fuiſſet patri in Chriſto beneplacitum. Nam ſine hac gratia, nec vnio ſuppoſitalis eum patri gratum reddidiſſet. Et probabilior eſt multorũ doctorum opinio, quòd Adam & Angeli in ſua creatione gratiam acceperunt, quæ tamen non fuit participatio gratiæ & iuſtitiæ Chriſti, per eam tamen grati fuerunt Deo ad vitam æternam. An verò noſtra iuſtitia ſit propriè participatio iuſtitiæ Chriſti: vel potius iuſtitiæ Dei transfuſa, tamen ex Chriſti merito, non operę pretium videtur hic diſputare. Certum eſt quod iuſtitia Chriſti ſit participatio iuſtitiæ Dei, & ex illius plenitudine nos omnes accepimus gratiam pro gratia. Poteſt igitur noſtra iuſtitia ſuſtinere diuinum iudicium: & veriſimile eſt, quod etiam non innitens Chriſto aut eius iuſtitiæ, niſi fortaſsis vt capiti. Dogma autem contrariũ natũ eſt ex ea blaſphemia, quæ dicit omnia iuſtorum opera eſſe peccata.

Circa prædicta cõſiderandum eſt, quod in ſcripturis iuſtificari non ſolum ſignificat, iuſtitia imbui, donari, & ornari, ſed quandoque etiam iuſtum pronunciari, declarari, iudicari, comprobari ac deputari. *Lib. De ſpir. & li ca 26.* Secũdum quam ſignificationem interpretatur B. Aug. ſententiam Apo. Pauli. *Rom.2.* Factores legis iuſtificabuntur, id eſt, inquit, iuſti habebuntur, iuſti deputabuntur: ſicut de quodam dictum eſt, *Luc.10.* Ille autem volens ſe iuſtificare, hoc eſt, vt iuſtus haberetur & deputaretur. Vnde aliter dicimus, Deus ſanctificat ſanctos ſuos: aliter autem, Sanctificetur nomen tuũ. Adducũtur pro hac ſignificatione à Martino Bucero multa loca ex ſcripturis. Nam in Deut. *Cap.25.* vbi noſtra æditio habet, illi iuſtitiæ palmam dabunt, Hebręi legunt, Illum iuſtificabunt. Nam opponitur ei, Quẽ impij condemnabunt impietatis. Item, Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis. *Pſal.10.* *Pſal.91.* Rurſum, Pauperem & inopem iuſtificare. Et iterum, Et ex verbis tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis, *Matt.22.* vbi hæc duo opponuntur. Et rurſum alio loco, Vos iuſtificatis vos coram hominibus, *Luc.16.* Et publicani dicuntur Deũ iuſtificaſſe. Et in Prouerb. *Cap.17.* Qui iuſtificat impium, & qui condemnat iuſtum, abominabilis eſt vterq;. Sed in hoc ſenſu non vtuntur hoc nomine ſcripturæ, quando loquuntur de iuſtificatione impij, quæ fit ex fide, ſed vt ipſe Martinus Bucerus fatetur: intelligũt iuſtificari idem eſſe, quod iuſtitia imbui vel dominari. Tractans enim locum Apoſtoli, *1. Corint.2.* Et hęc quidem eratis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis per Dominum Ieſum, & ſpiritum Dei veſtri. Hic, inquit, apparet Paulum per ablutionem, ſanctificationem, & iuſtificationem, non ſolum remiſsionem prioris contaminationis, impuritatis & iniuſtitiæ, & imputationem mundiciei, ſanctitatis & iuſtitię Chriſti, ſed etiam inchoatam in ipſis ſanctis puritatem, ſanctimoniam & iuſtitiam, quam Chriſtus ſpiritu ſuo in credentibus efficit quaque illos induit, intellexiſſe. Quod ſi cõtẽdatur Deum impium iuſtificare, eſſe idem quod pronũciare, iudicare, & pro iuſto eũ habere, cùm iudicium Dei ſit ſecundum veritatem, nec procedere poſsit ex errore (ſicut hominis ſentẽtia) oportet reuera iuſtum eſſe, quẽ iuſtum declarat, iudicat, vel pro iuſto habet. ſecus autem eſt de ſententijs hominum, qui per falſos teſtes & defectum probationum, multis modis falli poſſunt, atque ita iuſtum declarare, qui iuſtus nõ eſt. *Ioan.10.* *Ioan.8.* Nam Chriſtus in Euangelio, Pater, inquit, ſanctifica eos in veritate, ſermo tuus veritas eſt. Et, Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Quare rectiſſimè definitum eſt in Concilio Tridentino ſeſſ.5.cap.7. quod cùm iuſtificamur, non modò reputamur, ſed verè iuſti ſumus, & nominamur, & anathema eum cenſet, qui inhærentem iuſtitiam negat. Cõtra hanc iuſtitiã, qua iuſtum imbui, & donari diximus, & intrinſeca denominatione fieri iuſtum, argumentatur Albertus Phighius, olim noſter condiſcipulus, ſub præceptore ſanctiſs. domino noſtro Adriano ſexto faſcinatus errore & ſeductus ex lectione inſtitutionum Ioannis Caluini.

Hoc, inquit, iuſtum dicimus in creaturis, *Argumenta Pighij.* quod exactè reſpondet ſuæ regulæ, & iuſtitiam, exactam ad ſuam regulam correſpondentiam. In Deo autem eſt iuſtitia non hæc relatiua, ſed per eſſentiam. Secundum autem hanc regulam diuinæ iuſtitiæ, quatenus etiam noſtræ infirmitati attemperata eſt, non eſt inuenire iuſtum quenquam coram Deo inter Adę filios propter voluntatis humanæ inconſtantiam, & inclinationem ad carnis ſui hoſpitis amica deſideria, quę ab illa iuſtitiæ lege nos deflectere, & ad ſe attrahere, ac ſollicitare nunquam ceſſat. Et ita verum reperietur, quòd non iuſtificabitur in conſpectu Dei omnis viuens, eò quòd non eſt exacta commenſuratio ad ſuam regulam *Cap.2.* in actionibus omnibus. Et qui partem vnam legis ſeruauerit, præuaricator in cæteris, hic præuaricator omnium eſt. imò quicunque, inquit Iacob. totam legem ſeruauerit, offenderit autem in vno, factus eſt omnium reus. Proinde ſcriptum eſt. *Galath.3.* Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis vt faciat ea, ſignificãte hoc diuino ſpiritu iuſtitiam eſſe exactam, & ſecundum omnes ſuas partes ad regulam diuinæ iuſtitiæ nobis præſcriptam correſpondentiam:: iuſtitiam verò, quæ maledictionem & iram, quòd ex ſe eſt mereatur, quacunq; parte ab eadem exorbitantia, etiamſi in multis illi partibus reſpondeat. Cùm igitur, ſi dixerimus quoniam peccatũ *1 Ioan.1.* non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt: & ſcriptura apertè affirmet

non

Eccleſiaſt.7. 3. Reg. 8. non eſſe hominem iuſtum in terra, qui faciat bonum,& non peccet,neceſſe eſt omnes homines iniuſtitiæ conuinci, & proinde maledicto atque irę diuinæ,cui ſubiecti ſunt legis tranſgreſſores,inueniri obnoxios: auerſatur enim ille omnem iniuſtitiam.Et certiſ- 1. Corint. 6. Sapient.1. ſima eſt illa Apoſt. ſententia,quòd iniuſti & iniqui regnũ Dei non poſsidebunt, cùm iniuſtitia ſit mortis acquiſitio. Planè itaq; cõſtat,quæ de nobis omnibus foret ſententia, ſi Deus voluiſſet diſtricto nobiſcũ iudicio agere:Si nõ miſericordiſsimè nobis ſuccurriſſet in filio, & noſtra iuſtitia vacuos eius inuoluiſſet iuſtitia. Quod veriſsimè intellexit ille, qui ait, Si iniquitates obſeruaueris Psal.129. Domine,Domine quis ſuſtinebit? Ne intres Psal.142. proinde in iudicium cum ſeruo tuo,quia nõ iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuẽs. Nec min⁹ ille B.Iob:Verè,inquit,ſcio,quod Iob 9. ita ſit,quòd non iuſtificetur homo compoſitus Deo: Si voluerit iudicio contẽdere cum eo,non poterit ei reſpondere vnum pro mille.Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me.Si innocentem oſtendero,prauum me comprobabit. Quid igitur? Hoc 9. confeſ. cap.23. nempe quòd diuus Aug.vt libera, ita veriſſima voce pronunciat, Væ hominum vitæ quantumcunque laudabili ſi remota miſericordia iudicetur,cùm nemo, quem ſi ad regulã diuinæ iuſtitiæ exigas, illam etiam imperfectiorem,non iniquus & iniuſtus comprobetur:Nemini enim ſua conſtat iuſtitia. Vt igitur exterminium & mortem æternam quæ peccati ſtipendium eſt, effugiamus, neceſſarium eſt,vt diuina nobis miſericordia ſuccurrat, ignoſcens quotidie, quod ex parte noſtra minus eſt,quod deficit & exorbitat, & ſubſultat à diuina iuſtitiæ regula, & ipſe ſua nos impartiatur iuſtitia, qui noſtra planè deſtituimur, quæ noſtram iniquitatẽ & iniuſtitiam tegat. Hoc ergo nobis iuſtificari eſt, peccata nobis miſericorditer à Deo 2. Corin 5. remitti in Chriſto Ieſu, Quoniam quidem, inquit Apoſtolus Paulus,Deus erat in Chriſto mundũ reconcilians ſibi, non imputans hominibus ſua delicta.In illo ergo iuſtificamur in Deo,non in nobis: non noſtra,ſed illius iuſtitia,quę nobis cum illo iam communicantibus,imputatur,propriæ iuſtitiæ inopes extra nos in illo docemur iuſtitiam quę- 2. Cor.5. rere.Eũ,inquit Apoſtolus Paulus,qui peccatum non nouerat,pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo, non Iure amicitiæ omnia amicis communia. noſtra,ſed Dei iuſtitia efficimur in Chriſto. Hanc enim nobis impartit iure amicitiæ, quæ communionem omnium inter amicos facit,noſtram facit ſuam iuſtitiam,qua tecti ornatiq; audacter & ſecurè iam diuino nos ſiſtamus tribunali & iudicio, iuſtique non ſolum appareamus,ſed etiam ſimus. Quemadmodum enim vnius delicto peccatores nos factos affirmat Apoſtol⁹,ita vnius Chriſti iuſtitiam iuſtificandis nobis omnibus ef- Rom.5. ficacem eſſe.Et ſicut per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi:ſic per obedientiam vnius,iuſti,inquit,cõſtituentur multi.Hæc eſt Chriſti iuſtitia, eius obedientia, qua voluntatem patris ſui perfecit in omnibus, in qua noſtra propterea collocatur iuſtitia,ꝙ nobis illi incorporatis,ac ſi noſtra eſſet, accepta ea fertur, ita vt ea ipſa etiam nos iuſti habeamur.Et velut ille quondam Iacob,cùm natiuitate primogenitus non eſſet,ſub habitu fratris occultatus, atque eius veſte indutus, quæ odorem Geneſ.27. optimum ſpirabat,ſeipſum inſinuauit patri vt ſub aliena perſona benedictionem primogenitur ę acciperet:Ita & nos ſub Chriſti primogeniti fratris noſtri precioſa puritate delitеſcere,bono eius odore fragrare,eius perfectione vitia noſtra ſepeliri & obtegi, atq; ita nos piiſsimo patri ingerere, neceſſe eſt, vt iuſtitiæ benedictionẽ ab eo aſſequamur. Et poſtea apertè dicit nos,nec fide, nec charitate noſtra iuſtificari coram Deo,ſi formaliter & ꝓpriè loquamur,ſed vna Dei in Chri- Folio.45. ſto iuſtitia, vna Chriſti nobis communicata iuſtitia,vna ignoſcente nobis peccata noſtra Folio.177. Dei miſericordia. De quo eius dicto mirificè gloriatur & exultat Bucerus in conciliatione concordiæ de iuſtificatione.

HIc ſane certò cognoſcimus,quãtum ſit Reſp.ad Pighium. erroris periculum in lectione librorũ hæreticorum, quando doctiſsimus ille vir Albertus Pighius firmiter ſtabilitus in regulis fidei Eccleſiæ catho.in tantum ſeductus eſt errorem & nouitatem,contra cõcordem omnium patrũ doctrinam, & aquilarum volatum ac quietem. Quando autem lapſus eſt vir tantus ex hæreticorum blanda ſuauiloquentia:nemo eſt qui ſibi hoc periculi timere non debeat,niſi ſingulari Dei gratia,ab huiuſmodi lapſu præſeruetur. Verum hic eſſe conſpicitur, quod S. Dionyſio Ale- Eccle. hiſto. Lib.7.ca.6. xandrino à compresbyteris fuit ſuggeſtum, ne hæretica lectione tamquã cœni alicuius fætore pollueretur,quòd legendo tractatus hæreticorum ad horam videbatur verbis eorum pollui.Nam mutuatus eſt ab hęreticis Pighius & à Ioanne Caluino hanc ſimilitudinem de veſtibus Eſau, & plurima alia, & verba & ſentẽtias.Verè dolendum eſt, quod occultum Dei iudicium in hunc errorem ipſum labi permiſerit, ſumpta tamen occaſione ex alio ſuo errore, in quo catholicis aduerſatur ſimul & hæreticis, ſuamq; ſingularem ſequitur ſententiam, docẽs ſolum Adę peccatum eius poſteritati eſſe peccatum originale,& non contrahi ab vnoquoq; proprium:de quo diximus ſuperius.Vt ſicut peccatores naſcimur ex Adam, extrinſeca tantum denominatione, ita & à Chriſto renaſcamur iuſti extrinſecè. Argumenta autem quibus in hunc de iuſtitia fidei errorem perductus eſt,ſophiſtica ſunt,nec vllam habent ſoliditatem,ſi diligenter expendantur:imò deprehendentur ex falſis principijs procedere. Quod enim primo aſſumit, iuſtitiam eſſe exactam ad ſuam regulam correſpõdentiam, vtcunque veritatem habere poſſet de iuſtitia operum, non autem de iuſtitia fidei.

Noſtra fides, inquit B. Auguſt, hoc eſt catholica fides iuſtos ab iniuſtis, non operum, ſed ipſa fidei lege diſcernit, Quia, inquit, iuſtus ex fide viuit, & eo ipſo iuſtus, quo viuit ex fide. Viuit autem per ſpiritum Chriſti inhabitantem. Nam paruuli per baptiſmum fiût iuſti, qui nihil adhuc ſunt operati regulæ actionũ iuſtitiæ reſpondens. Quia tamen ipſi ſunt quales euangelium gratiæ Chriſti eos eſſe requirit, reſpondẽt ipſi non opera regulæ ſuæ: nec habent quod in ipſis reprehendi poteſt propter gratiam Chriſti eis communicatam. Paruulos autem per baptiſmum, ex Chriſti gratia verè iuſtos fieri, ſicut ex Adæ propagatione naſcuntur peccatores & iniuſti, docet Apo. Paulus epiſtola ad Romanos. Iuſtitia enim fidei non in actionibus cõſiſtit, ſed per modum habitus vel ſtatus ſe habet. Habet enim iuſtus vitam æternam in ſe manentem: habitus autem non tollitur per quamlibet à regula deuiationem: ſicut nec temperãtia, imò nec fides, nec charitas vt ex Apoſt. Paul. ſæpe docet B. Auguſtinus & in fine 2. Ethic. docet Ariſt. quod nõ multum eſt vituperandus, qui non multum exorbitat à medio. Item. 5. lib. Ethic. quòd non ſtatim iniuſtus eſt qui iniuſtum facit. Nam qui ignorans, vel ex infirmitate, vel ad damnum vitandũ, iniuſtum facit, non eſt, inquit, iniuſtus. Et B. Auguſt. docet non quæcunq; peccata facere filios diaboli, ſed criminalia tantum. Et ideo loquendo etiam de iuſtitia operum, hoc eſt, conformitate & correſpondentia eorum ad legem, hoc eſt, ſuam regulam, non quælibet iuſtitia eſt exacta ad ſuam regulam correſpondentia, ſed abſoluta & perfecta iuſtitia duntaxat. Eſt enim quædam operum iuſtitia minor, quæ tamen vera eſt iuſtitia, vt docet B. Auguſt. ad quam, inquit, non pertinet, Non concupiſces, ſed poſt concupiſcentias tuas nõ eas, nec ad eam, ſed ad vitam illam iam immortalem pertinet, Diliges Dominũ Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima, & ex tota mente tua, ad eam autem pertinet, Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ad obediendum deſiderijs eius. Neq; enim ait, Si eſſe nondum poteſt tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenè perfectéque debetur, iam culpæ deputandum eſt. Aliud eſt enim totam nondum aſſequi charitatem, & aliud nullam ſequi cupiditatem. Quamdiu namque ſalua manet ſubſtantia, hoc eſt, finis legis non excluditur, non violatur lex, nec eſt eius proprie tranſgreſsio, quamuis nec plena eius obſeruatio. Finis aũt pręcepti omniſque legis eſt charitas, cuius violatione lex ipſa proprie violatur. Nam plenitudo legis, eſt dilectio. De quo B. Aug. tractans locũ Iacobi, Quicunq; totam legem ſeruauerit, &c. De eodem & B. Hier. lib. 2. dialog. contra Pelag. Ezechias, inquit, non ex hoc quod parua peccauit iuſtitiæ nomen amiſit: ſed ex eo quod multa bona fecit, iuſti nomen poſsidet. Hoc totum dico, vt ſcripturarum ſanctarum teſtimonijs comprobetur, non

Li. 2. contra 2. epiſt. Pela. — *Cap 5.* — *1. Cor. 3.* — *Lib. 22. de ciui. cap. 36. cõtra 2. epiſ. Pelag. lib 3 cap. 5. de dog Eccleſ. c. 80.* — *Li. 3. contra 2. epiſt. Pela cap 3. & de natu. & gra cap. 62.* — *De ſpir. et li. ca. vlt. et. li. 3. contra 2. epi. Pelag. cap. 7. & de perfec. iuſtis. ſtatim in initio.* — *Matt. 22.* — *Rom. 6.* — *1. Cor. 1.* — *Rom 13.* — *Epiſt. 39. ad Hieron.*

ex eo peccatores eſſe iniuſtos, quod aliquando peccauerunt, ſed ex eo iuſtos permanere, quod multis virtutibus gloriantur. Et hæc eſt perpetua ſententia B. Aug. inſuper clariſſima ſunt ſcripturarũ teſtimonia, quæ vocãt Abel iuſtum, & ſimiliter Zachariam. Elizabet, & alios innumeros, quos tamen ex ijſdem ſcripturis certiſsimè conſtat non vixiſſe ſine peccatis. Et de dogmatibus Eccl. c. 86. Nullus ſanctus & iuſtus caret peccato, nec tamen ex hoc deſinit eſſe iuſtus vel ſanctus, cum effectu teneat ſanctitatem. Præterea de iuſtitia etiam operum loquendo, ad quam tamen nihil pertinet ſermo de iuſtificatione impij, vt diximus, attamen cõceſſo, quòd in minimis peccatis, aliquo modo fieret iuſtitiæ operum violatio, hæc tamẽ reparatur, quaſi facta non eſſet, per orationem dominicam, vt dicit B. Aug. tractans. locum Matt. Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, &c. Hic, inquit, dici poteſt: Quis facit omnia verba domini quæ in ipſo ſermone euangelico conſcripta ſunt? quem concludens, ait ædificare ſuper petram, qui eadem verba audirent & facerent: ſuper arenam autem qui audirẽt & nõ facerent. Quia etſi à quibuſdã non implentur omnia, in eodem tamen ſermone poſuit medicinam dicens, Dimittite, & dimittetur vobis: & ſi dimiſeritis peccata hominibus, dimittet & vobis pater veſter peccata veſtra. Hinc & B. Petrus ait, Quia charitas cooperit multitudinem peccatorũ, quam vtique non habebant illi, ac per hoc ſuper arenam ædificauerant. Et alio loco retractans, id quod dixerat lib. 1. de ſermo. do. in monte, ſcilicet per verba Saluatoris, Vnũ iota aut vnus apex non pręteribit à lege, donec omnia fiant, nihil aliud poſſe intelligi, niſi vehementem perfectionis expreſsionẽ. Vbi, inquit, meritò quęritur, vtrum iſta perfectio ſic poſsit intelligi, vt tamen verum ſit neminem iam vtentem voluntatis arbitrio hic viuere ſine peccato. A quo enim vſq; ad vnum apicem lex perfici poteſt, niſi à quo fiunt vniuerſa diuina præcepta? Cui reſpondet. Sed in ijſdem mandatis eſt etiam, quòd iubemur orare, Dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos, &c. quam orationem vſque in finem ſeculi tota dicit Eccleſia. Omnia ergo mandata facta deputantur, quãdo quicquid non fit, ignoſcitur. Quam ſententiam multis alijs locis repetit potiſsimum ſerm. 3. circa Pſalm. 118. explicans verſiculum, Non enĩ qui operãtur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt. Quando autem ignoſcit Deus, tollit iniquitatem, & iuſtum fit, ac irreprehenſibile, quod prius erat iniquum. Hæc tamen omnia, vt diximus, ſunt extra diſputationẽ, quæ fit de iuſtificatione impij, in qua ſemper præ oculis habendum eſt, quod iuſtitia hominis Chriſtiani ſiue euangelica, non conſiſtit in rectitudine operis, eiuſq; ad regulam conformitate, ſed in ordine hominis ad Deum, proximum, & ſeipſum, quem ſupra oſtendimus fieri per charitatem (quæ eſt iuſta omnium rerum æſtimatrix) & ſpiritũ

In ep. ad Hylar. & 1 de ciuit. Dei. c. 10 Itẽ li. 21. cap. 25. — *Lib. 6 de baptiſmo cõtra Donatiſ. cap. 24.* — *Cap. 6.* — *Matth 6.* — *1. Pet. 4.* — *Lib. 1. retra. Cap 19.* — *Matt. 5.* — *Item. lib. 4. contra. 2. epiſt. Pela cap. 7. & li. 1. cap 7.*

Aug. li. de dili. Chri. cap. 17. Chriſti inhabitantem. Prætereo hic multa paradoxa, quæ parum habent probabilitatis, & argumentationibus Pighij magna ex parte inſeruntur. Primò, quòd iuſtitia agni ſine macula, hoc eſt Chriſti domini conferri poteſt cum iuſtitia diuina, cuius comparatione in eius conſpectu nulla iuſtificatur creatura, imò & obtenebratur, Chriſti autem hominis iuſtitia creata eſt. Cùm enim ſit participatio, etiamſi infinita eſſet & ſine menſura, iuſtitiæ Dei, quæ per eſſentiam, imò ipſa eſſentia iuſtitię eſt, ad hanc conferri non poteſt quamuis maximè ad eam accedat, & multò magis quàm iuſtitia ſanctorum angelorum: meritò tamē dici poteſt, quod Dei comparatione nō iuſtificabitur. Item, quòd dicit angelos non eſſe pares ferendæ iuſtitię Dei, ſic intelligatur, quòd diſtrictum eius iudicium ferre non poſsint. Item quòd noſtræ iuſtitiæ ſunt iniquitates, cum tamen ſingulæ legi reſpondeant, & ſint quales lex eas exigit. Porrò contrarietas eſt in ſermone, quod iuſtitia ſit iniquitas, quemadmodum ſi dicatur ꝙ calor ſit frigus. Et ſecundū B. Auguſt. non poteſt Deus ab angelo, vel ho- *Sermo. 61.* mine exigere, maximè iuſtificato, quod præſtare nequit. Ait enim, Deus nec impoſsibile aliquid potuit imperare, quia iuſtus eſt, nec damnaturus eſt hominem pro eo quod non potuit vitare, quia pius eſt. Nec verum eſt, quòd iuſtitia vniuerſum hominem denominans requirat, vt omnes eius actiones *Cap. 2.* legi reſpondeant: nec hoc docet Iacobus Apoſt. dum ait: Quicunq; totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus: quia ſecundum interpretationē B. Auguſt. epiſt. 29. quæ eſt ad B. Hieronymū, *Explicatio loci apud Iacobum, Quicumque totam legē ſeruauerit, offendat autē in vno &c.* hoc vnum intelligenda eſt charitas, in qua tota lex pendet & prophetæ. Vnde, inquit, fiet omnium reus, ſi in vno offendat, qui totam legem ſeruauerit? An fortè quia plenitudo legis charitas eſt, & ideo meritò ſit reꝰ omnium qui contra illam fecit, in qua pendent omnia? ac per hoc quoniam totam legem ſeruauerit, ſi in vno offenderit, ſit omnium reus, quia contra charitatem facit, vnde tota lex pendet: Reus itaque ſit omnium, faciendo contra eam, in qua pendent omnia. Cur ergo non dicantur paria peccata? An fortè quia magis facit contra charitatem qui grauius peccat: minus qui leuius? Et hoc ipſo quòd admittit, ſit quidē omnium reus: ſed grauius peccans, vel in pluribus, magis reus: leuius autem, vel in paucioribus peccās, minus, tanto maiore ſcilicet reatu, quantò amplius: tantò minore, quantò minus peccauerit: tamen etiam ſi in vno offenderit, reus eſt, quia contra eam facit, in qua pē- *Lib. primo.* dent omnia. Et beatus Hieronymus. aduer- *Virtutes eſſe connexas eſt Philoſophorum non Apoſtolorum ſententia.* ſus Pelagia. Obſecro te, ait Critobolus, poſt quam dixerat Atticus, Philoſophorum, non autem Apoſtolorum eſſe ſententiam, omnes habere virtutes, qui habet vnam, hoc eſt, cōnexas eſſe virtutes. Nonne Iacobus Apoſt. ſcribit, Qui in vno offenderit, eum eſſe omnium reum? Ad quod Atticus, Ipſe locus ſe ſe interpretatur. Non enim dixit vnde cœperat diſputatio, qui diuitem pauperi in honore prætulerit, reus eſt adulterij vel homicidij. In hoc enim delirant Stoici, paria contendentes eſſe peccata. Sed ita qui dixit, Nō mœchaberis, dixit & non occides. Quod ſi non occidis, mœcharis autem, factus es trāſgreſſor legis. Leuia cum leuibus, & grauia cum grauibus comparantur. Nec ferula dignum vitium, gladio vindicandum eſt: nec gladio dignum ſcelus, ferula coercendum. Omnium itaque reus eſt, quantum ad hoc vnum, in quo omnia communicāt, quum declarat eſſe legis tranſgreſsionem, ſiue legiſlatoris contemptum, ſaltem interpretatiuum, & ipſius offenſam, ratione cuius cōtrahitur reatus. Nam qui mœchatur, non ſit reus homicidij, ſi non occidat, niſi ſecundum quod homicidium cum adulterio communicat. Cōmunicat aūt in legis præuaricatione, & reatu ſupplicij æterni. Vtrunq; enim ipſum reum facit, & vtrumq; eſt legis tranſgreſsio: quod rectè declarat B. Iacobus. Et, vt quidam dicit, plurimum refert, an ſis legis trangreſſor in vno, vel altero, aut pluribus. Legem enim tranſgreditur, qui loquitur verbum otioſum, vel iocoſe mētitur, qui tamen ob materiæ & obiecti qualitatem, mortis æternæ non incurrit reatū. Alij interpretantur, quod omnium ſit reus, ſed quodam modo ęquiualenter, & in genere, in quantū per vnū mortale, gratiarum chariſmata perdūtur in prçſenti, & dona gloriæ in futuro, & ſequitur reatus pœnę, damni, & ſenſus, ſicuti per vniuerſa peccata, & omnium legum tranſgreſsiones. Reus eſt itaq; non omnium peccatorum, ſed malorum pœnę. Nam reſpectu ſupplicij, propriè dicitur reatus. Et conſiderandum Iacobū ſuam ſententiam expli- *Cap. 27.* care, non de peccatis quotidianis & minutis, ſed de grauioribus & enormibus. Quod aūt ex Deuter. citat Apoſt. Paul. Maledictus oīs qui nō permanſerit in omnibus, quę ſcripta ſunt in libro legis, vt faciat ea: certum eſt dictum eſſe his qui ſub lege ſunt, & nihil pertinere ad filios promiſsionis. Præcedit enim, Igitur qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham, cui dictum eſt, Benedicam tibi, erisque benedictus. Quicunque enim ex operibus legis ſunt, ſub maledictione ſunt. Ex operibus enim legis non iuſtificatur omnis caro: & ideo ſunt ſub maledictione, cui opponit Apoſtolus benedictionē promiſſam in ſemine Abrahæ. Scriptum eſt enim, Maledictus omnis, qui non permāſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis. Qui igitur ex operibus legis præcisè cōſtant, neceſſariò legē violant, quum ſine gratia Chriſti non poſsit impleri, nec peccatū admiſſum remitti. De filijs enim dicit, quòd *Pſalm. 88.* in virga viſitabit iniquitates eorum, miſericordiam autem ſuam ab eis non diſperget. Nam ſpiritus adoptionis hoc operabitur vt peccantes iam non maledicantur, ſed in ſemine Chriſto benedicti à patre flagellentur ſi à lege exorbitauerint: & ideo tanquam

cauſam

cauſam addit Apo. quia iuſtus ex fide viuit: lex autem non eſt ex fide, hoc eſt, iuſtitia legis, vt talis non eſt ex fide: & ideo qui ſub lege ſunt, alieni ſunt à fide, & tractantur vt ſerui (vt re vera ſunt & manent) non vt filij. Prætereo hic quod in ſcripturis maledictio communis eſt ſupplicijs, & præſentis, & futuræ vitæ. Nam authoritas Deutero. ſicut & aliæ maledictiones legis, primo reſpicunt mala temporalia, quomodo Chriſt' dicitur maledictio, quia atrociſsimis ſupplicijs eſt adiudicatus, & à patre traditus. Sic maledicitur terra ob peccatum Adę: maledicitur & ſerpens, maledictus eſt & ſterilis. Item Maledictus omnis qui pependit in ligno. Quia tamen Apoſt. Paul. quaſi contraria ponit, Maledictionem legis, & Benedictionem Abrahæ, conformius eſt ſenſui apoſtolico, vt maledict' intelligatur, futuri ſeculi ſupplicio addictus, eiuſq; reus maledictus qui nõ permanſerit in his quæ ſcripta ſunt in libro legis, non æqualiter, ſed ſecundum rationem & grauitatem declinationis à lege vt interpretatur. B. Hierony. Et quia quarundam legũ declinationes non merentur maledictionem ſupplicij æterni, ſed obiurgationem vel correptionem paternam tantum, ideo non ſequitur, omnem legis tranſgreſsionẽ mereri maledictionem. De qua Saluator apud Mat. Ite maledicti in ignẽ æternum. Ab omni tamen maledicto legis, redemit nos Chriſtus, factus pro nobis maledictum. Qui autem ſub lege erant & ex lege conſtant, nõ ex fide, nec ex gratia: ſimpliciter ſunt maledicti. Ex fide enim ſola & Chriſti gratia, legis maledictio aboletur, & conſequimur benedictionem Abrahæ promiſſam. Non igitur his verbis Deuteronomij ſignificat diuinus ſpiritus, ꝙ quælibet à lege exorbitãtia ſit iniuſtitia, quæ maledictionẽ, ꝙ ex ſe eſt, mereatur: ſed ꝙ ſine Chriſto, nulli poteſt ex lege, cõtingere hæreditas æterna, quodq; per eius fidẽ liberamur à legis maledicto. Hunc enim ſenſum clare teſtantur verba Apoſt. Pauli.

Geneſ. 1. *Deutero. 21.* *Galat. 3.* *Cap. 25.*

Hallucinatur præterea Pighius in eo quòd dicit, iuſtitiam eſſe correſpondentiam ad ſuam regulam, & ideo eſſe relatiuam. Oſtendimus enim ſuprà ipſam eſſe qualitatem quam nomen ipſum ſignificat, cum relatione ad regulam: ſicut ſcientia qualitas eſt cũ relatione (vt dicit Ariſt.) ad ſcibile. Quapropter iuſtitia eſt ſuæ regulæ reſpondens, non autem ipſa reſpondentia, quemadmodum ſcientia reſpondet ſcibili, ſicuti menſuræ ab ipſa menſuratum. Nec differentia eſt in iſto, inter iuſtitiam Dei & noſtram. Nam & illa relatiuè dicitur ad rationes ſuæ ſapientiæ: Operum tamen iuſtitia, dicit relationem commenſurationis ſiue conformitatis ad rectam rationem & legem Dei.

Pſal. 142. *Epiſto. 29.* *Epiſt. ad Cteſiphontem et lib. 1. contra Pelagia.*

De verbis prophetæ, Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens: diximus ſuperius Auguſtinum ea interpretari de iuſtificatione perfecta, virtute ſcilicet ſua excludente omne peccatum. Similiter interpretatur beatus Hieronymus Circa locum epiſtolæ ad Epheſ. Vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius: quæritur, Quomodo ſanctus quis & immaculatus ſit coram Deo, quum propheta teſtetur, quòd non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Aut enim ſancti & immaculati coram Deo Epheſij ſunt, & falſum eſt quod dicitur, Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Aut ſi nemo iuſtificatur in cõſpectu Dei, falſum eſt quod præceſsit, Sanctos & immaculatos eſſe in conſpectu Dei.

Li. 1 commen. in Epiſt. ad Epheſ. *Epheſ. 1.*

Ad quod bifariam, inquit, eſt reſpondendum. Non enim ait Paulus. Elegit nos cùm eſſemus ſancti & immaculati: ſed elegit, vt ſancti & immaculati eſſemus, qui ſancti & immaculati non fueramus: quod & de peccatoribus ad meliora conuerſis dici poteſt, & ſtabit illa ſententia, Non iuſtificabitur in cõſpectu tuo omnis viuens, id eſt in tota vita ſua, in omni quo in mũdo iſto verſatus eſt tempore, hoc eſt, nemo eſt qui totam vitam ſuam ducat ſine peccato & iniquitate. Et paucis interpoſitis. Non enim Paulus & qui ei ſimiles ſunt, quia erant ſancti & immaculati eliguntur, ſed vt in conſequenti vita per opera atq; virtutes ſancti & immaculati fiãt. Deinde ſentiendum eſt, quia non dixerit, Non iuſtificabitur in conſpectu tuo quiſpiam viuens: ſed, Omnis viuens, & id eſt, non iuſtificabũtur omnes iuſtificabũtur verò aliqui. Et Auguſtinus, cùm Celeſtius allegaſſet, Quoniam non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens, nec ſoluiſſet Auguſt. inquit, Aperta ſententia eſt de ſuperiori verſu illuſtrius declarata. Non intres, inquit, in iudicium eum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Iudicium timet, quia miſericordiã deſiderat, quę ſuperexaltat iudicio. Hoc eſt enĩ, Ne intres iu iudicium cum ſeruo tuo, noli me iudicare ſecundum te qui es ſine peccato: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuẽs, quod de hac vita dictum, ſine difficili quæſtione intelligitur. Et quòd ait, Non iuſtificabitur ad illam perfectionem iuſtitiæ retulit quæ in hac vita non eſt. Vbi conſiderandum eſt aliud eſſe, Nullus viuens iuſtificabitur: aliud Nullus viuens in conſpectu Dei iuſtificabitur. Primum enim falſum eſt, & contra ſcripturas. Alterum verum ſecundum comparationem iuſtitię hominis ad iuſtitiã Dei, quia tota vita Dei eſt ſine peccato, non autẽ tota vita iuſti viatoris. & pro tanto inuenitur diſcordans à iuſtitia Dei ſecundum quã nõ vult iudicari. Eſt præterea in huiuſmodi ſcripturarum ſententijs conſideranda qualitas perſonæ loquentis, & quid in ſermone ſuo ſpectauerit. Nam peccator de profundis impietatis ſuæ clamat ad Dominum, Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit. Et ante oculos ponunt plerumq; homines iuſti peccata ſua, quib' quotidie Deum offendunt, & propter magnam eius maieſtatem, contra quem admittuntur, aſſumũt formam ſermonis peccatorum. Has

Lib. de perfectione iuſtitiæ. *Rom. 2. 3. et 4.* *Pſalm. 129.*

ſcriptu-

ſcripturarum ſententias, & teſtimonia patrum, quę aduerſarij hucadferunt, exactiſsimè diſcutit, eiſque reſpondet reuerendiſsimus & glorioſus Chriſti martyr Ioann. Roffenſis circa articulum 31. & 35. aſſertionis Lutheranæ. Et in ratione articulorũ per Theologos Louanienſes damnatorum M.N. Iacobus Latomus circa articulum primum. Ex quibus patet, quòd nullam hàbet probabilitatẽ doctrina Alberti Pighij, qua dicit, quòd in Chriſto iuſtificamur coram Deo, non in nobis: non noſtra, ſed illius iuſtitia, quæ nobis iam cũ illo communicãtibus imputatur.

Quomodo in Chriſto iuſtificemur.

In Chriſto enim iuſtificamur coram Deo effectiuè, per eius meritum, victimam, eiuſq; contemplationem, in cuius quaſi filij, in quo ſibi beneplacitum eſt, faciem ſemper reſpicit Pater. In illo etiam tanquam omnis iuſtificationis exemplari, imò & propter ipſum corã Deo iuſtificamur, ſed non in illo eiuſq; iuſtitia, tanquam noſtræ iuſtificationis cauſa formali, ſed in nobis, in quos ſpiritũ ſuum, ſpiritũ iuſtitiæ & charitatis transfundit abundè, quoſque verè iuſtos facit, verùm non à nobis, noſtroque merito, ſed Chriſti duntaxat: noſtra tamen iuſtitia, hoc eſt nobis immanente, & noſtra per Chriſti gratiam facta.

de ſpiritu & lit. libr. 1. 32.

Ac propterea Chriſti iuſtitia non ſolùm nobis imputatur, & iure amicitiæ communicatur, ſed in nos verè & realiter tranfunditur, ſicut ſpiritus & vita à capite in membra. Sumus enim nõ tantum amici, ſed & membra corporis, cuiꝰ ipſe eſt caput, imò & filij eiuſdem patris, quamuis ipſe ſit primogenitus. Hoc enim clariſsimè docet B. Auguſt. quòd dat ſui ſpiritus occultiſsimam fidelibus gratiam, quam latẽter infundit & paruulis, ſicut occulta tabe carnalis concupiſcentiæ ſuæ primus Adam tabificauit in ſe omnes de ſua ſtirpe venientes. Nõ igitur propriæ iuſtitiæ, in nobis inopes ſumus, quos in omnibus per Chriſti inopiam diuites factos teſtatur Apoſtolus Paulus. In illo itaq; tanquam iuſtitiæ authore, fonte & largitore, docemus iuſtitiam quærere, ſed quam in nos transfundat cum ſpiritu ſuo, per quem ipſi nos in nobis habemus iuſtitiam immanentem. Et Deus pater filium, qui nõ nouit peccatum, peccatum fecit, hoc eſt, peccatorem pœniſque obnoxium crucifigi permiſit, vt tanquam peccator crucifigeretur, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo, hoc eſt, vt nos iuſtificaremur, non ex operibus & lege, ſed ex gratia Dei. Hæc enim eſt Dei iuſtitia, cùm quis gratia iuſtificatus fuerit, vt nullus in eo neuus, nullaque macula inueniatur. Propterea neque dixit, Vt efficeremur iuſti, ſed iuſtitia Dei, excellentiam gratiæ oſtendens, hoc eſt, excellẽter iuſti: quo ſenſu interpretatur etiam B. Chryſoſt. id quod dicit Corinthijs: Ex ipſo enim vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factꝰ eſt nobis ſapientia & iuſtitia: intelligẽdum eſſe ſecũdum prædicationem cauſalem, hoc eſt, inquit, Chriſtus nos ſapientes, iuſtos & ſanctos reddidit: maluit tamen dicere quòd factus eſt nobis ſapientia, quã ſapientes nos

Lib. de peccat. meritis. cap. 9.

1. Cor. 1.

2. Cor. 5.

1. Cor. 1.

fecit, vt muneris liberalitatem ſignificaret. Nam neque Chriſtus ſecundum naturam aſſumptam eſt ſua iuſtitia. Hoc enim Deo eſt proprium, quòd ſit ſua iuſtitia, ſapientia, & eſſentia. Similitudo autem aſſumpta à veſtimentis Eſau, quibus Iacob indutus fuerat, vt Iſaac pater deciperetur, & pro Eſau fratre benediceretur Iacob, nullum habet ex ſcripturis fundamentum, ſed noua & humana eſt adinuentio, & contra ſcripturas hucadaptata. Non enim Deo quaſi homo eſſet, imponi poteſt. Omnia enim aperta ſunt oculis eius, atque ſecundum veritatem eſt eius iudicium. Et ideo eos pro iuſtis & mundis habere non poteſt, qui reuera ſunt iniuſti, immundi, & abominabiles. Hoc ipſum intellexit etiã Mart. Lutherus, dum in explicatione Pſal. 9. circa verſiculum, Et ipſe iudicabit orbem terræ in æquitate. Regnũ, inquit, Chriſti in veritate, iuſtitia, æquitate, & ſapientia conſiſtit, non quia ſolus ipſe, ſed & fideles ſui per eum ſunt veraces, iuſti, æqui, pacifici, ſapientes. Eſſet enim infœliciſsimus, ſi ſui eſſent mẽdaces, peccatores, iniqui, inquieti, quale eſt diaboli regnũ. Sic Eſaias prædixit, Non adijciet vltrà, inquit, vt pertranſeat per te immundus & incircuncifus. Vos mundi eſtis, & palmites mundos ipſe adhuc mundat: de quibus ſatis dictum eſt in ſuperioribus. Et in annotationibus circa Eſaiam, idẽ Mart. Lutherus dixit ſententiam Eſaiæ. Facti ſumus immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ, nihil ad hoc pertinere quòd iuſtitia noſtra impura ſit: & recantat quod aliquando illum ſenſum vſurpauerit. Nam propheta, inquit, ipſe videns optimos viros in captiuitatem ductos, & in ea detineri propter aliorum impietatem, dolet quòd omnes ſunt habiti tãquam impij, cùm Dominus Sodomis pepercifſet propter paucos iuſtos, & nunc omnes ſunt reputati tanquam immundi & iniuſti, ferentes ſcilicet pœnam etiam iuſti propter aliorum impietatem. Atq; ita intelligit eos immundos factos nõ verè immundiciei ſubſiſtentia, ſed imputatione Dei, qui ſæpè vindicat in cõmunitatem ſcelera paucorum: ſimili ſenſu vniuerſas eorum iuſtitias quaſi pannum menſtruatæ. Docet & beatus Chryſoſt. quòd ſanctos nos eſſe oporteat, albos, pulchros, & non tantum à peccato mundatos. Sumus igitur aduerſariorum etiam confeſsione iuſtitia propria & nobis inhærente verè iuſti ex gratia patris & merito Chriſti, quæ vt participatio eſt iuſtitiæ Dei, quæ per eſſentiam iuſtitia eſt, omnemque in ſe iuſtitiam eminenter & virtualiter contin'ens, ita emanatio eſt à iuſtitia Chriſti, quaſi exemplari effectiuo principio. Sumus enim in nobiſipſis iuſti, ex merito victimę quam in cruce obtulit Chriſtus, hoc eſt, ob eius iuſtitiã, qua fuit patri vſque ad mortem crucis obediens, quam pater acceptat, & in premium nobis imputat ad peccatorum remiſsionem, iuſtitiam immanentem, imò & ad vitam æternam. Hæc enim ſunt premia, quæ pater

Geneſ. 27.

Deus pro iuſtis habere non poteſt qui ſunt reuera impij & iniuſti.

Cap. 35.

Cap. 64.

Aug. lib 1. de ciuit. c 9.

Eſai. 64.

Homil. 17. in epiſt. ad Heb.

filio ſuo in nobis retribuit ob eius obeditionem. Hac itaque conſideratione denominamur, & reuera iuſti ſumus iuſtitia Dei, & Chriſti iuſtitia, quæ tamen & noſtra eſt, diuerſa tamen ratione: vt quemadmodum iuxta doctrinam B. Auguſtini, peccatum originale eſt alienum, non proprium proprietate actionis, ſed contagione ac propagatione proprium, ſic noſtra iuſtitia aliena eſt, nobis non propria, ſi actionem & meritum ſpectemus, propter quod nobis communicatur: eſt autem propria gratioſa in nos transfuſione.

Lib.9. contra Iulian. libr. de remiſſ. peccat. cap.7. & 8.

Quomodo etiam dicit, quod credere noſtrũ eſt & Dei: noſtrum, propter liberum arbitrium: & Dei, ob gratiam, ex qua ipſum eſt nobis donatum. Cum autem iuſtitia Chriſti ſiue habitualis, per quã ſanctiſsima eius anima eſt deificata & conſors diuinæ naturæ, ſit qualitas ei inhærens, non poteſt per eſſentiã eſſe iuſtitia, cuius cõparatione eſt quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ, cum finita ſit & terminata. Et ideò non poſſumus ab ea ſicut à iuſtitia Dei dici vel eſſe iuſti, vel bonitate boni: eadem ratiõe nec ab operibus iuſtitiæ eius, quæ tamen Deo patri infinitè placent, & immenſi ac inexhauſti ſunt meriti propter hypoſtaticam vnionem perſonæ diuinæ. Humana enim opera diuinè operabatur, vt docet B. Dionyſius de diuinis nominibus: & Damaſcenus lib.3. orthod. fidei. A iuſtitia igitur Chriſti, ſolũ ſecundum meriti imputationem, & ita magis ſecũdum efficientiam, quam ſecũdum rationem cauſæ formalis nos iuſti ſumus. Conſiſtit autem hæc Chriſti iuſtitia, nõ tam in habitu, quàm in ſanctis eius operationibus, & potiſſimũ ea qua patri vſque ad mortem obediuit, quæ erat effectus iuſtitiæ eius, hoc eſt, plenitudinis gratiarum. Sola autẽ Dei iuſtitia æterna, q̃ omnis iuſtitiæ fons eſt & ſcaturigo, ſicuti eius ſapientia & bonitas omnis ſapientiæ & bonitatis creaturarum, iuſti ſumus, quemadmodum eius bonitate & ſapientia boni ac ſapientes ſecundum aſsimilationem, ratione videlicet participatæ ſimilitudinis. Ex quo principio accepit & ſanctiſsima Chriſti anima ſuam iuſtitiam ratione hypoſtaticæ vnionis, quæ ex puriſsima Dei patris gratia præ omnibus ſingulariter ei eſt donata, vt dicit B. Aug. Harum namq; diuinarum perfectionũ, noſtra, imò & Chriſti Domini chariſmata ſunt participationes, qua ratione ab eis tanquam cauſis formalibus ſeparatis, iuxta Platonicorum philoſophiam (quam beatus Dionyſius Areopag. & beatus Auguſt. ſequũtur) extrinſecè denominamur & ſumus iuſti & ſapientes, per aſsimilationem ratione ſimilitudinis participatæ: intrinſecè autem à qualitatibus participatis, ſine quibus à diuinis illis perfectionibus extrinſecè denominari non poſſemus, prout beatus Thomas, & dominus Cardinalis Caietanus docent & declarant.

Lib.1. retract. ca.23.

Eſai. c.20.

Cap.2.

Cap.15. & 18.

De prædeſt. ſanct. c.15. in Enchir. c.36. de correp. & gra. cap.11.

1. part. q.6.

Quatuor modis Chriſti

PRO maiori autem huius iuſtitiæ imputatitiæ intelligentia, conſiderãdum eſt, quòd quatuor modis intelligi poteſt, quòd iuſtitia & obeditione Chriſti ſumus iuſti: Primò in genere cauſæ efficientis, ad quam meritum reducitur. Secundò, in genere cauſę formalis ſecundum extrinſecam denominationem, quomodo medicina dicitur ſana ab animalis ſanitate. Tertio ex mutua communicatione perfectionum, & proprietate membrorũ eiuſdem corporis. Singulorum enim membrorum dona, toti corpori & omnibus membris ſunt communia. Nõ enim ſibi duntaxat oculus videt, & auris audit, ſed & membris alijs. Nam manifeſtatio ſpiritus datur ad vtilitatem aliorum etiam fidelium. Quo ſenſu dona quæ ſunt capitis noſtri Chriſti Domini, ſunt & noſtra, hoc eſt, omnium eius membrorum: &, quæ ſponſo data ſunt, ſunt etiam ſpõſæ cõmunia. Quartò intelligi poteſt, quòd Chriſti iuſtitia ſumus iuſti ſecũdum aſsimilationem, propter iuſtitiam ab eo participatam: ſicut Dei iuſtitia diximus nos eſſe iuſtos. Primus autem intellectus, quo ſecundum imputationem iuſtitiæ Chriſti quaſi meriti eius nobis à patre ad peccatorum remiſsionem, & ad bonam voluntatem (qua recti ſumus & ad Deum ordinamur) hoc eſt, ad veram iuſtitiam nobis imputari, verè iuſti ſimus & dicamur, iuſtitia in nobis permanente, ſcripturis ſacris eſt conformis. Sua enim obedientia nobis meruit peccatorum remiſsionem, iuſtitiam, ac cordis rectitudinem, ad quæ tãquam præmium & mercedem illa nobis à patre imputatur. Meritum namque deputatur ad retribuendum præmium illi ad quod ab eo qui meretur ordinatur, & pro quo ab alio acceptatur: quomodo peccata parentum imputantur filijs in tertiam & quartam generationem, & miſericordiam facit Deus in milia his qui diligunt eum. Et Dominus recordatus Abrahæ, liberauit Loth. Magis tamen & efficacius nobis merit⁹ eſt Chriſtus, eò quòd caput noſtrum eſt, totiuſque Eccleſiæ, quàm alius homo alteri. Sicut enim homo pro ſe & omnibus membris vitam æternam meretur, ita nobis Chriſtus quaſi ſuis membris (pro quibus gratiam merẽdi ipſe acceperat & influendi) peccatorum remiſsionem & iuſtitiam meruit vitamque æternam, vt Apoſtolus Paulus docet ad Romanos quinto. Nam de plenitudine eius omnes accepimus, gratiam eandem & vitam, quam accepit ipſe à patre ſuo. Atque propterea, ſicut ei noſtra ſcelera à patre ob ſpõtaneam eorum aſſumptionem, & corporis myſtici intimam vnionem imputantur, ita eius iuſtitia quaſi capitis, nobis eius membris ad iuſtitiam & vitam æternam imputatur. Poſuit enim pater ſuper eum volentem & ſpontaneum, omnium noſtrum iniquitates, & oblatus eſt, quia voluit. Et maledictum & peccatum factus eſt pro nobis. Iuſtitia itaque Chriſti nobis à patre imputatur, vt propter eam nos formaliter iuſtos faciat à iuſtitia inhærẽte, ſine qua nemini Chriſti iuſtitia, quaſi meritum imputatur, ſicut ad reconciliationẽ non imputatur,

Iuſtitia iuſti ſumus.

1. Cor. 14.

Exod. 20.

Geneſ. 19.

Thom. 3 par. te quæſt. 2. et q. 46. arti. 3. & 48. art. 1.

Putatur, niſi amicis ei acceptis & reconciliatis. Extendimus autem hic nomen Imputationis, ad ordinationem aut deputationem, ſiue ſecundum gratiam, ſiue ſecundum iuſtitiam fiat. Nam obedientia Chriſti ſecundum debitum & iuſtitiam, noſtram meretur & operatur iuſtificationem, tanquam veram & iuſtam eius mercedem. Secundus ſenſus, vt ſuperius diximus, aduerſatur ſcripturis, maximè ſi intelligatur per excluſionem iuſtitiæ propriæ nobis inhærētis. Fieri enim non poteſt, quòd pater iuſtos nos habeat, reputet, declaret, aut approbet, quando iuſti non ſumus: quum eius iudicium ſit ſecundum veritatē, & nos alios declarare aut reputare nō poteſt, quàm reuera ſumus: quamuis iniuſtos quaſi iuſti eſſent ſecundum bona potiſsimum externa tractare poſsit, iuxta ſententiam Eccleſiaſt. *Cap 9.* Eadem cunctis eueniunt, ſicut bonus, ſic & peccator: vt periurus, ita & ille qui verū deierat: vnde & corda filiorum hominū implentur malitia, vniuerſa æquè eueniunt iuſto & impio. Quomodo Deus pater filium ſuū dereliquit, & quaſi ſceleratum tractauit, quem tamē non reputauit nec declarauit verè ſceleratum: ſed in eo tanquam in filio chariſsimo ſemper ei complacitum fuit, ab patre tamē derelictus fuit, vt inter ſceleratos reputaretur ab hominibus. Quòd autem quidam aduerſariorum non verētur ſcribere, quòd hac iuſtitiæ imputatione, æquè grati ſumus Deō patri, vt ipſe Chriſtus, tanquam nobis propria eſſet, & in nobis eſſet ſicut in Chriſto hæc eius iuſtitia atque obedientia, ipſiq; paſsi eſſemus pro Deo & mortui, vera eſt in Chriſtum & Deum patrem blaſphemia, tum quod nos patri placeamus propter Chriſtum, tum quòd iuſtitia eius nobis nō imputetur, niſi ſecundum mēſuram qua Deus ſpiritum ſuum nobis eſt impartitus, & ſecundum menſuram donationis Chriſti. Propter quod ſcriptura hortatur vt iuſtus iuſtificetur adhuc, & in iuſtitia creſcat, quemadmodum in patientia alijſque virtutibus. Et ſicut multæ ſunt in cælis electorum manſiones, & maior gloria capitis quàm membrorum, ita & gloria maior, quemadmodum ſtella à ſtella differt in claritate, & ſol ſuperat vniuerſas. Nec omnia membra eundem actum nec eandem gratiam habent. Tametſi enim Dei bonitate ſumus boni, non tamen infinitè, nec æquè boni vt ipſe, ſed ſecundum gradum in quo bonitas in nos transfunditur, ita eſſet de iuſtitia Chriſti, ſi ea iuſti dicamur & ſimus. Etſi in reipſa eſſet conſenſio, non eſſet multum de verbis ſermoniſque forma pugnandum, quę ob varios tropos, quibus ſcripturę & etiam nos plerumque vtimur, permitti & diſſimulari poſsit, quòd videlicet Chriſti iuſtitia nobis imputata, iuſti ſumus formaliter: tametſi noſtra iuſtitia nō ſit iuſtitiæ Chriſti participatio, niſi in genere cauſæ efficientis. *1.Cor.5.* Vocat enim Apoſtolus Paulus Chriſtum peccatum, hoc eſt, inſignem peccatorem, vt interpretantur poſt Chryſoſtomum Theophilactus & Oecumenius. Eum peccatum, inquit Oecumenius, fecit, id eſt, tanquam peccatorem aliquem, pœniſque obnoxium crucifigi permiſit vt tanquam peccator condemnaretur, ita factus eſt execratio, ſiue maledictum, quæ tamen ei non tribuuntur, niſi ea ratione, quòd noſtra peccata & execrationē ſpontè aſſumpſit: quo tropo vtēs & Bethſabee, ait ad Dauid, Erit cùm dormierit dominus meus rex cum patribus ſuis, erimus ego & filius meus Salomon peccatores. *1 Reg.1.* Simili itaq; tropo & nos iuſti nominari poſſumus, imputatione iuſtitiæ Chriſti: ſicut figurata eſt locutio, quòd Chriſtus nobis factus eſt ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, & redēptio. Item quòd eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatū fecit, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo. Item apud Hieremiam, *Cap.23.* Hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus iuſtitia noſtra, vt interpretātur Septuaginta. Super hac igitur ſermonis forma & loquēdi modo, non multū eſſet contendendum, ſi nobis concederent aduerſarij, quòd propria iuſtitia nobis inhæreat, ſicut proprium ex Adam contrahimus peccatum nos intrinſecè commaculans. Hic inquiri poſſet, An fieri potuerit noſtra redemptio & recōciliatio, eo modo quem aduerſarij docent, videlicet, vt nobis manentibus in peccato immūdis, & in nobis execrabilibus, Chriſti iuſtitia imputaretur ad iuſtitiam, remiſsionem peccatorum, & vitam æternam, ita vt in nobis impij Deoque diſplicentes, in Chriſto grati ad vitā æternam, in nobis autem iniuſti, in Chriſto verò iuſti eſſe poſſemus: quo modo Deus filium ſuum fecit peccatū & maledictum imputatione peccatorum noſtrorum, in ſe autem innocentem, iuſtum, & ſuper omnia benedictum manentem. Eſt enim veriſimile, quòd Deus pater potuerit talem facere noſtram redemptionem: ſed lōgè copioſiorem factam eſſe, quòd nos in nobiſipſis diuites fecerit in omni gratia ſpirituali, nobiſque abundè ſpiritum ſuū infuderit, ex ſcripturis & patribus in ſuperiorib' docuimus. Tertius ſenſus verus eſt & catholicus, ſed ex hac communicatione vſus & proprietatum ac membrorum vnione ac vnitate, nō ſequitur communicatio ſecūdum denominationē. *Thomas & Ioannes Capreolus, & Greg. de Arimino diſtinct.17.* Quamuis enim oculus videat pro manibus membriſque alijs, & aures pro eis audiant, non tamen oculus audit, nec auris videt, nec vis oculorū viſiua eſt in auribus, nec in oculis auditus, nec capitis virtutes ſecundū prædicationem, vel realem inhærentiam membris alijs tribuuntur: tametſi mutuo ſibi ſeruiant, & operentur ſingula in totius corporis ſalutem. Quamuis igitur Chriſtus capitis gratiam & iuſtitiam pro nobis acceperit, vt vitam & gloriam in nos influeret, & nobis mereretur, non propterea eſt in membris, nec ea denominari poteſt extrinſeca prædicatione, ſicut nec capitis naturales proprietates ſui corporis membris attribuuntur. niſi ſecundum participationem & gradum in quo ſunt transfuſæ: quamuis tamen *Pſal. 18.85. 119. & 128.*

men maxima ſit hęc vnio Chriſti capitis cum fidelibus, & inexplicabilis: propter quam ſecundum ſententias B. Auguſtini, Chriſtus & Eccleſia dicũtur vnus homo, vna perſona, vnus Chriſtus, imò & corp⁹ Chriſti, & quodlibet eius membrum Chriſtus, vt docet dominus Cardinalis de turre Crem. Pro hac vnitate ſupplex patrem rogauit filius. Pater ſerua eos quos dediſti mihi, vt ſint vnum ſicut nos vnum ſumus. De qua vnitate latè agit reuerendus dominus Decanus S. Mariæ Traiectenſ. M. N. Hermannus, de reſtauranda religione. De quarto modo dictum eſt, quòd non propriè iuſti ſumus hoc ſenſu iuſtitia Chriſti, ſicut ſum⁹ iuſtitia Dei, cuius illa eſt etiam participatio, & non iuſtitia per eſſentiam: modo tamen quodam iuſti denominari poſſumus à iuſtitia Chriſti tanquam cauſa effectiua, ratione aſsimilationis per iuſtitiã ab eo acceptam. De hac Chriſti iuſtitia imputatitia prolixè agit reuerendus pater Andreas de Vega.

Lib.1. de eccleſia, cap. 63. cum ſequentibus. Ioann. 7. Lib. 4.

Circa decretum Concilij Tridentini de iuſtificatione.

MAnifeſtum eſt ex ſuperioribus iuſtificationem impij duo tantũ complecti, impietatem ſcilicet ſeu peccatum tanq̃ terminum à quo, qui tollitur. Fit enim in ea peccatorum remiſsio: & iuſtitiam fidei ad quam terminatur. Atq; ita complectitur peccatorum remiſsionem, & infuſionem iuſtitiæ, quæ eſt qualitas immanẽs, vel per modum huiuſmodi qualitatis ſe habens. Nam mãſionem, inquit Saluator, apud eum faciemus, & eſt vita manens. Et hæc duo includit, ſiue fiat per baptiſmum, ſiue per pœnitentiam. Iuſtificatio verò, quæ eſt perfectio iuſtitiæ, nõ includit in ſua ratione peccati ablationem, ſed ex minori iuſtitia ad maiorem acceſſum ſiue alterationem. Simili namque modo hic dicẽdum eſt de partibus & terminis, ex quibus conſtat iuſtificatio, ſicut de partibus & terminis calefactionis. Infuſionem autem iuſtitiæ per ſpiritum inhabitantem comitatur reconciliatio, reſtitutio amicitiæ, & adoptio in filios & hæredes. Ex Deo enim naſcendo primum accipimus eſſe diuinum & Chriſtiforme, ſecũdum quod ſumus filij & hæredes Dei. Quare dici non poſſunt partes iuſtificationis, ſed effectus iuſtitiæ, quæ ſola eſt per ſe terminus iuſtificationis. Et ſicut nouitas mentis eſt iuſtitia, ita eius renouatio eadem eſt cum iuſtitiæ infuſione, & natura prior adoptiõe filiorum, quam ius ad hæreditatem cæleſtem ſequitur. Iſta ſequuntur ex ijs quæ ſupra citata ſunt ex libro de peccatorum meritis: &, de natura & gratia. Eadem docet Synodus Tridentina. Nam poſt modum præparationis impij. Hanc, inquit, diſpoſitionẽ ſiue præparationem, quæ ſcilicet fit per fidem & pœnitentiam, iuſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſsio, ſed & ſanctificatio & renouatio interioris hominis, per ſuſceptionem gratiæ & donorum. Vnde homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus, vt ſit ſecundum ſpem hæres vitæ æternæ. Item in Canone 11. dicit Anathema ei, qui dixerit homines iuſtificari, vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſsione, excluſa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per ſpiritum ſanctũ diffunditur, eiſque inhæret: de quo etiam eſt dogma Eccleſiaſticum. Declarat pręterea eadem ſacroſancta Synodus cauſas iuſtificationis, quæ etiam ex dictis ſunt manifeſtæ. Huius, inquit, iuſtificationis cauſæ ſunt, finalis quidẽ gloria Dei & Chriſti, ac vita æterna: efficiens verò miſericors Deus, qui gratuitò abluit & ſanctificat, ſignãs & vnguens ſpiritu vnctionis ſancto, qui eſt pignus promiſsionis noſtræ: Loquitur enim de iuſtificatione, quæ fit per baptiſmum. De incremento verò iuſtificationis cap. 9. de lapſi reparatione, cap. 14. Meritoria autem Dominus Ieſus Chriſtus, qui cùm eſſemus inimici propter nimiã charitatem qua dilexit nos, ſanctiſsima paſsione in ligno crucis nobis iuſtificationem meruit, & Deo patri pro nobis ſatisfecit. Inſtrumentalis item ſacramentũ baptiſmi: & quoad relapſos, ſacramentum pœnitentiæ. Demum vnica formalis cauſa eſt, iuſtitia Dei, non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit, qua videlicet ab eo donati, renouamur ſpiritu mentis noſtræ, nõ modo reputamur, ſed verè iuſti nominamur & ſumus, iuſtitiã in nobis recipientes, vnuſquiſque ſuam, ſecundum menſuram quam ſpiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundũ propriam vniuſcuiuſque diſpoſitionem & cooperationem. Quanquam enim nemo poſsit eſſe iuſtus, niſi cui merita paſsionis Domini noſtri Ieſu Chriſti communicãtur, id tamen in hac impij iuſtificatione fit, dum eiuſdem ſanctiſsimæ paſsionis merito per ſpiritum ſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iuſtificantur, quæ & ipſis inhæret. Vnde in ipſa iuſtificatione cum remiſsione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa, accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſerit, fidem, ſpem, & charitatem.

Iuſtificatio vt eſt perfectio, habet alios terminos, quàm iuſtificatio impij.

Cap. 10. Cap. 7. ſeſſion. 9.

De Eccleſ. dogmat. capit. 86.

Ephes. 1. & 1. Petr. 1. & 3.

Vnuſquiſque ſuam et propriam accipit iuſtitiam

EXplicato Articulo, tractandæ veniunt obiectiones aduerſariorum, qui ſingulas eius partes fortiter impugnant, inter ſe tamen non minus, quàm à nobis diſſentientes: quo nobis certum ſit argumẽtum fundamentum eſſe infirmum quo nituntur. Sed tamen quantum habeant momenti ipſorum ratiocinationes conſideremus. Ioannes Caluinus in illo ſuo peſtilenti Antidoto aduerſus 8. cap. 6. ſeſs. Concilij Tridentini, vbi totus hic noſter articulus probatur, primùm conatur confirmare, quòd iuſtificatio impij ſit in ſola peccatorum remiſsione, quodque natura præcedat regenerationẽ ſpiritus ſancti, mentis nouitatem, cordiſque rectitudinem, quam tamen ex nomine, iuſtificatio ſignificat. Ait autem.

Ioannes Caluinus contra Concilium Tridentinũ.

Iuſtificatio impij incipit à remiſsione peccatorum, non autem conſiſtit in ea ſola.

Quæſtio eſt verbi, quid ſit iuſtificatio. Negant ſolam eſſe remiſsionem peccatorũ, ſed renouationem & ſanctificationem ſimul contineri volunt.

Caluinus.

Num-

Nunquid hoc verũ ſit videamus. Verba Pauli ſunt cap. ad Rom. 4. Dauid beatitudinem hominis dicit, cui Deus imputat iuſtitiam ſine operibus: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Si ex hac Dauidis ſententia, Paulus gratuitæ iuſtitiæ definitionem rectè elicit, ſequitur in remiſſione peccatorũ eſſe poſitã. Sic enim interpretatur Paulus iuſtum à Dauide nuncupari, cui Deus iuſtitiam imputat, non imputando peccata.

Reſponſio. Non colligit Apoſt. Paulus ex hac Dauidis ſentẽtia definitionem iuſtitiæ gratuitæ, ſed oſtendit, quòd ſine operibus credenti, iuſtitiam Deus imputat, hoc eſt, accepto fert, & gratioſè largitur iuſtitiam, vt iuſtus fiat qui credit in Chriſtum. Hoc enim eſt Pauli inſtitutum. Sicut enim merces ſecundum debitum imputatur & confertur operanti vt fiat eius, ipſamque accipiat: ita credenti imputatur, & ſecundum gratiam tribuitur quòd fiat iuſtus. Nemini enim ad iuſtitiam quicquam imputat Deus, quem iuſtum nõ faciat, cum ſecundum veritatem ſit eius imputatio & iudiciũ efficax, & non vanum. Et B. Chryſoſt. & poſt eum Theophil. & Oecumen. cauſam reddentes, cur Paulus agens de iuſtitia fidei illud pſal. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, adduxerit, cum nihil ſit eo loco de iuſtitia fidei, dicunt hoc illũ de induſtria feciſſe, vt iuſtitiam fidei magis extolleret. Nam ſi ſcriptura eum pronunciat beatum, cui ex gratia remiſſa ſunt peccata, multò beatior ille qui ex gratia iuſtificatus ſit, & filius Dei factus remiſsis peccatis. Ex qua eorum ſententia manifeſtè patet, quòd nomine iuſtificationis plus intelligunt, quàm peccatorum remiſsionem. Id quod ex nomine ipſo etiam facilè conuincitur. Non igitur iuxta eorum interpretationem deſcribit iuſtitiam, ſed magis oſtendit, in quo ſita ſit hominis iuſtitia apud Deũ. nec ſunt plenè remiſſę iniquitates, niſi impio iterum in priorem gratiam recepto, vt Abſoloni non eſt remiſſum peccatum, niſi quãdo licebat videre faciem Dauid. Præterea ſi remiſsio peccatorũ eſt gratuita ex ſententia Dauidis, multò magis iuſtificatio, quæ ſine ea fieri non poteſt. Nec interpretatur Paulus iuſtum à Dauide nuncupari, cui Deus iuſtitiam quaſi alienam imputat, quia reuera iuſtum facit, cui ob fidem imputat iuſtitiam. Eſt enim hæc imputatio cum acceſſu & largitione iuſtitiæ. Sic enim ait B. Aug. Spiritus ſanctus illuminationem iuſtificationemq́; noſtram etiam intrinſecus operatur illo opere, de quo Paul. Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Sicut ergo ille in quo omnes viuificabuntur, præter hoc quòd ſe ad iuſtitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam ſui ſpiritus occultiſsimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & paruulis. Et capite ſequẽti legimus iuſtificari in Chriſto, qui credunt in eo, propter occultam communicationem & inſpirationem gratiæ ſpiritalis. de quo ſatis in ſuperioribus. Teſtimonium igitur Dauidis adducit Paulus, vt oſtendat beatitudinẽ hominis in eo ſitã eſſe, quòd Deus accepto fert iuſtitiam credenti (quicquid tandem ſit iuſtitia) ſine operibus, hoc eſt, gratis, ſine vllo operum præcedenti merito. Pronũciant igitur propheta & Apoſtolus, beatitudinẽ hominis conſiſtere in eo quòd credenti gratis, hoc eſt, ſine operum meritis, remiſsis, & non imputatis peccatis, fides eius imputatur ad iuſtitiam, hoc eſt, gratuitò acceptatur, vt per eam conſequatur, & apprehendat iuſtitiam.

Pſal. 31. — *Lib. 1. de peccatorũ meritis. cap. 9.* — *1. Cor. 3.*

Caluinus. 2. Cor. 5. *Sic & idem Apoſt. non adducto alterius teſtimonio, alibi loquitur, Erat Deus in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non imputando hominibus peccata, Deinde continuò poſt adÿcit, Eum q. peccatum non nouerat, pro nobis peccatũ fecit, vt eſſemus iuſtitia Dei in illo. Quid apertius requiras, quàm nos coram Deo iuſtos cenſeri, quia Chriſti ſacrificio expiata ſunt peccata noſtra, ne amplius ſub reatu nos teneant. Nec locus vulgari cauillo, de iuſtificationis initio ipſum agere. Nam vtroque loco tractat, non qualiter incipiant iuſti eſſe, qui fuerant hactenus infideles, ſed quomodo iuſtitiam quã ſemel conſecuti ſunt, contineãt toto vitæ curſu. Dauid enim de ſe loquitur, poſteaquam inter filios Dei fuerat cooptatus, & Paulus aſſerit hanc eſſe perpetuã legationem, quæ in Eccleſia quotidiè auditur.*

Reſponſio. 1. Cor. 5. Hæc Apoſto. ſententia requirit præter remiſsionem, ſiue nõ imputationem peccatorum impij reconciliationem. Erat, inquit, Deus in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non imputando hominibus peccata: quod explicans B. Chryſoſtomus: Reconciliauit, inquit, hoc eſt, amicos ſibi fecit per Chriſtũ. Hoc eſt enim admirabile, non quòd amicus factus eſt ſolum Deus, ſed quòd ſic amicus factus. Quomodo, inquit, ſic? Quia dimiſit illis peccata? aliter enim non fuiſſet factus amicus, Vnde & ſubdit, non imputans illis peccata eorum. Vbi docet reconciliatum eſſe mundum Deo, maius eſſe, quàm nõ imputare peccata. Qui enim reconciliatur, iuſtificatur, & in priſtinam redit gratiam & amicitiam. Non reconciliamur Deo, inquit B. Aug. niſi per dilectionem, qua etiam filij Dei appellamur. Nec dicit Apoſt. quòd Deus filium ſuum peccatum fecit, vt coram eo iuſti cenſeamur aut reputemur (quamuis neminem ipſe iuſtũ reputat, qui reuera iuſtus non eſt) ſed vt eſſemus iuſtitia Dei in illo, Quod explicans Oecumenius ait, non dixit, Iuſti efficeremur, ſed ipſa iuſtitia: quod maius erat, Deiq́; ipſius iuſtitia, Dei autẽ iuſtitia, non quæ eſſet ex operibus, ſed vt eo remittẽte, ac veniam dante, iuſtificaremur per ipſum. Et Theophil. Propterea, inquit, neq; dixit: vt efficiamur iuſti, ſed iuſtitia Dei, excellentiam gratiæ oſtendens. Similiter beatus Chryſoſt. rurſus Ocumen. exponens locum Apoſt. Paul. Qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, iuſtitiaque & ſanctificatio, ac redemptio. Qui fecit, inquit, nos, & iuſtos, & ſanctos, cũ nos redemiſſet ab illis, quæ ſunt

Lib. de fide & ſymbolo cap. 9. — *1. Cor. 1.*

iſtis contraria. Primū quidem ſapientes efficiens ab errore liberauit, & tūc iuſtos & ſanctos ſuperuentione ſpiritus ſancti reddidit: & ita à cunctis malis liberauit: nam hoc eſt redemptio. Hi apertè ex Apoſtolo docent ex his ipſis locis quæ citant aduerſarij, nos verè iuſtos eſſe, participatione iuſtitię Chriſti, & non ab hac formaliter. Neque ſolùm quod Chriſti ſacrificio expiata ſunt noſtra peccata, ſed quòd & facti cōſortes diuinæ naturæ, filij Dei, amici & hæredes. Nec dicim⁹ Apoſtolū in his locis iam citatis de iuſtificationis initio agere, nec tamen etiam de eius cōſummatione, ſed de iuſtificatione impij, quę fit cum peccatorū remiſsione. In loco namque priore apertè dicit, ei qui non operatur, credēti autem in eum qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam. Et in poſteriori agit de reconciliatione: nemo autē recōciliatur, niſi qui inimicus eſt. Vtroq; enim loco docet, quomodo impij Deo patri recōciliātur per victimam filij eius, hoc eſt, quomodo incipiunt eſſe iuſti. Sed quomodo iuſtitiam, quā ſemel conſecuti ſunt, retineāt toto vitæ curſu, ne attingit quidē. Nec de ſe ſolo loquitur Paulus, ſed in genere de peccatore, & docet beatum eſſe, cui à Deo peccata non imputantur. Deflebat tamen propheta Dauid perpetuò quæ admiſerat peccata. Ait enim B. Chryſoſt. Olim patratum peccatum poſt tot tempora quaſi nuper accidiſſet, lugebat: Lauabo, inquit, per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis ſtratum meum rigabo. Atque ita ad tempus illud quo peccatum commiſerat, ſpectabat. Et perpetua eſt hæc legatio Apoſtolorum & ſucceſſorum ad pœnitentiam inuitantium peccatores, qui perpetuò inculcant, pro Chriſto legatione fungimur, tanquā Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto reconciliamini Deo. Sed alia ſunt verba legationis, quibus exhortantur ad iuſtitiam retinēdam, quam ſemel ſunt conſecuti quæ paſsim in ſcripturis ſunt obuia.

Rom 4. 2.Cor 5. — *Homil.4. de pœnit. Pſalm.6.* — *2.Cor 5. Rom 11. 1.Cor.9. Heb.12.*

Caluinus. Actor.13. *In eundem quoq; ſenſum ad Rom.10. Moyſes iuſtitiam legis deſcribit, quòd qui fecerit ea, viuet in ipſis. Fidei autem iuſtitia ſic dicit. Qui crediderit, &c. Videmus ideò legis iuſtitia opponi fidei iuſtitiam quòd operibus minimè conſtet, ſicut illa. Idem ſibi volūt verba quibus Lucas apud Antiochenos ipſū eſſe vſum refert. Per hunc vobis annūciatur remiſsio peccatorum, & ab omnibus à quibus nō potuiſtis iuſtificari in lege Moyſi, in hoc omnis qui credit iuſtificatur: Nam & remiſsioni peccatorū iuſtificatio velut interpretationis loco ſubijcitur, & abſolutionem proculdubio ſignificat, & legis operibus detrahitur, vt ſit gratuita, & fide percipi dicitur.*

Reſponſio. Moyſes deſcribens diſcrimen iuſtitiæ legis, magis oſtendit legis iuſtitiam à iuſtitia fidei deficere, quàm eam illi opponat. Nam eadē opera ſunt iuſtitiæ fidei, & iuſtitiæ legis ſiue operum. Lex Dei, inquit Aug. eſt charitas: opera autem charitatis ſcripta in tabulis, lex eſt & iuſtitia operū, & ſcripta in corde, lex fidei eſt & Dei. Plenitudo, inquit, legis eſt charitas, ſed hęc non ſcripta in tabulis lapideis, ſed deſcripta in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui habitat in nobis, cui prudentia carnis non eſt ſubiecta, neque enim poteſt. Sed ad hanc prudentiam carnis terendam, cùm in tabulis ſcribuntur, lex eſt operum, & litera occidens præuaricatorem. Cùm autem ipſa charitas diffunditur in corde credentium, lex eſt fidei, & ſpiritus viuificans dilectorem. Nam iuſtitia legis ea eſt, quæ ex legis eſt cognitione & viribus liberi arbitrij. Theophylactus enim exponens id quod dicit Apoſtolus, Si ex operibus iuſtificatus eſt, habet quidem quod glorietur, ſed nō apud Deum, hoc eſt, gloriari poteſt quòd ſuis ex viribus, atq; adeò proprijs operibus rectè egerit. Fidei autem iuſtitia eſt, quæ per fidē diuinitus cordibus noſtris infunditur. Iuſtitia itaque legis ſiue operum eſt iuſtitia moralis, de qua gloriabantur Romani: iuſtitia verò fidei eſt, quam morte ſua nobis impetrauit Chriſtus Dominus. Et hæc iuſtitia fidei conſtat ex fidei & gratiæ operibus, cùm ocioſus eſſe non poſsit ſpiritus Chriſti, ſicut legis iuſtitia ex operib⁹ arbitrij & cognitionis quam ex lege habemus. Per legem enim cognitio peccati. Opera autem ſua legem fidei habere eodem hoc loco docet Apoſtolus Paulus. Sed quid dicit ſcriptura de iuſtitia quæ ex fide eſt? Propè eſt verbum in ore tuo & in corde tuo, hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus, quia ſi cōfitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quod Deus ſuſcitauit illū à mortuis, ſaluus eris. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem. Vbi audimus opera iuſtitiæ fidei, credere & confiteri, & quòd creditur ad iuſtitiam, & non ſolùm ad remiſsionem peccatorum. Et verbum hoc fidei, de quo Moyſes, & quod citat Apoſt. Paulus eſt, vt diligamus Dominum Deum noſtrum ex toto corde, & ad ipſū ex toto corde noſtro, & tota anima reuertamur, quæ ſunt opera iuſtitiæ fidei, vt hic docet Apoſtolus. Acquiritur autē hæc fidei iuſtitia gratuito patris dono in filij ſui gratiam, ſed ſolum à præparatis per veram pœnitētiam, ad quam ex fide ſuorum corda excitabit. Augetur tamen ex operibus iuſtitię, qua ſumus ab eo donati. Conſtat itaq; falſa eſſe, quæ Caluinus aſſumit, & ſi vera eſſent non probant iuſtificationem cōſiſtere in ſola peccatorum remiſsione. Et ſententia Apoſtoli Pauli, quā deſcribit Lucas manifeſtè diſtinguit iuſtificationem à remiſsione peccatorum. Dicit enim, Notum ſit vobis quòd per hunc vobis remiſsio peccatorum annunciatur, ab omnibus quibus non potuiſtis in lege Moyſi iuſtificari, in hoc omnis qui credit, iuſtificatur. Magnificat enim & extollit B. Paulus hanc in Chriſto iuſtificationem, quòd fiat cum remiſsione peccatorum, vt diximus ex Theophilacto & Chryſoſtomo. Deſcribit itaque eam à termino iniquitatis, vt doceat multò maius

Rom.4. — *Iuſtitia fidei ex operibus fidei conſtat ſicut iuſtitia legis ex eius operibus.* — *Lex fidei eſt charitas quæ ocioſa eſſe non poteſt.* — *Rom. 10.* — *Deut.40.* — *Actuum 13.*

maius eſſe beneficium, quo ex hoſtibus amici & filij facti ſumus, quàm fuit primi hominis vel angelorum iuſtificatio, imò quàm Chriſti domini? quamuis ſine menſura hic gratiam acceperit: noſtra tamen iuſtificatio propter cōtrariam diſpoſitionem maius eſt beneficium, & maior gratia. Quod explicat Apoſt. Pau. cum ait, Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Item alio loco, Deus qui diues eſt in miſericordia propter nimiam charitatem ſuam qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccato, conuiuificauit nos Chriſto.

Rom 5. Cor. 2.

Caluinus. *Quid? Iuſtificatio publicani Lucæ 17. quid aliud ſonat, quàm iuſtitiæ imputationem, dum gratis acceptus eſt Deo? Et quoniam de verbi proprietate lis eſt, cum Chriſtus à Paulo iuſtitia & ſanctificatio noſtra prædicatur, certè inter hæc duo ſtatuitur diſcrimen, quod Tridentini patres confundunt. Nam ſi duplex eſt gratia, quod nos Chriſtus iuſtificat & ſanctificat iuſtitia vitæ innouationem ſub ſe non complectitur. Nec aliter poteſt exponi illud ad Romanos octauo, Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus eſt qui iuſtificat, quã de gratuita acceptatione.*

Reſponſio. Confundit hic Caluinus imputationem iuſtitiæ, & Deo eſſe acceptum, cum remiſſione peccatorum, vel potius ei addit, quaſi non in ſola peccatorum remiſſione conſiſteret iuſtificatio, niſi hæc duo ſimul accedant. Hæc enim diuerſa eſſe, vt reuera ſunt, intellexit etiam Martinus Bucerus, qui in Didagmate ſuo docet iuſtificationem ex duobus conſtare, nempe, remiſſione peccatorum, & donatione ſiue imputatione iuſtitiæ Chriſti. Qui enim acceptus eſt Deo, eius amicus eſt & iuſtus, eiq; placet, quaſi ſimilis & conformis filio eius. Et in publicani iuſtificatione, ne verbum quidem de iuſtitiæ imputatione habetur. Ait enim B. Lucas, Publicanus à longè ſtans nolebat nec oculum ad cælum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori: Dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuã ab illo. Quia omnis qui ſe humiliat, exaltabitur: & omnis qui ſe exaltat, humiliabitur. Quid precor hic ſonat peccati imputationem? Nam manifeſtè ex his verbis ſequitur, quòd Deus requirit præparationem per humilitatem & orationem in eo quem iuſtificat, hoc eſt, iuſtum facit. Sic enim vbique (vt & nomen ipſum ſonat) interpretatur beat' Aug. Et diſcrimen eſt inter iuſtitiam, & ſanctificationē, ſed rationis tantum, non quaſi rerum diuerſarum. Eadem namq; res à peccatis abluit, iuſtos facit & ſanctos iuſtitia ſcilicet fidei, quæ per ſpiritum ſanctum in gratiã Chriſti nobis donatur. Hæc enim tenebras pellit peccatorum, & maculas, ac ſordes ex eis ſecutas abluit, ſicut lumen ſolis pellit tenebras, & aerem illuminat. Et eadem iuſtitia animam quaſi templum Deo conſecrat. Sicut igitur illuminatio aeris eſt expulſio tenebrarum, & purgatio rei contaminatæ, ſordium eſt ablutio: ita iuſtificatio complectitur remiſſionem peccatorum & ſanctificationem. Nã Theophilactus locum Apoſtoli: Sed abluti eſtis: ſed ſanctificati eſtis: ſed iuſtificati eſtis, interpretatur quaſi ſanctificatio in iuſtificatione includeretur, Intelligite, inquit, à qualibus malis nos liberauerit, quantaq; nobis bona largit' ſit. Habebatis enĩ vos hæc omnia commemorata, verùm ab his vos mundauit Deus, imo & ſanctificauit. Quomodo? iuſtificans, inquit, vos. Abluit enim vos, deinde iuſtificans ſanctificauit. Et OEcumenius explicans quod dicit Apoſt. quod Chriſtus factus eſt nobis ſapientia, & iuſtitia, & ſãctificatio. Hoc eſt, inquit, iuſtos nos & ſanctos ſuperuentione ſpiritus ſancti reddidit. Item Theodoretus. Ipſe vobis dedit ſapientiam, ipſe dedit remiſſionem peccatorũ, et iuſtitia dignatus eſt, & ſanctos effecit à diaboli tyrannide liberatos. Et iterum Rupertus in Euan. ſecundum Ioannem, circa locum, pater ſanctifica eos in veritate. Quid eſt, ait, Sanctificari in veritate, niſi iuſtificari per fidem? Hæc omnia manifeſtiora fient, ſi conſideremus quid ſit ſanctum eſſe, & quid ſanctificari. Sanctus eſt, inquit Origenes, qui ſegregat ſe è malis actibus & mancipatus eſt atq; dedicatus Deo, eiuſque ſeruitio. Et B. Dionyſius: Sanctitas eſt omni ſcelere libera, perfectaq; mundicitia. Hęc autem tribuit charitas Dei, ſiue iuſtitia fidei per ſpiritũ ſanctum in cordibus noſtris diffuſa. Et Caluinus ipſe in commen. 1. epiſt. ad Corint. nõ diuerſas, ſed eandem rem eſſe dicit ablutionem, ſanctificationē, & iuſtificationem. Exponens enim verba Apoſt. prædicta, Sed abluti eſtis, &c. Trib', inquit, vocabulis vtitur ad rem vnam exprimendam, quo magis eos deterreat, ne rurſum eodem reuoluãtur vnde exierant. Deinde docet eſſe rationis tantũ diſcrimen, non rei. Quod, inquit, dixi tribus nominibus exprimi rem vnam, non ſic accipio quaſi nihil ſignificatione differant. Nam proprie loquendo, iuſtificat nos Deus, dum peccata nobis non imputando, nos à peccato liberat, purgat, dum peccatorũ memoriam abolet. Ita hæc duo nihil differunt, niſi quòd alterum ſimplex, alterum trãſlatitium eſt. Siquidem in verbo abluendi eſt metaphora. Vbi tamē in explicatione diſcriminis rationum horum nominum fallitur Caluinus, eò quòd Deus nos iuſtificãdo verè iuſtos faciat, & in veritate ſanctificet ac filios faciat: quod longè amplius eſt, quàm peccata non imputare, & liberare à reatu. Et verè purgat non ſolum peccatorum memoriam abolendo, ſed mundos faciendo à peccatorum ſordibus. Iam vos, inquit Dominus ſaluator, mũdi eſtis, propter ſermonem quem dixi vobis. Item alibi: Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Et vos mundi eſtis, ſed non omnes. Porrò Henricus Bullingerus circa eundem locũ Diuerſis, inquit, verbis eandem rem ſignificat, cum ait, Abluti, ſanctificati, iuſtificati

1. Cor. 6. 1. Cor. 1. Cap. 17. Homil. 11. Leuit. Ca. 12. de diuinis nomin. Cap. 2.

Ioan.13. eſtis: abluti propter ſacrum baptiſma: ſanctificati propter ſpiritum ſanctum: iuſtificati autem propter fidem. Iuſtitia enim ſicut Deo mentem ſubijcit, ita & ipſi eam conſecrat, mundat, & à prophanis ſegregat. *1.Cor.3.* Templum, inquit, Dei ſanctũ eſt, quod eſtis vos. Non igitur patres Concilij hæc duo confundunt, ſed iuxta morem ſcripturæ iuſtificationem diuerſa ratione commendant & prædicant. Et duplex quidem eſt gratia, quæ his duobus nominibus ſignificatur, ſed eiuſdẽ rei effectus. Fallitur autem Ioannes Caluinus, dum ſcribit quòd iuſtitia vitæ innouationem ſub ſe non complectitur. Eſt enim vitæ Chriſtianæ nouitas, ſicut eius vetuſtas eſt peccatum.

Caluinus. *Nollem de verbo litigare, niſi inde totus cauſæ ſtatus penderet. Verum cum tunc iuſtificari hominem tradunt, cùm in obediẽtiam Dei reformatur, totum illud Pauli argumentum euertunt. Si ex lege eſt iuſtitia, exinanita eſt fides, & abolita promiſſio. Intelligit enim neminem inuentum iri inter homines, in quo ſalutis promiſſio compleatur,* *Rom.4.* *ſi innocentiæ conditione ſit implicita, & ruiturã mox eſſe fidem, ſi operibus fulciatur. Quod ideo verum eſt: quia quãdiu reſpicimus quales ſumus, neceſſe eſt nos coram Deo trepidare: tãtum abeſt, vt certa & inconcuſſa vitæ æternæ fiducia nobis conſtet. De regeneratis loquor. Quantum enim abeſt à iuſtitia, quæ in hac vita inchoatur, vitæ nouitas?*

Reſponſio. Verè ex eo quòd iuſtificatio in ſola peccatorum remiſſione, vel in hac & iuſtitiæ infuſione cõſiſtere dicitur, magna ex parte totus cauſæ huius, imò & multorum dogmatum ſtatus pendet. Illud enim docentes, neminem agnoſcunt gratia Chriſti reuera iuſtum eſſe, & filios Dei docent æquè vt prius iniuſtos, imm[u]ndos, & ſceleratos, & Deo in ſe odibiles manere: peccata verò, quibus cõtaminati manent propter Chriſtum eis non imputari: cui dogmati ſcripturas atque vniuerſos doctores Eccleſiaſticos aduerſari oſtendimus, & hominem verè iuſtificari in cõſpectu & iudicio Dei, & per ſpiritum ſanctum inhabitantem iuſtitia Dei donari, per quam verè in ſe iuſtus fit à Chriſto & ſpiritu eius, ſicut per eius illuminationẽ verè fidelis eſt, & ſapiens ſapientia & fide immanẽtibus. Legimus, inquit B. Auguſt. in Chriſto *Li.1. de pec. meritis c.10.* iuſtificari, qui credunt in eum propter occultam communicationem & inſpirationẽ gratiæ ſpiritualis, ſicut Adam occulta tabe carnalis concupiſcentiæ ſuæ tabificauit in ſe omnes de ſua ſtirpe venientes. Hoc enim docet Apoſ. Paulus. Hinc etiam pendet aliud *Rom.5.* aduerſariorum dogma, quòd omnia opera iuſtorũ ſunt peccata, eò quòd coinquinatis, quorũ inquinatæ ſunt mens & conſcientia, nihil eſt mundum. Item & aliud, quòd om- *Titum.1.* nes iuſti æqualiter ſunt iuſti, quia non diuerſa participatione iuſtitiæ à Chriſto transfuſæ, ſunt iuſti, ſed ab vna & eadem Chriſti iuſtitia, qua ipſe formaliter eſt iuſtus. Hinc Mart. Luth. in ſerm. de natiuitate B. Mariæ hanc tradit blaſphemiam, *Blaſphemia Lutheri.* Omnes, inquit, Chriſtiani æquè magni ſumus, ſicut mater Dei, & æquè ſãcti ſicut ipſa: & tua oratio mihi tam chara, quàm illius, ſi credis Chriſtum habitare in te æquè ſicut in illa, quia per ſanguinem Chriſti pariter mundati omnes ſumus à peccatis. Huiuſmodi impia dogmata ex hoc peſtilenti fonte Lutheri ſcatere latè deducit R. Pater Dominicus à Soto. Multarum enim abſurditatum hoc dogma de iu- *Li.2 de nat. et gra. c.20.* ſtificatione imputatitia origo eſt. Per hanc autem iuſtitiam per ſpiritum Chriſti in cordibus noſtris diffuſam docemus hominem in obedientiã Dei reformari. Nolite, inquit Apoſtolus Paulus, conformari huic ſeculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri, *Rom.12.* vt probetis quæ ſit voluntas Dei, &c. nouitas enim hominis Chriſtiani eſt iuſtitia, vt diximus. Et probat, quæ ſit voluntas Dei bona, benè placens & perfecta. Omnium enim rectiſsima ipſa eſt æſtimatrix: vt de charitate docet B. Aug. quę eſt ipſa iuſtitia, vel ab ea inſeparabilis, id quod idem Apoſt. docet, *Li.1. de doc. Chriſt. c.27. Epheſ.4.* quando ait, Deponite vos ſecundum priſtinam conuerſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris: renouamini autem ſpiritu mẽtis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis. Nec propterea B. Pauli argumentum euertitur, ſed ſtabilitur magis. Nec ſequitur ex eo quòd hominem iuſtificari, eſt ipſum in Dei obedientiam reformari, ex lege aut eius operibus eſſe iuſtitiam, imò nullam habet apparentiam illatio quam Caluin. hic facit, adeo vt dormitaſſe videatur, quum iſtud ſcriberet. Quæ enim eſt hæc conſequentia? Tunc homo iuſtificatur, cùm in obediẽtiam Dei reformatur, ergo ex lege eſt iuſtitia. Nã antecedens quidem apertè docet ſcriptura, hominem in Dei obedientiam reformari, imò & hoc ipſum docet Caluinus: conſequẽs autem ſcripturis & noſtræ fidei principijs *Rom.6.* omnino eſt contrarium. Si enim per legem iuſtitia, ergo gratis Chriſtus mortu' eſt. Nec tamen dicimus hominem iuſtificari ex obe- *Galat.2.* dientia Dei, vel ex eo quòd in eam reformatur, quomodo Caluin' intelligere videtur, ſed iuſtificari, & per ipſam iuſtitiam reformari, vt Deo obediat. Factores enim legis, ait B. Auguſtinus, iuſtificabuntur, vt ſint & fiant legis factores. Per iuſtitiam enim vires perditas recuperamus, hoc eſt per ſpiritum charitatis, per quem Deo obedimus. Si quis, ait Saluator, diligit me, mandata mea ſeruabit. *Ioan.14.* Item charitas patiens eſt, benigna eſt, omnia ſuffert, omnia ſuſtinet, omnia credit. Frequens namque eſt ſermo B. Auguſtini, Fides impetrat, quod lex imperat. Nec tamẽ docemus, *De ſpi. et li. c.29. & 30.* quòd innocentiæ conditione implicita eſt ſalutis promiſſio. Mundat enim hic propetuò Chriſtus ſuam Eccleſiam, & pater agricola palmitem ferentem fructum conti nuò purgat vt fruct' plus adferat: filij quoq; quibus facta eſt hæreditatis promiſſio, quotidie

Matth.6. tidie orant, Dimitte nobis debita noſtra.
Iacob.3. Nam in multis offendimus omnes. Nihil tamen coinquinatum intrabit in ſanctam ciuitatem Hieruſalem, ſed pater electos ſuos prius purgabit,& ipſi per ſpiritum inhabitantem ſe emundaut & purgant. Si quis emun-
Titum.2. dauerit ſe ab iſtis,erit vas in honorem ſanctificatum,& vtile Domino,ad omne opus bonum paratum. Vbi aduertere conuenit hominem ſanctificatũ, eſſe paratum ad omne opus bonum & Dei obedientiam.Implicitã tamen eſſe ſalutis promiſsionem conditione non innocentiæ,ſed operum,clarè docet
Rom.8. Apoſt.Paulus,dum ait:Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro,quòd ſumus fi-
1.Theſſ.1. lij Dei:Si autem filij,& hęredes,hęredes quidem Dei,cohæredes autem Chriſti,ſi tamen compatimur, vt & glorificemur. Item alio loco:Tribulationem ſuſtinetis, vt digni habeamini in regno Dei,pro quo & patimini, ſi tamen iuſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem hijs qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini requiem nobiſcum,&c. Sicut enim comminatio damnationis implicitam habet conditionem, ita & promiſſio ſalutis.Nec propterea ruit fides promiſſionis, ſi operibus fulciatur, in quibus ex electione Deus eos ambulare fecit. Ait enim vnus electorum: Ipſius ſumus factura creati in Chriſto Ieſu, in operibus bonis
Ephesſ.2. quæ pręparauit Deus,vt in illis ambulemus. Quos enim prædeſtinauit,hos & vocat,iuſtificat, & conformes facit imagini filij ſui. Sunt enim hæc opera non legis, de quibus loquitur ſententia Pauli à Caluino ſuprà citata, ſed fidei & gratiæ, quæ vt bonam voluntatem,ita & hæc opera Deus in nobis operatur: & fulciuntur promiſsiones Dei, & iuſtitia augetur, atq; ad iuſtitiam huiuſ-
1.Ioan.4. modi operibus præparamur. In hoc,ait beatus Ioannes,perfecta eſt charitas nobiſcum, vt fiduciam habeamus in die iudicij, quia ſicut ille eſt & nos ſumus in hoc mundo.
2.Pet.1. Rurſus, Magis ſatagite, vt per bona opera certam vocationem veſtram faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum. Et quæ in eadem epiſtola præcedunt. Et nos verè agnoſcimus quod neceſſe eſt nos coram Deo trepidare, quamdiu reſpicimus quales ſumus ex nobis: docemus tamen certam & inconcuſſam vitæ æternæ fiduciam nobis conſtare,ſi reſpiciamus quales ſumus ex patris gratia & merito Chriſti, ei videlicet cõformes, naturæ diuinæ conſortes, filij & hæredes Dei, quales ſumus etiam in nobis. Egenus enim factus eſt propter nos, vt illius inopia
2.Cor.8. nos diuites eſſemus.Et alio loco, Nunc iuſtificati in ſanguine ipſius, multo magis ſalui erimus ab ira per ipſum.Si enim cùm inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius,multò magis reconciliati ſalui erimus in vita ipſius: non ſolum autem, ſed & gloriamur in Deo per Dominum noſtrũ
Rom.5. Ieſum Chriſtum,per quem nunc reconciliationem accepimus. Porro dici ſolet, quòd bene ſecurus eſt,qui pignori incumbit. Nos Ephe.1. autem ſignati ſumus ſpiritu promiſsionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ. Horum igitur conſideratione quæ à patre propter Chriſtum accepimus, & ſpectato theſauro quem habemus in vaſis fictilibus in nobis manentem, certa & inconcuſſa vitæ æternæ fiducia nobis conſtat,quam etiam à nobis requirit & mãdat Deus: quamuis in multis offendamus,attamen non quodlibet peccatum ab hæreditate excludit,& miſericors Deus ad multos filiorum defectus con- 2.Cor.4. niuet, & ſupplicantibus veniam indulget. Et ſicut vitæ nouitas in hac vita augetur, & progreſſum habet:Is enim qui intus eſt homo noſter, renouatur de die in diem, ita & iuſtitia.Nã iuſtorum ſemitæ,quaſi lux ſplen 1.Cor.13. dens procedit & creſcit vſque ad perfectum diem.Nec perfecta eſt in hac vita iuſtitia, ſicut nec etiam vitæ nouitas. Ex parte enim hic cognoſcimus,ex parte diligimus,omnia hic ex parte & imperfecta ſunt. Nihil igitur abeſt à iuſtitia, quę in hac vita inchoatur,vitæ nouitas,ſed eadem eſt, & quantum creſcit,vel deficit vna,tantum & altera. Apoſtolus Paulus vult nos renouari de die in diem. Et ſi in Chriſto, inquit, noua creatura, vetera tranſierunt. Ecce noua facio omnia. Item alijs in locis frequenter meminit Apoſtolus nouæ creaturæ & noui hominis. Et hortatur Apocalypſis, Qui iuſtus eſt, iuſtifice- Cap.22. tur adhuc: & qui ſanctus, ſanctificetur adhuc. Nihil igitur diſcriminis eſt inter huius vitæ iuſtitiam & nouitatem: nam vtraq; eſt hic imperfecta.

Caluinus. *Neque tamen interea negandum eſt, quin perpetuò coniunctæ ſint & cohæreant duæ iſtæ res, ſanctificatio & iuſtificatio: ſed perperam inde infertur vnam ac eãdem eſſe. Exempli gratia, Solis lumen etſi nunquam ſeparatur à calore, non tamẽ calor exiſtimandus eſt, nemoq; tam rudis inuenitur,qui non vnum ab altero diſtinguat. Fatemur ergo ſimul atq; iuſtificatur quiſpiam, neceſſario innouationem quoque ſequi, Neq; verò de eo ambigitur,an ſanctificet Chriſtus,nec ne,quoſcunque iuſtificat. Hoc enim eſſet lacerare Euangelium, adeoq; Chriſtum ipſum diſcerpere, ſi quis iuſtitiã quam fide conſequimur,ſeparare velit à pœnitentia.Sed tota noſtra diſceptatio eſt de cauſa iuſtificationis. Hanc Tridentini patres duplicem eſſe fingunt,ac ſi partim remiſſione peccatorum, partim ſpirituali regeneratione iuſti eſſemus: vel, vt alijs verbis exprimam quod ſentiunt, ac ſi partim imputatione, partim qualitate iuſtitia noſtra conſtaret.*

Reſponſio. Oſtendimus etiam ex aduerſariorum, Ioannis Caluini ſcilicet & Henrici Bullingeri confeſsione, vnicam & eandem rem eſſe ſanctificationem & iuſtificationem: quamuis rationis ſit inter ea diſcrimẽ. Propter quod non eſt ſimile quod adducitur de lumine ſolis,& calore eius. Et ſi ratio nominis ſpectetur, iuſtificatio requirit iuſtitiæ infuſionem

Et ſi ſanctificatio impuritatis abolitionem ſignificet, ſine ea poteſt eſſe iuſtificatio. Et reuera fuit in Chriſto Domino, ſanctis angelis, & Adam primo parente noſtro: quamuis vt deſtinationem ſiue conſecrationē ad cultum Dei dicit, ab inuicem ſeparari non poſſunt. Eſt enim tunc à iuſtitia inſeparabilis ſanctificatio noſtra, & ediuerſo. Et ſicut lumen ſolis lucidum facit aerem, & illuminat ac apparere facit omnia quæ ſunt in aere (hi enim luminis ſunt effectus) ita iuſtificare & ſanctificare effectus ſunt iuſtitiæ, eaque ratione magis quam re ipſa differunt. Ex quo patet falſum eſſe quòd iuſtitia vitę innouationem non complectitur, quam intelligit Caluinus nomine Sanctificationis. Sunt enim iuſtitiæ effectus formales, ſi ſecūdum habitum intelligantur: & ſi ſecundū actum iuſtitia virtute eas complectitur, ſicut cauſa ſuos effectus. Hoc enim ſenſu ſanctificatio ſiue innouatio & iuſtificatio progreſſus ſunt in operibus iuſtitiæ & ſanctitatis. Quomodo ſcriptura intelligitur quæ habet *Apoc.22.* Qui iuſtus èſt, iuſtificetur adhuc, & qui ſanctus eſt ſanctificetur adhuc. Sic intelligit Magiſt. Sententiarum in commentarijs epiſtolę *1.Cor.6.* ad Corinth. id quod dicit Apoſtolus, Sed abluti eſtis, &c. Abluti, inquit, in baptiſmo, & ideo turpius eſt ſi reditis: & non ſolum abluti, ſed ſanctificati eſtis, id eſt confirmati ad bene operandum ſpiritu ſancto dato, & non modo ſanctificati, ſed & iuſtificati eſtis, bene operando: vbi ſanctificationem refert ad infirmitatem ad bene operandum, & iuſtificationem ad iuſtitiæ profectum. Neque ſolum neceſſario innouatio ſequitur eum qui iuſtificatur, ſed & neceſſe eſt vt ex eadem ſequatur iuſtitia quæ eſt nouitas ſpiritus, vt diximus, vel eius cauſa. Miſcet autem hic Caluinus pœnitentiam quaſi iuſtificationem ſequatur. Hanc enim inſinuat vitæ eſſe innouationem, cùm tamen ſcriptura vbique doceat ex pœnitentia impium iuſtificari. Propter quod vt iuſtificationis, ſic & innouationis pœnitentia eſt cauſa. Propter pœnitentiam enim Deus peccata diſsimulat. Cum autem dicit Caluinus totam ſuam diſceptationem eſſe de cauſa iuſtificationis, oblitus videtur ſcopi quem in diſceptādo propoſuit. Non enim de cauſa iuſtificationis, inſtituta eſt hæc eius digladiatio, ſed de partibus iuſtificationis, & in quibus iuſtificatio cōſiſtat. Hunc enim ſcopum ſuæ diſputationi prępoſuit, id quod ipſe quoq; inſinuat, dicens patres fingere, ac ſi partim remiſsione peccatorum, partim ſpirituali regeneratione iuſti eſſemus. Nec tamen hoc patres dicunt. Nam iuſtificatio quæ fit in baptiſmo, eſt ipſa regeneratio ſpiritualis, qua ex impio regeneratur pius, & in filium adoptatur. Peccatorum autem remiſsio quaſi natura prçcedit, & peccata ſunt termin⁹ à quo fit mutatio hæc, quæ eſt regeneratio. Nec docent patres partim imputatione, partim qualitate conſtare noſtram iuſtitiam, ſed docent iuſtificationem, mutationem eſſe, qua ex iniuſto fit iuſtus & iuſtitiam ipſam eſſe qualitatem, qua viuimus in Chriſto, & diuinæ naturæ ſumus conſortes, Chriſtoq; conformes: ſicut docemus eam in Chriſto eſſe qualitatem permanentē qua ipſe deiformis eſt ſecundum naturam aſſumptam: Nam ſuper eum requieuit ſpiritus domini. *Eſa.9.* Et Ioannes vidit columbam manentem ſuper eum. Simili eademq; ſecundū ſpeciem qualitate nos iuſti ſumus & deiformes, quam ex plenitudine Chriſti eiuſq; influētia accipimus. *1.Ioan.3.* Manſionem, inquit Dominus apud eū faciemus qui me diligit. Et omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem, inquit B. Ioan.

Caluinus. *Ego autem vnicam & ſimplicem eſſe aſſero, quæ tota cōtinetur gratuita Dei acceptione. Eam præterea extra nos conſtituo, quia in ſolo Chriſto iuſti ſumus. Proferant ſi quod habent ex ſcriptura teſtimonium, vt perſuadeant quod docent. Ego cùm totam habeam ſcripturam mihi ſuffragantem, hac vna ratione nunc contentus ero, quod cū mentio fit iuſtitiæ operum; eam lex & Euangelium in perfecta legis obedientia conſtituunt: Ea cùm nuſquam appareat, nihil aliud faciunt reliqui, niſi vt confugiamus ad ſolum Chriſtum, vt in ipſo iuſti cenſeamur, quod in nobis non ſumus. An mihi locum vnum proferent, qui inchoatam nouitatem pro iuſtitia apud Deum probari teſtetur, vel in totum, vel ex parte? Quòd ſi authoritate deſtituuntur, cur non liceat repudiare quòd hic obtrudunt figmentum de partiali iuſtitia.*

Reſponſio. Aſſerit Caluinus iuſtificationem vnicam eſſe & ſimplicem, totamque contineri gratuita Dei acceptione, & extra nos eſſe, eò quòd in ſolo Chriſto iuſti ſumus. Sed & nos eam dicimus vnicam & ſimplicem eſſe mutationem ab iniuſtitia ad iuſtitiam: ſicut aquæ frigidæ calefactio vnica & ſimplex eſt mutatio, qua à frigore fit alteratio ad calorem. Hæc autem duos complectitur terminos: quamuis apud Philoſophos ea de re ſit diſceptatio, an videlicet corruptio frigoris, videlicet mutatio ab eſſe frigoris ad non eſſe, alius ſit motus quàm introductio caloris quæ eſt à non eſſe caloris ad calorem, & propterea calefactio frigidi quaſi duplex mutatio vtramque complectatur. Similis diſputatio fieri poſſet, imò & iam agitatur de iuſtificatione impij: ſed quæ ſunt extra ſcopum præſentis negotij, in quo impertinens eſt, an iuſtificatio hoc modo vnica ſit mutatio, an plures: Miſcet hìc Caluinus gratuitam Dei acceptionem quaſi eādem cum peccatorum remiſsione, quæ tamen ab ea non minus diuerſa eſt quàm ipſa iuſtificatio. Et ſcopus diſputationis qui à Caluino præfigitur, in eo verſatur: an tota iuſtificatio conſiſtat in peccatorum remiſsione. Gratuita enim Dei acceptio, qua Deo accepti ſum⁹ & grati eſt per iuſtitiam & charitatem ſiue gratiam in cordibus noſtris diffuſam, tanquàm cauſam formalē, ſicut per albedinem aliquid eſt albū. Vt quid precor hic homo rem apertam tenebris inuoluit & mutat omnia & formá ſermonis

monis ſui? Non debet nos mouere quod iſte iuſtitiam extra nos tantum conſtituit, quando, vt docuimus, ſcripturæ & vniuerſi ſcriptores catholici cōcorditer aliud docent. Abſurdū eſt quòd vita ponatur extra viuentem iuſtitia autem ſiue charitas, ſiue deiformitas vita eſt iuſtorum. Et libenter confitemur, quòd in Chriſto iuſti ſumus & viuimus, vt vitæ & iuſtitiæ authore. In ipſo enim Deo nimirum viuimus, mouemur & ſum⁹. In nobis tamen vita eſt, motus & eſſe: Similiter & ſpiritum vitæ, iuſtitiæ, & charitatis in nobis habemus, per quem Chriſtus in cordibus noſtris habitat, & in eiſdem Chriſto authore vita, iuſtitia, rectitudo, & diuinæ naturæ participatio diffundūtur. Et per has ſcripturas ſecundum veterum ſcriptorum interpretationem, docemus iuſtos eſſe & rectos, iuſtitia & rectitudine nobis inhærentibus, ſecundum nominum horum ſignificationem, quibus repugnat denominatio extrinſeca. Repugnantia enim eſt rectum eſſe, quod in ſe rectitudinem non habet. Nihil aūt eius erroris ſuffragari ſcripturas, adeo vt fruſtra de ſcripturarum teſtimonijs glorietur, ſuperius oſtendimus. Nec cauſam habet Caluinus nobis inſultandi, vt dicat, Proferant, ſi quod habent ex ſcripturis teſtimonium. Multa enim huiuſmodi ſcripturarū loca in ſuperioribus protulimus. Sed expendamus rationē qua in concluſione huius diſputationis ſe dicit fore contētum. Cùm enim dicit, quòd mentione facta in ſcripturis iuſtitiæ operū eam lex & Euāgelium in perfecta legis obedientia conſtituunt, falſum aſſumit: & impertinens eſt ſcopo huius diſputationis, ſi etiam verum eſſet. Conſtituunt enim ſcripturæ iuſtitiam operum in legis obediētia, non in obedientia perfecta: perfectam autem iuſtitiam in perfecta legis obedientia. Qui diligit proximum, ait Apoſt. legem impleuit, & quo perfectius diligit, hoc eam perfectius implet: ſicut B. Aug. dicit de iuſtitia & charitate, quòd inchoata iuſtitia, inchoata charitas: perfecta iuſtitia, perfecta charitas. Et transferens ſe Caluinus ad iuſtitiam operū, egreditur totius diſputationis inſtitutum, in qua de iuſtificatione impij agitur, quæ nō in operum iuſtitia, ſed iuſtitia fidei cōſiſtit, iuxta Apoſtolum Paulum ad Rom. & Galat. qui ait, Arbitramur hominem iuſtificari per fidem ſine operibus legis: & ſi Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum. Hanc duplicem iuſtitiam clariſsimè diſtinguit idem Apoſtolus Paulus ad Rom. 10. cap. Et beatus Auguſtinus Noſtra fides, inquit, hoc eſt catholica fides, iuſtos ab iniuſtis, non operum, ſed ipſa fidei lege diſcernit, quia iuſtus ex fide viuit. Iuſtitia itaque operum, nihil pertinet ad diſputationem, in qua agitur de impij iuſtificatione. Nihil etiam momēti habet ratiocinatio Caluini aduerſus iuſtificationem operum, ad probandum quòd ea nuſquam appareat, eò quòd in nulla ſit perfecta legis obedientia. Nam B. Auguſt. explicans id quod dixerat libro primo de ſermone Domini in mōte circa locum iota vnum, aut vnus apex non tranſiet, &c. Nihil ſcilicet aliud poſſe his verbis intelligi, niſi vehementem perfectionis expreſsionem. Vbi, inquit, meritò quæretur, Vtrum iſta perfectio ſic poſsit intelligi, vt tamen verum ſit, neminem iam vtentem voluntatis arbitrio hîc viuere ſine peccato (pro eodem enim habet ſine peccato viuere & implere omnia mandata) A quo enim vſque ad vnum apicem lex perfici poteſt, niſi à quo fiunt vniuerſa diuina mandata? Sed in iſdē mandatis eſt etiam quòd iubemur orare, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Omnia ergo mandata facta deputantur, quādo quicquid non fit, ignoſcitur. Quam ſententiam & alijs in locis repetit. Et hoc eodem c. mandata Dei dicit completa eſſe in Apoſtolis, ea menſura perfectionis humanæ, quanta in hac vita poteſt eſſe perfectio. De perfectione viatoris & peruentoris ad terminum itineris, multa ex Auguſtino ſuprà diximus. Et eodem loco Apoſtolus ſe perfectum dicit, & iterum negat. Erroris autem ſui radicem oſtendit hic Caluinus, ſex qua conſequenter iuſtificationem conſiſtere putat in ſola peccatorum remiſsione, hâc ſcilicet, quòd nulla eſt in his qui iuſti dicuntur, vera iuſtitia, & hoc propterea, quia in nullo eſt perfecta legis obedientia. Inſinuat enim nec inchoatam quidem hic eſſe iuſtitiam, quamuis tamen fateatur inchoatam eſſe nouitatem.

Rom. 13.

Rom. 4.
Gala. 2.

Lib. 3. cōtra 2. epiſ. Pela. cap. 5.

Li. 1. retrac cap. 19.
Matth 5.

Lib. 6. cōtra Dona. c. 24. Item lib. contra 2. epi. Pela c. 7. & li. 2. cap 7. Rurſus ſermo 3. ſuper Pſal. 118. in ver. Non enim qui operantur, &c.

Porrò argumentis quibus impugnatur iuſtitia filiorum Dei, ſuperius reſpondimus, cùm tractaremus de errore Alberti Pighij, quem ex lectione Ioannis Caluini ſeductus, incautus imbiberat. Et quamuis filios Dei verè in ſe iuſtos eſſe doceamus, non tamen ſegnius ad ſolum Chriſtum tanquam ad caput membra confugimus, à quo eiuſdem ſpiritus, eorundemque donorum, quibus patri ipſe placuit, accipimus influxum, & eadem in nobis continuo cuſtodiuntur, à quo etiam proficiſcuntur, non aliter quàm radij lucis à ſole. Nec ſolū iuſti cenſemur, ſed reuera iuſti ſumus coram Deo, vt diximus. Chriſtus enim egenus factus eſt, vt illius inopia nos diuites & abūndantes in omni gratia ſpirituali eſſemus. Blaſphemia eſt in Chriſtū, quòd membra atq; filij eius ſocietatē habeant, cum Deo & peccatis obnoxij ambulent in tenebris. Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate, & quæ ſocietas luci ad tenebras? Hoc enim Iulianus obijciebat beato Auguſtino. Cui reſpondet Auguſtinus: Vbi me audiſti, vbi me legiſti dicentem, non innouari hominem per baptiſmum, ſed quaſi renouari: non liberari, ſed quaſi liberari: non ſaluari, ſed quaſi ſaluari. Abſit, vt ego dicerem inanem gratiam lauacri illius, in quo renatus ſum. Vbi etiam declarat, quomodo gratia hominem perfectè nouum faciat. Et alibi purgat ſe ab obiectione Pelagianorū, quòd Apoſtoli & Prophetæ non dicerentur ſancti vel

1. Cor. 6.

Lib. 6. cōtra Iul. cap. 5.

Li. 2. contra 2. epiſt. Pela. cap. 3 & 5. & li. 4. c. 7. & 10.

cti vel iuſti,niſi cõparatione peiorum. Rurſus ad beatum Hieronymum tractans locũ *Epiſt.29.* Apoſtoli Iacobi: Quicunque totam legem ſeruauerit,offendat autem in vno, factus eſt omnium reus, docet eos Stocios habere authores, qui dicunt ſolam perfectam iuſtitiã mereri nomen iuſtitiæ,nec iuſtum eſſe, qui non eſt ab omni peccato immunis. Magna eſt igitur aduerſariorum contra Chriſti gratiam & beneficia ingratitudo, qui ne agnoſcunt quidem, *Cap.3.* imò & multum impugnant hanc eximiam Dei patris in Chriſto gratiam *2.Pet.1.* qua nos verè iuſtos,rectos corde, verè filios ex Deo naſci facit,non ſolum ſecundum adoptionem, hominum more,ſed ſecũdum eiuſdem naturæ diuinæ conſortium,quod ex ſpiritu naſcẽdo ſuſcipimus. Quamuis enim *Li.3. contra 2 epiſt. Pela. cap.3.* (vt ait beatus Auguſtinus) diabolus ſit author & princeps omnium peccatorum, non tamen filios diaboli faciunt quæcunq; peccata. Peccant enim & filij Dei: quoniam ſi dixerint ſe non habere peccatum, ſeipſos ſe*1 Ioan.1.*ducunt,& veritas in eis non eſt: ſed peccant ea ratione,qua ſunt filij huius ſeculi:qua verò gratia ſunt filij Dei, non vtique peccant: quia omnis qui natus eſt ex Deo non peccat. Et,Quicquid peccati ex humana infirmitate iuſto ſubrepſerit,pietate fidei continuo deletur.Nec tamen pudet Ioan.Caluinum gloriari,& nobis inſultando dicere. An mihi locum vnum proferent, qui inchoatam nouitatem apud Deum pro iuſtitia probari teſtetur vel in totum, vel ex parte?ne partẽ quidem,hoc eſt ne inchoatã iuſtitiã, imò nihil iuſtitiæ in filijs Dei agnoſcens. Oſtendimus autem ſuperius multis ſcripturarum teſtimonijs filios Dei verè iuſtos eſſe iuſtitiæ *Matth.23. Heb.1.* Chriſti participatione. Conſecutus eſt enim Abel à Chriſto teſtimonium, quòd fuit iuſtus: A ſanguine,inquit, Abel iuſti.Et beat' Ioan.Filij nemo vos ſeducat, Qui facit iuſti*1.epiſt.3.ca.*tiam,iuſtus eſt, ſicut & ille iuſtus eſt, eadem ſcilicet ratione, & ſimili denominatione. Item,In hoc perfecta eſt charitas nobiſcum, vt fiduciam habeamus in die iudicij: quia ſi*1.Ioan.4.*cut ille eſt,& nos ſumus in hoc mundo. Rurſum,Qui iuſtus eſt,iuſtificetur adhuc: & qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc.De quibus ſa*Apoca.22.*tis prolixè ſuperius egimus, & pudet (quod tamen aduerſarij facere cogunt) eadem tamen ſæpe repetere.

Inchoatam autem iuſtitiam in Concilio *Conciliũ Ratiſponenſe.* Ratiſponenſi Proteſtantes palam agnoſcũt. Nam circa ſecundum articulum qui eſt de lib.arb. vbi liber Domino noſtro Imperatori oblatus habet, quòd per gratiam quæ eſt in Chriſto Ieſu poſsit quis ſe nunc continere à peccato, obedire Deo, ac facere eius mandata, maluerunt Proteſtantes hoc modo dici, poſsit nunc reſiſtere peccato & præſtare inchoatam iuſtitiam. Et in explicatione capitis de iuſtificatione hominis, Mart. Bucerus eodem libro palam docet iuſtitiã inchoatam & inhęrẽtem eſſe veram iuſtitiã, & ab ea verè iuſtos denominari: quamuis nolit ea iuſtitia nobis eſſe nitendum coram tribunali iuſti iudicis,propterea quod non ferat iudicium Dei: ea tamen ratione eſſe iuſtitiam, qua per eam iuſti ſumus, & quæ iuſta ſunt operamur. Ait enim hic liber, Et ſi quis iuſtificatur, iuſtitiam accipit, & habet per Chriſtum etiam inhærentem,ſicut dicit Apoſt. Abluti eſtis,ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis: quare ſancti patres iuſtificari etiam pro eo quòd eſt inhærentem iuſtitiam accipere vſurparunt, tamen anima fidelis huic non innititur,ſed ſoli iuſtitiæ Chriſti nobis donatæ ſine qua omnino nulla eſt, nec eſſe poteſt iuſtitia. Et ſic fide in Chriſtum iuſtificamur ſeu reputamur iuſti, id eſt, accepti per ipſius merita,non propter noſtram dignitatem aut opera, & propter inhærentem iuſtitiã eo iuſti dicimur, quia quæ iuſta ſunt operamur,iuxta illud Ioan. Qui facit iuſtitiam,iuſtus eſt. Quæ explicans Mart. Bucerus in conciliatione articuli iuſtificationis. *Folio 171.* De inchoata,inquit,in nobis iuſtitia maximè controuertitur: An ea dum pollemus veſtitiq; ſumus iuſtificatos nos iuſtoſq; eſſe, idq; coram Deo in iudicio Dei dici conueniat. Cum enim nos ſecundum verbum Domini docemus homines quantumuis hac cõmunicata & quodammodo propria iuſtitia in hac quidem vita præſtent, tamen eos iſta tãtum iuſtitia fretos in iudicio Dei ſubſiſtere haberique iuſtos non poſſe: quia nimirũ in conſpectu Dei nemo viuens ſua quidem virtute iuſtificabitur. Id per calumniam à multis eò rapitur, quaſi doceamus propriam hanc iuſtitiam, nec eſſe hominibus neceſſariam ad ſalutem, nec etiam haberi eam in iudicio Dei pro iuſtitia: quod vtrumque cum ſcriptura pugnat, quæ docet iſtam inchoatã in nobis iuſtitiam, & neceſſariam ad ſalutẽ, & à Deo iuſtitiam cenſeri. Vbi aduertendũ eſt, quòd Caluini ſententiam (quòd videlicet inchoata nouitas apud Deũ, ne ex parte quidẽ pro iuſtitia habetur, φq; in filijs Dei nihil ſit iuſtitiæ) cũ ſcriptura ſacra dicit pugnare. Et addit Bucerus: Liber ergo iſtam controuerſiam quamuis breuiter, certò tamen & ſecundum ſcripturas decidit, clarè ac diſertè docens primùm oportere, & hanc nobis ineſſe inhærentem iuſtitiam, cum ait eum qui iuſtificatur principe ſcilicet iuſtificatione, accipere & habere per Chriſtum in ſe manẽtem & viuentem vitam Dei & iuſtitiã inhærentem. Deinde cum ſubijcit nos iuſtos dici, & in ſcripturis cũ iuſta operamur, adducto ad hoc teſtimonio Ioannis, docet hanc iuſtitiam à Deo pro iuſtitia reputari. At quia hac ipſa iuſtitia inchoata per ſe iuſti haberi Deo non poſſumus, propter eius imperfectionem. (Nam legi Dei ſatisfacere nõ poteſt) adiecit illud, neceſſariò animam fidelem niti non hac communicata, ſed ſola Chriſti iuſtitia nobis donata, & ſine hac nullam omnino eſſe iuſtitiam, hoc eſt hanc ipſam in nobis excitatam iuſtitiam, quamuis donum Dei & opus ſit ſpiritus ſancti, nobis tamen ſuo merito pro iuſtitia in iudicio Dei deputari non poſſe, propter admixtas

noſtras

noſtras ſordes, & tam languidè accommodatam motui ſpiritus ſancti noſtram & mentem & voluntatem. Ad hoc autem offendiculum, quòd hac iuſtitia Dei, merito Chriſti nobis communicata, in Dei iudicio ſubſiſtere & haberi iuſti non poſſumus, & hoc propter eius imperfectionem & admixtas ſordes, propter quas legi Dei ſatisfacere non poſsit, impegerunt, & lapſi ſunt viri pij & catholici inſigniter etiam eruditi, credẽtes iuſtitiam noſtram non poſſe ferre iudicium Dei, & ideo noſtram iuſtitiam eſſe iuſtitiam Chriſti nobis applicatã, & in ſola remiſsione aut nõ imputatione peccatorum noſtram ſubſiſtere iuſtificationem. In hoc enim lapſum diximus inſignem theologũ Albertum Pighium, & pium illud & doctũ Antididagma venerabiliũ virorum Eccleſię Colonienſis, qui docẽt à Deo iuſtificari iuſtitia duplici, tanquam per cauſas formales & eſſentiales, quarum vna & prior, vt ſcribunt, eſt conſummata Chriſti iuſtitia, non quidem quomodo extra nos in ipſo eſt, ſed ſicut & quando eadem nobis (dum tamen fide apprehenditur) ad iuſtitiam imputatur: hæc ipſa nobis ita imputata iuſtitia Chriſti præcipua eſt & ſumma iuſtificationis noſtræ cauſa, cui principaliter inniti & fidere debeamus. Aliter verò, inquit, iuſtificamur formaliter per iuſtitiam inhærentem, quæ remiſsione peccatorũ ſimul cum renouatione ſpiritus ſancti & diffuſione charitatis in corda noſtra ſecundum menſuram fidei vniuſcuiuſque nobis donatur, infunditur, & fit propria: atque ita per fructus ſpiritus exercetur: efficiturq́; in nobis propria quędam iuſtitia qua afficiamur: cui tamen inhęrenti iuſtitiæ quòd ſit imperfecta nõ innitimur principaliter, ſed ea tanquam interiori quodam experimento certificamur nobis (qui talem renouationẽ ſpiritus noſtri in nobis ſentimus, & experimur) remiſsionem peccatorum factam, atq; ita Chriſtũ per fidem in nobis habitare. Hactenus illi. Cùm autem iuſtitia hæc inhærẽs ſiue habitualis ſiue actualis eſſe dicatur, & vere ſit iuſto Dei iudicio, & apud Deum iuſtitia, & faciat iuſtos, propria Martini Buceri confeſsione, & à Chriſto nobis communicetur: Item donum Dei & opus ſit ſpiritus ſancti, quod infunditur ſecundum fidei menſuram, non poteſt nõ placere in membris, propter quã in Chriſto capite noſtro patri ſummè eſt beneplacitum. Eadem namque eſt in membris, quæ eſt in capite, ſicuti eadem vita & idem vitæ ſpiritus: ſecundum quam iuſtitiam & opera eius, in veritate & æquitate orbem iudicabit iuſtus iudex, qui reddet vnicuiq; iuxta opera eius. Neceſſe eſt igitur, quòd ſuſtinere poſsit iuſtum Dei iudicium, iuſtosque hac iuſtitia fretos ſecũdum quam Chriſto cõformes ſunt, in iudicio Dei poſſe ſubſiſtere & haberi iuſtos. Et quamuis in cõſpectu Dei nemo ſua virtute iuſtificetur, vtique tamen virtute & iuſtitia Dei per Chriſtum communicata. Nec ob peccatorum venialium ſordes quas in eadẽ anima admixtas habet ab hæreditate repelli poteſt, propterea quòd iuſtitiã non attingant nec inficiant, quum vera & recta maneat in hac conſcientiæ impuritate, ſicut in ea manet ſpiritus promiſsionis quem habet tanquam pignus hæreditatis æternæ. Eadẽ ratione, nec eius imperfectio impedit, quò minus ſubſiſtere poſſit in iudicio, cum hæc ſit ob has ſordes duntaxat & malum in carne habitans. De quibus multa diximus in explicatione articuli. Et Antidagma ob ſuauiloquẽtiam aduerſariorum à veritate deuiaſſe, & incõſideratè eſſe locutum, docet Reuerendus M. N. Dominicus à Soto, lib. 3. de natura & gratia.

In princ. lib. — *Epheſ. 1.* — *Bern. ſer. 5. de verbis Eſaiæ.*

QVòd ad iuſtificationem neceſſaria eſt fides, qua certò credimus Chriſtum Ieſum Dei filium nobis & omnibus propitiatorem à patre propoſitum eſſe, nobiſcũ idem ſentiũt aduerſarij. Eſt enim aperta ſententia Apoſtoli. Nam ſicut omnibus propoſitus eſt Saluator, redemptor, & mediator, ita & propitiator. Eſt enim ipſe propitiatio pro peccatis noſtris, nec pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mũdi. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. Nobis etiam conſentiunt, quòd iuſtificatio ſine hac fide nullis noſtris operibus, nullaq́ue pœnitẽtia obtineri poteſt. Et cõtra Caluinum etiam conſentiunt Mart. Bucerus, & Philipp. Melanchthon poſt Confeſsionem Auguſtanam, quòd ſine præcedenti prœnitentia ſola fide non iuſtificamur, Sed diſſentiũt à nobis, eò quòd concorditer docent, non ſolum neceſſariam eſſe fidem propitiatoris à patre nobis propoſiti, ſed & eam qua certò quaſi ex verbo Dei agnoſcimus & credimus Deum eſſe nobis propitium patrem reconciliatione per Chriſtũ factã. Verè fidelis, inquit Ioan. Caluinus, non eſt, niſi qui ſolida perſuaſione Deum ſibi propitium beneuolumq; patrem eſſe perſuaſus, de eius benignitate omnia ſibi pollicetur. Vbi docet hac fide nos in poſſeſsionẽ iuſtitiæ & hæreditatis æternæ mitti, eamq́; nihil noſtrũ adferre ad Deum, ſed recipere qđ ipſe vltrò nobis offert, & hinc fieri, vt fides quamuis imperfecta, perfectam nihilominus iuſtitiam poſsideat. quia non alium quàm gratuitę Dei bonitatis reſpectũ habet. Docet præterea per hanc fidem Chriſtum totum, remiſsionem peccatorũ, iuſtitiam, omnia deniq; beneficia ei collata, noſtra fieri, & Deo nos commendare, quaſi verè & intrinſecè in nobis eſſent. De qua fide dicit articulus ſequens quòd aduerſatur ſcripturis: hi autem ponũt eam primum noſtræ religionis principium & fundamẽtum, ſine quo nec grati Deo eſſe, nec vtiliter orare poſſumus: at eam ſolam ſufficere docent ad iuſtificationem. Hanc igitur aduerſariorum fidem, in cuius ſubſtantia omnes conueniũt, tametſi in multis circa eius explicationem varient, diligentius explicare oportet. Multa enim eorum dogmata ab ea tãquam principio proficiſcuntur & pendent: & futurum

De fide qua iuſtificamur — *Rom 3.* — *1. Ioann. 2.* — *1. Tim. 2.* — *In inſtit. ca. 15. & 9.* — *In Antidoto cap. 9.*

Cal. in inſt. cap. 5. Bucerus in explic. & Concil. controuerſia de iuſtificatione.

ſpero, quòd hac explicatione clariſsimè apparebit, id quod habet articulus ſequens, eam eſſe non ſolum contra patrum concordem doctrinam, ſed & contra ſcripturam, & nouam eſſe Mart. Lutheri adinuentionem. Et quia eam exactiſsimè explicat Ioan. Caluinus, & Mart. Bucerus, primum de hac fide iuſtificante & apprehendente miſericordiã Dei, omniaque dona quæ per Chriſtum pater largitus eſt, cõplectemur ſententiam Ioannis Caluini, quibuſdam propoſitionibus, vt certius & clarius quid ipſe voluerit, conſtare poſsit, ſeruatis tamen quãtum fieri poterit verbis iiſdem.

Eſt autem prima eius propoſitio.

Caluinus ca. 8. inſtit.

Fides qua miſericordiam Domini amplectimur cuiuſq; beneficio, quicunque ſunt in filios Dei cooptati, regni cæleſtis poſſeſsionem adeunt, non eſt opinio qualibet nec perſuaſio. Non enim qualibet huiuſmodi perſuaſio tantæ rei faciendæ par eſſe poteſt. Nec eſt vulgaris Euangelicæ hiſtoriæ aſſenſus. vt multi putant & hallucinantur à ſcholaſticis ſophiſtis ſeducti.

Secunda propoſitio.

Ad huius fidei cognitionem non conducit diſtinctio fidei in formatam & informem, quum nugatoria ſit hæc diſtinctio, & ſcripturis aduerſetur. Tota enim ſcriptura reclamat, quòd perſuaſio timore Dei & pietate vacua, digna habeatur veræ fidei nomine.

Tertia propoſitio.

Duas eſſe fidei formas docendi cauſa concedimus, dum volumus oſtendere, qualis ſit in impiis Dei notitia, vnicã tamen piorum fidem cum Paulo agnoſcimus.

Quarta propoſitio.

Multi credunt Deum eſſe, euangelicam hiſtoriam, & reliquas ſcripturæ partes veras eſſe arbitrantur, quale ferè iudicium eſſe ſolet de his, quæ vel olim geſta narrantur, vel ipſi præſentes ſpectauimus. Sunt etiam qui vltrà procedunt, nam & Dei ſermonem pro certiſsimo habent oraculo, nec eius præcepta prorſus negligunt, & minis ac promiſsionibus vtcunque commouentur: talibus quidem fidei teſtimonium tribuitur, ſed per abuſum, quoniam Dei verbum non impugnant manifeſta impietate, nec aſpernantur, nec contemnunt, ſed quãdam obedientiæ ſpeciem præ ſe ferunt. Sed hæc fidei ceu vmbra, ceu imago, vt nullius eſt momenti, ita indigna eſſe fidei appellatione, à cuius ſoliditate quàm procul abeſt.

Quinta propoſitio.

Act. 8.

Crediidiſſe in Actis dicitur Simon Magus, qui tamen ſuam incredulitatem paulò pòſt prodit, nec tamen verbis fidem ſuam ſimulauit, quam in corde nullam haberet, vt quidam dicunt, quin potius maieſtate Euangelii victus, qualemcunque fidem ei adhibuit, atque Chriſtum vitæ ac ſalutis authorem agnouit, vt libenter illi nomen daret. Eodem modo ad tempus quidam credere dicuntur, in quibus verbi ſemẽ antequam fructificet præfocatur, aut etiam nullis dum actis radiculis mox areſcit ac deprimitur. Tales, inquit, non dubitamus quodam verbi guſtu affectos ipſum auidè arripere, & diuinam eius virtutem perſentiſcere, vt fallaci fidei ſimulatione non hominum oculis modo imponant, ſed ſuis ipſorum animis. Ipſiſsimã enim pietatem eſſe ſibi perſuadent illam quam Dei verbo deferunt reuerentiam, quia nullam eſſe impietatem reputant, niſi manifeſtum & confeſſum eius vel probrum vel contemptum. *Luca 8.*

Dictorum tradit rationem ac diſcrimen ſolidæ fidei à vana & ſimulata.

Sexta propoſitio.

Qualiſcunque illa eſt aſſenſio ad cor ipſum vſque minimè penetrat, vt illic defixa reſideat, & quanquam radices egiſſe interdum videtur, viuæ tamen illæ nõ ſunt. Tot vanitatis receſſus, tot mendacii latebris ſcatet cor humanum, tam fraudulenta hypocriſi obtectũ eſt, vt ſeipſum ſæpè fallat. At verò qui talibus fidei ſimulacris gloriantur, intelligant diabolis nihilo ſe in hac parte præcellere. Priores certè illi ſunt, multò inferiores qui ſtupidi audiunt & intelligunt, quorum notitia diaboli cõtremiſcũt. Alii in hoc pares ſunt, quòd qualiſcunque ſenſus quo tangũtur, in terrorem tandem exit & conſternationem.

HActenus oſtẽdit quæ notitia vel aſſentio non mereatur nomen fidei. Quamuis autem has propoſitiones expendere, & vbi falſæ ſint ac deficiãt, annotare non oporteat, quum eas ſolum in medium adducamus, vt intelligatur, qualem Caluinus velit eſſe fidẽ, cui apprehendenti, iuſtitia, peccatorum remiſsio, & vniuerſa ſalus noſtra tribuatur, per quam etiam nos docet intrare omnium bonorum poſſeſsionem, paucis tamen & obiter eas attingam.

Prima autem propoſitio falſum ſupponit, aliquam videlicet eſſe fidem, cuius beneficio ab æterno electi, iuſtitiæ & cæleſtis regni poſſeſsionem conſequuntur. Confitemur quidem nos fidem, cuius ſcriptura frequenter meminit, nõ eſſe opinionem vel perſuaſionem tantum probabilem. Docemus enim fidem rectè definiri ab Hugone de ſancto Victore, quòd ſit certitudo animi de rebus abſentibus, ſupra opinionem & infra ſcientiam conſtituta. Perfectiùs namque cognoſcunt, qui rem ipſam vt eſt, in ſua præſentia comprehendunt, quales ſunt ſcientes: Et minus eſt opinari ſiue æſtimare quæ certitudinem nõ habent quàm credere: & minus credere quàm ſcire: Minus, inquit Hugo, non quantum ad meritum, ſed quantum ad cognitionem. Cui addere audeo, Non quãtum ad puram certitudinem minus, ſed quãtum ad euidentiam. Nihil certius, nihil conſtantius tenemus, ait Richardus de ſancto Victore, quàm quod fide apprehendimus. Et tandem, Domine ſi error eſt à te ſumus decepti. Ait enim Apoſtolus, Cùm accepiſſetis per fidem ſcilicet à nobis verbum auditus Dei, illud non vt verbum hominum, ſed ſicut eſt,

Lib. 1. de ſacrament. part. 10. c. 2.

Lib. 1. ca. 2. 1. Theſ. 2.

verè

verè verbũ Dei: Nihil autem certius verbo Dei eſſe poteſt. Quare certius eſt quòd Deo credimus, quàm quod oculis noſtris vidimus, perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt. Atque hac ratione B. Ioannes dicit nos ſcire quod credimus, de quo B. Tho. in 22. Vulgarem autem Euangelicæ hiſtoriæ aſſenſum quali credimus hiſtorijs prophanis per orbem vulgatis, vel etiam ſacris, vt apud Ioſephum, Oroſium, & Euſebium ſcribuntur, nulla habita canonicæ ſcripturæ cõſideratione, nemo Scholaſticorum dignatus eſt nomine fidei, qua diuinitus illuſtrati & moti verbo Dei aſſentimur. Hic autem aſſenſus, de quo in propoſitione, non excedit limites opinionis & fidei, quæ nititur hominis veracitate, quum fides vera & Catholica ſit aſſenſus firmus & certus, qui verbo Dei adhibetur. Sed an peccatum ſit, quando his quæ ad fidem pertinent æſtimando vel opinando ſolum aſſentimur, hic inquiri non oportet. Veriſimilius tamen eſt non eſſe peccatum, quando auertere non tenemur, quòd de eiſdem eſt verbum Dei. Non enim aliter eis aſſentiri poſſumus quàm opinãdo, ſi nulla habeatur verbi Dei conſideratio. Nam ſicut non ſcimus actu concluſionem, cuius habitualem habemus ſcientiã, niſi in ſuis principijs actu vel virtute conſideratis, ita nec credimus, niſi in verbo Dei actu vel virtute conſiderato. Vnde patet, quòd credere articulos fidei, quia homines Chriſtiani paſsim ſic credunt, nõ eſt fides Chriſtiani hominis. quum huiuſmodi aſſenſus ex medio & modo aſſentiendi, nec certus eſt nec infallibilis: quãuis ex pietate vel pertinacia effectus firmitas acceſſerit, & certitudo ex parte aſſentientis, quemadmodum dicit Ariſt. quod quidam firmius adhærent ſuis opinionibus, quam alij propoſitionibus demõſtratis: imò & certius, quum certitudo ſit aſſenſus firmus & verus. Et regulariter benè facit, qui benè affectus multitudini fidelium firmiter aſſentitur ijs quæ ſunt fidei, perſuaſum habens, quòd falſum eſſe non poſsit, quòd tanta communitas conſtãter tradit, & hactenus ſemper concorditer & tradidit & tenuit. Quòd autem certitudo adhæſionis magna ex parte pendeat à libero hominis arbitrio & affectu, docet B. Thomas in Quodlibetis: quamdiu tamen non aſſentimur quaſi verbo Dei, & ex Deo mouente, non eſt actus fidei quam commendant ſcripturæ. Exempli gratia, aſſentiendo huic ſcilicet, quòd peccata ſint mihi remiſſa, fallor ei aſſentiendo tanquam verbo Dei, quod reuera verbum Dei non eſt: atque ita hic aſſenſus fidei eſſe non poteſt, licet verum ſit, quòd mihi ſint remiſſa. Idem eſt iudicium de actibus ſpei & charitatis, qui hominis Chriſtiani propriè non ſunt, nec virtutum theologicarum, niſi ſub formali obiecto ſuo exerceantur, ſpes videlicet ſub conſideratione gratiæ & liberalitatis ac diuini auxilij ad obtinendam beatitudinem, vel aliud bonũ, & charitatis actus fiat ob ſummam Dei bonitatem, ad quam tanquam finem omnia ſunt referenda. Quapropter ardui & difficiles ſunt huiuſmodi actus, nec ſemper cuiuis Chriſtiano obuij, cùm in eorum exercitio ſupra ſe eleuare debeat quiſquis eos exercebit, & quaſi quandam vim ſibi inferre. Nam ſicut de Abraham legitur, quòd contra ſpem in ſpem credidit, ita còntra ſpem ſperare, & quaſi contra naturam credere & intellectũ in captiuitatem redigere in obſequium Chriſti atque in obedientiam fidei oportet, in charitate autem ſe totum abnegare, & Deo ſubijcere in omnem eius voluntatem, vt nihil quod ſuum eſt quærat, ſed quæ ſunt Ieſu Chriſti duntaxat. Difficillima ſunt hæc & vires humanas longè excedunt, niſi iuuentur, vt virtute atque impulſu ſpiritus Chriſti ſupra ſe leuentur. Attamen huiuſmodi actus fidei & ſpei etiam perfecti poſſunt eſſe in homine peccatore, ſicut in eo manere poſſunt fides & ſpes, ſed nõ actus charitatis perfectus, qui omnia peccata ſuo ardore ſtatim abſumit. Non igitur mirũ videri debet, quòd vulgaris aſſenſus quo creditur articulis fidei, non habita verbi Dei conſideratione, non ſit propriè actus fidei diuinæ, ſed opinio tantum & æſtimatio humana.

1. Ioan 3. *Quæſt. 4. art. 8.* *7. Ethicor.* *Quodlib. 6. art. 6. quæſt. 6. art. 4. et 2. q. 4. art. 1.* *Rom. 4.*

De ſecunda propoſitione.

Secunda propoſitio prodit magnam Ioannis Caluini arrogantiam, qua aduerſus concordem veterum ſententiam, atque ſcripturarum teſtimonia, & ea ipſa quæ hic ſtatim ipſemet adducit, mirè extollitur. Adfert enim ſcripturas, quæ manifeſtè teſtantur impios credere, ſed interpretatur eas loqui per abuſum. Nam credidiſſe dicitur, inquit, Simon Magus. Tunc Simon, ait Lucas, & ipſe credidit. Item Dominus Saluator palam docet quoſdam ad tempus credere, quos tamen hic noſter Caluinus dicit manſiſſe impios: de quo loco ipſum ſtatim audiemus. Et B. Ioannes in ſuo Euangelio, Veruntamen ex principibus multi crediderunt in eum, ſed propter phariſæos non confitebantur, ne extra Synagogam eijcerentur. Dilexerũt enim gloriam hominum magis, quam gloriã Dei. Sed & hic dicit iſte Caluinus, Ioannem impropriè loqui, dum fidẽ à confeſsione ſeparat, & ita ſcripturas ſuæ opinioni aduerſantes per abuſũ & impropriè loqui dicit, quũ tamen propriam & verã nominis rationem, quæ propriæ intellectum reſpicit ſpectent, & quæ aliter loquuntur, fidei perfectionem magis quàm nominis propriã rationem conſiderant, vt frequenter notat B. Auguſtinus. Et ipſe Caluinus hic docet omnem fidem, quæ verbo Dei, tanquam baſi ſuſtentatur, ſine vera pietate inueniri, excepta ſola fide ſua ſpeciali, quæ vnicum dũtaxat & ſpeciale reſpicit fidei obiectum. Docet præterea duas fidei formas, vt oſtendat qualis ſit in impijs Dei notitia. Non igitur ipſe docere poteſt nugatoriam eſſe diſtinctionẽ formatæ & informis fidei. Quæ enim caret charitatis perfectione quã in pijs ſiue iuſtis habet, rectiùs informis dicitur, quaſi ſine forma & perfectione, quam addit charitas, quàm dicatur

Actuum 8. *Lucæ 8.* *Cap. 12.*

aliam habere formam ſiue perfectionem. Varias namque fidei conditiones magnam ſcilicet eſſe fidem, paruam, infirmam, fortem, imò & mortuam, & ſine vita, quam dicimus informem, paſſim tradit ſcriptura. In qua varietate ſalua manet propria fidei eiuſque obiecti ratio. Nam Apoſtolus Paulus, Si habuero omnem fidem, inquit, ita vt montes transferam, charitatem autem nō habuero, nihil ſum. Inſinuans fidem ſeparari aliquando à charitate. Et quia fides miraculorū operatrix fide catholica nititur, magis hæc à charitate ſeparari poteſt quàm illa. Itē epiſtola ad Galatas commendat fidem quæ per charitatem operatur: ad illius nimirum differentiam, quæ otioſa eſt & ſine affectu, quæ ſolū per timorem operatur. Quod igitur perſuaſio quæ pietate (quæ propria charitatis eſt comes) & quæ timore Dei eſt vacua, propriè ſit fides, licet informis & imperfecta, nō ſolùm non reclamant ſcripturæ, ſed apertè ſuperius citatæ id teſtātur & docent. Nec adeo ſpectamus formam ſermonis huius, fides ſcilicet informis & formata (quam tamen magiſter ab Ambroſio deſumptam dicit) quàm rei veritatem. Controuertitur enim an fides & eius actus ſecundum propriam nominis rationem & ſcripturarum vſum, à charitate ſeparari atque in impio eſſe poſſint. Et id certum eſſe videtur propterea quòd firmiter, certò & infallibiliter verbo Dei aſſentiri poſſit, & pro eo mori etiam homo impius. De quo apertæ ſunt ſententiæ B. Auguſtini. Ait enim quod ipſam fidem nō facit vtilem, niſi charitas, Sine charitate, fides poteſt quidem eſſe, ſed non prodeſſe. Propter quòd Apoſtolus Paulus, in Chriſto, inquit, Ieſu, neque circuncifio, neque præputium aliquid valet, ſed fides quæ per dilectionem operatur: ſic eam diſcernens ab ea fide qua & dæmones credunt & contremiſcunt. Item tractans ſententiam Ioannis, Omnis qui credit quòd Ieſus ſit Chriſtus, ex Deo natus eſt, & omnis qui diligit qui genuit eum, diligit eū qui genitus eſt ab ipſo. Statim fidei, inquit, coniunxit dilectionem, quia ſine dilectione fides inanis eſt: cum dilectione fides Chriſtiana, ſine dilectione fides dæmonis: Qui autem non credunt, peiores ſunt quàm dæmones & tardiores. Neſcio quis non vult credere in Chriſtum, adhuc nec dæmones imitatur. Iam credit in Chriſto, ſed odit Chriſtū. Habet confeſsionem fidei in timore pœnæ, non in amore coronę. Nā & illi puniri timebunt. Adde huic fidei dilectionem, vt fiat fides qualem dicit Apoſtol. Paulus, fidem quæ per dilectionem operatur. Inueniſti Chriſtianum, inueniſti ciuem Hieruſalem. Vbi ſatis demōſtrat eandem eſſe fidem in homine pio per acceſſum dilectionis, quæ prius erat cum impietate. Et certè veriſimilius eſt, quòd nō tantum ſit idem ſpecie, ſed & idem numero actus fidei formatæ & informis, quum vtriuſque ſit idem obiectum, nec ad fidei ſpeciem pertineat, quòd ſit vel formata vel informis. Hæc autē diſtinctio quam ſub

1. Cor 3. — *Aug. de ſpir. & lit. c. 32.* — *Diſtin. 23. 3. ſentent.* — *Lib 15. de Trini ca 18.* — *Galat. 5.* — *Tract. 10. in epiſt. Ioan.* — *Thom 2. 2. quæſt. 4. ar. 3. & 4. & q. 6. art. 2.*

his nominibus contemnit Caluinus pluriſmum facit ad cognitionem naturæ fidei & proprij eius obiecti, & ea plerunque vtitur beatus Auguſtinus ad conciliandum ſententias beati Pauli & B. Iacobi, quādo hic dicit Abraham ex operibus iuſtificatum & non ex fide tantum, ille verò ex fide & non operibus. Et alibi dicit eſſe quandam fidem eſurientem & ſitientem quæ per dilectionem & aliam quæ per timorem operatur, eandem autem eſſe fidem, quæ per dilectionem operatur, & quę per timorem, ex Auguſtino oſtendimus. Et facilè conſpici poteſt, ſi conſideremus actus fidei varios & varia eius obiecta, & quomodo ſe ad opera habeat notitia, ſiue perſuaſio intellectus. Quando enim perſuaſi ſumus aliquod eſſe bonum, inclinamur ad eius amorem: quādo autem malum, ad fugam & timorem: neceſſario quidem in appetitu ſenſitiuo, & liberè in voluntate, vt ſequi poſsimus, & non ſequi. Nec efficax eſt boni notitia, niſi voluntas intellectus perſuaſionem ſequi velit. Fides itaque proponens Deum eſſe miſericordem, omnis bonitatis fontem, & facilem ad condonandum, inclinat ad eius amorem & fiduciam: proponens autem eum ſeuerum iudicem, & ſcelerum vltorem, terrorem incutit & timorem, ſi tamen hanc inclinationem ſequi velit. Ita etiam ait Ioannes Caluinus, vbi ſolam indignationem & vindictam in verbo Dei conſcientia noſtra conſpicit, quomodo non trepidabit & exhorreſcet? Si autem beneuolentiam ſeu miſericordiam, ad eum quærēdum allicimur. Ipſe autem qui voluntatis libertatem & contingentiam negat, ad huiuſmodi conſpectum neceſſariò voluntatem quaſi mancipium ſequi intelligit, ſiue ad trepidationem ac timorem, ſiue ad Deum amādum atque quærēdum. Fides igitur dilectionem primo operatur, Deum conſiderans bonum & amabilem, ſed per voluntatem, cuius actus eſt dilectio, & per hanc hoc modo à conſideratione fidei procedentem ipſa operatur, adeò vt operationis principium ſit dilectio ſiue bona voluntas, per fidei conſiderationem excitata, Dei gratia cooperante. Ab alia autem voluntate bona, efficitur fides, quum nemo credat niſi volens, vt docet B. Auguſtinus. Dirigit præterea fides in operibus charitatis, ſicut prudentia in actibus virtutum moralium, quamuis aliter, vt dicit B. Thomas. Eſt enim dilectio opus fidei, intercedente tamen voluntate, quæ per Dei gratiam prǽuenta, ex fidei conſideratione, dilectionem efficit. Nam voluntas eſt omnium operum pietatis principium, per charitatem in cordibus noſtris ex fide per ſpiritum ſanctum diffuſam. Charitas enim patiens eſt, benigna, & omnium bonorum parens & mater. Hic enim eſt ordo virtutum, quòd fides præcedat ſpem: ſpes charitatem, quamuis etiam modo quodam charitas ſpem præcedat. Nam motus appetitiuus non poteſt in aliquid ſperando vel amando tendere, niſi apprehēſum fuerit ſenſu vel intellectu.

De fide & ope. cap. 14. & de ſpir. & lit. c. 32. — *Iacob 2.* — *Rom. 4.* — *De ſpiritu et litera. ca 13. & ſequent.* — *1. 2. quæſt. 66. artic. 6. ad 1.* — *1. Corin. 13.*

Ex

Lib. 8. ſuper Lucã, c. 17. Ex fide, inquit B. Ambroſius, charitas: ex charitate, ſpes: & rurſus in ſe ſancto quodam amore reflectuntur. Sicut igitur dilectio eſt opus fidei, ita alia conſideratione eſt & finis, & perfectio eius: ſubſeruit etiam fides charitatis imperio, ſicut omnes reliquæ virtutes ei eiuſque fini, ad quem omnium virtutum fines ordinantur, militant & ancillantur. 2. 2. quæſt. 23. artic. 6. & 5. Fides igitur dilectionem, & per eam omnia pietatis ac præceptorum Dei exercitia operatur, ad quæ tamen nõ immediatè concurrit, ſed ſolum mediante dilectione, quæ immediatum eſt eorum principium: Quemadmodum notitia proponendo obiectum amabile vel odibile, ad amorem vel odium incitat, & per hos effectus cauſa eſt perſecutionis & fugæ, 2. Phyſicor. ſicuti apud Ariſtotelem conſilium eſt cauſa conſiliati. Hoc modo interpretatur beatus Auguſtinus ſententiam Domini, Ioann. 6. Tract. 26. in Ioannem. Nemo poteſt ad me venire, niſi pater qui miſit me traxerit eum. Trahitur, inquit, animus amore. Ramũ viridem oſtendis oui, & trahis illam: Nuces puero demõſtrantur, & trahitur, & quo currit trahitur. Si autem voluntas hanc obiecti amabilis oſtẽſionem, quaſi ſeruum ſequeretur mancipium, & proinde magis ageretur quàm ageret, vt docet Ioann. Caluinus, iam fides per dilectionem quaſi inſtrumentum naturale operaretur, & principale operationis principium eſſet fides, non charitas, & fides eſſet maior charitate atque perfectior. Nunc autem liberè ſequitur ipſa voluntas principale operationũ principium, in poteſtate ſua habens poſt fidei oſtenſionem agere & non agere: & ideò tota efficacia & virtus operandi eſt in volũtate per charitatem informata: Propterea etiam fides non per ſe immediatè, ſed per effectum, bonam ſcilicet voluntatem operatur. Et quia finis ad quem omne præceptum etiam de credendo refertur, eſt charitas, ipſa præcipit exercitium fidei, quando hoc gratum eſt Deo ad eius gloriam & fratrum ſalutem. Fides igitur per dilectionem operatur, quia eius imperio, virtute, & efficacia fide excitante & dirigente operamur. Atque hac ratione charitas dicitur forma fidei in quantum ipſa ad finem eius, ſicut reliquæ omnes virtutes, refertur. A fine autem in moralibus ſpecies ſumitur, & ſpecies à forma. 2.2. quæſt. 4. art. 2. & de verit. q. 14. art. 4. Nam beatus Thomas tractans hunc locum Apoſtoli, Fides quæ per dilectionem operatur, &c. Quia veritas, inquit, prima quæ eſt fidei obiectum & finis omnium deſideriorum & actionum noſtrarum: vt patet per B. Auguſtinũ lib. 1. de Trinitate. Inde eſt quod fides per dilectionem, quamuis ſit in intellectu ſpeculatiuo, qui extenſione ad opus ſit practicus: Item alio loco docens charitatem eſſe excellentiſsimam virtutum obijcit. Illud per quod aliud operatur, videtur eo eſſe inferius, ſicut miniſter per quem Dominus aliquid agit, eſt ſuo domino inferior. Sed fides per charitatem operatur, ergo fides excellentior charitate. Reſpondet quod fides non operatur per dilectionem, ſicut per inſtrumentũ, vt dominus per ſeruum, ſed ſicut per formã propriam, extrinſecam tamen, & quadam ratione intrinſecam, vt docẽt idem B. Thom. & Cardinalis Caietanus: fidem autem informem non mereri nomen fidei, & Quæſt. 4. artic. 3. ſeſſ. 6. ſcripturas reclamare, non probat in ſua inſtitutione Caluinus, ſed ibi hoc tantum dicit, quòd à ſolida eius veritate longè abeſt: ſed probat in Antidoto. Ait enim.

Caluinus. Ephes. 3. *Si verum eſt quod dicit Paulus, Chriſtum habitare in cordibus noſtris per fidem, nihilo magis fidem charitate ſeparabũt, quàm Chriſtum à ſpiritu ſancto: ſi fide purificantur corda, quemadmodum Petrus affirmat: ſi quicunque credunt, habent vitam æternam: Si fide obtinetur æterna vita hæreditas, longè aliud eſt fides, quam mortua neſcio quæ perſuaſio. Viua nos fide Chriſti membra effici negant,* Actuum 15. *quantò melius Auguſtinus, qui fidem appellat animæ vitam, ſicut anima vita eſt corporis. Quanquam non tam Auguſtinus hic citandus author eſt, quàm Paulus qui fatetur ſe fide Chriſti viuere. Meminerimus fidei naturam à Chriſto æ-* In c. Ioan. 11 *ſtimandam eſſe: quia quod nobis offert Deus in Chriſto, non niſi fide recipimus. Proinde quicquid nobis eſt Chriſtus, id ad fidem transfertur, quæ nos compotes et Chriſti, & omnium eius bonorum facit. Neque aliter verum eſſet illud Ioannis, fidem noſtram eſſe victoriam qua mundus vinceretur, niſi nos in Chriſtum inſeret qui ſolus eſt mundi victor. Ad patrum, inquit, ſtuporem animaduertere operæpreciũ eſt, quod dum citant illum Pauli* Galat. 2. *locum, Fides quæ per charitatem operatur, non cogitant ſe hoc quaſi gladio iugulari. Nam ſi fructus eſt ac effectus fidei charitas, quis non videt informem illam fidem quam fabricarunt, inane eſſe figmentum? Erit enim perabſurdum, ſi filia matrem interimat.*

Reſponſio. Scripturis iſtis & argumentis ex eis deductis à Caluino reſpondetur per diſtinctionẽ fidei informis & formatæ, hoc eſt fidei, quæ charitati tanquam ſuæ vitæ coniuncta eſt, & quæ ab ea eſt ſeparata, ſiue (vt loquitur Caluinus) per diſtinctionem duplicis formæ fidei, ſicut ipſe reſpondet ſcripturis, quæ teſtantur peccatores credere. Nam B. Bernardus tractans locum Apoſtoli, Chriſtum habitare per fidem in cordibus noſtris: Serm. 2. de reſurrect. Domini. Non incongruè, inquit, intelligi poteſt tam diu Chriſtum in nobis viuere, quàm diu viuit fides. Ephes. 3. At quãdo fides in nobis mortua eſt, quodãmodo Chriſtus mortuus eſt in nobis: porrò fidei vitam opera atteſtantur. Et Apoſtolus Iacobus, fidem ſine operibus mortuam eſſe aſſerit in ſemetipſa. Sicut enim corporis huius vitam ex motu ſuo dinoſcimus, ita & fidei vitam ex operibus bonis. Itaque vita quidem corporis eſt anima, per quam mouetur & ſentit: vita verò fidei charitas eſt, quia per illam operatur, ſicut in Apoſtolo legis, Cap. 1. Fides quæ per dilectionem operatur. Vnde refrigeſcente charitate, fides moritur, ſicut corpus anima recedente. Nam fidei vitam, vt

iam diximus, in charitate conſtituit, qui fidem per dilectionem perhibuit operari. Igitur ſine charitate fides manet, ſicut corpus anima iam deſtitutum. Non ergo per quamlibet fidem Chriſtus in cordibus noſtris habitat, ſed per eam tantũ, quæ viua eſt & charitati coniuncta. Et corda gentium Petrus Apoſtolus dicit Deum fide purificare, non operibus legis, contra quæ eam diſtinguit. *Act. 15.* Infert enim, Quid tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod nec nos, neque patres noſtri portare potuerunt? Dixit autem hæc verba occaſione quorundam, qui docebant fratres, quod ſaluari non poſſent, niſi ſecundũ morem Moyſi circunciderẽtur: contra quos docet idem Apoſtolus Petrus, quòd ſine operibus legis, fide credentium corda purificantur, ſed non ſterili, verum adducẽte pœnitentiam, ſine qua à ſordibus peccatorum cor non abluitur. Includit enim fides opera, quæ ex ea naſcuntur. *Act. 2.* Nam idem Apoſtolus Petrus compunctos corde & iam credentes hortatur ad pœnitentiam & baptiſmum, vt remiſsionem peccatorum accipiãt & donum ſpiritus ſancti, hoc eſt, à peccatis purificentur. Et Simonem *Act. 8.* Magum, cui ſcriptura teſtimoniũ perhibet quòd credit, adhortatur vt pœnitentiam agat à ſua nequitia, & roget Deum, ſi fortè remittatur ei cogitatio cordis ſui. Eodem itaq; ſenſu Petrus corda fide purificari dicit, quo Apoſt. Paulus ex fide nos iuſtificari, non ex operibus. Sententia autem B. Petri quam hic citat Caluinus, multũ aduerſatur noſtris aduerſarijs, qui docent iuſtorum corda immunda & peccatis contaminata manere. At Petrus fidei tribuit cordis munditiem & purificationem, non apprehenſionẽ munditiei alienæ. Nec qualibet fide corda purificari docet beatus Ioannes Euangeliſta, dicẽs *Cap. 12.* multos principes in Ieſum credidiſſe, & magis dilexiſſe gloriam hominum, quàm gloriam Dei. Item Deum dediſſe eis poteſtatem filios Dei fieri, non autem ſtatim iuſtos ac filios Dei eſſe, ac mũdos à peccatis. Idẽ tamen Ioannes alio loco ſcribit, Quicunq; credunt in eum, habent vitam æternam, & obtinent vitæ æternæ hæreditatem. Sed has ſcripturas *Ioan. 1.* inter ſeſe conciliant patres, vt ex B. Bernard. audiuimus, per diſtinctionem fidei viuæ ex charitate, & mortuæ: qui etiam docet charitatem eſſe vitam, quia fides per dilectionem tanquam formam operatur. Eſt enim idem principium vitæ & operationis, & per eandem formam viuitur, per quam fit operatio. *Cap. 6.* Item B. Bernard. ad Henricum Archiepiſcopum Senonenſem, trifariam ponit fidei diuiſionem, vt dicatur fides mortua, ficta, & *Epiſtol. 42.* probata: Fidem mortuam, inquit, definit Apoſtolus Paulus, eam quæ non operatur ex dilectione, quaſi non habens animam, videlicet dilectionem ipſam, qua vegetetur & moueatur ad opera. Fictam autem ego arbitror illam fidem, quæ ſuſcepta quidẽ ex charitate vita moueri inchoat ad benè operandum, ſed nõ perſeuerans, deficit & moritur tanquam abortiua. Hactenus ille. In hac autem trifaria fide, ratio fidei communis eſt ei quæ viua eſt, & ei quæ ficta eſt, hoc eſt, non permanens (qualem dicit eſſe eorum qui ad tempus credunt fide etiam viua, & in tempore tentationis recedunt) & etiã fidei probatæ, ſicut eadem eſt ratio corporis viui, & poſtea vita & virtute deſtituti. Et conformiter ſcripturis negamus viua Chriſti membra effici fide mortua. Neque enim quę mortua eſt fides, ait beatus Bernardus, vitam dare poteſt, membra tamen corporis in quibus mortua eſt fides, manent. Nam palmitem aridum Dominus foras mitti iubet & amputari. Et beatus Auguſtinus dicens caput Eccleſiæ eſſe Chriſtum, & corpus eius Eccleſiam, addit in hoc corpore vnitatem membrorum & compaginem charitatis eſſe eius ſanitatem, & ideo eum qui in charitate friguerit, in corpore infirmari: ſed potens eſt, inquit, infirma membra ſanare, dum tamen non nimia impietate præcidãtur, ſed hæreant corpori donec ſanentur. Quicquid enim adhuc hæret corpori, nõ deſperatæ ſanitatis eſt: quod autem præſciſum fuerit, nec curari, nec ſanari poteſt. *Serm. 46. De ver. Do.* Idem plurimis in locis docet malos in quibus mortua eſt fides, pertinere ad compagem corporis Chriſti tanquam membra. Confitemur etiam fidem ratione charitatis coniũctæ eſſe animæ vitam: *Contra epiſt. Petil. de vnitat. eccle. cap. vltim. & lib. 4. in Matt ca. 11. & lib. 2. contra epiſtol. Permeni. cap. 2.* & hac fide fatetur ſe Paulus viuere, quamuis ſpectando ſcopũ diſputationis intendat nos viuere non operibus legis, ſed fide eſſe filios Dei, quæ eſt vitæ initium, & ſine qua nullis operibus in Chriſto viuere cõtingit. Quod autem frequenter repetit Caluinus, quod non niſi fide recipimus id quod nobis Deus in Chriſto offert, & ideo ad fidem transferendum quicquid nobis eſt Chriſtus, quodque ipſa nos compotes & Chriſti & omnium eius bonorum faciat, obſcurum habet ſenſum: nec tamen vllo ſcripturarum teſtimonio probat, imò ſcripturis aduerſatur ſenſus, quem frequenter in hoc loco explicat, quod videlicet credendo accipimus, quod in Chriſto nobis offert, hoc eſt, quod per ipſam fidem apprehẽdimus donum oblatum. Oſtendimus enim ſcripturarum teſtimonio multos credere, qui hæc beneficia non conſequuntur, ſicut teſtantur etiam propoſitiones ſuperius ex Caluino deſumptæ. Et brachijs amoris & deſiderij potiꝰ amplectimur, quod fide cognoſcimus nobis offerri, & credentes ſuſcipimus, modò accedat pœnitentia. Ait enim beatus Petrus, Pœnitentiã agite & accipietis donum ſpiritus ſancti. *Act. 2.* Et certum eſt, quod donum fidei accipimus, non tamen fide apprehendente: atque in donis quæ accipimus, plerunq; ſolum paſsiuè nobis habemus. Eadem hæc viua fides ſecũdum doctrinam B. Ioannis, vincit mundum. Ait namque Bernardus: Quid ait Ioannes? Quis *Serm 1. in octaua Paſchæ cap. 5.* eſt qui vincit mundum, niſi qui credit, quia Ieſus eſt filius Dei? cùm & ipſe iam mundus credat. An non ipſi quoque dæmones & credunt & contremiſcunt? Cui reſpondet. Por-

ro fides ſine operibus mortua eſt in ſemetipſa. Nec ſane mirum videri poteſt, ſi nequaquam vincit, quæ nec viuit quidem. Quæris quænam ſit viuida & victorioſa fides? Illa ſine dubio per quam Chriſtus habitat in cordibus noſtris. Chriſtus enim & virtus eſt & vita noſtra. In ipſo vincimus & nos. Denique ſi his tantùm data eſt poteſtas filios Dei fieri, qui ſuſcipiunt Chriſtum, de his quoque ſatis intelligendum eſt quod dicitur, Omnis qui natus eſt ex deo vincit mundum. Et certè rectè patres citant locum Pauli: Fides quæ per charitatem operatur, pro diſtinctione fidei. Non enim diceretur fides quę per charitatē operatur, niſi eſſet & alia quæ per charitatem non operatur, ſed vel otioſa eſt, vel per timorem operatur, vt docet Beatus Auguſtinus, & Beatus Bernardus locis ſupra citatis. Bernardus quidem colligit, quod fides per charitatem viuit, ex eo quòd per eam operatur, cùm idem ſit & vitę & operationis vitalis principium. Et charitas modo quodam fructus ſiue effectus fidei eſt, ſicut amor fructus eſt notitiæ, ſed intercedente & principaliter efficiente voluntate, cuius operatio eſt dilectio, magis efficit notitia amorem ratione obiecti quod proponit, & ita in genere cauſæ finalis potius quàm efficientis: propter quod charitas propriè fructus fidei dici non poteſt, ſed reliquæ virtutes charitatis fructus. Ait enim beatus Auguſtinus, Fructus ſpiritus, inquit Apoſtolus, eſt charitas, ac deinde cetera tanquam ex iſto capite exorta & colligata contexuit, quæ ſunt gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, ſpes, manſuetudo. Ea autem ratione qua charitas dicitur fructus fidei, dici poſſet & pœnitentia ac odium peccati eſſe eius fructus, quæ tamen ad Dei gratiam & hominis voluntatem tanquam ad radicem & principium referenda ſunt vt fructus: ad fidem autem tanquam initium. Supponit autem hic Caluinus principalem cauſam charitatis eſſe fidē, & hanc neceſſario charitatē ſequi, quaſi nulla eſſet in diligendo libertas in hominis voluntate: quod falſum eſt & erroneū, vnde et iam multa alia peſtilentiſsima dogmata ſcaturierunt. Et ridiculum eſt, quòd filia matrē interimeret, ſi ponatur fides aliqua informis. Non enim charitas accedens ad fidem (cui⁹ filiam vult Caluinus eſſe charitatem) & eam perficiens interimit, eo quod manet fides cum charitate ſed formata & perfecta. Hic ſtupiditatem Caluini animaduertere licet, non patrū. Nec hi ſe gladio iugulant dū citant locum Pauli: fides quæ per dilectionē operatur, tametſi fructus & effectus fidei eſſet charitas. Manifeſtum eſt ex dictis quòd huic diuiſioni fidei in formatam & informem non reclamant ſcripturæ, imò potius eam conuincunt & per eam concordantur, ſicut monſtrauimus ex Auguſtino & Bernardo, Nec per ſermonis abuſum, fidei teſtimoniū eis in ſcripturis tribuitur, qui ſermonē Dei pro certiſsimo habent oraculo & minis

Galat. 5.

Tract. 10. ſuper Euang. Ioan.

ac promiſsionibus plurimum commouentur. Tales enim magnificè commendat Apoſtolus, quum ait Theſſalonicēſibus, Cum accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non vt verbum hominum, ſed vt verè eſt verbum Dei. Nec vmbra ſeu imago fidei eſt huiuſmodi fides, ſed res magni momenti. Nam Beatus Hieronymus: Qui peccator eſt, inquit, & tamen in illum credit, cadit quidem ſuper lapidem & confringitur, ſed non omnino conteritur: Reſeruatur enim per patientiam vel pœnitentiam ad ſalutem. Super quem verò ille ceciderit, hoc eſt qui Chriſtum penitus negauerit, conterit eum, vt nec teſta quidem remaneat in qua hauriatur aquæ puſillum. Nam ſolidam fidei veritatem habere poteſt peccator, ſed non perfectionem quamdiu deeſt dilectio. Et exempla ſcripturarum quæ habet quinta propoſitio ſupra poſita, docent ſcripturæ etiam vſu, eos credere, qui Dei timorem & veram pietatem non habent. Et mirum eſt quod dicit Caluinus in 4. & 6. propoſitione, falſam eſſe fidei ſimulationem in peccatore, cùm dicat Simonem non ſimulaſſe verbis fidem quam in corde nullam haberet, ſed eum Euangelij maieſtate victum, Chriſtū authorem vitæ & ſalutis agnouiſſe, & qualemcunque fidem ei adhibuiſſe. Manifeſtum eſt etiam quòd hæc fidei diuiſio ad multa conducit, ad concordiam videlicet ſcripturarum, & veram naturæ fidei eiuſq; obiecti cognitionem.

1 Theſ. 2.

In comment. in Matth. cap. 21.

Eſt autem conſiderandum circa propoſitionem ſextam ſuperius poſitam, quòd obſcura, incerta, & imperceptibili nota diſcernat fidem ſolidam (quam ſolam fidei nomine dignam arbitratur) à fidei vmbra, quā dicit eſſe in peccatoribus. Illa, inquit, aſſenſio quæ ſolida fides nō eſt, ad cor ipſum vſq; minimè penetrat, vt illic defixa reſideat: & quanquam radices egiſſe interdum videtur, viuę tamen illæ nō ſunt. Tot vanitatis receſſus habet, tot mendacij latebris ſcatet cor humanum, tam fraudulenta hypocriſi obtectum eſt, vt ſeipſum fallat. Si enim tot vanitatis receſſus habeat, & tanta hypocriſi obtectum eſt cor humanum, quis per hanc fidem, vel quamcunque certus eſſe poteſt de remiſsione peccatorum & futura hæreditate? & quæ haberi poteſt certitudo, quando ſine hac fide nec peccatar emittuntur, nec ſalus cōtingit? Item, quæ mens hac cordis hypocriſi infecta certò & infallibiliter ſe ſolidè credere iudicabit? Nam ſecundum eundem Caluinum plerumque hæc aſſenſio ad cor venit, guſtu ſuo afficit, & quū cum gaudio & auidè ſuſcipitur, virtus eius ſentitur. Qua precor nota igitur intelligitur, quod non ſic penetrat aſſenſio, vt illic defixa reſideat, & an viuæ ſint radices quas agit? Solida tamen non eſt perſuaſio, niſi habeat omnes has conditiones. Radices enim figit verbum quod poſtea ſpinis ſuffocatur. Quis hominum intelliget an viuæ ſint radices? Nullus igitur omnino hominum certò & infal-

Reſponſio ad Caluinum

libiliter cognoſcere poteſt hanc fidem ſe habere, & ita nec certus eſſe de peccatorum remiſsione & futura ſalute. Incertum etiam ſignum eſt quod inſinuat Caluinus pro huius cognitione, quòd ſcilicet verbum Dei in corde firmas ac viuidas habeat radices, dum ait. Qualiſcunq; ſenſus quo tanguntur, qui fidei ſolum habent ſimulachrum, in terrorem tandem exit & conſternationem: ſolidæ autem fidei ſenſus in fiduciam & conſolationem de Dei benignitate. Incertum namq; eſt quis ſenſus & apud quos tandem & finaliter in fiduciam ſit exiturus, & apud quos in conſternationem, quum hoc pendeat ex gratia Dei cuſtodentis & electis ſuis perſeuerantiã largientis: nec eſſe poſsit ex natura vel vlla cõditione fidei. Et quod quidam ad tempus credunt, ad voluntatem ipſorum magis refert dominus Saluator, quã ad fidei qualitatem. Quod autem in terram bonam, ait, hi ſunt qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum adferunt in patientia: Et omnia in futurum nobis ſeruantur incerta. Strenuè expugnat hanc fidem, hoc ipſum quod omnibus ſectis ſit communis. Nam Anabaptiſtæ, Zuingliani, & Lutherani perſuadẽt ſibi omnia peccata eſſe remiſſa, vna tamen aliam ſectam damnat, & apud quaſdam hanc fidem falſam haberi oportet. Quare rectiſſimè diſtinguitur fides viua ab informi ſiue mortua, per præſentiam & abſentiam charitatis, non per diuerſas fidei formas, nec per fixas viuas radices aut exitum in timorem aut conſolationem: Hæc ſunt quæ de fide & credentibus loquentes noſtri hæretici, ſcripturas omnes obſcurant & eneruant.

Lucæ. 8. — *Sapiens. 8.*

DEinde Ioannes Caluinus proſequitur quæ perſuaſio ſit ſolida, vera, & Chriſtiana fides, & vt cœpimus eius ſententiam in propoſitiones contrahemus.

1. propoſitio Caluini. *Vera & Chriſtiana fides, quæ ſola fides haberi meretur, neq; ſimplici contẽta eſt hiſtoriæ cognitione, & cor hominis abſterſo inde fictionis ſimulationiſq; fuco penitius inſidet atque occupat, quàm vt temere euaneſcat.*

Reſponſio. Quæ precor hæc obſcura verborum portenta? Quis vnquam cognoſcet abſterſum eſſe omnis ſimulationis fucũ, & penitiùs hãc fidem cor hominis inſidere atque occupare, quàm vt temerè euaneſcat? Pudet eum hic dicere id quod ſentit. Sentit fidem veram nuſquam euaneſcere, & ex fideli non poſſe fieri incredulum, nec fidem ſemel habitam poſſe amitti, iuxta primam partem propoſitionis. Diximus & nos ſuperiùs Chriſtianam fidem non eſſe contentam ſimplici cognitione hiſtoriæ, ſed certam eſſe & infallibilem quaſi ex verbo Dei cognitionem, & omnem huiuſmodi cognitionem ſecundum ſcripturarum vſum mereri nomen fidei. Vt autem vis & natura fidei melius elucеſcat, ſequentium admonet lectorem Caluinus.

2. propoſitio Caluini. *Obiectum & ſcopus huius catholicæ fidei, ad quod correlationem habet, & perpetuò collimare debet, eſt verbum Dei, quod eſt & baſis qua fulcitur & ſuſtinetur: & corruit, ſi ab ipſo declinat. & incerta ſit incredulitas & vagus mentis error, ſi vel minimum ſeſe ab eo deflectit. Eſt enim verbũ Dei inſtar ſpeculi, in quo fides intuetur, & contemplatur Deum, & omnia quæ ſcire nobis expedit, & ideo eſt rerum præteritarum, futurarum, & omnium quæ in ſcripturis traduntur. Omnia namque veritati Dei ſubſcribit, quicquid quocunque modo & quoties loquitur. Et quamuis hominis miniſterio plerumque Dei verbum vnde fides concipitur ſeminatur, ſemper tamen per ſuum verbũ ſe, ſuamq; voluntatem repræſentat, his quos vult ad ſe trahere.*

Reſponſio. Catholica eſt tota hæc propoſitio & vera. Nõ enim fides noſtra eſt in ſublimitate ſermonis, aut perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis: non in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. Sed non oportet hoc Dei verbum cum quo fides correlationẽ habet, eſſe ſcriptum, eò quòd plerumq; habeatur ex traditione. Ait enim B. Chryſ. circa locum, Tenete traditiones quas didiciſtis. Hinc, inquit, patet quod non omnia per epiſtolam Apoſtoli tradiderint, ſed multa etiã ſine litteris. Eadem verò fide digna ſunt tam illa, quam iſta. Itaq; traditionem quoq; eccleſiæ fide dignã putamus, quum ſit verbum Chriſti per ſpõſam ſũam loquentis. Traditio eſt, ait ipſe, nihil quæras ampliùs.

In comment 2. epiſtolæ ad Theſ. ca. 2.

3. prop. Cal. *Fides vera & ſolida, & Chriſtiana propriè tanquam obiectum & ſcopum reſpicit miſericordiam, bonam voluntatem, & beneuolentiam, quibus erga nos eſt Deus pater: non autem totum Dei verbum. Nam hæ Dei voces, Morte morieris: &, Sanguis fratris tui clamat ad me de terra, per ſe fidem non niſi quatefacere poſſunt, tantum abeſt, vt ſtabiliendæ ſint idoneæ. Solum autem verbum beneuolentiæ & amoris Dei erga nos, propriè hanc fidem erigit, et propriè ab ea reſpicitur, quo etiam nititur & tranquilla recũbit. Hoc autem verbum eſt, quòd clemens eſt, benignus propitius, miſericors Deus pater, & vnicum eſt verè fidei Chriſtianæ obiectum.*

4. prop. Cal. *Vbi conſcientia noſtra in verbo vel voce Dei ſolam indignationem & vindictam conſpicit, quomodo nõ trepidabit & exhorreſcet? Deum autem quem exhorreſcit quomodo non refugeret? Solam igitur miſericordiam & beneuolentiam, quæ nos ad Deum trahunt, fides reſpicit in verbo Dei, hoc eſt, quòd erga nos ſit optima & beneuolentiſſima voluntate, quod & teſtatur omnia nobis in filio promittendo & donando, hoc pacto clariſſimè oſtendens, quòd ei noſter ſtatus curæ ſit, & tãquam filios nos amet. Cuius etiam cõſideratione ad eum allicimur quærendum, cognoſcẽtes totum noſtrum bonum in eo ſitum eſſe. In hac gratia promiſſione & bona Dei voluntate reclinat & tranquillum quieſcit cor noſtrum.*

Plurimum

Reſponſio. Plurimum hic laborat Ioannes Caluinus, vt ſpecioſam ſuam fidem, quam ad iuſtitiam & ſalutem æternam ſolam ſufficere & requiri docet, commendet & perſuadeat, & hanc quidem ſpecialem & diſtinctam à fide catholica & Chriſtiana, quæ correlatiuè dicitur ad verbum Dei, & ſuſcipit quicquid locutus eſt Deus. Illa verò nullum agnoſcit Dei verbum niſi quod eſt de bona & gratuita eius erga nos voluntate quam in Chriſto & gratiæ promiſsione teſtatus eſt, ob quam ſecũdum eius doctrinam, omnia de eo nobis polliceri poſſumus, & certiſsimè ac infallibiliter expectare, nulla indignitatis noſtræ vel operum habita ratione. Quis precor ſanctorum ſic contraxit nomen fidei generale, vt vnicum duntaxat Dei verbum reſpiciat? Quis à fide quam Deo debemus, quæ ſcriptura aliquod Dei verbũ excepit? Quis feret Caluinum dicẽtem, vox Dei dicentis ad Adam, *Geneſ. 2.* Morte morieris: & ad Cain, Sanguis fratris *Geneſ. 4.* tui clamat ad me de terra, nihil per ſe niſi fidem quatefacere valet, tantum abeſt, vt ſtabiliendæ ſit idonea? Quis feret hiſtoriam Euangelij non pertinere ad fidem? Nemo ſola fide nos iuſtificari & ſaluari legens hanc fidem ſpecialem tantum, ac ſpecialis, imò vnici obiecti intelliget, & tunc ſolum ſi cor ipſum penetrat, & illic defixa reſideat, viuas habens radices, & cor ita occupet, vt non temerè euaneſcat, & alienum ſit à ſimulatione & fuco. Quis gloriabitur talem ſe habere fidem & hanc inſeparabilem vt amitti non poſſit, & neceſſariò comitem habeat charitatem? Hanc tamen ſolam docet Ioannes Caluinus ſe intelligere quãdo ſcribit ſola nos fide iuſtificari, & apprehendere peccatorum remiſsionem ac ſalutem æternã, & ſine ea nemini peccata remitti. Certè tota hæc Caluini de fide tractatio magno artificio & ſuauiloquentia compoſita eſt ad ſeducẽdam ſimplicẽ plebeculam. Viros doctos quos in hunc errorem etiam abduci videmus, mirandum eſt has fraudes atque impoſturas non aduertere. Non poſſum mihi perſuadere quòd Caluinus ſe hanc fidem intelligere arbitretur, & ſe ea eſſe præditum, vt certò & infallibiliter credat ſibi remiſſa eſſe peccata, cùm non ſit veriſimile, quòd arbitretur cor ſuum à mendacij latebris & fauduléta hypocriſi, quibus ſcatere docet omne cor humanum, eſſe exemptum, quodq; propterea fallaci fidei ſimulatione animo ſuo nõ imponatur: neque eam vllo tempore amittet, quæ tamen amiſſa charitate non manet. Nos prædicamus & confitemur vnam eſſe fidem, ſicut vnum baptiſmum, vnum mediatorẽ Dei & hominum: quæ ſubſcribat omni verbo Dei, & ſcripto, & per manus ſine ſcriptura tradito, qualecunque fuerit ſiue comminationis, ſiue promiſsionis, præcepti vel prohibitionis & narrationis hiſtoriarum, & ſecundum variam qualitatem verbi varias eſſe fidei conſiderationes & diuerſos ſequi affectus, amorem, odium, metum, fiduciam, vel pudorem. Alium enim affectum parere natũ eſt verbũ cõminationis irati domini, quam blandientis, inuitantis, & promittẽtis. Ad verbũ enim domini in ſuo Apoſto. Pro Chriſto legatione fungimur tanquã *2. Cor. 5.* Deo exhortãte ꝑ nos. Obſecram' pro Chriſto reconciliamini Deo, inclinamini ad pœnitentiam. Et ex verbo domini. Non te deſeram, neque derelinquam. Item, Omnem ſo- *1. Pet. 5.* licitudinem veſtram proijcientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis, ad ſpem & fiduciam de Deo. Alia verò verba incutiunt terrorem: Iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt: Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Et ob actuũ diuerſitatem dicit B. Bern. *Serm. 66. in paruis.* tractãs locum Pſa. Dixit inſipiẽs in corde ſuo *Pſal. 13.* non eſt Deus: Deus licet vnus ſit, & vnum ſit, inquit, tamen non ſui varietate, ſed animi noſtri mutatione, guſtantibus nobis, diuerſos videtur habere ſapores. Sapit enim timenti iuſtitiam & potentiam: Sapit amanti bonitatem & miſericordiam. At is penitus inſipiẽs eſt, cui nec timorem Deus ſapit nec amorem. Diſcat quantum vult, ego ſapientem nõ dixero, dum nec timebit nec diliget Deum. Sequuntur autem hi affectus in voluntate non neceſſariò, ſed liberè & contingẽter, quis cõplacẽtia & diſplicentia quædã naturaliter ferè ſequãtur & neceſariò, niſi ꝑ voluntatis libertatẽ impediantur. Paululũ hic expendamus quæ hoc loco dicit Cal. de beneuolentia & miſericordia Dei erga nos: de quibus ſolis vult eſſe verã & Chriſtianã fidem. Affectus qui hanc fidei conſiderationem ſequitur & certa fiducia de Deo, quòd propitius erit nobis, & peccata dimittet, ex amore noſtri priuato naſcitur, quo Deũ propter noſtrum commodũ diligimus, nõ ex diuino amore, quo eum propter ſe amare debemus, noſtriſq; cõmodis renunciare, modò eius fiat voluntas ſicut in cœlo & in terra. Hic aũt amor & ex ipſo naſcens fiducia cõmunis eſt & impijs: & ideo non poteſt in hac fide & fiducia cor pacatum & tranquillum quieſcere. In ſe enim ſuoq; commodo extra Deum quieſceret. Quia feciſti nos ad te, ait B. Aug. inquietũ eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te, nec ex huiuſmodi fide nata eſt *1. Lib cõfeſ. cap 1.* ſequi dilectio Dei & proximi, mentes renouãs, & per ſpiritum ſanctum corda purificãs. Hæc enim non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ aliorum. Contingit namq; plerumq; perſuaſum eſſe filio quòd pater ei bene velit, & ideo bene ei fidat, ſibiq; de eo optima quæq; polliceatur, non tamen patrem diligat, ſed eum mori cupiat, vt in eius ſuccedat hæreditatẽ. Similiter & de Deo huiuſmodi cognitio & fiducia ſine vera eius charitate eſſe poteſt. Imò & in eo qui ſibi peccatorũ mortalium cõſcius eſt, quorum ipſum necdum pœnitet, & peccare cõtigit huius miſericordiæ cõſideratione. Ex ſimili affectu, ſui videlicet amore, proficiſcitur pœnitentia cõfeſsionis Auguſtanæ & Apologiæ, eiuſq; fides qua ſe impius poſt terrores ex conſideratione iræ Dei incuſſos, erigit ad apprehendendam pecca-

peccatorum remiſsioné. De hoc duplici ge-
nere amatorum confitentium Deum loqui-
Pſal.117. tur B.Bernard.tract.de diligendo Deo,& e-
piſt.11.circa verſ.Confitemini domino quo-
niam bonus.Confitetur quidam,inquit,do-
mino, quia fortaſsis bonus eſt ſibi, non au-
tem quoniam bonus eſt in ſe. Quapropter
nouerit in ſe dirigi illud ab eodem prophe-
Pſal.49. ta opprobrium,Confitebitur tibi cum be-
nefeceris ei.Eſt qui confitetur domino,quo-
niam potens: & eſt qui confitetur quoniam
ſibi bonus: item qui confitetur quoniam ſim
pliciter bonus eſt.Primus ſeruus eſt & timet
ſibi:Secundus mercenarius,& cupit ſibi.Ter
tius filius,& defert patri.Itaq; & qui timet,
& qui cupit, vtriq; pro ſe agunt. Sola quæ in
filio eſt charitas, non quærit quæ ſua ſunt,
Pſal.18. quamobrem puto de illa dictũ Lex domini
immaculata, conuertens animas, quòd ſola
ſit, quæ ab amore ſui & etiam mundi auerte
re poſsit animum & in Deum dirigere. Ti-
mor enim nec amor priuatus mutat animũ.
Mutant interdum vultum & actum, affectũ
nunquam. Non igitur poteſt ex huiuſmodi
fide & fiducia priuati amoris mens renoua-
ri, vel impius iuſtificari, & niſi ex hac fidei
conſideratione animus quaſi per gradum aſ-
ſcenderit ad contemplationem Dei, quod
bonus eſt in ſe & omnium perfectionum
abyſſus, vt ſic eum propter ſe diligamus, &
ex vero ac ſyncero corde ei dicamus, Sancti-
ficetur nomen tuum, Fiat voluntas tua ſicut
in cœlo & in terra. Propter quæ nec feren-
dum eſt quod dicit Caluinus, quod noſtra
non ita referat ſcire, quod Deus ſit, & qualis
ſit tantum, ſed qualis nobis eſſe velit, cùm
Heb.11. imprimis Apoſt. hoc requirat in accedente
ad Deum, vt credat Deum eſſe, & eſſe remu-
neratorem inquirentibus eum . Et mirum
certè quod non conueniat ad vitam rectè
inſtituendam ſpectare Deum quaſi iuſtum
iudicem, qualem eum ſcriptura frequenter
nobis proponit. Si ego, inquit, dominus, vbi
eſt timor meus? Et ad Dei timorem & ſeue-
rum iudicium meditãdum ſæpenumero in-
uitat ſcriptura, Vt probaret vos & vt terror
illius eſſet in vobis, & non peccaretis, ait
Moyſes populo, Deum eis terribilem appa-
ruiſſe. Et, Memorare nouiſsima tua & in æ-
ternum non peccabis. Item, Si non in timo-
re domini tenueris te inſtanter, citò ſub-
uertetur domus tua. Rurſus propheta, A ti-
more tuo domine cõcepimus & peperimus
Aug. tract. 9 ſuper epi. Ioan. De catechiſan. rudibus. ſpiritum ſalutis. Et B.Aug. Sicut ſeta intro-
ducit linum, ita timor charitaté. Item Rariſ
ſimè, inquit, accidit, imò ferè nunquam, vt
quiſquã veniat volens fieri Chriſtianus, qui
non ſit aliquo Dei timore perculſus. Et per
malorum timoré ad pœnitentiam peccato-
Matt.13. res inuitat B.Ioãnes præcurſor domini. Mul
tum igitur refert ſcire, quòd Deus eſt & qua
lis eſt in ſe, ſine qua cognitione nunquam
erit dolor de peccatis propter eius offen-
ſam, nunquam amor eius propter ſeipſum.
Sed ait Caluinus, *Quando in verbo reſpicimus
ſolam indignationem, timebimus & exhorreſce-
mus.* Hoc & nos confitemur, ſed miſeri-
cordiæ & propitiationis conſideratione,
quòd videlicet propitiabilis eſt ſuper mali-
tia, reſpirabimus, & certa fiducia veniæ ad
iratum & indignantem dominum confugie
mus. Ad hoc enim iratum ſe dominus oſten-
dit, vt ab eius clementia à malo quod exhor
reſcimus, liberari petamus. Si occiderit me,
inquit Iob, in ipſo ſperabo. Ex dictis propo-
ſitionibus Caluinus colligit definitionem
fidei, quam etiam prolixè declarat. Ait enĩ,

Fides eſt diuinæ erga nos beneuolentiæ firma Caluinus.
*certaque cognitio, quæ gratuitæ in Chriſto promiſ
ſionis veritate fundata per ſpiritum ſanctum &
reuelatur mentibus noſtris, & cordibus obſigna-
tur.*

Abſurdum eſt quòd Caluinus fidem, quæ Reſponſio.
in genere verbum Dei, vt & ipſe dicit, corre
latiuè reſpicit, definiat per ſolius beneuo-
lentiæ eius cognitionem, non veracitatis,
quæ eſt fidei obiectum formale. Nam & ip-
ſe Caluinus dicit, quod fidei fundamentum
eſt præſumta de veritate Dei perſuaſio. Ne-
que tamé, vt ipſe addit, ſufficit Deum crede
re veracem, niſi cõſtituas procul dubiò quic
quid ab ipſo prodit, ſacroſanctam eſſe & in-
uiolabilem veritatem. Hac tamen Dei veri-
tate præterita, definit fidem eſſe beneuolé-
tiæ ſolius cognitionem, vt ſola cognitio e-
ius quòd Deus nobis beneuolus eſt, fides ſit
Chriſtiana. Quis Chriſtianorum feret quod
non eſt Chriſtiana fides qua credimus Deum
patrem omnipotentem creatorem cæli &
terræ? nec iſta qua credimus Ieſum Chriſtũ
filium eius vnicum dominum noſtrum, &
hunc conceptum de ſpiritu ſancto & natum
ex Maria virgine, paſſum, crucifixum & mor
tuum reſurrexiſſe. Hæc enim omnia ad hi-
ſtoriam ſolum pertinere dicit (quam tan-
quam Dei oraculum ſuſcipiũt etiam impij)
non autem ad ſolidam & Chriſtianam fi-
dem. Nec ſecundum Caluinum credimus ſo
lida fide vnam eſſe ſanctam Eccleſiam catho
licam, peccatorum remiſsionem & vitam æ-
ternam: quum fides definiatur eſſe certa &
firma cognitio beneuolentię Dei, & ea dun-
taxat quæ gratuitæ in Chriſto promiſsionis
veritate fundata eſt. Nec hæc ſufficit, niſi
& cordibus obſignetur. Verbum enim Dei
de iuſtitia & potentia eius, fidem, inquit,
quatefacit: tantum abeſt, vt idoneum ſit ad
eam ſtabiliendam. Ita hęc definitio fidem re
ſtringit, vt figmentum potius & hominis hu
ius imaginatio eſſe videatur, quam Dei do-
num ad ſalutem conducens. Talis fidei nuſ-
quam meminit Apoſt. Paulus, qui impium
iuſtificari dicit credentem in eum qui iuſti-
ficat impium. Item in eum qui ſuſcitauit Ie
ſum Chriſtum Dominum noſtrum à mor-
tuis. Et alio loco, Sic confitearis in ore tuo Rom.10.
Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris
quòd Deus illum ſuſcitauit à mortuis, &c.
Meminit & fidei propitiationis in ſanguine
ipſius, quem & articulus dicit requiri ad iu-
ſtificationem, Fidei verò beneuolentię Dei,

nuſ-

nuſquam meminit. Et ſi in genere intelligãtur beneuolẽtia & miſericordia Dei, conſpiciuntur inter alia inuiſibilia eius: à creatura mũdi per ea quæ facta ſunt, ſicut ſempiterna eius virtus & diuinitas, cuius ſunt quaſi proprietates: & propterea earum notitia magis eſt euidens, quàm fides ſiue cognitio enigmatica. Si autem intelligãtur beneuolentia hæc & miſericordia, ſicut intelliguntur à Caluino, erronea eſt huius beneuolentiæ cognitio & ſcripturis contraria. Non enim erga omnes homines efficax eſt & abſoluta Dei miſericordia & beneuolentia, vt eorum peccatis propitietur & ſaluet, quamuis modo & ſenſu quodam omnes homines velit ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Addit autẽ prolixam huius definitionis declarationem, quæ ſi diligenter expendatur, multæ apparebunt abſurditates ſcripturis contrariæ. Hanc quoq; eius declarationẽ in propoſitionibus complectemur.

Caluinus. *Fides eſt firma certaq; cognitio non comprehenſio, nec plena intelligentia eorum quæ creduntur, & plus ipſa perſuaſionis certitudine intelligit, quàm ſi humanum aliquid ſua capacitate perſpiceret. Et ob hanc certitudinem fides dicitur com-* *Epheſ 3.* *prehendere quæ ſit longitudo profunditas, & cognoſcere ſuper eminentem cognitioni dilectionem Chriſti. Et apud Ioannem vocatur ſcientia quan-* *in c. Ioan. 11* *do teſtatur fideles ſcire ſe eſſe filios Dei. Et certò ſciunt, ſed diuinæ veritatis perſuaſione magis confirmati, quàm rationali demonſtratione edocti. Vnde ſtatuimus, inquit fidei notitiam certitudine* *Galat. 2.* *magis quã apprehẽſione cõtineri, Et ideo in definitione addimus, Certam & firmam, quò ſolidior perſuaſionis conſtantia exprimatur. Nam vt dubia & verſatili opinione non eſt contenta fides, ita nec obſcura perplexaq; conceptione, ſed plenam & fixam, qualis de rebus compertis & probatis eſſe ſolet, certitudinem requirit, vt nulla ſit in intellectu, nec in voluntate formido, ſed certa quieſcentia, tranquillitas & ſecuritas.*

Reſponſio. Totam hanc propoſitionem libenter ſuſcipimus, imò docemus fidei certitudinẽ ſuperare ſcientiam & euidentiam, quam de rebus compertis & probatis habemus. Certius enim cognoſcimus quæ fide creduntur, quã quæ audiuimus, oculis noſtris vidimus perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt. Nihil enim certius eſſe poteſt, quã Dei verbum cui fides innititur. Cœlum, inquit Dominus, & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. Contingit enim falli in his quæ oculis noſtris videmus, & manus contrectant: non autem ſequendo verbum Dei, & ideo pro his quæ fidei ſunt eorumq; veritate moriendum eſt nobis, non autem pro veritate eorum, quę videmus vel per demonſtrationem ſcimus. Fallitur hic Ioãnes Caluinus, quòd ſoli miſericordiæ & clemẽtiæ Dei hanc fidei certitudinem, quæ verbo Dei in genere eſt communis, appropiat.

Caluinus. *Sũt permulti qui Dei miſericordiam ſic concipiunt, vt quàm minimum conſolationis inde recipiant. Simul enim miſera anxietate conſtringuntur, dum dubitãt an ſibi miſericors ſit futurus, quia illam ipſam de qua perſuaſiſsimi ſibi videntur clementiam, nimis exiguis finibus terminant. Si quidẽ ita ſecũ cogitant, & reputant magnã quidẽ Dei clementiam eſſe copioſam effuſam in multos, obuiam omnibus & paratam, ſed incertum eſſe an ad ſe quoque peruentura ſit, vel potius an ſint ad eam peruenturi. Hæc cogitatio dimidia tantũ eſt, nec tam ſecura ſpiritum tranquillitate confirmat, quàm inquieta hæſitatione ſollicitat. Longè eſt alius ſenſus plerophorias, quæ fidei ſemper in ſcripturis tribuitur, nempe, quæ Dei bonitatem perſpicuè nobis propoſitam extra dubium ponat. Id autem fieri nequit, quin & ſuauitatem vere ſentiamus, & experiamur in nobiſipſis. Quare Apoſt. ex fide deducit fiduciam, & ex hac, audaciam, quũ dicit per Chriſtum nos habere audaciã & aditum in fiducia, quæ eſt per fidẽ illius, & ideo nomine fidei pro fiducia ſæpe vtuntur ſcripturæ.*

Fidei officium eſt, vt diximus, certum facere & ſic firmare intellectum, in eo quod locutus eſt Deus. vt nihil titubet, nihil formidet de eius veritate, ſed certiꝰ adhæreat, quã ſi oculis conſpiciat, aut manibus contrectet. *Reſponſio.* Non patitur quod mens cogitet, fortè ſic eſt, fortè non ſic eſt. Nam Auguſt. li. 8. de Trinit. Credimus, inquit dominum Ieſum Chriſtum natũ de virgine, quæ Maria vocabatur, *Cap. 5.* Vtrum autem illa facies Mariæ fuerit, quæ occurrit animo, cum iſta loquimur, aut recordamur, nec nouimus omnino nec credimus. Itaque hic ſalua fide licet dicere, Fortè talem habebat faciem, forte non talem: Fortè autẽ de virgine natus eſt Chriſtus, nemo ſalua fide Chriſtiana dixerit. Et Richardus de S. Vict. oſtendit, quod nihil firmiùs tene- *Cap. 8. 1. lib.* tur, quam quod cõſtanti fide apprehenditur, nihil certius, nihil cõſtantius. Vtinã, inquit, attẽderent Iudæi, vtinam animaduerterent Pagani, cum quanta conſcientiæ ſecuritate pro hac parte ad diuinum iudicium poterimus accedere. Nonne cum omni cõfidentia Deo dicere poterimus? Domine ſi error eſt, à teipſo decepti ſumus. Nam iſta in nobis tantis ſignis & prodigijs confirmata ſunt, & talibus, quæ non niſi per te fieri poſſunt. Certè à ſummæ ſanctitatis viris ſunt nobis tradita, & cũ ſumma & authentica atteſtatione probata, teipſo operante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Hinc eſt vtique quòd perfectè fideles paratiores ſunt mori pro fide, quam fidẽ abnegare. De hac autem fidei certitudine diligẽter diſſerit Sanctiſs. Adrianus 6. in 2. quæſt. quodlib. objiciens dictum doctoris ſubtilis Ioãnis Scoti ex diſt. 23. 3. ſententia. quod fides non excludit omnem dubitationem, ſed tantum vincentem, & trahentem in oppoſitum credibilis. Et M. noſter Conrardus Koelin quodlib. 7. parag. 30. Fides itaque eſt firmitas intellectus per bonam voluntatem Dei gratia paratam. Nec in minimo ſermonis Dei limites egreditur,

Rectè nanque dicit Caluinus, quod verbum
Dei obiectũ & ſcopus eius eſt, in quem per-
petuo collimare debet, à quo ſi minimum
deflexit, non iam fides ſed incerta eſt credu-
litas, & corruit ſi ab eo declinat, quę ad inui
cem dicuntur correlatiuè. Quapropter quã-
do Dei verbum eſt generale, in generalitate
ſe continet fides, ne verbo Dei aliquid vel
addat vel demat Item quod in genere credẽ
tibus vel perſeuerantibus in ſcripturis pro-
mittitur, nulli perſonæ in ſpecie tribuit fi-
des quamdiu non conſtat ipſam eſſe in nu-
mero credentiũ vel perſeuerantium. Et quã-
do hoc certa fide conſtat, tunc primum cre-
dit in ea impleri Dei promiſsionẽ: vt quod
iuſtificatus eſt, quem certò & infallibiliter
conſtat ex fide verè pœnitere, & saluum fo-
re in vita æterna, quem ſic nouit in ſanctita-
te perſeueraturum. Cùm itaque verbum
Dei non habeat quod verè propter Dei of-
fenſam pœniteat me peccatorum, vel quod
perſeuerabo vſq; in finem abſque mortali
peccato, temerarium eſt credere, quòd re-
miſſa ſint mihi peccata, vel quòd ſaluabor.
Spei autem hoc peculiare eſt, quòd ſibi appli
cat indiuidualiter, ſiue ſpecificè, quod gene
raliter promittitur & proponitur omnib⁹, &
ideo ſe erigit & extendit ad brauiũ ꝓpoſitũ
quaſi ſibi ſoli ꝓponeretur. Eſt enĩ certa expe-
ctatio futuræ beatitudinis, ſicuti fides certiſ
ſima eſt cognitio eorũ quæ locut⁹ eſt De⁹. An
aũt hæc certitudo ſpei ſit participatio quædã
1.2.q.20 ar. 1.ad 3. & 1. 2.quaſt. 18. art. 4. certitudinis fidei, ſicut dicit B. Thomas, eò
quòd certitudo ad cognitionem pertineat,
non propriè ad affectionem: Vel an propriã
habeat certitudinem conſiſtentem in viri-
li adhæſione (vt dicit beatus Bonauentura
poſt Albertum Magnum) non eſt opus hic
diſſerere, ſed ſeruãdũ loco magis oportuno.
Hic autem ſatis fuerit quod de alio ſit fidei
certitudo, quàm de quo eſt certitudo ſpei.
2.Tim.2. Illa namq; eſt de Dei promiſsione, quòd fi-
delis eſt Deus, & ſeipſum negare non poteſt,
atque ita quòd credentes fide operato-
ria pœnitentiæ verè iuſtificantur, quodq́ue
ſalui fient, qui in finem vſque perſeuerant,
& quod omnibus obtemperantibus ſibi fa-
ctus eſt cauſa ſalutis æternæ. Certitudo autẽ
ſpei de eo eſt, quòd quis ex animo ob Dei of-
fenſam de peccatis dolens, peccatorum reci-
piet remiſsionẽ, & perſeuerans vitam æter-
nam, ſine vlla affectus vacillatione aut for-
midine: quanquam concurrere poſsit circa
idem obiectum intellectus incertitudo &
formido, eò quòd hic ſolum habeant proba-
bilem prę ſumptionem & opinionem pœ-
nitẽtiæ, iuſtitiæ, & ſalutis, & non certam &
infallibilem, quaſi ex verbo Dei cognitionẽ
quum nullum ſit de eo in ſpeciali Dei ver-
Thom. 2.2. q.20. art.2. Et Bonau. diſt. 43. 2. ſenten. circa literam. bum. Et in hoc Caluinus errat, nihil diſcer-
nens inter fidei & ſpei certitudinem, & quæ
ſpei ſunt tribuit fidei. Non igitur mirandũ
ſi permulti miſericordiam Dei certa etiam
fide ſic concipiant, vt quàm minimum inde
percipiant conſolationis, imò ſimul miſe-
ra conſtringantur anxietate, quum fides ſit
notitia intellectum quietum & tranquil-
lum reddens, non affectum, niſi fortè circa
virtutem eius quod creditur, de cuius tamẽ
aſſecutione nulla eſt intellectus certitudo,
ſicut de ea non eſt verbum Dei, nec fides. Po-
teſt enim cum vera fide ſalutis & iuſtitiæ eſ-
ſe deſperatio. Quòd ergo hi non recipiant
cõſolationem, eſt ex defectu ſpei, & de Deo
confidentiæ, non ex defectu fidei quæ eſt
notitia intellectus. Spes enim eſt quæ non
confundit, & quę operatur ne miſera anxie-
tate conſtringamur. Nam anxietas, anguſtia
& conſtrictio, cordis ſunt, non intellectus.
Nec ex eo naſcitur hæc anxietas, quod dubi-
tetur, an ſibi miſericors ſit futurus Deus, ſed
quia vt ad brauium propoſitum currat, ſe
non viriliter extendit. Nam & hic videmus
cum gaudio multos currere ad propoſitam
coronam, quam tamen non certò ſciunt ſe
aſſequuturos, imò dubitant, & plerumque
magis arbitrantur ſe non aſſequuturos. Hoc
ipſum videtur poſſe contingere currẽtibus
ad coronam æternam, qui tamen certiſsimò
credunt Deum miſericordem ſibi futurum
peccata remittendo, ſi verè eorum pœnite-
at, & à ſacerdote abſoluantur, vel baptiſmũ
ſuſcipiant. Nec in hac cordis anguſtia ne-
ceſſarium eſt, quòd Dei clementiam finibus
nimis exiguis terminent credendo, ſed ſpe-
rando tantùm. Et reuera quiſque de ſe rectè
cogitat, quòd magna Dei clementia copioſè
effuſa ęſt in multos, imò in vniuerſos qui ad
eum vero corde confugiunt (quod tamen
vt faciant ipſa operatur) quæ omnibus para-
ta eſt & obuia, incertum tamen habet, an ad
ſe quoque peruentura ſit hæc clementia, vel
potius, an ipſe ſit ad eam peruenturus, quia
de eo nullam habet Dei promiſsionem, nul-
lum Dei verbum perſonaliter ipſum com-
pellãs. Nuſquam enim mei vel tui meminit.
Et quiſq; ſuæ infirmitatis & ad peccandum
procliuitatis, atque liberi arbitrij flexibili-
tatis, ob frequentem lapſum, etiam poſt fir-
mum propoſitum vitãdi peccata ſibi eſt con-
ſcius, & nouit profundum cordis humani eſ
ſe inſcrutabile, vt nec ipſe quidem ſatis ſe
noſcat. Nouit etiam ſcriptum eſſe, quod v-
nuſquiſq; tentatur à concupiſcentia ſua abſ-
tractus & illectus. Horũ aũt cogitatio quæ
fidei non eſt, ſed noſtræ fragilitatis & expe-
rientiæ, nõ permittit nos eſſe ſine metu, nec
habere certitudinẽ infallibilem iuſtitię prę
ſentis aut futuræ ſalutis. Et ideo B. Gergor.
Hom.38. Euange. explicans verba Saluatoris,
Multi ſunt vocati, pauci verò electi: Tremẽ
dũ eſt valde fratres chariſsimi, inquit, quod
audimus. Ecce non omnes iam vocati per fi-
dem ad cœleſtis regis nuptias venimus. In-
carnationis eius myſterium & credimus &
confitemur. Diuini verbi epulas ſumimus,
ſed futuro dei iudicij rex intratur⁹ eſt: Quia
vocati ſumus, nouimus: ſi ſumus electi, neſ-
cimus. Tãto ergo neceſſe eſt vt vnuſquiſque
noſtrum in humilitate ſe deprimat, quan-
to ſi ſit electus, ignorat. Nonnulli enim bo-
na nec incipiũt, non nulli verò in bonis quæ

cœperunt, minimè perſiſtunt. Altera penè totam vitam ducere in prauitate cōſpicitur, ſed iuxta finem vitæ à prauitate ſua per diſtrictę pœnitentię lamenta reuocatur. Alter electam vitam videtur ducere, & tamē hunc contingit ad erroris nequitiam in fine vitæ declinare. Alter bonum benè inchoat, melius conſummat. Tantò ergo ſibi vnuſquiſq; ſollicitè metuat, quātò ignorat quod reſtat, quia quod ſæpè dicendum, & ſine obliuione retinendum: Multi ſunt vocati, pauci vero electi. Nemo ergo ſcit quid de ſe in oculis Dei iudicis agatur. Quia ergo nulli de ſe certum eſt electum ſe eſſe, reſtat vt omnes trepident, omnes de ſua actione formident. Omnes in ſola diuina miſericordia gaudeant. Et ideo Apoſtolus, Noli, inquit, altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & ſeueritatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt, ſeueritatem: in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate (vbi nota quam apponat conditionem) alioqui & tu excidéris. Non enim, vt diximus, mei vel tui meminerunt ſcripturę, ſed in genere duntaxat credentium, pœnitentiam agentium, & vſque in finem perſeuerantium. In reliquo, inquit Apoſt. repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die: nō ſolùm autem mihi, ſed & his qui diligunt aduentum eius. Et alio loco, Beatus vir qui ſuffert tētationem, quoniam cum probatus fuerit, recipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Neminem hæ ſcripturæ complectūtur, niſi ſubſumptio fiat quod diligat, credat, aut fidem habeat, quam ſcriptura requirit: qualem autem deſcribit Ioannes Caluinus, eſt impoſsibile habere ſine ſpeciali Dei reuelatione. Nihil igitur mirū eſt quòd hæc cogitatio, quæ ſolum humanæ fragilitatis eſt, non fidei, nec ſpei, tranquillam nō faciat conſcientiam, nec ſecura ſpiritum tranquillitate confirmet, ſed irrequieta ſollicitudine adhuc ſollicitet, quum ſpes quæ differtur affligat animam, & amore langueat anima ſancta & fidelis, quamdiu dilectum ſuum non cōplectitur. Ingemiſcimus enim quamdiu à Domino peregrinamur. Quia feciſti nos ad te, ait beatus Auguſtinus, inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. A fidei tamē certitudine proficiſcitur certitudo ſpei, quę conſolatur nos in omni tribulatione, & certos nos facit, quod iuſtitiam & hæreditatem à Deo promiſſam accipiemus, ſi tamen eius teſtamentum, & eo modo, quo hæredum inſtitutio facta eſt, ſeruemus, vt ſeruaturos nos certò ſperamus. Ait enim Apoſtolus: Si filij, & hæredes, hęredes quidem Dei, cohęredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur. Et iuſtitia illius in filios filiorum his qui ſeruant teſtamentum eius, & memores ſunt mandatorum eius ad faciendum ea. Item, Credere oportet, quòd Deus remunerator eſt, ſed inquirentibus ſe. Iudicium aūt infallibile quod eſt regula ſpei (ſecundum

Rom 1. *Tim 4.* *Iacob. 1.* *1. Cor. 5.* *Lib. 1. confeſſ cap. 1.* *A certitudine fidei, ſpei certitudo proficiſcuur.* *Rom. 8.* *2. Theſſ. 1.* *Heb. 11.*

B. Thom.) non eſt, quòd ego ſaluabor (quod incertū eſt) ſed quòd ego ſaluari poſſum ex meritis & gratia Dei. Nam ſpei obiectū non eſt bonum arduum poſsidendum, ſed quod poſsideri eſt poſsibile. Hic diſputari poſſet, an ſpei certitudo eſſe poſsit, cum dubitatione aut vacillatione intellectus de beatitudine conſequenda, aut cū æſtimatione, quod quis eam nunquam aſſequetur, modò tamen iudicetur quòd ipſam aſſequi poſsimus: & econtrà: an cum certitudine intellectus in credendo conſiſtāt timor, ſcrupulus, aut hæſitatio voluntatis de veritate eius quod creditur, niſi huius rei diligens diſcuſsio alibi commodius tractanda eſſet. Et quidem fidei certitudo extra dubium nobis ponit Dei bonitatem, & miſericordiam, quia tamē cuius vult miſeretur, & quē vult indurat. Miſerebor, inquit Moyſi, cui miſertus ſum, & miſericordiam præſtabo, cui miſerebor, per fidem extra dubium non ponitur, quod mei miſerebitur. Et quia fides ſimul proponit ꝙ iuſtus eſt Dominus, de effectu miſericordiæ conſequēdo, nulla eſt nobis certitudo. Quare de eo dubiū eſſe poteſt, & hæſitatio affectus, & etiā intellectus. Nec verum eſt quod dicit Caluinus, quod ꝓpoſita nobis Dei bonitate, per fidem illam ſentiamus, & in nobis experiamur. Nam propter palati cordis noſtri indiſpoſitionem, nihil ſuauitatis ſentire cōtingit. Id quod ipſe fatetur de Simone Mago, & his quos Euangelium dicit ad tempus credere, & in tempore tentationis recedere. Nec fidei notitiam ſequitur ſuauitas & delectatio, niſi libero volūtatis amore conſequente. Nam fructus ſpiritus eſt charitas, gaudium, & pax, ex charitate profecta. Non enim ſapiūt cæleſtia, quàm diu peccati amarulentia corruptus eſt affectus. Et rectè Apoſtolus, vt ait Caluinus, ex fide deducit fiduciam, ad quam inclinat mediante libera voluntate: ex fide inquam omnipotētiæ Dei & miſericordiæ, & ex fiducia audaciam. Agnoſcens enim Deum patrem poſſe nobis benefacere, & velle, ſicut pater filijs, audaciam habemus ad eum accedēdi, & certam fiduciam obtinēdi quod deſideramus. De nomine autem Plerophorias quod non ſemper ſignificat certitudinem fidei, apud Apoſtolum Paulum in comment. ſuper epiſt. ad Romanos, declarat noſtræ ſcholæ Magiſter Ioānes Haſſelanus, circa locum, Vnuſquiſq; in ſuo ſenſu abundat. loco, abūdare, Græcè eſt, inquit, Plerophorias, quod tametſi frequenter in ſcripturis ad certitudinem cognitionis pertineat, alias tamen etiam importat cuiuſque rei iuxta ſuam naturam perfectionem, quæ quidem in diuerſis diuerſa eſt. Perfectio ſiquidem fidei eſt certitudo, ſpei verò perfectio, eſt ſecuritas. Sic charitatis eſt ipſa eius radicatio. Et in officijs charitatis perfectionem dicimus, ſi cumulatè præſtētur. Nam ad Rom. 4. iuxta naturam rei cuius fit mentio, nempè fidei, importat certitudinē. Vnde loco eius quod habet noſter interpres pleniſſimè ſciens, quia quæcunque promiſit Deus,

2. 2. quæſt. 18 artic. 4.

potés eſt & facere, rectè vertit Eraſmus, Certiſſimo perſuaſus, vel certa perſuaſione concepta, quod is qui promiſerat, idem potens eſſet & præſtare. Sic quoque ad Coloſ. 2. cum dicitur, Inſtructi in omnes diuitias intellectus, quoniam de cognitione ſermo eſt, rectè intelligitur certitudo ſignificari, quæ cognitionem perficit. Verùm in alijs locis nō idem importat: vt cum ait Apoſtolus: Vt per me prædicatio impleatur, nō eſt ſenſus, hoc efficiatur vt omnes certiſſimo videāt meam prædicationem veram eſſe & certam. Et ſimiliter cum ait, Miniſterium tuum imple: non ſignificatur, Ita doce, vt omnibus conſpicuum ſit te vera docere: ſed iuxta mētem Pauli, & veterū commentarios ſignificatur perfectio & cōſummatio ipſius prædicationis Euangelicæ ceu miniſterij, vt hæc videlicet ſint ita omnibus numeris abſoluta, vt nihil eis deſit. Rurſus ad Theſſ. 1. Euangelium fuit ad vos in plenitudine multa, id eſt, nihil defuit omniū eorum, quæ cōſpicua ſunt in prædicatione aliorum Apoſtolorum. Sic igitur & hoc loco, cùm ait Apoſtolus, Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet: non ſignificatur vnumquemq; certum eſſe debere de eo, quod agit, verùm liceat an non. Verum iuxta omnium veterū interpretationem, ſignificatur liberrima copia, & copioſiſsima libertas in obſeruationibus legalibus circa vſum ciborum, dierum ſolennitates, & alia huiuſmodi. Sic interpretatur B. Ambr. Chryſ. Oecumenius, & Theophyl. qui ait: quando ſermo eſt de dogmatibus vel doctrina, nō oportet nos proprio ſenſu abūdare, ſed quod accepimus firmiter tueri, etiam ſi Angelus de cælis aliud prædicaret. Hic autem de cibis & ieiunio fiunt verba, & conſimilib. Et quamuis hoc verbum, Plerophorias, ſemper fidei certitudinem apud Paulum ſignificaret, nihil propoſito conduceret, quando non eſt hic fidei obiectum ſiue materia, quod ad me pertinent miſericordiæ promiſsiones, ſed ad piam duntaxat præſumptionem.

2. Tim. 4.

Caluinus. *Hic præcipuus fidei cardo vertitur, ne quas dominus offert miſericordiæ promiſſiones, extra nos tantum veras eſſe arbitremur, in nobis minimè, ſed potiùs eas intus complectendo noſtras faciamus. Hinc naſcitur fiducia illa, quam alibi pacem dicit Apoſtolus, niſi quis velit dicere, pacem eſſe huius fiduciæ effectum.*

Reſponſio. Non ſolùm hic cardo fidei non vertitur, quòd promiſsiones miſericordiæ fide intus complectendo noſtras facimus: quin potius extra fidei rationem eſt, quòd in nobis ſunt implendæ, cùm de eo nullū ſit Dei verbum, quòd promiſsiones eæ ad me pertinent, niſi ſubſit modus ſiue conditio, ſub qua fiant. Solis namque ex animo pœnitentibus promittitur peccatorū remiſsio, & legitimè in finē vſque certantibus & currentibus, corona vitę & brauium. Vertitur autem cardo fidei in Dei veritate, & in voce patris: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi cōplacui, ipſum audite. Ideò fallitur qui credit extra ſe tantum veras eſſe miſericordiæ promiſsiones, & in ſe minimè. Sūt enim verè in omnibus, ſi intelligātur, vt eas verbum Dei proponit, vt de pœnitentibus, diligētibus, & in finem vſque perſeuerantibus: qui autem ſimpliciter eas intelligit, & ſuas facit, quaſi ſibi peculiariter factas abſolutè, ſine modo & conditione, limites verbi Dei excedit & fallitur. Verè fideles eas complectuntur brachijs ſpei & fiduciæ. Hoc enim, vt dixi, ſpei officium eſt, quòd generales promiſsiones ſuas faciat, & proſequatur quaſi ſibi ſingulariter factas, hoc autem non eſt fidei quę in notitia conſiſtit. Et pax amoris ſiue charitatis effectus eſt potius, quàm fiduciæ. Pax multa, inquit propheta, diligentibus legem tuam. Et in epiſt. ad Gal. ponitur pax eſſe fructus ſpiritus mediante charitate. Et Angeli cantant pacem hominibus bonæ voluntatis. Bona autem voluntas eſt charitas.

Matth. 17.

Thom. 2. 2. q. 29. art. 3. & 12. q. 70. art. 3.

Cap. 5. *Caluinus.* *Eſt aūt fides ſecuritas, quæ conſcientiā coram Dei iudicio ſedat ac ſerenat, ſine qua, tumultuatione & trepidatione vexatur & dilaniatur, niſi fortè Dei vel ſui oblita ad momentū obdormiſcat. Nam memoria diuini iudicij ſubinde occurrit qua lancinetur: Ideo ad momentum tantùm ſedatur. Verè fidelis non eſt, niſi qui ſolida perſuaſione Deum ſibi propitiū beneuolumq; patrem eſſe perſuaſus, de eius benignitate omnia ſibi pollicetur. Verè fidelis non eſt, niſi qui diuinæ erga ſe beneuolentiæ promiſſionibus fretus indubitatam ſalutis expectationem præſumit, vt Apoſtolus his verbis demonſtrat, ſi fiduciam & gloriationem ſpei ad finem vſque firmam tenuerimus: Sic enim non benè ſperare in Domino exiſtimatur, niſi qui confidenter ſe regni cœleſtis hæredem glorietur. Fidelis nō eſt, niſi qui ſuæ ſalutis ſecuritati innixus diabolo & morti confidenter inſultet cum Paulo. Confiſus ſum, inquit, quod neque mors, neque vita, &c. nos poterūt ſeparare à charitate Dei, quæ nos complectitur in Chriſto Ieſu, Nec aliter benè illumināntur oculi mentis noſtræ, niſi cernamus, quæ ſit ſpes æternæ hæreditatis ad quam vocati ſumus. Nec aliter Dei bonitatem comprehendimus, niſi magna ſecuritatis fructum inde colligamus.*

Rom. 8.

Reſponſio. Hic aperiuntur huius fidei myſteria, quæ alijs generationibus, nec prophetis quidem, nec Apoſtolis fuerunt agnita, imo nec Martino Luthero, nec Philippo, reuelata ſunt autem Ioāni Caluino & Martino Bucero, quibus ſolis datū eſt huius libri ſignacula aperire. Conſiſtunt autem primum in eo quod verè fidelis non eſt, ſed infidelis & incredulus (cuius pars erit in ſtagno ardente igne & ſulfure quod eſt mors ſecunda) niſi qui ſolida perſuaſione, ac fide infallibili nouit Deū ſibi eſſe propitium, beneuolumque patrem, & eadem fide qua perſuaſus eſt futuram eſſe corporum reſurrectionem, vt ſicut hic dicere non licet, fortaſsis corpora noſtra non reſurgent, ita nec dicere liceat, fortaſsis nondum propitius eſt mihi Deus ſuper peccatis meis. Eadem namque fide Chriſtiana & Catholica,

Apocal. 21.

tholica, vtraque hęc ſecundum eum creduntur. Eademque fide credunt ſe in gloriam & vitam reſurrecturos, qua ſe reſurrecturos credunt. Omnia enim ex hac fide ſibi futura perſuaſi ea ſibi pollicentur, iuſtitiam ſcilicet, perſeuerãtiam, & vitam æternam. Nam fidelis, inquit Caluinus, nõ eſt qui indubitatam ſalutis expectationem certò perſuaſus, quod eam obtinebit, non pręſumit. Imò nec fidelis qui non de ſua ſalute ſecurus & ſecuritate innixus diabolo & morti confidenter cum Paulo inſultet: Confiſus ſum, quia neque mors, neque vita, neq; angeli, neq; principatus, neque poteſtates, neque præſentia, neq; futura nos poterunt à charitate Dei diuellere, qua nos complectitur in Chriſto Ieſu. *Rom. 8.* Et vt paucis hæc myſteria explicẽtur, qui ſemel fidem habet, nec eam perdere poteſt, nec damnari, nec charitatẽ perdere, ſine qua fidem eſſe non contingit, qui eam ſemel accepit. Contra quem errorem ſcribunt Magiſter in ſent. & in Decretis Gratianus. Sequitur enim ex eo, quod qui ſemel eſt per baptiſmum in ſpiritu ſancto renatus, propterea non poſsit ſpiritum extinguere, mortaliter peccare, ac tandem damnari. *2. ſent. diſt. 31. apud Gratian. tota diſ. 2. de pœnitent.* Contra quem errorem ſcribit B. Auguſt. lib. 2. aduerſus Iouinianum. Item quod Dauid non peccauerit damnabiliter, nec charitatem perdiderit in adulterio & homicidio Vriæ: Nec Petrus iuramento Chriſtum negãdo: *Ioan. 6.* Nec etiam diſcipuli qui reliquerunt Chriſtum, & abierunt retro. *Rom. 11.* Contra hos errores eſt aperta ſententia Apoſtoli Pauli: Noli, inquit ille, altum ſapere, ſed time: Si enim Deus naturalibus ramis non pepercerit, nè fortè nec tibi parcat. Vide ergo bonitatẽ & ſeueritatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt, ſeueritatem: in te autẽ bonitatem, ſi permanſeris in veritate, alioquin & tu excideris: ſed & illi ſi nó permanſerint in incredulitate, inſerentur. Potens eſt enim Deus iterum inſerere illos quos teſtatur ramos eſſe prius propter incredulitatẽ fractos & amputatos. Ex qua ſententia certiſsimũ eſt, quòd qui fidelis eſt in incredulitatem recidere poſsit, & ex hac rurſum ad fidem reuerti. Porrò huius rei eſt clariſsimum teſtimonium ex libro Sapientiæ, *Cap. 4.* Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum, aut ne fictio deciperet animam illius. Errores iſtos latiſsimè conuellũt doctores ſcholaſtici circa diſt. Magiſtri ſupra dictam commentantes. Et ſanctus Bonauentura. Hæc poſitio, inquit, quòd ſcilicet charitas amitti nõ poteſt, non eſt opinio, nec rationalis ſententia, imò error & inſania potius eſt dicenda, qa repugnat ſacrę ſcripturæ, repugnat experimento noſtrę ſidei, repugnat nihilominus rationi rectæ. Omnia autem hæc abſurda ex eo ſequuntur quod Caluinus docet, quod fide vera & Chriſtiana omnes Dei promiſsiones noſtras faciam⁹, quaſi peculiariter nobis *Luc. 5.* factæ eſſent, ſicut Chriſtus ad Magdalenam *Matt. 9.* dixit, Remittuntur tibi peccata: Et Paralytico, *Ioan. 11.* Confide fili, Remittuntur tibi peccata tua. *Ioann. 14. & 17.* Quo ego vado, non potes me modò ſequi, ſequeris autem poſtea. Et Apoſtolis, Si abiero & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipſum, vt vbi ſum ego & vos ſitis. Cùm enim fidei falſum ſubeſſe non poſsit, ſicut nec verbo Dei, neceſſe eſt ita eſſe & fore, ſicut Chriſtiana fide credimus, nempe iuſtos nos eſſe, & poſſeſſuros vitam æternam. Nec in hoc falli poterimus ſi fide Chriſtiana hæc credimus. *Rom 11.* Teſtatur autem Apoſtolus Paulus, quòd ab oliua excidi poſſumus per incredulitatẽ, & amputati iterum inſeri. Et nos poſſe confidẽtiam amittere, idem Apoſtolus apertè docet, *Hebr. 10.* Nolite, ait, amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis neceſſaria eſt, vt volũtatem Dei facientes, reportetis promiſsionem. Et poſt pauca: Quod ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ. Nos autem non ſumus ſubtractionis filij in perditionem, ſed fidei in acquiſitionem animæ. Idem, Recogitate eum *Heb. 11.* qui talẽ ſuſtinuit à peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem, vt non fatigemini animis veſtris deficientes. Iterum, Remiſſas manus & ſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris, vt non claudicans quis erret. Et rurſum, *Heb. 4.* Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei, hoc eſt, deſtituatur, & quaſi laſſus deficiat. Timeamus ergo ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, exiſtimetur aliquis ex nobis deeſſe. Et Ioannes in Apoc. monet Angelum Philadelphiæ, Ecce venio cito, tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Vnde colligit B. Auguſt. Credendum eſſe quoſdã de filijs perditionis, non accepto dono perſeuerandi vſq; in finem in fide, quæ per dilectionẽ operatur, incipere viuere, & aliquandiu fideliter ac iuſtè viuere, & poſtea cadere, neque de hac vita, priuſquam hoc eis contingat, auferri. Vbi etiam dicit ex ijſdem *Cap. 3.* Apocalypſis verbis: Quis ex multitudine fidelium, quandiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædeſtinatorũ ſe eſſe præſumet? quia id occultari op⁹ eſt in hoc loco, vbi ſic cauenda eſt elatio, vt etiã per Satanæ *De correp. & gratia cap. 13.* angelum ne extolleretur tantus colaphizabatur Apoſtol. Ex quibus manifeſtè conſtat, quòd non ſolum fides non ſit ſecuritas ſalutis, ſed nec fiducia, nec ſpes, quamuis hæc certa ſit beatitudinis expectatio. Nihil enim in hac peregrinatione ſecuram aut quietam facere poteſt conſcientiam. Nuſquam eſt, in- *Sermone, de ligno, fæno, & ſtipula.* quit B. Bernardus, ſecuritas, neque in cœlo, neq; in paradiſo, multò minus in mũdo. Intelligit autem in cęlo non eſſe ſecuritatem, *Aliaco Cardin Camerac. 1. ſent. quæſt. de prædeſt.* in angelis antequam confirmarentur. In cælo enim, inquit, cecidit angelus ſub præſentia diuinitatis: Adam in paradiſo de loco voluptatis: Iudas in mundo de ſchola Saluatoris. Eſt enim ſecuritas iudiciũ firmum & certum ſine formidine de aliqua veritate. Nam qui firmiter & certò alicui vero aſſentitur, eſt ſecurus: quamuis etiam temerè aſſentiretur. Securitas autem quæ eſt ex fide & verbo Dei, fruſtrari non poteſt, & timorem exclu-

dit, qualem docet Caluin. Scriptura autem
docet eſſe ſecuritatem, quæ ſequitur teme-
rarium iudicium. Cùm enim dixerint, pax
1. Theſ. 5. & ſecuritas, tunc repẽtinus eis ſuperueniet
interitus. Nã ſunt impij qui ita ſecuri ſunt,
quaſi iuſtorum ſacta habeant. Viderunt po-
pulum ſecurum & quietum, Omnis aũt hæc
Iudic. 28. ſecuritas vel temerariũ, vel fallibile ſequi-
tur iudicium: ſecuritas autem Ioan. Caluini
errorem hæreticum ſequitur. Spes verò no-
ſtra, vt ſuperius ex Thoma diximus, infalli-
bile ſequitur iudicium, quod videlicet ſal-
uari poſſumus, nõ autem quòd ſaluabimur.
Quare ſpe noſtra etiam fruſtrari poſſumus.
Nec tamen ſpes tunc confundit, ſed noſtra
ſegnities & ignauia. Charitas autem ſola (ſi
perfecta eſt nobiſcũ) foras mittit timorem,
& facit nos fiduciam habere in die iudicij,
quia ſicut ille eſt & nos ſumus in hoc mun-
do: timor non eſt in charitate.

OBijcit deinde ſibi Caluinus cõtra hanc
fidei ſecuritatem permanẽtiam & in-
fallibilitatem.

Caluinus. *Atqui, inquit, dicet quiſpiam, longè aliud ex-
perimur fideles, qui in recognoſcenda erga ſe Dei
gratia non modò inquietudine tentamur, ſed gra-
uiſſimis etiam terroribus interdũ quatiuntur. Tan-
ta eſt ad deturbandas eorum mentes tentationum
vehementia, quod non ſatis videtur cum illa fidei
certitudine cohærere. Proinde nodus hic ſoluendus
eſt. Nos certè dum fidem docemus eſſe debere cer-
tam & ſecuram, non certitudinem aliquam ima-
ginamur, quæ nulla tangatur dubitatione, nec ſe-
curitatẽ, quæ nulla inquietudine ſolicitatur, quin
potius dicimus perpetuum eſſe fidelibus certamen
cum ſua ipſorum diffidentia. Tantum abeſt, vt eo-
rum conſcientias in placida aliqua quiete colloce-
mus, quæ nullis omninò turbis interpelletur. Rur-
ſum tamen qualemcunq; in modum affligantur,
deſidere ac deſciſcere negamus à certa illa, quã de
miſericordia Dei conceperunt, fiducia: id quò in-
telligatur neceſſe eſt redire ad illam carnis & ſpi-
ritus diuiſionẽ, cuius alibi meminimus. Sentit ergo
hanc in ſe diuiſionem pium pectus, quod partim ob
diuinæ bonitatis agnitionem ſuauitate perfundi-
tur: partim ob ſuæ calamitatis ſenſum amaritudi-
ne angitur, & ob ſuæ iniquitatis teſtimonium tre-
pidat & mortẽ exhorreſcit, quæ variatio ex fidei
imperfectione contingit. Iſtius tamen certaminis
ſemper hic finis eſt, quod fides iſtas difficultates,
quibus ita circunſeſſa videtur periclitari, tandem
eluctatur. Summa hæc ſit, vbi primùm vel mini-
ma fidei gutta mentibus noſtris inſtillata eſt, iam
faciem Dei placidam & ſerenã nobiſq; propitiã
contemplari incipimus. Procul quidem & eminus,
ſed ita certo intuitu, vt ſciamus nos minimè hallu
cinari. Et cõcludendo ait, Ergo quod iam ſuperius
dictum eſt, rurſum aſſerimus, fidei radicem nun-
quam è pio pectore auelli, quin ima in parte defixa
hæreat, vtcunque concuſſa huc aut illuc inclinare
videatur, eius lumen nũquam ita extingui ac præ-
focari, quin ſaltem velut ſub fauilla deliteſcat.*

Hæc citamus, vt clariſsimè conſtet in hoc *Reſponſio.*
errore (quem S. Bonauentura inſaniam vo-
cat) eſſe Ioannem Calu. quòd fides ſemel ha-
bita amitti non poteſt, nec item charitas, à
qua fides eſt inſeparabilis ſecũdum eiuſdem
doctrinam. Interpretatur autem hic quæ ſu-
perius dixit de ſecuritate & certitudine fi-
dei, tranquillitate & quiete cõſcientiæ eam
ſequentibus, intelligenda eſſe ſecũdum ſpi-
ritum, non ſecundum carnem, quam intelli-
git eſſe hominem, vt corpus eſt per peccatũ.
Confundit autem fiduciam cum fide & no-
titia, inter quas & earum certitudinem ma-
gnum poſuimus diſcrimẽ. Quemadmodum
enim caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, &
ſpiritus aduerſus carnem, ita Caluinus vult
carnem dubitare, diffidere aduerſus ſpiri-
tum, & etiã deſperare: ſpiritum autem cre-
dere, fidere, & ſperare aduerſus carnem. Et
verè mirandum eſt, imò contra omnem ex-
perientiam ſtabilitatis mentis noſtræ, quòd
in hoc certamine carni nunquam cedat ſpi-
ritus dubitãdo aut diffidendo de miſericor-
dia Dei, & quod nunquam decidamus: aut
deſciſcamus de certa illa, quam de miſeri-
cordia Dei concepimus fiducia. Decidimus
enim plerunque à reliquis virtutibus: nam
ex humilibus fiunt ſuperbi: ex liberalibus
erga pauperes, auari aut prodigi: ex virgini-
bus Deo dicatis, incontinentes, Cum enim
luxuriatæ fuerint cum Chriſto, inquit Apo- 1. Tim. 5.
ſtolus Paulus, nubere volunt, habentes dam-
nationem, quia primam fidem irritam fece-
runt. Et poſt pauca, Iam enim quędã conuer-
ſæ ſunt retrò poſt Satan. Fiant etiam hæreti-
ci & apoſtatæ, qui prius erant fideles, vt Ter-
tullianus, de inſignibus etiam magiſtris, qui
lumina Eccleſiæ prius eſſe videbantur, & ta-
men quaſi ſtellæ de cælo deciderunt: inter
quos fuit & ipſe Tertullianus, Arrius, Pelag.
& Iulia. Quod autem ex fidentibus & ſperã-
tibus ſuper miſericordia Dei, nũquam fiant
deſperantes, nec de eo Deo diffidentes, recla
mat experientia ob magnam liberi arbitrij
mutabilitatem & inconſtantiã, & reclamant
etiã ſcripturæ ſuperius citatæ. Vnuſquiſque,
inquit beatus Iacobus, tentatur à concupi- *Iacob. 1.*
ſcẽtia ſua abſtractus & illectus. Incredibile
igitur eſt, quòd nũquam vincatur à dubita-
tione & diffidentia abſtractus & illectus. Et
quòd hæc dubitatio & fiducia non poſsint
concipere & parere peccatum, ſicut concu-
piſcentia. Sed dicet Caluinus, quod nec hic
ſpiritus fidelis à tẽtatione ſeducatur in pec-
catum, vt protinus à iuſtitia & virtute diuel
latur. Sic enim ait de fide, quòd varijs cogi-
tationibus diſtracti, non protinus à fide di-
uellimur, quum huius certaminis ſit ſemper
hic finis, quòd fides eas difficultates & dubi-
tationes tandem ſemper eluctetur. Nunquã,
inquit, ſic auellitur è pio pectore, quin ima
in parte radix defixa hæreat, & eius lumen
nũquam ita extinguitur, quin ſaltem veluti
ſub fauilla deliteſcat. Sed quæ precor radix,
quo lumen fidei aut fiduciæ de miſericordia
Dei manet in hæretico, apoſtata, & homine
de mi-

de miſericordia Dei deſperante: qui dicit, Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniã merear. Nam Apoſtolus Paulus prolapſos eſſe docet etiam eos qui non ſolùm illuminati fuerunt, ſed etiam guſtauerunt donum cœleſte, & participes facti fuerunt ſpiritus ſancti, & guſtauerunt bonum Dei verbum, virtutesque futuri ſeculi. Quæ igitur perſeuerantia, quæ ſalutis eſt certitudo & ſecuritas? Idem teſtatur B. Iob, Ecce qui ſeruiunt ei nõ ſunt ſtabiles, & in angelis ſuis reperit prauitatem. Quam ergo ſecuritatem, quam de ſalute æterna certitudinem nos qui domos luteas habitamus, nobis polliceri poterimus? Quæ obſecro eſt hæc radix, hoc lumen, ſub fauilla deliteſcens, & quæ fauilla? An habituale eſt hoc lumen, an actuale? Sermo hic compoſitus videtur ad ſolam animarum in errores ſeductionẽ. Nam ſi hæretici, apoſtatæ, & homines deſperantes aliquando reſipiſcãt, & ad beatitudinem perueniant, operatur hoc vocatio & electio Dei fulgentis per illuminationem Euangelij, in mentibus eorum quę prius infidelitatis tenebris tenebantur excæcatæ. Eratis enim aliquando tenebræ, ait Apoſtolus, nunc autem lux in domino, vt filij lucis ambulate. Dicet etiam hîc Caluinus, nunquã eos verè Chriſtianos fuiſſe, nec eam quã ipſe deſcribit fidem habuiſſe illos, qui in apoſtaſiam, infidelitatem, & deſperationem labũtur. Credo certè quòd nec hęretici quidem hanc fidem vnquam habuerint, nec puto ipſum Caluinum arbitrari ſe hanc fidem habere, aut ſi habet amitti non poſſe. Eſt enim noſtri ſeculi hęreticorum adinuentio, imaginatio & figmẽtum, vt ſuprà oſtẽdimus quæ in ſcripturis aut rei veritate nullum habet fundamentũ. Et ideo nec Auguſtinus, nec aliquis ſcriptorum Eccleſiaſticorum eam agnouit, vt ſtatim oſtendemus, citatis eorum ſententijs. Nos quidem ab hac fide, hoc eſt peſtilẽtiſsimo errore ſeruet Dominus Ieſus. Grauiter hic etiam fallitur Caluinus, quòd à carnis corruptione dicat eſſe ſenſum ſuæ calamitatis, teſtimoniũ ſuæ iniquitatis, ac mortis meditationẽ, & Dei irati & indignantis conſiderationẽ: & hæc fidem quatefacere, non ſtabilire. Ad hæc enim omnia frequentiſsimè nos hortatur ſcriptura. Memorare, inquit, nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. Vide vbi nunc proſtrata ſis, ſcito iniquitatẽ tuam, quia in Dominum Deum tuum præuaricata es. Vide vias tuas in conualle, & ſcito quid feceris. Et niſi inceſſanter tenueris in timore Dei, cito ſubuertetur domus tua. Timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. Horum namque conſideratio non eſt tentatio ex carne proficiſcens, ſed plerunque ex ſpiritu Dei. Eſt enim & ſpiritus ſeruitutis in timore, ſicut eſt filiorum Dei. Itaque quod conſcientia incumbente peccatorum mole oppreſſa nunc ſecum querulatur, ac gemit, nunc ſe arguit, nunc facilè fremit, nũc apertè tumultuatur, gratia Dei eſt aperientis oculos mẽtis, vt videat vbi proſtrata ſit, quòd in Dominum ſuum eſt præuaricata, & quòd in magnam Dei iram, & indignationem, & æternæ pœnæ reatum deuenerit. Prodeunt etiam aliquando ex cognitione fidei vel naturali voluntate noſtra, vt natura eſt, non ex carnis corruptione, quomodo Chriſtus contriſtatus eſt, & mortem horruit. Ex carne autem naſcuntur quę ſunt ex ſubreptione præter rationis deliberationem, ſicut inuidia, accidia, & odium fratris, quando rationem præueniũt. Quòd autem, vt dicit Caluinus, ſciant ſe minimè hallucinari in hoc quòd contemplantur placidam Dei faciem, ſibiq; propitiam, qui vel minimam fidei guttam mentibus habent inſtillatam, non ſolùm eſt incredibile (imò aliquoties merum eſt ſomnium, in quo etiam iudicamus nos minimè hallucinari circa ea quæ videntur) quãdo & ipſe fatetur tam fraudulẽta hypocriſi obtectum eſſe cor humanum, & ſeipſum ſępè fallat. Et hanc fidem habent vel habere ſe arbitrantur, qui negant liberum arbitrium, & corpus & ſanguinẽ Chriſti eſſe in Euchariſtia, è quorũ numero eſt ipſe Caluinus. Item qui poſt votum ſolenne fidem priorem irritantes manent in cõiugio, Anabaptiſtæ omnes, omnes deniq; noſtri temporis ſectarij, per hãc ſpecialem de peccatorum remiſsione & Dei miſericordia in Chriſto perſuaſionem, omnia ſibi pollicẽtur, & certò aſſequi ſe credũt, qui tamen cùm ſint fidei tam contrariæ & inuicem aduerſantis, vt ſe mutuò etiam damnent, ſaluari omnes non poſſunt per hanc fidem, ſed partim eos falli oportet, imò falluntur vniuerſi, qui per hanc fidem, quæ temeraria eſt præſumptio, iuſtificari, aut ſe iuſtitiam apprehendere arbitrantur. Nam & propheta Michæas ſcribit quòd princeps domus Iacob, & iudices qui abominabantur iudicium, & omnia recta peruertebant, & prophetæ, qui in pecunia diuinabant, ſuper dominum tamen requieſcebant dicentes, Nunquid non dominus in medio noſtrum? Et Ioannes Baptiſta ad Saducæos & Phariſæos ad baptiſmum venientes, Ne velitis, inquit, dicere intra vos, Patrem habemus Abraham. Et Hiere. nolite confidere in verbis mendacij, dicẽtes, Templum Domini. Templum Domini. Templum Domini. Bonas facite vias veſtras & ſtudia veſtra, & habitabo vobiſcum in loco iſto. Ecce vos confiditis in ſermonibus mendacij, qui nõ proderunt vobis. Et reuera hic ſermo mendacij eſt, Credite in miſericordia & beneuolentia Dei patris, quam in Chriſto nobis oſtendit, & apprehendetis iuſtitiam, vitam, & vniuerſa dona quæ Chriſto largitus eſt pater. Omnis namque huiuſmodi fides & fiducia compatiuntur vitam malam & iniquitatem, qua pleni erant illi ad quos ſermo erat Michææ prophetæ, Hieremiæ, & Ioannis Baptiſtæ. Atqui Caluinus ipſe docet hãc fidem inanem eſſe, niſi charitas diffuſa in corda per ſpiritum ſanctũ eam comitetur. Nec patitur natura notitiæ (quam Caluinus definit eſſe fidem) vt producat ex ſe vitæ innocentiam,

Cap. 4. Epheſ. 5. Eccleſ. 4. Hierem. 3. Hier. 2. Mat. 10. Cap. 3. Cap. 7.

charitatem, cum reliquis virtutibus. Nunquam autem probabit Caluinus fidei certitudinem infallibilem de remiſsione peccatorum, aut ſalute æterna per ſententiã hanc Apoſtoli Pauli, Confiſus ſum, quia neque mors, neque vita, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, poterunt nos à charitate diuellere, qua nos cõplectitur in Chriſto Ieſu. Non enim ſecundum B. Chryſoſtomi interpretationem hæc ſententia intelligitur de omnibus charitatẽ habentibus. Ait enim, Magna dicit Apoſtolus, quæ nos non agnoſcimus, quandoquidẽ tantã dilectionem non habemus. Item Orig. Habuit, inquit, aliquando ipſe Apoſt. Paulus metum, & timuit ne forte caderet, & iſte qui modò cæleſtium virtutum aduerſum ſe, ſi commoueantur bella, non metuit, carnem ſuam aliquando metuit, & ex ea conſurgentes inſidias formidauit, quando dicebat: Macero corpus meum & in ſeruitutem ſubijcio, ne forte cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Et ideo præ cęteris omnibus carnis inſidiæ formidãdæ ſunt. Et ille qui de nobis procedit hoſtis cauendus eſt, donec in tantum profectum proueniat anima, vt dulcedine charitatis Dei aſtricta corporis blandimenta & carnis illecebras abhorreſcat, vnus cũ Deo ſpiritus facta. Et ſi legatur apud Paulum, Confiſus ſum, ſicut legit Caluinus, & beatus Hieronymus in epiſtola ad Algaſiam, & beatus Ambroſius, nihil commune habet cum infallibili fidei certitudine, quæ alia eſt (vt diximus) à ſpe & confidentia: Si aũt legatur ſicut noſtra æditio habet, Certus ſum, vel perſuaſum habeo, vt legit Eraſmus, nullam habet hæc ſententia difficultatem, ſi ſpei certitudo intelligatur, quæ eſt certa expectatio remiſsionis peccatorum per pœnitentiam, & æternæ beatitudinis. Vox quidem Græca qua hic vtitur Paulus ad omnem perſuaſionem pertinet etiam non certam. Ita enim ea vtitur cùm ait, Certus ſum autem quòd & in te habitet fides, ſcilicet non ficta. Et alio loco, Certus ſum autem fratres mei & ego de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione. Nemo enim dicet Paulum fide credidiſſe Rom. fuiſſe plenos dilectiõe, aut Timotheum fuiſſe verè fidelem. Nam talium rerum non ſolet eſſe reuelatio, ſed tantum probabilis perſuaſio. Quare nimis confidenter ex hoc loco pronũciat Ioannes Caluinus, quòd fidelis non eſt, niſi qui ſuæ ſalutis ſecuritati innixus diabolo & morti confidenter inſultet cum Apoſtolo Paulo, Confiſus ſum quòd neque mors, neque vita, neque quæuis alia poterunt nos à charitate Dei diuellere, intelligendo autem de certitudine probabili, vel de fiducia, omnibus iuſtis competere poteſt: quomodo intellexiſſe videtur Liberius Papa, quãdo ait, Confidimus autem de vobis fratres chariſsimi, meliora & vicinioris ſalutis, quia neq; mors, neq; vita, neq; creatura alia, poterit nos ſeparare à charitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & quæ in ipſo eſt recta fide. Alijs autem

Rom. 8. — *Eodem modo interpretatur Aug. lib. de gratia & lib. arb. cap. 17.* — *1. Corin. 9.* — *Quæſt. 9.* — *2. Tim. 1.* — *Rom. 8.* — *Epiſt. 1. ad omnes epiſc.*

ſcripturis quas hoc quinto capite de fide, & cap. 14. de prædeſt. citat Caluinus ſuper certitudine & ſecuritate iuſtitiæ & ſalutis æternæ, quodque ſemel in familiam & corpus Chriſti ſuſceptus, excidere nequeat & damnari, reſpondebimus articulo ſequenti, qui dicit, quod hæc fides in ſcripturis nullum habet teſtimonium. Habet prętereà hic Caluinus multa alia paradoxa. Primum quòd promiſsio ſalutis non eſt conditionalis, ſed merè gratuita & abſoluta, nullo operum reſpectu habito: quod etiam in Antidoto circa Canonem 20. ex ſcripturis probare conatur. Secũdum, quòd Scholaſticorum dogma eſt pernicioſum, videlicet nos de gratia Dei erga nos non aliter ſtatuere poſſe, quam ex coniectura probabili, prout ſe vnuſquiſque non indignum ea reputat. Tertium, quod electi certò ſciunt ſe in gratia perſeueraturos. Aiunt enim, inquit, etiam ſi ſecundum præſentem iuſtitiæ ſtatum de gratia Dei iudicium ſumere liceat, manere tamen in ſuſpenſo finalis perſeuerantiæ notitiam: egregia verò ſalutis fiducia nobis relinquitur, ſi ad præſens momẽtum nos eſſe in gratia coniectura morali æſtimamus, quid in craſtinũ ſit futurum neſcimus. Longè aliter Apoſtol. Certò, inquit, perſuaſus ſum, quòd neque Angeli, neq; poteſtates, &c. Quartum quòd figmentum de fide implicata veram fidem nõ modò ſepelit, ſed penitus deſtruit. Quintum, quòd perſpicuum firmumque teſtimonium habemus nos in libro vitæ ſcriptos eſſe. Sed & de his commodiùs tractabimus articulo ſequenti. Imponit inſuper Caluinus ſcholaſticis falſa: primò, quòd iudicant paradoxum, quòd fides eſt donum Dei. Secundo, quòd fides formatur accedente ad aſſenſum pia affectione. Tertio, quòd dicant charitatem fide priorẽ. Concorditer enim ſcholaſtici omnes contrariũ docent, & in primis ex ſcripturis & Auguſtino Thomas. Nam fides ſine pia affectione, hoc eſt, bona voluntate credendi, conſiſtere non poteſt: cùm nemo credat niſi volẽs. Et perfectiſsimam virtutem eſſe charitatem, ac fide poſteriorem, docet idem Thomas quæſt. 23. art. 7.

Cap. 2. inſtit. part. 22. — *Parag. 8.* — *Parag. 35.* — *Rom. 8.* — *Parag. 3.* — *Cap. 14. parag 27 et 29* — *Parag 32.* — *2. 2. quæſ. 6. quòd donum Dei eſt. & q. 4. art 7. de ordine fidei ad alias virtutes.*

PHilippus Melanchthon in locis theologicis Baſileæ impreſsis, Ann. 1546. intelligens impiam eſſe & contra ſcripturas doctrinã hanc Ioannis Caluini de fide, multos eius articulos ex ſcripturis improbat & cõuellit. Et primò quod dicit, fidei radicem nunquam è pio pectore auelli, quin ima in parte defixa hæreat, vtcunq; decuſſa huc atq; illuc declinare videatur, quodq; eius lumen nũquam ita extinguitur ac præfocatur, quin ſaltem velut ſub fauilla deliteſcat, & tandẽ emergat & eluctetur. Ait enim Philippus.

Philippus aduerſus dogmata Ioannis Caluini.

Dixi quæ peccata maneant in renatis, ſcilicet quædam interiora mala quibus ipſe repugnat: ſed cum peccata contra conſcientiam admittũtur, effunditur & perturbatur ſpiritus ſanctus, et amittitur gratia, & excutitur fides, id eſt, fiducia miſericordiæ. Hoc vult Paulus cum inquit, Si ſecũ-

Melãchthon in locis de bonis operibus q. 5.

dum

dum carnem vixeritis, moriemini, i. ſi obedieritis vitioſis cupiditatibus, eritis rei iræ Dei & mortis æternæ. Et eodẽ loco Qui agũtur ſpiritu ſancto, hi ſunt filij Dei, ruẽtes cõtra conſcientiã, effundũt & cõturbant ſpiritũ ſanctũ. Deſinũt igitur eſſe filij Dei, ſicut & ſententiæ ſupra citatæ teſtantur. Item 1.Cor.6. Ne erretis, quia neq; ſcortatores, &c. Et Ioannes inquit, Qui peccatum fecit ex diabolo eſt, id eſt, eſt iam captiuus diaboli, reus iræ Dei & æternæ pœnæ. Hæ triſtiſſimæ comminationes hortantur nos ad frenãdos vitioſos impetus, ne excidamus à donata gratia. Et paulò ſuperius, inter cauſas ob quas facienda ſunt bona opera, ponit neceſsitatem retinendæ fidei. Quia inquit, ſpiritus ſanctus expellitur & perturbatur, cùm admittuntur peccata contra cõſcientiam, ſicut clarè dicitur 1. Ioan. 3. Nemo decipiat vos: Qui facit peccata ex diabolo eſt. Et ad Rom.8 Si ſecũdum carnem vixeritis, moriemini. Et excuti fidem per mala opera teſtatur hoc dictũ Pauli, Si quis ſuorum & maxime domeſticorum curam non habet, fidem abnegauit, & eſt infideli deterior. Item fides eſſe non poteſt in his qui indulgent prauis voluptatibus, nec agunt pœnitentiam quia ſcriptum eſt: Vbi habitabit dominus? in ſpiritu contrito, & tremente ſermones meos. Item cum fides adferat pacem conſcientiæ, nõ poteſt ſimul eſſe cũ propoſito retinente delictũ, quod condemnat cõſcientia. Excuſsit igitur Dauid fidẽ & ſpiritum ſanctum, cum raperet alterius cõiugẽ.

De bonis ope. quæſt. 5.

1.Tim. 5.

Secundò contra Caluinum docet, quòd apud B.Paulum cum dicit, fide nos iuſtificari, intelligatur per fidem, fiducia voluntatis, & nõ cognitio firma ac certa quaſi ex verbo Dei (vt ſentit Caluinus) imò dicit potius moriendum eſſe, quam ſic Apoſtolum Paullum interpretemur. Docens enim cognitionem fidei generalem eſſe, & fiduciam nobis illam applicare: Sic ait.

Melanchthõ q. 1. de bonis operibus.

Profectò dolendum eſt ita deprauari doctrinã Phrophetarum & Apoſtolorum: ac potius acerbiſſimi cruciatus perferendi ſunt, quàm concedendũ in his dictis (de fide iuſtificante loquitur) fidem non ſignificare fiduciam miſericordiæ Dei. Credidit Abraham Deo, &c. Item, Iuſtificati fide pacem habemus, item, Per Chriſtum habemus acceſſum fide. Item, Nunc aũt viuo in fide filij Dei. Nõ ſinamus eludi & deprauari hæc dicta, ſed certo ſciamus ea nobis concionari de fiducia miſericordiæ. Et alio loco, cùm B. Paulus dicit, Iuſtificamur fide, vult te intueri filium Dei ſedentẽ ad dexteram patris mediatorem interpellantem pro nobis. Proponit enim hanc victimam, & docet propter hunc filium Dei dari remiſsionem & reconciliationem, non propter noſtras virtutes. Vt igitur vocabulum Fides, monſtret illum mediatorem, & nobis applicet, ſignificat fides non tantum hiſtoriæ notitiam, ſed fiduciam miſericordiæ promiſſæ propter filium Dei. Et paucis interpoſitis. Si conſiderent pauores, qui in vera pœnitẽtia exiſtunt, ſcirent mentes perterrefactas quærere conſolationem extra ſeſe. Et hanc conſolationem eſſe fiduciam qua voluntas acquieſceret miſericordiæ propter mediatorem donatæ. Complectitur autem fiduciam miſericordiæ, & notitiam hiſtoriæ, qua fides intuetur Chriſtum quẽ agnoſci neceſſum eſt eſſe filium æterni Dei, pro nobis crucifixum, reſuſcitatũ, &c. Eſtq; referenda hiſtoria ad promiſsionem ſeu effectum qui in articulo proponitur, Credo remiſsionem peccatorũ. Ac rurſus articulus monet, vt fides intelligatur fiducia. Nam illi qui non cõfidit ſibi remitti peccatum, hæc verba, Credo remiſsionem peccatorum, fruſtra dicuntur. Item ſi fides nõ eſt fiducia intuens Chriſtum, & acquieſcens propter Chriſtũ, certè non applicamus nobis, neq; vtimur ei⁹ beneficio. Neceſſe eſt igitur fide intelligi fiduciam applicantem nobis beneficiũ Chriſti. Item iuſtificati fide pacem habemus. At notitia hiſtoriæ non adfert pacem, imò auget pauores & deſperationem, ſicut in diabolis. Quod enim terribilius eſt ſignũ iræ Dei quàm placari Deum non alia victima potuiſſe, niſi filij morte? Huius hiſtoriæ notitia auget pauores, ſi fides non eſt fiducia applicans hoc beneficium, Si non eſt ſtatuẽdum, quòd ideo paſſus eſt filius Dei, vt tibi ignoſcatur, quanquam malè merito, &c. Hæc fiducia cõſolatur mentem perterrefectam, & pacẽ adfert.

In locis cap. de vocabulo Fidei.

Multas hic adducit rationes, ob quas nomine fidei intelligere oportet fiduciam. Et ad argumentum quod ſibi proponit. Impoſſibile eſt ſola iuſtitia iuſtum fieri, fides tantũ eſt notitia, ergo impoſsibile eſt ſola fide iuſtũ fieri. Reſpondet ad minorem ꝙ fides non ſignificat tantum notitiã, qualis eſt in diabolo, de qua dicit Iacobus Apoſt. Dæmones credunt & contremiſcunt: ſed ſignificat in intellectu notitiam & aſſenſum promiſsionũ de Chriſto, ac in voluntate fiduciam, qua volũtas vult & accipit oblatam miſericordiã, & in ea quieſcit. Et ideo definit fidem, vt ſit aſſentiri vniuerſo verbo Dei nobis propoſito, & quidem promiſsioni gratuitæ reconciliationis donatæ per Chriſtũ mediatorẽ, ſitq; fiducia miſericordiæ Dei promiſſæ ꝓpter Chriſtum mediatorem. Nam fiducia eſt motus in voluntate neceſſariò reſpondens aſſenſioni. Et interpretatur ſententiam B. Bernardi: neceſſe eſt primò omnium credere, quod remiſsionem peccatorum habere nõ poſsis, niſi per indulgentiam Dei, ſed adde, vt credas & hoc, quòd per ipſum peccata tibi donantur: quòd per credere intelligĩt confidera, vt ſit ſenſus: ſed adde, vt cõfidas & hoc quòd peccata tibi per ipſum donantur. Corrigit autem in his locis Phil. & explicat articulum quartum Confeſsionis Auguſtanæ, & ea quæ dixit in eius Apologia, vbi fidẽ iuſtificationem refert ad notitiam, magis quàm ad fiduciam. Quod tamen ne fiducia hæc iuſtificare poſsit, iiſdem argumentis cõuincitur, quibus ſuprà egimus aduerſus Caluinum, de fide quæ eſt certa & firma notitia. Nam & hãc confidentiã habere poſſunt, qui

In locis de vocabulo fidei.

Cap. 2.

In concione de annunciatione.

obnoxij ſunt peccato mortali & ſupplicio pœnę æternæ: eandem etiam habent hęretici, & anabaptiſtæ, imò vniuerſæ ſectæ, quas innumeras, & quidem inter ſe pugnātes, peperit hoc noſtrum infelicisſimum ſeculū. Tertio contra Caluini ſententiam oſtendit Philippus non eſſe promisſionē iuſtitiæ & ſalutis, eo ſenſu gratuitam, vt nullum requirat opus ex parte hominis qui iuſtificabitur & ſaluabitur, atq; ita nullo modo eſſe condicionatam, ſed docet neceſſariam eſſe conditionem pœnitentiæ. Quapropter exponens particulam Gratis ſæpe repetitam à Paulo, ait:

Philippus.

Significat hæc excluſiua dari reconciliationem propter filium Dei mediatorem, non propter noſtram dignitatem, non propter noſtra merita, non propter noſtras virtutes aut facta, Nec tamē excludit hæc particula virtutes ipſas, ſed cōditionem dignitatis ſeu meriti excludit & transfert cauſam reconciliationis in filium Dei. In Petri conuerſione neceſſe eſt exiſtere pœnitentiam & fidem, qua ſtatuat ſibi ignoſci, & neceſſe eſt ſequi alias virtutes, & tamen propoſitio vera eſt & neceſſario retinenda, Gratis remitti peccatum, quia non propter virtutes Petri, ſed propter filium Dei remittitur. Et alio loco. *Promisſiones additæ legi, habent conditionem legis, hoc eſt, exhibentur propter impletionem legis. Promiſſio autem Euangelij non habet conditionem legis tanquam cauſam, hoc eſt, non promittit propter impletam legem, ſed gratis propter Chriſtum. Hæc eſt promiſſio remiſſionis peccatorum reconciliationis ſeu iuſtificationis, de qua concionatur præcipuè Euangelium. Vt enim hæc beneficia eſſent certa, non pendent ex conditione impletæ legis.* Et poſt pauca. *Paticula gratis non excludit fidem, ſed conditionem noſtræ dignitatis, & transfert cauſam beneficij à nobis in Chriſtum. Itaque neque obedientiam noſtram excludit, ſed tantum cauſam beneficij à dignitate noſtræ obedientiæ transfert in Chriſtum, vt beneficium ſit certum. Nam Deus pollicetur ſe propter Chriſtum remittere peccata, & donat ſpiritum ſanctum, modò vt credamus, hoc eſt confidamus hæc nobis propter Chriſtum certò contingere.* Et obijciens ſibi *Remiſſio peccatorum pendet ex conditione pœnitentiæ: igitur eſt conditionalis. Antecedens probatur, quia impoſſibile eſt peccatum actuale remitti, niſi accedat mutatio actus. Igitur mutatio actus ſaltem aliqua partialis cauſa eſt inſtificationis, & aliqua ex parte meritum.* Cui reſpondet. *Neganda eſt conſequentia. Cùm enim de conditione loquimur, intelligimus cōditionem noſtræ dignitatis. Cæterum concedimus quòd promiſſio habeat conditionem noſtræ pœnitentiæ, & quòd mutatio actualis peccati ſit neceſſaria, ſed tamen detrahimus huic mutationi dignitatem, vt maneat certitudo. Et clare docemus oportere in homine exiſtere notitiam articulorum fidei: Item contritionem, bonum propoſitum, & inchoari dilectionem. De his dimicant aduerſarij, quæ tamen fatemur ipſi in homine oportere exiſtere, ſed addimus oportere accedere fidem, id eſt, fiduciam miſericordiæ, quod propter filium Dei habeamus remiſſionem peccatorum non propter has noſtras virtutes.*

Cap. de euā.

In dilutione argumētorū in locis, impreſſis an. 41.

Manifeſtū eſt ex hiſce ſuperioribus, quòd in pręcipuis articulis ex firmis ſcripturarum teſtimonijs Philip. Melan. aduerſatur Ioan. Caluini doctrinæ, quam tamen ipſe Caluinus toti orbi tanquam euangelicam & diuinam audet proponere. Manifeſtum quoq; eſt quòd Philippus Melan. multum accedat communi doctrinæ ſacroſanctæ Eccleſiæ catho. (quam ſequuntur doctores ſcholaſtici, & definit Concilium Trident.) nondum tamen plenè cum ea conuenit, ſed manet adhuc in ſuo fermento, quo corruptus & imbutus iam pridem eſt de fide ſpeciali, quam nunc notitiam ſiue aſſenſum facit, nunc fiduciam, frequentius autem vtrumque horum docet complecti. Atq; hanc fidem, hoc eſt fiduciam docet apprehendere, quaſi oblatam remiſſionem peccatorum, iuſtitiam, ſpiritum ſanctū, & per ipſum charitatem, nouitatem vitę & inchoatā legis obedientiam, veram pro peccatis pœnitētiam, & reliquas virtutes, quæ ſi fidem non comitantur (ſecundum Philippi ſententiam) nulla fit peccatorum remiſſio nec iuſtificatio. Docent enim etiam alij aduerſarij fidem à charitate, pœnitentia & obedientia legis inchoata eſſe inſeparabilem. Sed toto errant cœlo. Non enim talis eſt hæc fides vt verè apprehendat remiſſionem peccatorum, & iuſtitiam Chriſti, ex eo quòd quis credat ſibi remitti peccata, Deum ſibi propitium eſſe & placatum, & quidem nudo & ſolo aſſenſu & fiducia, qua velit. imo quantum in ſe eſt, accipiat hæc dona, hoc eſt, ſe extendat ad ea apprehendenda. Nam hęc plerumq; contingere poſſunt, ſine eò ꝙ cor accendatur vero Dei amore. Quod ſi ita eſt, quantumcunque fides ad ſe apprehendendum extendat, ſemper fruſtrabitur. Diximus autem circa articulum primum, quòd voluntas in iuſtificatione impij magis paſſiuè ſe habeat ſiue ſuſceptiuè, quā apprehenſiuè vel actiuè. Id ꝙ clarè patet in iuſtificatione paruulorum, & in Salomone, quando in ſomno accepit à Deo ſapientiam, grata tamen eſt ei qui iuſtificatur huiuſmodi gratiæ & remiſſionis peccatorū ſuſceptio, voluntate comitante ſiue ſequente, non præcedēte. Miſcet Philip. hic etiam alia quædam contra catholicam doctrinam quæ prætermittimus, eo quòd hæc ſingula tractare prolixius eſſet, quum ad hoc tantùm eius ſententias adduxerimus, vt oſtenderetur & ipſe offendi his dictis Caluini, eaq; ſcripturis ſacris contraria iudicare. Tradit autem Concilium Triden. de hac fide & fiducia, quam iuſtificatio impij requirit, veram & catholicā doctrinā, quum ait, Nemo ſibi in ſola fide blandiri debet, putans ſola fide

Reſponſio.

Vera ſententia de fide iuſtificante.

fide

fide hæredem ſe eſſe conſtitutum, hæreditatemq;, conſecuturum, etiam ſi Chriſto non compatiatur, vt & glorificetur. Nam & ipſe Chriſtus, vt inquit Apoſt. Paul. cum eſſet filius Dei, didicit ex his quæ paſſus eſt obedientiam: & conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. Adducit præterea ſententiam Apoſto. Pauli, Neſcitis quòd hi qui in ſtadio currunt, &c. & B. Petri, Satagite vt per bona opera &c. Item Cano. 12. Si quis dixerit fidem iuſtificantẽ nihil aliud eſſe quàm fiduciam diuinæ miſericordiæ peccata remittẽtis propter Chriſtum, vel eam ſolam eſſe qua iuſtificamur, Anathema ſit.

Heb. 5.
Cor. 9.
2. Pet. 1.

QVod autem fide & quidem ea ſola iuſtificatur & ſaluatur impius, probare conatur Caluinus in Antidoto 6. ſeſsionis circa cap. 9. Intelligit autem tam ipſe Philip. cum reliquis aduerſarijs, fide & hac ſola impium iuſtificari, tanquam inſtrumento quo quaſi manu ſpiritus noſtri iuſtitiam Chriſti apprehendimus, imò & totum Chriſtum nobis à parte oblatum ſine vllo modo vlláve conditione. Et ideo non eſſe opus, niſi extenſione & apprehẽſione affect⁹, quaſi ſpiritalis manus oblatum manus apprehendentis, ſicuti manu pomum accipimus, vel ſicut baptiſmum, aut certè quemadmodũ ſacram Euchariſtiam ſola oris apertione ſuſcipim⁹, & deinde ipſum claudimus. Atq; hanc perſuaſionem quòd Chriſtum, & in eo peccatorum remiſsionem accipiunt cũ voluntate (ea tamen quam nouitas vitæ ſequitur, & charitas diffuſa per ſpiritum ſanctum) idipſum accipiendi, nomine fidei intelligi volunt apud Apoſt. Paulum: quamuis & ipſi doceant conformiter ſcripturis, fidẽ correlatiuè dici ad verbum Dei, eiuſq́; officium eſſe veritati Dei ſubſcribere, quoties, quicquid, & quocunq; modo loquitur. Statuunt enim Deum per omnia eſſe veracem, ſiue iubeat, ſiue promittat, ſiue minetur. Cũ aũt hæc perſuaſio quaſi certa & infallibilis aduerſetur ſcripturis, ſicut habet ſequẽs noſter articulus, non poteſt huiuſmodi perſuaſio intelligi nomine fidei, de qua loquũtur ſcripturæ. Si verò talis oblatio quam ipſi imaginantur, ſecundum ſcripturas & Dei promiſsionem omnibus fieret, ſine vlla cõditione, aut modo, adhuc improbabilis eſſet hæc Caluini & aliorum aduerſariorum ſententia, cùm ſecundum eos fides non apprehendat iuſtitiam, niſi comitantẽ habeat charitatem, obedientiam, & reliquas virtutes. Docent autem ſcripturę Deum patrem offerre, imò & largiri peccatorum remiſsionem, & ſpiritum ſuum, non quidem omnibus, ſed pœnitentibus, & corde contritis tantùm: vt etiam docet Martinus Bucerus de iuſtificatione circa librum à Cæſarea Maieſtate oblatũ, rei & veritatis euidentia ſuperatus. Et Philippus vbiq; docet ſolum poſt ſerios terrores ex conſideratione iræ Dei ob peccata incurſæ, peccatorũ fide reſpirare, & iuſtitiam oblatam apprehẽdere. Hi igitur docent contra Caluinum, fidẽ & promiſsiones Dei, quas Euangelium proponit, habere conditionem pœnitentiæ, & ſolis pœnitentibus offerri: Catholica autem veritas requirit pœnitentiam fieri ob Dei offenſam de admiſsis peccatis: non autẽ requirit, vt ait Philip. conditionem dilectionis, quia ſi inde penderet, noſtra fides certa non eſſet, quia nunquam certi ſumus, quòd ſatis diligimus. Sed an certi eſſe poſsimus quòd credendo ſatis diligimus, qualis dilectio tamen niſi fide adducatur, non accipimus per fidem peccatorũ remiſsionem. Scripturæ igitur quas adducunt pro ſuæ fidei iuſtificatione, quòd ſola iuſtificet, cũ de fide catholica loquantur, quæ cum verbo Dei conuertitur, impertinentes ſunt, nec quicq̃ ad eorum propoſitum conducere poſſunt, quum ex ea doceant impiũ non poſſe iuſtificari. Quomodo autem ſecundũ veritatem catholicã fide & gratis iuſtificemur, clarè explicat ca. 8. ſextæ ſeſſ. Concil. Tridentini, quod ſic habet. Cùm Apoſtolus dicit iuſtificari hominem per fidem & gratis, ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ catholicæ conſenſus tenuit & expreſsit, vt ſcilicet per fidẽ ideo iuſtificari dicamur, quia fides eſt humanę ſalutis initiũ, fundamentũ, & radix omnis iuſtificationis, ſine qua impoſsibile eſt placere Deo & ad filiorum eius conſortium peruenire. Gratis aũt iuſtificari ideo dicamur, quia nihil eorũ quæ iuſtificationẽ pręcedunt, ſiue fides, ſiue opera, ipſam iuſtificationis gratiam promeretur. Si enim gratia eſt, iam nõ ex operibus: alioquin, vt idem Apoſt. inquit, gratia iam non eſt gratia. Ex quibus patet nos fide catholica iuſtificari, tãquam diſpoſitione animum præparante ad pœnitentiã & iuſtitiam, ſine qua nec pœnitentia, nec vlla hominis opera Deo ſunt grata, vt peccata remittant, vel impiũ iuſtificent. Non aũt iuſtificamur fide tanquã inſtrumento iuſtitiam apprehendente, etiam quando fides viua & parit iuſtitiam ac vitæ nouitatem ſine quib⁹ inaniter (vt etiam aduerſarij fatentur) & fruſtra ſe extendit ad apprehendendam peccatorũ remiſsionem. Viuam autem fidem eſſe volunt non à charitate quam ex ſe gignat, ſed à vi & efficacia ſpiritus ſancti planè perſuadentis ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij & hæredes Dei per Chriſtum, atque huiuſmodi fidem non tantùm viuam eſſe, ſed & vitam animæ. Ait enim Calui.

To. 2. fol. 40.
Rom. 11.
In cap. 8. ſeſ. 6.

Longè aliud eſt fides quàm mortua neſcio quæ perſuaſio. Viua nos Chriſti membra fide effici negant: quantò melius Auguſtin. qui fidem animæ vitam appellat, ſicut anima vita eſt corporis, non tamen eſſe iuſtitiam, quaſi anima prius natura viuere poſſit, quam ſpiritum vitæ habeat, quem fide apprehendit. Philippus verò docet hanc ipſam fidẽ eſſe iuſtitiam: *Fides*, inquit, *eſt illa res quã Deus pronunciat eſſe iuſtitiam, & addit gratis imputari.* Docet, inquam, hanc viuã fidem eſſe ipſam iuſtitiam, & non tantùm

Caluinus.
In cap. 12. Ioann.
Philippus in Apol. de iuſtificat.

iuſtifi-

iuſtificationis initium ſeu præparationem, vult tamen nos hac fide iuſtitiam & peccatorum remiſsionem apprehendere, quæ inter ſe pugnant. Organum enim apprehenſionis prius eſt quam res apprehenſa. Igitur ſecundum nouos hos doctores, fides parit charitatem & vitæ nouitatem ex ſua fœcunditate, ac veluti parens eas gignit: & ideo quia ipſa per ſe viua eſt, reliquæ virtutes quaſi fructus & proles (ſecundum aduerſarios) ex ea prodeunt, ſicut veritas catholica docet charitatem omnium bonorum eſſe matrem & radicem. Sed quàm hic fallantur aduerſarij, oſtendimus vbi docuimus, quomodo fides per dilectionem operatur. Quòd autem fide iuſtificamur tanquam inſtrumento, quo Chriſtũ & in eo omnia alia apprehendimus, docet Philip. in locis ſuis.

Philip. t. de bonis operi. *Non dicimur, inquit, fide iuſti, quia tanta ſit huius virtutis dignitas, vt mereatur remiſsionem, ſed quia oportet aliquod eſſe inſtrumentum, quo apprehendimus mediatorem pro nobis interpellãtem, propter quam æternus pater eſt propitius.*

Cui obijci poſſet: Quare non potius hũc mediatorem apprehendimus, & complectimur brachijs amoris, qui indiuiduus fidei eſt comes? Et Calui.

Caluinus. *Neque enim, inquit, quicquã noſtrum adfert fides ad Deum, ſed quod vltrò nobis offert Deus, recipit. Hinc fit vt fides, quamuis imperfecta, perfectam nihilominus iuſtitiam poſsideat, quia non alium, quàm gratuitæ Dei bonitatis reſpectum habet, Atq; ita fides iuſtificationem præcedit, vt tamen reſpectu Dei ſequatur.*

Reſponſio. Monſtroſi certè ſunt hi ſermones, quòd fides apprehendit, vel recipit id, quod offert Deus, quòd perfectam poſsidet iuſtitiam, & non potius anima, vel ſpiritus hominis, quẽ inhabitat ſpiritus Chriſti in eo diffundens dona ſua & perfectam iuſtitiam. Sed mirum quomodo Dei reſpectu fides iuſtificationem ſequatur, quam tamen ſola fide apprehendimus & accipimus, cùm Dei reſpectus ſit ſecundum rei veritatem. Et circa Canonem 11.

Caluinus. *Quoties in hac quæſtione nominamus ſolam fidem, non mortuam à nobis fingi, & quæ per charitatem non operatur, ſed ipſam ſtatui vnicam iuſtificationis cauſam, Ergo ſola fides eſt quæ iuſtificat, fides verò quæ iuſtificat non eſt ſola: quemadmodum ſolis calor ſolus eſt qui terram calefaciat, non tamen idem in ſole eſt ſolus, quia perpetuò cõiunctus cum ſplendore. Quare totam regenerationis gratiam, non ſeparauimus à fide, ſed vim ac facultatem iuſtificandi, fidei in ſolidum, vt neceſſe eſt, vindicamus.*

Reſponſio. Item circa Canonem præcedentem hac ratione iuſtificationem noſtrã & iuſtitiam, docet eſſe in prædicamento Relationis. *Si quis, inquit, formaliter, hoc eſt, non qualitate, ſed imputatione iuſtos eſſe doceat, vt ſignificet in Prædicamento Relationis eſſe ſitam noſtram iuſtitiã, nihil erit in eo reprehenſione dignum.*

Oſtendimus ſuperius ſcripturæ aduerſari *Reſponſio.* hanc doctrinã, quæ teſtatur nos regeneratione accipere naturæ diuinæ conſortium & participationem, & hanc non eſſe ſine qualitatis infuſione, noſtramque iuſtitiam eiuſdem eſſe Prędicamenti cum iuſtitia Chriſti, ſicut idem ſpiritus, eadem vita in capite & in membris. Sed audiamus quibus ſcripturarum teſtimonijs cogatur Cal. vt reijciat doctrinam & interpretationem Concilij de iuſtificatione fidei. Ait autem.

Quoniam in promptu erat ſcriptura doctrina *Caluinus.* *eorum placitis repugnans, vt hanc ſuſpicionem auertant, primum quid ſit fide iuſtificari hominẽ exponunt, nempe quod fides ſit ſalutis initium & fundamentum iuſtificationis: quaſi hac ſolutione eſſent expediti, mox ad alteram conuolant, Gratis nos iuſtificari, ideo Apoſtolum docere, quia quæcunque iuſtificationem præcedunt, ſiue fides, ſiue opera, ipſam non promerentur.*

Nullam ſcripturam aduerſari patrum do- *Reſponſio.* ctrinæ ſuperius recitatæ oſtendimus in ſuperioribus, & nunc rurſum oſtendemus reſpõdendo ſcripturis, quas Ioan. Caluinus hic adfert. Fidem autem iuſtificare, quia ſalutis eſt initium, non primi docent hi patres, ſed ante eos ſic interpretati ſũt literas ſacras b. Auguſt. & b. Ambr. Auguſtinus quidem de *Cap. 7.* prædeſtinatione ſanctorum: Ex fide, inquit, ideo Apoſt. dicit iuſtificari hominem nõ ex operibus, quia ipſa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus iuſtè viuitur. Et ſtatim poſtea vocat fidem fundamentum totius *Epiſ. 105. & 100.* ædificij ſpiritualis. Idem alio loco, Poſſunt quidem dicere remiſsionem peccatorum eſſe gratiam, quæ nullis præcedentibus meritis datur, ſed nec ipſa remiſsio peccatorũ ſine aliquo merito eſt. Fides hanc impetrat. Neque enim nullum eſt meritũ fidei, qua fide ille dicebat, Deus propitius eſto mihi peccatori: & deſcendit iuſtificatus, merito *Luca 18.* fidei humiliatus, quoniam qui ſe humiliat, exaltabitur. Reſtat igitur vt ipſam fidem, vnde omnis iuſtitia ſumit initium: de quo in Canticis, Venies & pertranſies ab initio fidei, nullis tribuamus præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcunque ſunt merita. Nec dicat ſibi quiſquã ſi ex fide quomodo gratis? Quod enim fides meretur, cur non potius redditur quàm donatur? Non dicat iſta homo fidelis, quia *Aug. epiſt. 105 ad Pau.* cùm dixerit, vt merear iuſtificationem, habeo fidem. Reſpondetur ei. Quid enim habes quod non accepiſti? Cùm ergo fides impetrat iuſtificationem: ſicut vnicuique Deus partitus eſt etiam ipſius menſuram fidei, non gratiam aliquid meriti præcedit humani, ſed ipſa gratia augetur, vt aucta mereatur perfici, comitante non ducente, pediſſequa non præuia voluntate. Et b. Amb. Principium, inquit, hominis Chriſtiani eſt fides, & plenitudo, iuſtitia. Item, Fides eſt quæ dat ſalutem, quam niſi mens tota ſuſceperit voluntate, non modò nihil proderit, ſed etiã

obedi-

oberit. Fidei enim gratia hanc habet poteſtatem, vt deuotis ſibi diuinam infundat medelam: indeuotis verò cõferat morbum, per quem totus homo intereat. Cognitio namq; morbi & medicinæ, ſalutis eſt initium. Nec tamen patres dicunt fidem iuſtificare, quia initium duntaxat eſt ſalutis, ſed addunt ipsã eſſe ſimul fundamentum, & radicem omnis iuſtificationis, ſine qua impoſsibile eſt placere Deo. Et ideo non initium quaſi tranſiẽs, ſed quo modo fundamentum ſuper quo tota ædificij fabrica erigitur: & quemadmodũ radix per quam arbor tota ſuccum & viriditatẽ ſuam ſuſcipit, dicitur eſſe initium arboris. Eſt enim à fide non tantùm ſalutis & iuſtificationis initium, ſed & incrementum & cõſummatio. Nec ſine ea aut opus aut operãs, Deo placere poteſt. Nam omnia bona ſuper ea ſtabiliũtur, & viriditatem & gratiam ſpiritus accipiunt. Et meritò quidem fides initium dicitur, ſecundum B. Auguſt. quia prima gratia eſt, quæ nobis à Deo confertur. Quare gratis iuſtificamur, quia nec fides nec opera eam promerentur, non quia eam non prȩcedunt fides & pœnitentia. Id quod etiam contra Caluinum Philippus Melanchthon ſupra docuit. Non enim peccatorum remiſſionem & donum ſpiritus ſancti acceperunt, qui Petri prædicationem audierant, niſi prius corde compuncti pœnitentes & baptizati.

Circa verſi. Pſal. 208. Principium verborum veritas.

In locis theologicis.

Caluinus.

Quaſo ſi in re ſeria verſari ſe putarent, non adeo leuiter quaſi oſcitantes perfungerẽtur. Omitto quod hominum iudicia nihil veriti ſunt, quaſi ſacroſancto hoc decreto omnium oculos confodiſſent, Fides iuſtificat, quoniam inchoat iuſtitiam. Primo hoc commentum ſenſus communis reſpuit Quid enim magis puerile quàm totum effectum velle reſtringere ad ſolum actum inchoãdi? Si inſpiciamus pauliſper, nunquid verba Pauli patiantur ſe tam facilè peruerti. Euangelium, inquit, potentia Dei eſt in ſalutem omni credenti, quia in eo reuelatur Dei iuſtitia ex fide in fidem. Quis non videt principium & finem pariter hic diſignari? Alioqui dicendum erat, Ex fide in opera, ſiquidem perficerent quod fides inchoat. Eodem faciat Habucuc teſtimonium, Iuſtus ex fide victurus eſt: quod impropriè dictum eſſet niſi fides perpetuaret vitam.

Rom. 1.

Reſponſio.

Patres hic grauiter, nimirum ex perpetuo Eccleſiæ conſenſu & ſcripturis conformiter hanc faciunt interpretationem, & Cal. potius lectoris oculos hoc loco confodere videtur, vt quaſi cœcus malitiam eius non aduertat. Nam mera malitia eſt, quod ex hac patrũ explicatione dicat eos totũ fidei effectũ velle reſtringere ad ſolũ actũ inchoandi, quodque dicant fidem iuſtificare, quoniam inchoat iuſtitiam. Docent enim concorditer ad eccleſiæ catholicæ doctrinam, ex fide eſſe initium ſalutis, progreſſum, & totius iuſtitiȩ & ſalutis conſummationem. Aiunt enim, per fidem ideo nos iuſtificari, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis iuſtificationis. Ex fide itaq; ſalutis noſtræ initium eſt per pœnitentiam, & in ea quaſi quodam lumine iuſti ambulant & proficiunt in operibus, quàm diu caligi noſo hoc loco a domino peregrinantur: & per charitatem ipſa fidei Chriſtianæ eſt conſummatio. Finis enim præcepti eſt charitas ex fide nõ ficta, & vinculum perfectionis, ſine qua inania & inutilia ſunt reliqua Dei dona imò & opera ipſa fidei & pietatis, vt docet. Apo. Paulus. Falſum igitur imponit Caluin⁹ patribus, quando dicit patres docere fidem iuſtificare, quoniam inchoat iuſtitiam. Cùm enim dicant fidem iuſtificare non tm̃ quia eſt ſalutis, ſed etiam quia fundamẽtum & radix omnis iuſtificationis: fidei tribuũt etiã incrementum & conſummationẽ iuſtitiæ. Nam opus pietatis vel Deo placens eſſe non poteſt, quod ex fidei cognitione nõ proficiſcitur. Sicut enim prudentia & lumine naturali dirigimur in operibus vitæ ciuilis & morum, ita per fidem & prudentiam, quȩ ei innititur, per ſpiritum Chriſti dirigimur in tota vita Chriſtiana. Et libenter agnoſcimus locum quem citat Cal. ex Apoſtolo, quod Euangelium potentia Dei eſt in ſalutem omni credenti, & hoc quia in eo reuelatur Dei iuſtitia ex fide in fidem: ſed ex eo non ſequitur, quòd opera pœnitentiæ ex fide profecta non prȩcedant iuſtificationẽ, & quòd credentes in nomine eius ſtatim ſunt filij Dei, cùm dicat Euangelium, & poteſtatem dedit eis filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius. Nec etiam inde proficiſcitur quòd augmentum iuſtitiæ non eſt ex operib⁹ iuſtorum ſed ab ea eſt omnino impertinens. Nam Theodoretus, OEcumenius, & alij veteres hunc locum declarantes, Oportet, inquiunt, credere prophetis, & per illos deduci ad fidem Euangelij. Reuelatur igitur in Euangelio iuſtitia, quæ eſt ex fide in fidem: ex fide prophetarum, in fidem Euangelij: & hoc ordine interpretantur quoque alij eundem locum quòd iuſtitia, quæ eſt ex fide primò iuſtificante, in fidem alentem excreſcentemq; primam iuſtitiã, imo & per opera perficientem, in euãgelio reuelatur. Creſcite, inquit Apoſt. in omni bono opere fructificantes. Et ſic intelligi poteſt hic locus, Ex fide in opera, quorum ferax eſt fides per charitatem. Nam per charitatem operatur & ſeipſam perficit, ne perpetuo maneamus quaſi modò geniti infantes. Libenter etiam ſuſcipimus ſententiam prophetæ Abacuc, quam citat Apoſt. Paulus, quòd iuſtus ex fide viuit. Non enim ſolum ex fide iuſtus eſt, ſed poſtquam factus eſt iuſtus, toto ſuæ peregrinationis tẽpore ex fide victurus eſt, & in ſemitis mandatorũ Dei progreſſurus. Itaq; fides vitã perpetuam reddit, ſed per charitatẽ per quã & operatur, & vita eſt animæ. Nihil igitur hæc probant inſtitutũ Cal. quòd videlicet ſoli fidei eſt vindicanda vis & facultas iuſtificandi nõ pœnitentiȩ nec ſacramentis.

1. Cor. 13.

Rom. 1.

Coloſ. 1.

Cap. 2.

In Abrahæ perſona relucet præcipuũ iuſtificationis ſpeculũ. Audiamus ergo quo tempore fides

Caluinus.

illi ad iuſtitiam imputata fuiſſe prædicatur. Non erat certè nouitius, ſed relicta patria iam annos complures dominum ſecutus fuerat, vt eſſet non vulgare ſanctitatis omniũq; virtutum exemplar. Non ergo aditum illi ad iuſtitiam patefecit fides, vt aliunde poſtea iuſtificatio compleatur. Satis quidem ſuperq; ex his paucis liquere arbitror. non minus iuſtitiæ complementum, quàm initium fidei tribuendum eſſe.

Reſponſio. Agnoſcimus Abraham iuſtum fuiſſe, quã do de eo teſtata eſt ſcriptura, Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam, & ideo hanc iuſtitiã fuiſſe iuſtitiæ augmentum. *Rom. 4.* Nam ſicut diximus iuſtitiæ augmentũ imo & cõſummatio ex fide eſt, & ex fidei operibus: quemadmodum & initium, non ex opreibus liberi arbitrij vel legis. Quãuis enĩ propoſitum Apoſtoli ſit oſtendere, ex fide impiũ iuſtificari, docet tamen per hanc occaſionem omnem iuſtificationem eſſe ex fidè, & nullam ex naturali hominis cognitione. Nam initio primi capitis dixit iuſtum ex fide viuere, hoc eſt progredi in obſeruatione mandatorum Dei, non autem dixit ex fide eſſe iuſtum, quod tamen ei erat propoſitum. Hic aſſumit Abrahæ iuſto ad iuſtitiam eſſe imputatum quòd Deo credidit. Et quãuis credẽdo meruerit iuſtitiæ augmentum, hoc tamen ei imputatum dicit quaſi ex gratia propter ſpiritum fidei & charitatis in corde eius gratioſè diffuſum ac manentem, ex quo fides & opera proficiſcebantur. Hac enim ratione ſecundum beatum Auguſtinum eſt imputatio, non merum meritum. *De gratia et lib. arbitrio cap. 8. 9.* Nam oportet cognitionem quam requirit iuſtitia eiuſdem cum ea eſſe ordinis, vt cognitio ſit diuina & ſupernaturalis: quam ſequitur iuſtitia Dei, hoc eſt, qua Deus hominem imbuit, & quæ apud eum valet & gratiam habet. Confitemur etiã & nos, quòd hîc adfert Caluinus de Abraham, quòd non erat nouitius, ſed iam annos complures relicta patria Dominum ſecutus fuerat, quando ei fides ad iuſtitiam imputata fuiſſe prædicatur, quodq; ei propterea non ſolum aditũ ad iuſtitiã fides patefecit, vt aliundè ſine fide iuſtitia compleretur: ſed fides illi per pœnitentiã ingreſsũ patefecit: ſicut Publicanus *Lucæ 12.* fide aſcendebat ad templũ vt oraret, qui à longe ſtans nolebat oculos ad cœlum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum dicẽs: Deus propitius eſto mihi peccatori, & deſcendit fide iuſtificatus in domum ſuam, ſed per pœnitẽtiam ſpiritus afflicti ſuper peccatis ſuis: Ita per opera charitatis iuſtitia completur ex fide. Et ſicut diximus, alia fidei conſideratione eſt opus in iuſtificatione prima, quæ eſt à peccatis, alia in eius progreſſu, quando in lege domini ambulamus: ibi enim agnoſcimus Chriſtum propitiatorem, hic verò Deum adiutorem, protectorem, remuneratorem, qui brauium propoſuit, & obſeruat eos qui legitimè currunt & certant. Confitemur itaque non minus iuſtitiæ complementum, quàm initium eius fidei eſſe tribuendum, quum ſit radix omnis iuſtificationis. Nec in hoc diſſentimus ab aduerſarijs, ſed in eo ꝙ ſoli fidei (pœnitentia charitatis reliquarumq; virtutum operibus excluſis) initium, progreſſum & conſummationem totãq; perfectionem ipſi tribuunt: ad quod nihil conducunt hęc loca Apoſtoli adducta.

Caluinus. *Secundum membrum eſt gratuitam ideo iuſtificationem vocari à Paulo, quia nullum meritum præcedat. Quid ergo? cum idem Paulus clamat, excludi omnem carnis gloriationem lege fidei, an ad ante vitæ duntaxat merita reſpicit? ac non potius admonet nihil eſſe quò glorientur homines vſque ad vitæ finem, qui fide iuſti ſunt?*

Reſponſio. Gratuita ideo à Paulo vocatur & verè eſt impij iuſtificatio, quia nullo ei⁹ merito prouocatus Deus ex ſola miſericordiæ ſuæ abũdantia iuſtum facit, remiſsis eius peccatis: Et ideo merè gratis, ſi impium ſpectemus, cuius non niſi mala ſunt merita. Eſt autem hîc meritum victimæ filij Dei qui nos apud patrem emit, & redemit precio ſoluto. Empti *1. Corin. 6.* eſtis, inquit Apoſt. precio magno, & non eſtis veſtri. Et B. Petrus, Non corruptibili auro vel argentò redempti eſtis, ſed precioſo *1. Petri. 1.* ſanguine quaſi agni immaculati. Mera tamẽ gratia patris eſt, quod ob hanc victimam in cruce oblatam, nos à peccatis liberat, & in filios aſſumit, multis alijs præteritis & neglectis, quibus nihilo ſumus meliores. Et quã uis non iuſtificemur à peccatis niſi pœnitentes, cum propoſito vitæ melioris, nulla tamen poteſt eſſe peccatori carnis gloriatio, quod ſic liberetur, & adoptetur niſi in domino, in quo certè ei magna eſt cauſa gloriandi. Qui gloriatur, inquit Apoſtolus, in *1. Corint. 1.* Domino glorietur. Quam ſententiam tractans beatus Bernardus, Nõ gloriari, inquit, Apoſtolus vetat, imo præcipit potius, docens in quo & quomodo ſit gloriandum. *Philip. 4.* Omnia poſſum (inquit Apoſt. gloriando) *2. Corin. 1.* in eo qui me confortat. Et gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Quare falſum eſt quod dicit Ioã. Caluinus, Apoſtolum nos admonere, nihil eſſe quo glorientur homines, vſque ad finem vitæ, qui fide iuſti ſunt. Reſpicit autem Apoſtolus ad anteactæ vitæ merita, eaque excludit in iuſtificatione à peccatis, non opera fidei & pœnitentiæ, ſed hæc reſpicit. Ait enim ſcriptura, *Sapient. 11.* quod Deus propter pœnitentiam diſsimulat peccata hominum. Et de Niniuitis loquitur Ionas propheta: Vidit Deus opera eorum *Cap. 3.* quia conuerſi ſunt de via mala, & miſertus eſt ſuper malitia quam locutus fuerat, vt faceret eis & non fecit. Porrò quoties apud *Cap. 18.* Ezechielem: Si impius, inquit, egerit pœnitẽtiam ab omnib⁹ peccatis ſuis, & cuſtodierit omnia præcepta mea, vita viuet & non morietur. Et alio loco: Ad quem, inquit Domin⁹ *Eſaiæ. 66* reſpiciam, niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos. In augmento quoque & perfectione iuſtitiæ Deus merita reſpicit, propter quæ etiam in domino gloriari oportet, quòd per nos

tanquam

tanquam organa huiuſmodi operari digne-
tur, & noſtro vti miniſterio.

Caluinus. *Nam cum ex Dauide aſſerit imputari abſque
operibus iuſtitiam, perpetuũ fidelium ſtatũ decla-
rat. Quemadmodum & Dauid ſe ac reliquos om-
nes Dei filios, non in vnum diem, ſed tota vita pec-
catorum remiſsione beatos eſſe exclamat. Nec de
vnius momenti iuſtificatione loquitur apud Lucã
Petrus, cum dicit, Per gratiam Ieſu Chriſti credi-*
Act. 15. *mus nos eſſe ſaluos, quemadmodum & patres no-
ſtri. Ille enim erat quæſtionis ſtatus, An exigenda
foret à gentibus legis obſeruatio? Id fieri debere ne-
gat, quòd non alia ſit ſalus in Chriſtiana Eccleſia,
quàm per Chriſti gratiam, nec alia vnquã fuerit:
& meritò. Nec enim aliter firma erit promiſsio,
niſi ex Dei gratia pendeat, ac fide nitatur, inquit
Paulus, An illic etiam de præcedentibus meritis agi
garrient? Imò ſelectiſsimis quibusq; ſalutis fiduciã
poſſe conſtare negat, niſi recumbat in Chriſti gra-
tiam: Fidem igitur abolet, qui non retinet hanc v-
nicam iuſtitiam vſque ad mortem.*

Reſponſio. Propriè agit hoc loco Propheta Dauid de
beatitudine eius cui peccata remittũtur, nõ
de ea quæ eſt beatitudinis ſiue iuſtitiæ pro-
fectus, de qua Saluator: Beati pauperes ſpiri-
tu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum,
Matth. 5. &c. quæ ſequũtur. Et idem Dauid: Beati im-
Pſal. 118. maculati in via, qui ambulãt in lege Domi-
ni. Hæc autem non eſt in peccatorum remiſ-
ſione, ſed in perfectione iuſtitiæ, aut operũ
pietatis. Non enim indiget iterata remiſsio-
ne, cui ſemel remiſſa ſunt peccata. Ideò verũ
non eſt quod dicit Caluinus. Dauidem ſe &
reliquos Dei filios nõ in vnum diem, ſed to-
ta vita peccatorũ remiſsione beatos eſſe ex-
clamaſſe, cũ non in ea ſola ſit beatitudo, ſed
etiam quando creſcimus & fructificamus in
omni opere bono. Ideò nõ perpetuum fide-
lium ſtatũ declarat Paul. cum ex Dauide aſ-
ſerit imputari abſq; operibus iuſtitiam, ſed
pœnitentiã tantum, qui ex fide propitiato-
ris abſq; operibus legis & liberi arbitrij iu-
ſtificantur. Nec excludit opera gratiæ ad iu-
ſtitiam præparantis. Et peccatorum remiſsio
ſolum eſt terminus à quo, iuſtificationis: iu-
ſtitia verò terminus ad quem. Quapropter
filij Dei non poſſunt tota vita ſola peccato-
rum remiſsione eſſe beati. & B. Petrus de iu-
ſtificatione à peccatis loquitur. Credimus
tamẽ per gratiã Domini noſtri Ieſu Chriſti
nos & vniuerſos ſaluari omni ſalutis & iu-
ſtitiæ gradu ac progreſſu, quatenus ex hac
gratia eſt nobis ſpiritus pœnitentię, fidei, &
Act. 15. charitatis omniumq; virtutũ, quas propter-
ea nõ excludit, imò magis tanquam effectus
& quaſi quoſdã fructus ſecum adfert & lar-
gitur. Docemus etiã nos quæſtionis propoſi-
tæ Apoſtolis ſtatum fuiſſe, An exigenda fo-
ret à gentibus legis Moſaicæ obſeruatio, cu-
ius ſolius & circunciſionis meminit princi-
pium capitis. Non aũt ſtatus quæſtionis fuit,
an impium ex fide pœnitere debeat ſuorum
Act. 8. peccatorum. Dixerat enim B. Petrus Simoni
Mago, pœnitentiam age ab hac nequitia tua,
& roga Deum ſi fortè remittatur tibi hęc co-
gitatio cordis tui. Item Paul. teſtificabatur *Act. 10.*
Iudæis atq; gentilibus in Deũ pœnitentiam
& fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chri-
ſtum. Ideò autem negat à gentibus exigendã
huius legis obſeruationem, quod nõ alia ſit
ſalus in Chriſtiana Eccleſia, quàm per Chri-
ſti gratiam. Credebant enim quidam & do-
cebant, quòd niſi circuncidamini ſecundum
morem Moyſi, non poteſtis ſaluari, quaſi ex
operibus legis ſine gratia Chriſti, ſalus con-
tingere poſſet, vel Chriſti gratia non eſſet
ſufficiens: de quibus etiam Apoſto. dum ait, *Rom. 9.*
Gentes quæ non ſectabãtur iuſtitiam, appre-
henderunt iuſtitiam: iuſtitiã autem quæ ex
Deo eſt. Iſrael verò ſectando legẽ iuſtitiæ, in
legem nõ peruenit. Quare? quia non ex fide,
ſed quaſi ex operibus, legis ſcilicet Moſaicæ.
Hic enim erat ſcopus diſputationis Apoſto. *1 Corin. 7.*
cum Iudæis, quòd lex Moyſi non eſſet ad ſa- *Galat. 5.*
lutẽ neceſſaria, ſed fides ſufficeret, modò nõ
eſſet ſterilis, Circũciſio, ait Apoſtolus, nihil
eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſeruatio
mandatorum Dei. Et alibi: Sed fides quæ per
charitatem operatur. Rurſus. Neq; circunci-
ſio aliquid valet, neq; præputium, ſed noua
creatura. Idem intelligens per hæc tria, no-
uam creaturam, fidem per dilectionem ope-
rantem, & mãdatorum obſeruationem. Nos
quoq; docemus ex Apoſt. Paulo nõ aliter fir-
mam eſſe promiſsionem, quam quia ex gra-
tia Dei pendet & fide nititur. Ex Dei enim
gratia voluntas humana conſequitur inſu- *Aug. de cor.*
perabilem fortitudinem. Ita enim ſubuen- *& gratia c.*
tum infirmitati voluntatis humanæ, vt diui- *8. & cap 12.*
na gratia indeclinabiliter & inſeparabiliter *De correp.*
agatur, vt dicit B. Auguſt. Et præcedẽtia me- *& gratia*
rita hic excludit, nõ opera pœnitentiæ ante *cap. 12.*
peccatorum remiſsionem. In iuſtitiæ verò
incremẽto nec merita excludit, quæ ex fidei
ſpiritu & gratia proficiſcuntur. Quapropter
& ipſa ſunt dona & gratia Dei. Ipſius enim
ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in ope- *Ephes. 2.*
ribus bonis, quæ præparauit Deus, vt in il-
lis ambulemus. Propter quam præparationẽ
quæ fruſtrari non poteſt, certiſsimè & inſe-
parabiliter in illis ſumus ambulaturi. Quo-
circa firma manebit Dei promiſsio, quamuis
ſine his operibus non impleatur. Et ſanctiſ-
ſimos recũbere in Chriſti gratia ſalutem ex-
pectando nos etiam confitemur. Ex Chriſti
enim gratia expectãt etiã opera, quæ præpa-
rauit eis Deus, vt inde ſalutẽ conſequantur.

Iuſtificamur gratis, inquiũt, quòd nulla opera *Caluinus.*
*quæ iuſtificationem præcedãt, ipſam promereantur.
Atqui dum Paulus Abrahæ materiam adimit glo-
riandi, eò quòd fides ſit illi imputata ad iuſtitiam,
probationis loco mox ſubijcit, Vbi ſunt opera, illic
debitum præmium rependi. Fidei autem quod da-
tur, gratuitum eſt. Notemus de ſancto Patriarcha
verba fieri. Negat Paulus quo tempore mundo re-
nunciauerat, vt ſe totum Dei obſequio addiceret,
vllis operibus fuiſſe iuſtum. Nonne ergo ter cæci
iudicandi ſunt, qui gratuitã Dei iuſtitiam non vi-
dent, niſi in ipſo veſtibulo: regnare autem in ipſo*

ædificio putant operum merita? Hoc quippe modo ſatisfactum pronunciant Apoſtoli ſententiæ, Si ex gratia, ergo non ex operib. Atqui Paulus quod ſaluæ fiunt reliquiæ, et ab æterni exitij periculo mirabiliter à Deo conſeruantur vſque in finem, id acceptum refert Dei gratiæ. Multum igitur abeſt quin ad tãtulam portionem, hoc eſt ad ſolum principium reſtringat.

Reſponſio. Rectè patres aiunt gratis nos iuſtificari, quod nulla opera ipſam iuſtificationẽ promereantur: Nam & Ariſtoteles ita gratiam & gratis facere deſcribit. *2. Rhet. c. 7. de grat.* Sit, inquit, gratia per quam dicuntur roganti gratis aliquid facere, non pro re aliqua, nec vt ſibi quicquam qui faciunt, ſubueniant, ſed vt cui faciunt. Qui autem ſui cauſa faciunt, aut quoniã coacti, aut quoniã reddiderunt, non dederunt, gratia nõ eſt. Vtroque enim modo quid pro quo. Nec Apoſt. Paulus tollit Abrahæ gloriandi materiã, ſi ex operibus iuſtificatus eſt, iuſtitia quam docent in Ethicis Philoſophi, niſi apud Deum duntaxat. Si enim Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum. Et vbi opera legis ſunt vel liberi arbitrij, ibi debitum præmium ſecundum Apoſtolum exigi poteſt. Vbi autem opera ſunt fidei & gratiæ (quia hęc dona Dei ſunt) gratuitum eſt quod eis datur, imo & quod redditur, vt docet beatus Auguſt. Nec Paulus negat ſanctum Patriarcham vllis operibus fuiſſe iuſtum. Apertè enim docet eum iuſtum fuiſſe credẽdo, & ita operibus fidei. *De grat. & lib arb. ca. 8. De correp. & gra. cap. 7. & in epiſ. ad Sixtum.* Et clariſsimè B. Iacob. eum ex operibus eſſe iuſtificatum docet: Nam filium ſuum Iſaac ſuper altare fide obtulit. Falſum patribus imponitur, quod gratuitam Dei iuſtitiã non vident, niſi in ipſo veſtibulo: regnare autem putent in ipſo ædificio operum merita. Nouerunt enim Dei iuſtitiam, vt initio, ita in progreſſu & cõſummatione eſſe gratuitam, ipſamq; cum fide in toto ædificio, cuius fundamentum eſt fides, regnare. Nec tamen minus regnãt operum merita, quæ gratiam, valorem, & dignitatẽ ex fidei & charitatis ſpiritu accipiunt. Et plenè ſatisfactum eſt per hãc diſtinctionem operum legis & operum gratiæ, ſentẽtiæ Pauli Apoſtoli. Si ex gratia, ergo nõ ex operibus. Cùm enim opera fidei & iuſtorum merita, ſint Dei dona, nõ diſtinguũtur contra gratiam, ſed contra opera legis & liberi arbit. tantum. Et B. Aug. vertit Opera, in merita operum, vt ſenſus ſit, Si ex gratia, non ex operum meritis. Et quia loca ex B. Paulo citata agunt de gratia electionis & promiſsione facta Abrahæ, quod videlicet in eius ſemine eſſent benedicendæ omnes gentes, nihil faciũt ad fidem ſpecialem, qua quis ſibi certò & infallibiliter perſuadet ſibi remiſſa peccata, Deumq; propitium: ad quam ſolam tamen à Caluino torquẽtur. *De bono perſeuer. cap. 18.*

MArtinus Bucerus in explicatione libri à Maieſt. Cæſarea Ratiſponæ collocutoribus propoſiti, circa articulũ de iuſtificatione ſententiam libri ſequens, propius ad veritatẽ acceſsit, qui contra Caluinum docet pœnitentibus duntaxat de peccatis ob Dei offenſam, Dei miſericordiam & peccatorum remiſsionẽ offerri, & ideo eos ſola fide eam apprehendere, hoc eſt, fidem eſſe proximam diſpoſitionem ad iuſtificationem, non pœnitentiã ſecundum Deum, nec Dei amorem, quãuis ſine his, & ſine propoſito vitam emendandi fides non ſufficiat ad iuſtificandum, ad eam tamen ſolam, proximam iuſtificationis cauſam eſſe referendam, & ideò non eſſe relinquendam formulam loquendi. Sola fides iuſtificat: vel ſola fide iuſtificamur. Ait enim Bucerus. *Folio 169. in fine.*

Quamuis Chriſtus non ſaluet nec iuſtificet niſi peccatores, eos tamen ſolum, ſiquidem rationis vſum habeant, quos ſuorum peccatorum & impietatis verè pœniteat, quos ante peccatorũ remiſsionem, & de beneuolentia Dei, certam fiduciam, vera commoueat animos de peccatis pœnitentia, pungat dolor de offenſa Dei, & certa exiſtat peccatorum deteſtatio, ita vt eorum corda compungebantur, qui audito Petro dicebant Apoſtolis, Quid faciemus viri fratres? Et audiebant, Pœniteat vos, & baptizetur quiſque in nomine Ieſu Chriſti ad remiſsionem peccatorum, & accipietis donum ſpiritus ſancti. Vt ergo remiſsio peccatorum non niſi à pœnitentibus percipi poteſt, & donatio iuſtificationis ijs modò promiſſa eſt, qui ſunt corde propter offenſum Deum contrito, et Dominus ad eos tantùm reſpicit, qui afflicti ſunt & ſpiritu conſternato, pauentq; ad verba eius. Nam ſumma Euangelicæ prædicationis vtrumque complectitur, pœnitentiam per nomen Chriſti, & remiſsionem peccatorum. Nec eſſe poteſt hæc pœnitentia, niſi præueniente motu ſpiritus ſancti, quo mens & voluntas moueatur ad deteſtationem peccati. Nam omnino vera & ſalutaris peccatorum pœnitentia (quam neceſſe eſt, ſi non tempore, natura tamen iuſtificationi in nobis perfectè, hoc eſt, remiſsioni peccatorum præire) excitari in nobis, niſi per ſpiritum ſanctum non poteſt, qui ſua virtute cor noſtrũ aperiat, vt verbo ſuo ſiue illato auribus, ſiue ad mẽtem reuocato auſcultemus, & fidem accommodemus, omnemq; liberi arbitrij motũ præueniat. Oportet enim à ſpiritu ſancto nos præueniente moueri, cum mentem, vt peccata mala & deteſtanda eſſe certò iudicet, tum voluntatem, vt ea plenè oderit & deteſtetur. Prædicamus igitur in Chriſto nõ ſolùm remiſsionem peccatorum, & in filios Dei adoptionem, ſed etiam veram viuamq; pœnitentiam: nec ſolum animi de gratia Dei conſolationẽ, & in ſpem vitæ erectionem, ſed etiam cordis propter offenſam Dei contritionẽ & ſpiritus compunctionem, ſed etiam ſummã omnis praui ſtudij deteſtationem, & à iudicio Dei trepidationem. Non conuerſionem modò ad Deũ, & nouæ vitæ meditatorem, ſed etiam ab omni peccato ſollicitam auerſionem et peccati in nobis aſsiduam et ſeuerã mortificationem. Atqui hæc omnia quæ veræ ac ſalutaris pœnitentiæ opera ſunt, prædicabimus in nomine *Bucerus. Act. 2. Eſaiæ 61. Eſaia 66. Lucæ 14.*

mine ac virtute Ieſu Chriſti, nõ in nomine ac virtute generis humani, teſtificãtes vnum eſſe Dominum Ieſum, qui hæc omnia in nobis ſuo efficit ſpiritu, quo nos vero de admiſſis peccatis dolore, & certa animi contritione ſic afficit, vt acri ac perpetua contritione omnem veterem hominem exuere ſtudeamus. Hæc enim ſola eſt vera & ſalutaris, ac non pœnitenda pœnitentia. Hæc eſt quam Apoſtol. Paulus cum collegis ſuis teſtificatus eſt Iudæis & Græcis pœnitentiam in Deum.

Reſponſio. Multum certè promouit Mart. Bucerus ex hoc libro à Cęſare oblato. Nihil enim in hac eius doctrina deſiderari poteſt, ſed per omnia conſentit cum doctrina Eccleſiæ Catholicæ. Verùm hanc poſtea relinquẽs atque ab ea deficiens, errare incipit in perſecutione argumenti, dum tandẽ addit: Cui pœnitentiæ fides in Dominum Ieſum deeſſe non poteſt, ſicut nec huic illa.

Bucerus. *Vno enim Euangelio, & eodem Chriſti nomine & pœnitẽtia in Deum, & remiſſio peccatorum per Chriſtum annunciatur: Vno opere ſpiritus cor aperitur electis, vt auſcultãtes Euangelio, vna eademq́ʒ fide agnoſcamus nos in Deũ, non modo turpiter ingratos, ſed etiam contumelioſè in Deum fuiſſe impios, æternamq́ʒ eius iram et abiectionem meritos eſſe, & nihilominus in Chriſto Ieſu propitiationem nobis Dei, & remiſſionem peccatorum, adoptionemq́ʒ in filios Dei, & vitam æternam, vltronea & obuia bonitate, certiſſimáque voluntate offerri. Ex qua fide, quia mens videt agnoſcitque ſuam fœdiſſimam turpitudinem & horrendam iram Dei, verus de peccatis dolor, certáque impietatis noſtræ deteſtatio, & ſolidus diuini iudicij terror generatur in animis Euangelium auſcultantium. Et rurſus quia eadem fide animus firmiter credit Euangelio etiam ea parte, qua annunciat, non modò oblatam peccatorum omnium veniam & remiſſionem omnis et offenſæ, & pœnæ, verùm etiam paternam Dei charitatem, & in vitam beatam adoptionem, non poteſt in eodem animo nõ exiſtere, & fiducia huius miſericordiæ ampliſſimæq́ʒ beneuolentiæ Dei, atq́ʒ ſpe promiſſæ ſalutis & hæreditatis indubitata, cum qua fide, fiducia, & ſpe neceſſaria ardet in eodem animo, vera quoque in Deum charitas, ſtudium flagrans, et veneratio cultusq́ʒ ſolidè pius & ſedulus.*

Reſponſio. Hic fraudulẽter agere incipit & errat Bucerus, docens omnium horum neceſſariam eſſe connexionem. Nam cum obiecta pœnitẽtiæ, fidei, ſpei, & charitatis ſint diuerſa, & virtutes iſtæ, & earũ actus multum ab inuicem diſtinguantur. (Nam pœnitentiam in Deum, & fidem in Chriſtũ diſtinguit Apoſt. Paulus) non eſt neceſſaria omnium horum connexio. *Actuum 20.* Et quamuis eadem fide credãtur, horrenda videlicet ira Dei, & peccatorum remiſſio, ac præcipua Dei charitas, diuerſæ tamen ſunt Euangelij partes, vt ipſe Bucerus hic ſcribit, aliæq́; fidei conſiderationes. Poteſt enim impietas eſſe deteſtatio & cõſideratio ſine aſſenſiõe oblatæ veniæ, & è diuerſo, & contemplari poſſumus paternam Dei erga nos charitatem, non conſiderata peccatorũ turpitudine, nec oblata venia, nec gratuita peccatorũ remiſſione, & ſibi inuicem hæc poſſe ſuccedere, & ita ab inuicem ſeparari, experientia teſtatur, & quæ in Bucero ſequuntur manifeſtant. Poſſunt tamen hæc omnia quæ Bucerus hic ponit concurrere in iuſtificatione impij, ſicuti & nos in ea multa requirimus, & tunc impij iuſtificatio, non fit per fidem, ſed per veram pœnitentiam ex fide procedentem. Addit enim.

Bucerus Folio 18. in princip. *Si ex prædicatione Euãgelij animus id tantùm apprehendat, quàm ſit fœda & inuiſa Deo gehennæque obnoxia noſtra anteacta vita, & non ſimul remiſſionem peccatorum, et gratiam Dei in Chriſto, nihil profecto ille quàm deſperare poterit, vti de Cain et Iuda legimus. Proinde ſi ſpiritus Domini mentem magis defigat in eam partem Euãgelij, qua illud detegit vitæ noſtræ turpitudinem, & denunciat meritam iram Dei, quàm in eam qua offert condonationem peccatorum, eò maior quoque ſentitur à iudicio Dei trepidatio. At niſi idem ſpiritus animum & in hanc alteram Euangelij partem de venia & remiſſione peccatorum, atq́ʒ cœleſti hæreditate, vel aliquantulum erigat, nec credere in Chriſtum & Deum poterit, nec veram & emendatricem peccatorum pœnitentiam concipere. Deſperabit potius & odiſſe Deum incipiet.*

Reſponſio. Ex his Buceri dictis clariſſimum eſt quòd ſeparari poſſunt apprehenſio fœditatis & iræ Dei, & conſideratio Euangelij de venia & remiſſione peccatorum. Alteram enim in deſperationem adducere dicit: alterã ad fiduciã miſericordiæ & remiſſionis peccatorum, ſine qua fiducia ſiue ſpe veniæ agnoſcimus non eſſe veram & emendatricem peccatorum pœnitentiam, nec concipi poſſe. Sed quid hæc commune habent cum fide quam ex libro Cæſ. Maieſt. adducit & probat Bucerus? Non enim ex eis ſequitur quod hęc fides pœnitentiæ deeſſe non poſſit, nec verum eſt quòd non poſſumus in Chriſtum & Deum credere, niſi ſpiritus erigat in partem Euangelij de remiſſione peccatorum. Credũt enim in Chriſtum & Deum, qui obliti eorum quæ retro ſunt, ad ea ſe extendũt, quæ ſunt priora & brauium proſequuntur ſupernæ vocationis Dei. Et vera pœnitentia ſpem veniæ complectitur, & ex fide verbi Dei, quàm ſcilicet placabilis eſt ſuper malitia, proficiſcitur, & ideò ſine ea docemus & nos pœnitentiam non eſſe emendatricem: Nec eum fiducia & ſpe in eodẽ animo eſſe oportet flagrantem in Deum charitatem. Nunquam igitur veræ pœnitẽtiæ, fiducia veniæ, gratiæq́; Dei abeſſe poteſt, fiducia tamen beneuolentiæ Dei ſine pœnitẽtia haberi poteſt: in quo iterum errat Bucerus, dicens hãc fiduciam ſine pœnitentia peccatorum haberi nõ poſſe, ſicut nec vera pœnitentia ſine fiducia beneuolentiæ. Hæc enim fiducia toti iuſtorum vitæ qua ad brauiũ currunt adeſt, atq; eam ſemper comitatur, Intelligẽs autem Bucerus hæc ab

inuicem poſſe ſeparari, ſcilicet veram peccatorum pœnitentiam & fiduciam beneuolentiæ, callidè addit eas non poſſe ſeparari, quanquam nunc pœnitētia, nunc fiducia in animis fidelium vim ſuam magis explicet, peccatorũ & iræ Dei conſideratione. Quamuis igitur ſecũdum Bucerum verè pœnitentibus ſolum offeratur in Chriſto Dei miſericordia, docet tamen ſeruandam eſſe hanc loquendi formulam, Sola fides iuſtificat, & ſola fide iuſtificamur. Fidem autem intelligit motũ ſpiritus ſancti, quo verè pœnitentes veteris vitæ eriguntur ad Deum, & verè apprehendunt miſericordiã in Chriſto promiſſam, vt iam verè ſentiant quod remiſsionem peccatorũ & recõciliationem propter meritum Chriſti, gratuita Dei bonitate acceperunt, & clamant ad Deum, Abba pater, hac ſola nos docet iuſtificari, non per excluſionẽ pœnitentiæ (hanc enim præcedere docet) nec charitatis, aut ſtudij nouitatis vitæ, quę fidei inſeparabiles comites dicit, nec etiam per excluſionem bonorũ operum. Alienus enim eſt ab hæreſi, quam B. Aug. improbat, quòd ſine bonis operibus per ſolã fidem quæ eſt firma & certa aſſenſio verborum Dei (ea enim ſola ad hæc vſque tempora cognita fuit apud hæreticos) peruenire poſſumus ad æternam vitam. Docet enim hanc fidem, bonorum operum eſſe feracem, & ſine ipſis nõ poſſe ſubſiſtere, nec compati peccatũ vaſtans conſcientiam, quod nos mortale dicimus. Eadem enim prędicat ipſe & noſtri aduerſarij reliqui de fide, quæ nos de charitate, cui illam dignitate proponunt. Nam ſicut Apoſtol. Paulus dicit finem præcepti eſſe charitatem, & plenitudinẽ legis eſſe dilectionem, ita hi conuenientius dicere poſſent finem & plenitudinem legis eſſe fidem, eò quòd charitatẽ & legis obſeruationẽ in ſe contineat. Quemadmodũ ergo nos rectè dicimus nulla opera veram charitatem habẽtis eſſe tam mala, vt eum cõdemnare poſsint, ita ipſi docent nulla opera credentis in Chriſtum tam mala eſſe, vt ipſum condemnare poſsint. Et rectè dicerent, ſi eſſet ea fides quam imaginantur & fingunt. Sola ergo fide nos iuſtificari aſſerit Bucerus, propterea quòd ad eam ſolam transferenda ſit tanquam ad cauſam, vis & efficacia iuſtificãdi, & ipſa ſola ſit diſpoſitio immediata & proxima, per quam iuſtificamur, & ſine qua nemo iuſtificetur. Excludit itaq; particula, Sola, veram pœnitentiam, Dei amorem, item quodlibet aliud hominis opus, ab efficacia, vi, & proxima diſpoſitione ad iuſtificationẽ. Agit enim hic Bucerus non de cauſa iuſtificationis formali, ſed diſpoſitiua tantùm. Contra quem errorẽ ſuperius citauimus Prophetam Dauid, qui Domino ait, Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies: quodq; Deus vidit opera Niniuitarum, quia cõuerſi ſunt & eorum eſt miſertus. Et ſcripturæ paſsim tribuunt pœnitentiæ & à peccatis auerſioni peccatorum remiſsionem, nõ facta mentione fidei, quam tamen ſupponũt præcedere, & pœnitentiam ab ea proficiſci, ſicut Apoſt. Paulus & Euangelia plurima tribuunt fidei, vbi nõ faciunt mentionem pœnitẽtiæ vel operum, quæ tamen propterea non excludunt, quum ſint fructus fidei, ſine quibus viuida eſſe non poſsit, non magis quàm corpus ſine ſpiritu. Atque hoc modo ſeipſum declarat Apoſtol. Paulus dicens, Hoc verbum (de quo Moyſes in Deuteron.) quod propè eſt in corde, & in ore, eſſe verbum fidei quod prædicauit: Verbum autem Deutero. certum eſt fuiſſe de reuerendo ad Dominum Deum ex toto corde & tota anima. Et certum eſt Auguſtinũ peccatorum remiſsionem ad amorem Dei tanquam cauſam retuliſſe, quãdo ſcribit in Enchirid. Charitas quam duabus iſtis, id eſt, fide & ſpe maiorem dixit Apoſtolus, quanto in quocunq; maior eſt, tanto melior eſt is in quo eſt. Cum enim quæritur, Vtrum quiſquam ſit homo bonus, non quæritur quid credat aut ſperet, ſed quid amet. Nam qui rectè amat, proculdubio rectè credit & ſperat: Qui verò non amat, inaniter credit, etiamſi ſint vera quæ credit, inaniter ſperat. Idem oſtendit fidem non habere vitam, niſi à charitate, nec ex ſe viua, nec vita eſſe poteſt ſine ea: ſicuti corpus ex ſe viuum nõ eſt quod vitam amittere poteſt. Hac autem ſimilitudine vtitur B. Iacob. Ad fidem verò quam fingunt aduerſarij, & ad hanc ſolã iuſtificationis cauſam referre, pernicioſa nouitas eſt, & peſtilens fons multorum errorum.

Lib 21. de ciuit. Dei, cap. 26. & toto lib. de fide & ope. · *1. Tim. 1.* · *Pſal. 50.* · *Ione 3.* · *Ezech. 18.* · *Deuter. 20.* · *Cap. 117.* · *1. Cor. 13.*

Ea formula loquendi, Sola fides iuſtificat, ſancti & patres vſi ſunt, Origenes, Hilarius, Ambroſius, Baſilius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, et qua nos ſignificatione, iuſtificationẽ ſcilicet nos nullo merito, ſed ex ſola Dei gratuita miſericordia, fide in Chriſtum percipere, fidemq; ſolùm, vt diuus Chryſoſtomus ſcribit, adſerentes apprehẽdere ſalutem in Chriſto. Cùm itaque iuſtificari ſola fide, prorſus idem polleat, atque ex fide & non operibus, quod Paulus dixit, nos illa loquendi formula vſi ſumus, nec eam ſophiſtis concedere potuimus. Etenim ne quis id intelligat de fide, quæ ſola, id eſt ſine charitate maneat, ac proinde mortua ſit, diligenter ſtudemus monere nos de fide loqui viua, quæ charitatem & totam hominis innouationem neceſſariò coniunctam habet. — *Bucerus.*

Reſponſio. Agnoſcimus patres vſos eſſe hac formula ſermonis, ſed lõgè alia ſignificatione, quàm Bucerus & collegæ eius, quod ipſe non ignorans fallaciter addit, patres non ſolùm vſos eſſe hoc ſermone, ſed & qua nos ſignificatione vſi ſumus, quam ſignificationẽ etiam explicat, iuſtificationem ſcilicet nullo noſtro merito, ſed ex ſola Dei gratuita miſericordia fide in Chriſtũ nos percipere. Hanc quidem ſignificationem patres reuera intellexerunt, & nos eandem ſequimur, ſed quis patrum vnquã intellexit fidem immediatè apprehendentem iuſtitiam, & per ſe ſine charitate viuam, per quam verè ſentiamus nos peccatorũ remiſsionẽ accepiſſe, ſicut ex fide certi ſumus futuram eſſe corporum reſurrectionem?

ctionem. Non enim aliam nouerunt fidem, quàm quæ tribuitur verbo Dei, quicquid etiam Deus loquatur, ſiue ſupplicium comminando, ſiue ſalutem promittẽdo. Nec verum eſt quod dicit Bucerus, quod ex tota fide iuſtificari, prorſus idem polleat, atque ex fide & non operibus: quia ipſe intelligit, ex ſola fide nos iuſtificari, fidem eſſe immediatam & efficacem diſpoſitionem ad iuſtificationem: eſſe aũt poteſt, imò reuera ita eſt quod non fides, ſed ex fide pœnitentia talis ſit diſpoſitio. Præterea ſola fides, omnia alia excludit. Fide autem & nõ ex operibus, opera fidei & gratiæ non excludit, quibus ad iuſtitiam diuinitus præparamur, & non ex ſolo fidei motu. Solum autem excluduntur opera legis vel naturæ apud Apoſt. Paul. Monet Buc. ſe loqui de fide ex ſe viua, non à charitate viuida, quum Apoſtolus Paulus clarè teſtetur ſe nihil eſſe ſine charitate. huic tãtum acceptum ferens, quòd ſit aliquid, & quòd fides aliaque Dei dona ei proſint. Fatemur autem patres quos ſuperius citauit Bucerus, aliquando dicere ſola fide impium iuſtificari, ſed ſenſu longè alio, quàm intelligit noſter Bucerus. Nam pro diuerſitate argumẽti quod tractat, particula, ſola, nunc vnum nũc aliud apud eos excludit: excludit enim aliquando tantum opera ſacramẽtorum externa, quando neceſsitatis articulus ea adhiberi non patitur: quandoq; opera cæremonialia, vel iudicialia veteris legis: nõnunquam opera quæ fiunt ante fidem, vel per legem, aut per naturam: aliquando opera quæ ſunt merita iuſtificationis. Et ſicut dicit B. Chryſoſtomus, fides per ſeipſam plena eſt operibus, & vbi primum credimus, niſi eam impediamus, opera ſtatim ſequuntur. Ideò patres omnia quæ fidem comitantur, quæque iuſtificationem, neceſſaria præſcribit, nomine fidei comprehendunt, & fide ſola nos iuſtificari dicũt, quia ipſa per ſe & per alia quæ in nobis efficit & præſcribit, iuſtificat. Horum ponamus exemplum. Origenes in comment. circa locum Apoſtoli, arbitramur iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis, dicit apoſtolus, inquit, ſufficere ſolius fidei iuſtificationem, ita vt credens quis tantummodò iuſtificetur, etiamſi nihil operis ab eo ſit expletum, & ſola fide ſine operibus dicit latronem iuſtificatum, & Magdalenæ ex nullo legis opere, ſed ex ſola fide dixiſſe Chriſtum, Remittuntur tibi peccata tua. Et mox ſubdit, Fides tua te ſaluum fecit, vade in pace. Hoc ſermone vſum legimus Saluatorem, vt credẽtis fidem diceremus cauſam ſalutis ipſius. Et paucis interpoſitis ſeſe explicãs addit, Igitur vt ad propoſitum redeamus, iuſtificatur homo per fidem cui ad iuſtificandum nihil conferunt opera legis: vbi verò fides non eſt quæ credentem iuſtificet, etiam ſi opera quis habet ex lege, tamẽ quia non ſunt ædificata ſuper fundamentum fidei, quamuis videantur eſſe bona, operatorem ſuum iuſtificare non poſſunt, ſi eis deeſt fides quæ eſt ſignaculũ eorum qui iuſtificantur à Deo. Vbi apertiſsimè explicat ſe intelligere ſola fide iuſtificari impium, quia per fidem & non per quæcunque opera ſine fide. B. Amb. Sicut, inquit, ſuffecit Iudæ ad ſcelera Chriſtũ deſeruiſſe, ita ſuffecit latroni ad innocentiam, Domino crediſiſſe. Et ad Irenæum atq; in alijs locis ſimilia, vbi, inquit, quis credit, ira Dei diſcedit, vita aũt accedit. Sed explicat in eodem ſermone ſe nõ excluſiſſe opera interiora à fide procedẽtia. quum mirificè commẽdet deuotionem fidei, ſpem & deuotionem ipſius, & ſua oratione latronem iuſtificatum apertè dicit. Et in ſerm. 44. expreſsè dicit latronem plus amaſſe Chriſtum, quàm Iudas amauerat in cœna, ipſumque deſpexiſſe vitam præſentem, & pro ſola futura Chriſtum oraſſe. Item & grauiter ſe accuſaſſe, imò & dicit plus amare ipsũ Chriſtum cœpiſſe, ex quo intellexit vulnera illi eſſe vulnera ſua ipſius non Chriſti. Similem ſenſum habuiſſe alios patres, quando ſola fide impium dicunt iuſtificari, conſtare poterit, ſi circumſtantiæ locorum quæ citantur, diligenter expendãtur. prout eruditè & copioſè docet venerabilis pater Andreas à Vega ordinis fratrum Minorum, in expoſitiõe Tridentini Decreti de iuſtificatione.

1.Cor.13. — Aug. 4. de baptiſmo. — Bernard. in epiſtola ad Aug. — Ser. de fide & lege nat. — Rom.3. — Serm.45 de ſancto latro. Epiſt.71. lib. 1. de pœni c. 10. & 11. & le. 2. cap. 8. — Libr. 11. cap. 23.

Quamuis autem ſola viua fides, ſicut charitas ſola ad ſalutem & iuſtitiam ſufficiat. (Eſt enim iuſtitia formalis, & ea manente, ſumus filij Dei & hæredes) ipſa tamen fides ſola non iuſtificat impium, nec charitas, ſed propriè pœnitentia ſola, hoc eſt ſacramentũ baptiſmi vel pœnitentiæ. Hæc enim à Chriſto ſunt inſtituta ad impij iuſtificationẽ. Atqui ipſe Martinus Lutherus quãuis impius, hanc formam ſermonis, ſola fide iuſtificamur, ſæpius improbauit: quia ex huiuſmodi prædicatione dicebat multa ſcandala naſci, & homines fieri carnaliter ſecuros. Proſequitur autem Martinus Bucerus.

Eckius in apol. aduerſus calumnias Bucer. fol.151.

Bucerus.

Pighius aduerſus nos pugnat de cauſa iuſtificationis receptiua, quam charitatem facit, negat eſſe fidem, etiamſi in genere ſuo perfecta ſit: ſed dicit amorem ſyncerũ Dei, habentem amorem filialem ſibi coniunctum, eſſe diſpoſitionem ad iuſtificationem proximam, efficacem, & inſeparabilem ab illa, vt quæ ſola nos Deo coniungat, & virtutem Chriſti mortisq́ eius nos iuſtificantem & ſanctificantem deuocet & illiciat, & miſericordiã Dei reſidere ſuper nos faciat. Ad quam ſententiam probandam, hanc adfert Pighius demonſtrationem. *Dilectione Dei & timore filiali deſtitutus, quiq́ non ſeruat pactum Dei, nec eſt memor præceptorũ eius vt faciat ea, is manet in morte, non habet Deum patrem, non diligitur à Deo, non eſt particeps teſtamẽti illius: Ergo amor Dei ſyncerus habens coniunctũ timorem Dei filialem, & obſeruationem mandatorum eius, eſt quo iuſtificationem recipimus, non fides.* Cui demõſtrationi reſpondens Bucerus, dicit huic argumentationi ſimilem. *Sine vſu ſenſuum cibi potusque concoctione, digeſtione, & motu nemo vi-*

uit, &

uit, ergo vis qua per ſe primo vitam recipimus, eſt vſus ſenſuum & motus.

Reſponſio. Diſpoſitio proxima & efficax ad iuſtificationem, propriè non eſt ſecūdum ſe amor Dei, ſed vera pœnitentia ex Dei amore ſuſcepta, qui in iuſtificatione perficitur accedente ſacramento, & per ſpiritum ſanctum diffunditur ipſa hominis iuſtitia, qua formaliter intrinſeca denominatiōe fit iuſtus. Pergit Bucerus.

Bucerus. *Fatemur hominem in morte manere & eſſe à Deo alienum quamdiu eſt abſque dilectione Dei & proximi, abſque ſtudio & obſeruantia praeceptorum Dei, verum amorem vel Dei vel proximi illud eſſe, quo primum homo coniungitur Deo, vel inſeritur Chriſto, & donatur induiturque iuſtitia Chriſti, non negamus & authoritate Chriſti, qui ipſe Apoſtolo ſuo teſtatus eſt. hæc recipi fide, tum idem ratione etiam euidenter demonſtratur. Nec enim amare Deum vt Deum quiſquā poteſt, niſi agnoſcat eum velle & ſibi Deum eſſe, id eſt ſeruatorem, vitæq; æternæ largitorem. Hoc verò opus fidei eſt, quo creditur Euangelio. id eſt certæ perſuaſionis, qua ſpiritus ſanctus perſuadet, & nobis Chriſtum à Deo donatum redemptorem, & cum eo omnia. Cui perſuaſioni neceſſariò adhæret quidem, ſe nō præit ſyncerus amor Dei, timor filialis, ſtudium Deo ſe approbandi per omnia. Qui enim homo perſuaſus ex Euangelio Chriſtum ſibi eſſe, et adferre ſemel expetenda omnia, eum nō ſimul atque in animo eius iſta Euangelij perſuaſio exiſtit, amet ſynceriter, colat, obſeruet?*

Reſponſio. Amorem Dei in pœnitentia ipſamque ex amore pœnitentiam, eſſe illud quo homo induitur, atq; reuera imbuitur iuſtitia Chriſti, & fit diuinæ naturæ conſors, oſtendimus ex verbo Saluatoris, de Magdalena, qui cauſam propriam remiſsionis peccatorū refert ad dilectionem in pœnitentia, quam eius lachrymæ teſtabantur. Pœnitentia itaq; ex fide & Dei amore procedens, proxima & immediata ac totalis fuit diſpoſitio, per quam eſt iuſtificata. Nec ignoramus Chriſtum per ſuum Apoſtolum teſtari, quòd fide iuſtificamur, imò hoc ipſum docemus, ſed nulla ſcritura habet quod iuſtificamur ſola fide. Nam ipſe Apoſtolus Paulus. teſtatur Iudæis & Gentibus pœnitētiam in Deum & fidem in Ieſum Chriſtum. Item Chriſtus iuſsit ſuos Apoſtolos prædicare in ſuo nomine pœnitentiam, & remiſsionem peccatorum. Atq;, vt iam aliquoties diximus, ignota fuit Chriſto & eius Apoſtolis fides hæc quam tamen ſolam prædicant, & ſic vrgent aduerſarij, vt ſine ea fide neminem iuſtitiā conſequi poſſe doceat. Tandem Martinus Bucerus diffiſus ſcripturarum authoritatibus, trāsfert ſe ad ratiocinationem, per quā euidenter demonſtrari iactat, quòd ſola fide iuſtificamur, quæ ſi diligentius perpendatur, inuenietur futilis paralogiſmus, nihil ſoliditatis habens, cū ex falſis procedat, nec tamen inde ſequitur concluſio quam putat.

Actor. 20.

Ioann. 14.

Ait enim, *Nec enim amare Deum, vt Deū quiſquam poteſt, niſi agnoſcat eum velle & ſibi Deum eſſe, id eſt, ſeruatorem vitæq; æternæ largitorem.*

Quid ſi amet Deū quamuis non vt Deum, ſed vt miſericordem, & quomodo eum nobis proponit propheta, Cōuertimini ad Dominum Deū veſtrum, quia benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malita: ſicut Hiere. Eſaias, & Paulus. An is amare non poterit, quomodo eum dilexit Magdalena, quæ ex hoc amore ad eum acceſsit, vt acciperet peccatorum remiſsionem? Et quod propoſito conducit hic implicare & ſpecificare cum clariſſimæ rei obſcuratione Deū amare vt Deum. Et falſum eſt, quod nemo Deum vt Deum amat, niſi agnoſcat eū velle & ſibi Deum eſſe, hoc eſt ſeruatorem, & vitæ æternæ largitorem. Nec enim nomen, nec ratio Dei hoc habet, quod ſit ſeruator, vitæque æternæ largitor, multò minus quòd Deus ſit mihi ſeruator, & æternæ vitæ largitor. Ethnici enim & philoſophi gentes cognouerunt vnum eſſe deum: nam quod notum eſt Dei manifeſtum eſt illis. Inuiſibilia enim Dei per ea quę facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoq; eius virtus & diuinitas. Nec ſine teſtimonio ſemetipſum apud eos reliquit. Nam B. Tho. ex authoritate Dionyſij & Damaſceni, dicit hoc nomen Deus eſſe nomen impoſitum ab operatione vniuerſali, ſcilicet rerū prouidentia, & omnes de Deo loquētes hoc intendunt nominare, quod habet prouidentiam vniuerſalem de rebus. Ait enim B. Dionyſ. Id quod Deus eſt, omnia videt prouidētia & bonitate perfecta. Item B. Ambr. Deus & Dominus nomen magnificentiæ, nomen eſt poteſtatis, ſicut ipſe dicit, Dominus mihi nomen eſt: Dominus ergo & Deus, vel quòd dominetur omnibus, vel quòd ſpectet omnia, & timeatur à cunctis. Igitur Deus ſecundum propriam rationem includit quod is qui Deus nuncupatur, habeat omnium curam & prouidentiam ex ſua bonitate. Hac autem ratione eum amari non poſſe, niſi ſimul ſpecificè apprehendatur, vt ſeruator & æternæ vitæ largitor: quis Bucero concedat, niſi qui cū inſano ſimul inſanire velit? Porrò multis alijs rationibus Deum amari poſſe natura charitatis teſtatur, qua Deum propter ſeipſum amamus, & quia bonus eſt, & omnium bonorum fons, habens ipſum eſſe veluti quoddam pelagus ſubſtantiæ infinitum. Item alia multa ſunt beneficia, quæ ad eius amorem inuitant, vt docet B. Baſilius. Subſumit autem Bucerus. *Hoc opus fidei eſt, agnoſcere videlicet eum velle et ſibi Deum eſſe, id eſt, ſeruatorem, vitæq; æternæ largitorem: & quidem fidei eſt qua creditur Euāgelio.* Quod quęſo Euangelium & apud quem euangeliſtā inuenias, quod habet Deum ſe velle eſſe Deum credenti, hoc eſt Deum velle, quod ſit Deus credenti, id eſt, ſeruator eius, vitæq; æternæ largitor. Nec hoc perſuadet ſpiritus ſanctus, quod vnicuiq; noſtrum Chriſtus donatus ſit

Reſponſio. Ioelis 3. Cap. 49. Cap. 3. 1. Corin. 3. Rom. 1. Act. 14. 1. part. q. 13. lib. 1. cap. 12. Cap. 12. de diuin. nomi. Lib. de fide. Cap. 1. In regu. monach. cap. 2.

à Deo

à deo redemptor,& cum eo omnia ſecundũ intellectum Buceri. Intelligit enim non ſolum paratum eſſe deum ad nos ſeruandum & largiendum vitam æternam noſq; redimendum, ſed quod omnino hæc ſola ſide in nos transferat. Deinde falſum eſt quod huic perſuaſioni neceſſariò adhæreat ſyncerus Dei amor, timor filialis & ſtudium Deo ſe per omniã approbandi. Experimentò enim nouimus,quod homines ingrati ſuos benefactores non diligunt, nec ingratus filius ſuum parentem: ita is qui perſuaſus eſt Chriſtum à Deo nobis eſſe donatum redemptoré & cum eo omnia: poteſt nihilominus terrena & temporalia ei proponere,vt Chriſtũ in corde fundamentũ nõ habeat, poteſt & animam magis q̃ Chriſtum diligere. Et quia ad hoc probandum ſcripturis deſtituitur Bucerus,loco ꝓbationis interrogationẽ ſubijcit.

Reſponſio.

Quis enim homo ex Euangelio perſuaſus Chriſtum ſibi eſſe & adferre ſemel expetenda omnia, cum non ſimul atq; in animo eius iſta Euangelij perſuaſio exiſtit, amet ſynceriter, colat, obſeruet.

Huic reſponderi poteſt, quod is qui diligit mundum, & patrem & matrem magis quã Chriſtum, perſuaſus eſſe poteſt Chriſtũ ſibi eſſe omnia,tamẽ poteſt Deum non amare nec Chriſtum eius ſicut filij amant parentem. Præſupponit enim amorẽ Dei ſyncerũ eſſe naturalem fidei fœtum & ipſam neceſſariò ſequi:quod falſum eſt. Peculiaria enim ſunt hæc Dei dona, & Deum amare ex libertate pẽdet arbitrij,cui nulla cognitio neceſſitatem imponere poteſt. Attamẽ vt hæc omnia concedantur Bucero,non tamen hinc ſequitur,quod ſola fide iuſtificemur. Id quod apertius conſtabit, ſi ad formam aliquã hæc eius argumentatio redigatur. videlicet: Nemo poteſt Deum vt Deũ amare,niſi agnoſcat eũ velle & ſibi Deum eſſe vitęq; æternę largitorem. Hoc verò agnoſcere opus fidei eſt, cui neceſſario adhæret, non pręit amor Dei: ergo ſola fide iuſtificamur, & amor natura poſterius fidem & iuſtificationem comitatur. Cuius argumentationis antecedens eſt falſum:& conſequentia non valet,nec valet conſequentiæ probatio quam ſubdit.

Non accipit ille, amor ſcilicet, hæc bona: verum quia fide accepta ſunt, in donantem accenditur, illum ſuſpicit, illum colit. Petit enim hæc probatio principium. Nã oſtendimus quod hæc bona fide accipiuntur,ſed per pœnitentiam quæ ex Dei amore procedit & ſcripturæ aduerſatur, quòd amor hæc bona accipiat. Dicit enim quòd Magdalenæ condonata ſunt peccata multa,quia dilexit multum. *Lucæ.7.* Et quãuis hæc fide ſuſcipiantur,non cõtinuo ſequitur ſola fide ea ſuſcipi. Id quod erat probandũ. Cũ enim nihil aſſumptum ſit in probatione de ſola fide,de ea ſola etiam concludi non poteſt. Tametſi aũt nihil efficaciæ habeat hæc Buceri argumentatio,quia ex falſis ſine legittimo ordine argumẽtationis ad cõcluſionẽ infirmã procedit, in ea tamen tanquã efficaciſsima demonſtratione gloriatur quem etiam non pudet (non dubito quin reluctante conſcientia) huic ſuæ rationi amplius annectere.

Bucerus *Hæc vt ſcripturis, inquit, ita omni verè credentium ſenſui & perpetuæ doctrinæ Eccleſiæ, quam ſancti patres nobis tradiderunt, conſentanea eſſe nemo dubitauerit, qui iſta ex ipſis ſcripturis & ſanctorum patrum ſcriptis, & vera in Chriſtum fide, cognoſcere voluerit.*

Reſponſio. Fallaciter hæc dicis de verè credentibus, & de vera patrum doctrina. Nam huius rei quam nobis perſuadere conaris,experimentum vel ſenſum nemo vnquam habuit, niſi prius hæretica illuſione faſcinatus. Non enĩ quiſquam patrum docuit ſola fide apprehendi iuſtitiam prius natura quàm adſit charitas,ſicut tecum docent Caluinus, Lutherus, & Philippus. Sed docent patres per veram in Deum pœnitentiam ex fide in Chriſtum proficiſcentem nos iuſtificari. Eiuſdem momenti,hoc eſt, nullius eſt quod adferunt & proponunt tanquam euidentem demonſtrationem,quòd non cõtingat amare Deum priùs quàm fide iam facta ſit reconciliatio & peccatorum remiſsio obtenta.

Bucerus. *Cùm enim lex, inquiunt, peccatorum noſtrorum & diuinæ offenſæ conſcientia illum nobis veluti iratum & terribilem vindicem & iudicem ingerat, ac nos terrefaciat, non poteſt in hunc modum perterrefacta conſcientia amare Deum ita apprehenſum, imò neceſſariò refugit ab eodem.*

Reſponſio. Cui reſpondet Albertus Pighius, quod cùm hac peccatorum & diuinæ offenſæ & iræ conſcientia conſiderare poſſumus infinitam Dei bonitatem omnibuſq; ad ſe confugientibus obuiam miſericordiam, quæ erigit,& prouocat ad ſpem ab eo licet offenſo impetrandæ veniæ peccatorum. Si enim conſternatis & perterrefactis loquitur, Apoſto. Paulus, Pro Chriſto legatione fungimur tãquam Deo exhortante per nos: obſecramus *1.Cor.5.* pro Chriſto, reconciliamini Deo. Eum qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo. *Cap.3.* Et Hieremias, Tu fornicata es cùm amatoribus multis, tamen reuertere ad me dicit Dominus. Poſſumus igitur ante iuſtificationem Deum amare, & ex hoc amore peccata noſtra odiſſe, ſed hic amor perficitur, quando charitas Dei per ſpiritum ſanctum in cordibus noſtris diffunditur. Manifeſtum eſt itaq; infirmam eſſe Buceri argumentationem: & nihil habere ſoliditatis, quæ adfert ad probandum ſola fide impium iuſtificari. Nec ſoluit argumenta Alberti Pighij, quibus ex ſententijs B. Auguſtini & Greg. oſtendit veram de peccatis contritionem ac pœnitentiam non ex ſui, ſed ex Dei amore *Couerſ.2.* proficiſci, ac peccata non per aliam pœnitentiam remitti,niſi accedente ſacramento, oſtendimus circa articulum tertium.

IOannes Brentius docet nos non eſſe iuſtos per has virtutes,fidem,ſpem,& chari-

tatem, & idololatras eſſe qui in his virtutibus dicunt conſiſtere noſtram iuſtitiam. Ait enim in catechiſmo ſuo poſt explicationem ſymboli.

Brentius.

Docent & ſomniant monachi & hypocritæ, quòd cùm homo faciat quod in ſe eſt, Deus infundat ei has tres virtutes, fidem, ſpem, & charitatē, quas vocant gratiam. Et per fidem non intelligũt propriè fiduciam miſericordiæ Dei in Chriſto, ſed talem notitiam articulorum fidei, qualem habent & dæmones, de quibus B. Iacobus ait. Etiam dæmones credunt & contremiſcunt. Quum igitur homo acceperit has virtutes, dicunt ipſum iuſtũ eſſe coram Deo, & poſſe ex ipſis non ſolum legem Dei ſeruare, ſed etiam plus bonorum operum facere, quam diuina lege præceptum eſt, quæ vocant opera ſupererogationis: & tamen fatentur iiſdem penè verbis hominem iuſtificari per gratiam: non autem intelligunt quod Paulus in diſputatione intelligit, videlicet gratuitum Dei fauorem, gratuitam Dei clementiam & miſericordiam, ſed intelligunt nomine gratiæ, tres illas virtutes, propter quas homines Deo accepti & iuſtifiunt. Sed hæc eſt mera impoſtura & impia doctrina.

Reſponſio.

Per fidem intelligimus id quod omnes veteres ex ſcripturis intellexerunt, nimirũ certam & infallibilem notitiam ſiue aſſenſum per quem mens ſe totam ſubijcit verbo Dei, & eius veracitati. In ſolum enim verbũ Dei tanquam ſcopum à quo ſe nuſquam deflectat, fides reſpicit: fiducia autem miſericordiæ ad ſpem pertinet, non ad fidem. Nec tamen eam fidem intelligimus, quæ communis eſt dæmonibus: hæc enim coacta eſt, non ſpontanea, ex pio erga verbum Dei affectu profecta. Per has enim virtutes, vires animæ intellectualis ordinatæ ſunt, & vt oportet ad Deum finem ſuum diſpoſitæ: quemadmodum in ſuperioribus docuimus. Et propterea B. Auguſt. apertè fatetur charitatem eſſe iuſtitiam noſtram & gratiam euangelicã. Ipſa, inquit, charitas eſt gratia Dei per Ieſũ Chriſtum Dominum noſtrum. Et nos legem Dei ex his virtutibus ſeruare poſſe cum gratia Dei, docet Apoſ. Pau. dum ait plenitudinem legis eſſe dilectionem, & eum qui diligit, legem impleuiſſe. Nam qui diligit me, inquit Saluator, mandata mea ſeruabit. Per fidem enim cognoſcimus quam magna nobis promiſit, & quam bonus ſit Iſrael Deus iis qui recto ſunt corde, qui propterea in eum ſperant, & omnia ſalutaria ab eo ſibi pollicentur obtinenda, quem tanquam patrem filij amant, ardentiſsimo affectu clamantes in ſpiritu adoptionis filiorum, Abba, Pater. Cùm igitur plenitudo legis ſit dilectio, ex charitate & virtutibus reliquis eſt impletio legis. Id quod clariſsimè docet beatus Auguſt. Per fidem, inquit, eſt impetratio gratiæ cõtra peccatum: per gratiam animę ſanatio: à vitio peccati per animę ſanitatem, libertas arbitrij: per liberum arbitrium, iuſtitiæ dilectio: per iuſtitiæ dilectionẽ, legis operatio, ac per hoc ſicut lex non euacuatur, ſed ſtatuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam qua lex impleatur: ita liberum ar. nõ euacuatur ꝑ gratiã, ſed ſtatuitur, quia gratia ſanat voluntatem qua iuſtitia liberè diligatur. Et paucis interpoſitis: Gratia dicit, Ecce ſanus factus es: Iam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat. Sanitas dicit, Domine Deus meus clamaui ad te, & ſanaſti me. Item capite pręcedenti, Præceptũ, Non concupiſces, & cætera mandata Dei ſancta & bona vt poſsit homo facere, Deus operatur in homine per fidem Ieſu Chriſti. Nã charitas patiens eſt & benigna, non agit perperam, nec malum operatur, imò ne cogitat quidem, niſi vt bene mereatur de omnibus. Ex his igitur virtutibus legẽ Dei ſeruare poſſumus, plus etiam bonorum operum facere, quàm diuina lege præceptũ eſt. Magis enim ſpectant quid Deo gratum ſit & placitum, quidve fratri ad ſalutem conducat, quã quæ præcipiuntur. Quędam aũt eſſe opera ſupererogationis quæ à Deo conſuluntur, & non quaſi pręcepta exiguntur, clarè docet Apoſ. Paul. dum de virginitate ait, ſe præceptum Domini non habere, ſed dare conſilium. Itẽ, Porrò ad vtilitatem veſtram dico, non vt laqueum vobis inijciam, ſed quòd facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi. Rurſum. Qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit, & qui non iungit melius facit. Et de vidua, Beatior erit ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſiliũ. Docemus autem & nos non ſolum iiſdem verbis, ſed eodem ſenſu, quo Paulus hominem iuſtificari per gratiam & gratuitum Dei fauorem. Tres autem illas virtutes intelligimus non tam in nomine gratiæ, quã in nomine iuſtificari, quod eſt iuſtum fieri. Sumus aũt his virtutibus vt rectè diſpoſiti, ita iuſti formalitate, vt ſanitate ſani, & ſapientia ſapientes: quẽadmodũ etiam docet B. Aug. Hic non diſtinguimus has virtutes à gratia, per quam conſortes ſumus naturæ diuinæ. De facere quod in ſe eſt, multa diximus articul. 7. Audiamus argumenta quibus hallucinatus Brentius putauit hanc doctrinam B. Auguſtini & noſtram eſſe impoſturam & impiam. Primum enim ait:

B. Tho 2. 2. quæſt. 5. ar. 2

Lib. de nat. & grat. cap. vlt.

Rom. 13. et 8

De ſpiritu et lit. cap. 30.

Nota quæ gratia nõ dicitur fauor Dei, ſed animæ ſanitas quæ eſt per virtutes.

1 Corinth. 7.

De ſpir. et lit. cap. 32.

Brentius.

Quantumcunque homo priuſquam regeneratus eſt fide, faciat quod in ſe eſt, opera tamen eius non ita placent Deo, vt propter ipſa faueat ei, & conferat in eum æterna bona. Quicquid enim, inquit Paulus, non eſt ex fide, peccatum eſt. Et piè dicit Auguſt. ea ipſa opera quæ dicuntur ante fidem, quamuis videantur homini laudabilia, inania ſunt. Et iterum, noli præſumere de operibus ante fidem. Noueris quia peccatorẽ te inuenit fides, & ſi te data fides fecit iuſtum, impium inuenit quẽ faceret iuſtum. Sed hæc ſunt certiora, quam quæ pluribus confirmari debeant.

Reſponſio.

Multa hic falſa aſſumit Brentius, nec tamen ſi vera eſſent, cõuellere poſſent doctrinam ſuperius traditam. Nõ enim fides, ſpes, & charitas opera noſtra ſunt, ſed Dei dona, ſiue nobis à ſpiritu ſancto infuſa. Diffuſa eſt,

Rom. 5. inquit Apoſtolus, charitas Dei in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Et authore B. Auguſtino, virt⁹ eſt qualitas mentis, quam Deus in nobis ſine nobis operatur. Eſt enim per virtutes in nobis vita manens, nouitas, rectitudo, munditia mentis, & diuinæ naturæ cõſortium, nõ quę trãſeant cũ operatione, ſed quæ fixa permaneãt nobis etiã dormientibus. Ait enim Domin⁹ Ioan. 14. Saluator, Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum & apud eum veniemus, & manſionẽ apud eum faciemus. Trãsfert aũt ſe Brẽtius à virtutib⁹, de quibus eſt diſputatio, ad earum operationes, quæ nihil ad pręſentem controuerſiam Lucæ. 18. ſpectant. Et falſum eſt, peccatum eſſe quicquid homo facit, quamdiu non eſt fide regeneratus. Nam publicanus ad templum aſcendens, & à longè ſtans & dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori, non peccabat, ſed iuſtificatus in domũ ſuã deſcẽdit: Quia omnis, inquit Saluator, qui ſe humiliat, exaltabitur. Item nec filius prodigus in ſe conuer-Lucæ 15. ſus, dũ dixit, Surgam & ibo ad patrem meũ, Act. 10. & dicam: Pater peccaui in cœlum & coram te, &c. Et B. Lucas teſtatur de Centurione, Lucæ 15. quòd orationes eius & eleemoſynæ aſcenderunt in memoriã in cõſpectu Dei anteq̃ fide eſſet regeneratus. Et teſte Saluatore, gaudiũ eſt in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Per pęnitentiam autẽ ad regenerationem præparamur. Deo igitur placet hominis impij pœnitentia ad reconciliationẽ, eiq́; fauet, vt perducat ad amicitiam, & in filium recipiat: nondum tamen vt ei conferat æterna bona priuſquã in filiũ adoptauerit. Rom. 14. Et impertinens eſt ſentẽtia Pau. Apoſ. Quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt. Nam regenerationem fides præcedit, ſine qua non eſt pœnitentia, nec bonus cogitatus de reuertẽdo, & Deum offenſum placando. Impertinẽtes etiam ſunt authoritates quas ex Aug. citat. Oſtendimus enim ex varijs ſcripturarũ ſententijs, & etiam ex Aug. quod fides poteſt manere in peccatore, & quòd reconciliationem præcedat. Quomodo inuocabunt in Roman. 10. quem non crediderunt? ait Apoſtolus. Item Act. 2. credebant beati Petri ſermonibus, qui corde compuncti dicebant, Quid faciemus viri fratres, qui nondum erant regenerati. Non minus in intellectu ſcripturarum noſtrum Brentium cœcutire oſtendit ſecunda ratio. Ait enim.

Brentius. *Deinde ſi homo dicendus eſt iuſtus coram Deo propter has virtutes fidem, ſpem, & charitatem, tunc neceſſariò fatendum eſt iuſtitiam eſſe ex operibus legis. Lex enim exigit fidem, ſpem & charitatem, cùm dicit, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine tua. Hac enim voce præcipitur nobis vt credamus ſine vlla dubitatione promiſſis Dei, vt ſperemus certiſſimè nobis ea euentura quæ ſunt diuinit⁹ promiſſa, & vt ea tota mentis dilectione complectamur. Cui legi & illud de proximi dilectione additur, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Manifeſtum igitur eſt quod hæ virtutes ſint opera legis, & ſiue ea ſuſcipiuntur humanis viribus facienda, aut lege cogente, ſiue gratia diuini ſpiritus cor accendente, manent tamen ſemper legis opera, quippe quòd diuina lege præcepta ſunt & nobis facienda per legem impoſita. Niſi enim diuina lege præſcriberentur & mandarentur, ſpiritus ſanctus non operaretur ea in cordibus noſtris. Vniuerſa autem doctrina Pauli eò tendit, vt doceat hominem non iuſtificari ex operibus legis. Quare hoc ſomnium quod homo propter tres illas virtutes ſit coram Deo iuſtus, excogitatum eſt à Sathana, ad euertendã vniuerſam Pauli, adeoq́; veri Apoſtolici Euangelij, de vera hominis iuſtificatione doctrinam.*

Iterum de his virtutibus loquitur quaſi Reſponſio. de operibus. Manifeſtum, inquit, eſt, quòd hę tres virtutes ſint opera legis, quum reuera virtutum harũ fructus ſint opera. Nam B. Aug. explicans verſiculum, Feci iudicium & Pſalm. 118. iuſtitiam, nõ tradas me calumniantibus me. Iuſtitia, inquit, virtus eſt animi magni præci puęq́; laudabilis: Iudicium verò virtutis eſt operatio. Qui enim habet iuſtitiam, rectè iudicat. Hoc tamen loco iuſtitiæ nomine non ipſa virt⁹, ſed opus ei⁹ ſignificatum eſt. Quis enim facit in homine iuſtitiam, niſi qui iuſtificat impium, hoc eſt, per gratiam ſuam ex impio facit iuſtum? Vnde ait Apoſt. iuſtifi-Rom. 5. cati gratis per gratiam ipſius. Facit ergo iuſtitiam, id eſt, opus iuſtitiæ, qui habet in ſe iuſtitiam, id eſt, opus gratiæ. Non agitur in hac diſputatione ex quib⁹ fiat iuſtitia, an ex operibus, an ex fide, ſed quæ ſit iuſtitia qua iuſti ſumus coram Deo. Impugnat enim catholicam doctrinam quæ habet quod coram Deo iuſti ſumus fide, ſpe, & charitate, vel intrinſeca denominatione, quodq; in his vel naturæ diuinę conſortio ac conformitate Chriſti (quæ ab inuicem ſeparari nequeunt, ſicut nec à ſpiritu inhabitante & viuificante) noſtra conſiſtit iuſtitia. Vt enim diximus ſuperius, inter hæc non diſtinguimus propter varietatem ſententiarum ſuper hãc re ſcholaſticorum doctorum. Tota enim hæc diſputatio in eo verſatur, An per aliquid in homine iuſto exiſtens & permanens intrinſeca denominatione homo ſit iuſtus. Non igitur ex harum virtutum operibus iuſtitia naſcitur, ſed augetur tantum. Oſtendimus enim ſuperius ex fide & pœnitentię operibus quaſi diſpoſitionibus naſci in nobis iuſtitiam, non ex operibus legis. Opera autem charitatis nõ eſſe legis opera, niſi vt ſcripta ſunt in tabulis lapideis, vel atramento, ſed eſſe opera gratiæ, vt ſcripta ſunt in viſcerib⁹ noſtris, docet B. Auguſt. Lex Dei, inquit, charitas eſt, huic prudentia carnis non eſt ſub-De ſpi. et li. cap. 17. iecta, neque enim poteſt: ſed ad hanc prudentiam carnis terrendam, cùm in tabulis ſcribuntur opera charitatis, lex eſt operum, & litera occidens præuaricatorẽ: cùm aũt ipſa charitas diffunditur in corde credentium, lex eſt fidei, & ſpiritus viuificans dilectorẽ.

Et grauiſsimus multumq́; pernicioſus eſt er
ror in ſcripturarũ intelligentia, quẽ Bren-
tius hic docet, apud B. Paulum opera legis
dici quæ diuina lege ſunt præcepta & nobis
per legem impoſita, quando etiam facienda
ſuſcipiũtur gratia diuini ſpiritus cor accen-
De ſpi. et lit. cap. 19. dente. Longè aliam eſſe intelligentiam Pau
li, quam plurimis locis explicat B. Auguſt. &
De grat et libero arb. c. 8 prolixè contra duas epiſt. Pelag. Tractãs enĩ
ca. 3. ad. Philipp. Quomodo quę lucra Paulo
in epiſt. 200. ad Aſellicã fuerant, detrimenta eſſe dixerit, atq; vt ſter
cora æſtimauerit, tandem ait, Abijcit B. Pau-
Lib. 3. ca 7. lus illa præterita iuſtitiæ ſuæ tanquam detri
menta & ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciat,
& inueniatur in illo, nõ habẽs ſuam iuſtitiã.
quæ ex lege eſt, neque enim lex illa Dei non
eſt. Cùm ergo lex illa Dei ſit, iuſtitiam ſuam
dicit eſſe, quæ ex lege eſt, quam iuſtitiam ſuã
noluit habere, ſed proiecit vt ſtercora, Cur
ita niſi quia hoc eſt, quod etiam ſuperius de-
monſtrauimus, eos eſſe ſub lege, qui ignorã-
tes Dei iuſtitiam & ſuam volentes conſtitu-
ere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Putant
enim ſe arbitrij ſui viribus implere legem
iubentem, & iſta implicati ſuperbia ad gra-
tiam non conuertuntur iuuantem. Sic eos li
tera occidit, aut apertè etiam ſibi reos, non
faciendo quod præcipit, aut putando ſe fa-
cere quod ſpiritali, quæ ex Deo eſt, non fa-
ciũt charitate: Ita remanent, aut apertè in-
quit, aut fallaciter iuſti, in aperta iniquita-
te euidenter eliſi, in fallaci iuſtitia inſipen-
ter elati: ac per hoc miro quodam modo, ſed
tamen vero, iuſtitiam legis non implet iuſti
tia quæ in lege eſt, vel ex lege, ſed quæ in ſpi
Rom. 8. ritu gratiæ. Iuſtitia quippe legis impletur
in eis, ſicut ſcriptum eſt, qui non ſecundum
carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum.
Secundum iuſtitiam verò quæ in lege eſt, ſe
fuiſſe ſine querela in carne, non in ſpiritu,
dicit Apoſt. & iuſtitiam quæ ex lege eſt, ſu-
am dicit fuiſſe, non Dei. Intelligendũ eſt i-
gitur iuſtitiam legis non impleri ſecundum
iuſtitiã quæ in lege eſt, vel ex lege, id eſt, ſe-
cundum iuſtitiam hominis, ſed ſecũdum iu-
ſtitiã quæ eſt in ſpiritu gratiæ. Ergo ſecundũ
iuſtitiã Dei, hoc eſt quæ homini ex Deo eſt.
Quod planius & breuius ita dici poteſt, iu-
ſtitiam legis Dei nõ impleri cùm lex iubet,
& homo quaſi ſuis viribus facit, ſed cùm ſpi
ritus adiuuat, & hominis non libera, ſed Dei
gratia liberata voluntas facit. Legis itaque
iuſtitia eſt iubere quod Deo placet, vetare
quod diſplicet. In lege autem iuſtitia eſt, ſer
uire literæ, & extra eam nullum Dei adiuto
rium ad rectè viuendum requirere. Obſer-
ua in hac Auguſti. doctrina ad has ſermonis
formulas, iuſtitiam quæ eſt ex lege, & iuſtiti
am quæ eſt per legem addi tertiam, iuſtitiã
in lege ex Apoſtolo dicente, Secundum iu-
ſtitiam quæ in lege conuerſatus ſine quere-
Philipp. 5. la, & cæt. Item ad Galathas. Quod autem in
Cap. 3. lege nemo iuſtificatur manifeſtum eſt, &
cęt. Quę loquendi formæ idem valent quod
hæc, iuſtitia quæ lege ipſa fit vel pręſtatur: &
& iuſtificari lege, ex lege, vel per legem iu-
ſtificari, hoc eſt ex legis, aut per legis opera.
Omnibus aũt iſtis loquendi formis non ali-
ud intellexiſſe Aug. in Apoſt. ſententijs, quã *Rom. 1.*
iuſtitiam, quam ſuis viribus per literam ſiue
doctrinam legis aut operum adiutus face-
re & pręſtare conatur homo, eſt euidentiſsi-
mum. Obſerua etiam ſecundo in hac Aug.
doctrina non eandem eſſe Apoſtolo iuſtitiã
legis, & iuſtitiam in lege, ſiue ex lege aut per
legem. Iuſtitia enim legis intelligenda eſt,
vt dicit, iubere quod Deo placet, & vetare
quod diſplicet, hoc eſt iuſtitia legis eſt illa
rectitudo & iuſtitia, quam lex præſcribit &
requirit. Vnde Apoſ. dicit iuſtitiam ſiue iu-
ſtificationem legis impleri in his qui non ſe
cundum carnem ambulant. Item, Si præputi
um iuſtitias legis cuſtodiat nonne præputi
um illius in circuncisionem reputabitur? *Rom 2.*
Quam Apoſtoli ſententiã ſequutus Aug. a-
cutè dixit. Miro quodam modo ſed tũ vero,
iuſtitiã legis nõ implere iuſtitiã quę in lege
eſt vel ex lege, ſed quę eſt in ſpiritu gra-
tię. Et contra Fauſtum dicit legis iuſtitiam
opere quidẽ factorum, ſed per dilectionem *Li. 19 c. 18.*
& gratiam. Hoc autem admonemus prop-
terea, quod iuſtitiam legis nonnunquam
eã intelligere conſueuimus, quæ eſt ex lege
vel ꝑ legem. Dicetur fortaſsis, Sicut Apoſ. a-
liquando iuſtitiã legis vocat iuſtitiam quæ
ex lege præſcribitur, & ſpiritu gratiæ pręſti-
to legem verè implet & iuſtificat, ita opera *Rom. 10.*
legis Apoſtolo eſſe opera quæcũq; & quomo
docũq; facta ſiue ſpiritu Dei, ſine liberi ar-
bitrij viribus & poteſtate, quæ lex præcipit
& pręſcribit, quodq; his omnibus operibus
Apoſtolus detrahit vim & rationem iuſtifi-
cãdi. Quæ obiectio partim ex eo diſſoluitur
quòd iuſtitiã quæ eſt ex legis operibꝰ neget
Aug. eſſe iuſtitiam Dei, ſiue quæ ex Deo eſt.
Atqui manifeſtum eſt quod iuſtitia quæ eſt
ex operibus per ſpiritũ ſanctũ & dilectionẽ
factis ſit ex Deo iuſtitia. & Apoſt. ea inter ſe
opponit. Non ergo per opera legis intelli-
git opera quæ fiunt à renatis per gratiã ſpiri
tus ſancti. Et ſtatim oſtendemus quòd Apoſ.
legem ſemper opponat fidei & gratiæ, Non
igitur legis opera eadem eſſe poſſunt cum *Cap. 11.*
operibus fidei. Eandem hanc doctrinam cla
riùs tradit idem Auguſt. de gratia Chriſti cõ
tra Pelagium, vbi dicit. Qui nouit quid fie-
ri debeat & non facit, nondum à Deo didicit
ſecundum gratiam ſed ſecundum legem, nõ
ſecundum ſpiritum, ſed ſecundum literam:
quamuis multi quod imperat lex facere vi-
deantur timore pœnæ, non amore iuſtitiæ,
quam dicit Apoſt. iuſtitiam ſuam quæ ex le-
ge eſt tanquã ſit imperata, non data. Si autẽ
data eſt non dicitur iuſtitia noſtra, ſed Dei,
quia ſic ſit noſtra, vt ſit nobis ex Deo. dicit
enim, Vt inueniar in illo non habens meam
iuſtitiã, q̃ ex lege, ſed eam quæ eſt ex fide Ie-
ſu. Tantum igitur inter legem diſtat & gra-
tiam, vt cum lex eſſe non dubitetur ex Deo,
iuſtitia tamen quæ ex lege eſt, nõ ſit ex Deo,
ſed iuſtitia quæ per gratiam conſummatur
ex Deo, quia ex lege iuſtitia dicitur quæ fit
prop-

propter legis mandatum: iuſtitia ex Deo dicitur, quæ datur per gratię beneficiũ, vt nõ ſit terribile, ſed ſuaue mandatum, ſicut oratur in Pſal. Suauis es Domine, & tua ſuauitate doce me iuſtitiam tuam, id eſt, vt non formidine pœnę ſeruiliter cogar eſſe ſub lege, ſed libera charitate delecter eſſe cũ lege. Pręceptum quippe liber facit qui libens facit. Et hoc modo quiſquis diſcit, agat omnino quicquid agendo didicit. Et alio loco explicãs quid ſit, Nõ ex fide, ſed ex operibus, ait ad Rom. Apoſ. Iſrael perſequens legem iuſtitię in legẽ iuſtitię non peruenit. Quare? quia nõ ex fide ſed tanq̃ eo operibus, id eſt, tanquam eã per ſemetipſos operantes, nõ in ſe credentes operari Deum: non ex fide, ex Deo eam impetrando. Nam quid dixerit, quia non ex fide, ſed tãquam ex operibus apertiſsime expoſuit dicens, Ignorãtes Dei iuſtitiam & ſuam volentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Finis enim legis Chriſtus ad iuſtitiã omni credenti. Et adhuc dubitamus, quæ ſint opera legis, quib᷒ homo nõ iuſtificatur, ſi ea tanquam ſua crediderit ſine adiutorio & dono dei quod eſt ex fide Ieſu Chriſti? Et cum inter opera legis poſuerit Apoſt. Non concupiſces: Certum eſt eum inter opera legis totum decalogum intelligere, & non ſolum cæremonialia: vt latius declarat ipſe Auguſ. eodem libro de ſpiritu & litera. Conſtanter ergo & perſpicuè interpretatur Auguſt. iuſtitiam quę ex lege, ſiue per legem aut in lege eſt, iuſtitiam quæ præſtatur aut præſtari videtur humanis viribus legis doctrina adiutis, non autem iuſtitiam quæ ſpiritu Dei in renatis ac iuſtificatis, qui non ſecundum carnem ambulant, verè præſtatur ac impletur. Cum ergo ſine vlla controuerſia eadẽ ſint, Ex iuſtitia legis iuſtificari, & ex operibus legis, conſequens eſt opera legis ex quibus nemo iuſtificatur, ea eſſe apud Apoſtolum Paulum quæ fiunt per literam & doctrinam legis, humani arbitrij facultate aut præſumptione ſine ſpiritu gratiæ aut fidei. Vnde paſsim pro eodem habet Apoſt. Paul᷒, ex lege iuſtificari, & ex operibus legis iuſtificari. Et oſtendimus ex lege iuſtificari, non eſſe aliud, quàm virtute & efficacia legis, ſicut apertè idem ipſe teſtatur, dum dicit: Si data eſſet lex quæ poſſet iuſtificare, verè ex lege eſſet iuſtitia. Obſerua tertio & hoc, ꝙ Auguſtinus interpretatur iuſtitiam fidei, non quæ fide quaſi organo oblata apprehenditur, vt docet Brentius, ſed quæ ex ſpiritu diffundente charitatem in cordibus noſtris. Ex hac enim fidei quaſi organi apprehẽſione, natus eſt hic peruerſus error de operibus legis, propterea quod ea intelligantur quæcunque lege ſunt pręſcripta, ſiue ſpiritu fidei & charitatis, ſiue ex ſola legis doctrina præſtentur: Summa itaq; inſcitia eſt exiſtimare Paulo opera legis dici, quæ ſunt ſecundum legis pręſcriptum, quacunq; tandem ratione, ſiue ſpiritu Dei, ſiue humanis tantum viribus per litteram legis. Eandem hãc peruerſam intelligentiam dictarum ſententiarum Apoſ. Pauli tradit Ioã. Calu. in Antidoto, & etiã in Inſtitutione. Ipſe aũt Paulus clariſsimè docet, quæ vocet opera legis, tum ex ſermonis forma qua opera legis deſignare ſolet, dũ iuſtitiam operũ deſcribit eſſe iuſtitiã ex lege, ſiue per legem, tum quod legẽ fidei & gratiæ operib᷒ ſemper opponat. Certum eſt enim quod iuſtitiã quæ ex lege eſt, ſiue per legem, eam vocet quæ per doctrinam & cõminationem legis viribus & poteſtate humanæ voluntatis præſtatur, aut præſtari videtur. Vnde eandem vocat propriam iuſtitiam, videlicet quæ ex Deo accepta non ſit, ſed hominis proprijs viribus præſtita: Quæ, inquit, mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus propter Chriſtum detrimenta. Veruntamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eximiam ſcientiam Ieſu Chriſti, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meam iuſtitiam quæ ex lege eſt, ſed eam quæ ex fide eſt Ieſu Chriſti, quæ ex Deo eſt iuſtitia in fide. Vides opponi propriam iuſtitiam iuſtitiæ quæ ex Deo eſt: & iuſtitiam quæ ex lege eſt iuſtitiæ quæ ex fide eſt. Cũ igitur iuſtitia quę ex Deo eſt, ea ſit quæ à Deo authore eſt, & ab eo largitore donatur credenti, ex oppoſito propria iuſtitia ea eſt quæ eſt ex homine & non eſt à Deo donata. Similiter cũ iuſtitia quæ ex fide eſt Chriſti, ea ſit quę ex fide in Chriſtũ obtinetur & impetratur, ex oppoſito ea eſt iuſtitia ex lege, quæ ex legis doctrinã præſtatur: & eadem eſt prorſus Apoſ. doctrina ad Rom. ca. 10. Teſtimonium enim perhibeo illis ꝙ æmulationem Dei habent, ſed non ſecundũ ſcientiam. Ignorantes enim iuſtitiam Dei & ſuam volentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei nõ ſunt ſubiecti. Eundem ſenſum clariſsimè indicat altera illa ſermonis forma, iuſtitia quæ eſt per fidem, & quę eſt per legem. Nã ex operibus non iuſtificatur, inquit, omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati, nõ iuſtificatio. Rurſum. Nõ enim per legem promiſsio Abrahæ & ſemini ei᷒, vt hæres eſſet mũdi. Si enim ex lege hæredes ſũt, exinanita eſt fides, abolita eſt promiſsio. Lex enĩ iram operatur, intellige rurſum, non aũt iuſtitiã. Et clariſsimè in epiſt. ad Galat Si enim per legem iuſtitia, ergo gratis mortuus eſt Chriſt᷒. Rurſum, Si data eſſet lex quæ poſſet viuificare, verè ex lege eſſet iuſtitia. Quis hic non clariſsimè cernit eam Apoſt. eſſe iuſtificationem per legẽ, ſiue ex lege, quæ per legem præſtatur, & quę legis poteſtate adiutorio & miniſterio ab homine pręſtatur?

Praterea ſi hom.o iuſtus eſt coram Deo propter has virtutes, debet & bis in iudicio Dei confidere, & propter eas mercedem æternæ ſalutis ſperare. Hoc aũt eſt manifeſtũ idolatriam docere, Confidere enim ad æternam ſalutem, eſt cultus qui ſoli vero Domino Deo noſtro, & nulli creaturæ debetur. Sic enim confidere eſt adorare & ſolus Deus eſt adorandus. Hæ autem virtutes ſunt quidem dona Dei, non ſunt autem Deus ipſe, ſed tantùm creaturæ

Marginal notes: De ſpi. et li. cap. 19. — Cap. 9. — Cap. 14. — Galat. 3. — Seſ. 6. ca. 8. de iuſtificatione. — Philipp. 3. — Cap. 2. — Cap. 3. — Brentius.

creaturæ Dei. Quare qui ſentit ſe propter ipſas eſſe iuſtum, & confidit eis ad conſequendã æternã ſalutem, adorat eas tanquam Deum ſeruatorem ſuum, & deſignat in corde ſuo manifeſtam coram vero Deo idololatriam.

Reſponſio. Tertia hæc ratio palam oſtendit hominis huius imperitiam. Nam quòd vir iuſtus in iudicio confidere poſsit ob has virtutes, aperta eſt ſcriptura: *Ioan.4.* In hoc enim perfecta eſt charitas nobiſcum, vt fiduciam habeamus in die iudicij, quia ſicut ille eſt & nos ſumus in hoc mundo. Nã ſicut in Chriſto propter plenitudinem gratiæ & virtutũ, quę eum inhabitabat, patri eſt beneplacitum, item in Angelis & primo homine ante peccatũ propter has virtutes, ita & in nobis ob eatundem virtutum participationem eidem patri cœleſti eſt beneplacitum, & vt illi iat & nos in iudicio confidere poſſumus. *Pſalm. 44.* Aſtitit, inquit Propheta, regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circũdata varietate, cuius decorem rex concupiſcit, cuiuſq; ſpeciẽ & decorem diligit. Meritò confidit ſe brauium regni cœleſtis accepturum, qui legittimè nunc currit in ſtadio. Bonum certamen certaui, inquit *1.Cor.9.* Apoſ. Pau. repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quã reddet mihi Domin⁹ in illa die iuſtus iudex, nõ ſolũ aũt mihi, ſed & his qui diligũt aduentũ eius. Certiſsimè confidere poſſum⁹ qui in vinea Domini laborauimus, ꝙ denariũ de quo conuentũ eſt recipiemus, quodq; mercedẽ promiſsã dabit paterfamilias. Hic quidem inſanire videtur Brentius, dum ait manifeſtam eſſe idololatriam, propter has virtutes earumq; opera mercedem ęternę ſalutis ſperare. *Rom 2.* Nam & B. Pau. idololatram facit, qui ait, quod vnicuiq; Deus reddet ſecundum opera, his qui ſecũndum patientiã boni operis gloriam & honorẽ & incorruptionem quærũt vitam æternam. *2.Theſ.1.* Itẽ alibi. Tribulationes ſuſtinetis in exemplum iuſti iudicij Dei, vt digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini, ſi tamen iuſtũ eſt apud Deũ, tribuere tribulationem his qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini requiem vobiſcũ. Confidere aũt alicui quod ob merita tanquam iuſtus iudex ęternam retribuet vitam, cult⁹ eſt ſoli Deo debitus. Confidimus aũt operibus tanquam meritis, quibus ex eius promiſsione & pacto vita reddetur æterna. *Thom 22. q 17. art. 4.* Hoc aũt non eſt opera adorare vel creaturam, ſed Deum ſolum, ſicut latriæ cultus, eſt timere eum qui poteſt & animam perdere in gehennam: ſed hic cultus nõ defertur malis operibus propter quæ mali in gehennam mittuntur, ſed Deo ſoli. Ratione longè alia *Iacob.5.* in Deo confidimus, & in operibus. Nã ſicut agricola expectat ſpecioſum fructum terræ: & qui in benedictionibus ſeminat, metere ſperat etiam in benedictionibus: Ita qui ſeminat in ſpiritu de ſpiritu metere confidit vitam æternam. Certè imperita & indocta eſt tota hæc tertia Brentij ratiocinatio, nec vllum bonæ conſequentiæ habet colorem.

Brentius. *Ad hæc, vniuerſa ſcriptura tribuit filio Dei Domino noſtro Ieſu Chriſto hunc honorem, quod ipſe ſit victima pro peccatis noſtris, et propitiatio noſtra, nec ſit aliud nomen in quo oporteat nos ſaluos fieri. Si ergo tres illæ virtutes, de quibus nunc loquimur, tanti reputantur, quòd Deus propter eas remittat nobis peccata & ſit nobis propitius, & conferat in nos æternam ſalutem, quid aliud agitur, quam quod honor ſoli filio Dei debitus auferatur ei, & trãsferatur in creaturas Dei? quod vt eſt ſacrilegum, ita eſt et in vnigenitum & æternum filium Dei contumelioſum.*

Reſponſio. Libenter has ſcripturas ſuſcipimus, quæ ſoli Chriſto hunc tribuunt honorem, quòd ſolus ipſe ſit victima pro peccatis noſtris, nec ſit aliud nomen in quo oporteat nos ſaluos fieri. Nã per hanc ipſam victimam, hanc corporis Ieſu oblationem abluti ſumus, ſan- *1.Cor.6.* ctificati, & iuſtificati. Cõſiſtit autem hęc noſtra ſanctificatio & iuſtificatio in his tribus virtutibus (potiſsimum autem in charitate) quas de plenitudine Chriſti tãquam capitis, in nos eius membra defluentes ſuſcipimus, vt ſupra ex B. Aug. ſatis docuimus. Quemadmodum ſanctitas & iuſtitia Chriſti, & ſanctorũ angelorum in virtutibus & præcipuè in charitate conſiſtit. Magni igitur eas Deus pater etiam in nobis reputat, quòd per has conformes ſumus imagini filij eius, ipſum per eas induti, & diuinæ naturę facti conſortes. Has tanti æſtimat, vt propter eas nos filios & hæredes habeat. Quòd autem honor ſoli Dei filio debitus non propterea in creaturam transferatur, iam diximus. Agnoſcimus enim ſolum filium Dei, iudicem venturum viuorum & mortuorum, & redditurum vnicuique ſecundum ſua opera vitam vel mortem: in quo proprius eius cultus conſiſtit, nullus autem cultus propterea tribuitur vel bonis vel malis operibus.

Brentius. *Solent quidem aduerſarij hic reſpondere, quòd ſentiãt & fateantur ſolum Chriſtum filium Dei eſſe victimã pro peccatis, ac impetraſſe nobis propitiũ Deũ. Hoc autẽ non eo valere, quòd Deus reputet nos iuſtos tantùm per fidem, ſed quod donet nobis ex gratia & fauore has tres virtutes propter quas ſumus iuſti. At enim ſi Chriſtus impetrauit tãtum, vt Deus donet nobis has tres virtutes, propter quas iuſtificemur, certè non impetrauit nobis perfectã iuſtitiam, nec abſoluit ſalutẽ noſtrã. Hæ enim virtutes etſi donãtur nobis à ſpirito ſancto tamẽ nunquã sũt in nobis perfectæ propter carnẽ noſtrã. Nunquã enim in hac vita tantum credimus, tantum ſperamus, tantum diligimus, quantũ lex, quæ eſt diuina voluntas, à nobis exigit, & quantum nos debemus. Manifeſtum autem eſt, quòd Chriſtus impetrauerit nobis perfectam iuſtitiam, & abſoluerit veram noſtram ſalutem.*

Reſponſio. Agnoſcit Brentius hic ſuam inſipientiam & veram catholicorum ad ſuas rationes reſponſionem, nos ſcilicet iuſtos eſſe per has virtutes. Sed videamus reſponſionis impugnationem.

Si Chri-

Brentius. *Si Chriſtus, inquit, impetrauit tantum vt Deus donet nobis has virtutes, ꝓpter quas iuſtificemur, certè non impetrauit nobis perfectam iuſtitiam, nec abſoluit ſalutem noſtram. Nuſquam enim hæ virtutes in nobis perfectæ ſunt propter noſtram carnem.*

Reſponſio. *Lib. 2. de pec. merit. cap. 13.* Tenebras ac fumos offundere conatur lucidæ veritati ſua multiplici ſignificatione perfectæ iuſtitię. Nam ſupra ex Auguſt. diximus eſſe multiplicem iuſtitiæ perfectionẽ. Eſt enim in iuſtitia perfectus viator, qui nõdum eſt ipſius itineris perfectione peruentor. *De perfecti. iuſtit. contra Celeſtium.* Nam hæc eſt noſtra in ipſa peregrinatione iuſtitia, vt ad illam perfectionem plenitudinemque iuſtitiæ, vbi plena & perfecta charitas erit, ipſius curſus noſtri rectitudine tendamus. Noſtra iuſtitia hic perfecta, eſt eſurire & ſitire iuſtitiam. Perfectam autem iuſtitiam, imo perfectiſsimã qua ſatiemur, Chriſtus nobis impetrauit, ſed poſt huius peregrinationis miſeriã. Pertinet enim hęc iuſtitiæ perfectio ad mercedem iuſtorum quæ hic ab eis non exigetur, ſecundum frequentes B. Auguſtini ſententias. Hîc, inquit, præceptum eſt, vt non peccemus, ibi premium, non poſſe peccare: Hic præceptum eſt, vt deſiderijs peccati non obediamus, ibi prēmium vt deſideria peccati non habeamus. Et *Lib. 3. cõtra 2. epiſt. Pel. cap. 7.* tandem: Quis igitur ita nõ ſolum à diuino, ſed à ſenſu quoq; abhorret humano, qui dicat in homine tantam eſſe poſſe iuſtitiam cũ ab illo eſuritur & ſititur, quanta erit cùm ex illa ſaturabitur? Et paucis interiectis: Ex quo factum eſt virtutem quæ nunc eſt in homine iuſto perfectam hactenus nominari, vt ad eius perfectionem pertineat etiam ipſius imperfectionis & in veritate cognitio, & in humilitate cõfeſsio. Tunc enim eſt ſecũdum hanc infirmitatem pro ſuo modulo perfecta iſta parua iuſtitia, quãdo etiã quid ſibi deſit intelligit: ideoq; Apoſ. Paul. & imperfectũ & perfectũ ſe dicit. Imperfectum ſcilicet cogitãdo quantũ illi ad iuſtitiã deſit, perfectũ autem quod & ſuam imperfectionem confiteri non erubeſcit, & vt perueniat bene procedit: ſicut poſſumus dicere perfectum eſſe viatorem cuius bene promeretur acceſſio, quamuis non perficiatur intentio, niſi fuerit facta peruentio. Idem circa finẽ capitis. Iuſtitia ſecũdum quam iuſtus ex fide viuit, *Iuſtitia qua viuimus, vera iuſtitia eſt.* quoniam per ſpiritũ gratiæ homini ex Deo eſt, vera iuſtitia eſt, quæ, licet non immerito in aliquibus iuſtis pro huius vitæ capacitate perfecta dicitur, parua tamẽ eſt ad illam magnam quam capit ęqualitas Angelorum. Sed plane maior iſta iuſtitia facit meritum, maior illa fit premium. Vnde qui iſtam non ſequitur, illam non aſſequitur. Et illa perfecta magnitudo iuſtitiæ ijs qui hic mandata fecerunt premium dabitur, non & ipſa facienda mandabitur. Sed ita dixerim mandata fecerunt, vt ipſa mandata meminerimus pertinere ad orationem, in qua quotidie veraciter dicunt ſancti filij promiſsionis, Fiat voluntas tua, & dimitte nobis debita noſtra. Nam ſi quid etiam in eius præceptis minus ſeruatur ignoſcit. Impetrauit itaq; nobis victima Chriſti perfectã iuſtitiam, noſtramq́; abſoluit ſalutem, ſed tunc primum euacuabitur quod ex parte eſt, cũ venerit quod perfectum eſt. Quam diu enim ex parte cognoſcimus & videmus per ſpeculũ in ęnigmate, ex parte diligimus & imperfecta eſt noſtra iuſtitia. Iniquum autem eſt à paruulo exigere quod eſt viri perfecti. Et quam precor iuſtiam, quã eius perfectionem vos docetis nobis ex victima Chriſti eſſe donatam, qui docetis filios Dei amare iniquos, & vt antea in in ſuis mentib. & cõſcientijs contaminatos, ſed ob Chriſti victimam eis non imputari? Nos aũt docemus verè iuſtos eſſe, mundos & rectos corde, ſicut ob Adę inobedientiã oẽs naſcimur peccatores. Nec mirandũ eſt quòd hæ virtutes, quamdiu per fidẽ à Domino peregrinamur, hoc eſt, quamdiu paruuli ſumus, ſint in nobis imperfectæ. Iniquum enim eſt à viatore & puero exigi, quod proprium eſt peruentori & viro perfecto, & à currente in ſtadio poſtulari brauium nondum obtentũ. Rerum igitur natura reclamat, & abſurdum eſſe conuincit quod à nobis hic exigunt Brẽtius, Caluinus, & reliqui aduerſarij. Nec patitur ratio fidei quòd ſit cognitio perfecta, nec ſpei, quòd ſit ſine imperfectione. Nã ꝙ quis videt, inquit Apoſtol. quid ſperat? Falſum tamen eſt quòd nunquam in hac vita tãtum credimus, tantum ſperamus, tantum diligimus, quantum lex quæ eſt diuina voluntas à nobis exigit, & quantum nos debemus. Rationabilis namq; eſt Dei voluntas non exigens à paruulis & infantibus quod eſt viri perfecti, à peregrinantibus, premiũ beatorum. Paruulus enim ſi loquitur, ſi ſapit & cogitat, quemadmodum paruulo pro ea ætate conuenit, omnia facit vt debet: Et nos ſi eſuriamus iuſtitiam, eamq; pro noſtra infirmitate præſtemus, ſi legittimè in ſtadio ad brauium curramus, & aſpirãdo ad patriam progrediamur, credimus, ſperamus & diligimus quantũ lex à nobis requirit. Exigit enim lex Dei, vt verbum eius infallibili & certa fide ſine vacillatione ſuſcipiamus, ſine examine, quãuis oculis etiã noſtris appareret cõtrarium captiuantes intellectũ noſtrũ in fidei & Chriſti obſequiũ, quaſi primę & infallibilis veritatis, vt certò ſine hæſitatione expectemus ea quæ promittit tanquam ea in manib. teneremus, quantum ex parte promiſsionis eius: ſicut de Abraham dicitur quòd contra ſpem in ſpem credidit, vt fieret pater multarum gentium, pleniſsimè ſciens, quia quęcunq; promiſit Deus potens eſt & facere. Requirit præterea vt Deum diligamus, atq; ad eum tanquam ſcopum vitam noſtram dirigamus, quamuis ex toto corde & tota anima diligatur. Chriſto enim ſatis eſt quòd ſuper omnia diligamus ipſum, ſuper patrem, & ſuper animam. Qui enim amat animam, aut patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus. Et Iacobus beatum prædicat, qui *Cap. 1.* ſuffert tẽtationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronã vitæ quã repromiſit

2. Timoth. 4 Deus diligentibus ſe. Item Paul. Apoſt. Reddet coronam iuſtitię his qui diligunt aduentum eius, nulla totius cordis aut totius animæ facta mentione. Et ipſe Saluator, Si vis perfectus eſſe, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo. Matt. 19. Rurſum, Omnis qui reliquerit domum vel fratres aut ſorores, & cęt. propter nomē meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſsidebit. Item, Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Iohan. 14. Secundū has leges Chriſtus eſt iudicaturus mundū, nō ſecundū ſomnia & adinuentiones Brentij aut Caluini: Hanc rem latiſsimè proſequitur B. Auguſt. de ciuitate Dei: Lib. 1. ca. 10 & li. 21. ca. 26. & in epiſt. ad Hilarium, quæ eſt. 89. Tantum igitur viri iuſti hic credunt, ſperāt & diligunt, quantum lex diuina requirit. Et veriſimile eſt, quòd maior & perfectior fides, ſpes & charitas fuerit in Apoſt. Paulo, quàm ante peccatum fuit in Adam. Si igitur Adam tantum credidit, ſperauit & dilexit, quantum lex Dei exigebat, nō dubium, quin & Paulus, quanuis ex tota anima dilexerit Adam, & non ita Apoſt. Paulus. Quamdiu enim eſt adhuc aliquid carnalis concupiſcentiæ, quod continendo frenetur, non omnimodo ex tota anima diligitur Deus. Aug. de perfect. iuſtitia. Quod ergo dicimur ex toto corde diligere, nō pertinet ad rationem, ſubſtātiam, vel quantitatem dilectionis, ſed potius ad potentiam & efficaciam dilectionis, imò verius ad efficientiam & imperium. Diligimus enim ex toto corde, tota anima & viribus, imperio, nō proprio charitatis actu. Et motus concupiſcentiæ inordinati ſunt contra charitatis imperium, non contra ipſam charitatem, ſed contra temperantiam tantùm. Virtus hanq; quæ eſt reſpectu finis, imperat vniuerſis quæ ſunt circa media ad finem. Et quando circa iſta peccamus, defectus eſt in imperio, non in dilectione. Obligat autem hoc præceptū magnum de diligendo Deo ex toto corde, & tota anima, ad effectum, amorē & deſideriū eius, hoc eſt eſuriem & ſitim iuſtitiæ, non vt opere hęc præſtemus, quemadmodum docet B. Auguſtinus lib. de perfect. iuſtitiæ. Præceptum eſt, inquit, vt ſciamus quò currendum ſit nobis, quomodo autem hoc ſciretur, ſi nullis præceptis oſtenderetur?

Brentius. *Poſtremò ſi ſentiendum eſt quod propter tres illas virtutes ſimus Deo accepti, & coram eo iuſti, tunc nunquam poſſumus certò & firmiter de fauore Dei erga nos cōfidere, ac Deū vera & firma fide inuocare. Hæ enim virtutes ſemper ſunt in nobis in hac vita imperfectæ, nec vnquā ſatiſfaciunt diuinæ legi. Quare ſi Deus iudicaret de nobis ſecundū has virtutes, ſemper dubitaremus de fauore eius erga nos, nec auderemus alacri & certa fiducia eū inuocare, quippe quòd conſcij imperfectionis noſtræ, fugeremus ſeueritatem iudicij eius.*

Reſponſio. Oſtendimus nos coram Deo iuſtos & acceptos eſſe per iſtas virtutes, eò quòd per eas imagini filij eius ſumus cōformes, & diuinæ naturæ conſortes, hoc eſt, quia ſumus qualis ipſe eſt. Nec propter harum virtutum imperfectionem non ſatiſfaciunt ipſę virtutes legi diuinæ, vt iam ſtatim diximus. Illam enim imperfectionem requirit ratio ſtatus & pegrinationis noſtrę in fide à Domino. Non requirit iā à nobis Deus, quæ donaturus eſt in præmium. Non igitur propter hanc imperfectionē de fauore eius erga nos, de quo quidem ſemper certiſsimè confidimus, dubitamus, ſed vera & firma fiducia inuocam⁹. Nec propriè de nobis iudicabit Deus ſecundum has virtutes, ſed ſecundum earum opera, niſi vbi hæc deſunt ob impotentiam, vt in paruulis, quos ſecundum has virtutes iudicabit dignos regno ſuo, quia filij ſunt & ſuo corpori tanquam mēbra coniuncti. Mirabor ſanè ſi Brentius dicat eum qui de fide ſua, ſpe & dilectione dubitat, certò confidere poſſe de Dei erga ſe fauore. Nec conſcij noſtrę imperfectionis fugimus ſeueritatem diuini iudicij, ſcientes quòd bonus ſit Dominus, qui propitiabitur cunctis qui ex toto corde requirunt eum, & non imputabit, quòd minus ſanctificati ſunt. 2. Paralip. 3 Addit in fine Brentius.

Obſeruabis quòd Paulus per opera legis non intelligat tantum cæremonialia, ſed etiam moralia, & quæcunq; lege diuina mādata ſunt. Dicit enim, Lex iram operatur, quod maximè omnium de lege morali eſt intelligendum. Quare cùm dicit hominem iuſtificari fide abſque operibus legis, excludit à ratione iuſtificandi, non tantum cæremonialia, ſed etiam moralia opera. Quòd ſi libet de hac re etiam ſententiam Auguſtini audire, conſulat librum eius de ſpiritu & litera, & epiſtolam ducenteſimam. Brentius. Roman. 4.

Reſponſio. Hoc ipſum diximus ex Auguſtino ſuperius, quòd per opera legis intelligit etiā totum decalogum, & opera moralia, ſed vt ex legis fiunt cognitione, virib. arbitrij humani, nō autem vt fiunt ex ſpiritu dilectionis, vt in ſuperioribus docuimus ex Auguſtino de ſpiritu & litera, Nam Paulus ipſe manifeſtè ſignificat ſe loqui de ea lege, per quam eſt agnitio peccati, & quæ iram operatur. Nulla autem legis pars magis in agnitionem nos adducit & iram operatur quàm moralis: Et omnia nominatim adfert legem, Non concupiſces, Deniq; Apoſtolus quod crebrò dicit, Ex operibus legis neminem iuſtificari, Roman. 4. interdū generali ſermone dicit, Ex operib. neminē iuſtificari. Abrahā, inquit, ſi ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriā, ſed non apud Deū, Et rurſum: Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iuſtitiam, ſine operibus: Et, Gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam: Iſrael autem ſeruando legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus: clarè inſinuans ſe loqui de cuiuslibet legis operib.

CONfirmatur demū hic articul⁹ & tota doctrina ſuperius tradita per definitionē cōcilij Triden. Ait enī inter Canones,

nes, Si quis dixerit ſola fide hominem iuſtificari: (Cano. 9.) Ita vt dicat nihil aliud requiri quod ad iuſtificationem cooperetur, & nulla ex parte neceſſe eſſe eum ſuæ voluntatis motu (Cano. 10.) præparari atque diſponi, anathema ſit. Et ſi quis dixerit homines ſine Chriſti iuſtitia, per quam nobis meruit iuſtificari, aut per eam ipſam formaliter iuſtos eſſe, anathema (Cano. 11.) ſit. Item, ſi quis dixerit homines iuſtificari, vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſsione, excluſa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per ſpiritum ſanctum diffunditur, atq; illis inhæret, aut etiam gratiam qua iuſtificamur, eſſe tan- (Cano. 12.) tum fauorem Dei, anathema ſit. Rurſus, Si quis dixerit fidem iuſtificantem nihil aliud eſſe quàm fiduciam diuinæ miſericordiæ peccata remittentis propter Chriſtum, vel eam fiduciam ſolam eſſe qua iuſtificamur, a- (Cano. 58.) nathema ſit. Item, Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia ſimul & fidem ſemper amitti, aut fidem quæ remanet non eſſe veram fidem, licet non ſit viua, aut eum qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum, a- (Cano. 29.) nathema ſit. Poſtremò, Si quis dixerit eum qui poſt baptiſmum lapſus eſt, non poſſe per Dei gratiâ reſurgere, aut poſſe quidem, ſed ſola fide amiſſam iuſtitiam recuperare, ſine ſacramento pœnitentiæ, prout ſancta Romana & vniuerſalis Eccleſia à Chriſto Domino & eius Apoſtolis profeſſa eſt, ſeruauit & docuit, anathema ſit.

Finis Articuli octaui.

ARTICVLVS NONVS.

Fides qua quis firmiter credit & certò ſtatuit propter Chriſtum ſibi remiſſa eſſe peccata, ſeq; poſſeſſurum vitam æternam, nullum habet in ſcripturis teſtimonium, imo iiſdem aduerſatur, etiam ſi firma & certa ſpe expectare debemus in hac quidem vita, per ſacramentum baptiſmi & pœnitentiæ peccatorum remiſsionem, in ſeculo autem futuro vitam æternam.

INTER aduerſarios quidam priorem tantum huius articuli partem docent, ſcilicet quòd fide certa & firma vnumquemque credere oportet propter Chriſtum eſſe ſibi peccata remiſſa, maximè quando per ſacramentum baptiſmi vel pœnitentiæ promiſsiones generales ei applicantur & annunciantur. Cuius ſententiæ eſt Philippus Melàchthon, qui improbat ſententiam Martini Buceri, & Ioannis Caluini, in eo quod docent certo & firmiter ſtatuendum eſſe, propter Chriſtum nos ſaluos fore in regno cęlorum, & ab æterno electos & prædeſtinatos eſſe, vt diximus articulo præcedenti. Plurimi tamen hæreticorum docent quòd vnumquemque ſimpliciter credere oportet peccata ſibi eſſe remiſſa etiam nullo ad ſacramenta reſpectu habito. Dupliciter autem intelligi poteſt hæc fides qua firmiter & certò quis quaſi ex verbo Deo ſtatuit ſibi propter Chriſtum remiſſa eſſe peccata, vel fore beatum. Primò quod hoc ſic ſtatuat, quia hoc ipſum credit, & ſola fide remiſsionem peccatorum & vitam æternam, quæ ei à Deo offeruntur ſine vllo operum vel conditionum reſpectu, apprehendit. Quo ſenſu loquũtur aduerſarij: Secundò intelligi poteſt, quòd firmiter quis credat ſibi remiſſa eſſe peccata, quaſi ex verbo Dei, non quia credit tantùm, ſed quia ſuſcepit ſacramentum baptiſmi vel pœnitentiæ, de peccatis ob Dei offenſam dolens, nec vllius obicis aut impedimenti ſibi cõſcius, & proponens nunquam amplius peccare. De qua ſententia diſputatur à doctoribꝰ catholicis, & huius diſputationis paucis quædam poſtea attingemus, licet articulo præſenti impertinẽtia. Probatur verò hæc prima articuli pars, quia fides noſtra nititur verbo Dei, quod eius & obiectum & ſcopus eſt, in quem perpetuò collimare debet, à quo ſi minimũ deflectit, non iam fides, ſed incerta eſt credulitas, & vagus mentis error: vt rectè dicit Ioannes Caluinus. Idem verbum baſis eſt qua fulcitur & ſuſtinetur, vnde ſi declinat corruit. Tolle igitur verbum, & nulla iam reſtabit fides. Non enim eſt fides noſtra, vt ait Apoſt. Paulus in ſapientia hominum, ſed in (1. Corint. 2.) virtute Dei. (1. Theſſal. 2.) Et Theſſalonicenſes commendat quod verbum ab eo acceperunt, non ſicut verbum hominũ, ſed ſicut erat verè verbum Dei. Cùm igitur nullum ſit Dei verbũ de eo quod Ioannes, vel quiuis alius accepit remiſsionem peccatorum, vel quod ſaluus erit in vita ęterna, aut quod ſit à Deo electus ac prædeſtinatus. Item quod Petrus à Deo reiectus perpetuò ſit damnandus, non ſine magna temeritate & graui verbi Dei iniuria certò & infallibiliter quaſi ex verbo Dei quis credere poteſt ſe eſſe iuſtificatum, aut eſſe è numero electorum Dei. Nam generales ſunt ſcripturę de pœnitentibus, de Deum diligẽtibus & præcepta tranſgredientibus. Generales etiam ſunt promiſsiones & comminationes Dei. Non enim fit mentio in ſcripturis Petri vel Pauli aut alicuius particularis perſonæ. Non igitur poteſt de remiſsione peccatorum vel ſalute æterna alicui in ſpeciali eſſe certa & infallibilis fides, quæ ſoli verbo Dei, quod nec fallit, nec fallere poteſt, debetur. Alioqui enim addimus verbo Dei ſi dicamus. Locutus eſt Dominus, quod non eſt locutus, & incurrimus maledictionem, de qua Apocal. vltimo. & Deuteron. 12. Nullum ergo in ſcripturis teſtimonium habet hæc fides, Nec ſatis facit huic rationi reſponſio Martini Buceri, qui ait:

Quamuis ſcriptura nec mei, nec tui ſpeciatim meminerit, Chriſtus tamen iuſſit prædicari Euangelium ſuum omni creaturæ, & ſalutem promiſit omni credenti, & in ſuum nomen baptizato. (Bucerus. De iuſtificat. aduerſus Pighiũ fol. 148) *Præcepit Apoſtolis, vt ſibi omnes gentes diſcipulos facerent & docerent baptizatos quæcunq; ipſis mãdaſſet. Et tamen Pighius, inquit, audet ſubſanna-*

In Inſtit. ca. 14. parag. 30 rogantiſsimũ aſſerere, pernicioſe B. Gregorium docuiſſe populum, electionis ſcilicet nos eſſe incertos, quum tamen ante B. Gregorium eandem ſententiam tradiderit B. Auguſtinus. Quis, inquit, ex multitudine fidelium, quàm diu in hac mortalitate viuitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat? quia id occultari opus eſt in hoc loco, vbi ſic cauenda eſt elatio, vt etiam per angelum Sathanæ, ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apoſtolus. *2. Corint. 12.* Hinc Apoſtolis dicebatur, *Ioan. 15.* Si manſeritis in me, dicente illo, qui illos vtiq; ſciebat eſſe manſuros. Et per prophetam, Si volueritis & audieritis me, cùm ſciret ipſe in quibus operaretur & velle. Et ſimilia multa ſub conditione dicuntur. Nam propter huius vtilitatem ſecreti ne fortè quis extollatur, ſed omnes etiã qui bene currunt, timeant, dum occultum eſt quò perueniant. Propter huius ergo vtilitatem ſecreti credendum eſt quoſdam de filijs perditionis, non accepto dono perſeuerandi vſq; in finem in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere quidem viuere, & aliquãdiu fideliter & iuſtè viuere, & poſtea cadere, neq; de hac vita priuſquam hoc eis contingat, auferri. Quorum ſi nemini contigiſſet, tam diu haberent homines iſtum ſaluberrimum timorem, quo vitium elationis opprimitur, donec ad Chriſti gratiam, qua pie viuitur, peruenirent, deinceps iam ſecuri nunquã ab illo ſe eſſe caſuros: quæ præſumptio in iſto tentationis loco nõ expedit, vbi tanta eſt infirmitas, vt ſuperbiam poſsit generare ſecuritas. Deniq; etiam hoc erit, ſed tunc, quod iam eſt in Angelis, erit etiam in hominibus, quando ſuperbia eſſe non poterit. Idẽ *Lib. 11. de Ciuit. Dei, cap. 12.* B. Auguſtinus alio loco. Iuſti licet de ſuę perſeuerantiæ præmio certi ſunt, de ipſa tamen ſua perſeuerantia reperiuntur incerti. Quis enim hominũ ſe in actione profectuq; iuſtitiæ perſeueraturum vſq; in finẽ ſciat? niſi aliqua reuelatione ab illo fiat certus, qui de hac re iuſto latentiq; iudicio non oẽs inſtruit, ſed neminem fallit? An non beatum Auguſtinum contemnet Caluinus, & peſsimã pernicioſamq; hanc eius doctrinam clamare audebit? Sed contemnat quos velit ab his duabus columnis (Auguſtinum loquor & Gregorium) ego nunquam auellar. Ex apertis enim ſcripturarum teſtimonijs quę citãt, ſuam ſententiam confirmant. Nam ait & *Cap. 5.* Eccleſiaſticus, De propitiatu peccati, vel vt alij de propitiatione & placatione peccati, noli eſſe ſine metu. Item Eccleſiaſt. *Cap. 9.* Sunt iuſti & ſapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo, vtrum amore an odio dignus ſit, ſed in futurum omnia ſeruantur incerta. Vbi Hieron. Porrò, inquit, hic ſenſus, etiam in hoc dedi cor meum, & ſcire volui quos Deus diligeret, quos odiſſet, & inueni iuſtorum quidem opera in manu eſſe, & tamen vtrum amentur à Deo an non, nunc eos ſcire non poſſe, & ambiguo fluctuare, vtrum ad probationem ſuſtineant quæ ſuſtinent, an ad iudiciũ. In futuro igitur ſcient, & in vultu eorum ſunt omnia, id eſt, antecedet eos, cùm de hac vita deceſſerint, notitia iſtius rei, quia tunc eſt iudicium, nunc certamen. Et quicunque aduerſa ſuſtinent, vtrum per amorem Dei ſuſtineant vt Iob, an per odium vt plurimi peccatores, nunc habetur incertum. Et quia Eccleſiaſtes apertè loquitur de iuſtis & ſapientibus, locum non habet interpretatio Martini Buceri, quod de odio & amore, ſecundum præſentem impietatem & iuſtitiam intelligi poteſt, eo quòd certum eſt ex fide, quòd impij ſunt in odio Dei ſecundum præſentem iniquitatem. Nec verba Eccleſiaſt. patiuntur ſe intelligi, neminem ex his quæ extrinſecus apparent, certum poſſe habere argumentum æternæ ſuæ charitatis. Abſolutè enim pronunciant, Neſcit homo vtrum amore an odio dignus ſit: & legit B. Hieron. *Eccleſiaſt. 9.* Et quidem charitatem & odium, Dei ſcilicet non eſt cognoſcens homo, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta. Hoc enim eſt quod Salomonem maximè in admirationem & ſtuporẽ adducebat, quod neque iuſti, neque ſapientes, tametſi Deo chari ſint, & omnia alia probæ dijudicare nouerint, poſsint in hac militia de ſe ſcire, an ſint Deo chari an exoſi. Vnde patet quòd fide certa & infallibili nemini citra reuelationẽ conſtare poteſt ſibi remiſſa eſſe peccata, aut ſe iuſtum eſſe & ſaluandum, cũ de hoc nullum ſit Dei verbum, tum propter liberi arbitrij inſtabilitatem & flexibilitatem. Nec hoc probari poteſt, niſi per ſubſumptionem propoſitionis, quæ non eſt verbum Dei, ſed ſingularis, de qua non niſi experientia poteſt conſtare. Subſumunt autem aduerſarij ſub generalibus propoſitionibus, quales ſunt. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. *Marc. 16.* Qui credit in filium habet vitam æternam. Vt omnis qui credit eum, non pereat, ſed habeat vitam æternã: *Ioan 3.* & iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper oẽs qui credunt in eum. Subſumunt inquam, Ego in eum credo hac fide quam ſcriptura requirit, *Roman. 3.* hoc eſt ea quæ totum me regenerat, & facit me verè Deũ amare, eiuſq; præceptis obedire: de quo nullum eſt verbum Dei, nec id certò noniſſe poſſum propter cordis, vt diximus, profunditatem. Minus certò igitur cognoſcere poſſumus cõcluſionem, ſcilicet mihi remiſſa eſſe peccata. Quapropter B. Auguſtinus explicans verſiculum: *Auguſt. circa Pſal. 50.* Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi: ponit peccatorum remiſsionem inter iſta incerta. Quæ, inquit, occulta, quę incerta? quia Deus ignoſcit, nihil tam occultum, nihil tam incertum. Quis nouit, dicebant Niniuitæ, ſi Deus flectat in melius ſententiam ſuam & miſereatur. *Luca 2.* Incertum erat cùm dicitur, Quis nouit: hoc incertum patefecerat Deus ſeruo ſuo Dauid, qui cum dixiſſet, Peccaui: *2. Reg. 12.* ſtatim audiuit à Propheta, id eſt, à ſpiritu Dei qui erat in Propheta, *Pſam. 50.* Dimiſſa ſunt tibi peccata tua, Incerta & occulta ſapientię tuæ manifeſtaſti mihi. *Hom. 77. in Ioannem.* Et B. Chyſoſt. explicans ternã interrogationem domini factam

Ioan.21. Petro, Simon Iona amas me? contriſtatus eſt Petrus, q̃a dixit ei tertiò, Amas me. Propterea, inquit, in perſona Petri contriſtatus ſum, ne forte me amare arbitratus non amem, vt antè, cùm me fortem & conſtantem putarē, imbecillis inuentus ſum. Plerunq; enim affectibus noſtris illudimur. Vnde manifeſtū eſt, quòd huiuſmodi fides ſcripturis aduerſatur, quodq; temerariè pro verbo Dei amplectitur, quod humanum eſt figmentum. Nam præſupponit promiſsiones Dei nobis offerri ſine vllo modo & conditione operū fidei. Si ſcripturæ ſingulariter dicerent alicui remiſſa eſſe peccata, ſicut dixit Saluator
Lucæ 5. Paralytico & Magdalenæ, is cui hoc ſingula-
Lucæ 7. riter diceretur, obligaretur credere ſibi pec
Ioan. 14. cata eſſe remiſſa, & ſe ſaluandum. Si cui diceretur, Vado tibi parare locum, & iterum venio & accipiam te ad meipſum, ſicut dictum eſt à Chriſto Apoſtolis, huic remiſſa eſſent, etiam priuſquam hoc crederet. Catholici autem ſub generali propoſitione, quòd per ſacramentum baptiſmi & pœnitentiæ remittuntur peccata, quando nullum inuenitur impedimentum, ſubſumunt nullum in ſe eſſe impedimentum, & ideo ſibi peccata remitti. Vbi tamen concluſio etiam certa eſſe non poteſt, propter incertitudinem mi-
Quæ.112. & in quæſt. de veritate. quæſt.10. art.10. noris. Iſta diligenter explicat B. Thomas 1.2. Abſurdior autem eſt ſententia Martini Buceri & Ioannis Caluini de certitudine prædeſtinationis, quàm Philippi aut aliorum ſequacium Confeſsionis Auguſtanæ, de certitudine ſolius remiſsionis peccatorū & pręſentis iuſtitiæ. Sed quia articulo præcedente de his multa diximus: & quia diligentiſſimè contra certitudinem gratiæ ſcripſerūt venerabilis pater Andreas de Vega, in expoſitione Decreti De iuſtificatione in Concil. Tridentino: & reuerendus Magiſter noſter Dominicus à Soto: & M. N. Richardus Smytheus Anglus in ſua Diatriba, ca.19. nos à prolixiore huius rei tractatione ſuperſedebi-
Lib 9. ca. 6. & multis ſequentibus, et cap.33. & ſequentibus. Lib 3. de natura & gratia ca.10. & cap.11. mus, addita tãtum definitione Concilij Tridentini, in qua tota doctrina ſuper incertitudine gratiæ conformiter ad ſcripturas, & patrum ſententias ſuccinctè traditur. Sic autem habet definitio.

Quamuis neceſſarium ſit credere, neq; remitti, neq; remiſſa vnquã fuiſſe peccata, niſi gratis diuina miſericordia propter Chriſtū, nemini tamen fiduciam & certitudinem re-
Ca.9. ſeſſ.5. miſsionis peccatorū ſuorum iactãti, & in ea ſola quieſcenti, peccata remitti, vel remiſſa eſſe dicendum eſt, cū apud hęreticos & ſchiſmaticos poſsit eſſe, imò noſtra tempeſtate ſit, & magna contra Eccleſiam catholicã contẽtione prædicetur vana hæc, & ab omni pietate remota fiducia. Sed neq; illud aſſerendū eſt, oportere eos qui verè iuſtificati ſunt, abſque vlla omnino dubitatione apud ſemetipſos ſtatuere ſe eſſe iuſtificatos, neminemque à peccatis abſolui ac iuſtificari, niſi eum qui certò credat ſe abſolutum & iuſtificatum eſſe, atque hac ſola fide abſolutionē & iuſtificationem perfici: quaſi qui hoc non credit, de Dei promiſsis, deq; Chriſti mortis & reſurrectionis efficacia dubitet. Nam ſicut nemo pius de Dei miſericordia & Chriſti merito, deq; ſacramentorum virtute & efficacia dubitare debet: ſic quilibet dum ſeipſum, ſuamq; propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare ac timere debet, cum nullus ſcire valeat certitudine fidei (cui non poteſt ſubeſſe *Cano.12.*
falſum) ſe gratiam Dei eſſe conſecutum. Rurſus idem Cõcilium, Si quis dixerit fidem iu- *Cano.13.*
ſtificantem nihil aliud eſſe, quàm fiduciam diuinę miſericordię peccata remittẽtis propter Chriſtum, vel eam fiduciam ſolam eſſe *Cano.14.*
qua iuſtificamur, anathema ſit. Et ſi quis dixerit omni homini ad remiſsionem peccatorum aſſequendam, neceſſarium eſſe vt credat certò & abſq; vlla hæſitatione propriæ infirmitatis & indiſpoſitionis, peccata ſibi *Cano.15.*
eſſe remiſſa, anathema ſit. Rurſus, ſi quis dixerit hominem abſolui à peccatis, aut iuſtificari, ex eo quod ſe abſolui, aut iuſtificari certò credit, aut neminem verè eſſe iuſtificatum, niſi qui credit ſe eſſe iuſtificatum, & hac ſola fide abſolutionem & iuſtificatio- *Cano.16.*
nem perfici, anathema ſit. Et iterum: Si quis dixerit hominem renatum & iuſtificatum teneri ex fide ad credendum, ſe certò eſſe ex numero prædeſtinatorum, anathema ſit. Poſtremò, Si quis magnum illud vſq; in finem perſeuerantiæ donum ſe certò habiturum abſoluta & infallibili certitudine dixerit, *Cap. 12.*
niſi hoc ex ſpeciali reuelatione didicerit, anathema ſit. Et in Decretis Concilij Tridentini, Nemo quamdiu in hac mortalitate viuitur, de arcano diuinæ prædeſtinationis myſterio vſq; adeo præſumere debet, vt certò ſtatuat ſe omnino eſſe in numero prædeſtinatorum, quaſi verum eſſet, quòd iuſtificatus, aut amplius peccare non poſsit, aut ſi peccauerit, certam ſibi reſipiſcentiam promittere debeat. Nã niſi ex ſpeciali reuelatione ſciri nõ poteſt, quos Deus ſibi elegerit. Item cap. ſequenti. De perſeuerantiæ mune- *Cap 13.*
re nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur, tametſi in Dei auxilio firmiſsimam ſpē collocare & reponere omnes debeant. Deus enim niſi ipſe illius gratiæ defuerit, ſicut cœpit opus bonum, ita perficit. Veruntamen qui ſe exiſtimant ſtare, vi- *Iacob.5.*
deant ne cadant, & cum timore ac tremore ſalutem ſuam operentur. Formidare enim debent (ſcientes quòd in ſpem gloriæ, & nõdum in gloria renati ſunt) de pugna quæ ſupereſt cum carne, cum mundo & diabolo. Rurſus cap. vlt. Quia in multis offendimus omnes: Vnuſquiſq; ſicut miſericordiam & bonitatem, ita ſeueritatem & iudicium ante oculos habere debet. Neque ſeipſum aliquis, etiamſi nihil ſibi conſcius fuerit, iudicare, quia omnis hominis vita, non humano iudicio examinanda & iudicanda, ſed Dei qui illuminabit abſcondita tenebrarum. Et *Cap vlt de*
Innocentius 3. definiuit, quòd non paruæ te- *purgat. cano.*
meritatis eſſet, quòd Archiepiſcopus Biſontinus ſe purgando, iuraret ſe immunem fuiſſe

Cap. 9. iſſe ab illis criminibus de quibus erat infamatus, tanquam dimiſsis per pœnitentiam, cum beato Iob dicat, Etiã ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea. Quam purgationis formam improbat vt temerariam. Non igitur tanta certitudo haberi poteſt de peccatorum remiſsione, vt iurare liceat ea ſibi eſſe remiſſa. Attamen quamuis de hac peccatorum remiſsione, & in bono perſeuerantia infallibilem fidei certitudinem ſine ſpeciali Dei reuelatione habere non poſſumus, vt iam ex Concilio Tridentino oſtendimus: probabili tamen notitia ex ſignis & coniecturis electos ſuos Deus non deſtituit, *Serm. 2. de B. Paſchæ. & in Canti. ſer. 16. et 74. et in epiſt. 42* vt ſciendo neſciant, & neſciendo ſciant. Nã B. Bernard. de his ſignis tractãs: Eſt aliud teſtimoniũ, inquit, quod datur in terra ad diſcernendos qui in ea ſunt exules, ab indigenis, hoc eſt, cæli ciues, à ciuibus Babylonis. Quando enim ſine teſtimonio electos ſuos deſerit Deus? aut certè quænã eis eſſe poterat conſolatio inter ſpẽ & metũ ſollicitudine anxia fluctuantib. ſi nullum omnino electionis ſuæ habere teſtimoniũ mererentur? Nouit Dominus qui ſunt eius, & ſolus ipſe ſcit quos elegerit à principio. Quis verò ſcit hominũ, ſi eſt dignus amore vel odio? Quod ſi, vt certum eſt, certitudo nobis omnino negatur, nunquid non tantò delectabiliora erunt, ſi qua forte electionis huius ſigna poſſimus inuenire? Quam enim requiem habere poteſt ſpiritus noſter, dum prædeſtinationis ſuæ nullum adhuc teſtimonium tenet? Quæ prolixè proſequitur, & tandem concludit, A ſanguine, aqua, & ſpiritu ſancto habes teſtimonium, ſi contines à peccatis, ſi dignos agis pœnitentiæ fructus, ſi facis opera vitæ: ſanè nouum ſuperueniſſe ſpiritum, certiſsimè conuerſatio noua teſtatur. Et varia ſigna diuinæ gratiæ & electionis probabilia docet B. Thomas, *1.2. quæ. 112. Art. 5.* videlicet, quòd homo percipiat ſe delectari in Deo, contẽnere ea quæ mundi ſunt, nec alicuius mortalis peccati ſibi eſſe conſcium. *Apocal. 2.* Secundum quem modum dicit intelligi id quod habet B. Ioannes, Vincenti dabo manna abſconditum, quod nemo nouit, niſi qui accipit. Hic autẽ nouit per quandam dulcedinis experientiam, quam nec habet, nec experitur, qui gratiam iuſtificantem nondum accepit, hanc tamen cognitionem imperfectam dicit. *1. Corint. 4.* Vnde Apoſt. *Pſalm. 18.* Nihil mihi conſcius ſum, non tamen in hoc iuſtificatus ſum: quia & propheta, Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me. Alia aũt probabilia ſigna ponit Cancellarius Pariſienſis Ioannes Gerſon in trib. *In opere tripartito circa finem.* veritatibus conſiſtere, quarum in ſuperioribus meminimus. Cardinalis Caietanus duo ſigna tradit, quorũ prius eſt amor Dei promptus ad obſequendum ſpiritui ſancto, quem hic efficit in his qui ſpiritu Dei aguntur: Alterum eſt, experta cõtinuatio diuinæ gratiæ *In commẽt. ad Rom. 8.* gubernatricis in cuſtodiendo à damnabilibus peccatis, illuſtrando, inſpirando, excitando, monendo, & huiuſmodi. Cùm enim experimur, inquit, tam promptè nos diligere Deum, & tali tantaq; cura à Deo gubernari, teſtimonium à ſpiritu ſancto & noſtra habemus ſufficientiſsimum, vt credamus nos *Lib. 3.* eſſe filios Dei. Alia ſigna habet Guilhel. Altiſsiodorenſis in quæſt. An quis ſcire poſsit *1 lib. ſenten. diſtinct. 17.* quòd habeat charitatem, vel quòd peccata ſint ei remiſſa. Quam quæſtionẽ diligenter *Quodli. 7. artic. 4. in argument.* etiam diſputat S. Bonauentura, & ſanctiſsimus dominus Adrianus ſextus. Sed in hoc omnes Scholaſtici conueniunt, quòd omnimoda certitudo gratiæ à nobis haberi nõ poteſt, ſed probabiliter eã aſſequi licet per ſigna, quæ hoc ſunt certiora quò clariora & manifeſtiora. Aliquãdo autem tam aperta ſunt, vt nulla formido, nulla vacillatio ſit coniũcta huiuſmodi cognitioni. Nam firmam & certam huius rei cognitionem ex temeritate quoque concipere poſſumus, ſicut hæretici firmius aliquando ſuis adhærent erroribus, vel ſaltem eadem firmitate, qua nos ſententijs fidei. Nonnulli enim eorum qui opinantur non ambigunt, ſed arbitrantur ſe exactè ſcire, nec minus ſuæ opinioni quàm alij ſcientiæ credunt, vt de Heracleo dicit Ariſtoteles. Nam firmitas aſſenſus dependet magna ex parte à volũtate vel pia, vel in malo obſtinata. Certitudo autem eſt aſſenſus firmus & verus. Si igitur verè ſunt remiſſa peccata, certitudinem habet, quamuis temerariam, de peccatorum ſuorum remiſsione: quia tamen fallibilis eſt huiuſmodi aſſenſus, fidei eſſe non poteſt. Nam ijſdem argumentis & probabilitatibus aſſentiendo falli poſſumus, & caſus eſt quòd modò non fallimur. Et credo veriſimile eſſe, quòd fides hæc temeraria, imò & Lutherana iuſtificare poteſt, nõ per apprehenſionẽ iuſtitię, vt ipſi docent, ſed ratione pœnitentiæ, & amoris Dei, ſine quibus docent eam eſſe non poſſe. Eſt enim hæc fides primò de bona voluntate patris erga nos propter filiũ, in quo donauit nobis omnia. Si itaq; ſimplex aliqs perſuaſus credat ex hac Dei voluntate ob Chriſtũ ſibi eſſe peccata remiſſa, & hoc certò, & quaſi ex verbo Dei, & ob id compungitur vero erga Deum amore, ſe totum ei ſubijciens, qui tanto amore ipſum præuenit, vitæ præteritæ pœnitentiam agens, quia tam magnũ amatorem offendit: veriſimile eſt quòd huiuſmodi ita affectus verè conſequatur peccatorum remiſsionem, & filius Dei efficiatur. Et fortaſsis ſi Deo placuiſſet, poterat hũc modum iuſtificationis impij inſtituiſſe, imò & quod ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti iuſtificaremur: ſed eũm modum non patiũtur ſcripturæ. Diximus autem omnimodam pręſentiæ gratiæ certitudinem, cui falſum ſubeſſe non poteſt, citra reuelationem ſpecialẽ haberi non poſſe. Omnibus enim argumentis, ſignis & experimentis præſentiæ gratię, non repugnat falſum ſubeſſe: nec etiam repugnat his modis certum in ſuo iudicio falli. Proprium eſt enim fidei catholicæ ſiue reuelationi diuinæ, quòd falli non poſsit qui ei aſſentitur. An verò multo tempore in vitæ ſanctimonia exercitati, imò & pœniten-

tes,ſine reuelatione Dei ex ſignis,ſcripturarum teſtimonijs, & experimentis viſitationum ſpiritus ſancti, certitudinem habere poſsint ſine temeritate, iuſtaq; ratione,non quidem infallibilem, ſed quæ ſit ſine metu & formidine,ne fortaſsis ita non ſit ſicut arbitrantur, hoc eſt,gratiam non habeant,inter catholicos controuertitur,& videtur eſſe quæſtio problematica vtrinque probabiliter diſputabilis. Nam Concilium Tridentinum ſolum definiuit,quòd nullus ſcire valet certitudine fidei,ſe gratiam Dei eſſe conſecutum. *Lib.9.c.46 circa Decretum Concilij Tridentini de, iuſtificatione.* Andreas de Vega docet partem affirmatiuam eſſe veram, quòd ſcilicet multi iuſti hanc certitudinem habent, non ſolum fiduciæ & affectus, ſed notitię. Fieri enim poteſt,quòd efficaciſsima habeantur argumenta pro præſentia gratię, & nulla occurrat cauſa veriſimilis dubitandi vel formidādi. Illa, inquit,quies,& ſecuritas,qua plerique migrant de hac vita , illud ardens deſiderium,quo charitas cum perfecta fuerit clamat, Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto: & lætitia qua exultant, dum intelligentes ſibi propinquum eſſe diem mortis, dicunt cum Dauide. Lętatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum domini ibimus.Heu mihi, *Pſalm. 121.* quia incolatus meus prolongatus eſt. Alacritas etiam & admiranda conſtantia martyrū, *Pſalm. 129.* & deſpicientia tormentorum , quid aliud ſunt,quàm teſtimonia apertiſsima huiuſmodi certitudinis,quam de ſua iuſtitia & gratia apud Deum habent. Non ſic exultarent, adueniente morte,non ſic illam deſiderarent, non ſic lætarentur in tormentis,neque tanta quiete & placiditate animi de hac vita diſcederent,qui hæſitarent & dubij ſeu ancipites eſſent, de ſuo ſtatu vel quouis modo formidarent. Vnde & Ambroſius in expoſitione verſiculi, Memor fui iudiciorum tuorum Domine, & conſolatus ſum. *Pſalm. 18.* Quis noſtrum, inquit, huiuſmodi, vt ſe diuinorum iudiciorum ſerie conſoletur,terribilia ſunt peccatoribus etiam humana iudicia,quanto magis diuina formidini ſunt. Et reſpondet: Videmus in hoc ſeculo innocentes lætos ad iudicium feſtinare, odiſſe moras, celeritatē affectare iudicij,reos autem refugere & pauere, vitare, mœſtificari, cùm diem iudicij audierint conſtitutum, Beatus itaq; ille,qui illud cæleſte iudicium lætus expectat,Scit enim ſibi regnum cælorum , angelorum conſortium,coronam quoq; bonorum repoſitā eſſe meritorum. Quam ſententiam clariſsimè etiam docet B.Bernardus ex profeſſo tractans,an ſint aliqui viri ſpirituales,qui fiducialiter ſibi arrogare poſſent voces illas ex Canticis & alijs libris ſacris, quas certi ſumus eccleſiæ cōuenire, quales profectò ſunt iſtæ,Dilectus meus mihi & ego illi.Expectās expectaui Dominum & intendit mihi. Dominus ſollicitus eſt mei: & ſimiles, Et non auſus ingredi ſcrupuloſam iſtam quam vocat diſputationem , niſi prius ſuper verbo abſcondito oraculo illo, Aperit & nemo claudit: tandem præmiſſa vnius diei oratione ita ſcribit, *Serm. 61. in Cantica.* Si quis alicui licere crediderit eas voces ſibi arrogare,ego nō abnuo,ſed intereſt tui. Non enim cuicunq; prorſus habet Eccleſia Dei ſpirituales ſuos, qui non modo fideliter, ſed & fiducialiter agant in eo,cum Deo quaſi cum amico loquentes,teſtimoniū illis perhibente cōſcientia glorię eius. *Pſalm. 39.* Quinam illi ſunt? Id quidem penes Deum. Tu verò audi,qualem te eſſe oporteat ſi vis talis eſſe: Quod tamen dixerim,non quaſi expertus,ſed quaſi experiri cupiens. Da mihi animam nihil amantem præter Deum, & quod propter Deum amandum eſt, cui viuere Chriſtus non tantum ſit,ſed & diu iam fuerit, *Serm. 69.* cui ſtudium ſit prouidere Deum in conſpectu ſuo ſemper, & ſollicitè ambulare cū Domino Deo ſuo.Da,inquam,talem animā, & ego non nego dignam ſponſi cura , maieſtatis reſpectu,dominantis fauore, ſollicitudine gubernantis:Et ſi voluerit gloriari,nō erit inſipiens,tantùm vt in Domino glorietur. Et alio ſermone, Ideo ſpes non confundit, quia charitas certitudinem infundit. *Serm. 57. in Cantica.* Item de pœnitente loquens, Spiritum nouū aduenisse certiſsimè noua conuerſatio teſtatur. *Ser.1. in oct. Paſcha.* Et epiſt. 107. Si ſuperna eum miſeratio reſpexerit, immiſeritq; ſpiritum compunctionis,vt ingemiſcat,reſipiſcat,mutet vitā, domet carnem, amet proximum, clamet ad Deum,proponatq; de cætero viuere Deo:ex hac ſuperni luminis gratuita viſitatione & ſubita mutatione dextrę excelſi,agnoſcat ſe meritò quidem,non iam iræ,ſed gratiæ filium,quippe qui paternum erga ſe diuinæ bonitatis experitur affectum, & cætera quæ ſequuntur. Sicut autem hi certi ſunt ſecundū hanc Bernardi ſententiam, ſine metu & formidine de gratiæ præſentia, ita certò nouerunt ſe certos eſſe, neq; in aliquo falli ita arbitrando. Nec tamen hic vlla contingit temeritas. Verùm ſi iudicarent ſe falli nō poſſe, nec aliter eſſe poſſe quàm credunt, magna eſſet temeritas, eò quòd argumenta quibus nituntur,certitudinem iſtam non conuincant. Quæ quidem certitudo quamuis multò ſit inferior certitudine fidei, quia tamen à ſententijs ſcripturæ pendet, ideo fides quæ eſt virtus infuſa, mediatè ad illam inclinat. Et ſi accedat confidens voluntas,illa magis firmare poteſt aſſenſum, ſed non adeo vt liceret pro eius veritate, quod ſcilicet in gratia ſit, mortem ſubire. *Lib. 21, c.16. lib 26 ca.33 et 34. par.4. alph.17. ff.* In quo eſt differentia ab aſſenſu fidei. Signum reprobationis tradit B. Grego. in comment. ſuper Iob, & Cancellarius Pariſienſis, Ioānes Gerſon, in tractatu de ſignis in bonum & malum.

Ddit articulus, Etiam ſi firma & certa ſpe expectare debemus in hac quidem vita, per ſacramentū baptiſmi & pœnitentię peccatorum remiſsionem, in ſeculo autem futuro vitam æternam. Quòd hæc certa ſpe expectare debeamus, demonſtrant certiſsimæ promiſsiones, quas ex verbo Dei habemus. *Ioan. 20.* Ait enim Chriſtus. Quorū remiſeritis peccata, remittuntur eis. *Ioan. 3.* Et, Niſi

quis

quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, *Marc.16.* non poteſt introire in regnũ Dei. Item, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Spes enim Deum & omnia eius promiſſa reſpicit, quamuis generalia ſint, ſibi tamen vendicare & poteſt, & debet, tanquam vnicuiq; & ſibi ſingulariter & peculiariter facta eſſent. Hoc enim diſcriminis eſt inter fidem & ſpem, quòd fides non tranſcendat limites verbi Dei. Nam nec plus nec minus credere oportet quàm locutus eſt Deus, cuius verbo nec iota vnum addit aut demit fides. Credit igitur Chriſtianus brauium cæleſte in vniuerſum omnibus ſine diſcrimine *Hiero. in epiſto. ad Dard. de terra promiſsionis.* propoſitum legitimeq; certantes ipſum apprehenſuros. Agnoſcit propoſitum eſſe ſub modo & conditione legitimi curſus & certaminis, quare credit ꝙ multi eo fruſtrabuntur, qui ſecundum leges præſcriptas vſq; in finem non currunt, & quod ipſemet quoque forſitan fraudabitur, quia eſt incertum an perſeuerabit. Non igitur ſimpliciter ex verbo Dei credit ſe ſaluandum, aut peccatorum remiſsionem conſequuturum. Spes verò ita certò fertur in ipſum brauium & ita ſe ad ipſum erigit, quaſi ſine vllo dubio ſit aſſecutura. In quibuſcunq; enim eſt Dei promiſsio vel generaliter, vel etiam ſub modo & conditione propoſita, ſpe certa & firma in ipsũ tendere & audacter ferre debemus. De hac ſpei certitudine frequens fit mentio in ſcriptura ſacra. *Hebr. 6.* Nam Apoſt. Paulus: Fortiſsimũ, inquit, ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam tanquam anchoram habemus animæ tutam & firmam, & incedentem vſque ad interiora velaminis. Et propheta Dauid, Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. *Pſalm.26.* Si conſurgant aduerſum me, &c. Quiſquis igitur ſecum conſideret qua reuerentia, fide, & fiducia debeamus Eccleſiæ ſacramenta ſuſcipere, & quanta æternæ beatitudinis expectatione, qua item fiducia ſit homini Chriſtiano moriẽdum. Quæ quidem fides primo eſt circa ſacramenta, Dei gratiam & beneuolentiam erga nos exercenda, tum etiam circa ſacramentorum promiſsiones eorumq́ue effectus. Deinde certò & infallibiliter credere oportet, quòd hos effectus aſſequimur, ſi præparati fuerimus, vt nullum ſit in nobis gratiæ impedimentum. Sed quod iam ſatis pręparati ſumus, adeo vt nullum ſit in nobis gratiæ impedimentum, de eo nullam habemus ex Dei verbo certitudinem, verum ex noſtræ conſcientiæ ſcrutinio & probatione, nunc maiorem, nunc minorem, nunquam autem infallibilem habere poſſumus. Nam experientia & conſcientiæ examen multos fallunt, quum idem opus ſecũdum ſpeciem ex Dei inſpiratione eſſe poſsit, & ex viribus naturæ, & bonum ac ſanctum opus ex circũſtantia aliqua vitiari & hoc ipſum latere poteſt: Imò & peccatũ mortale aliquando hominem latere poteſt, ob quod ſacramentorũ effectus impediatur. Quando aũt ſecundum noſtram conſcientiam pręparati ſacramenta ſuſcipimus, certa & firma ſpe expectare poſſumus, imò & debemus, quod eorum effect⁹ nobis cõtinget. Atq; huic expectationi poſt ſacramenta ſuſcepta reſpõdet apprehenſio, ſiue tentio affectiua, certa & firma eius quod conferunt, hoc eſt, certa illius fiducia, ſi ſuſcipiens ſibi conſcius ſit legittimæ præparationis, modò tamẽ talis affectus ſiue fiducia reſpectu præſentis & iam poſſeſsi eſſe poſſit. Nam vis iraſcibilis, in qua ſpes & timor locantur, circa bonum præſens & habitum, eò quòd ardui deeſt ratio, non habet operationem, iuxta doctrinã B. Thomę. Quare alij *2.2. quæ. 18. ar. 1. 2. & 3.* dicũt hanc tentationẽ non eſſe aliquã operationem intellectus vel voluntatis, ſed eorũ actualem habitudinem ad gratiam præſentem, ſiue habitam, vel huius firmam credulitatem cum affectu reſpondente. Nam in intellectu ex conſideratione promiſsionis Dei reſpondet certa & firma credulitas, omne dubium de peccatorum remiſsione excludens, non tamen infallibilis, quaſi de eo haberetur verbum Dei peculiariter ad aliquem factum, ſicut ad paralyticum factum eſt. Nam huiuſmodi verbum nullam vacillationem aut fallibilitatem admittit, ne fortè non ita ſit quemadmodum creditur. Atq; ita ſequitur quies, pax, tranquillitas conſcientiæ, incomparabiliter maior, quàm ſi amicus mei amantiſsimus & fideliſsimus mihi aliquid ſub iuramento promiſiſſet. Hinc tamen non fit, quin cum timore & tremore noſtram operemur ſalutem. Pro cuius rei intellectu conſiderãdum eſt, quòd obiectum ſpei eſt bonum arduum non habitum, poſsibile tamen. Quandocunq; igitur iudicamus eſſe aliquod bonum quod poſſumus aſſequi & obtinere, tametſi cum difficultate, illud ſperare poſſumus: poſſumus & deſperare, propter aſſecutionis difficultatem. Non enim certi ſunt de brauio obtinẽdo, qui in ſtadio currunt, ſed de hoc dubitare poſſunt, imò & iudicare quod non aſſequentur, ſperant tamen, modò iudicent quod apprehẽdere poſſunt, & fortaſsis apprehendent. Non oportet ergo ob ſpei certitudinem, remiſsionem peccatorum vel ſalutem æternam, certò ſe apprehenſurum iudicare, ſed fieri poſſe vt apprehendat, concurrere tamen oportet certam & infallibilem fidem, vt ſpei noſtræ certitudo conſiſtat. Nam ad certam expectationem beatitudinis requiritur fides omnipotentiæ, miſericordiæ & largitatis Dei, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & quod mihi pro viribus conanti diuinum auxilium non deerit. Et quo ad ſpem veniæ, quòd omnem ad ſe confugientem, potiſsimum autem per ſacramenta baptiſmi & pœnitentiæ, ipſe in gratiam recipit: ſine qua fide etiã ſi huius opinio habeatur, certitudo ſpei cõſiſtere non poteſt. Ex parte autem ſperantis requiritur, vt ſe per odium peccatorum & propoſitum vitæ melioris præparet ad dignam horum ſacramentorum ſuſceptionem, & vt remiſsis peccatis proponat & conetur in finem vſque vitæ ſuæ ita perſeuerare. Atque

que horum ratione & conſideratione quiſq; ſibi appropriare & accommodare poteſt & debet generales Dei promiſsiones. Vbi aũt hæc deſunt, ibi præſumptio eſt hæc promiſſa expectare. Et quia hic falli contingit, & arbitrium noſtrum flexibile eſt, cras etiam diſplicere poteſt id quod hodie placet, ideo fruſtrari cõtingit: & plurimi fruſtrãtur beatitudine, quam aliquando certò expectauerunt ex meritis & Dei gratia. Ex alia verò parte qua creduntur quæ fidei ſunt, impoſſibile eſt nos falli vel fruſtrari, ſicut fidei falſum ſubeſſe non poteſt. Vndè B. Thomas. ad argumentum quod proponit. Multi viatores habentes ſpem, deficiunt à conſequutione beatitudinis, ergo ſpes eorum non habet certitudinem. Reſpondet quòd aliqui habentes ſpem, deficiant à conſecutione beatitudinis, contingit ex libertate arbitrij ponentis obſtaculum peccati: nõ autem ex defectu diuinæ potentiæ vel miſericordiæ, cui ſpes innititur. Vnde hoc nõ præiudicat certitudini ſpei. Et B. Bonauentura ponens hãc certitudinem à fide participatam propriam ſpei, quam vocat virilis adhæſionis affectus ad ſimile argumentum quo obijcitur, quòd nullus eſt certus de aſſecutione illius ad quam nunquam perueniet: reſpondet quod eſt certitudo ordinis & euentus, & quod ſpes in ſuo actu certitudinẽ ordinis habet, quia efficaciter & infallibiliter vera ſpes ordinat ad ſalutem, non autem habet certitudinem euentus. Nam certitudo euentus ſpei ſolum probabilis eſt. Et in ſolutione argumenti ſequentis dicit infallibilitatem ſpei eſſe tantum conditionatam hac cõditione, ſi perſeuerauerit vſque in finem in gratia & bonis meritis, non abſolutam: virtutes autem perficientes partem appetitiuam non excludere totaliter falſum, ſicut virtutes quæ intellectum perficiunt, docet etiam B. Thom. quamuis propriè, qui ſpe ſua fruſtratur, non habuit ſperando obiectum falſum, cum ſpes ſit circa incomplexum, nõ propriè circa enunciationem in qua ſola verum & falſum inueniuntur. Spes itaque duo reſpicit, Deum tanquam regulam & principium ſiue cauſam, cuius auxilio annititur promiſſa aſſequi. Reſpicit etiam bonum deſideratum, & ſecundum priorem reſpectum nec fruſtrarj, nec confundi poteſt, ſecus ſecundũ alterum, ob defectum liberi arbitrij, cuius cooperationem requirit Dei promiſsio. Eſt autem certitudo, determinatio ſiue intellectus, ſiue voluntas ad aliquid vnum. Quando enim ad vnum determinata ſunt & firmata intellectus in vero & in bono affectus, certus eſt vterque. Quomodo autem certitudo intellectus & affectus excludat formidinem, vacillationem ac timorem, an tantum ſecundum conſiderationem qua credimus & ſperamus, an ſimpliciter, magis pertinet ad articulum ſequentem. Vtraque autem huiuſmodi determinatio magna ex parte pendet à voluntate. Nam ad firmiter & ſine formidine credendum verbo Dei, neceſſaria eſt

2. 2. quæſt. 8. art. 4.

2. 2. qu. art. 3.

Spes duo reſpicit.

pia voluntatis affectio, quę intellectum verbo Dei omnino ſubijcit, ipſumq; in eius & fide obſequium captiuat. Nam miracula & probabiles rationes nõ ſunt efficaces ad certò aſſentiendum ei quod locutus eſt dominus. Similiter in ſperando voluntas ſe determinat & firmat ob Dei promiſsionem in expectando vitam æternam. Nemo enim credit vel ſperat niſi volens, & quando credit vel ſperat, non credere & non ſperare poteſt. Et ſicut determinatio iſta pendet à voluntate, ita & maior eſt & minor, & ſecundum hoc ſequitur in homine maior quies & tranquillitas. Quod firma & certa ſpe expectare debeamus Dei promiſſa, quæ animæ noſtræ ſalutem concernunt, per ſe eſt manifeſtum. Frequenter enim multis in locis ſcripturæ reperitur præceptum de ſperãdo in dominum: ſed non æquè conſtat quando hoc præceptum obliget: ſicut nec certum eſt pro quo tempore obliget præceptum diligendi Deum & credendi. An ſcilicet ſperare debeamus quando iam exercemus actũ qui habet Dei promiſsionem, quòd promiſſum aſſequemur: An potiùs quando proximè ſequuturus eſt & ſuſcipiendus effectus promiſsionis, & quando confitemur peccata noſtra, vel ea ſumus confeſſuri, vel quando ſuſcipimus abſolutionem. Oportet enĩ tunc adeſſe ſpem veniæ, ſaltem virtualem, tamen dubitari poſſet, an hæc ſufficiat. Item an toto curſu noſtræ peregrinationis oporteat habere ſpem brauij propoſiti. Nõ enim fortiter in ſtadio curremus, ſi ipſum ante oculos non habeamus nos ad id extendentes, ſicut in Dei gloriam, vitam & opera noſtra tanquam in finem non dirigemus, niſi eum tanquam vitæ noſtræ ſcopum conſtituamus. Sed quia hæc non vſque adeo controuertuntur ab aduerſarijs, alij loco has difficultates reſeruabimus. Peccatorum autem remiſsionem certa ſpe expectamus ex Chriſti inſtitutione & pura Dei gratia, ſine alicuius meriti noſtri concurſu per ſacramenta baptiſmi & pœnitentiæ, vitam verò æternam in altero ſeculo, non ex pura Dei gratia, ſed ex operũ noſtrorum meritis, quæ fieri non poſſe agnoſcimus ſine Dei gratia, non ſolum inhærente & nos viuificante, verum etiam ex gratia, quę eſt ſingulare Dei auxilium, nos dirigendo, monendo ad ſalutẽ, & protegendo. Atq; hæc gratia intelligitur in definitione ſpei, quam ponit magiſter ſententiarum: Spes eſt expectatio futuræ beatitudinis ex gratia Dei & noſtris meritis proueniens. Eo nanq; modo expectãda eſt nobis beatitudo, quo Deus eam conferre conſtituit. Proponit autem eam dare tãquam brauium quòd currendo apprehendamus, & tanquã coronam, quam legittimè certando, & tanquam mercedem laboris noſtri accipiamus. Reddet enim Deus eam quaſi mercedem laborum noſtrorum, & vnicuique ſecundum opera ſua, his quidem qui ſecundum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt vitam æternam. Et vnuſquiſque

3. Lib. diſt. 16.

Defin. ſpei.

1. Corin. 9.

Rom 2. quiſque mercedem accipiet ſecūdum ſuum laborem. Et in iudico aſsignans cauſam, propter quam benedicti patris poſsidebūt regnum paratum à conſtitutione mundi, ait: Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare. & quæ ſequuntur. Sicut cauſam ob quam maledicti ibūt in ignem æternum, aſsignat eorundem operum omiſsionem. Quemadmo- *2. Corint.* 3. dum igitur damnatio non eſt timenda niſi ob merita mala: ita ob bona duntaxat merita, ſperanda eſt vita æterna, his maximè qui operandi oportunitatem habent. Eſt ergo beatitudo à Deo ſuis cultoribus propoſita tanquam corona, quæ certando & laborando obtineri poſsit, quaſi palma atq; merces laboris & certaminis, adeoque ad eam contendendum per iuſta opera, & ſanctæ vitæ certamina, vt videlicet per ea beatitudinem promereamur, eaq́; tanquam noſtra mercede digni reddamur. Verùm quia hoc arduū & difficile eſt, & vires humanas excedit, neceſſarium eſt auxilium diuinum, quo ſolo legitimè certare, & ad brauium venire contingit. Sicut igitur qui in certamine aliquo publico certat, ſperat & contendit ſui certaminis labore atq; meritis, propoſitam palmam aſſequi: ita hic cōtendere oportet pro brauio cœleſti, quod ſoli curſui noſtro eſt tribuendum propter labores, bonam vitam & curſum ſecundum leges à Domino præfixas. Veniam autem peccatorum Deus pollicetur pœnitentibus in ſacramento baptiſmi & pœnitentiæ, & merè gratis. Sicuti igitur præſumptio & temeritas eſſet, expectare à Deo eorum remiſsionem ſine his ſacramētis, quando neceſsitas ea non excludit: ita temeraria eſt præſumptio ex Dei promiſsione & largitate expectare vitam æternā ſine merito operum noſtrorum & bonę vitæ. Quia tamen ex ſua benignitate & clementia Deus remittit nobis peccata ſine his ſacramentis, *Pſalm.* 31. quando neceſsitas ea excludit. (Tunc enim locum habet, Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti, etc.) hoc ipſum ſperare poſſumus, modò tamen animum habeamus confitendi, quando erit oportunitas. Ita & vitam æternam ex ſola Dei gratia & miſericordia peccator in extremis iam poſitus verè dolēs ſuper vita ſua damnabili, nulla meritorum (quæ nulla habet) habita ratione, ſperare poteſt, imò & debet, cum propoſito tamen operandi & eam merendi, hoc eſt, in ſtadio ad brauium currendi, ſi tempus & opportunitas Dei gratia ei contingat. Definitio autem ſuperius ex Magiſtro citata, ſcilicet, Spes eſt expectatio futuræ beatitudinis, veniens ex Dei gratia & meritis: ſolum pertinet ad ſpem, qualem per noſtræ peregrinationis curſum habere oportet, non autem ad ſpem in genere, ad quam nos frequenter hortantur ſcripturæ. Solum etiam definitur ſpes reſpectu obiecti ſui primarij. Non enim de ſola beatitudine, cuius ſolius meminit definitio, eſt ſpes Chriſtianorum, verùm etiam de omnibus ad eam *Galat.* 5. conducentibus. Ex fide, inquit Apoſt. Spem iuſtitiæ expectamus. Et alio loco, quamlibet promiſsionem euangelicam facit Apoſtol. Paulus ſpei noſtræ obiectum. Eratis, inquit, *Ephes.* 2. illo in tempore ſine Chriſto, alienati à conuerſione Iſrael, & hoſpites teſtamentorum promiſsionis ſpem non habentes. Item, Immobiles à ſpe Euangelij quod audiſtis. Nec *Coloſſ.* 1. tamen etiam generalis eſt definitio Magiſtri, reſpectu primarij obiecti. Eſt enim ſpei ad quam ſcriptura fideles hortatur, eſſentiale & de eius ratione, quòd nitatur auxilio gratiæ Dei in genere. Quòd verò auxilietur Deus in dirigendo per opera bona ad ſalutem, & hoc toto curſu & certamine noſtro, vel aliter largiatur quod promittit, eſt extra rationem ſpei, magisq́; pertinet ad ſpei perfectionem & imperfectionem. Nam B. Tho. *1.2. qu.* 65. Actus ſpei, inquit, eſt expectare futuram beatitudinem à Deo, qui quidem actus perfectus eſt, ſi fiat ex meritis quæ quis habet. Si autem ſit expectatio ex meritis quæ nondum habet, ſed proponit in futurum acquirere, erit actus ſpei imperfectus, & quidem imperfectiſsimus, ſi merendi nulla ſupereſt facultas. Vnde patet quod hæc Magiſtri definitio ſolum eſt de ſpe, vt reſpicit obiectum primarium, nec tamen vt ipſum vniuerſaliter reſpicit, ſed ſolum ſecundum actum eius perfectum, qui conſiderat vitam æternam tanquam glorioſam coronam & eximium brauium fidelibus propoſitum, non tamen apprehendendum, niſi per certaminis laborem & merita. Patet præterea quod de ratione ſpei theologicæ non eſt, vt per merita apprehendamus id quod Deus nobis largiri conſtituit, ſed vt in genere apprehendamus per media quæ ordinauit, vel mere liberaliter & gratioſè. Per quæ ma- *Reſpōſio ad difficultates.* nifeſta fit reſponſio ad difficultatès quæ hic proponi ſolent: primum de latrone, qui nulla prorſus bona merita habebat, & ſperauit futuram beatitudinem ex ſola miſericordia & gratia Dei. De baptizatis, qui ſtatim à baptiſmo moriuntur: & his quos in fine vitæ primum pœnitet ſcelerum ſuorum. Secundò de iuſto habente merita bonorum operum, qui ad ea non reſpiciens, expectare poteſt futuram beatitudinem cultoribus Dei promiſſam, ex ſola gratia & bonitate Dei. Item, eam expectare poteſt, tanquam filius & hæres Dei patris, quaſi ex iure adoptionis.

Ad primā enim aperta eſt reſponſio, quod expectatio futuræ beatitudinis non eſt ex meritis, neque pro curſu viſæ præſentis, niſi quando operandi tempus & oportunitas adeſt, non autem quando deeſt. Non enim merita requirit vniuerſaliter expectatio etiam beatitudinis: ſed iuſtus expectare debet ſalutem virtualiter, beatitudinem per media quæ conſtituit dominus, vt ad eam perueniamus. Quare in curſu huius vitę eam expectare ex ſola Dei gratia nō licet, ſed ex ſola filiorum adoptione: propter quod dicit Apoſt. Si autem filij, & hæredes, &c. ſi tamen

compati-

pter veſtram gloriam fratres. Hinc iterum dicit, Ob quam cauſam hæc patior, ſed non confundor. Scio enim cui credidi, & certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem. Sancti igitur viri quot labores nunc veritati cõmendantes exhibent, tot iam remunerationis ſuæ pignora intra ſpei cubiculũ clauſa tenent. Adducit & alias ſcripturæ authoritates: item beatum Ambroſium, Hieronymum, & Anſelmum, quibus probatur ſpem æternæ beatitudinis peruenire ex ſanctis operibus. Idem docet & beatus Auguſtinus. Et eſt aperta ſententia Ioannis Apoſtoli, cùm dicit, quòd in hoc perfecta eſt charitas nobiſcum, vt fiduciam habeamus in die iudicij: quia ſicut ille eſt & nos ſumus. Poteſt etiam ex dictis facilè intelligi, qua fiducia opus ſit in noſtris orationibus. Debemus enim in fide poſtulare ſapientiam, nihil in ea hæſitando. Item qua fiducia ſuſcipienda eſt ſacra Euchariſtia & reliqua Eccleſiæ ſacramẽta, ea nimirum, quòd etiam effectus eorum ſuſcipiemus. An etiam eadem fiducia orandi ſint ſancti, qua orandus eſt nobis Deus pater, dicemus circa articulũ 27. Quòd autem liceat modo quodam ſperare & confidere in operibus bonis, ſicut mercenarius ſperat in ſuo labore cui merces debetur, & in ſemine iacto in terram agricola, quòd meſſem ex eo aliquãdo colliget, paſsim teſtantur ſcripturæ ſacræ. Nam iuxta ſententiam Apoſtoli Pauli, Qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem, qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Et beatus Iacobus. Ecce, inquit, agricola expectat precioſum fructũ terræ, patienter ferens, donec accipiat ſerotinum & temporaneũ. Patientes igitur eſtote & vos: Ecce, iudex ante ianuam aſsiſtit. Rurſus, Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt reddere vnicuique ſecundum opera ſua. De quo multa diximus in articulo ſuperiore, reſpondentes catechiſmo Ioannis Brentij. Prolixè etiam docet quomodo in operibus bonis fidendum eſt in libro de hæreticis Reuerend. Pater Alfonſus de Caſtro: & Venerab. Pater Andreas de Vega in explicatio. Decreti Concilij Tridentini de iuſtificatione: Et beatus Thomas. Vnde facilè reſponderi poteſt ijs quæ Martinus Lutherus obijcit contra definitionem ſpei, in eo quòd dicitur eſſe expectatio æternæ beatitudinis ex meritis proueniens. Addam hic ſententias B. Chryſoſt. qui explicans reſponſum Saluatoris ad filios Zebedæi, Sedere autem à dexteris & à ſiniſtris, nõ eſt meum dare vobis, ſed quibus paratũ eſt à patre meo. Quibus, inquit, paratum eſt? Illis videlicet, qui fulgentiſsimis operibus euaſuri ſunt, non eſt meum id dare, ſed quibus labore & ſudore præparatum eſt. Vndique illos compellebat, in gratia Dei primum, deinde in laboribus proprijs omnem ſalutem & gloriæ ſpem reponere: ideò dixit, Quibus paratum eſt. Nam ſi alijs præſtantiores videbuntur, ſi excellentiora quàm vos opera facturi ſunt, quomodo illis expulſis vos locum illorum occupabitis? Et alibi, Vnuſquiſque noſtrum nulla in re alia ſpem ſuã, niſi poſt Dei miſericordiam, in morum ſanctitate conſtituat. Itẽ, In nullo alio niſi in ſolis ſuijpſius virtutibus poſt diuinam gratiam de ſalute cuipiam ſperandum eſt. Et manifeſta eſt ſententia Pauli, Patientia probationem, probatio autem ſpem operatur: & beatus Ioannes, Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum, Et quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius cuſtodimus. De hac autem confidentia in operibus, docet & Sapiens, in timore Domini eſto, & habebis ſpem. Et Thobias, Fiducia, inquit, magna erit coram Deo Eleemoſyna omnibus facietibus eam. Hinc memorabilis eſt ſententia ſancti Hilarionis Abbatis, qui moriturus, authore Hieronymo, ad animam ſuam timentem dixit. Egredere ô anima mea, quid times? Nonaginta tribus annis Chriſto ſeruiuiſti, & mori times? Item Eſaias rex Iuda moriturus, orauit Dominum dicens, Obſecro Domine momẽto, quæſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum eſt coram te fecerim. Et nouit Cicero Philoſophus ille gentilis, quòd iucundiſsima eſt recordatio, maxime morituro, conſcientia benè actæ vitæ. Sicut autem in operibus confidere licet, eadem ratione & gloriari licet, modò in Domino & in operibus tanquam ex Deo factis, gloriemur.

2. Tim. 1. — *Lib 1. de doctrin. Christ. cap. 37. & 40. & in præfat.* — *Psalm. 31.* — *Ephes. 6.* — *Cap. 3.* — *Apoc vlt.* — *Fol. 48.* — *2 2. quæst. 17. art. 4. et 25. articu. 1. ad 3.* — *In operatiõe circa Psal 5.* — *Hom. 66. in Matthæum.* — *Hom 5. in Matth.* — *Hom. 20. in Ioann. & homil 2. in Matth.* — *Rom. 5.* — *Prouerb. 10. & 23.* — *Cap. 4* — *In vita Hilarionis.* — *4. Reg. 39.*

HIC aduertendũ non heri aut nudiuſtertius natum eſſe, ſed iam olim antiquum ſupereſſe errorem, quòd videlicet nõ poſſumus ex noſtris operibus vitã æternam tanquam mercedem à Domino expectare. Quam hæreſim per Malachiã prophetam in Iudæis reprehendit Dominus. Dixiſtis, ait Dominus, Quid loquuti ſumus contra te? Dixiſtis, Vanus eſt qui ſeruit Deo, & quod emolumentum, quia cuſtodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus triſtes coram Domino exercituum? Conuertimini & videbitis quid ſit inter iuſtũ & impiũ, & inter ſeruientem Deo, & non ſeruientem ei. Et apud Hierem. dicit Dominus in conſolationem Rachel plorãtis, Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis, quia eſt merces operi tuo. Sed alio ex fonte noſtri aduerſarij errorem hunc peſtilentem hauriunt & exuſcitant. Docent enim opera noſtra impura & peccata eſſe, & ideo apud Deum abominabilia. Ex quo conſequens eſt, quòd operibus ſuis nemo fidere, vt mercedem à Deo pro eis expectare poſsit. Nam totam ſalutis ſpem in ſola fide collocant, qua omnia Dei dona apprehendunt. Deumque omnia conferre putant nullo operum habito reſpectu, quum ſcriptura tota reclamet, quòd Deus vnicuique iuxta opera ſua retribuet. Et Apoſtolus Paulus articulum fidei, ſine quo nõ contingit ad Deum accedere, eſſe docet, quòd inquirentibus ſe Deus ſit remunerator.

Cap. 3. — *Cap. 13.*

In inſtitut. cap.5.19. et 30. Seſſ.6. IOannes Caluinus conatur ꝓbare ex ſcripturis primò certitudinem gratiæ & remiſsionis peccatorum, deinde certitudinem futuræ ſalutis, electionis atque prædeſtinationis noſtræ æternæ. Nam in Antidoto contra caput decimum de iuſtificatione, ita ſcribit.

Caluinus. *Cap. 10. in vanum, vt ipſi patres iactant, hæreticorum fiduciam inuehumur, ea autem eſt ſecundum eorum definitionem, dum certò ſtatuimus nobis remiſſa eſſe peccata, in eaque certitudine acquieſcimus.*

Reſponſio. Matth. 9. Rectè patres hoc definiunt, quoniam nullum eſt Dei verbum, quo vnicuique annunciatur, peccata tibi eſſe remiſſa. Non enim alicui noſtrum dicitur quod paralytico dictum eſt, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Acquieſcimus tamen & tranquillo, ac pacato ſumus animo poſt ſuſceptum ſacramentum pœnitentiæ, certa fiducia & indubitata perſuaſione, quæ formidinem & metum non excludunt. De propitiatu peccatorum ait ſcriptura, Noli eſſe ſine metu.

Caluinus. *Verùm ſi hæreticum facit talis certitudo, vbi erit fœlicitas quam Dauid prædicat? Imò vbi erit pax illa, de qua Paulus concionatur, 5. ad Roman. cap. ſi alibi quàm in ſola Dei beneuolentia acquieſcimus? Vnde porrò Deum habemus propitium, niſi quia non intrat nobiſcum in iudicium?*

Reſponſio. Rom. 4. Dauid nullius certitudinis meminit, Beati, inquit, quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Et beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. Item capitulo ſequenti, Iuſtificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum: ſiue vt Græci codices habēt, Pacem habemus. Quam lectionem interpretatur Ambroſius & ſequuntur Ioann. Caluinus & Philippus, Chryſoſto. autem & Theophylactus legunt, Habeamus. Et ſenſus ſecundum aduerſarios eſt, Hactenus oſtendi omnes abſq; fide Chriſti ſub peccato & ira Dei eſſe, & peccati reatum aboleri, & iram Dei euitari per fidem. Iuſtificati ergo, id eſt iuſtitiam fidei conſecuti, pacem habeamus, hoc eſt animo ſimus tranquillo, non timeamus anxij & irrequieti damnationem. Chryſoſtomus autem & Theophylactus aliter interpretantur, videlicet. Cùm iam ſemel per fidem ſumus iuſtificati, ne amplius peccemus, verum pacem conſeruemus cum Deo, in iuſtitia ſemel accepta perſiſtentes. Iuxta lectionem Ambroſij (quam valdè vrgent aduerſarij, & pacem interpretantur conſciētiam prorſus ſecurā) ſenſus eſt, Pacem habemus ad Deum, hoc eſt, Deum nobis habemus placatum & reconciliatum, qui priùs propter peccata nobis erat infenſus. Ait enim Ambroſi. Fides nos Deo reconciliat ſublatis peccatis, quæ nos Deo fecerant inimicos. Hoc modo intellecta ſententia Apoſtoli, vt pax ſit reconciliatio inimicitiæ, nihil facit pro aduerſarijs. Similis locus eſt apud Ioānem, Hæc locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis, Rurſum in Actis. Eccleſia per totam Iudæam & Galilæam & Samariā pacem habebat, hoc eſt tranquillè viuebat. Vbi exhortatur Paulus ad tranquillitatem ſpei & fiduciæ. *Cap.19. Cap 9.* Reſpondemus igitur Caluino quòd pax illa de qua Paulus concionatur, eſt reconciliatio patris, nō certitudo infallibilis de peccatorum remiſsione. Ex fide enim iuſtificati Deum habemus placatum, & in ſola eius beneuolētia acquieſcimus, ſed non ſine formidine, ob cordis noſtri profunditatem. Nam ſicut ait B. Iob. Si ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea. Vbi B. Gregorius, Plerumque ſi ſcimus bona quæ agimus, ſuperbim⁹: ſi ignoramus, gratias non agimus. Aliud non reſtat, niſi vt ſciendo ignoremus, & ignorando ſciamus. Quod ipſum alio loco etiam dicit de virtutibus. Et ideo Deum habemus propitiū, imò & patrē ex eo quod aſpiciat in faciem Chriſti ſui, qui victimam in cruce ſe ei obtulit, vt noſtris peccatis ꝓpitietur. Quapropter nec amplius intrat iudiciū cum ſeruis ſuis. Sed quid hęc faciunt ad remiſsionis peccatorum omnimodā certitudinem? Poteſt enim Deus nobis eſſe propitius, & in iudicium nolle nobiſcum intrare, vt tamen hoc ipſum nos ignoremus. *Circ. Pſal. 50.* Nam ſecundū ſententiam B. Auguſt. inter occulta & incerta ſapientiæ Dei, quę ſibi reuelata dicit, remiſsio peccatorum cenſetur, dum ait Propheta, Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Caluinus. *Fatentur nunquàm niſi gratis remitti peccata propter Chriſtum, ſed hic in ſuſpenſo relinquunt, quibus et quando remittantur, dum omnes conſcientias tranquilla fiducia ſpoliant. Vbi igitur audacia illa, de qua alibi docet Paulus, & acceſſus cum fiducia ad patrem per fidem Chriſti? Non contentus fiduciæ nomine, audacia nos inſtruit, qua certè plus quidquam eſt quàm certitudo. Quid etiam quod certitudinis vocem aliquoties vſurpat? neque alibi eam fundat, quàm in ſola gratuiti Dei amoris perſuaſione. Imò omnem verā Dei inuocationem iſti auertunt, cum piorū animos trepidatione ſuſpendūt, qua ſola nobis ianuam præcludit. Qui hæſitat, inquit Iacob. ſimilis eſt fluctui maris qui à vento circūfertur. Non ergo exiſtimem tales ſe quicquam impetraturos à Domino. Sed qui vult exorare, nihil hæſitet, Notanda eſt Antitheſis inter fidem & hæſitationem. Vnde colligere promptum eſt fidem deſtrui ſimul ac tollitur certitudo.*

Reſponſio. Non in ſuſpenſo relinquimus quibus & quando peccata remittātur. Docemus enim omnibus qui de commiſsis peccatis dolent cum propoſito non peccandi in poſterū, per ſacramētum baptiſmi & pœnitentiæ peccata remitti, in hoc conſcientiæ noſtræ tranquilla fiducia nos pacante: Et quidem ratione multò iuſtiore quàm veſtra fide cōſcientiæ veſtræ. Solum enim perſuadetis remiſſa eſſe peccata ea fide quā nō certò nouiſtis eſſe fidem. Propter abditiſsimos enim vanitatis receſſus, qui ipſummet hominem latent, ignorantis an fides veſtra radices fixerit & has viuas, vt euelli nequeat, qua tamen ſola docetis peccatorum remiſsionem apprehendi. Tot, inquit Caluin. vanitatis receſſus habet,

tot mendacij latebris ſcatet cor humanum, tam fraudulenta hypocriſi obtectum eſt, vt ſeipſum ſæpè fallat, & fidem habere credat quam non habet. Et audacia de qua Apoſtolus atque acceſſus cum fiducia ad patrem, & per fidem Chriſti & promiſsionem eius, in-
Ioann.14. ter quas eſt, Quicquid petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam: non autem eſt ex certa & infallibili credulitate & aſsēſu: Vel vt alij interpretantur, Hæc fiducia eſt qua animus nihil malorū ſibi conſcius & Chriſto fretus, audet ſibi polliceri amicitiā cum
1.Ioan.3. Deo. De qua apud Ioannem. Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo. Facit autem hæc fiducia ſumma quæque magno animo ſperare, excutit ſcrupulos omnes & lætū ſubminiſtrat ſpiritum. Atque intelligunt hunc acceſſum quaſi aditum ad principem, de quo cap. præcedenti. Per ipſum habemus acceſſum ambo in vno ſpiritu ad patrem: ad mores principum alludens, ad quos non niſi per alium patet ac-
Epheſ.3. ceſſus. Ad hūc modum ad Deum patrem adducimur per filium, duce ſpiritu. Hinc Oecumenius, Per quem habemus libertatē (ita enim legit) Sumus, inquit, per Chriſtum ad patrem educti, non tanquam captiui, neque tanquam rei veniam peccatorum accepturi, ſed cum libertate, imò cum audacia & confidentia. Nam qui nos proprio ſanguine ſanctificauit, confidentes adduxit deinceps, vt accederēt per fidem ad ipſum. Sed hæc nihil faciunt ad infallibilem certitudinem cognitionis de remiſsione peccatorum, ad cuius tamen probationem hæc Caluinus adducit. Certitudinem autem ſpei & expectationis Articulus ipſe docet. Nec negamus certitudinis vocem vſurpare ſcripturam. Ait enim
Rom. 8. Apoſtol. Paulus, Certus ſum quia neq; mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate quæ eſt in Chriſto Ieſu. Sed nos, inquit Chryſoſtomus, hæc dicere nō poſſumus qui tantam charitatem non habeamus, intelligens charitatem Dei, non quam gerit erga nos, ſed noſtrum erga Deum amorem:
De grat. & lib. arbit. cap.17. ſicut & Auguſtinus, & beatus Ambroſius in comm. huius loci. Dilectionem firmi Chriſtiani, inquit Ambroſius, nulla vincunt tormenta. Amantis enim magis irritatur charitas, cū amare prohibetur. Item beatus Hie-
Quæſt.9. ronymus in quæſt. ad Algaſiam, ſimiliter intelligit charitatem qua ſumus erga Chriſtū. Non igitur Apoſtolus hæc dicēs, fundat certitudinem in ſola gratuiti amoris, quo erga nos eſt Deus, perſuaſione, vt hic dicit Ioannes Caluinus, ſed in firma noſtra erga Deum dilectione. Eandem Apoſtoli ſentētiam ex-
Serm. de duplici baptiſmo. plicans beatus Bernardus, Multa, inquit, ponit hic Apoſtolus, non tamen adijcit, Neque noſmetipſi: nulla nos creatura auellere poteſt, ſoli nos id deſerere poſſumus propria voluntate. Multa præcedenti articulo dicta ſunt de hac Apoſtoli ſententia. Nec piorum animos trepidatione ſuſpendit noſtra doctrina, imò tradit certam & indubitatam habēdam eſſe fiduciam obtinendi quicquid à Deo deſideramus. Nec euertit veram Dei inuocationem, quemadmodum putat Ioannes Caluinus. Nam verè Dominum inuocauit Publicanus Euangelicus, quamuis perſuaſus eſſet ſibi peccata nondum eſſe remiſſa. Et fides quam requirit ratio, nō eſt de remiſsione peccatorum, neque etiam de impetratione eius quod petimus, ſed de promiſsione & Dei bona erga nos voluntate. Quod ſignificat beatus Iacobus quando dicit, Poſtulet in fide nihil hæſitans, vbi intel- Cap.1.
ligit fidem promiſsionum, miſericordiæ & potentiæ Dei, atque ſingularis prouidentiæ & curæ quā habet de vobis, in omnibus quæ ſunt neceſſaria, volens nobis prouidere: In hac fide nihil eſt hæſitandum. De impetratione verò eius quod petimus formidare licet, eò quòd multis modis impediri poteſt, tum propter noſtram indiſpoſitionem, tum in petendo defectus, quia videlicet non ſatis humiliter, confidenter & qua decet reuerentia oramus, atque cum Deo loquimur. Timere enim poſſumus ne noſtra propterea repellatur oratio, nec ad Deum aſcendere poſsit, tum quia non eſt ſalutare quod petitur, tum quia in orando non adeſt perſeuerantia. Apud B. Iacobum hæſitatio magis affectum & eius fiduciam reſpicit quàm cognitionem. Certa namque fiducia expectanda ſunt, nō fidei infallibili cognitione, quæ à Deo petimus. Nam Venerabilis Beda hunc eundem locum interpretatur. Poſtulet autem in fide nihil hæſitās, id eſt, inquit, talem ſe exhibeat benè viuendo, vt dignus ſit exaudiri dum poſtulat. Qui enim meminit ſe Domini non obtemperaſſe præceptis, meritò deſperat Dominum ſuis intendere precibus. Nam beatus Ioannes dicit, Si cor no- 1.Ioan.3.
ſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo. Qui enim hæſitat, hoc eſt, inquit, qui mordente ſe conſcientia peccati, hæſitat de perceptione pręmiorū cęleſtium, ſimilis eſt fluctui maris & ad flatum vēti per diuerſos vitiorum rapta tur errores. Et ſicut notandum dicit Caluinus Antitheſim inter fidem & hæſitationem, ita obſeruādum alia eſſe eorum obiecta, vt declarant patres Concilij in 5. cap. de iuſtificatione. Sicut nemo Seſ.6.cap.9.
pius, inquiunt, de Dei miſericordia & ſacramentorum efficacia dubitare debet, ſic quilibet dum ſeipſum ſuamque propriam indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare ac timere poteſt.

Sed quò melius tota eorum Theologia pateſiat Caluinus.
lectoribus, expendant quæ in eodem capite ſequūtur verba. Sed neque illud aſſerendum, oportet eos qui verè iuſtificati ſunt, abſque dubitatione apud ſeipſos ſtatuere ſe eſſe iuſtificatos. Si ita eſt, videant qua ratione conciliari queat Plerophoria, cum dubitatione. Illam enim Paulus fidei perpetuam facit comitem. Taceo quod inſtar a-

xiomatis hic ponunt, quod Paulus pro ingenti abſurdo ducit, Si ex lege eſt hæreditas, exinanita eſt fides. Fidei nullam fore certitudinem argumẽtatur, ſi operibus nitatur ſalus hominum. Non dubitat hoc pro abſurdiſſimo in medium proferre & meritò, cùm mox abolitam quoque eſſe promiſſionem inde colligat. Pudet autem me quaſi de re ambigua contendere cum ijs qui ſe Chriſtianos appellant.

Reſponſio.

Verè aiunt patres illud non eſſe aſſerendum. Nam B. Paulus nihil ſibi cõſcius, in hoc tamen dicit ſe non iuſtificatum. Et B Iob, Si venerit, inquit, ad me, non videbo eum, etiam ſi ſimplex fuero hoc ipſum ignorabit anima mea. De nomine autem Plerophoria, multa diximus in ſuperioribus. Confitemur quòd certitudo nequeat conciliari cum dubitatione circa idem obiectum, ſed dubitatio hic eſt de peculiari ſui iuſtificatione, de qua non poteſt eſſe fides, quòd videlicet ſum iuſtificatus, niſi verè pœnitẽs ſuſceperim ſacramentum pœnitentiæ. Sicut autem oſtendimus ex Auguſtino Ioannem Brentium habuiſſe falſum intellectum Apoſtoli Pauli agentis de operibus legis: ita hic fallitur Ioã. Caluinus, per opera legis intelligens opera etiam fidei & gratiæ, quæ per ſpiritum ſuum Chriſtus in nobis operatur. Si enim ex lege & eius operibꝰ eſſet hæreditas, nulla eſſet eius certitudo, ſed exinanita fide, noſtris operibus quæ ex lege ſunt, ſalus noſtra niteretur. Pertinet autem tota hæc Apoſtoli ſententia ad eos, qui carent ſpiritu gratiæ, quo carnalis peccati libido ſuperatur. Ad eum, inquit OEcumenius, qui legi hæret tanquam ſaluum facienti, & ſalutem quæ per fidem eſt negligit. Nam intellectus verus huius loci eſt, Non enim per legem promiſsio Abrahæ aut ſemini eius, vt hæres eſſet mundi, ſed per iuſtitiam fidei, hoc eſt, facta non eſt hæc promiſsio quaſi præſtanda & implenda per legem, non requirit legis obſeruationem tanquam conditionem & cauſam per quam impleatur, ſed ex fide dependet. Atque hoc eſt quod dicitur, Sed per iuſtitiam fidei, id eſt, quæ hoc ipſo præſtaretur, quod credentes aſſequerentur iuſtitiam per fidem. Si enim qui ex lege, hoc eſt, qui legis ſunt obſeruatores, hęredes ſũt promiſsionum, & ad Abrahæ promiſsionem pertinent, res ſequitur abſurda, quòd fides ſit res nihili, & ꝙ promiſsio in totum careat effectu, quia lex iram operatur. Adeo enim lex eos quibus data eſt dignos non facit, qui hæreditatem accipiant promiſſam Abrahæ, vt eos magis obnoxios reddat vindictæ diuinæ, dum per literam iubendo, & non per ſpiritum adiuuando auget peccatum. Et cùm Apoſt. Paulus in genere loquatur de fide promiſsionis factæ ad Abraham, ex eo probari non poteſt, quòd quiſque credere debeat ſe eſſe iuſtificatũ. Optimè hunc locum explicat aduerſus Mat. Luth. Richardus, Smitheus, in ſua Diatriba de hominis iuſtificatione.

Cap. 9.

Caluinus.

Clara eſt ſcriptura doctrina, Scimus, inquit Ioan. nos eſſe filios Dei. Et poſtea vnde hæc ſententia naſcatur exponit, nempe ex ſpiritu quem dedit nobis: ſicut & Paulus admonet, non mundi ſpiritum nos accepiſſe, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis. Alibi etiam expreſſimus, Non accepimus iterum ſpiritum ſeruitutis, in timorẽ, ſed adoptionis ſpiritũ in quo clamamus Abba pater. Hinc acceſſus ille cũ fiducia, cuius paulò ante meminimus.

1 Ioan. 3. 1. Cor. 2. Rom. 4.

Reſponſio.

Certum eſt in verbis Beati Ioannis, Scire, non accipi propriè, ſed dici notitiam certam quæ naſcitur ex bono amoris affectu, quo ſumus erga Deum quaſi filij erga patrem. Naſcitur enim vt eodẽ loco docet Beatus Ioannes, ex eo quòd cor noſtrum nos non reprehendit, & mandata Dei ſeruamus. Qui ſeruat, inquit, mandata eius, in illo manet, & ipſe in eo. Et in hoc ſcimus quoniam manet in nobis: Atque ita conditionalis eſt hæc ſententia beati Ioannis. Si ſeruamus, inquit Beda, charitatem, manet in nobis. Se autem interpretari videtur Ioannes quòd Scire, intelligat fidem aut fiduciam habere, in hac epiſtola quando dicit, Hæc ſcribo vobis vt ſciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine filij Dei. Subiunxit. Et hæc eſt fiducia quam habemus ad Deum, quia quodcunque petierimus ſecundum voluntatem eius, audit nos, & ſcimus quia audit nos quicquid petierimus. Scimus quòd habemus petitiones quas poſtulamus ab eo. Certum eſt Scire hic eſſe fidere vel notitiam habere, quæ certam fiduciam quam de Deo tanquam de patre habemus, conſequitur. Et ſicut Chryſoſtomus dicit de ſententia Apoſtoli, Certus ſum quia neque mors neque vita, &c. quod magna dicit Apoſtolus, quodque nos illa non agnoſcimus, quãdoquidem tantam dilectionem non habemus. Item Theophilactus quod ſpiritu ceu arreptus, ſic fatur Paulus. Quis nos ſeparabit, &c. Ita hic B. Ioannes fortaſsis de ſe & ſibi in amore Dei ſimilibus loquitur. Non enim leuis momenti eſt, vt dicit Sanctus Baſilius, quòd aliquis de ſe ipſo teſtificetur, & dicat, ſpiritus ſanctus eſt in me, & per gratiam illius ſapiens factus refero gloriam. Nam hæc vox Paulum decet, Videor & ego, inquit, ſpiritum Dei habere. Eſt autẽ obſeruandum circa has ſententias beati Ioannis, quòd ſcientia de qua loquitur, non à ſola fide pendet, ſed potiſsimum ab obſeruatione mandatorũ Dei. In hoc, inquit, ſcimus quoniam cognouimus eum, ſi mandata eius obſeruamus. Et Rurſus, Qui ſeruat verbum eius, verè in hoc Charitas Dei perfecta eſt. In hoc ſcimus quoniã in ipſo ſumus, hoc eſt, cognoſcimus hoc veluti experimento, quòd in illius corpore ſumus, quòd illius ſpiritũ hauſimus. Scientia ergo iſta nititur diuini ſermonis obſeruatione, non fide. Vnde conſequitur falſiſsimum eſſe axioma illud Caluini quod ſæpe repetit, incertam fore iuſtificationem ac ſalutem, ſi penderet ex operibus.

1. Ioan. 3. 1. Ioan. 5. Rom. 8. De ſpiritu ſanct. c. 26. 1. Ioan. 2.

ribus.

ribus, ad quæ per totam epiſtolam ſuã ſalutem noſtram refert Ioannes. Naſcitur autem hæc ſcientia, de qua paulò ſuprà, ex ſpiritu quem Deus dedit nobis, ſed per obſeruationem mandatorum quam ſpiritus operatur.
1. Cor. 2. Ad ſententiam autem Apoſtoli Pauli, Nos non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis, reſpondet B. Thomas (1.2 quæ 112. art. 5.) quòd Apoſtolus loquitur de bonis gloriæ quæ ſunt nobis data in ſpe, quæ certiſsimè cognoſcimus in fide, licet non cognoſcamus per certitudinem nos habere gratiam, per quam poſsimus ea promereri. Præcedit enim, Quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendunt, quæ præparauit Deus his qui diligunt illum. Vel inquit, loquitur de notitia priuilegiata q̃ eſt per reuelationem: vnde ſubdit, Nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum. Et Beatus Auguſtinus (Tracta. 83. in Ioannem.) intelligit dona in genere quæ à domino accipimus, ſed quaſi Dei dona agnoſcimus. Multi, inquit, Dei dona habent, ſed non colunt eum à quo habent, nec eorum agnoſcunt largitorem. Et OEcumenius, Spiritum, Dei, inquit, accipimus, vt ſciamus quæ nobis donata ſint à Deo, hoc eſt, quæ diſpenſatiuè facta ſunt à Chriſto. Similiter loquitur Theophylactus, Clamamus quoq; in ſpiritu, Abba pater, ſed non ex infallibili fide vel ſcientia quòd filij Dei ſumus, ſed ex certa fiducia qua audacter ad ipſum tãquam ad patrem accedimus.

Caluinus. *Et ſanè totam fidei naturam ignorant, qui eam dubitatione miſcent. Si dubitaret Paulus, non auderet morti & inferis inſultare, quemadmodum facit ad Romanos octauo, vbi ſe tam certum eſſe iactat de amore Dei, vt nihil eum ab iſta perſuaſione dimouere queat. Non auderet cap. quinto gloriari ſuper ſpe gloriæ Dei, quod ex eius verbis liquidò apparet. Cauſam enim aſſignat, quòd charitas Dei in corda noſtra diffuſa ſit p̄ ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Quo ſignificat conſcientiam noſtram teſtimonio ſpiritus ſancti ac quieſcentem, intrepidè apud Deum de ſpe æternæ ſalutis gloriari.*

Reſponſio. Non miſcemus fidem dubitatione, ſed diſcernimus quid fidei, quid ſpei, & quid ſit præſumptionis humanæ. Nec dubitat B. Paulus, quòd nemo eum auellere poteſt, à charitate Dei, ſed de eo certiſsimè confidit, & hac fiducia, atque parato Dei auxilio, quod ſibi nunquam deeſſe experiebatur, inſultare audet & morti & inferis. Qui etiam ſe certum dicit, quod nihil ipſum ſeparare poterit à charitate Dei. Sed diximus hoc peculiare fuiſſe in Paulo, propter ardentem in Chriſtũ amorem. Ipſe tamen hanc charitatem arbitrij ſui libertate (vt ait B. Bernardus) deſerere potuit, ſicut deſerunt multi. Expoſtulatur enim cum Angelo Epheſino (Apoca. 2.), quòd primam ſuam charitatem reliquerit. Et verum non eſt, quòd huius ſuæ gloriationis cauſam aſſignet, quod charitas Dei in corda noſtra ſit diffuſa. Hanc enim dicit cauſam, quòd ſpes non confundat, clariſsimè docens ſpem noſtram magna ex parte pendere ab operibus patientiæ. Gloriamur, inquit, in tribulationibus, ſcimus quòd tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio autem ſpem, ſpes autem non confundit, & cætera. Rom. 5.

Caluinus. *Videtur autem ſibi quibuſlibet obiectis ingenio ſè occurrere, cum de Chriſti gratia generalem perſuaſionem commendant. Prohibent ne quis dubitet de efficatia mortis Chriſti, Sed vbinã locari volunt in aere, vt confuſa tantum ſit imaginatio. Nemini enim permittunt ſibi gratiam firma certitudine fidei applicare, quaſi de nihilo deſtinetur nobis iſta promiſsiones, Ecce Rex tuus venit. Vos hæredes eſtis promiſsioni, Complacuit patri in te. Iuſtitia Dei in omnes, & ſuper omnes qui credũt.* Matt. 2. Zach. 9. Act. Luca. 12. Rom. 3.

DIximus fidem reſpicere in vnicum verbum Dei, & reſpuere quicquid ei vel additur, vel adimitur. Generales autem ſunt ſcripturarum promiſsiones, nec ſingulos reſpiciunt, niſi in quibus locum habet generalitas. Quare patres concilij rectè non permittunt vt aliquis ſibi firma certitudine applicet, quod de eo non dicitur niſi in genere Et incerta eſt ac fidei impertinens propoſitio ſubſumpta, ꝙ hic verè credit, aut verè pœnitet. Atq; hanc fidẽ generalẽ vt generale eſt verbum Dei, locamus non in aere, vt ludit Caluinus, ſed in mentibus eorum, qui ſe in obſequium fidei captiuant. Quid precor propoſito huic cõducit, quòd quiſq; ꝓpterea credere debet ſe eſſe in gratia Dei, quia ſcriptura dicit, Ecce rex tuus venit, &c. (Mat. 21. Zach. 9.) cum B. Ioannes teſtetur (Cap. 1.), quod in propria venit, & ſui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Item in genere dicitur Iudæis (Act. 2. & 3.), Vos eſtis hæredes promiſsionis, vos eſtis filij prophetarum & teſtamenti, vobis eſt repromiſsio & filijs veſtris, & omnibus qui longè ſunt, Sed additur, Quoſcunque aduocauerit dominus Deus noſter. Et complacuit patri in grege puſillo (Luca. 12.), & Apoſtolorum ſuorum & ſequacium, hoc eſt, in Eccleſia ſponſa ſua. Rurſus, Iuſtitia Dei in omnes, & ſuper omnes qui credunt (Rom. 3.), fide ſcilicet viua per ſpiritum charitatis. Sed quis eſt obſecro qui certo nouit ſe pertinere ad gregem iſtum electorum, & de verè credẽtium numero eſſe?

Caluinus. *Sanè ſi concedam fide nos percipere, quod Deus offert, nõ ita mihi & alijs proponitur Chriſtus, vt tãtùm credamus Abrahæ fuiſſe redemptorem, ſed vt quiſq; ſibi propriam quæ ab ipſo parta eſt, ſalutem faciat. Et cuius obſecro improbitatis eſt id aſſerere? Nemo ſcire fidei certitudine poteſt ſe gratiam Dei conſecutum. Paulus & Ioannes inter Dei filios non agnoſcunt, niſi qui id ſciunt. De qua ſcientia id interpretabimur, niſi quam ſpiritus ſancti magiſterio didicerint? Præclare enim*

Serm. 5 de dedic eccle. *Bernardus, Fidem nobis hic ſubuenire neceſſe eſt, hic oportet ſuccurrere veritatem, vt quod de nobis latet in corde patris per ſpiritum reueletur, & ſpiritus perſuadeat cordibus noſtris, quòd filij Dei ſumus, perſuadeat autem vocãdo et iuſtificando gratis per fidem.*

Reſponſio. Legimus apud Apoſtolum Paulum, quòd Gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderũt iuſtitiam: iuſtitiam autem quæ ex fide eſt, Iſrael verò ſectando legem iuſtitiæ in legem iuſtitiæ non peruenit. Quare? *Rom 9.* Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus. Legimus etiam quòd vnus eſt Deus, qui iuſtificat circuncifionem ex fide & præputium per *Rom. 3.* fidem. Fide autem nos percipere iuſtitiam, & quicquid Deus offert, quaſi organo, nuſquam legitur in ſcripturis, ſed eſt forma ſermonis à noſtræ tempeſtatis hæreticis primũ introducta. Accipimus enim iuſtitiã & dona quæ Deus nobis largitur patiendo, vt creator ornet ſuum plaſma, ſicut paries ſuſcipit imagines de manu pictoris quibus ornatur: Et ſicut corpus animam ſuſcipit rationalem ſolùm patiendo, non ſe vel organum aliquod extendendo ad eius ſuſceptionem. Adulti tamen effectiuè ſe diſponunt, ſicut diſponitur ac præparatur corpus ad animæ ſuſceptionem. Ita enim cor mundum creat in nobis Deus, ſicut ex limo terræ formauit hominem: Præparatio autem ad iuſtitiam, hoc eſt, vitã animæ, fides eſt ac pœnitentia, ſed hæc propinquior. In paruulis verò nulla eſt præparatio præter Sacramenti ſuſceptionem, ad quam ſicut ſe habent merè paſſiuè, ita ad iuſtitiam & remiſsionem peccati. Nec aliter Deus ſua dona offert, quàm quia paratus eſt, diſpoſitis ea largiri, & electos ſuos ipſe præparat ad donorum quibus eorum ſalutem promouet ſuſceptionem. Et propriè loquendo fide aliquid apprehendere non aliud eſt quàm apprehendere notitia, ſicut cognitum apprehenditur à cognoſcente, & ab eo concipitur. Diſtinguunt enim philoſophi notitiam apprehenſiuã à iudiciaria: ſic cognitione apprehendimus auem quam in aere videmus volantem, quam tamen non ita manu tenemus, vt ea vti liceret. Obſcuri igitur ſermonis figura aduerſarij & ſe & alios ſimul fallunt, quando ſuadent nos certò accipere iuſtitiam & remiſsionem peccatorum, ob victimã quam Chriſtus patri obtulit, ſicut manu extenſa accipimus pomum oblatum, ſi tamen idipſum firmiter credamus. Verè offert & proponit Deus pater Chriſtum filium ſuum omnibus tanquam mediatorem & medicum animarum, vt vnuſquiſque propriam ſibi faciat ſalutem quæ ab ipſo parta eſt, non credendo tantum, ſed ex fide huius mediatoris de peccatis pœnitendo & ſuam operãdo ſa- *Philip. 2.* lutem. cum metu, inquit Apoſt. Paulus, & timore veſtram ſalutem operamini. Nuſquam ſcribitur, Fide veſtram ſalutem percipite. Et fidei certitudine nemo ſcire poteſt id quod non eſt loquutus Deus: me autem gratiam Dei aſſecutum eſſe nullum habet Dei verbum. De qua autem ſcientia loquantur Ioannes & Paulus Dei Apoſtoli, ipſi interpretantur. Nam diximus Ioannem aperte teſtari ſententiam de qua loquitur non pendere *1 Ioan 3.* à fide, ſed ab obſeruatione mandatorum. In hoc, inquit, ſcimus quòd ſeruamus mandata eius, quoniam manet in nobis de ſpiritu quem dedit nobis. Præcedit enim, Qui ſeruat mandata eius, in illo manet, & ipſe in eo. Et ideò ea ſcientia ſcimus quòd in nobis manet, quam didicimus ſpiritus ſancti magiſterio, hoc operum argumento & ſigno. Et beatus Ambroſius interpretatur hoc teſtimonium quod reddit ſpiritus ſanctus no- *In commen. ad Rom. 8.* ſtro ſpiritui, proficiſci & pendere à morum probitate. Ait enim, Dignam vitam huic voci, Abba pater, exhibeamus: & hoc eſt teſtimonium filiorum ſi in eos per ſpiritum videatur ſignum paternum. Et ideò ſicut hoc teſtimonium, ita nec ſcientia habere poteſt infallibilem iudicij certitudinem, ſed probabilem tantùm. eſt quidem ſecundum ſe certum & infallibile ſancti ſpiritus teſtimonium, ſed non nobis, niſi certò conſtiterit ab eo nobis proficiſci. Nec aliter ſe interpretatur B. Bernard. in loco quem citat Caluinus, Perſuadeat autem ſpiritus, ait ille, vocando & iuſtificãdo gratis per fidem, in quibus nimirum tranſitus quidam medius eſt ab æterna prædeſtinatione ad futurã magnificationem. Loquitur enim Bernar. de ſalute æterna & illius certitudine, non iuſtitiæ præſen- *Serm. 5. de dedic. eccleſ.* tis. Nam tractans reſponſum Saluatoris noſtri, Quis poterit ſaluus eſſe? ad interrogati- *Matth.* onem diſcipulorum. Apud homines hoc impoſsibile eſt, inquit, apud Deum omnia ſunt poſsibilia. Hæc tota fiducia noſtra, hæc tota ratio ſpei noſtræ. Sed de poſsibilitate iam certi de voluntate quid agimus, quis ſcit an amore ſit dignus an odio? Hic iam planè fidem nobis ſubuenire neceſſe eſt, prout ſuperius apud Caluinum: Neceſſe eſt, inquam, ſubuenire fidem bonæ volũtatis Dei, qua paratus eſt omnes ſaluos facere, & fidem mortis ac oblationis Chriſti. Clariſsimè autem docet Bernardus, quòd nulla eſt nobis futuræ ſalutis certitudo. Et in fine cuiuſdam ſer- *Serm. 1. de* monis, docens quomodo teſtimonium ha- *octaua Paſchæ.* bemus ab aqua, ſanguine & ſpiritu, eum dicit ab illis habere teſtimonium qui à peccatis continet, & eorum habet pœnitentiam: & nouum ſuperueniſſe ſpiritum conuerſatio noua certiſsimè teſtatur. A ſanguine, inquit, aqua, & ſpiritu habes teſtimonium, ſi contines à peccatis, ſi facis opera vitæ. Vbi notãdum eſt quòd non ad fidem, ſed ad opera omnem referat certitudinem B. Bernard. Ex quibus patet quis ſit intellectus verborũ quæ citari ſolent ex ſermone 1. de Annunci. Mariæ, Si credis peccata tua nõ poſſe deleri, niſi ab eo cui ſoli peccaſti, & in quem peccatum non cadit, benè facis. Sed adde adhuc vt hoc credas, quia per ipſum tibi peccata donantur. Hoc eſt teſtimonium quod perhibet in corde noſtro ſpiritus ſanctus, dicens, Dimiſſa

miſſa ſunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apoſtolus gratis iuſtificari hominem per fidem. Nam in hac B. Bernardi ſententia non malè Philippus intelligit, Credere, accipi pro fidere. vt ſenſus ſit: Adde adhuc vt hoc credas hoc eſt fidas, quia per ipſum & tibi peccata donantur. Interpretatur etiam ſeſe Bernardus, quòd tibi peccata donãtur, credas, ſi dignè pœnites, & vitam proponis meliorem. Si miſericordia & veritas, inquit ſibi obuiauerũt, ſi præuenienti miſericordiæ veritas noſtræ conuerſionis occurrat, vt de cætero miſericordiam ſectemur & pacem. Vbi enim compungimur, quis iam cum miſericordia præuenit, ſed nequaquam ingreditur, donec veritas confeſsionis occurrat. Peccaui domino, ait Dauid ad Nathan prophetam, cùm de adulterio & homicidio argueretur: Tranſtulit Dominus peccatum à te, reſpondit Propheta. Credere itaque, de quo Bernardus, pendet à pœnitentia & conuerſione cordis. Inſinuat etiam Beatus Bernardus & hunc ſenſum, Adde adhuc vt hoc credas, quòd per ipſum & tibi peccata donantur, quantum in ipſo eſt, hoc eſt, quòd paratus eſt & tibi peccata donare. Non enim ſatis eſt credere quòd peccata tua non poſſunt niſi ab eo deleri, quia hoc etiam credere poteſt de venia deſperans: & ideo hoc adde, vt ſpem veniæ habeas, & credas quòd & tibi donantur dignè pœnitenti, quòd tu excluſus non es à copioſa iſta miſericordia, quòd tibi offertur, quòd te expectet Dominus, quòd te quoque inuitet, & velit te iuſtificare & ſaluare. Et ſic Apoſtolus arbitratur hominem iuſtificari per fidem hanc ſpecialem, qua certò credat etiam ſibi oblatam, & adhuc quotidie offerri miſericordiam Dei, & per Apoſtolum dici, Reconciliare Deo. Non igitur docuit Beatus Bernardus nos eſſe obligatos ad credendum, quaſi ex verbo Dei nobis eſſe remiſſa peccata: ſicuti nec ad credendum nos eſſe prædeſtinatos, & beatos fore in cœlis, ſed docuit nos obligari ad credendum, Chriſtum ita remiſsionem & noſtram beatitudinem meruiſſe, vt & nos quoque hæc ipſius merita poſsimus participare. Nam de vita æterna ſimiliter loquitur, ſicut de peccatorum remiſsione. De vita æterna, inquit, neceſſe eſt habeas teſtimonium ſpiritus, quod ad eam ſis diuino munere peruẽturus. Reddit enim dictorum ſuorum rationem, quia ipſe peccata condonat, ipſe donat merita, & præmia ipſe nihilominus redonat, hoc eſt, ad hæc omnia ipſe paratus eſt, nihilque in eo deſiderari poteſt. Quid debui facere vineæ meæ, inquit ipſe, & non feci? Teſtimonia iſta credibilia facta ſunt nimis. Nam de remiſsione peccatorum validiſsimum teneo argumentum (ait ille) dominicam paſſionem. Traditus eſt enim propter peccata noſtra, nec dubium quin mors eius potentior ſit in bonum, quam peccata mea in malũ. Vbi vides cauſam dicti ſui Bernardum aſsignare mortis Chriſti ſufficientiam & efficaciam. quæ tamen cauſa ſalutis non eſt, niſi obtemperantibus. Probat namq; teſtimonia ſpiritus in ſpiritu noſtro de remiſsione peccatorũ, de meritis & beatitudine, facta eſſe credibilia nimis ex paſsione, reſurrectione, & aſcenſione domini. Ex quibus manifeſtũ eſt, nõ poſſe cõcludi de quolibet particulari homine, imò de nullo, quod iuſtificatus eſt, quòd habebit merita & beatitudinẽ: ſed ſolum cõcludi poteſt, quod quilibet per Chriſtũ hæc obtinere poteſt, & certò confidere debet ſe obtẽturũ. Nam neminem eſſe certũ de ſua prædeſtinatione & vita æterna, clariſſimè docet idem Bernardus, vt ſupra m diximus. Item alio loco, Quis, inquit, poteſt dicere, Ego de electis ſum, ego de prædeſtinatis ad vitam, ego de numero filiorum? Quis hæc inquam, dicere poteſt, reclamante nimirum ſcriptura, Neſcit homo ſi ſit dign⁹ amore an odio. Certitudinem vtiq; non habemus, ſed ſpei fiducia conſolatur nos, ne dubitationis huius anxietate penitus cruciemur. Propter hoc data ſunt ſigna quædam & indicia manifeſta ſalutis, vt quibus certitudinem negat cauſa ſollicitudinis vel fiduciam, præſtet gratia cõſolationis. Nam quales ſumus, noſſe poſſumus vel ex parte: quales autem futuri ſumus, id noſſe penitùs nobis impoſsibile eſt. Itaq; qui ſtat videat ne cadat. Et quòd non ſit nobis certitudo de remiſsione peccatorum, docet in ſermone de verb. Apoſ. Qui gloriatur in domino glorietur Nũc inquit, prauum eſt cor & inperſcrutabile, etiam ſibijpſi, adeo vt præſentia quoq; magna ex parte ignoret, futura verò ſua omnino noſſe non poſsit: quia aliquatenus nouit præſentia, ſi non reprehendat nos conſcientia noſtra, non quidem gloriam, ſed fiduciam habemus ad Deum, ſicut beatus Ioannes ait. Aliquatenus tamen in Domino gloriamur, teſtimonium perhibente ſpiritui noſtro ſpiritu ſancto, quòd filij Dei ſumus. Rurſus alibi tractans ſentẽtiam Apoſtoli 1. Corinth. 4. Nihil mihi cõſcius ſum. Nõ ex toto, inquit, corde me vel ipſi conſcientiæ meæ, cum nec ipſa quidem queat me comprehendere totum, nec poteſt iudicare de toto, qui totum nõ audit. Et in alio ſermone quærit, Quomodo quis ſciat ſe habere indulgentiam peccatorum? Et reſpondet: Sic nimirum, conſeruandæ humilitatis gratia, diuina ſolet pietas ordinare, & quantò quis proficit, eò minus ſe reputet profeciſſe. Et poſt pauca, circa verba Saluatoris dicta paralytico, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, ſurge, tolle lectũ tuũ & ambula. Et tu ergo, inquit, ſi iã ſurgis deſiderio ſupernorum, ſi grabbatũ tollis, corpus ſcilicet à terrenis eleuans voluptatibus, ſi demum ambulas quæ retrò ſunt obliuiſcens, & ad ea quæ ante ſũt te extendens deſiderio & propoſito proficiendi, curarum te eſſe non dubites.

Quod ſi Paul. dum Corinthios hortatur, vt ſemetipſos probent, ſint ne in fide, omnes reprobos pronunciat, qui Chriſtum non cognoſcũt in ſe habitantem

Marginal notes: *In locis theologicis.* — *2. Reg. 12.* — *Rom. 3.* — *Eſaia 53.* — *Ser. 2. in octauo Pentec.* — *Ser. 1. ſeptua.* — *Eccleſ. 9.* — *2. Cor. 10.* — *Epl. 42. quæ eſt ad Henricũ Senonenſem archiep.* — *Ser. de 4. modis orãdi: et ſer. 5. de dedicat. tẽpli.* — *Marci 9.* — *Caluinus.* — *2. Cor. 13.*

bitantem: ego cur verear his reprobos pronunciare, qui tale examen à tota Eccleſia procul arcent, ac de gratia Dei nihil certi reliquum faciunt.

Reſponſio. Paulum loquentem audiamus. Voſmetipſos, inquit, tentate, ſi eſtis in fide, ipſi vos probate. An non cognoſcitis voſmetipſos, quia Chriſtus Ieſus in vobis eſt, niſi fortè reprobi eſtis. Quem locum explicat B. Chryſoſtomus & quorſum hæc dicat Apoſtolus oſtendit, videlicet: Vos creditis, inquit, pſeudoapoſtolis, & parui me facitis, ſed ſi vultis de me ſyncerè & verè iudicare, inſpicite dona quæ ad meam prædicationem accepiſtis, intelligentes per fidem eam, quæ miraculorum eſt operatrix: ſicut dum dicit, Si habueritis omnem fidem. Eſt itaque ſenſus ſecundum Chryſoſtomũ. Videte an adhuc valeatis donis, in fide ſcilicet, quæ eſt omnium donorum mater, an loquamini linguis, an ſuccurratis ægrotis, ac cæteris, an non cógnoſcitis voſmetipſos apertiſsimis argumentis & rebus ipſis, docentibus hoc miraculis quæ adhuc patratis, quia Chriſtus Ieſus in vobis eſt meo miniſterio, non Pſeudoapoſtolorum: cognoſcitis meritò, niſi fortè reprobi eſtis, hoc eſt, niſi merito veſtræ vitæ malæ à vobis receſſerit ſpiritus vna cum donis, vt amplius in vobis non ſit ſpiritus ſanctus. Spero autem quod cognoſcetis, quia nos reprobi non ſumus, hoc eſt, efficiam, vt rebus ipſis intelligatis talem me vitam præſtare, qualem præſtiti cùm eſſem apud vos. Donemus tamen Caluino, quòd Apoſtolus loquatur de fide viua per charitatem operante: iam ſenſus erit, Examinate voſipſos an ſitis in fide euãgelica, hoc autem diſcetis, ſi probaueritis & diſcuſſeritis totos voſipſos in fide & moribus. An non cognoſcitis voſipſos tales, quod Chriſtus in vobis eſt per fidem & bona opera, & hoc ex mea inſtitutione & id certò cognoſcitis, vel eſt vtique Chriſtus ſic in vobis (poteſt namque particula, Niſi fortè reprobi eſtis, referri ad eorum cognitionem, vel ad manſionem ſiue exiſtentiam Chriſti in eis.) Hoc igitur cognoſcitis, item & Chriſtus eſt in vobis, niſi fortè reprobi eſtis, ab eo quod prius habuiſtis, hoc eſt, niſi receſſeritis à mea inſtitutione & vita priore, & per reprobã vitam à gratia excideritis. Hoc modo intelligitur ſententia illa Apoſtoli de probatione & experimento, quod ſumitur per bona & honeſta opera. Siue igitur intelligamus poſt beatum Chryſoſtomum, quòd Apoſtolus hortatur de periculo quod de ſe faciant per æditionem miraculorum, ſiue experimento per honeſtam vitam ex qua cognoſcitur viua adeſſe fides, non poteſt ex eius ſententia colligi alia certitudo, de eo quòd fidem huiuſmodi habemus, quàm ſpei ac coniecturarum veriſimilium. Et falſo colligit Caluinus ex eo quòd cognoſcimus Chriſtum Ieſum eſſe in nobis, quòd fidei certitudine hoc cognoſcimus. Nam probatio & diſcuſſio plerunq; terminatur in cognitione tantùm probabili.

2. Cor. 13.

A D probandam certitudinem notitiæ quaſi eo verbo Dei de ſalute æterna conſequenda, adducit Caluinus ſententias Domini ſaluatoris. Ait enim: *In Antidoto circa cap. 13. 6. ſeſſ.*

Cùm æternæ noſtræ adoptionis ſpeculum nobis in Chriſto proponat cæleſtis pater, nemo quid nobis per Chriſtum datum ſit verè tenet, niſi qui certò ſecum ſtatuit ſe illi datum à patre eſſe ne pereat. Quid enim? An de nihilò hæc dicuntur? Patrem qui nos in filij ſui tutelam ad fidem tradidit, maiorem eſſe omnibus, nec paſſurum eſſe filium, vt quicquam pereat, imò ideò dicuntur, vt qui ſunt filij Dei, tali ſalutis ſuæ freti cuſtode, inter media pericula tutos ſe eſſe non dubitent, imò periculis infinitis obſeſſi ſuam ſalutem extra periculum eſſe confidant, quia in manu Dei ſit. Et alibi, At ſubit futuri ſtatus anxietas. Nam vt Paulus vocari docet, qui electi antè fuerint, ita Chriſtus oſtendit multos eſſe vocatos, paucos autem electos: quin etiam ipſe quoque Paulus alibi à ſecuritate dehortatur, Qui benè ſtat, videat ne cadat. Inſertus es in populum Dei, noli ſuperbire, ſed time. Poteſt enim Deus te ſuccidere, vt alium inſerat. Denique ipſa experientia ſatis docemur parui eſſe vocationem ad fidem, niſi accedat perſeuerantia, quæ non omnibus contingit. Sed enim iſta ſollicitudine liberauit nos Chriſtus. Nam in poſterum certè reſpiciunt iſtæ promiſſiones: Omne quod mihi dat pater ad me veniet: Et eum qui venerit ad me, non eijciam foras. Item, Hæc eſt voluntas eius qui miſit me patris, vt omne quod dedit mihi non perdam ex eo, ſed reſuſcitet illud in nouiſſimo die. Item, Oues meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me, ego cognoſco eas, & cognoſcunt me meæ, neque rapiet eas quiſquam de manu mea, Pater qui dedit mihi maior omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu patris mei. Quid hinc nos diſcere voluit Chriſtus, niſi vt eo fidamus nos perpetuò fore ſaluos, quia illius ſemel facti ſumus?

Ioan. 6. 10. & 17. 1. Ioan. 4. Ioann. 6. & 10. In inſtitutione cap. 4. para. 27. Ioann. 6.

Reſponſio. Pudet Caluinum hic apertè proponere & explicare ſuam ſententiam, quæ eſt, quòd certò cognoſcimus ex verbo Dei, ſaluos nos fore in cælis. Nam & hic dicit, quòd certò nobiſcum ſtatuere debemus quòd à patre dati ſumus filio, ne pereamus. Dicit præterea beatum Gregorium peſsimè & perniciosè docere, dum vocationis tantùm noſtræ conſcios eſſe nos tradit, electionis incertos. Et diſsimulata hac fidei certitudine, ſe trãſfert ad fiduciam. Nam & patres Concilij docent vnicuique confidendum eſſe ſe perpetuò fore ſaluum, ſicut ſperare debet beatitudinem. Improbat enim Caluinus definitionem Concilij de prædeſtinationis temeraria præſumptione cauẽda, dum ait, Nemo quoque, quàm diu in hac mortalitate viuit, de arcano diuinæ prædeſtinationis myſterio,

Homil. 38. Cap. 12. Concilij 6.

ſterio, vſque adeo præſumere debet, vt certò ſtatuat ſe eſſe in numero prædeſtinatorum, quaſi verum eſſet, quòd iuſtificatus aut amplius peccare non poſsit: aut ſi peccauerit, certam ſibi reſipiſcentiam debeat promittere. Nam niſi ex ſpeciali reuelatione ſciri non poteſt quos Deus ſibi elegerit. Sed ſcripturas quas pro ſalutis certitudine adducit, expendamus. Beatus Auguſtinus eas ſolum intelligit de electis & ex electione filio datis à patre. Eſt enim electionis ac prædeſtinationis effectus hæc donatio. Sicut ergo Deus ſolus nouit quos elegit. Ipſe enim nouit, inquit Apoſtolus, qui ſunt eius, quique eius ſunt oues. *2. Tim.2.* Solus etiam nouit quos dedit pater filio ſeruandos ne pereant. Non enim omnes elegit, nec omnes filio dedit. Ait enim quibuſdam: Vos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis. Ideò nemo ſecũ certò ſtatuere poteſt, quòd electus eſt, nec quòd à patre datus eſt Chriſto, vel quòd ſit Chriſti ouicula: quamuis quiſque hoc confidere debeat, quando ſe ouem paſtori ſuo obedientem exhibere proponit. Non omnes nos datos eſſe filio à patre clarè teſtatur ipſe filius, quando patri confitetur, Dediſti filio poteſtatem omnis carnis, vt omne quod dediſti ei det eis vitam æternam. Manifeſtaui nomen tuum hominibus quos dediſti mihi de mundo. Non pro mundo rogo, ſed pro ijs quos dediſti, quia tui ſunt: Quos dediſti mihi ego cuſtodiui, & nemo ex ijs perijt niſi filius perditionis. *Ioan.17.* Electi autem nec rapiuntur de manu filij, nec eam relinquunt, ita fortiter eos tenet Chriſti manus: Et ſi fortè elabantur, eos recuperat & cuſtodit donec hinc vocentur. Et aliquando ante tempus ſuum rapiuntur, ne malitia mutet eos. Nemo itaque ex ouibus quas ab æterno nouit Dominus, vnquam perit, ſed omnes accipient vitam æternam. Deducit enim eas per ſemitas mãdatorum ſuorum, vt audiant vocem eius & ſequantur, donec ad ouile gloriæ æternæ perduxerit. Si autem ad tempus receſſerint, reuertuntur cum filio prodigo culpam ſuam confitentes. De ijſdem prædeſtinatis interpretatur beatus Auguſtinus ſentẽtiam beati Ioannis, *De bono perſeuer. cap.8.* Ex nobis abierunt, ſed nõ erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis (ſecundum electionem ſcilicet æternam) permanſiſſent vtique nobiſcum. Chryſoſtomus verò & poſt eum Theophylactus generalius interpretantur, oues à patre datas filio, vniuerſos ſcilicet qui in familiam & ſanctam Chriſti ſocietatem ſuſcipiuntur, vel ad tempus, vel perpetuò. Nam ſolos electos filio eſſe datos à patre, non patitur exceptio in verbis Domini, Quos dediſti mihi ego cuſtodiui, & nemo ex eis perijt, niſi, &c. Quod tractans beatus Chryſoſtomus. *Homil. 80. ſuper Ioann.* Alibi inquit Saluator, Omne quod dediſti mihi, non perdam ex eo. Atqui non ille tantùm perditus eſt, ſed multi poſtmodum. Quomodo ergo, inquit, Non perdam? Cui reſpondet, Quantum in me erit, nõ perdam. Quod & alibi apertius ſignificauit, Non eijciam eum foras. Nam mea cauſa non expellam eum: quod ſi ſponte ſua reſilient, vi eos non traham. Et Theophylactus, *In commen. Ioan.17. ca.* Quomodo ò Domine nullum perdidiſti, cùm & Iudas perierit, multique alij retroceſſerint? Quantum ad me attinet, inquit, nullum perdidi: quantum in me fuit, nullum amiſi, ſed ſeruaui eos, hoc eſt, omnibus modis cuſtodiui. Quòd autem à ſeipſis reſilierint, nihil hoc ad me. Rurſum interrogauerit quiſpiam, Quomodo dixit Dominus, *In commen. Ioan.10. ca.* Nullus ex manu patris mei rapit eas, quum tamen multos videamus perire? Dicendum quòd rapere quidem nullus poteſt de manu patris, decipere autem multi. Nam vi quadam aut tyrannide nullus poteſt auellere à Deo, deceptione autem quotidiè ſupplantamur. Quomodo autem dixit, Oues meæ me ſequuntur & nõ pereunt? Videmus enim quòd Iudas perierit, ſed propter hoc perijt, quia ſecutus non eſt, neque ouis manſit vſque ad finem. Dominus de his qui ſecuti ſunt eum & oues ſunt, inquit, non pereunt. Quod ſi quis ex ordine ouium exciderit, & non fuerit ſecutus paſtorem, ſtatim perit. Nihil igitur faciunt ſcripturæ iſtæ pro certitudine electionis noſtræ, aut ſalutis æternæ, vel noſtra in bono perſeuerantia, vt ex his Dei verbis, certam de eis quæ Caluinus inculcat, fidem habere debeamus, vel etiam poſsimus.

IGitur ex ſupradictis manifeſtum putamus, quòd fides qua quis firmiter credit, propter Chriſtum ſibi remiſſa eſſe peccata, ſeque poſſeſſurum vitam æternam, non ſolùm nullum habeat in ſcripturis teſtimonium, verùm etiam, iiſdem multis nominibus aduerſetur, adeò vt damnata ſit in ſacroſancto Concilio Tridentino ca.8.12.13. Item Canon.9. & ſequentibus vſque ad 12. Rurſus Canon.28. & 29. Et præcipuè Canon.16.

Totus itaque articulus nonus eſt firma fide tenendus & credendus.

Finis Articuli Noni.

ARTI.

ARTICVLVS DECIMVS.

Itaque quamdiu inter hoſtes noſtros & aduerſarias poteſtates hic viuimus, nulla nobis eſt ſecuritas, ſed cum timore & tremore (iuxta ſententiam Apoſtoli) noſtram ſalutem operari debemus. Et ſecundũ varias animorum noſtrorũ affectiones, nunc magis ſperare, nunc magis timere: ſimpliciter tamen magis & frequentius de miſericordia Domini ſperandum eſt, quàm formidandum de ſeueritate.

ARTICVLVS hic declarat & explicat præcedẽtem. Nã ſi fide certa & infallibili crederemus peccata nobis eſſe remiſſa & nos poſſeſſuros vitam æternã, non poſſet eſſe dubitatio nec metus de peccatorũ propitiatione, ne fortaſsis remiſſa non ſint, nec de ſalute æterna, ne fortaſsis damnemur. Deijs enim quę certò & infallibiliter futura credi- *Matth.10.* mus, ſecuri ſumus & ſine metu. Nam nemo catholicus metuit ne anima ſua in morte intereat, ne qui occidunt corpus, occidant & animam. Eum, inquit Saluator, timete, qui poteſt & animã & corpus perdere in gehennam. Ne ad ſiniſtram iudicis locemur in die iudicij metuimus, non autem ne nõ fiat mortuorum reſurrectio. Securi enim ſumus & ſine ſollicitudine qua teneri poſſum⁹, ne oppoſita eorum eueniant quæ certò ſcimus infallibiliter futura. Nemo, inquit beatus *Lib.8. de trinitate, ca.5.* Auguſtinus, ſalua fide Chriſtiana dixerit, Fortè de virgine natus eſt Chriſtus. Quam- *Cap.6.* diu igitur inter hoſtes potentes, qui non aliud quęrunt quàm vt nos perdant & noceant, infirmi hic viuimus, nulla debet nec poteſt nobis eſſe ſecuritas, quin cum timore & tremore noſtram perficere debeamus peregrinationem. Nam militiam eſſe vitam hominis ſuper terram perpetuũq; prælium, te- *Ephes. vlt.* ſtatur B. Iob. Item Apoſtolus, Induite vos armaturam Dei, vt poſsitis ſtare contra inſidias diaboli, quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinẽ, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Rurſum B. Petrus, Sobrij eſtote & vi- *1. Pet.5.* gilate, quia aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Nulla autem poteſt eſſe de victoria ſecuritas, quando nos debiles & infirmi confligimus cum hoſtibus, nõ vno & altero, ſed cum plurimis, & quidem aſtutiſsimis & potentiſsimis. Nam de Behemoth, qui eſt vnus ex eis, dicit B. Iob, Non eſt ſuper terram po- *Cap.41.* teſtas quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret. Nulla præterea nobis ſecuritas eſſe poteſt, quando dubius & admodũ incertus eſt belli euentus. Plurimos enim & ſtrennuos Chriſti milites in hoc bello vinci atque perpetuò interire teſtantur ſcripturæ *3. Reg 10.* & etiam frequens experientia. Nõ ęque glo- *1. Cor. 10.* riari poteſt accinctus vt diſcinctus. Qui ſtat, videat, imò & metuat ne cadat, inquit Apo- *De correpr. & gratia. c. 13.* ſtol⁹, fracti ſunt rami: Noli altum ſapere, ſed time. Nam vt dicit B. Auguſt. credendum eſt quoſdam de filijs perditionis, non accepto *Ioan.4.* dono perſeuerandi, aliquamdiu fideliter & iuſtè viuere, & poſtea cadere, neq; de hac vita priuſquam hoc eis contingat, auferri. Ecce qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles, & in angelis reperit prauitatem, quantò magis hi, qui habitant domos luteas conſumentur velut à tinea. Timeamus ergo, inquit, Apoſto- *Heb.3. et 4.* lus, ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, exiſtimetur aliquis ex nobis deeſſe. Participes enim Chriſti effecti ſumus, ſi tamen initium ſubſtantiæ eius vſque ad finem firmum retineamus. Et Ioan. in *Cap.3.* Apocalypſi, Ecce venio citò, tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit faciam eum columnam in templo Dei mei, foras non egredietur amplius. Et qui vicerit ſic veſtietur veſtibus albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ. Quoſdam autem de libro vitæ deleri, teſtatur Pro- *Pſalm.68.* pheta Dauid. Et ideo B. Bernar. Nuſquam, in- *Ser. de l gno fæno, & ſtipula.* quit, eſt ſecuritas, neq; in cælo neq; in paradyſo, multò minus in mundo. In cælo enim cecidit Angelus ſub præſentia diuinitatis: Adam in paradyſo de loco voluptatis: Iudas in mundo de ſchola Saluatoris. Item B. Gre. Si quis nouit, inquit, hodie qualis ſit, cras *Ser.38. euang.* quid futurus ſit neſcit. Nemo ergo de ſuis iam operibus ſecurus gaudeat quãdo adhuc in huius vitæ incertitudine quis ſe finis ſequatur, ignorat. Et ad Gregoriam Auguſtæ *Epiſ.22. li.6* cubiculariam. Secura de peccatis tuis fieri nõ debes: mater negligentiæ ſolet eſſe ſecuritas. Habere ergo in hac vita non debes ſecuritatem, per quã negligens reddaris. Scriptum eſt, Beatus vir qui ſemper eſt pauidus. *Lib.2. aduerſus Pelag.* Ac B. Hieronymus, Nunquam ſecurus ſis, omni obſeruantia cuſtodias cor tuum, vt cõſideres quoniam in medio laqueorum ambules, & ſub murorum pinnis ingrediaris, vt illud quotidie mediteris. Iuxta ſemitam ſcãdalum poſuerunt mihi: qui cautus & timidus eſt poteſt ad tempus vitare peccata: qui ſecurus eſt de iuſtitia ſua repugnat Deo, illiuſque auxilio deſtitutus inſidijs hoſtium patet. Nulla igitur ſecuritas hic eſſe debet, nec de gratia, nec perſeuerantia in gratia, & vita æterna. Quamuis autem de his ſecuritas, & quaſi ex verbo Dei certitudo eſſe non poſsit, tamen de his omnibus certa fiducia homini Chriſtiano eſſe debet, imò & de victoria aduerſus hoſtes, in quorum medio noſtra eſt peregrinatio. *Certa eſt homini Chriſtiano ſpes de victoria aduerſus hoſtes & perſeuerãtia vſq; in finem.* Domin⁹ inquit propheta, illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo? Domin⁹ protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si cõſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Si exurgat aduerſum *Pſalm.26.* me prelium, in hoc ego ſperabo. Ipſe enim dixit, Non te deſeram neque derelinquam

ita vt confidenter dicamus, Dominus mihi adiutor eſt, non timebo quid faciat mihi homo. Item Eſaias, Fiducialiter agam, & non *Cap. 21.* timebo. Et per Chriſtum donatum eſt nobis vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi. Ac iuſtus confidens, ſine timore erit. Quapropter Heliſæus *4. Reg 5.* propheta rectè dixit puero ſuo videnti exercitum in circuitu ciuitatis, Noli timere, plures enim nobiſcum ſunt quàm cum illis. Et maior eſt, inquit Ioannes Apoſt. qui in vo*1. Ioan. 4.* bis eſt, quàm q in mundo, & ideo viciſtis mundum. Nam omne quod natum eſt ex Deo, vincit mũdum. Porrò quomodo certa victoriæ fiducia eſſe poſsit ſine ſecuritate, partim dictum eſt articulo præcedenre, partim iam dicetur. Nam ſecura eſſe non poteſt, quæ plerunque ſua expectatione fruſtratur, & vbi multò plures vincuntur, quàm ex certamine gloriam reportát. Excludit enim ſecuritas omnem & intellectus & affectus vacillationem, omnemque metum rei de qua ſecuri ſumus. Et ideo in articulo aduerſatiuè tanquam cauſa additur, nullam eſſe nobis ſecuritatẽ, qua cum timore & tremore noſtram ſalutem operari debemus: quæ verba apud OEcumenium Photias interpretatur. Timere, inquit, ac tremere oportet, dum quiſque propriam operatur ſalutem, ne quando fraude circunuentus ab hac excidat. Variæ ſunt tentationes & afflictiones, multique inſidiatores, vbi ſanè in quibuſdam ipſam quoque exercere virtutem contrarium accepit euentum. Niſi enim Deus videns certamen ſtudiumq; coniunctum cum timore adiuuet, nec ipſũ velle finem bonum ſortietur. Et ipſe OEcumen. Si conſiderauerimus, ait, quod vbique adeſt Deus, omniaque audit & intuetur, quodq; graues exiguntur rationes ac pœnæ, non contingit ſine reuerentia, timore ac tremore aliquod bonum operari. At quia Deus ſua gratuita bonitate erga vos operatur velle & operari, non vos veſtra virtute, ideo timendum eſt, ne ſubtrahat hanc ſuam operationem gratuitam. Quamuis interim telligi poſsit articulus non omnẽ excludere ſecuritatem, ſed eã tantùm quæ metum excludat, in bene velle & operari. An verò omnem excludat ſecuritatem, ſtatim ſumus dicturi. Nam vbi quaſi ex verbo Dei firma eſt fides remiſsionis peccatorum & futuræ beatitudinis, nullam licet admittere ſuper iiſdem vacillationem, vel intellectus vel affectus, ſicut nec metuere nec hæſitare licet, an futura ſit reſurrectio, an Chriſtus pro peccatis noſtris ſit mortuus. Et ideo ſecuritas huiuſmodi fidem ſequens, quam docent aduerſarij, omnem metum & formidinem excludit. Fieri autem poteſt quod iuſtus fidenter & fortiter aduerſus hoſtes ſe exercens, victoriam & regnũ cælorum tanquam certaminis coronam expectans, nihil eorum conſideret, quæ timorem incutiunt, ac proinde modoquodam ſecurus in medio hoſtiũ *2. Par. lib. 20.* verſetur. Atq; Ioſaphat rex Iuda, Credite, inquit, in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis. Credite Prophetis eius, & cuncta euenient proſpera: ſed & impij ſunt qui ita ſunt ſecuri, quaſi iuſtorum facta habeant: ſed & hoc vaniſsimum iudico. Nam ſecundum varias animorũ noſtrorum affectiones, & gra- *Eccleſ. 8.* tiarum diuerſitatem, iuſtus nunc timet, iudiciorum Dei ſuæque infirmitatis conſideratione, aliàs ſperat Deum, conſiderans protectorem & adiutorem in tribulationibus. Ecce, ait Propheta, non dormitabit neq; domiet qui cuſtodit Iſrael. Dominus cuſtodit te, *Pſalm. 120.* Dominus protectio tua ſuper manum dexteram tuam. Dominus cuſtodit te ab omni malo: Dominus cuſtodiat introitũ & exitũ tuũ. Et alio loco, Quare triſtis es anima mea, quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare vultus mei & Deus meus. Moyſes quoq; ad Iſrael, Domi- *Exod. 14.* nus pugnabit pro nobis, & vos tacebitis. Animis namq; conſternatis conſiderandus eſt Deus quaſi pius pater, qui erga filios optima eſt voluntate, magis paratus benefacere, quã ipſimet deſideremus, & quàm patres carnales filijs ſuis: neminem vult perire, neminẽ prior deſerit: & ſimilia, quæ deſolatum & deiectum erigere ſolent. His verò, qui nimirum fidenti ſunt animo, & dicunt in abundentia ſua, non mouebor in æternum, occulta Dei iudicia in memoriam ſunt reuocãda. In die enim malorũ, oportet eſſe memorem bonorum, & in die bonorum nõ immemorem malorum, ait Eccleſiaſticus. Ita vir *Cap 11.* iuſtus (teſte Gregorio) aliquando memorat *Lib. 12. c. 4.* apud Deũ opera ſua bona, vt Ezechias, quandoq; diſsimulat. Plerunq;, inquit, iuſti aliquibus neceſsitatibus afflicti ſua opera coguntur confiteri, quod B. Iob fecerat, quem poſt iuſtitiam flagella deprimebant. Vnde ſæpe cõtingit, vt iuſti & iniuſti habeant verba ſimilia, ſed tamen ſemper cor longè eſt diſsimile, & ex quibus dictis Dominus ab iniuſtis offenditur, in iiſdem quoque à iuſtis placatur. Nam Phariſęus ingreſſus templum dicebat, Ieiuno bis in Sabbato, decimas do- *Luc. 18.* omnium quæ poſsideo: ſed iuſtificatus magis Publicanus, quã ille exijt. Ezechias quo- *4. Reg. 20.* que rex cùm moleſtia corporis afflictus ad extremitatem perueniſſet vitę, in oratione compunctus dixit, Obſecro Domine memẽto quomodo ambulauerim corã te in veritate & in corde perfecto, & quod placitum eſt coram te fecerim. Nec tamen Dominus hanc confeſsionem perfectonis eius deſpexit, quem mox in ſuis precibus exaudiuit. Ecce Phariſeus ſe iuſtificauit in opere: Ezechias iuſtum ſe eſſe aſſeruit etiam in cognitione, atque vnde ille offendit, inde iſte Dominum placauit.

Simpliciter tamen filiorum magis eſt patrem amare & de eius bonitate & miſericordia ſperare, quàm timere. Nam perfe- *1. Ioan. 4.* cta charitas, vt ait B. Ioan. foras mittit timorẽ, & qui timet non eſt perfectus in charitate. In hoc enim eſt perfecta charitas vt fiduciã habeam⁹ in die iudicij, quia ſicut ipſe eſt

& nos

bitare, ſi certa fide ex verbo Dei ſint credenda, quemadmodum docent Caluinus & Bucerus. Incertam autem eſſe peccatorum remiſsionem & futuram noſtram ſalutem, varijs ſcripturæ & patrum ſententijs ſuperiùs docuimus. Hortantur enim ſcripturæ vt timeamus ne fortè excidamur ab oliua & dãnemur, Timete, inquit Saluator, eum, qui poteſt & animã & corpus perdere in gehennam. Nec ſolum præcipiunt, vt ait Caluinus, cum hac diffidentia & metu certare, ſed verè metuere docent ne damnemur. Nec diſputatur hic de certa illa fiducia, quã de Dei miſericordia concipimus (hanc enim & nos certiſsimam eſſe docemus & confitemur) ſed de certitudine notitiæ, qua ex verbo Dei credamus peccata nobis remiſſa, & nos ad æternam ſalutem eſſe electos. Nam ad hanc dicimus ſequi ſecuritatem, quę excludit dubitationem & metum. Qui enim de re aliqua certus eſt ſine metu, de eadem eſt ſecurus. Imaginariam igitur eſſe oportet certitudinem & ſecuritatem quam docet, quando earum rationes non compatiuntur dubitationem.

Caluinus. *Id quo intelligatur, neceſſe eſt redire ad illam carnis & ſpiritus diuiſionem, cuius alibi meminimus, quæ in hac parte lucidiſsimè ſe profert. Sentit ergo hãc in ſe diuiſionem piũ pectus: quod partim ob diuinæ bonitatis agnitionem ſuauitate perfunditur, partim ob ſuæ calamitatis ſenſum amaritudine angitur, partim in Euangelij promiſsionem recumbit, partim ſuæ iniquitatis teſtimonio trepidat, partim vitæ apprehenſione exultat, partim mortem exhorreſcit. Quæ variatio ex fidei imperfectione contingit.*

Reſponſio. Hic aduertere licet quòd Caluinus dubitationem, vel metum futuræ damnationis iuſtorum, docet eſſe motus carnis aduerſus ſpiritum, quibus ſicut alijs carnalis voluptatis motibus vel odij, aut inuidiæ repugnare ac reſiſtere oporteat, quaſi locum hic habeat quod dicit B. Iacobus, Concupiſcentia cùm conceperit parit peccatum, peccatum verò cùm cõſummatum fuerit, generat mortem: (Cap. 1.) Quod erroneum eſt, cùm ad metum gehennæ & iudiciorum Dei nos, vt diximus, hortetur ſcriptura, Omnia enim in futurũ ſeruantur incerta. (Eccleſiaſ. 9.) Et beatus Bernar. Quamdiu in corpore mortis Domino militamus, nulla requies, tum pro labore certaminis, tum ꝓ periculo exitus adhuc incerti. Nec ex carne eſt, ſed ex ſpiritu quod noſtræ calamitatis ſenſu amaritudine angimur: item, quod trepidamus noſtræ iniquitatis teſtimonio. Nec ex fidei imperfectione hæc contingunt, vt ait Caluinus, ſed ex varia conſideratione conditionum & perfectionum diuinarum, vbi fides etiam eſt perfecta. Nam columnæ cæli contremiſcũt, & timor Domini ſanctus permanet in æternum. Nullum hic locum habet carnis & ſpiritus diuiſio, ſicut in motibus infidelitatis aut dubitationis circa articulos fidei. Deinde de ſecuritate à timore. addit Caluinus.

Altera, inquit, ſpecies eſt timoris ac trepidationis, ex qua tamen adeo nihil decedit fidei ſecuritati, vt ſolidius inde ſtabiliatur, nempè dum fides vel exempla diuinæ vltionis aduerſus impios edita documentorum vice ſibi eſſe cogitantes, ne ijſdem flagitijs iram Dei in ſe prouocare ſibi contingat, ſollicitè cauent. Vel cùm miſeriam ſuam ſecum recognoſcentes, à Domino toti pendere diſcunt, ſine quo ſe quolibet vento fluxos ac magis euanidos eſſe vident. (Caluinus.)

Reſponſio. Mirum quòd fidei & ſecuritati per timorem & trepidationem nihil decedat, quando vtrumque ſecuritas excludat, & ipſa excludatur & tollatur ab vtroq;. Nemo enim à malorum periculis ſecurus, ea adhuc timet, ad ea trepidat. Excitatur autem & ſolidius ſtabilitur in Deum fiducia, eius ſolius auxilio, mala quæ timentur effugimus. Iuſtus enim de Domino confidit, ſi attendat pericula vnde ſe eripere non poſsit, vt in nobis timoris & in Deo ſit cauſa fiduciæ, vt inquit beatus Bernard. (Serm. 3. de Annũciatione Mariæ.) Multum tamen decedit ſecuritati, quæ ſolicitudinem euadendi mala quæ timemus non patitur, nec trepidationem. Nec ſolum documenta ſunt exempla diuinæ vltionis, quæ ſcriptura nobis proponit: ſed ad hoc etiam ſcriptura ea proponit, vt cogitemus quod nobis cras accidere poſſit, temporeq; futuro, id quod alijs legimus eueniſſe. Sic ait Apoſt. Paulus, Tu autem fide ſtas, noli altũ ſapere, ſed time. (1. Cor. 10. Rom. 11.) Si enim Deus naturalibus ramis nõ pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & ſecuritatem Dei, in te autem bonitatem ſi permanſeris in bonitate, alioquin & tu excideris. Vbi docet nõ ſolùm documenti loco habendum eſſe id quod de Iſraelitico populo dicit, ſed vult nos timere, ne fortè relicta pollicitatione, eadem in nos exerceatur ſeueritas. Et ideo Corinthijs dicit ea ſcripta eſſe ad noſtram correptionem, & concludit, Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. (1. Corin. 10.) Pergit Caluinus.

Nec dum à Iudæorum caſu argumentum exhortandi ſumit, nos vacillare iubet, ac ſi noſtræ ſtabilitatis parum certi eſſemus, ſed arrogantiã duntaxat & temerariã propriæ virtutis perfidentiam adimit, ne depulſis Iudæis, Gentes in eorũ locum receptæ, ferocius inſultent. (Caluinus.)

Reſponſio. Nõ ſolùm hac occaſione exhortatur Apoſtolus, ſed & deterret. Noli, inquit, altum ſapere, ſed time: nec ſecurus eſt quòd non cadet, qui monetur ſibi proſpicere ne cadat. Et quamuis nos vacillare non iubet, hortatur tamen vt periculum in quo verſamur ex aliorum caſu agnoſcentes, ſolliciti ſimus ipſum euadere. Et quæ noſtræ ſtabilitatis certitudo eſſe poteſt, qui ſumus noſtræ infirmitatis, & in malum propenſionis multo experimẽto conſcij, & aſtutiæ & crudelitatis hoſtium, cum quibus eſt in nobis conflictus, & qui neſcimus quid cras ſumus futuri? Quamdiu, inquit, B. Auguſt. hic viuimus, de nobiſipſis iudicare non poſſumus. (Hom. 25. inter hom. 50. & ſerm. de) Non dico quid

verb. Dom. cras erimus,ſed quid hodie ſumus.Item alio
Serm 23 de loco: Fortè tu non inuenis aliquid in con-
verb. Dom. ſcientia tua, inuenit ille qui melius videt: videt fortè aliquid, potius dic ei, Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo. Nec arrogātiam duntaxat & temerariā propriæ virtutis præſidentiam adimit,ſed & imbecillitatis & inſtabilitatis noſtræ, & periculi ex perpetuo conflictu cum hoſte,nos admonet,vt horum conſideratione timeamus,ac etiam cōtra caſum muniamur. Nec verum eſt Apoſtolum non aliud exigere, quādo monet cum timore & tremore noſtrā operari ſalutem, quàm vt in Domini virtutem cum noſtri deiectione ſuſpicere aſſueſcamus: ſed nos terret, ne noſtra culpa atque negligētia ſalutem amittamus,à Domino fortaſsis deſerti. Tremere, inquit Phocius apud Ocumenium, oportet, ne quando fraude circumuentus ab hac ſalute excidas. Et quamuis noſtri diffidentia & concepta ex noſtræ calamitatis conſcientia anxietas expergefaciat,& nos compellat, vt fiduciam noſtram, omnemq́ue curam in Dominum reijciamus, ſecuritati tamen aduerſantur,& metum excludunt,ne fortaſsis propoſitum brauium non apprehendamus.

Caluinus. *Aliunde, inquit, fidei firmamentum adoriuntur & diruere tentant, nempe, quòd etiamſi ſecundum præſentem iuſtitiæ ſtatum, de gratia Dei iudicium ſumere liceat, manere tamen in ſuſpenſo finalis perſeuerantiæ notitiam. Egregia verò ſalutis fiducia nobis relinquitur, ſi ad præſens momentum nos eſſe in gratia coniectura morali æſtimamus. Quid in craſtinum ſit futurū neſcimus. Longè aliter Apoſtolus, Certò, inquit, perſuaſus ſum, quòd neque Angeli, neque poteſtates, neque principatus, neque mors, neque vita, neque præſentia, neque futura, diriment nos à dilectione, qua nos Dominus in Chriſto complectitur.*

Reſponſio. Nos, inquit B. Chryſoſt. hæc verba Pauli dicere nō poſſumus, qui tantam charitatem non habemus. Ex ſua igitur & perfectorum perſona hæc verba loquitur Apoſt. Paulus, de quo ſuprà diximus multa. Conformiter autem ſcripturis & patribus ſuperius citatis docemus, certum & infallibile iudicium de Dei in nobis gratia & peccatorū remiſsione nos habere nō poſſe, ſed tantum probabile, in quo plurimos fallere contingit poſt ſuſcepta etiam Eccleſiæ ſacramenta. Deus enim emendat ſententiam ſacerdotis, ſi noſtra ſimulatione deluſus abſoluerit, vt dicit beatus Cyprianus, vel ſi tāquam imperitus me-
Epiſt.2. lib. 4. de lapſis. dicus vulnera curare velit, nō educendo virus intus latens. Multum enim intereſt inter Dei ſummi & infallibilis iudicis Chriſtiq; filij eius ſententiam, & hominis ac ſacerdotis qui fallere & falli poteſt. Atque ita poſt eius abſolutionem adhuc eſt ratio metuen-
Libr.11. de ciuit. Dei, cap. 12. & de correp. et grat. cap. 13 di, ne vel indiſpoſiti, aut per ſacerdotem decepti, aut ipſum decipientes, abſolutionem à Deo non acceperimus. In ſuſpenſo autem manere, finalis perſeuerantiæ notitiam docuimus ſuperius apertiſsimis ſententijs beati Auguſtini. Siue igitur ſecuritas ad intellectum referatur, vt ſit iudicium firmum, & ſine formidine de aliqua veritate, vt plurimi ſcholaſtici docent, ſiue ad voluntatem, vt docet B. Thomas, non poteſt eſſe de rebus de quibus incerti ſumus, & ne non *Cardinal.* eueniant metuimus. Significat enim ſecuri- *Cameracē-* tas ſecundum Beatum Thomam, timoris ex- *ſis in quæſt.* cluſionem, & opponitur timori, ſicut priua- *de prædeſt.* tio, nō vt contrarium. Eſt enim ſecurus, eius *1.2. quæſt.* ſententia, qui nō timet, & à cura vacuus eſt. *45. artic. 1.* Addit autem, non quamuis ſecuritatem eſſe *ad 3.* laudabilem, ſed ſolum quādo quis deponit curam quando decet, & in quibus timere nō oportet.

Scripturæ autem in quibus iuſti à ſe omnem timorem abijciunt, vt cum dicunt, Dominus mihi adiutor, nō timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos. Dominus illuminatio mea, &c. qualia in ſcripturis frequentia occurrunt, ſpei verba ſunt, & animi de Domino ſuo optimè confidentis, non fidei futurum euentum prænunciantis. Argumentis quæ aduerſarij pro certitudine gratiæ & ſalutis adferunt, vtcunque reſpondimus ſuperius. Ibi igitur ea videre licebit.

Finis Articuli Decimi.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

Opera bona omnibus adultis ſunt ad ſalutem neceſſaria, & cum ex fide & charitatis ſpiritu proficiſcuntur, ita grata ſunt Deo, vt eis tanquam iuſtam mercedem vitam retribuat æternam.

NON omnia opera hominis mala, ſed quædam eſſe bona clariſsimè paſsim teſtantur ſcripturæ, Ait enim Ioannes Baptiſta, Iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. *Matth.3.*
Omnis ergo arbor quæ nō facit fructum bonum excidetur, & ignem mittetur. Et Dominus Saluator, Nunquid colligunt de ſpi- *Matth.7.*
nis vuas? aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructos bonos facit: Mala autem arbor malos fructus facit. Non poteſt arbor bona malos fructus facere: neq; arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Item, Aut facite arborem bonam *Matth.12.*
& fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructū eius malum: Siquidem ex fructu arbor agnoſcitur. Progenies viperarum quomodo poteſtis bona loqui cùm ſitis mali? Ex abundantia enim cordis os loqui- *Matth.12.*
tur. Bon⁹ homo de bono theſauro cordis ſui *Luca 6.*
pro-

profert bona: & malus homo de malo the-
Cap 5. ſauro profert mala. Et apud Ioannem, Venit
hora in qua omnes qui in monumentis ſunt
audient vocem filij Dei, & procedēt qui bo-
na fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui ve-
rò mala egerunt in reſurrectionem iudicij.
Ioann. 15. Item. Omnem palmitem in me nō ferentem
fructum, tollet eum: & omnem qui fert fru-
ctum purgabit eum, vt fructus plus adferat.
Sicut palmes non poteſt ferre fructum, niſi
manſerit in vite: ſic nec vos niſi in me man-
ſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites. Qui ma-
net in me & ego in eo, hic fert fructum mul-
tum. In hoc clarificat9 eſt Pater meus, vt fru-
ctum plurimum adferatis. Et Apoſtolus Pau
1. Tim 4. lus præcipit benè agere, diuites fieri in bo-
2. Corint. 3. nis operibus. In altera autem epiſtola vult
vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bo-
num inſtructus. Et ad Titum, Qui dedit, in-
Cap. 2. quit, ſemetipſum pro nobis, vt mūdaret ſibi
populum acceptabilem, ſectatorem bono-
rum operum. Cui mandat vt admoneat Cre-
tenſes principibus & poteſtatibus ſubditos
eſſe, ad omne opus bonum paratos eſſe. Item
de his volo te confirmare, vt curent bonis o-
peribus præeſſe qui credūt Deo. Et frequen-
Hierem. 7. ter monent Prophetæ populum Iſrael, Bo-
& 26. nas facite vias veſtras. Et, Cuncta quæ fiunt,
Multa benè adducet Deus in iudicium, ſiue bonum, ſiue
faciunt ho- malum ſit. Nec tantùm bona ſunt plurima
mines. hominis opera ex ſcripturarum teſtimonio,
verū etiam multa bene facit homo. Nónne,
inquit Dominus ad Cain, ſi benè egeris reci-
pies: ſin autem malè, ſtatim in foribus tuis
malum tuū aderit. Voluit Dauid pater meus
ædificare domū nomini Domini Dei Iſrael,
& ait Dominus ad eum. Quòd cogitaſti in
corde tuo, ædificare domum nomini meo,
benè feciſti hoc ipſum mente tractans. Item
Tob. 4. Thobias ad filium, Multa bona habebimus,
ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab o-
mni peccato, & fecerimus benè. Et Apoſto-
1. Corint. 7. lus Paulus, Qui matrimonio iūgit virginem
ſuam, benè facit: & qui non iungit, melius fa
cit. Et qui iudicauit in corde ſuo ſeruare vir-
ginem ſuam, benè facit. Atq; ad Timotheum
1. Timot. 3. de diaconibus ſcribit, quod qui benè mini-
ſtrauerint gradum bonū ſibi acquirent. Ob-
uia ſunt huiuſmodi teſtimonia vbiq; in ſcri-
pturis, & per ſe tam manifeſtum eſt, quędam
hominum opera bona eſſe & benè fieri, non
autem omnia mala, nec malè fieri, vt ſuper-
uacaneum videri poſsit hanc rem probatio-
nibus multis confirmare. Opera autem quæ
ſcripturarū teſtimonio bona ſunt, mala eſſe
aut dici non poſſunt, nec malè fieri ea quæ
nos benè facere ſacræ literæ pronunciant.
Eſa. 5. Væ, inquit Dominus, qui dicitis, Malum bo-
num, & bonum malum: ponentes tenebras
lucem, & lumen tenebras: ponētes amarum
in dulce, & dulce in amarum. Et Paulus,
2. Corint. 6. Quæ participatio iuſtitiæ cū iniquitate, aut
quæ ſocietas luci ad tenebras? Et efficaciter
Diſtin. 42. probat Gregorius de Arimino, quòd idem
2. quæſt. 1. actus nō poteſt eſſe bonus & malus ſiue cul-
pabilis, producens Auguſtinum dicentem,
Nihil abſurdius dici poſſe quā aliquòd men
dacium eſſe iuſtum, quià non eſt peccatum,
niſi vt iuſtitiæ eſt contrarium. Dicere igitur
quædam eſſe iuſta, quædam iniuſta peccata,
quid eſt aliud quàm dicere quaſdam eſſe in-
iuſtas, quaſdam iuſtas iniquitates? cùm dicat
Ioannes Apoſtolus, Omnis qui facit pecca- *1. Ioan. 3.*
tum, iniquus eſt. Et, Peccatum eſt iniquitas. *Lib. de di-*
Et ſecundum B. Dionyſium: Bonum eſt ex v- *uin. nomin.*
na & tota cauſa, malum ex multis particula- *part. 4. c. 4.*
ribuſq; proficiſcitur defectibus. Iuxta Ari-
ſtotelem quoque peccare multifmodis con- *Lib. 2. Ethi.*
tingit, rectè agere vnicè. Facilè quidem non *cap. 2. art. 2.*
attingere ſignū, difficile autem illud attin-
gere. Eſt enim bonitas operis, integritas om-
nium circumſtantiarum vt fiat quando, vbi,
& propter quod oportet. Nam ſi aliqua cir- *Thom. 1. 2.*
cunſtantia defuerit, malum eſt quod agitur. *q. 18. art. 1.*
De bono enim & malo in actionibus loqui
oportet, ſicut de bono & malo in rebus, eò
quòd vnaquæq; res actionem producit qua-
lis eſt ipſa: quemadmodum arbor bona vel
mala fructus bonos aut malos, ſecundum ſu-
am qualitatem & conditionem. In rebus au-
tem vnumquodque tantum habet de bono,
quantum habet de eſſe, propterea quod bo-
num & eſſe conuertuntur, ſolus autem Deus
habet plenitudinem ſui eſſe ſecundum ali-
quid vnum & ſimplex: res verò vnaquæque
plenitudinem eſſendi habet ſibi conuenien
tem ſecundum diuerſa. Sic igitur dicendum
eſt quòd omnis actio in quantum habet ali-
quid de eſſe, in tantum habet de bonitate: in
quantum verò deficit ei aliquid de plenitu-
dine eſſendi, quæ debetur actioni humanæ,
in tantū deficit à bonitate: & ſic dicitur ma-
la, puta ſi deficiat ei vel determinata quanti-
tas ſecundum rationem, debitus locus, vel
aliquod huiuſmodi. Ex quibus infert beatus
Thomas, quod in actione humana quadru- *Art. 4. eiuſ-*
plex bonitas conſiderari poteſt. Vna ſecun- *dem quæſt.*
dū genus, pro vt ſcilicet eſt actio, quia quan-
tum habet de actione & entitate, tantum ha
bet de bonitate. Alia verò ſecundū ſpeciem,
quæ accipitur ſecundum obiectum conue-
niens. Tertia ſecundum circumſtantias, qua-
ſi eius accidentia. Quarta ſecundum finem
tanquam habitudinem ad bonitatis cauſam
completiuam. Simpliciter autem & abſolu-
tè nullum opus eſt bonum, niſi quod totam
hanc & integrā habeat bonitatem, eò quòd
ratio boni conſiſtat in modo, ſpecie, & ordi-
ne. Oportet enim actionum bonitatem ſe-
cundum aliquam regulam conſiderari, quæ
eſt lex humana, & hac ſuperior lex diuina:
atque ad has regulas operis conformitas eſt
verè eius bonitas, & opus verè bonum eſt,
quod rationi & legi diuinæ conforme & re-
ſpondens eſt. Nec ſolùm opera hominis verè
bona ſunt, ſed & Deo grata ſunt & placita,
ſcripturarum teſtimonio. Ait enim B. Ioan- *1. Ioan. 3.*
nes, Si cor noſtrum non reprehenderit, fidu-
ciam habemus ad Deum, & quicquid petie-
rimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata
eius cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita corā
eo facimus. Et Coloſſenſes hortatur Apoſto-

Cap 2. lus Paul. vt dignè Deo ambulent per omnia
Hebr.12. placentes, in omni opere bono fructificãtes. Item alio loco, Habemus gratiam, per quam ſeruimus, placentes Deo cum metu & reuerentia. Ezechias quoque, Memento, inquit,
4.Reg.20. Domine, quomodo ambulauerim coram te in veritate & corde perfecto, & quod placitum eſt coram te fecerim. Rurſus angelus ad
Tob.14. Thobiam, Quia acceptus eras corã Deo, neceſſe fuit vt tentatio probaret te. Ex his ſcripturis manifeſtum eſt, quòd non ſolùm Deo placeant opera noſtra bona, ſed etiam quòd faciunt nos Deo placere, eiſque gratos & acceptos reddunt. Nam per hoſpitalitatem B. Paul. teſtatur quoſdã placuiſſe & gratos fuiſ-
Hebr 13. ſe Deo, Angelis hoſpitio receptis: adeo qui-
Ioann 5. dem, vt ꝑ bona noſtra opera, remuneret nos
Rom 2. vita & felicitate æterna. Nam qui bona fecerunt, procedent in reſurrectionem vitæ. Et his qui ſecũdum patientiã boni operis, reddet gloriam & honorem, quærẽtibus vitam æternam. Sed hoc modo ad mercedem retribuẽdam ſolum ſunt Deo accepta noſtra bona opera, quando ex ſpiritu fidei & charitatis proficiſcuntur, ſicut dicit ſecũnda pars huius articuli, quæ tacitè inſinuat quædã opera hominis eſſe bona, quę tamen ex huiuſmodi ſpiritu nõ proficiſcũtur. Id quod multipliciter contingere poteſt. Primo, ſi ex ſpiritu humano & libero arbit. gratia Dei præuento & præparato proficiſcantur. Nam an-
Lib.1.retra. cap.22. tequam homo bonus eſt, poteſtatẽ habet ſe faciendi arborem bonam. In poteſtate quippe hominis eſt, mutare in melius voluntatẽ, ſed ea poteſtas, inquit B. Aug. nulla eſt, niſi à Deo detur. De quo dictum eſt, Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Nihil enim tam eſt in noſtra poteſtate, quàm ipſa voluntas, ſed prius præparata à Domino. Docet præterea ibidem B. Auguſt. in noſtra poteſtate eſſe, vt inſeramur bonitati Dei. Et bonũ opus erat
Lucæ 18. quòd Publicanus aſcendit in templum vt oraret, & percutiens pectus ſuum, dixit, Deus propitius eſto mihi peccatori, nondũ tamen iuſtificatus. Exaltatus enim & iuſtificatus eſt, quia ſe humiliauit. Et quibus Deus dedit pœnitentiam, vt reſipiſcant à laqueis diaboli, benè operantur dum pœnitent, & peccata ſua confitentur. Contingit ſecundò, ſi ex ſpiritu fidei & ſpei operãtur peccatores, vel ex ſpiritu humano iuſti, ſine concurſu charitatis. Item ſi ex ſolo libero arbitrio eiuſque viribus ab homine Chriſtiano, impio quidẽ vel Ethnico: vnius tamen Dei habente notitiam, vel in homine idololatra fiant opera cõſentanea dictamini rectæ rationis. De quibus dictum eſt circa articulũ ſeptimum, qui eſt de gratia & libero arbitrio. Quamuis enim per peccatum Adæ noſtra natura ſit deprauata, vt nulla remanſerit affectio recta, & ſalubris erga Deum verum beatificum bonum noſtrum, nec ad veram pietatem, non tamen amiſit totum honeſtatis ſenſum & affectum, nec perdidit inſtinctus ad naturalis
Rom.1 et 2. honeſtatis officia erga deũ, parẽtes, filios, be-
Sapient.3. nefactores, vel amicos: ſicut certũ eſt, quòd non perdidit vim deliberandi, cogitandi & iudicandi de rebus multis etiam ſpiritualibus & inſenſibilibus, ad quarum notitiam peruenire poteſt ex effectibus ſenſibilibus ratiocinando, per principia quædam immutabilia diuinitus impreſſa, aut nata ex ſenſibilibus, ſicut teſtãtur ſcripturæ. Ex huiuſmodi enim principijs homines etiam poſt lapſum idonei ſunt ad examinandum, ac declinandum de quolibet ſibi propoſito, an verũ ſit an falsũ, an liceat, an deceat, an expediat, conferendo tempus præſens ad futurũ. Nam in nobis etiam gratia deſtitutis, voluntas *Hieronymus*
media eſt inter ſenſualem appetitum & ſyn- *Ezech.3. ci-*
derisim, quæ nõ extinguitur, nec in homini- *tra locum*
bus quidem Deum ignorantibus, ipſumque *& ſcintilla*
per peccata offendi neſciẽtibus, nec in Cain *quaſi aſpe-*
peccante fuit extincta. Agnoſcens enim cul- *ctus aris.*
pam dicebat. Maior eſt iniquitas mea, quàm *Magiſt. in*
vt veniam merear. Et ideo homines ſcelera- *ſentent. di-*
tiſsimi & inſtinctu ſynderiſis poſsũt diſcer- *ſtinct.39. 2.*
nere, & iudicare, parentes eſſe honorandos, ſubueniendũ indigentibus: & ob finem aliquem rationabilem officia iſta præſtare poſſunt: Finem, inquam, quem oſtẽdit naturale lumen rationis docentis in cordibus noſtris ſcriptũ eſſe, Quod tibi nõ vis fieri, alteri ne feceris. Vnde Saluator, Si diligitis, inquit,
eos, qui vos diligũt, & ſi ſalutaueritis fratres *Matth.5.*
veſtros tantũ, quid ampliùs facitis? nónne & Ethnici hoc faciunt? nõ prohibẽs hoc modo diligere & ſalutare, ſed perficit hæc officia, vt ſimus perfecti, ſicut pater noſter cæleſtis perfectus eſt. Quam, inquit, mercedẽ habetis à Deo ſcilicet, quem nihil ſpectatis. Nec prohibet amare patrem aut matrem, filium aut filiã, ſed plus quàm ſe amare, prohibet. Qui amat, inquit, patrem aut matrem plus quàm me, nõ eſt me dignus. Mandans etiam vt eos odio habeamus, non naturæ opera, nec eius affectiones prohibet, niſi inordinatas tantũ. Affectiones enim ſecũdum quas parentibus volumus benè eſſe, & in vita conſeruari, amantes ſubſtantiam à Deo conditam, ſocietatem & conuictum, non ad fruendum ipſis, ſed vel propter ipſos, vel vt miſeriæ noſtræ ſolatium, nullum præſtant charitati impedimentum, cuius fundamentum eſt natura. Nam ſecũdum Philoſophorum ſententiam
& patrum etiam Eccleſiaſticorum, virtutes *Virtutes à*
nobis inſunt à natura, & modo quodã ſunt *natura no-*
naturales. Omnibus enim ſinguli mores (ait *bis inſunt.*
Ariſtoteles naturæ & infirmitatum eius in-
ueſtigator diligentiſsimus, quamuis cauſam *Lib. 6. Ethic.*
earum ignorauerit) ineſſe quodam modo na *cap. vltimo.*
tura videtur. Etenim & iuſti natura, forteſque atq; ad temperantiam nati videmur, cæ-
teraque continuò habemus ab ipſo ortu. Et *Lib.3. ortho.*
Ioãnes Damaſcenus, Naturales, inquit, ſunt *fidei, cap.14.*
virtutes, & naturaliter & æquè omnibus in- *1.2 q. 63.*
ſunt, & ſi non omnes æquè operemur. Quod *art.1 & q.*
interpretatur beatus Thomas ſecundũ quan *9. de virtu-*
dam inchoationem virtutem eſſe homini *tibus.*
naturalem, etiã poſt lapſum eius in peccato *Virtutes à*
Adæ. De hoc enim hominis ſtatu patres lo- *natura no-*
quuntur. Et à natura ineſſe ſecundum hanc *bis inſunt*
ſecundum

inchoa-

inchoationẽ etiam poſt lapſum in peccatum.

inchoationem interpretatur, in quantum in ratione hominis inſunt quædã principia naturaliter cognita, tam ſcibilium quàm agendorum, quæ ſunt quædam ſeminaria intellectualium virtutum & moralium, & in volũtate appetitus quidam boni quod eſt ſecundum rationem. Quæ virtutũ ſeminaria nobis inſunt, in quantũ ſumus rationales: Furtum certè punit lex tua Domine, ait B. Augustinus, & lex ſcripta in cordibus hominũ, quam ne ipſa quidem delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur? libro de libero arbitrio. In naturali iudicatorio, inquit, adſunt quædã regulæ & ſemina virtutum, quam dicimus ſynderesim. Latè de his virtutum ſeminibus loquitur B. Hieronymus, in commentarijs epiſto. ad Galat. Ex quo, inquit, perſpicuum fit natura omnibus ineſſe Dei notitiam, nec quenquã ſine Chriſto naſci, & non habere ſemina in ſe ſapientiæ & iuſtitiæ, reliquarumq; virtutum. Vnde multi abſq; fide & Euangelio Chriſti, vel ſapienter faciunt aliqua, vel ſanctè, vt parentibus obſequantur, vt inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant, magisq́ue iudicio Dei obnoxij fiant, quod habentes in ſe principia virtutum & Dei ſemina, non credunt in eo ſine quo eſſe poſſunt. Et B. Baſilius, Omniũ mandatorum quæ à Deo accepimus virtutes in nobis ipſis inſitas gerimus, quo ſcilicet nec difficultas nobis ſit, tanquam nouum aliquid à nobis & alienum expectetur, neq; rurſum elationis dari nobis aliqua videatur occaſio, ſi putemus nos plus aliquid offerre Deo, quam ab ipſo in natura noſtræ creationis accepimus. Quoniam quidem ea quæ à Deo nobis inſita ſunt, ſi rectè & competenter moueamus in opus, hoc eſt, ſecundum virtutem viuere. Si verò naturæ beneficia corrũpamus, hoc eſt, in malitiam vertere. Eſt ergo mali iſta definitio, nõ rectè vti motibus animi à Deo nobis inſitis. Et rurſum virtutis iſta definitio eſt rectè vti, id eſt, ſecundum mandatum Dei & ſecundum conſcientiam animi motibus à Deo nobis inſitis. Cum ergo hæc ita ſe habeant, hoc idem inuenimus de charitate cõſtare. Nam dilectionis virtutem à Deo anima ſibi inſitam gerit, in quo nec extrinſecis teſtimonijs indigemus. Vnuſquiſque enim in ſemetipſo & ex ſemetipſo horum quæ dicimus ſumit iudicium. Omnis homo cupit quod bonum eſt, & affectu quodam naturali conſtringimur ad omne quod bonum putamus, ſed & erga cõſanguineos & carnis proximos, nullo docẽte, amore conſtringimur, hisq́ue quorũ beneficia accipimus omni affectu & officijs copulamur. Et quid habetur tam bonum quàm Deus, imò quid aliud bonum, niſi Deus ſolus? Quemadmodũ igitur peccatum eſt contra naturam, naturæq; corruptio, ita ſecundum naturam & naturalis eſt virtus. Non enim vſq; adeo in anima humana imago dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, vt nulla in ea veluti lineamenta extrema remanſerint: & ideo meritò dici poteſt, Gentes impias etiam in impietate vitæ ſuæ aliqua legis facere vel ſapere, quæ ſecundum iuſtitiæ regulam non ſolùm vituperare non poſſumus, verùm etiam meritò recteq́ue laudamus. Et B. Auguſt. Quod dixi Adam imaginem Dei, inquit, ſecundum quã factus eſt, perdidiſſe peccato, nõ ſic accipiendum eſt, tanquam in eo nulla remãſerit, ſed quòd tam deformis ſit facta, vt reparatione opus haberet. Item alibi. Quamuis homo variè conturbetur, & ſequatur paſsiones ſuas, & pecator ſit, in imagine tamen ambulat, & Dei imago manet. Nam Origenis error fuit, quod peccator imaginem Dei non habet, vt dicitur in epiſtola Epiphanij. De quo beatus Thomas in 1. parte quæſt. 93. art. 4. ſecundum hanc autem imaginem homo Dei capax eſt, & ad bonum rationis propenſus. Nouit hoc Ariſtoteles quod ratio rectè & ad optimas res inuitat, & quod in ea ſit aliquid diuinũ. Vita, inquit, hominis beati, ſiue iuſti, ſuperat hominis naturam. Non enim hoc ipſo quo homo eſt ita viuet, ſed quo eſt in ipſo quid diuinum. Quòd ſi mens quid diuinum ad ipſum hominẽ eſt, & vita quæ ab hac manat diuina eſt reſpectu ipſius vitæ humanæ. Hinc concludit, quod oportet, quoad fieri poteſt immortales nos ipſos facere, cunctaque efficere, vt ea vita viuamus, quæ ab eo manat quod eſt eorum, quæ in nobis inſunt præſtabiliſsimum. Et beatus Paulus ſententiam poetæ probat, quod ipſius Dei genus ſumus, & quod in nobis eſt diuinum eſſe, ſecundum id quod etiam philoſophi & poetæ quos citat, cognouerunt. Hinc tradunt perpetuam etiam pugnam in homine rationis contra appetitũ ſenſitiuum, & econtrà: perpetuam etiam in malis pœnitentiam, triſtitiam, & conſcientiæ remorſum, ſecundum ſynderesim. Nõ enim ſolùm ſpiritus ſanctus aduerſus carnem concupiſcit, & ediuerſo, verùm etiam ſpiritus humanus, ſecundum id quod eſt in eo diuinum. Nam ſecundum Ariſtotelẽ in homine aliud quid præter rationem ineſſe videtur, quod quidem repugnat reſiſtitq́ue rationi. Vt enim diſſolutæ corporis partes ſi ad dexterã mouere velis, in ſiniſtram feruntur, ſic planè ſit & in anima. Ad contraria enim incontinentium appetitiones ferũtur. Et qui multas res graues atq; nefandas egerunt, vitam ob prauitatem odio habent ac fugiunt, ſibiq́ue mortem cõſciſcunt, & eorum anima ſemper eſt in ſeditione, atque interdum ob prauitatem dolet, abſtinens à quibuſdam, interdum lætatur: & hæc quidem pars huc, illa autem illuc trahit, vt diuellentes. Improbi namque pœnitentia ſunt referti. Cor enim impij, ait ſcriptura, quaſi mare feruens. Naſcitur autem hoc bellum ex appetituum hominis contrarietate, quemadmodũ ex contrarijs elementis quibus corpus humanum cõſtat, infirmitates & tandem mors conſequuntur. Contraria enim in propria tendent, & ab harmonia ex priuatione iuſtitiæ originalis tanquã freni ac gubernaculi cuiuſdam, quo in ordi-

Lib.2. conf. cap.4. — *Cap 1. circa locum. Cùm autem placuit ei qui me ſegregauit de vtero &c.* — *Cap.2. regulæ ſuæ.* — *Thom. 1.2. q.71. art.2.* — *Aug.28.ca. de ſpirit. & lit.* — *Lib 2. retra. cap.24.* — *Libr 4. de Trin. cap.4. & 8 et Magiſt diſt.3. lib.1.* — *Tho.3. operum Hieron.* — *Cap. vlt. 1. Ethic.* — *10. Ethicor. c.2. tract.2.* — *Act.19.* — *Cap. vlt. 1. Ethic.* — *Lib 9. Ethi. cap.4.*

ne continebantur, exorbitant. Nec tollitur vnius inclinatio per aliam in contrarium, ſed duntaxat impeditur: integra enim manent in homine, vt etiam in dæmonibus, naturæ principia, ex quibus conſtituitur cum omnibus proprietatibus, quæ eam ſequuntur, quales ſunt potentiæ & vires animæ, vt dicit B. Dionyſius, imò nec diminuuntur, cũ ſubſtantia nec magis nec minus ſuſcipiat: ſola autem ad bonum virtutis inclinatio per peccatum diminuitur, & donum originalis iuſtitiæ totaliter eſt ablatum. Diminuta eſt autem ad bonum inclinatio, in quãtum per actus peccati ad ſimiles nata eſt inclinatio. Ex eo enim quod aliquid inclinatur ad vnũ cõtrariorum, diminuitur eius inclinatio ad aliud. Nam homo in puris naturalibus conſiſtens cũ ſolis proprietatibus ex natura fluentibus, ſine conſortio diuinæ naturæ, qualem ſecundum beatum Auguſtin. Deus creare poteſt, non aliter differt ab homine ex Adam peccatore nato in peccato originali, niſi ſicuti homo veſtibus exutus, & à latronib⁹ ſpoliatus, ab eo qui natus eſt nudus: & ſicut pauper ex parentibus natus, ab eo differt qui diuitijs eſt ſpoliatus. Ex abſentia autem iuſtitiæ originalis, quæ plenam faciebat in homine harmoniam & omnium virium ordinem continebat, ſecutum eſt quòd ſingulæ vires animæ in propria commoda ferantur, atque ita perpetuum prælium & ad contraria appetitiones ſequantur. Manifeſtum igitur eſt, virtutem moralem nobis à natura ineſſe ſecundum ſeminaria, hoc eſt, principia quæ nobis cognata ſunt, & ratiõi in ſua creatione complantata, in quibus virtutum, vt diximus, ex B. Tho. fit inchoatio, non ſolùm ſecũdum earum officia, verumetiam circunſtantias & fines officiorum. Quòd verò dæmones actum naturæ bonum exercere non poſsint ex naturæ ſuæ principijs, naſcitur ex eorũ in malo obſtinatione, vt docet beatus Thom. in 1. parte, ſicut ſecundum eum ſancti ob confirmationem in bono, peccare non poſſunt. Et latiſsimè Ioan. Capreolus, adducens etiam multa ex Gregorio de Arimino, de integritate naturalium in dæmonibus.

Cap 4 de diuin. nomi.

Thom. 1 2. q. 85. art 1. & de malo. q. 2. art. 10. & 11.

Lib 1 retract. cap. 9.

Quæſt. 64. artic. 2.

2. lib. ſent. diſtin. 7.

DIſputat autem contra hęc virtutum ſeminaria nobis innata & immanentia B. Proſper, ſed eo ſenſu de ſeminibus loquitur, quem poſt Pelagiũ ſecutus eſt Caſſianus. Illarum namq; virtutum ſemina Caſſianus nobis docuit eſſe concreta, quæ ſunt principia operum pietatis, & quæ noſtram in Chriſto ſalutem promouent, atq; ad eam perducunt. Probat enim quòd religioſæ cogitationes & ſancta cõſilia, nulla Dei inſpiratione concipiuntur, ſed quòd de naturali poſſunt prodire ſapientia. Tractans enim ſermonem Domini ad Dauidẽ regem, Quod cogitaſti in corde tuo ædificare domum nomini meo, benè feciſti hoc mente pertractans: veruntamen nõ tu ædificabis domum nomini meo. Hæc, inquit, cogitatio atq; tractatus Regis Dauid, verum ne bonus an malus, & ab homine fuiſſe dicendus eſt? Et concludit, Reſtat ergo vt & bona hæc cogitatio, & ex homine fuiſſe credatur. In quem modum etiã noſtras quotidiè cogitationes poſſumus iudicare. Neque enim ſoli Dauid bonum ex ſemetipſo cogitare conceſſum eſt, & nobis, ne quid boni vnquam ſapere aut cogitare poſsimus, naturaliter denegatur. Dubitari ergo non poteſt, ineſſe quidem omni animæ naturaliter virtutũ ſemina, beneficio creatoris inſerta, ſed niſi opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt peruenire, quia ſecundum beatum Apoſtolum. Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementũ dat Deus. Adiacere autem homini in quamliber partem, arbitrij libertatem, etiã liber ille qui dicitur paſtoris, apertiſsimè docet, in quo duo angeli vnicuique noſtrum adhærere dicuntur, id eſt, bonus & malus: In hominis verò optione conſiſtere, vt eligat quẽ ſequatur, &c. quæ ſequuntur. Certum eſt autem huiuſmodi virtutum ſemina, imò nec cogitationes quidem, nec affectus ex natura liberi arbitrij naſci aut eius viribus. Gratia enim excitat liberum arbitrium, ſecundum catholicam doctrinam B. Bernardi, cum ipſa ſeminat bonũ cogitatum. Contra quam doctrinam verè Pelagianam rectè diſputat B. Proſper, nõ autem contra ſemina virtutum quæ conſiſtũt in naturali agendorum cognitione, & affectus ſecundum eam deſiderio & conformitate. Ait enim B. Proſper contra Caſsianum, Si dubitari non poteſt ineſſe omni animæ naturaliter virtutum ſemina beneficio creatoris inſerta, ſolus Adam præuaricatus eſt, & in peccato eius nemo peccauit? In nullis iniquitatibus concepti ſumus, & in nullis nos matres noſtræ peperere delictis. Et docet ſine fide non eſſe virtutum ſemina aut pias cogitatiões. Qui dicit, inquit, ſine vllo opere gratiæ naturaliter omni animæ ſemina ineſſe virtutum, quid laborat oſtẽdere, niſi de iſtis ſeminibus quædam germina præcedentium Dei gratiam pullulare meritorum? Vbi nihil attingit de naturali cognitione, qua cognoſcimus parentes eſſe honorandos, non eſſe mœchandum, nõ eſſe furandum. Nihil etiam attingit de voluntatis affectibus, qui illius ſequuntur naturam: De quibus B. Hierony. in comment. epiſtolæ ad Galatas: Beatus Auguſtinus: Baſilius, & philoſophi, quorum ſuprà meminimus. Nihil enim habet conſequentiæ, quòd ſolus Adã in ſuo peccato peccauit, ſi naturalia integra in eo & poſteritate manſerint. De quibus etiã ſeminibus multa diximus circa articulum ſeptimum de libero arbitrio. Et ſicut diximus de beato Proſpero quòd improbet ſententiam Ioannis Caſsiani, nõ autem beati Hieronymi, patrum eccleſiaſticorum, aut philoſophorum, ita beatus Auguſtinus diſputans contra Iulianum Pelagij ſectatorem eius, de virtutibus Ethnicorum reprobat & reijcit ſententiam, non autem eas virtutes quarum ſemina naturę noſtræ docet &

ipſo

Contra collationem 13. Caßiani.

3. Reg. 6. & 1. Parap. 18.

Collat. 13. Cap. 12.

1. Corin. 3.

De grat. & lib. arbit.

Eadem c[.]l[…] lat. one[…]

Epiſt 142. & ſequentibus.

ipſe eſſe inſerta. Erat autem Iuliani opinio, vt docet Auguſtinus, quòd virtutes quibus rectè viuimus, non ſunt Dei dona, nec gratiæ Chriſti tribuēdæ, ſed naturę humanæ & eius viribus, & proinde eſſe apud Ethnicos à Chriſti fide alienos, & quòd propterea homines abſque fide in Chriſtum benè viuere & deo placere poſsint per legem naturæ, & verè ſint iuſti & boni abſque dono diuinæ gratiæ ex ſolis ingeniti arbitrij viribus. Dicebat præterea bonam hominis voluntatem præcedentē mereri atq; obtinere gratiam Chriſti, ſecundum quam prius ſteriliter iuſtus, ſit fructuosè iuſtus, & dignus qui poſsideat regnum cœlorum. Bonam enim dicebat eſſe hominis naturam quæ generoſi cordis ſtimulis diuinæ gratiæ opitulationem mereri poſsit, & ſine gratia aliquid boni agere & incipere, & in bono cœpto perſeuerare, atque ex ſtimulis ac talento virium naturalium laudabilia quædam opera efficere Deoque placere. Negabat enim cum Pelagio peccatum originale & lapſum naturæ noſtræ in Adam: tales autem nos naſci aſſerebat, qualis conditus eſt primus homo noſter parens, nec aliquo modo per eius peccatum naturam eſſe vitiatam: atque ita poſt philoſophos nos verè iuſtos fieri, fortes, & temperatos, iuſtè fortiter & temperatè agendo. Sicut ex operibus noſtris virtutes naſcuntur, ita ex iiſdem augeri & perfici. Item ſine Chriſti gratia contingere vitam æternam, ſed nō regnum cœlorum, prout docet B. Auguſt. plurimis locis Pelagium hoc docuiſſe. Putabat enim homines non malos naſci nec vinculo damnationis obſtrictos, & ideo accedente vſu rationis poſſe facere opera Deo placentia, quibus mereantur diuinæ gratiæ habere adiutoria, & ad ſolū regnū cęlorū gratiam Chriſti eſſe neceſſariam, non aūt ad faciendum hominem bonum ſaltem ſteriliter. Totam igitur regulā fidei noſtræ euertebat, quæ tradit virtutes quibus rectè viuitur & Deo placemus, eſſe Dei dona: neminem poſſe rectè viuere, niſi ex fide per Ieſum Chriſtū: Iuſtus enim ex fide viuit. Et hominum genus introducebat, quod per ſolā naturā Deo placere poſsit, contra apertam Apoſtoli ſententiam, Sine fide impoſsibile eſt placere Deo. Contra hāc ſententiam Iuliani multis argumentis, multiſq; tū rationib[9] tum ſcripturis agit B. Aug. quæ validę & efficaces ſunt ad conuellendam Iuliani opinionem de virtutibus Ethnicorum, ſed nihil contingunt virtutes de quibus philoſophi & patres Eccleſiaſtici, imò & ipſe Auguſt. varijs in locis, & potiſsimum cap. 3. libro 4. contra Iulianum ſe explicat, quòd non loquatur de virtutibus philoſophorū. Non enim abſurdè virt[9] definita eſt, inquit, ab eis qui dixerunt: virtus eſt animi habitus naturæ modo atque rationi conſentaneus: ſiue vt Cicero habet, in modū naturæ rationi conſentaneus. Verum quidem dixerunt. Sed quid ſit conſentaneum liberandæ atque beatificādæ diuinæ mortalium (quod certè naturale rationis lumen ſuperat) neſciebant. Neque enim omnes homines naturali inſtinctu immortales & beati eſſe vellemus niſi eſſe poſſemus. Sed hoc ſummum bonum præſtari hominibus non poteſt niſi per Chriſtum & hunc crucifixum, cuius vulneribus natura noſtra ſanatur, ideoque iuſtus ex fide Chriſti viuit. Ex hac enim fide prudenter, fortiter, temperāter, & iuſtè, ac per hoc his omnibus veris virtutibus rectè ſapienterque viuit, quia fideliter viuit. De his igitur ſolis virtutibus loquitur. Et clariſsimè ſe explicans quas appellet veras virtutes, concludit: Si ergo ad conſequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides quæ in Chriſto eſt vera, promittit, nihil proſunt homini virtutes, nullo modo verè poſſunt eſſe virtutes ſine fide in Chriſtum. Et in fine eiuſdem capitis. Ne tecū de verbis certare videar, breuiter accipe. Quoniam ſaltem concedis opera infideliū quæ tibi vidētur bona, nō tamen eos ad ſalutem ſempiternam regnūq; perducere, ſcito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum per quod ſolum homo poteſt ad æternum Dei bonum regnumque perduci. Omnia proinde cætera, quæ videntur inter homines habere aliquid laudis videātur tibi virtutes verę, videātur opera bona, & ſine vllo facta peccato: quod ad me attinet hoc ſcio, quia non ea facit voluntas bona. Voluntas quippe infidelis atque impia, non eſt bona. Dicantur ſecundum te huiuſmodi voluntates arbóres bonæ, ſufficit quod apud Deum ſteriles ſunt ac per hoc non bonæ. Sint inter homines fructuoſæ, inter quos ſunt & bonæ, te authore, te laudatore, ſi vis etiam plantatore, dum tamē illud velis nolis obtineam, quòd amor mundi, quo quiſque amicus eſt huius mundi, non eſt à Deo, amorque fruendi quibuſcunq; creaturis ſine amore creatoris, nō eſt à Deo: amor autem Dei quo peruenitur ad Deum, non eſt niſi à Deo patre per Ieſum Chriſtum. Per hunc amorem creatoris bene quiſque vtitur etiam creaturis. ſine hoc amore creatoris nullus quiſquam bene vtitur creaturis. Vnde concludit: Hoc ergo amore opus eſt: vt bonum beatificum ſit & pudicitia coniugalis, de qua in principio capitis incepta eſt cum Iuliano diſputatio. Damnat igitur & efficaciter improbat Beatus Auguſtinus hoc quod aſſerebat Iulianus per virtutes quas ſua induſtria operando acquirunt Ethnici, eos fieri verè bonos & iuſtos, ac Deo placere, & per generoſi cordis ſtimulos excitatos ſine gratia Chriſti, bonum incipere poſſe, ac gratiæ opitulationē mereri. Non aūt improbat quòd ex operib[9] rationi rectæ conſentaneis, ſecundum lumē intellectuale, in quo quid agendum ſit cum omnibus circunſtantijs iudicat & diſcernit, naſcuntur habitus ad ſimiles operationes inclinantes, quos nomine virtutis philoſophi intelligunt. Quomodo ab Ariſtotele virtus deſcribitur, Habitus electiuus in medio

Lib. 4. cōtra Iulia cap. 3.

Quæ fuerit Iuliani ſentētia de virtutibus quas docent philoſophi.

Li. de peccatorum remiſſione. ca. 20 lib. 1.

Epiſt. 99. ad Euodium. Epiſt. 5. ad Marcel. Epiſt. 103. ad Cyrenenſes.

Quod opus Auguſt. vocet bonū et quam voluntatē bonam.

Li. 2. Ethic.

critate conſiſtens ea quæ eſt ad nos definita ratione,& vt definierit ipſe prudẽs.Id quod manifeſtum fiet ſi expendamus rationes & ſcripturas,quibus contra Iulianum agit.Argumentatur enim. Non poteſt eſſe vera pudicitia in animo fornicante à Deo: Animus autem infidelium fornicatur, dicente ſcriptura, Ecce qui longe ſe faciunt à te, peribunt,perdidiſti omnem qui fornicatur abs te.Vbi palam eſt Auguſtinum vocare veram pudicitiam,eam quæ eſt ꝑ fidem viuam,qua animus Deo viuit caſtus & pudicus. Poteſt enim in anima peccatrice eſſe habitus moderatiuus delectationum circa actus venereos coniugatorum, ſecundum omnes eorum circunſtantias, videlicet vt commiſceantur propter bonũ prolis ſuo thoro contẽti Item quia hoc honeſtũ eſt.Nec fornicatio iſta cum pudicitia quæ pertinet ad virtutem temperantiæ pugnat.Et ſolum per tropũ appellatur fornicatio. Mens enim à Deo bono ſuo beatifico & fine vltimo auerſa,rectè poteſt eſſe diſpoſita & ordinata ad finem proximum ſui operis,vt circa delectationes guſtus, & tactus,per temperantiam, ex multa aſſuefactione & experientia acquiſitam. Circa metum & audaciam periculorũ mortis per fortitudinem: & per iuſtitiam in operibus quæ fiunt commutando & diſtribuendo ex debito ad alterum:per prudentiam in iudicando & præcipiendo circa ea quæ agere oportet: Sicut cum errore circa principium vera cognitio eſſe poteſt circa concluſionem,quamuis non perfecta,ſi in ſua principia reſolui non poſſit, quomodo nec perfecta virtus eſſe poteſt ſine charitate, per quam eſt recta mentis ad Deum finem vltimum ordinatio. Quòd autẽ huiuſmodi virtutes ex operibus in nobis naſcantur per experientiam docet Ariſtoteles 2. Ethicor. & B Thomas 1.2.quæſt.63.Quòd verò Auguſtinus dicit non poſſe nos incipere, nec perficere opus bonum ſine gratia Dei, intelligit opus pietatis & ſalutis,de quo Apoſto. Paulus, Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere, quando noſtram operamur ſalutem. Sæpe enim interpretatur locum Apoſtoli, Non ſumus ſufficientes aliquid cogitare à nobis quaſi ex nobis, eſſe intelligendum de his quæ pertinent ad pietatem & religionem. Et ideo contra Iulianum efficax eſt hoc argumentum, non autem contra habitus virtutum, qui ex operibus generantur.Similiter quòd in Auguſtino ſequitur, Nullum eſſe meritum quo animus ex impio fiat iuſtus,quia voluntas præparatur à Domino:& ideo ſtudium bonæ voluntatis diuinæ gratiæ opitulationem mereri non poſſe,Iuliano aduerſatur, non virtutibus Ethnicorum.Et quamuis homines alienià fide ex ingenitę libertatis viribus crebrò inueniantur modeſti,caſti,ſobrij,tamen quia hiuſmodi ſtimulos generoſi cordis impreſsit naturę conditor,ſub cuius occulto iudicio alij fatui,alij induſtrij naſcuntur, tolerabilius huiuſmodi virtutes in impijs, diuinæ potius

1. argumẽtũ B. Auguſtini contra Iulia.

Artic.2. Reſponſio ad ſecundum argu. Philip.2

2.Cor.3.

De prædeſt. ſancto. ca.2.

Ad tertium

quàm eorum voluntati B. Aug. tribuendas rectè cenſet,licet ipſi hoc neſciant. Sed hæc ratio tantùm oſtendit quædam Dei dona eſſe gratuita, naturæ tamen talenta, quamuis non faciant animum eſſe ſine peccato nec tamẽ ſunt peccata. Quòd autem à Iuliano petit B. Aug. quomodo in illo eſſet virtus, in quo nõ eſt vera humilitas,nec vera ſapientia fidei,qua credat ſe filium mortis,& ſola miſericordia liberatum, quia iuſtus ex fide viuit? Fides autem ex Dei gratia deſuper datur.Hic Beatus Auguſtinus vocat veram virtutem fidem ex ſpiritus inſpiratione viuam ſiue charitatem.Et eodem cap.vocat arborẽ bonam,hominem bonæ,hoc eſt,per charitatem formatæ voluntatis,imò ſolam charitatem quodam loco docet eſſe virtutem qua rectè viuimus, & perducimur ad regnum Dei. Ait enim ad Beatum Hieronymum, Vt generaliter breuiterque complectar, quam de virtute habeant notionem, quod ad rectè viuendum attinet,virtus eſt charitas,qua id quod diligendum eſt diligitur, quæ in alijs maior,& in alijs minor,in alijs nulla eſt. Et de morib' Eccleſiæ, Nihil omnino eſt virtus, inquit, niſi ſummus amor Dei. Et quòd quadripartita ſit virtus,ex ipſius amoris vario quodam affectu dicitur, vt temperantia ſit amor,integrum ſe præbens ei quod amatur:fortitudo,amor facilè tollerans omnia propter Deum qui amatur:iuſtitia,amor ſoli amato ſeruiens,&,ꝓpterea rectè dominãs: & prudentia,amor bene diſcernens ea quib' adiuuetur in Deum, ab ijs quibus impediri poteſt. Sed declarat ſe loqui de virtute quæ ad vitam beatam ducit.Nam ſecundum ſublimiorem rationem ac diuinam, virtus hoc ſenſu dicitur,& ſecundum legem ſiue regulam ſuperiorem ad ſupercœleſtem finem dirigit,quam certum eſt non eſſe in Ethnicis, nec in aliquo impio,aut peccatore etiam fideli.Facit enĩ operantem, & opus eius ſimpliciter bonum,& perfectè bonam eius voluntatem quod propriũ eſt charitati, vt diximus ex epiſtola B. Aug. ad Beatum Hieronymum.Quamuis igitur in Ethnicis non ſit vera ſapientia,qua nos vitam noſtram ſecundum regulas fidei & rationes increatas, quæ ex ſacris ſcripturis nobis innoteſcunt, inſtituimus & dirigimus,hoc eſt,ad bonum beatificum, in lumine tamen intellectus agentis nobis concreato, id eſt, in lege ſcripta in cordibus hominum, quam ne ipſa quidem delet iniquitas:legimus& videmus non eſſe furandum nec mœchandum:& quæcũq; volumus vt faciant nobis homines, vt nos faciamus etiam illis, ac generaliter quid nobis agendum ſit ſecundum huius vitæ honeſtatem, item quo fine quibuſq; circunſtantijs. Eſt enim hoc lumen à Deo naturę conditore quãuis gradu multò inferiore, quàm eſt illuſtratio fidei:de quo Apoſ. Petrus, Qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuũ. Et B. Ioannes. Tenebræ tranſierunt, & verũ lumen iam lucet. Hoc lumine naturali ſcilicet illuſtrati infideles facere poſſunt quædã opera,

Ad quartum

Ad quintũ

Epiſt.29.

Sola charitas eſt virtus qua rectè viuimus.

Lib.1.ca.15.

Aliter Aug. has virtutes definit li 1. de lib. arb. cap. 13.

Epiſt.29.

1 Pet.2.

1.Ioan.2.

Aug. de ſpir. & lit. c. 27. opera, quæ ſecundum iuſtitiæ regulam non ſolum vituperare non poſsumus, verum etiam merito recteq; laudamus. Non enim ſic corrupta eſt anima, vt diximus, per peccatū, vt in ea non manſerit ſenſus & affectio honeſtatis. Humilitatem autem quam ſcripturæ commendant ſecundum quam miniſtramus & operamur quaſi ex virtute quam largitur Deus, nō nouit philoſophia, quamuis eam quæ ſumitur ſecundum regulam inferiorem (naturalem ſcilicet rationem, qua Deus cognoſcitur prima cauſa in qua viuimus, mouemur, & ſumus) eam cognoſcere & præſtare poſsit, ſicut & gratias agere, ſecundum Apoſt. Paulum ad Romanos. Et reuera gratis mortu^9^ eſſet Chriſtus, ſi ex viribus liberi arbitrij, & hoc lumine concreato eſſe poſſet iuſtitia, qua liberamur à peccatis & reatu dānationis æternæ. *Rom. 4.* Si enim Abraham, inquit Apoſtolus Paulus, ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum: non autem ſi ex operibus rectæ rationi conſentaneis iuſtitia in nobis naſcatur, qua ad iuſte agendum ſumus propenſi, quomodo ex temperato vſu cibi & potus, prout rectæ corporis valetudini cōducit, naſcitur promptitudo vtendi temperatè corpori neceſſarijs. Hæc enim ad peccatorum remiſsionem non ſufficit, nec valet ſine fide ad Chriſtum. Quando autem dicit B. Auguſtinus verā virtutem eſſe, qua peruenitur ad verum rationalis animæ beatificum bonum, ſeipſum declarat, ſecundum quam rationem de virtute loquatur. Nec improbat philoſophorum definitionem, ſed interpretatur pro ſuo inſtituto, ad ſublimiorem, hoc eſt, diuinum gradum eam attollens. Oſtendit enim eam deficere à verę virtutis ratione, cuius opera grata & accepta ſunt Deo ad remunerationem futuri ſeculi.

Addit deinde B. Auguſtinus virtutes non officijs tantùm, vt docet Iulianus, ſed finibus diſtingui, intendens officiorum, hoc eſt, operum virtutum finem debere eſſe Deum, Non enim, inquit, vera eſt virtus quæ ſeruit alteri, quàm cui dicimus, domine virtutum conuerte nos. Et ſi ad ſe referuntur, non eſſe tales virtutes, per quas animus hominis fiat iuſtus. Certè veriſimile non eſt, quod Iulianus contra omnem philoſophiam, & naturalis rationis iudicium, omnemq; ſcripturam, nudis officijs virtutem definierit ſecluſis circunſtantijs, maximè finis, & dixerit veras eſſe virtutes tolerantiam & ſapientiā auarorū hominum, ſed ſolum hoc dixiſſe videtur, quod ad finē creatum & temporalem referri poſsint, videlicet ad proximum operis finem, vt ad fratris egētis ſubuentionem, & releuandum eum à miſeria, eleemoſynæ largitio. Proprios enim & immediatos fines habent omniū virtutum officia, qui inde referri poſsint ad finem vltimum. Et quamuis virtutes earumq; officia per ſe ſint expetibilia propter ſuā pulchritudinem & honeſtatē. Detinent enim ſui poſſeſſores ſyncera & ſācta dilectione, & in eis pariunt ſpirituale gaudium, vt dicit Magiſter, concilians inter ſe varias & in ſpeciem contrarias ſententias Amb. & Aug. Ait enim B. Ambroſius, quod *Lib. 1. diſt. 1. Cap. 5.* Apoſtolus Paulus ad Galathas, Charitatem, patientiam, manſuetudinem, & reliqua quæ nominat, nomine fructuum appellat: quia ſicut fructus, per ſe ſunt appetenda, ſed tanquam participationes quædam & riuuli defluentes à Domino virtutum, ad quem ſunt reducenda & referenda, ſemper autem referibilia, quamuis hoc nec aduertatur nec conſideretur. Et Domino virtutum ſeruiunt hæ virtutes, in quantum ſequuntur inclinationem & ſtimulos à Deo naturę conditore impreſſos. Faciunt enim officium ad quod ab eo mouentur. Vt autem ex amore fidei caſto Deo ſeruiatur, naturam eiuſque vires ſuperat, nec ab eis hoc requirit Deus. Et ſicut Principi ſeruiunt qui eum non nouerunt, *Matth. 25.* miniſtris eius ſubſeruientes in opere eis cōmiſſo, vt gregarius miles ſuo Centurioni, cuius vexillum & imperium ſequitur, ita fratribus noſtris miniſtrātes Deo ſeruimus. Confitebitur enim in iudicio, Quod feciſtis vni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Non enim ſolum principi ſeruiunt ij qui eius perſonæ aſsiſtunt, ſed vniuerſi qui in eius aula quocunq; funguntur officio. Et quamuis vna virtus ad aliam perfectiorem ordinetur, quomodo finis præcepti, & omnium virtutum eſt charitas, nulla tamen ad ſe refertur, ſed ad proprium hominis bonū quem in affectibus & operibus magis ac magis perficiunt. Quando igitur dicit Beatus *Pſal. 79.* Auguſtinus quòd vera virtus non eſt quę ſeruit alteri, quàm cui dicitur, Domine virtutum conuerte nos, loquitur ſuo more de virtute, videlicet de ea, cuius officia Deo placent, & de ſeruitute caſti amoris, & è ſpiritu charitatis prodeuntis. Quòd verò nulli homines ſint ſteriliter verè boni, efficaciter ex ſcripturis probat Aug. quia omnis arbor quę non facit fructū bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Cui tamen nō repugnat quod quidam boni eſſe poſſunt, in ordine ad finē proximum bene diſpoſiti, & non ad Deum finem vltimum. At quia mentem non rectè ad Deum diſpoſitā habent, ſed per peccatum originale auerſam, nec placēt qui iuſti ſunt ex operibus, ſecundum philoſophorum doctrinam, nec eos Deus amat, imò miſſurus eſt eos in ignem æternum aut in locum aliquem medium ſecundum Iulianum & Pelagium. Verè enim impij ſunt & Deo abominabiles. Nec ſufficit Deo conuerſio ad ipſum per amorem naturalem, eò quòd perfectiorem ei dedit in primo parente: quem ſi non dediſſet, nō poſſet ei non placere homo ſecundum hanc iuſtitiā operum, quæ naſcitur ex virtutibus naturæ, nec aliam exigere *Cap. 10. & ſequent. ca. 11. Fons errorum Iuliani et Pelagij.* poſſet, quàm diu eam non daret nec homo acciperet. De quo multa B. Auguſtinus libro tertio de lib. arb. & de correptione & gratia. Ex huius igitur peccati originalis & rectitudinis, in qua Deus rectum creauit hominem, ignorātia, totus Iuliani & philoſophorum

phorum error proceſsit, quòd ſcilicet iuſtos definierunt, qui ſecuti rectæ rationis naturalis iudicium, iuſtè ſunt operati, docentes hanc eſſe perfectam iuſtitiam, qua iuſti reputemur in conſpectu Dei, quum reuera à iuſtitia quam Deus coronat deficiat ſicut tenebræ à luce, non autem ſicut deficit à bono malum, ſed quemadmodum à bono diuino & gratiæ bonum naturæ, quod à Deo quidē etiam eſt ex hominis creatione, ſed non ex gratia & Chriſti redemptione, ſicut Dei iuſtitia: Lumen autem naturæ tenebræ ſunt, ſi conferantur cum luce diuina, qua illuſtramur per fidem. Et ideo bonæ ſunt virtutes morales earumque opera quæ natura parit, per hominis tamē induſtriam vireſq; liberi arbitrij, per quas eas contaminari non oportet, ſicut nec alia hominis opera, quæ naturalibus viribus efficiuntur: & ideo hæc virtutum opera Deo tanquam ſua placent quēadmodum reliqua opera à natura edita, non autem placent in Chriſto nec ob Chriſti gratiam. Quare etiam non faciunt ſuos authores Deo amicos, nec ab ira & Dei indignatione eximere poſſunt. Qui incredulus eſt filio, ait beatus Ioannes, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Nec ſemper referre oportet quodlibet noſtrum opus ad vltimum finem, quem nobis conſtituimus. Non enim auarus omnia propter pecuniam expetit, nec ij quorum Deus venter eſt, neceſſariò omnia propter voluptatem agunt. Quemlibet enim finē operi noſtro præſtituere poſſumus, modò naturæ limites non excedat, imò & vltimum finem non ſemper tāquam vltimum amamus. Poſſumus enim amare aliquid, atque etiam finem vltimum tanquam bonum abſolutè non tanquam optimum, & fugere ſummum malum non tanquam ſummum. Qualis enim quiſque eſt ſecundum habitum & naturalem pronitatē talia tam dicit quam agit, niſi alicuius gratia agat, vt ſuā cohibeat inclinationem, ait Ariſtoteles.

Ioan.3.

Ariſt.4.Eth. ca.2.3.trac.

EST & aliud argumentum Beati Auguſtini aduerſus Iulianum multum apparens, quod plurimum facere videtur aduerſus virtutes etiam Philoſoporum. Mens hominis, inquit, prona eſt & vehemēter inclinata ad ſe amandum tanquam vltimum finem, ad ſe fruendū, vt in ſeipſo finaliter delectetur & ſibi placeat, ſibiq; tribuat bonū, quod ſe facere arbitratur, quamdiu non videt ſummum illud bonum, ſuam miſeriam & captiuitatem. Omnia ergo ſua opera ad ſe ordinat; & non in domino, ſed in ſemetipſo gloriatur. Sed huic reſpondetur, quod mens hominis prona quidem eſt & vehementiſſimè inclinata ad ſuperbiam & ſui amorem, non tamen ex hoc ſequitur, quòd ſemper ex ſuperbia aut ſui amore operetur. Non enim ſicut bruta animalia neceſſariò noſtras ſequimur propenſiones, ſicuti nec inueteratas cōſuetudines, quanuis frequens ſit & ferè ſemper contingat, quòd ſecundum habit⁹ & pronitates operemur. Quapropter dicit Ariſtoteles magis fortis eſſe, ſubitis potius in terroribus interritū eſſe, quā in præuiſis. Eſt enim ab habitu magis & minus ab apparatu. Nam antea viſa cognitione & ratione quiſpiam eligit, at ea quæ repentè eueniunt habitu. propter quod non ſemper quodlibet opus ad vltimum finem, vnū quem nobis ſtatuimus, referre oportet, ſed alium quemlibet ſingulis operibus ſecundum caſus occurrentes conſtituere poſſumus, & alium refutare. Quòd ſi neceſſariò ſine cupiditatis vel amoris noſtri afficeremur, nec honeſtum expetere poſſemus, aut operi noſtro præſtituere, ipſumq; ſequi peccatū nō eſſet, nec imputabile quòd opus noſtrum ad malum finē ordinaretur, vel non ad bonum, eò quòd nō homo hoc faceret aut ordinaret, ſed quod in ipſo habitat peccatum: malum, inquam, non eſſet, niſi fortaſſis culpabilitate & malitia peccati originalis in Ethnico nondū remiſſi, in baptizato verò nulla eſſet culpabilitas, ſed vitium operis tantùm. Non igitur ſimile eſt de vitio ſiue curuitate tibiæ & hominis corruptione, atq; per peccatum relicta curuitate: nec ſequitur, fomitis vitium ſe habet ad liberum arb. ſecundum Auguſt. ſicut curuitas vel clauditas ad tibiā: ſed tibia ob claudicatem non poteſt rectè incedere, nec vitare claudicationem, niſi ablata curuitate, ergo liberum arbitrium, quod ſecundū indubitatam fidem ex peccato primi parentis factum eſt languidum claudum & infirmum, non poteſt quicquam rectè agere, niſi vitio fomitis, quæ eſt eius curuitas, prorſus ſublato. Omnis igitur motus liberi arbitrij in via eſt curuus, vitioſus & peccatum. Non enim per omnia eſt ſimile, quia homo claudus tibia vti non poteſt ambulando, niſi ſecundum curuitatem qua efficitur, quapropter omnis eius inceſſus eſt claudicatio & deformis. Habens autem animum vitiatū malis habitibus & pronitate, animo ſuo vti poteſt ſecundum legem ſpiritus, & ſequi eius inſtinctus & ſtimulos atq; ſynderesim, contēta lege carnis & prauæ cōſuetudinis deſiderijs, ſicut vno habitu & non altero. Habitibus enim vtimur quando volumus. Eodem argumento probaretur, iuſtorum etiam opera eſſe peccata, quod ſcripturis aduerſatur. Sed in hoc eſt ſimilitudo, quòd ſicut curuitas ineſt homini etiam actu non claudicanti, ob quam ambulando claudicationem vitare non poteſt etiam ſi velit: ita & fomitis vitium ineſt homini etiam iuſto & actu non peccanti, propter quod in via Dei ambulando ſpiritualem vitare claudicationem non poteſt, etiamſi velit. Non enim homo iuſtus in hac vita ſine peccato viuere poteſt, etiā ſi maximè ad hoc conetur. Quod ſi hæc curuitas affect⁹ quamlibet actionem noſtrā afficere intelligatur, vt ſaltem feruore ſit minor, vitium eſſe poteſt, non autem culpa, ſi nulla eſt liberi arbitrij negligentia. Ex hac enī fomitis & amoris ad ſe vehementi inclinatione & impetu mens retardatur, ne feratur tanto amore in Deum, quanto ferretur ſi im-

Li.3. Ethic. ca.3.2.trac.

Argumentū apparens.

Reſponſio.

ſi impedita non eſſet. Habitus namque vitiorum remorantur, & multum impediunt actus virtutum contrarios, quemadmodum aſſuetus male facere, difficulter benè operabitur, dicente Domino per Prophetam:

Hierem. 13.

Si mutare poteſt æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis bene facere cùm didiceritis malum. Quapropter minor eſt actus charitatis & reliquarum virtutum, quando in contraria inclinata eſt mens & propenſa. Illud autem quod minus eſt, ex vitio eſt, vt diximus, non tamē culpabile, cùm peccatum nos inhabitans illud operetur. Vnde patet quod opus ex naturali pietate factum, vt veſtire nudum, & paſcere eſurientem, ſecundum ſeipſa bona ſunt, ſed ob magnam naturæ corruptionem, hoc eſt, ſui amorem, operans ea ad ſe refert, niſi huius ſui amoris impetum alicuius cauſa refrenet, & quaſi contra fluuij curſum nauiculam trahat, & ſub graui iugo & onere incuruatum magno conatu ſe erigat, donec exercitatione gratiæ, vel operum aſſuefactione contra ſui amorem, ad bene volendum proximo, & gratificandum Deo habituato, repreſſa fuerit hæc tyrannis & dominium noxiæ cupiditatis, maximè ſi acceſſerit ſimul mala conſuetudo. Ad quod reſpiciens Beatus Auguſtinus, quia plerumq; & fere ſemper contingit, pronunciat omnem infideliū actionem eſſe peccatum. Quia infideli, inquit, hoc eſt, ſtulta & noxia faciunt voluntate, & quod bonum eſt, infideliter & male faciunt.

Li. 4 contra Iuli cap. 3.

SIMILI modo & ſcripturæ quibus beatus Auguſtinus vtitur in hoc eodem capite, efficaces ſunt contra errores Iuliani, nihil autem aduerſantur operibus, quæ ex dictamine luminis naturalis nobis concreati faciunt gentes, vel alij qui legem non habent. Probant enim, quod nemo ſine fide & gratia Dei verè iuſtus aut bonus eſſe poſsit, aut facere quod Deo placet. Item, nec à peccato & ira Dei liberari, aut diuinæ gratiæ mereri opitulationem quæ omnia Iulianus Ethnicorum tribuit operibus. Nam quā diu homo fidē non habet, execrabilis manet & Deo odibilis. Probat preterea non eſſe veras virtutes, quæ hominem non faciunt verè bonum, & filium cœleſtis regni. Item non eſſe homines medios qui iuſti ſunt, nec ſupplicio digni, nec etiam regno cœlorum. Auerſus hos errores efficaces ſunt ſcripturæ quas Auguſtinus citat: An verò infidelis facere poſsit opus quod non ſit peccatum, impertinens erat propoſito Auguſtini contra Iulianum diſputanti, ſicut ipſe palam confitetur in fine eiuſdem capitis & libri. Prima authoritas qua vtitur, ſumitur ex Epiſtola B. Pauli ad Romanos 1. ad Hebræos 10 & originaliter ex prophetia Abacuc, Iuſtus ex fide viuit, hoc eſt, qui ex fide Chriſti iuſtus eſt, ille verè viuit in conſpectu Dei & opera facit verè vitalia & Deo grata ex ſpiritu Chriſti ipſum viuificante. Sed qui fidem non habet, quantumcunq; iuſtus fuerit, & in ſuis virtutibus viuat, reuera mortuus eſt, quemadmodum Epiſcopo cuidam dicitur, Nomen habes quòd viuis & mortuus es. Quæ ſcriptura efficaciter probat, quòd Ethnici per ſua opera nec Deo placeant, nec verè viuant coram Deo verè iuſti in ſuis virtutibus. Iuſtus enim eſt Dominus, & iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius. Abſit, ait Beatus Auguſtinus, vt Deus bonus à quo ſecuris paratur arboribus non facientibus fructum bonum, excidat & in ignem mittat arbores bonas, hoc eſt, homines iuſtos: Secunda authoritas qua vtitur eſt, Sine fide eſt impoſsibile placere Deo. Nihil enim Deo placet niſi in filio, propter quem ſolum placent alij. In eo enim eſt ei beneplacitum, ſine quo diſplicēt vniuerſi & ſunt rei mortis, & æterni ſupplicij. Sunt tamen opera quædā naturę, quæ nec placent, vt ſimpliciter iuſta, quæ iuſtos faciunt & omnem tollant inimicitiam nec peccata ſunt, vt in eum offendant. Quemadmodū bona eſt natura, ita & naturæ opera, quā uis per induſtriam hominis edantur. Non enim oblatum eſt bonum ſemen, quod in agro cordis noſtri ſeminauit paterfamilias per zizania, quæ ſuperſeminauit homo inimicus, imò nec vittatum eſt, ſed ſimul vtrūque excreſcit. Docebat autem Iulianus Ethnicorum opera ſimpliciter iuſta eſſe, & ſuos facere iuſtos, nec tamen ſufficere ſine gratia Chriſti ad regnum cœlorum. Contra quem ait Beatus Auguſtinus, Deus, quod abſit, erit iniuſtus, ſi ad eius regnum verus non admittatur iuſtus, cùm & ipſum regnum eius ſit iuſtitia. Et in fine. c. Iuſtus ergo Deus & bonꝰ bonos in mortē miſſurus æternam? Tametſi igitur nullus ſit homo, qui non ſit vel bonus vel malus, dignus vita æterna, vel reus ſupplicij, ſunt tamen opera quædam media, quę nec fructus ſunt bonæ arboris nec malæ. De quibus Auguſtinus loquens de his qui ſecundum Apoſtolum naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt. Quid, inquit, ſi à Chriſti gratia ſunt alieni, quid eis proderunt excuſantes cogitationes in die qua iudicabit Deus occulta hominum, niſi fortè vt mitiùs puniantur? Sicut enim non impediunt à vita æterna iuſtum niſi peccata venialia, ſine quibus vita hæc non ducitur, ſic ad vitam æternam non proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus niſi difficillimè vita peſsima hominis inuenitur. Itē alio loco dicit huiuſmodi excuſationes defendere vt tolerabilius puniantur. Tertia vtitur aduerſus Iulianum ſcriptura, Omnis arbor bona fructus bonos facit: Mala autem arbor, malos fructus facit. Non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Eſt autem arbor bona, homo bonæ voluntatis: & arbor mala homo volūtatis peruerſæ. Bonæ enim arboris radix eſt charitas, & malæ cupiditas, vt frequēter docet Beatus Auguſtinus. Fructus verò boni ſunt fructus palmitis manentis in Chriſto: ſunt & opera mandato-

Efficaces ſunt ſcripturæ quibus Aug. vtitur, ſed aduerſus Iuli. non aduerſus virtutes Philoſophorum.

Cap. 2.

Apocal. 3.

Li. 4. Cōtra Iulian. ca. 3.

Heb. 11.

Matth. 25.

Lib. de ſpirit. et liter. c. 28

Li. 1 de gratia Chriſti ca. 17. & 9. Et de ſer. domin. in mōte

mandatorum, & fructus iuſtitiæ, ſiue ſpiritus, de quibus Apoſtolus ad Galathas. *Et de ſpiri. et litte. c.25.* Et ideo rectè dicit Beat⁹ Auguſtinus, quòd multi in fructibus quædam deputant, quæ ad veſtitum ouium, ſub quibus lupi etiam veniunt, ſiue ad folia & frondes pertinent. *In Concil. Mileuita. ca 5.* Sunt namque hæc opera quæ à malis & Ethnicis fiunt non mala nec peccata, ſed non pertinent ad fructus arboris bonæ, quæ ex radice arboris bonæ, non proficiſcuntur, ſicut & colere agrum, vineas plantare: nec etiam ſunt mala, cum non ſunt ex cupiditate vel amore ſui, ſed procedunt ex naturæ inclinatione. Nec igitur fructus ſunt boni nec mali. Sunt enim præter hæc duo principia charitatem & cupiditatem, ſemina quædam & inclinationes quorundam operum, in quibus nihil communicant priora principia, quamuis ad ſuum finem ea rapere & imperare poſſint. Ad varia enim imò & ad contraria propenſus, non neceſſariò ſemper vnam ſequitur pronitatem, ſed ſequi poteſt quam elegerit. *Matth. 5.* Quarta ſcriptura eſt, Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit, & ſi ſimplex fuerit oculus tuus, totum corpus tuum lucidum erit. Sed intelligit ipſe Auguſt. *Li 2 de ſer. domini in monte.* oculum eſſe intentionē qua facimus quicquid facimus, quæ ſi munda fuerit & recta, atq; aſpiciens id quod aſpiciendum eſt, omnia opera noſtra quæ ſecundum eam operamur, neceſſe eſt bona ſint. Et iuxta B. Bernardum, *De præcepto et diſpenſa.* Oculus verè ſimplex duo habet neceſſaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem. Et oculus nequam vtroque bono vacuus eſt, tam videlicet veri notitia, quàm beneuolentia. In opere verò quòd faciunt Ethnici ſecundum luminis naturalis directionem, nec veritas deeſt nec beneuolentia, quamuis fidei notitia deſit & diuinæ charitatis affectus. Quapropter totum corpus tenebroſum eſt per abſentiam luminis diuini, lucidum tamen ex lumine intellectus agentis nobis concreati: lucidum, inquam, & ſi non totum corpus operum, multæ tamen eius partes, tametſi totum corpus ſit deo abominabile propter multa peccata mortalia, quæ ex hoc naturali lumine vitari non poſſunt, vt docet Beatus Thomas. *1.2. quæſ. 109 ar.8.* Poteſt autem Ethnicus & quiuis impius aſpicere tanquam finem, vitæ honeſtatem, cuius affectus in eo deleri non poteſt: poteſt etiam nihil ſpectare aut ſe aut ſuum commodum: Inſuper iniuriam ac damnum ferre, vt parētibus ſubueniat. *Matth 5. Luc.6.* Salutant enim Ethnici fratres ſuos, ſe quoq; diligentes viciſsim diligunt, & peccatores peccatoribus fœnerantur, nihil ſpectantes niſi quod honeſtum eſt facere, & turpe negligere. Quod autē dicit B. Auguſtinus Iuliano, Si gentilis, inquis, nudum operuerit, nunquid quia non eſt ex fide peccatū eſt? Prorſus inquantum non eſt ex fide peccatum eſt, nō quia per ſeipſum factum, quod eſt, nudum operire, peccatum eſt, ſed de tali opere non in Domino gloriari, ſolus impius negat eſſe peccatum. Auguſtinus ſemet interpretatur, quod ſolum ideo peccatum eſſe dicat propter malum finē qui intenditur, quia ſcilicet bono malè & infideliter vtitur, & ad finem infidelitatis. Quia, inquit, ea non fideli ſed infideli, hoc eſt, ſtulta & noxia faciunt voluntate, non quidem habituali tantùm, ſed ſecundum infidelem & noxiam intentionem. Eadem namq; voluntate, infideli, non vt infidelis eſt, ſed ſecundum ſinderiſis iudicium, quod honeſtum eſt & iuſtum eligere poteſt. Ait enim: In quantum non eſt ex fide ſed ex intentione fidei directioni contraria, peccatum eſt. Et gloriari de tali opere, ſeparari poteſt ab opere, nec ſequitur ipſum neceſſariò.

Quintus locus ſcripturæ, quo frequentiſsimè vtitur B. Auguſtinus & ſeriò contra Iulianum triumphat, *Cap.4.* eſt in epiſtola Pauli ad Romanos, Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt. Ad quam ſcripturam probabiliter reſpondet Iulianus, Apoſtolum de cibis tantum loqui. Ait enim Beatus Auguſtinus: *Lib. & cap. eiſdem.* Sicut tibi viſum eſt hoc teſtimonium accepiſti & expoſuiſti, non vt ſapit Apoſtolus, ſed vt ſapis tu. De cibis enim Apoſtolus loquebatur. verùm cum dixiſſet, Qui autem diſcernit ſi manducauerit, damnatus eſt, quia nō ex fide. Hanc peccati ſpeciem de qua agebat, generali voluit probare ſententia, mox inferens. Omne enim quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Sed reuera in ſua interpretatione loquitur Iulianus beatum Ambroſium, Chryſoſtomum, & Theophylactum, ijſdem penè verbis vtentes quibus Iulianus. Ait. n. *Rom 14.* B. Ambroſius circa locum Apoſtol. Beatus qui non iudicat ſemetipſum in eo quod probat: vnumquemque proprio iudicio cenſet condemnandum, qui dicit non debere ſe facere quod facit: Hunc autem beatum, qui non aliud facit, quàm ſibi vtile probat, Qui autem diſcernit quid ederit, damnatus eſt. Verum eſt, quia qui iudicat non edendum & edit, damnatus eſt. Ipſe enim ſe damnat, quando id quod ſibi inutile aſſerit, facit, quia non ex fide edit qui edendum negat, & edit: Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Rectè peccatum appellat, quod aliter fit quàm probatum eſt. Et Theophyl. verbis ferè ijſdem quibus Chryſoſt. circa eundem locum, Hæc inquit, de ſolo ciborum propoſito argumento intellige. Et explicans ſententiam: Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt, ait, Cùm non fuerit confiſus, neq; crediderit purum eſſe cibum, ſed guſtauerit ipſum praua conſcientia, omnino peccauit. Quem enim Apoſtolus hortatur, quod propter fidei ſuę infirmitatem, quia nondum credit ſe mandare omnia, nihilq; per Chriſtum eſſe commune, is non ex fide olus manducat, ſed ex fidei infirmitate & errore, quo credit legis obſeruationem eſſe neceſſariā: Nec tamen peccet ex errore fidei manducando olus. Non igitur omne quod non ex fide agimus, peccatum eſt: ſed quicquid non ex fide eſt, hoc eſt, nō ex credulitate quod licitum ſit id agere, quod agit peccatum

catum

tatum eſt illi, damnationi faciẽs obnoxium, dum iudicat illicitum eſſe quod agit: aut certe peccati periculo ſe exponit, dum hoc agere audet de quo dubitat, vel nondum perſuaſus eſt, quòd licitum ſit, quod agit. Secũdum hanc B. Ambroſij, Chryſoſt. Theophyl. expoſitionem, quæ propria huius loci eſſe videtur, videlicet peccatum eſſe, quod dubitãte, vel reclamante cõſcientia agimus, patet ſententiam hanc Apoſtoli nihil valere ad diſputationem illã, Sitne omnis infidelium actio peccatum. Item nihil valere ad eam, quæ eſt de operibus hominum qui ſunt extra charitatem: quæ Auguſtinus videtur ſæpe dicere eſſe peccata, ſi ſolus verborum cortex, & nuda ſermonis forma ſpectetur. Poteſt enim infidelis certã habere notitiam, qua credat non eſſe illicitum id quod agit, Et iuxta doctrinam B. Auguſt. intelligentis de fide catholica intentionem noſtram dirigente, nõ crudè intelligitur eſſe peccatum, quicquid non eſt ex fide. Addit enim, Omne quod nõ eſt ex fide, in quantum non eſt ex fide, hoc eſt, omne quod non eſt ex intentione rectæ fidei ſed contraria, ita vt infideli & noxia fiat voluntate, hoc peccatum eſt. Atqui ex fide nõ progredimur ad opus, niſi facta ſubſumptione eius quod agemus, ex qua naſcitur conſcientia liciti vel illiciti eius, quod agemus: contra quam agere non licet, qualiſcunque fuerit fides ſiue vera, ſiue falſa, ſiue etiam fides defuerit. Et quamuis, vt dicit b. Auguſtinus, Paulus ſpeciem probet ex genere, & quod de cibis docet, intelligendum velit de quolibet alio quod agimus, non tamen oportet quod ſyllogiſmus practicus ex propoſitione quæ fidei eſt procedat, & concludat quid ſit eligendum, ſed ſatis eſt, ſi ex propoſitione per ſe nota in lumine naturalis rationis. Senſus igitur Apoſtoli eſt, ſecundum Auguſtinum, quod peccatum eſt quicquid non proficiſcitur ex intentione rectę fidei (quam intentionẽ Saluator vocat oculũ ſimplicem) ſed ei aduerſatur, & ſit ex intentione fidei cõtraria, ne cogamur fateri eum peccare, qui ex conſilio Apoſtoli olus manducat. Et quia Apoſtolus in eodem capite, ſępe nomine fidei vtitur pro fide catholica, quæ credenda & operanda complectitur, vt, Infirmum in fide aſſumite: Tu autem in fide ſtas, etiam in hac ſententia, Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt. de eadem intelligi poteſt ſecundum ſubſumptionem, quæ in Syllogiſmo practico aſſumitur. Et verus erit hic ſenſus ſecundum limitationem quã ipſemet B. Auguſtinus explicat. Si autẽ cõtẽdatur Auguſtinum docere ſimpliciter peccatum eſſe, & Deo diſplicere quod non eſt ex fide, intelligendum eſt quod peccatum eſt & Deo diſplicet, non tam propter ſe, quàm propter operantem & inimicitiam eius. Et hac de cauſa promiſcuè loquitur de diſplicentia huiuſmodi operum & ipſius operantis. Et non habens quod efficaciter objiciat intelligentiæ Iuliani circa locum. Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt, trãsfert ſe ad aliam ſcripturam. Vbi, inquit, erit quod ſcriptum eſt, Sine fide impoſsibile eſt placere Deo, pro eodem habens: non placere Deo, & eſſe peccatum. Et, vt diximus ſemper in malum finem refertur actio infidelium, atq; etiam impiorum, niſi ſingulari ex cauſa hoc caueatur. Id quod attendens B. Auguſtinus abſolutè pronunciat eſſe peccatum. Eodem ſenſu B. Proſper contra Collatorẽ: Manifeſtiſsimè patet, inquit, in impiorum animis nullam habitare virtutem, ſed omnia opera eorum immunda eſſe & polluta, habentia ſapientiam non ſpiritalẽ, ſed animalem: non cœleſtem ſed terrenam: non Chriſtianam, ſed diabolicam: non à patre luminum, ſed a principe tenebrarum, dũ per ea ipſa quę non haberent niſi dante Deo, ſubdũtur ei qui primus receſsit à Deo. Sunt enim eorum opera polluta ratione finis impietatis, ad quem plerumque & ferè ſemper ordinantur. Habent etiam ſapientiam animalem, non cœleſtem: diabolicam, non à patre luminum, per quam diabolo ſubduntur. Sed hæc omnia non tollunt ſemen quod in corde hominis pater cœleſtis ſeminauit. Et fortaſsis hæc loca Beati Auguſtini & Proſperi de actionib. infidelium & impiorum, ſunt illa de quibus Celeſtinus Papa ſcribit ad Epiſcopos Galliæ, quoſdam fuiſſe conqueſtos magiſtros noſtros neceſſarium modum exceſsiſſe. qui propterea ea tantummodo ſequi & probare profitebãtur, quæ ſacratiſsima Beati Apoſtoli ſedes cõtra inimicos gratiæ Dei per miniſterium Præſulum ſuorum ſanxit & docuit: propter quos capita fidei noſtræ circa materiam gratiæ & liberi arbitrij breuiter recenſet, in fine cõcludens. Profundiores verò difficilioresq; partes occurrentium quæſtionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non habemus neceſſe aſtruere, quia ad confitendum gratiam Dei, cuius operi ac dignationi nihil pœnitùs ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus, quicquid ſecundùm prædictas regulas Apoſtolicæ ſedis ſcripta nos docuerunt. Inter hos autem Magiſtros certum eſt fuiſſe B. Auguſtinum & Proſperum, qui fortiter & ſtrenuè contra hæreticos gratiæ Dei inimicos, diſputauerunt, & potiſsimum Beatus Auguſt. Multa namq; occurrunt his qui cum hæreticis diſputant, quæ aſſumuntur veluti ab eis conceſſa: ſicut Iulianus, non finibus, ſed nudis officijs virtutes diſcernendas putabat. Quæ verò fuerit huius dè virtutibus Ethnicorum, eorumq; & etiam impiorum operibus ſententiã, non ſatis clarè conſtat, propter varias eius ſentẽtias. Videtur tamen probabilius & dictis eius confòrmiùs, quòd omnia Ethnicorum opera tanquam peccata dãnauerit, quibus offenditur Deus, propter circunſtantias, maximè finis quib. inficiũtur: & virtutes quas Ariſtoteles & reliqui Philoſophi docent, putauerit eſſe vitia ac principia malarũ actionũ. Nam li. I. Retractationum, retractans quod ſcripſerat

Matt. 9. & Luce 11.

Cap. 1. contra Academicos,ita ait: Item dixi. Quid ceſes aliud eſſe beatè viuere,niſi ſecundũ id, quod in homine optimũ eſt viuere: & quid dixerim in homine eſſe optimũ, paulò pòſt explicãs. Quis, inquã,dubitauerit nihil eſſe aliud hominis optimũ,quàm eã partem animi, cui dominanti obtẽperare cõuenit cętera quæcũq; in homine ſunt. Hæc aũt mẽs aut ratio dici poteſt. Hòc quidem verũ eſt. Nam quantum attinet ad hominis naturam, nihil eſt in eo melius quàm mens & ratio, ſed non ſecundũ ipſum debet viuere qui beatè vult viuere,alioqui ſecundũ hominem viuit, cũ ſecundũ Deum viuendũ ſit,vt poſsit ad beatitudinem peruenire,propter quã conſequẽdam non ſeipſa debet eſſe contenta, ſed Deo mens noſtra ſubdẽda eſt. Et lib.de ciuit. Dei. Videndum eſt,inquit,quid ſit ſecundũ carnẽ
Lib. 14. c. 2. viuere,quid ſecundũ ſpiritum viuere. Quiſquis enim non aduertens quemadmodũ ſcripturæ ſanctæ loquãtur,poteſt putare philoſophos quidem Epicureos ſecundũ carnem viuere,quia ſummũ bonum hominis in corporis voluptate poſuerunt. Stoicos autẽ qui ſummum bonũ hominis in animo ponunt, ſecundũ ſpiritum viuere,quia & hominis animus quid eſt niſi ſpiritus? Sed ſicut loquitur ſcriptura,ſecundum carnẽ viuere vtriq;
Cap. 4. eiuſdem lib. monſtrantur. Item, Quia homo ita factus eſt rectus,vt non ſecundum ſeipſum,ſed ſecundum eũ à quo factus eſt viueret, id eſt illius potiùs quàm ſuã faceret volũtatẽ. Rurſum, Certè vnaquæque,caro ſcilicet & anima ſecundum hoc viuat,vnde viuit. Vndè viuit ca-
De verb. Apoſ. ſerm. 13. ro? De anima tua. Vndè viuit anima tua? De Deo tuo. Anima ſibi nõ eſt vita,ſed Deus eſt animæ vita. Ergo quæ ſecũdum Deum debet viuere,ſi ſecundum ſeipſam viuat,deficit: ſecundum carnẽ viuit & proficit? Fuerunt philoſophi ſeculi huius,qui putauerunt nõ eſſe beatitudinem niſi ſecundũ carnem viuere, & bonum hominis in voluptate corporis poſuerunt. Extiterunt autem alij ſuperbi,quaſi à carne ſe remouentes,& totam ſpem beatitudinis ſuæ in anima ſua cõſtituẽtes, poſuerunt ſummum bonum in virtute ſua. Agnouiſtis quomodo irriſi ſunt: in pſalm. Qui cõ-
Pſalm. 48. fidunt in virtute ſua. Tales fuerunt philoſophi qui Stoici nuncupati ſunt: Illi ſecũdum carnem viuentes,iſti ſecundum animam viuentes: Nec illi,nec iſti ſecundum Deum viuẽtes. Errat Epicureus. Falſum eſt enim eſſe hominẽ beatum,cuius eſt in fructu voluptas carnis eius. Fallitur & Stoicus. Falſũ eſt enĩ beatũ eſſe hominem, cuius eſt in fructu virtus animi eius. Contulerũt cum beato Paulo quidam philoſophorũ ſecundum carnem viuẽtes, & Stoicorum contulerunt cum illo ſecundum animam viuentes, contulit cũ illis ſecundum Deum viuens. Dicebat Epicureus, Mihi frui carne bonum eſt. Dicebat Sto-
Lib. 1 diſtin. quæſ. 1. concl. 3. & q. 3. art. 1. & 2. icus: Mihi frui mea mente bonum eſt. Dicebat Apoſtolus Paulus, Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Quod autem hæc fuerit ſententia beati Auguſtini, omne opus propter Deũ fieri debere formaliter vel virtualiter, ita vt ex Dei tanquam finis vltimi cõſideratione proficiſcatur,latè probat Gregorius Ariminenſis in primo & ſecundo Sẽ-
Secundo lib. diſt. 26 et 8. 1.2. q. 109. q. 10. artic. 4. tent. Item quòd omnis dilectio creaturę omneque opus eſt peccatum, ſi in Deum non referatur. Et quod omnis infidelium actio eſt peccatum. Cuius argumentis bene reſpondet Cardinalis Caietanus. Sicut enim cum ſupremo agente, ſtant inferiora agentia, & multa prima agẽtia in genere hoc vel illo,vt patet in regnis & artibus: ita cùm vltimo fine totius vniuerſi conſiſtunt multi fines inferiores, vltimi tamen in ſuo genere, qui ad finem ſimpliciter vltimum referuntur. Nam dux exercitus qui totum dirigit & mouet,multos ſub ſe habet duces, ſingulos ſingularum partium totius exercitus. Dicit præterea idem Cardinalis Caietanus conſiderandum eſſe, quòd cognoſcere Deum vltimum finem totius vniuerſi,propter ſe tantũ
Lib. 10. Metaphyſic. diligendum, & alia propter ipſum,naturali ratione abſq; omni fide manifeſtũ eſt: & ex Ariſtotele habetur. Cùm enim pars naturaliter ſit propter totum,& totum propter Deum,vt ibi oſtẽditur,conſequens eſt quod naturali ordine homo ſeipſum propter Deum vt vltimum finem amet, ac per hoc reliqua quæ propter ſeipſum amat. Secundò cõſiderandũ dicit, quòd dupliciter contingit Deũ diligere: explicitè quidẽ, cum ad eũ noſtra dirigitur cogitatio & intentio: & implicitè, cũ res à Deo creatas ſecundũ quod inſtitutæ ſunt,diligimus. Ex eo enim quòd res ad deũ mediante vniuerſo ſunt ordinatæ, affectus noſter in eas tẽdens (vt ſunt in gradibus ſuis cõſtitutę) tẽdit in eas implicitè vt ſunt propter vniuerſum: & vltimatè,propter deum. Quicunq; igitur vtitur aliqua creatura, vel amat obiectum,prout Deus inſtituit, vt vtamur & amemus, hic virtualiter refert actũ ſuum eiuſque obiectum in Deum. Hanc autem cognitionem Dei tanquam vltimi finis ad quem alia referantur, habuiſſe Platonicos, docet etiam beatus Auguſtinus. Senſe-
Li. 4. contra Iulia. ca. 3. runt,inquit, Philoſophi, quòd rerum creatarum effector ſit Deus, & lumen cognoſcendarum & bonum agendarum, quod ab illo nobis ſit principium naturæ, & veritas doctrinæ & felicitas vitæ. Docet præterea Platonem determinaſſe finem boni eſſe, ſecundum virtutem viuere, & ei ſoli euenire poſſe, qui notitiam Dei habeat, nec eſſe aliam ob cauſam beatum. Ex hac doctorum inter ſe contendentium diuerſitate quæ fu-
Li. 11. de Tri. cap. 5. erit ſententia beati Auguſtini (Nam & beatus Thomas negat ipſum ſenſiſſe omnem infidelium actionem eſſe peccatum) manifeſtum eſt non eſſe omnino certum, quæ fuerit eius in iſtis quæſtionibus controuerſis ſententia: quum & ipſe Auguſtinus dicat aliquem eſſe finẽ voluntatis & requiem abſolutè & ſimpliciter, & alium non omnino, ſed quoad vnum aliquid, vt deputetur non tanquam patria ciuis, ſed tanquam refectio vel manſio viatoris. Pro tota hac diſputatione illuſtranda plurimum conducunt

2.2.quæ.4. art.10. cunt quæ ſcribit B.Thom.circa quæſtionem, An quælibet actio infidelis ſit peccatum, Peccatum, inquit, mortale tollit gratiam gratum facientem,non autem totaliter corrumpit bonum naturæ. Vnde cùm infidelitas ſit peccatũ mortale, gratia quidem caret infideles,remanet tamẽ in eis aliquod bonũ naturæ. Quare manifeſtum eſt, ꝙ infideles nõ poſſũt operari bona opera q̃ ſunt ex gratia,ſcilicet opera meritoria, tamen bona opera ad quæ ſufficit bonum naturæ (de quibus Auguſt.lib.3. Hypognoſt.) aliqualiter operari poſſunt. Hinc non oportet quòd in omni opere peccent, ſed ſolum quando ex infidelitate operantur. Sicut enim habens fidem poteſt aliquod opus cõmittere, quod nõ referat ad fidei finẽ,vel venialiter,vel etiam mortaliter peccando:ita etiam infidelis poteſt aliquem bonum actum facere in eo quòd non referat ad finem infidelitatis. Quod autem dicitur in lib. Sent. Proſperi, quod omnis infidelium vita eſt peccatum, Cap.10. dicit Thomas intelligendum per concomitantiam,cum peccata ſine fide non tollantur:& ideo ſine peccato eorum vita eſſe non poteſt:vel intelligendum putat de eo quod agunt ex infidelitate. Et ad argumentũ propoſitum,quòd fides intentionem dirigit,reſpondet,quòd reſpectu finis vltimi ſupernaturalis fides intentionem dirigit:lumen autem naturalis rationis ſufficit, vt dirigatur Li.de ſpir.et lit.ca. 3. intentio reſpectu finis naturalis. Quod autem dicit beatus Aug. liberum arbitriũ non valere niſi ad peccandum, ſi lateat veritatis via,& cum id quod agendũ & quò nitendũ eſt cœperit non latere,niſi etiam delectet,& ametur,non agitur,non bene viuitur: vt autem diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, nõ per liberum arbitrium quod ſurgit ex nobis, ſed per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis, intelligit non valere ad faciendam iuſtitiam, quæ gratiæ mereatur impetrationem, nec ad bene viuendum, quemadmodum docebãt Iulianus & Pelagiani: quomodo ipſe Auguſt. candẽ ſuã ſententiam alio loco interpretatur. Dum enim ait liberũ arb.captiuatũ non niſi ad peccatũ valere, ſtatim addit: Ad iuſtitiã niſi diuinitus liberatũ adiutumq́; non valet. Et reuera ad peccandum valet & potens eſt ſecũdum vehementẽ ſui propenſionem,ſecundũ quam ſemper, quemadmodũ ſecundum habitus operatur, niſi alicuius gratia cohibeatur,vt diximus ex Ariſtotele. Validius enim impellimur & inclinamur hoc peccati fomite,quàm malo habitu multũ intenſo. Hunc etiã ſenſum ſui dicti explicat B.Auguſt.quãdo eodẽ libro loquitur de gentibus quæ legem non habent. Et quod citatum eſt ſupra, quòd ſecundũ hominem viuit, qui viuit ſecundum id quod in homine eſt optimũ, hoc eſt ſecundum rationem: intelligendum eſt, ſi ſecundum rationem tanquam primariam regulam & legem quis viuat: ſecus ſi ſecundum eam vt deriuatio eſt, & participatio legis æternæ viuat. Nouerunt autem philoſophi cordatiores, creaturas eſſe participationes eſſe diuini: ſicuti ſtatim diximus ex B.Auguſt. Et qui hoc ignorauerunt,non propterea ſecundum rationem agendum eſſe docebant,tanquam regulam primam,ſed talem qualis reuera erat. Sicut miles agit ſecundũ mandatum Cẽturionis aut Principis exercitus,quãuis ignoret an ſuo an alterius nomine imperet. Et licet Apoſt. Paulus moneat ſeruos,vt obediant Dominis ſuis tanquam Chriſto Domino: & ſimiliter, vt vxores ſic obediant viris ſuis, ſecundum eorum tamen præſcripta & leges operantes, & filij ſecundum inſtituta & leges parentum, nulla Chriſti Domini habita cõſideratione ſed tantum ſpectantes quod pater,dominus,aut maritus præcipit, nullum admittitur peccatum,quia implicitè obeditur legibus & mãdatis Chriſti Domini, qui mandat per eos tanquam miniſtros ſuos id quod obſeruari vult. Nã ſicut res honeſtæ ſua primæua conditione & natura ad Deũ referuntur, quandoquidem propter ſeipſum, vt diximus, eas condidit, & ideò factum propter honeſtum finem naturalem, conſequenter fit propter Deum: ita cùm lumẽ & directio rationis eſt radius lucis diuinæ, Deus eſt & eius lex æterna, quæ per hoc lumen in agendo dirigit, & ſecundum Deum viuit, qui rationis naturalis ſequitur directionem. Et quia B. Auguſt. aliquando dicere videtur, nihil rectè fieri ſine charitate, ſicuti ſuperius ex libro de ſpiritu & lit. Item libro, de lib. arbit. & gratia: Quicquid, inquit, homo putauerit ſe facere bene, ſi fiat ſine charitate, nullo modo fit bene. Et alio loco, Omnis pręcepti finis eſt charitas, id eſt, ad charitatẽ refertur omne præceptum. Quod verò ita fit vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, vt non referatur ad illam charitatem, quam diffundit ſpiritus ſanctus in cordib. noſtris, nõ fit quemadmodum fieri oportet, quamuis fieri videatur. Idem alijs in locis docet, quod certũ eſt ipſum non intellexiſſe, niſi ſecundum ſenſum quẽ expreſsit in fine tertij capitis quarti libri contra Iulian. quem ſenſum ſuperius citauimus.

Epheſ.6. — Ca. vt ſupra — Cap. 18. In Enchyrid. cap. 121.

IGitur pro veritatis declaratione inſeramus hic eadẽ de re doctrinam. B. Thomæ. Quærit autem: an ſine charitate poſsit eſſe vera virtus, vel bonum aliquod opus. Et reſpõdet, quòd virtus ordinat hominem ad bonum, & bonum facit. Bonum autem hominis principaliter eſt eius finis, cùm ea quę ſunt ad finem, bona non dicantur, niſi ad ipſum relata. Sicut ergo duplex eſt finis hominis, vnus vltimus, & alius proximus: ita etiam eſt duplex eius bonum. Vltimum quidem & principale bonum hominis eſt, Dei fruitio, ſecundum illud Pſalmiſtæ, Mihi adhærere Deo bonum eſt: ad quod ordinamur per charitatem: Bonum autem ſecundarium & quaſi particulare hominis poteſt eſſe duplex: Vnum quod eſt verum eius bonum, vtpote ordinabile, quantum eſt in ſe,ad

2.2.q.23.ar.7 Et 1.2.q.65. art.1.2.et 4. — Pſalm. 72.

ſe, ad primarium eius bonum Dei fruitionem: Et aliud eſt apparens & non verum, quia abducit à bono finali. Virtus itaque vera ſimpliciter, eſt illa quæ ordinat hominem ad principale bonum eius: ſicut etiam Philoſophus dicit, quòd virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum: & ſic nulla vera virtus poteſt eſſe ſine charitate. Sed ſi accipiatur virtus prout ordinat ad aliquem finem particularem & particulare bonum, poteſt eſſe ſine charitate. Et ſi bonum hoc ſolum eſt apparens & non verum, virtus etiam quæ eſt in ordine ad hoc bonum, non erit vera virtus, ſed falſa virtutis ſimilitudo. Sicut nõ eſt vera virtus, vt dicit B. Auguſtinus, auarorum prudentia qua excogitant diuerſa genera lucellorum, & auarorũ iuſtitia, qua grauium damnorum metu contemnunt aliena: & eorum tẽperantia, qua luxuriæ, quæ ſumptuoſa eſt, cohibent appetitum: & fortitudo, qua (vt ait Horatius) per mare pauperiem fugiunt, per ſaxa, per ignes. Si verò illud bonum particulare ſit verum bonum, puta conſeruatio ciuitatis, vel aliquid huiuſmodi, erit quidem virtus vera, ſed imperfecta, niſi referatur ad finale & perfectum bonum: Et ſecundum hoc ſimpliciter vera virt⁹ ſine charitate eſſe non poteſt. Quando autem obijcitur, quòd non habentes charitatem bonos actus faciunt, dum nudum veſtiunt, famelicum paſcunt, & ſimilia operantur. Ergo ſine charitate, ſicut bonum opus, ita vera virtus eſſe poteſt. Reſpondet Thomas poſt beatum Auguſtinum, quòd actus alicuius charitate carentis, poteſt eſſe duplex: Vnus quidem ſecundum hoc quod charitate caret, vt cùm facit aliquid in ordine ad id per quod caret charitate, & talis actus ſemper eſt malus. Sicut idem Auguſtinus dicit, quòd actus hominis infidelis, in quantum infidelis eſt, ſemper eſt peccatum, etiam ſi nudum operiat, vel quidquam aliud huiuſmodi faciat, ordinans ad finem ſuæ infidelitatis: Alius eſſe poteſt actus charitate carentis, non ſecundũ id quod charitate caret, ſed ſecundum quòd habet aliquod aliud donum Dei vel fidem, vel ſpem, vel etiam naturæ bonũ, quod non totum per peccatum tollitur, & ſecundum hoc ſine charitate poteſt quidem eſſe aliquis actus bonus, non tamẽ perfectè bonus, quia deeſt debita ordinatio ad vltimum finẽ. Secundò obijcitur, quòd in infidelibus poteſt eſſe vera caſtitas, dum cohibent cõcupiſcentias: vera prudentia, dum rectè iudicant de agẽdis. Ergo vera virtus poteſt eſſe ſine charitate.

Lib. 4. cõtra Iulia. ca. 3.

Solutio Auguſtini ad obiectionem.

Reſpondet. Cùm finis ſe habeat in agibilibus, ſicut principium in ſpeculabilibus, ſicut non poteſt eſſe ſimpliciter vera ſcientia, ſi deſit recta æſtimatio de primo & indemonſtrabili principio, ita nõ poteſt eſſe ſimpliciter vera caſtitas, prudentia aut iuſtitia, ſi deſit ordinatio debita ad finem vltimum quæ eſt per charitatem, quantũcunque ſe aliquis rectè habeat circa alia. Itẽ B. Thomas contra virtutes morales, quæ ex aſſuetudine naſcuntur, ſibi obijcit: Peccatum nõ compatitur ſecum virtutem, ſed homo non poteſt vitare peccatum niſi Deus dederit: Ergo nec aliquæ virtutes poſſunt in nobis cauſari ex aſſuetudine operum, ſed ſolo dono Dei. Reſpondet quòd virtus diuinitus infuſa, maximè ſi in ſua perfectione conſideretur, nõ compatitur ſecum aliquod peccatum mortale, ſed virtus humanitus acquiſita compatitur actum peccati etiam mortalis, quia vſus habitus in nobis, eſt noſtræ voluntati ſubiectus, non autem per vnũ actum peccati corrumpitur habitus virtutis acquiſitæ, eò quòd habitui non contrariatur directè actus, ſed habitus tantùm: & ideo licet ſine gratia homo non poſsit peccatum mortale vitare, ita vt nunquam mortaliter peccet, non tamen impeditur, quin poſsit habitum virtutis acquirere, per quẽ à malis operibus abſtineat, vt in pluribus, & præcipuè ab his quæ ſunt rationi valde contraria. Simpliciter autem veram virtutem non eſſe ſine charitate, probat ex Apoſtolo, Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas: & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Vera autem virtus prodeſt multum ſecundũm illud Sapient. Sapientia docet ſobrietatem & iuſtitiam, prudentiam & virtutem, quibus in vita nihil eſt vtilius hominibus. Et quando ſibi obijcit argumentum ex lib. retract. quòd à mortalibus rectè non viuitur, niſi prius liberum arbit. à peccati prauitate liberetur, quodque propterea nemo ſe poteſt ad gratiam præparare. Reſpondet quòd ſine gratia gratum faciente, nemo rectè viuere poteſt, rectitudine ad finem vltimum pertingente: poteſt tamen ſine ea rectè aliquid agere rectitudine quã habet ex materia, circunſtantijs, & ſine debito. De operibus autem iuſtorum, quòd non ſunt peccata, nec omnia opera eorum, qui ſunt extra gratiam, latiſsimè declarat & probat noſtræ Scholæ Louanienſis M. N. Iacobus Latomus, in ratione condemnationis articulorum Martini Lutheri: Et reuerẽd⁹ ac fortis Chriſti martyr Ioannes Roffenſis, circa articulũ 31. aſſertionis eiuſdem Lutheri, cuius argumentis, ſcripturis & rationibus clariſsimè reſpondent & ſatisfaciunt. Ad quos & alios noſtri temporis ſcriptores lectorem remittimus, adijcientes ex Concilio Tridentino Canonem ſeptimum: Si quis dixerit opera omnia quæ ante iuſtificationem fiunt, quacunque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri: aut quantò vehementius quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tantò eum grauius peccare, Anathema ſit: Et Canonem 25. Si quis in quolibet bono opere iuſtum ſaltem venialiter peccare dixerit: aut quod intolerabilius eſt, mortaliter, atq; ideo pœnas æternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputat ad damnationem, Anathema ſit.

1. 2. quæſt. 63. art. 2.

Cap. 8.

1. Cor. 13.

Cap. 8.

Tho. in 4. diſ. 15. q. 1. art. 2. quæſti 2.

Quòd

QVòd opera bona ad ſalutem ſint neceſſaria, palam teſtantur ſcripturæ ſuperius citatæ. Ad ſalutẽ enim neceſſaria eſt mãdatorum Dei & decalogi obſeruatio. Clariſsima namq; eſt Chriſti Saluatoris ſententia, Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata, Et B. Ioannis: Si dixerimus, inquit, quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus. Item, Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt. Et, omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignẽ mittetur. Nec in iſto à nobis diſſentiũt aduerſarij, quamuis non eodem ſenſu, ſed longè diuerſo. Docent enim opera eſſe neceſſaria tanquam fructus fidei iuſtitiã apprehendentis, ſine quibus ipſa permanere non poteſt. Ait enim Ioannes Brentius in ſuo peſtilenti Catechiſmo.

1. Ioā. 1. et 2. *Matth. 3.*

Brentius. *Facienda ſunt bona opera, non vt meritis ipſorũ expiemus peccata noſtra & conſequamur æternam vitam, ſed facienda ſunt propter alias cauſas, videlicet, vt bonis operibus teſtemur fidem noſtram, & declaremus gratitudinem noſtram quã Domino Deo noſtro pro beneficijs eius debemus: alij dicunt neceſſaria, vt Deo omnium bonorũ ſine quorumlibet operum (vt volunt) reſpectu largitori gratificemur, ac pro virili vices rependamus obedientiam & reuerentiam.*

Reſponſio. Nos autem docemus opera eſſe neceſſaria quaſi vias medias per quas in ſtadio currimus ad propoſitum brauium apprehendendum, imò & ad habendam peccatorum remiſsionem, & conſequendam ac etiam augendam iuſtitiam, iuſsit enim Chriſtus Apoſtolis, vt prædicarent in nomine eius pœnitentiam & remiſsionem peccatorum. Non ſunt igitur aduerſarij noſtri in eo errore quẽ improbat Auguſtinus libro de fide & operibus, quod videlicet fides eos ſaluare poteſt qui in peccatis viuunt. De quibus eſt aperta ſententia Apoſtoli, quòd regnum Dei non conſequentur qui talia agunt. Martini tamen Lutheri verba hanc hæreſim blaſphemam inſinuant, imò & manifeſtè ſonant. Ait enim.

Galat. 5.

Vide quàm diues ſit homo Chriſtianus ſiue baptizatus, qui etiam volens non poteſt perdere ſalutem ſuam quantiſcunque peccatis, niſi nolit credere. Nulla enim peccata eum poſſunt damnare, niſi ſola incredulitas, cætera omnia ſi credat, vel ſtet fides in promiſsionem diuinam baptizo factam, in momento abſorbentur per eandẽ fidem.

Bucerus tamen conatur eum interpretari quòd loquatur de fide tali quæ pugnat cum peccato, vt ea obtinente in nobis peccatum faceſſat, & obtinentè peccato iaceat fides: Peccatum autẽ dicit quod Beatus Auguſtinus vocat vaſtans cõſcientiam, hoc eſt, quòd Martinus intendat docere tantam eſſe fidei ſuæ efficaciam, vt peccatum cum ea cohærere non poſsit, ſicut nos dicimus, Deum & proximum dilige, & facere potes quod vis.

De captiui. tate Babylo. nic. De ſacra men. Baptiſ. mi.

Sed clariora ſunt Lutheri verba quàm quæ hanc Buceri patiãtur interpretationem. Ait enim nulla eſſe credentis in Chriſtum tam mala opera quæ eum condemnent, & baptizatum nullis peccatis poſſe ſalutẽ perdere, etiam ſi velit, niſi credere nolit, nec eſſe peccatum niſi incredulitatem. Nec tamen vera eſt hæc Buceri interpretatio, quòd ſcilicet peccatum per ſe condemnans, ſit ſola incredulitas. Nam odium & inuidia fratris & adulterium, peccata ſunt per ſe hominem cõdemnantia. Atqui efficaciter probat Ioãnes Caluinus contra Martinum Lutherum, infidelitatem non eſſe in quolibet peccato rationem ob quam peccatum eſt. Ait enim.

Qui reſpondent ab vna infidelitate propriè prodire hominum damnationem, non à particularibus peccatis, mihi non ſatisfaciunt. Equidem illis aſſentior fontem ac radicem omnium malorum incredulitatem eſſe. Eſt enim prima à Deo defectio, quam ſequuntur deinde diuinæ voluntatis tranſgreſsiones. *Caluin. in fine ca. de iuſtifica. impij.*

In quo etiam fallitur Caluinus. *Sed quod videntur eandem ſtatuere bonorum & malorum operum rationem in æſtimanda iuſtitia vel iniuſtitia, in eo cogor ab ipſis diſſentire.*

Quod ad multa valeant opera bona etiam extra ſtatum gratiæ facta, oſtendit Sanctiſſ. dominus Adrianus lib. 4. ſentent. in tractat. de Sacramento pœnitentiæ.

Ex dictis manifeſtum eſt quæ ſunt propriè opera bona. Nam ſecundum beatum Auguſtinum & formam ſermonis ſcripturæ, bona opera dicuntur quæ ſunt ſimpliciter & abſolutè bona, hoc eſt, quę ſunt fructus arboris bonæ, & de radice proficiſcuntur charitatis. Sunt etiam opera bona, ſed modo quodam non ſimpliciter, quæ conſentanea ſunt legi diuinæ aut rectæ rationi. Et opera ſimpliciter mala ſunt, nõ ſolùm ea quæ ex radice naſcuntur cupiditatis, ſed quæcunque deuiant à lege æterna, vel regula rectæ rationis. Sicut enim ab arbore bona proficiſcuntur fructus mali, non vt bona eſt, hoc eſt ex radice charitatis, ſed ex ignorantia vel infirmitate, malo ſcilicet carnem inhabitante: ita ex arbore mala opera quædam naſcuntur quæ mala non ſunt, ſicut nec malum eſt eorum principium, natura videlicet & eius vires, fructus tamen boni non ſunt, vt diximus ſuprà. *Lib. 4. cõtrà Iulianũ c. 3. in fine.*

GRauiter hic hallucinantur Martinus Bucerus & Philippus Melanchthon ab inuicem nonminus diſsidentes quàm à doctrina catholica in deſcribendis operib. bonis. Nam Bucerus docet non eſſe opera bona, niſi quibus proximo commodamus vel rebus ſpiritualibus vel corporalibus. *Bucerus.*

Bona, inquit, opera ſunt, quæ ex bono corde in rem proximi ſecundum verbum Domini, ſtudioq; ipſi gratificandi fiunt. Nã bona opera in ſcripturis non vocantur, niſi quibus proximis bene ſit, quæq; illis commodum aliquod adferunt. Neque ſcriptura creaturam bonam vocant, niſi ex qua ad

In Commẽt. in ca. 5. euangel. ſecũdum Matt. & cõtra Pighiũ de iuſtificatiõe.

alios vtilitas aliqua proficiſcitur. Nec latini bonum dicunt, niſi quod frugi eſt, & fructus parit. Et Dominus in ſermone quem in monte habuit, nihil aliud agit, quàm vt nos totos patris confidentiæ permittentes, noſque ipſos quaſi negligentes & non curantes, totis viribus in hoc incumbamus, vt bene mereamur de quibuſlibet, faciamusque hominibus quod vellemus nobis fieri ab eis, & id inquit legem eſſe & prophetas, & qui diligit proximum, legem impleuit. Et de ſolo proximo mandauit nobis Deus Deo vel ſanctis in cælo quid bene facies? Et qui temetipſum abnegaſti, ac Deo conſecraſti, quid boni facies, vel facere potes, niſi quantum vt vſibus proximi ſeruias, foues ac inſtruis? In eo quod proximo bene facimus, Deus vult noſtram erga ſe officioſitatem experiri, et accipere perinde quicquid proximus bene feceris, ac ſi ipſi feciſſes. De his deniq; nobis mandauit Deus: Et in hoc verbo, Diliges proximum tuum, inquit Apoſtolus Paulus, totam legem impleri. Si igitur corpus caſtiges: Si Deum ores aut benedicas, vel quicquid aliud facias, ſi non id in rem inſinuatur proximi, non eſt bonum opus. Quicquid igitur ſui cauſa homo facit, hoc eſt, vt cælum mereatur, & è purgatorio celerem ſibi paret exitum, non eſt opus bonum, Nec aliqua ad alios venit vtilitas: Nec miſſæ, nec Eccleſiaſticorum precula & cantus, murmura ex eadem ratione non ſunt opera bona. Nec hic de nomine contendimus, dum de re conuenit, vocentur, & ſint bona opera quæcunque grata & placita Deo, & agimus & facimus animo, ore, manu. Cumque ille cuncta iuſſa ſua vno illo verbo comprehendat, Diliges proximum tuum ſicut teipſum, ad vtilitatem & ſalutem referri oportet proximi, quæ Deo grata ſunt, ac verè opera noſtra vniuerſa.

Contra Pighium.

Reſponſio. Cap. 6.

Abſurda eſt hæc deſcriptio bonorum operum, & reſponſio Martini Buceri, ſcripturiſque contraria. Nam Micheas propheta, Quid inquit, digne offeram Domino, curuabo genu Deo excelſo? Indicabo tibi ò homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam & ſolicite ambulare cum Deo tuo. Et propheta Dauid, Mihi autem adhærere Deo bonum eſt: Ponere in Domino Deo ſpẽ meam. Et tria primæ præcepta decalogi, ſolum Deum eiuſq; cultum reſpiciunt, nõ proprie vtilitatem proximi. Similiter credere, ſperare, & diligere Deum, in eius gloriam referuntur, qui prima veritas eſt, omnia ſciens, & fallens neminem: Summa liberalitas & omnipotentia, quibus ſeipſum & regnum ſuum nobis communicat. ſumma item bonitas, à qua omnia profluunt, ad quem etiam omnia redeunt Hic honor eiuſq; recognitio Deo exhibetur in his virtutib. theologicis. Et quando homini mandatur vt proximum ſicut ſeipſum diligat, permittitur ei, imò & mandatur ſui amor in his quæ Dei ſunt, & propriam ſpectant ſalutem, Qui vult vitam diligere, ait ſanctus Petrus, & dies videre bonos, coerceat linguam ſuam à malo. Et quis eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis? Et Dominus Saluator, Qui amat animam ſuam, perdet eam. Abſurdiſsimum enim eſt, quòd homo ſeipſum diligere non debeat in Deo & propter Deum. Quare autem non ſit datum ſpeciale præceptum de dilectione noſtri & corporis noſtri, dicit Beatus Auguſtinus cauſam eſſe, quòd inconcuſſa naturæ lege hęc ipſa diligimus. Nam & beſtiæ ſe atque corpora ſua diligunt. Reſtabat igitur vt & de illo quod ſupra nos eſt, & de illo quod iuxta nos eſt, præcepta ſumeremus. Tractat enim Ariſtoteles in Ethicis quæſtionem: An vir iuſtus debeat eſſe amator ſui. Et reſpondet, quòd præ amico ſe diligit, in his quæ virtutis ſunt & honeſtatis: In diuitijs verò, honoribus, & alijs bonis, quæ ad virtutem non pertinent, non eſt ſui amator. Huiuſmodi enim bona alteri magis quàm ſibi procurat & amat. Et ſcripturis aduerſatur, quòd homo non debeat eſſe ſollicitus vt ſit humilis, patiẽs, ardens Dei amore Cuſtodi temetipſum, ait Moyſes, & animam tuam ſollicitè. Itẽ Eccleſiaſticus. Miſerere animę tuæ placens Deo. Rurſum Apoſtolus Paulus, Sollicitè cura, inquit, teipſum probabilem exhibere Deo. Nõ enim proximo ſeruimus, niſi in gratiam Dei & propter Deum, quia videlicet hoc ei placet, & eius eſt voluntas. Illam ergo primò ſpectare oportet. Voluntas autem Dei eſt noſtra ſanctificatio. At reuerà præpoſterum eſſet primum præceptum legis, quod maximum eſt, referre ad ſecundum: Deum ad proximum, eiuſq; dilectionem, ad dilectionem proximi. Et quia dilectio hominis ad ſeipſum, in ſcripturis proponitur, vt exemplar dilectionis quæ habetur ad alterum, & potius eſt exemplar quàm exemplatum, fieri non poteſt, quòd homo ex charitate magis proximum diligere debeat, eiuſq; ſalutem magis procurare quàm propriam. Aperta namque eſt ſententia Saluatoris. Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimẽtum patiatur: aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Ideo Auguſt. Charitatem autem voco motum animi ad fruendum Deo, & ſe & proximo propter Deum. Et quod ipſa agit quò ſibi proſit, vtilitas eſt: quòd autem agit vt proſit proximo, beneficentia nominatur. Et homo poſt Deum ſe ſibi maximè debet, & ſe ſibi maximè reddere debet. Omnia hæc latè declarat beatus Thomas, & poſt Magiſtrum doctores ſcholaſtici, diſtinctione 27. 3. ſentent. & ſequentibus. Et dubitari non poteſt, quin opera pœnitentiæ non reſpiciant proximum, ſed operantem tantum: Sicut Publicanus non auſus oculos ad cælos eleuare, dixit, Deus propitius eſto mihi peccatori. Dauid quoq; propheta lectũ ſuum per ſingulas noctes lacrymis rigabat. Se enim Deo reconciliare quærebant. Nullius ſunt momẽti, imo magna ex parte falſa ſunt quę aſſumit Bucerus

Pſalm. 72.

Amor ſuiipſius eſt præceptum in euãgelijs et lege naturali.

1. Petri. 3.

Li. 1. de doct. Chriſtiana, ca. 23. & 26.

Lib. 9. tract. 2. cap. 1.

Deutero. 4.

Cap. 30.

Matth. 16.

Li. 3 de doc. Chriſt. c. 10.

Aug. de quãtit. anima, c. 28. lib. 1. & li. 1 retract. cap. 8.

2. 2. quæ. 25. art. 1. & 4.

Lucæ. 18.

Pſalm. 6.

rus in erroris ſui probationem. Nam ex dictis manifeſtum eſt, non ea tantum opera in ſcripturis bona vocari, quibus proximo benè fit. Grata enim ſunt Deo opera pœnitentiæ, quæ & placant iram eius. Vidit namque Deus opera Niniuitarum, & miſertus eſt ſuper malitia quam locutus fuerat. Et Publicanus iuſtificatus in domum ſuam deſcendit, Et bona, imò optima ſunt opera, quibus implentur præcepta primæ tabulæ, quæ tantum Deum, non autem proximum reſpiciunt, Et teſte Saluatore. Maria optimam partem elegit. Nec mirũ, quòd creatura quæ in hominum vſum tantum creata eſt, in ſcripturis dicatur bona, quia ex ea ad alios vtilitas proficiſcitur. In miniſterium enim cunctis gentibus quæ ſub cælo ſunt, ſolem & lunam, & omnia cælorum aſtra Deus creauit: Hominem verò in ſuum miniſterium vt Deum cognoſcat, diligat, fruatur, & eius faciat voluntatem. Nec verum eſt quod Latini bonum non dicunt niſi quod frugi eſt, Nam docent bonum eſſe generale nomen honeſta, pariter, & vtilia complectens, quemadmodum bonum animi, bonum corporis, bonum fortunæ. Et in ſermone Domini in monte hoc quidem agitur, vt nos totos patris prouidentiæ committamus, & de quibuslibet bene mereamur: ſed tantùm in ſermonis parte iſtud agitur. At in eodem ſermone docentur alia multa, ſicut de beatitudinibus, & ne iuſtitiam noſtram faciamus coram hominibus, & ſimilia plurima. Diligenter annotat Beatus Auguſtinus, Saluatorem dicere, Hæc eſt enim lex & Prophetæ. Et non addere, quemadmodum alio loco, Vniuerſa lex & vniuerſi Prophetæ. Quomodo cùm hic non loquatur, ſeruat locum alteri præcepto, quod ad Dei dilectionem pertinet. Et qui diligit proximum legem impleuit, quoad præcepta quæ ipſum concernunt, non autem vniuerſa, niſi inquantum dilectio proximi includit Dei dilectionem. Non enim proximus ex charitate diligitur, niſi propter Deum dilectum. Et falſum eſt quod de ſolo proximo mandauit nobis Deus. Nam ſimpliciter loquens Eccleſiaſticus: Et mandauit illis, ait, vnicuique de proximo ſuo. Deo quidem & ſanctis benefacere non poſſumus in eorum perſonas bona conferendo, ſicut nec eis in eorum perſonis nocere poſſumus. Si peccaueris, inquit Iob, quid ei nocebis? & ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuę, quid facies contra eum? Porrò ſi iuſtè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Conqueritur tamen dominus, quòd deſpicimus nomen ſuum, & quòd ipſum affigimus. Et ſi affigit me homo, ait Deus, vos me configitis. Et deplorat, quòd nomen ſuum in gentibus per nos blaſphematur. Et Maria virgo, Magnificat anima mea Dominum. Item Eccleſiaſticus, Exaltate Dominum quantum poteſtis. Superualebit enim adhuc. In honore igitur & gloria nominis ſui læditur Deus & ſancti eius, & ediuerſo etiam magnificantur. Si ego ſum Dominus, vbi timor meus? & ſi pater ego, vbi eſt honor meus? Filius honorat patrem, & ſeruus dominum ſuum. Et Beatus Auguſtinus. Quid tibi ſum ipſe vt amari te iubeas à me, & niſi faciam iraſcaris mihi, & mineris ingentes miſerias? ſicut autem Deo & ſanctis benedicimus, & etiam maledicimus. ita eis quoque bene & male facimus. Et ex eo quod te Deo conſecraſti, eius gloriam in omnibus quærere oportet, eius ſpectare voluntatem & beneplacitum, non ſolum in proximo, ſed & in nobis, & quidem cultu quem ipſe à nobis requirit, vt ſanctificetur etiam in nobis ſanctum nomen eius. Et abſurdiſsimum eſt quòd dicit Bucerus, quòd homo ſibi nihil boni facere poteſt aut debet, de quo Saluator teſtatur, quòd animam ſuam perdere & lucrari poteſt. Verè dolendum hunc virum doctum pro euangelica doctrina toti mundo proponere huiuſmodi abſurdas opiniones. Nullam enim veritatis apparẽtiam habet quod dicit, Si igitur corpus caſtiges, ſi Deum ores, benedicas, ſi non id in rem proximi inſtituatur, non eſt opus bonum, quum Apoſt. Paulus teſtetur ſe caſtigare corpus ſuum, & in ſeruitutem redigere ne fortè cum alijs prædicauerit, ipſe reprobus efficiatur, qui & cœlibatum dicit aſſumendum, quia facultatẽ præbet ſine impedimento Dominum obſecrãdi. Non enim propter proximum te facit Deus, ſed vt ipſi ſeruias, ipſiusq; facias voluntatem, nõ ſolum in beneficentia erga proximos. ſed in omnium virtutum operibus. Nam de his operibus præcepta continet lex diuina. Ait enim Dominus apud Eſaiam, Omnem qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum. Populum iſtum formaui mihi, laudem meã narrabit. Et clariſsimè conuincunt hanc Buceri ſententiam ſcripturæ ſuperius citatæ. Nam fructus bonus eſt quem producit arbor bona, cuius radix eſt charitas: Quicquid igitur à charitate procedit, fructus eſt bonus. Ab ea autem primò proficiſcitur amor Dei, & opera in prima decalogi tabula pręſcripta, quæ Deum immediatè, non proximum reſpiciunt.

Margin notes: Ion. 6. — Luc. 10. — Leuit. 4. — Laurẽt. Val. cap. 282. — De ſer. Do. in monte. — Cap. 17. — Iob. 35. — Malach. 2. et 1. Cap. 33. — Malach. 1. — Lib. 1. cõfeſ. cap. 5. — 1. Corint. 9. — Cap. 43. — Cap. 43.

Philippus Melanchthon contra docet, ea ſcilicet tãtùm opera bona eſſe, quæ ſunt à Deo præcepta. *Bona, inquit, opera debẽt habere Dei mandata, vt ſciamus ea Deo placere, & fiducia mandati diuini ea ſuſcipiamus.*

In locis de diſcrimine præceptorum & conſiliorum.

Docetque hæc ipſa opera ideo facienda, quia à Deo præcepta ſunt, non vt illis quicquam mereamur. Quæ verò ex noſtra electione noſtroque arbitrio, aut ſuperiorum præſcripto vel conſilio aſſumpſerimus, apud Deum nullius haberi momenti. Et ſi ea fiant intentione, vt Deum nobis placemus, ipſius gratiam promereamur, aut pro peccatis ſatisfaciamus, iam non inutilia tantum, ſed pernicioſa

atque impia eſſe, ex doctrinis dęmoniorum profecta. Quem eius errorem recitat & ex ſcripturis improbat Albertus Pighius in cõtrouerſ. 12. quæ eſt de traditionibus humanis: & 14. de votis monaſticis. Scripturis autem manifeſtè aduerſatur. Non enim præ cæteris hominibus ſpecialia à Deo præcepta acceperant illi, quorum magnificam & triumphantem fidem effert Apoſtolus Paulus, (*Hebr. 11.*) qui circuerunt in melotis, in pellibus caprinis, in ſolitudinibus errantes, quibus dignus non erat mundus. (*Hierem. 35.*) Nec ſpeciale aliquod præceptum habebãt Rechabitæ, qui ſpeciale vitæ inſtitutum ſectabantur ſeuerius & expeditiùs, quos magnificè commendat Dominus. Nec Helias, nec Heliſæus, aut prophetarum diſcipuli, vt vitam cœlibem, & ieiunijs, ac vigilijs duram atque aſperam ducerent, huiuſmodi ſpeciale præceptum habuerunt. (*Lucæ 2.*) Nec pręceptum habebat Ioannes Baptiſta de vita quam agebat ſæueriori. Nec etiam Anna illa Phanuelis filia præcepti neceſsitate, ſed proprij arbitrij electione tot annis in ieiunijs & obſecrationibus Domino ſeruiebat. (*Lib. 1. cõtra Iulianum.*) Plus, inquit B. Hieronymus Chriſtus amat virgines, quia ſpontè tribuunt quod ſibi nõ fuerat imperatum, maiorisq; gratiæ eſt offerre quod non debeas, quàm reddere quod exigaris. Nam Deo gratiſsima eſt virginitas: De virginibus tamen ait Paulus ſe præceptũ Domini non habere, & ideo conſulere tantùm. Qui poteſt capere, inquit Saluator, ille capiat. Et de paupertate Euangelica dicit idem. (*Matth. 9.*) Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Non igitur ea ſola opera Deo placent, & bona ſunt quæ Deus præcepit, nec ſolum ea quę fiunt in proximi vtilitatem, ſed quæcunque conformia ſunt ſecundum omnes circunſtantias ſuæ regulæ, hoc eſt, legi diuinæ, ſiue præcepta fuerint ſiue permiſſa (*1. Corinth. 7*) (Nam qui matrimonio iũgit virginem ſuam, bene facit, ait Apoſt. Paulus) ſiue conſulta, ſiue etiam fuerint in fratrum vtilitatem, ſiue noſtram ſalutem promoueant, aut gloriam Dei. (*1.2. quæ. 68. art. 1. & 63. art. 2.*) Oportet enim bonum hominis ſecundum aliquam regulã conſiderari, vt ex Auguſt. docet B. Thomas.

MOuent hîc Martinus Bucerus in Didagmate, & Philippus Melanchthon in Locis quinq; quęſtiones, quib. etiã reſpõdebimus pro pleniori hui9 articuli intellectu, vt manifeſtum fiat, in quib. ipſi reſpondendo deficiant.

(*In ca. de bonis operibus. & Philippus etiam in cap. de bonis operibus.*)

Prima quæſtio eſt, Quænam opera facienda ſint.

Secunda, Quomodo fieri poſsint cùm tãta ſit humanæ naturæ infirmitas, & tanta ſathanæ impedimenta.

Tertia, Quomodo placere Deo poſsint, cũ imperfecta ſint, & admodum exigua.

Quarta, Cur facienda bona opera, mala autem fugienda.

Quinta, De diſcrimine peccatorum.

Ad primam reſpondemus, omnia opera faciendã eſſe, in quibus Deus noſtrum requirit miniſterium. Nam Dominus eſt abſolutus, & nos ſerui eius. Leges ei præfigere non poſſumus, ſecundum quas, aut in quibus miniſterijs ei ſeruire velimus. Grata nihilominus ſunt ei vniuerſa opera noſtra, ſiue præcepta, ſiue conſulta, vel etiam permiſſa, modò ex radice charitatis procedant. Nec ei diſplicent, ſi ex viribus quas ipſe tanquam magnum talentum ad negotiandum concredidit, proficiſcantur, ſi tamen nõ corrumpantur peruerſa intentionè. Vnde manifeſtum eſt, facienda eſſe non ſolum opera quib. proximo commodamus, nec ſola Decalogi præcepta, (*2. Tim. 3.*) & quæ in his iuxta Chriſti & Apoſtolorum interpretationem continentur (vt dicit Bucerus) ſed vniuerſa virtutum opera. (*Philip. 1.*) Oportet enim hominem Dei ad omne opus bonum eſſe inſtructum, & perfectum in omnibus. Et fructus lucis eſt in omni bonitate & iuſtitia, vt ſimus probantes quid ſit beneplacitum Deo. Et B. Petrus, Vos autem curam omnem ſubinferentes miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, & quæ ſequuntur. (*1. Petr. 1.*) Quapropter, inquit, fratres ſatagite, vt per bona opera certam vocationem veſtram faciatis. Porrò de omnium virtutum actibus præcipere habet legiſlator etiam Politicus, (*Ari. 2. & 3. Ethic.*) cuius intentio eſt ciues facere bonos. In Decalogo vero non præcipiuntur, niſi actus religionis & iuſtitiæ. Et ſicut non ea tantùm opera quæ præcepta ſunt nobis, facienda ſunt, verùm & cõſulta & permiſſa: ita nec præcepta ſolum facienda ſunt, vt ſunt præcepta. Nam ſola obedientia hanc rationem reſpicit, nõ charitas, non humilitas, vel patientia, vel quæuis alia virtus. Diſtinguũtur enim virtutes proprijs rationibus obiectorum. Omnium autem operum bonorum, (*Titum 3.*) ſicut præceptorum, finis vltimus eſt charitas, hoc eſt, vt Deo gratificemur & placeamus. Et quia ſublimiori poteſtati ſubditum eſſe oportet, eiuſq; dicto obedire, etiam facienda ſunt quę præſcribũt ad fidei & charitatis ædificationem eiuſmodi poteſtates, parentes, & eccleſiarum præpoſiti. (*De præcepto & diſpen. ca.*) Certa namq; eſt ſententia B. Bernardi, Diſcretio eſt in mandatis, conſequenter & in culpis, vt maiorum grauior, leuiorq; minorum cenſeatur trãſgreſsio mandatorum, ſed mandantium non ita. Siue enim Deus, ſiue homo vicarius Dei mandatum quodcũque tradiderit, pari profectò obſequendum eſt cura, pari reuerentia deferendum, vbi tamen Deo contraria nõ præcipit homo. Quicquid enim Dei gloriam, & propriam, aut fratris ſalutem promouet, faciẽdum eſt, & verbum Dei habet.

Ad ſecundam quæſtionem reſpondetur, quòd omnia poſſumus in eo, qui nos confortat. Et qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilę, current & non laborabunt. Ipſe laſſo dat virtutem, (*Eſaie 40.*) & his qui non ſunt, fortitudinem & robur multiplicat. Item Deus eſt qui in nobis operatur velle & perficere. Infundit enim cordibus piorum ſpiritum ſanctum, qui adiuuat eorum infirmitatem, lucem nouam, &

Phil. 2. uam, & robur addit: & fidelis eſt, qui nõ patietur nos tentari ſupra id quod poſſumus, *Ephes. vlt.* ſed faciet cum tentatione etiam prouentum, vt poſsimus ſuſtinere. Item armaturam Dei induti, ſtare poſſumus aduerſus inſidias diabo*1. Ioan. 4.* li & reſiſtere, & in omnibus perfecti ſtare. Atque longe maior eſt qui in nobis operatur & nobiſcum pugnat, quam qui in mundo. Ipſe enim Deus eſt noſtra fortitudo, virtus, *Pſalm. 118.* & patientia: & ſpes noſtra, qui facit noſipſos in nobis fortes & potentes, patientes: per charitatem in cordibus noſtris diffuſam, omnia nobis dulcia reddit, etiam ignem & aquam: mandata autem omnia leuia, vt quidam ſanctorum dixerit: Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilataſti cor meũ. Nihil enim difficile eſt amanti, & omnia fa*Aug. de nat. & gra. c. 69* cilia charitati. Et iuxta hoc dictum eſt, ait B. Aug. mandata eius grauia non ſunt. Cui autem grauia ſunt, conſideret non potuiſſe diuinitus dici, quod grauia non ſunt, niſi quia poteſt eſſe cordis affectus, cui grauia non ſunt, & petat quo deſtituitur, vt impleat, quod iubetur. Ex nobis infirmi ſumus, ex Deo autem potentes per charitatem in cordibus noſtris diffuſam. Fortis enim vt mors, eſt dilectio, imo & fortior, atque propterea in nobis fortes ſumus, non ſolum in Deo. Et dicit B. Auguſtinus, potentiorem nobis datam eſſe gratiam, quam primo parenti. De modo quo facienda ſunt opera, docet ſcriptura, docent & philoſophi, quod ex ſpontanea boni electione operari oportet. Ex animo, inquit *Ephes. 6.* Apoſtolus, cum bona voluntate ſeruientes ſicut domino & non hominibus. Item alio in loco, Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo, non ex triſtitia aut neceſsitate: Hilarem enim datorem diligit Deus. Rurſus *2. Corint. 9.* Non ſolum facere, ſed & velle cœpiſtis ab anno priore, vt quemadmodũ promptus eſt *1. 2. quæ. 100 art. 9. & 10.* animus voluntatis, ita ſit & perficiendi. De modo autẽ iſto quo operari oportet, tractat *2. Ethic.* B. Thom. & Ariſtoteles.

Ad tertiam quæſtionem reſpõdetur, quod opera noſtra Deo placent, in quantũ ſpiritu nos viuificãte Chriſtus per nos ea operatur. Quamuis autem imperfecta ſit noſtra iuſtitia eius comparatione quam in cœlis habebimus, quam hic eſurimus & ſitimus, (Non enim eſt ſine peccatorum admixtione) perfecta tamẽ eſt, habito noſtræ imbecillitatis re*De perfectione iuſtitiæ. De peccatorum remiſsione.* ſpectu, vt frequenter dicit B. Auguſtinus, Opera etiam iuſtitiæ perfecta eſſe poſſunt in nobis. Charitas enim perfecta (quam B. Ioannes in nobis eſſe teſtatur) opera edit perfecta, cuiuſmodi eſt conſtans ſanctorũ confeſsio, & tormentorum ſufferentia. Nam mo*Matth. 5.* net Saluator, Eſtote, inquit, perfecti, ſicut pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Et virtus in infirmitate perficitur. Tantũ eñi accenditur voluntas electorum ſpiritu S. vt ideò poſſint, quia ſic velint, quia Deus operatur vt velint. Subuentum eſt ergo infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter & inſeparabiliter ageretur: Et ideò quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduerſitate aliqua vinceretur. Et alio loco. Voluntas humana per gratiam conſequitur delectabilem perpetuitatem, & inſupe*Aug. de cor. & gra. c. 12* rabilem fortitudinẽ. Quæ etiam faciunt ad reſponſionem datam ad quæſtionem præcedentem de naturæ humanæ infirmitate, & ſathanæ impedimentis. Placẽt autem opera noſtra, placemus & nos Deo patri, ea ratio*Eiuſdem li. cap. 8.* ne qua Chriſtus, eiuſque opera placuerunt. Nam ex eodem ſpiritu viuimus quo Chriſtus, & ex eodem noſtra opera proficiſcuntur & fiunt. Ipſe autem per ſpiritũ ſanctũ ſe obtulit immaculatam Deo hoſtiam. & ideò non ſolum in Chriſto quaſi extrinſeca ratione Deo placent, ſed & in ſe conſiderata non in ſua natura, ſed ſecundum qualitates & circunſtantias, quibus veſtiuntur quaſi opera vitalia à ſpiritu ſancto nos viuificante profecta: Sicut ſanctorum angelorum, & primi hominis opera, antequam peccaret, ex ſpiritu ſancto placebant, ſuppoſito quod ex Chriſti merito ſpiritum viuificantem non habebant. Quod autem dicit Martinus Bucerus, quod homo non debeat fluctuare dubitatione, an vita vel opera Deo placeant, ſed ſtatuere certò ſe acceptum eſſe Deo propter Chriſtum, multum fallitur, vt diximus ſuperius, cum nullo ex Dei verbo nobis reuelatum ſit, quòd Deo placemus, aut opera noſtra. Nec tamen de eo fluctuamus dubitatione, ſed certa fiducia confidimus & nos, & noſtra opera Deo placere: & vnus altero certius, ſecundum quod quiſq; ſe exercuit in obſeruatione mandatorum Dei. Naſcitur enim hæc certitudo cognitionis & fiduciæ ex argumentis, quæ ſumuntur ex noſtræ vitæ ſtatu & conditione, de quo multa ſunt dicta articulo nono.

Ad quartam quæſtionem reſpõdetur, quod vniuſcuiuſque virtutis opera proprium finem habent & cauſas peculiares. Nam finis religionis eſt cultus & reuerentia Dei: tanquam omnium Creatoris & Saluatoris, à qua bona omnia nobis proueniunt. & charitatis erga proximum finis eſt ſubleuatio neceſsitatis & calamitatis eius. temperantiæ autem bona corporis valetudo & promptitudo, ad officia incumbentia: legitimus itẽ ordo circa delectabilia guſtus & tactus. Omnes autẽ virtutes & earum opera principaliter Deo ſeruiunt, ad cuius referuntur beneplacitum & gloriã. Omnia inquit, Apoſtolus, in glo*1. Cor. 10.* riam Dei facite. Sunt præterea facienda opera ad apprehendendum brauium nobis propoſitum: omnes tamen fines piorum & ſanctorum operum ad Deum & charitatem referuntur. Nam finis præcepti eſt charitas.

Ad quintam quæſtionẽ reſpondetur, quòd peccati mortalis & venialis diſcrimen ſumere oportet ex repugnãtia cum charitate, quæ eſt animæ vita: & ideo opus, quod dilectionem Dei vel proximi excludit, vel etiã aduerſatur, peccatum eſt mortale. Hoc aũt dupliciter cõtingit. Primò ex parte obiecti operis in quo videlicet eſt iniuria vel nocumentũ proximi, vel læſio honoris diuini:

qualia

qualia ſunt peccata quæ contra iuſtitiam admittuntur, hoc eſt, in quibus læditur proximus, & quæ ſunt contra fidem, ſpem, & charitatem, aut religionem. Hæc enim omnia ex ſuo genere, atque obiecto peccata ſunt mortalia. Secundò contingit, quod charitati aduerſetur actio ex parte operantis, vt ſi creatura qua vti licet, tanquam vltimo fine in quo quieſcat, fruatur: quomodo auarus Li.1.c.10.li. 21.cap.26. amat pecuniā, & quidā voluptatem, quorum ſcilicet Deus venter eſt: de quo genere peccati mortalis ſcribit beatus Auguſtinus in Epiſt.89. libris de ciuitate Dei. Et in epiſtola ad Hilarium. Et Dominus Saluator, Matth.10. Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus. De priore genere peccati mortalis Dominus in Euangelio: De corde, inquit, Matth.15. exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, furta, falſa teſtimonia, blaſphemię. Hęc ſunt quæ coinquinant hominem. Itē Paulus, Nolite errare, neque fornicarij, neq; idolis 1.Corint 5. ſeruientes, neque adulteri, neque molles, &c. quos enumerat, regnū Dei poſsidebunt. Similes ſententias habet frequentes. Ex quo manifeſtum fit ex conditione, & qualitate operis ſiue intentionis, & non ex nudo Dei placito, ſumi differētiam inter peccatū mortale Galat.5. & veniale. Deus enim vnumquodque Epheſ.5. opus iudicat, damnat, aut reprobat ſecundū eius dignitatē & dignitatē: Vniuſcuiuſq; o-1.Corinth.3. pus quale ſit, inquit Paulꝰ, ignis probabit. Si cuius opus manſerit, quod ſuperędificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arſerit, detrimentū patietur: Ipſe autem ſaluus erit, 12.queſt.88. de malo. quaſi per ignē. De hoc peccatorū diſcrimine diligenter diſputat B. Thomas in pluribus locis. Nobis ſatis eſt iſta attigiſſe, vt præmuniantur lectores à falſo diſcrimine inter peccata, quod paſsim perperam tradunt noſtri aduerſarij. Ait enim Martinus Bucerus.

Bucerus. *Sciendum eſt eſſe peccatū contra conſcientiam, hoc eſt, quod quis ſciens & volens admittit, quod in ſanctis locum non habet. Etſi tale aliquod deſignent, gratiam Dei abijciunt, & ſpiritū ſanctum repellunt, atq; deſinunt ſancti eſſe. Ad quod genus peccati pertinet etiam affectata ignorantia, qualis erat Ethnicorum & Phariſæorum, qui prædicatum à Chriſto & ab Apoſtolis Euangelium reiecerunt & ignorare voluerūt. Reliqua peccata in quibus non agitur contra conſcientiam, nec ex affectata ignorantia in ſanctis deprehenduntur, nec ſanctum ſpiritum repellunt.*

Reſponſio. Quæ ſententia improbabilis eſt, imò nullum habet in ſcripturis fundamentum, ſed & ſcripturis aduerſatur. Auari enim, ſuperbi, & quorū Deus venter eſt. Item qui amant patrem aut matrem magis quàm Chriſtum dominum, non agunt contra conſcientiam ſcientes & volētes peccare. Nec Paulus perſequens ex ignorantia Dei eccleſiam, contra conſcientiam peccauit, vel ex ignorantia affectata. Certiſsimum tamen eſt in his operi-1.Corinth.6. bus eſſe peccatum mortale. Et Apoſt. Paulus abſolutè dicit, quòd neque fornicarij, neq; auari regnum Dei poſsidebunt: clariſsimè oſtendens hæc opera ex ſuo genere excludere à regno Dei, & non ſolum peccata contra conſcientiā perpetrata. Non enim eſſe contra conſcientiam, eſt ratio peccati mortalis, Pſalm. 71. ſed eſſe contra legem Dei, & contra charitatem Dei & proximi: ſicut ſuperiùs ex Caluino oſtendimus, quòd incredulitas non eſt ratio in quolibet opere malo cur ſit peccatū. Eodem argumento oſtendi poteſt, quòd nec eſſe contra conſcientiam ratio ſit, cur opus aliquod ſit peccatū mortale. Nec omne peccatum eſt mortale quod ſcientes & volentes admittimus, quum verbum otioſum, & mendacium officioſum non ſint mortalia, quamuis fiant à volēte & ſciente. Mirum quod ad hoc genus peccati quod cōtra conſcientiam admittitur, ſolam ignorantiam affectatam reducat Bucerus, quę in paucis locum habet. Plerunque enim peccant homines ex ignorantia craſſa & ſupina. Hæc autem Bucero ſunt venialia tantùm. Satis eſt hæc indicaſſe. Nam plena huius rei explicatio prolixiorem requirit tractationem quàm huic loco conueniat.

IN particula ſecunda articuli quæ habet opera bona, quando ex fidei & charitatis ſpiritu proficiſcuntur, ita grata eſſe Deo, vt eis tanquam iuſtam mercedem vitam retribuat æternā, proponitur id quod ex ſcripturis apud catholicos certum eſt, & firma fide tenendum, ſi intelligatur de ſpiritu in Chriſto viuificāte, & operibꝰ quæ ex fide & charitate per eundem ſpiritum in cordibus fidelium diffuſis proficiſcuntur. Ab aduerſarijs tamen iſtud impugnatur. Si enim intelligantur opera quæ à ſpiritu nondum inhabitante proficiſcuntur, ſibi tamen habitationem præparante, quāuis ex fide, ac Dei & proximi dilectione: vel ex ijs quę procedunt à ſpiritu inhabitante per opinionem, aut etiam his quæ fiunt per patientiam, humilitatem, aut quamuis aliam virtutem moralem, ſine concurſu charitatis, hæc non merentur vitam æternam, ſaltem apud Scholaſticos ſuper hoc contenditur. Nam B. Thom. docet nullum eſſe opus medium in homine iuſto inter meritum vitæ æternæ, & meritum ſupplicij in futuro ſeculo. Opera autem quæ mouente ſpiritu in Chriſto viuificāte ex fide & charitate Dei & proximi procedūt, ex ſcripturis certū haberi debet Deo grata eſſe, adeo vt eis rependat vitam æternā, non quaſi gratiam vel liberalitatem, ſed tanquā iuſtam mercedem, & vt iuſtus iudex ſecundū veram iuſtitiam. Repoſita eſt mihi, ait Apoſt. Paulus, corona iuſtitiæ, quā reddet mihi domi- 2.Timot.4. nus in illa die iuſtus iudex, nō ſolum autem mihi, ſed & his qui diligunt aduentum eius: & Theſſalonicenſes ſcribit perſecutiones 2.Theſſal. ſuſtinere in exemplū iuſti iudicij Dei, vt di- ca.1. gni habeamur in regno Dei, pro quo & patiebantur. Et addit, Si tamen iuſtū eſt apud Deum retribuere tribulationē his qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini requiem

nobi-

nobiſcum. In quo diſcrimen eſt inter remiſſionem peccatorum, ſiue ſalutem à peccatis (de qua Beatus Matthæus, Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorũ) & vitam æternam. Nam ad ſalutem à peccatis ſiue iuſtitiam, neceſſaria ſunt opera pœnitentię, & horum perfectioni reſpondet perfectio iuſtitiæ, qua à peccatis iuſtificamur, maior videlicet perfectius pœnitenti, quæ opera reſpicit etiam Deus. Diſsimulat enim peccata hominum propter pœnitẽtiam. Et Niniuitarum opera vidit Deus, quia cõuerſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitia quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit. Item apud Hieremiam: Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo quod cogitaui vt facerem eis. Rurſus, conuertimini & agite pœnitentam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinã iniquitas. Fit igitur iuſtificatio impij ſecundum opera pœnitentiæ eius, & ea Deus reſpicit vt eum iuſtificet, ſed merè gratis & ex gratia, quãuis hunc ſolum qui per ſpiritum fidei eſt præparatus, ſicut eleemoſyna gratis & liberaliter pauperi datur, ſi tamen petat & ſupplicet. Operibus autem iuſtorum redditur vita æterna, non vt gratia, ſed vt iuſta merces, quæ ex iuſtitia, & ſecũdum vniuſcuiuſq; laborem debetur. Vnuſquiſq; inqt Apoſt. Propriã mercedem accipiet ſecũdum ſuum laborem. Et ideo B. Auguſt. Vita, inquit, æterna merces appellatur plurimis ſanctarũ ſcripturarum locis. Nuſquã porrò dicta eſt merces iuſtitia vel fides, quia iuſtitiæ vel fidei redditur merces. Item quærit, Nulla ne ſunt merita iuſtorũ? Sunt planè, qa iuſti ſunt, ſed vt iuſti fierent, merita non fuerunt: Iuſtificati, inquit Apoſtolus gratis per gratiã ipſius. Habent autem hæc opera apud Deum hanc gratiam, eo ipſo quòd procedant à ſpiritu Chriſti per fidem & charitatem, hoc eſt, ex cognitione fidei & affectu charitatis. Hęc enim fuit ratio meriti in oblatione Chriſti quam fecit in cruce: de qua Apoſtolus, quòd per ſpiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo. Et ideo emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti. Nam quamuis nunc à Chriſto quaſi capite ſpiritus ſanctus cum ſuis donis dependeat, & ab eo ad nos tãquam eius membra defluat & deſcendat, & ex hoc vniuerſa merita noſtra, quaſi Chriſti ſanguine aſperguntur, ſi tamen conſideretur ſpiritus nos inhabitans, & eius per fidem & charitatem efficacia, hac ſola conſideratione opera noſtra Deo ſunt grata, vt vitam æternam rependat tanquam iuſtam mercedem. Sicut ſanctorum angelorum & primi parentis noſtri Adæ ante lapſum opera digna erant, quibus vita æterna tanquam iuſta merces retribueretur: qui tamen creduntur nõ accepiſſe ſpiritum viuificantẽ & iuſtitiam ex Chriſti merito. Habent tamen noſtra opora plus gratię apud Deum, quòd Chriſtus ea in nobis operari dignatur.

Cap. 1. *Ionæ 1.* 18. *Epiſt. 50. ad Sixtum.*

Offert ſe hîc ſtatim difficultas, Quomodo vita æterna iuſtis tanquam iuſta merces reddatur, quum Apoſtolus Paulus dicrimen ponens inter vitam æternam & mortem, dicat, Stipendia peccati, mors, gratia autẽ Dei vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Et alibi, Si autem gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non eſt gratia. Et ei qui operatur merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. *Rom. 6. Rom. 11. Rom. 4.*

Cui difficultati reſpondet B. Auguſtinus: Naſcitur, inquit, inde nõ parua quæſtio, quæ domino donante ſoluenda eſt. Si enim vita æterna bonis operibus redditur, ſicut apertiſsimè dicit ſcriptura, quoniã Deus reddet vnicuique ſecundum opera eius, quomodo gratia eſt vita æterna? quum gratia non operibus reddatur, ſed gratis detur, ipſo Apoſtolo dicente, Ei qui operatur merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecũdum meritum. Et iterũ, Reliquiæ inquit per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Et mox addidit, Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non eſt gratia. Quomodo eſt ergo gratia vita æterna, quę ex operibus ſumitur? An fortè vitã æternam non dixit Apoſtolus gratiam? Imò verò ſic dixit, vt negari nõ poſsit: nec intellectorem acutum, ſed tantumodo deſiderat auditorem. Cùm enim dixiſſet, Stipendium peccati mors, cõtinuò ſubdidit: Gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Ieſu domino noſtro. Iſta ergo quæſtio nullo modo videtur mihi poſſe diſſolui, niſi intelligamus, & ipſa bona opera noſtra, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere, propter illud quod ait Domin⁹ Ieſus, Sine me nihil poteſtis facere. Et ipſe Apoſtolus Paulus cũ dixiſſet, Gratia ſalui facti eſtis per fidẽ, & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt, non ex operibus, ne forte quis extollatur. Vidit vtique putare poſſe homines hoc ita dictũ quaſi neceſſaria non ſint opera bona credentibus, ſed eis fides ſola ſufficiat: & rurſus poſſe homines de bonis operibus extolli, velut ea facienda ſibi ſufficiant. Mox itaque addidit, Ipſius enim ſumus figmentum, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Quid eſt hoc, quod cùm Dei gratiam commendans, dixiſſet, Non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Cur hoc dixerit rationem reddens, Ipſius enim ſumus, inquit, figmentum, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis. Quomodo ergo non ex operibus, ne fortè quis extollatur? Sed audi & intellige, Non ex operibus, dictũ, tanquam tuis, ex teipſo tibi exiſtentibus, ſed tanquã his in quib. te finxit, id eſt, formauit & creauit Deus. Hoc enim ait, Ipſius ſumus figmentum in Chriſto Ieſu in operibus bonis, non illa creatione qua homines facti ſumus, ſed ea de qua Pſalmiſta dicebat, qui vtiq; iã homo erat, Cor mundũ crea in me Deus, & ſpiritum rectũ innoua in viſceribus meis. Et de qua dicit Apoſtol⁹ Paul. Si qua ergo in Chriſto noua creatura, vetera tranſierunt, ecce facta

De gra. & li. arb. ca. 8. & 9. *Rom. 9.* *Rom.* *Reſponſ. B. Auguſtini.* *Ioan. 15.* *Ephe. 2.* *Pſal. 50.* *1. Corinth. 5.*

facta ſunt noua, omnia autem ex Deo: Fingimur ergo, id eſt, formamur & creamur in operib. bonis, quę non præparauimus nos, ſed præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Itaq; chariſsimi, vita bona noſtra nihil aliud eſt quam Dei gratia: ſine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia eſt, & ipſa enim gratis datur, quia gratis data eſt illa cui datur. Sed illa cui datur tantummodo gratia eſt: hæc autem quę illi datur, quoniam pręmium eius eſt, gratia eſt pro gratia: tanquam merces pro iuſtitia, vt verum ſit, quoniam verum eſt, quia reddet vnicuique Deus ſecundum opera eius. Et cap. ſequenti. Vtrum autem legerimus, inquit, in libris ſanctis, Gratiam pro gratia, forſan quæritis, Sed habetis Euangelium ſecundum Ioan. tanta luce clariſsimum, vbi Ioannes Baptiſta de Domino Chriſto dicit, Nos omnes ex plenitudine eius accepimus, & gratiam pro gratia. Ex eius itaque plenitudine accepimus pro modulo noſtro, tanquam particulas noſtras, vt bene viuamus, ſicut Deus partitus eſt menſuram fidei, quia vnuſquiſq; proprium donum habet à Deo, alius ſic, alius autem ſic, & ipſa eſt gratia. Et inſuper accipiemus, & gratiam pro gratia, quando nobis vita æterna reddetur: de qua dixit Apoſtolus Paulus. Gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cùm prius dixiſſet, Stipendium peccati mors. Merito enim ſtipendium, quia militiæ diabolicæ mors æterna tanquam debitum redditur. Vbi cum poſſet dicere, & rectè dicere, Stipendium autem iuſtitiæ, vita æterna: maluit dicere, Gratia autem Dei, vita ęterna, vt hinc intelligerem⁹, non meritis noſtris Deum nos ad æternã vitam, ſed pro ſua miſeratione perducere: de quo in Pſalmo dixit homo animæ ſuæ, Qui coronat te in miſeratione & miſericordia, nunquid non corona bonis operibus redditur? Sed quia ipſa bona opera ille in bonis operatur, de quo dictũ eſt, Deus eſt enim qui operatur in vobis, & velle, & operari pro bona voluntàte: ideo dicit Pſal. Coronat te in miſeratione & miſericordia, quia eius miſeratione, bona operamur quib. corona reddetur. Eandem ſententiam ſuccinctè docet in lib. de correp. & grat. Quia, inquit, & ipſa vita æterna, quam certum eſt bonis operibus debitam reddi, à tanto Apoſtolo gratia Dei dicitur, cum gratia non operibus reddatur, ſed gratis detur, ſine vlla dubitatione confitendum eſt, ideo gratiam vitam ęternã vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini.

Vita æterna gratia eſt antecedẽter ſicut in ſua cauſa, quia gratia eſt vita bona cui redditur, imò ex ſua natura gratia eſt data pro gratia, tãquam premiũ pro merito.

1. Corint. 7.

Rom. 6.

Poterat Apoſtolus dicere ſtipendium iuſtitiæ vita æterna.

Pſalm 102.

Philip. 2.

Cap. 13.

Rectè quippe ipſa intelligitur, quę gratia in Euangelio legitur, Gratia pro gratia, id eſt, pro his meritis quæ contulit gratia. Item vita æterna, inquit, quæ meritis præcedentibus redditur, quia eadem merita quibus redditur, non à nobis parata ſunt per noſtrã ſufficiẽtiam, ſed in nobis facta per gratiam, etiam ipſa gratia nuncupatur, non ob aliud niſi quia gratis: nec ideo, quia meritis non datur, ſed quia data ſunt & ipſa merita quibus datur. Et paucis interpoſitis, cũ dixiſſet, Stipendium peccati mors, quis non congruentiſsimè & cõſequenter addere iudicaret, Stipendium aũt iuſtitiæ vita æterna, Et verũ eſt, quia ſicut merito peccati tanquã ſtipendium redditur mors, ita merito iuſtitię tanquam ſtipendium, vita æterna. Quod eſt aũt merces operanti, hoc militanti ſtipendium. Sed B. Apoſt. aduerſus elationis peſtem vigilantiſsimè militans, ſtipendiũ, inquit, peccati mors. Rectè ſtipendiũ, quia debetur, quia dignè retribuitur, q̃a merito redditur. Deinde ne iuſtitia de humano ſe extolleret bono merito, ſicut humanũ meritum malũ nõ dubitatur eſſe peccatũ, non à cõtrario retulit, dicens: Stipendiũ iuſtitię vita ęterna, ſed gratia, inquit, Dei vita æterna. Cui autem debetur vita æterna, vera iuſtitia eſt. Si autem vera iuſtitia eſt, ex te nõ eſt. Quid enim habes quod non accepiſti? Quapropter ô homo ſi accepturus es vitam æternam, iuſtitiæ quidem ſtipendium eſt, ſed tibi gratia eſt cui gratia eſt & ipſa iuſtitia. Tibi enim tanquam debita redderetur, ſi ex te tibi eſſet iuſtitia cui debetur. Nũc ergo de plenitudine eius accepimus, non ſolum gratiã qua nunc iuſtè vſq; in finem viuimus, ſed etiam gratiã pro hac gratia, vt in requie poſtea ſine fine viuamus. Hoc nihil ſalubrius fides credit. Ex quibus manifeſtum eſt ſecundum cõſtantem B. Auguſtini ſententiam, quòd vita æterna vera merces eſt & verum ſtipendium, quod ſecundum iuſtitiam Deus rependet operibus & militiæ iuſtorum: Attamen gratia eſt, quia merita quibus redditur ex mera Chriſti gratia nobis donantur, hoc eſt, quia velle & perficere, & in ſtadio ſtrenuè ad finem vſque currere, Deus in nobis operatur per vires liberi arbitrij, pro bona ſua erga nos voluntate. Propter quod & gratia eſt vita æterna, quam tamẽ reddet tanquã iuſtam mercedem pro labore & ſeruitio, quod per eum adiuti & præparata voluntate à Domino præuenti ei exhibuimus, non ex nobis noſtraq; ſufficientia: & ideo ſunt verum meritum vitæ æternæ. Quo ſenſu vita æterna eſt gratia antecedẽter, quia merita quæ eius cauſa ſunt, gratuita ſunt Dei dona. Ex quo tamen conſequens eſt, quòd & ipſa vita æterna ſecundum ſuam naturam gratia eſt, omnem ſuperans creaturæ facultatem, & in ordine eſt non naturarũ, ſed gratiarũ: de cuius tamẽ ratione propterea nõ eſt quòd ſine meritis detur, vel quòd non ſit laboris merces, vt hic dicit B. Aug. Nã ita datur pro meritis, quæ ſunt gratia, ſicut denarius diurnus datur laboranti in vinea. Hoc diſcriminis eſt, quòd hic retribuitur tanquã merces gratia pro gratia. Nam Apoſt. Paul. potuit dicere, & verum dixiſſet ſecundum B. Auguſtinũ, Stipendium iuſti, vita ęterna. ſed dicere maluit, Gratia Dei vita ęterna, ne arbitraremur nos virib. noſtris vitam æternam obtinere, ſicut conquirimus nobis mercedem mortis æternæ. Ad hanc impiam gloriationem amputandam, maluit dicere: Stipendiũ peccati mors.

Epiſt. ad Sixtum 205.

Stipendiũ iuſtitiæ vita æterna.

Vita æterna gratia eſt, nõ ſola in ſua cauſa, ſed in natura, et ſimul merces.

mors, gratia Dei vita æterna in Chriſto Ieſu domino noſtro, hoc eſt, per eius virtutem & meritum, cuius membra ſunt iuſti, & veluti palmites in ipſo tanquam vite fructificātes. *Epiſt. ad Sixtum 105.* Quādo igitur Apoſtolus fidei vel gratiæ opponit opera, ea intelligit, quæ ex ſolis liberi arbitrij viribus procedūt. Audi, inquit beatus Auguſtinus, & intellige dictū eſſe apud Apoſtolum Paulum, non ex operibus tanquam tuis ex teipſo tibi exiſtētibus, hoc eſt, ſola liberi arbitrij facultate, ſed tanquam his in quibus te finxit Deus, Idem habet de gratia & libero arbitrio. Vnde clarè patet quis ſit ſenſus eius quod dicitur ad Roman. quarto, Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum. Intelligēdum eſt enim, Ex operibus ſuis ex ſeipſo ſibi exiſtentibus. Qualitati igitur quæ gratia eſt, quia naturæ quaſi perfectio additur, (Nam à natura diſtinguitur gratia Chriſtiana) non repugnat eſſe mercedē & ſtipendiū militiæ Chriſtianæ. Nec ſeqtur, vt dicit B. Auguſt. gratia eſt & gratis datur, ergo non pro meritis: Sed intellige gratis dari in ſua cauſa quæ gratis datur. Certū eſt enim Chriſtum nobis promeruiſſe remiſsionem peccatorum. *1. Cor. 6.* Empti eſtis, inquit Apoſtol. precio magno, non eſtis veſtri, propter quod ipſa remiſsio quæ omninò gratis impēditur impio, merces eſt victimæ quā Chriſtus in cruce obtulit. Meruit nobis etiam primam gratiam, & gratiæ augmentum nos etiam meremur. Non igitur repugnat naturæ gratiæ, quòd ex iuſtitia pro alio retribuatur. Non autem vita æterna gratis quaſi liberalitate quadam & per modum gratitudinis nobis à Deo tribuitur, quomodo amicus rependit beneficiū à quo prior accepit. *Aug. tract. ſuper Ioan.* Reddet enim Deus ſecundum opera tam iuſtis, quàm impijs, tanquam Dominus & iuſtus iudex ſecūdum diſtributiuam iuſtitiam, ſicut ſcripturę iſtud apertè teſtantur, quando dicunt vitam æternam eſſe coronam iuſtitiæ, quam iuſtus iudex reddet, non miſericors pater: eandem pronunciant eſſe denariū diurnum, pro quo conuentum eſt cum laborantibus in vinea, quem vnicuique Deus reddet, his qui ſecundum patientiam boni operis gloriam & honorem quærunt, vitam æternam. *2. Theſſ. 1.* Et Theſſalonic. hortatur Apoſ. Paulus, quod perſecutiones ſuſtineant in exemplum iuſti iudicij Dei, vt digni habeantur in regno, pro quo eos pati dicit. *Ephe. 5.* Et addit: Si tamen iuſtum eſt apud Deum retribuere tribulationē his qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini requiem nobiſcū. Item, Non eſt iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri & laboris. Rurſum, Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq; propria corporis prout geſsit, ſiue bonum ſiue malū. Et quaſi fidei & omnis religionis principium docet Apoſtol. *Hebr. 11.* quòd accedentem ad Deum credere oporteat quia eſt, & quod inquirentibus ſe, remunerator ſit. Deus igitur vt iuſtus iudex, iuſto iudicio iuſtis reddit vitam æternam, tāquam iuſtam mercedem laboris, non quaſi gratuitum beneficium pro exhibito ſibi miniſterio, vt dicit articulus: quemadmodum impijs pro malis ſuis operibus mortē reddit æternā. Quapropter propheta Dauid dicere audet, Obſeruabo me ab iniquitate mea, *Pſalm. 7.* cuſtodiui vias Domini, iuſtitias eius nō repuli à me, & ero immaculatus cum eo, & ideo reddet mihi dominus ſecundum iuſtitiam meam, Atq; hac de cauſa frequentiſsima fit mentio in ſcripturis mercedis pro operibus noſtris. Referūtur autem ad ſe inuicem merces & meritū, vt nō poſsit eſſe ſine merito merces, nec ediuerſo, Ecce, inquit dominus, veniam cito, & merces mea *Apoc. vlt.* mecum eſt reddere vnicuiq; ſecundum opera ſua. *Eſaia 40.* Item, Ecce Deus veſter, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, ecce merces eius cum eo. Rurſum in initio ſuæ prædicationis, Dominus obediētibus ſtatim propoſuit mercēdē: Gaudete, inquit, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. *Matth. 5.* Et iterum, Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet. *1. Corint. 3.* vniuſcuiuſq; opus quale ſit, ignis probabit. Frequentiſsima quoq; fit commemoratio retributionis in ſcripturis. Monet enim Dominus ne inuitemus ad prandium fratres & cognatos, *Luca 14.* qui poſſunt retribuere nobis, ſed pauperes, inquit, debiles & claudos voca, qui nō habent retribuere: Retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorū. Et hæreditatem ipſam quæ *Coloſ. 3.* ex iure adoptiōis filijs deberi videtur, dicit *Hebr. 10.* Paulus, retribui operibus bonis. Quodcunque facitis, ex animo operamini, ſicut Domino & non hominibus, ſcientes quòd à Dn̄o accipietis retributionē hæreditatis, & ideo Chriſto Domino ſeruite. Item, Nolite amittere confidentiam veſtram, quę magnam habet remunerationem. Laudatur autē in Deo *Cap. 8. de diuin. nomin.* iuſtitia, vt dicit B. Dion. in quantum omnibus ſecūdum dignitatē tribuit. Iuſtus enim eſt Dominus, & iuſtitias diligit, tam bonis quàm malis, ſecūdum eorū merita tribuens. Quare cum duę ſint iuſtitię ſpecies, commutatiua videlicet, & diſtributiua, *Ariſt. 5. Eth.* in eo locum non habet iuſtitia commutatiua. Quis enim prior dedit illi & retribuetur ei? *Rom. 11.* Sed diſtributiua iuſtitia tantum, qua veluti gubernator atq; diſpenſator vniuerſalis vnicuiq; ſecundum dignitatem ſuam diſpēſat. Quæ latè declarat B. Thom. in 1. par. *Quæſt. 21. artic. 1.* Meremur enim propriè apud Deum vt Dominū & rectorem vniuerſalem & iudicem, qui pro meritis rependat iuſtam mercedē. Requirit autem iuſtitia diſtributiua, & cōſtituit æqualitatem nō inter dantem & accipientem, ſicut commutatiua, ſed inter accipientes tantū, vt inter eos ſeruetur ęqualitas proportionis, ſiue diſpenſator illam cōſtituat ex debito vel ex liberalitate aut bona voluntate. Debitum enim vel obligatio diſpenſatoris impertinenter ſe habet in hac diſtributione. Si enim diſpenſator ſecundum legem ſuperioris, & benè & malè meritis non diſtribuat, peccat eam transgrediendo: Si aūt ſuperiorem non habeat, vel legē ab eo conſtitutā, nō peccat,

etiam ſi æqualitatem in diſtributione non ſeruet: ſed iniquè agitur cum benè meritis, non tamen iniquitatem committit diſtributor. Non enim eis diſpenſatur, quod ſecundum legem iuſtam exigere poſſent. Propter quę iudex inferior peccat non diſtribuendo præmia & ſupplicia ſecundũ leges imperatoris, & potiſsimum ſi non inferat ſupplicia atque vindictam ſceleratis, ſed gratiã donet quibuſdam: non autem peccat Imperator, niſi per hoc impediatur bonum Reip. quod ſemper promouere debet. Certum eſt igitur, quòd non diſtribuuntur ſupplicia à Deo vel Imperatore, quaſi ex debito vel obligatione, quę tamen iuſtè rependuntur. Mereri enim ſupplicium vel præmium eſt ea operari, per quæ quis dignũ ſe reddit cui hæc contingant, cuius ratione impertinens eſt, quod reddere obligetur qui poteſt. Hæc latius tractat B.Thom.& B.Bonauentura. Reddet igitur Deus bonis & malis ſecũdum eorum merita, ſed ſine debito vel obligatione: niſi fortaſsis ad ordinationem vel legem ſuę ſapientiæ (ſecundum quam omnia adminiſtrat) habito reſpectu. Chriſtus verò à patre conſtitutus iudex & diſpenſator, vt reddat operarijs mercedem, ex debito & mandato patris ſentẽtiam feret, quam etiam exequetur ſecundum leges à patre conſtitutas, quæ neceſſariò æquiſsimæ & iuſtiſsimæ ſunt, cũ admixta tamen clemẽtia. Nam ſicut immenſa iuſtitia & clementia in eo concurrunt, Ita hæc in eius operibus oſtendit. Propter quod infra cõdignum punientur mali in inferno & vltra condignum in cælis glorificabuntur iuſti: exactè tamen & ſeueriſsimè ſecundum paternæ illius ſapientiæ leges, vt nec minus reddatur ſuppliciũ malis, nec amplius præmium bonis quàm legibus illis ordinatum ſit: Abſolutè tamẽ plus ſupplicij & minorẽ beatitudinẽ tribuere poſſet, non tamen pro quolibet peccato æternã damnationem. Nec peccatum iudicare poteſt quod modò peccatum non eſt: quamuis multa poſſet exigere à nobis quæ non exigit, aliaſque leges imponere. Hic conſiderari poſsit an his legibus cõueniat, quod pro magnitudine maieſtatis & immenſa bonitatis excellentia legitimè certantibus maius proponatur brauium & præmium. Item, an etiam maius pro ratione iuſtorũ, quàm deceret, ſi nõ eſſet tanta iſtius iudicis bonitas & maieſtas, ac iuſtorum raritas. Et an iuſta ſit merces quæ omnibus his conſideratis ſecundum diuinam ordinationem tribuitur. vt nõ ſolùm habeatur reſpectus Chriſti & ſpiritus S. in iuſtis operantis, propter quem affectu filiali, quaſi in naturã verſo operãtur, verum etiam magnitudinis diuitiarum præfecti & Reip. in qua iam verſantur, & bonorum paucitatis. Certum eſt enim propriè iuſtam eſſe mercedem, quæ ſecundum leges iuſtas laboribus & operibus eſt decreta. Ex dictis manifeſtũ eſt quòd Deo ſeruire licet eiuſq; pręcepta ſeruare, intuitu & ſpe vitæ æternæ tãquam mercedis ac brauij propoſiti, quod ad hoc nobis ꝓponitur, vt eius expectatione excitemur ad fortiter currẽdum in ſtadio. Sic currite, inquit Apoſtolus, vt comprehẽdatis. Omnis qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem vt corruptibilẽ coronam accipiant, nos autem incorruptam. Laudat idem Apoſtolus Theſſalonicẽſes, quòd pro regno Dei patiebantur: Moyſen quoque quòd aſpiciebat in remunerationem, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis boni habere iucunditatem. Et clariſsimè teſtatur de filijs Dei quod hæredes ſunt, ſi tamẽ compatiantur vt & glorificentur. Item propheta Dauid, Inclinaui cor meum ad iuſtificationes tuas propter tributationem. Idcirco B. Auguſt. dicit omnes rectas voluntates referri ad finẽ illius voluntatis qua volumus beatè viuere, & ad eam vitam peruenire quæ nõ referatur ad aliud, ſed amanti per ſeipſam ſufficit. Et B. Ambr. bonos dicit mercenarios qui pro mercede æterna Deo ſeruiunt. Hi enim Deum non ad aliud magis amatum referunt, ſed eius amorem atque ſeruitium ordinant ad finem immediatum & proprium, quem Deus ex eis quærẽdum conſtituit. Mihi, inquit Propheta, adhærere Deo bonũ eſt. Filius enim patris præſentiam quærit, eum videre, ipſiuſque frui præſentia. Hæc enim gratuitum & filialem ſequuntur amorem & affectum. Non eſt verus amicus qui alterum videre non cupit, nec ei conuenire. Ait namque B. Auguſtin. quòd cuius rei adipiſcendæ ſpem quiſque nõ gerit, aut tepidè amat, aut omninò non amat, quamuis quàm pulchra ſit, videat. Deo ſanè gratiſsimum eſt quod filij in omnibus ſuam quærant ſalutem, commodum atq; vtilitatem, quam quærere non poſſunt, niſi propter Deum ipſum cui adhærere quærunt, & ideo affectus hic & ſtudium ſeruandi Dei præcepta propter beatitudinẽ obtinendam, naſcitur nõ ſolùm ex ſui amore procedente ex charitate, ſed etiam Dei. De quo latiſsimè agũt ſcholaſtici tertio lib. ſententiarum, & Alfonſus de Caſtro in cap. de operibus, hæreſi 2.

Occurrunt hic difficultates quibus ad huius articuli faciliorem intelligentiã reſpondere oportet. Prima, Quomodo nõ detoget gloriæ & meritis Chriſti, quod nos operibus noſtris mereri dicamur vitam æternam, quam ipſe nobis ſua paſsione impetrauit & meruit, & nos tanquam hæreditatem conſequimur iure adoptionis, ex eo quod per eandem ipſius paſsionem facti ſumus filij Dei, eiuſque cohæredes. Cui reſpondetur quod ex Chriſti gratia virtute participata & merito, cui noſtra opera innitũtur, ipſa ſunt vitæ æternæ meritoria. propter quod magis eum eiuſque merita glorificamus, quando confitemur eum nõ ſolùm vitam æternam nobis promeruiſſe, verùm etiam cõfitemur, quòd noſipſi mereri poſſumus, atq; etiam mereamur vitã æternam. Hoc enim maius eſt Chriſti meritum, quàm ſi Chriſtus dicatur tantũ nobis vitam æternã promeruiſſe. Nam maius eſt & maior Chriſti gloria, ꝙ nos ex eius meritis

Marginalia: 2 lib ſenten. diſt. 7. — Deo ſeruire licet pro mercede æterna. — 1. Corint. 9. — Rom. 8. — Pſalm. 18. — Lib. de ciui. Dei, cap. 6. — In commen. ſuper Lucã — Pſal. 72. — Lib. 10. de ciui. cap. 1. — Thom. diſt. 29 quæſt. 1. art. 4. — Bonauent. diſtinct. 17. — Reſponſio ad obiectionem.

meritis vitam æternam tanquã noſtram laboribus proprijs conſequimur: Sicut maior eſt gloria Chriſti quod & Apoſtolis virtutẽ & poteſtatem miracula faciendi cõmunicauit, quàm ſi ipſe ſolus hæc operat⁹ eſſet. Nos enim honorare voluit in eo quod noſipſos vincendo & currendo gloriam & brauium obtinere voluerit. Nam cum merita Chriſti digna eſſent, vt pro eis nobis daretur vita æterna, ex noſtris meritis & etiã ſine illis, voluit tamen noſtris meritis tanquam iuſtam mercedẽ repẽdi, quod eius merita noſtramque gloriam plurimum commendat. Multò enim maior nobis eſt gloria quod brauium nobis propoſitum & coronam, noſtro certamine & curſu apprehẽdamus, quàm ſi per alterius gratiam dũtaxat. Ipſe enim ſua morte ſuum ſpiritũ & ſuã vitam in nos transfudit, vt iuſtorum opera virtutem & efficaciam haberẽt vitam æternã merendi, eamq; gratiam apud patrẽ, vt non minor merces eis reſponderet: imò obtinuit Chriſtus, vt hæc virtus fieret nobis quaſi naturalis. Nam fecit nos conſortes diuinę naturæ. Sicut enim ferrum ignitum & candens habet ignem ſibi connaturalẽ, ita & filijs Dei (vt ſunt tales & Chriſti membra) naturalis eſt gratia per quam in Chriſto viuunt, ſicut Chriſto capiti ratione vnionis hypoſtaticæ naturalis eſt gratiarum plenitudo, ab illa tanquã naturalis proprietas à natura fluens. Nec merendi efficaciã impedit, quòd hæredes ſumus vitæ æternæ. Nã qui filij ſunt adoptione, hæreditatem conſequuntur ſecundũ leges adoptionis. Deus aũt pater ante ſecula nos in filios adoptauit, vt ad hæreditatẽ perueniremus per noſtros labores & certamina. Hãc enim adoptionis legem docet Apoſt. Paul. quum dicit, Si filij & hæredes, ſi tamen cõpatimur, vt & glorificemur. Nam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Adoptans enim filium modos & leges placentes, ſecundum quas hæreditatem adeat, conſtituere poteſt.

Maior gloria Chriſti eſt ex eo quod & nos per eum meremur vitam æternam.

Gratia eſt nobis quaſi naturalis facta.

Rom. 8.

Actuum 14.

Secunda difficultas eſt, Quum à ſpiritu S. procedant opera pœnitẽtię (Gentibus enim dedit Deus pœnitentiam ad vitam) quę cauſa eſt quòd impij pœnitentia hanc gratiã nõ habeat, vt ei tanquam merces reſpondeat, ſi non vita æterna, ſaltem iuſtitia & remiſſio peccatorum? Huic reſpondetur ſecũdum B. Auguſtinũ, quòd aliter operatur & adiuuat ſpiritus nõdum inhabitans, aliter autem inhabitans. Nam nondum inhabitans adiuuat vt ſint fideles, inhabitans autem adiuuat iam fideles. Quando enim inhabitat, iam noſter eſt factus, & ideo noſtrũ eſt quicquid operatur. Eſt enim nobis donatus, & diffundit in mente noſtra virtutes nos informantes, per quas opera noſtra eandem apud Deũ gratiam habent, ac ſi ſpiritus ſanctus eſſet forma per quam anima noſtra operaretur. Et ideo ſicut Chriſti opera infinitum habuerũt valorem propter vnionem perſonalem cum verbo Dei, & ſpiritum quem ſine menſura acceperat, ita & opera iuſtorum, quia Chriſto tanquam membra in eodem corpore & ſpiritu vniti ſunt, per quem ſpiritum omnia in eis ipſe verius quàm ipſemet operatur: Ideo hæc opera tantam habere gratiam ſcripturæ teſtantur, vt eis tanquam iuſta merces vita æterna reſpondeat. Nam Chriſto tribuenda ſunt ea quæ per iuſtos operatur, ſicut quæ per naturalis corporis ſui membra peragit. Magis enim procedet fructus vitis à radice, quã à palmite. Quapropter ſicuti Chriſti opera inæſtimabilem habuerunt gratiam & valorem apud patrem propter vnionem hypoſtaticam (ratione cuius & verbi erant opera quòd illa faciebat) & ſpiritũ ſanctum corporaliter inhabitantem, ita & iuſtorum opera qui mẽbra ſunt Chriſti in eodem corpore & ſpiritu ei coniuncta, maximam apud Deum habere merendi gratiam, apertè docent ſcripturarum teſtimonia. Operibus autem quæ idem ſpiritus in pœnitentibus operatur, vt principium adhuc externum, reſpondet peccatorum remiſſio, ſed tantum per modum gratiæ & liberalitatis Dei. Vita enim æterna merces appellatur in ſcripturis. Nuſquam porrò dicta eſt merces iuſtitia vel fides, vt inquit B. Auguſt. qui & quærit, Nulláne ſunt merita iuſtorum? Sunt planè, quia iuſti ſunt: ſed vt iuſti fierent merita nõ fuerunt. Item immortalitas æternæ vitæ poſcitur vt debitum, iuſtificatio ex gratia. Ei, inquit Apoſtolus, qui operatur merces imputatur ſecundũ debitum, ſicut illa immortalitas poſt bona opera. Huiuſmodi tamen pœnitẽtiæ opera neceſſariò ſequitur remiſſio peccatorum, prout procedunt ex ſpiritus ſancti motione, & ad iuſtitiam ordinatione, quam infallibiliter & neceſſariò ſubſequitur. Non enim ſua intentione fruſtrari poteſt ſpiritus cor hominis ad iuſtificationẽ præparans & mouens: vt docet B. Thomas. Atque hac ratione videtur B. Auguſt. dicere, quòd fides meretur peccatorum remiſſionẽ & iuſtitiam. Ait enim in eadem ad Sixtum epiſtola. Poſſunt quidem Pelagiani dicere remiſſionem peccatorum eſſe gratiam, quæ nullis præcedentibus meritis datur: ſed nec ipſa, inquit beatus Auguſtinus, remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat. Neque enim nullum eſt meritum fidei qua ille dicebat, Deus propitius eſto mihi peccatori, & deſcendit iuſtificatus merito fidei. Et in ſequenti epiſtola, Si qui dixerit quòd gratiam benè operandi fides mereatur, negare non poſſumus, imò verò gratiſſimè confitemur. Hanc enim fidem volumus habeant qua impetrent charitatem quę ſola verè benè operatur. Et paucis interiectis, Nec dicat, Si ex fide, quomodo gratis? Quod enim fides meretur, cur nõ potius redditur quam donatur? Non dicat iſta homo fidelis, quia cum dixerit, Vt merear iuſtificationem habeo fidem, reſpondetur ei, Quid habes quod non accepiſti? Docens hoc meritum fidei eſſe ex gratia qua facti ſumus fideles. Item cùm eadem epiſtola ad Sixtum dicat non legi in ſcripturis quod iuſtitia dicatur merces, & per conſequens aliquod eſſe

Act. 5. et 11.

Epiſt. 105. ad Sixtum.

Epiſt. ad Sixtum vt ſupra

Libr 1. ad Simpli. q. 2.

Rom. 4.

1. 2. quæſ. 12.

Tract. 1. in Ioannem.

Lucæ 18.

eius meritum, oportet has eius ſententias inter ſe conciliare, per diſtinctionem duplicis meriti, congrui & condigni. Nam & ipſe dicit fidem impetrando iuſtitiam mereri, opera verò iuſtorum vitam merentur æternam, tanquam ſtipendium quod ex iuſtitia iuſtus iudex retribuit. Et certum eſt plurimum referre quomodo quóve affectu Deo ſeruiamus, hilariter ac promptè, an negligenter. Maledictus, inquit Propheta, qui facit opus Domini etiam optimum negligenter. Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo non ex triſtitia aut neceſsitate: Hilarem enim datorem diligit Deus, & tepidum diſcipulũ nõ ſuſcipit, qui magis modum operis, quàm ſubſtantiam ſpectat: vt docet B. Thomas, & Ariſtoteles in actu virtutis requirit, vt per ipſum firmiter ac immobiliter operemur. ſpectat præterea Dominus an ex ſpiritus inſtinctu & afflatu, an affectu quaſi filiali, non ad tempus tantum, ſed ex habitu quaſi in naturam verſo, an denique ex motione Chriſti quaſi inſtrumenta agamus. Nam ſine habitu charitatis & gratia informãte quaſi per quandam violentiam & contra naturam impellimur, ac ſupra nos vi erigimur: per habitum verò ſuauiter, & quaſi naturaliter ducimur ad opera Deo placita: Deinde aliam gratiam habẽt obſequia filiorum & amicorum, quàm hoſtium aut inimicorum.

1. Cor. 9. *Hierem. 18.* *2. Cor. 9.* *2. 2 q. 100. art. 6. & 10.*

Tertia eſt difficultas, Quum iuſtum ſit æquale ſecundum Ariſt. quomodo vitæ æternę opera noſtra ſunt meritoria, quę hac ſunt ſecundũ valorem multò inferiora, cùm non ſint condignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriam. Cui reſpondetur. Quod iuſtum eſt, æquale eſt: ſed æquale docet Ariſtoteles eſſe duplex: Vnum ſecundum quantitatem, & alterum ſecundũ proportionem. Iuſtitia autem diſtributiua, quæ ſola in Deo propriè locum habet, vt dicit B. Dionyſius, conſtituit æqualitatem ſecundũ proportionem inter accipiẽtes quibus fit diſtributio. Diſpenſat enim vnicuique ſecundum merita. Omnis miſericordia, inquit Sapiens, faciet locum vnicuique ſecundum meritum operum ſuorum. Iuſtitia autem commutatiua æqualitatẽ conſtituit inter dantem & accipientem, & in mutua datione & acceptione conſiſtit, vt tantum quiſq; accipiat, quantum dedit ſecundum valorem: quæ propterea non eſt in Deo. Quis enim prior dedit ei & retribuetur illi? Inuenitur tamen modus quidam iuſtitiæ commutatiuæ inter Deum & hominem, ſicut inter patrem & filium, filius autem retribuit patri ſecundum facultatem & modum ſuum, quemadmodum ei pater dedit ſecundum qualitatem ſuã. Nam loco æqualis quantitatis ſumitur æqualitas proportionis: cùm non poſsit filius recompenſare aliquid æquiualẽs beneficijs à patre acceptis. Ad hunc modum poteſt eſſe æqualitas inter Deum & creaturam, vt Deus ſe habeat ad id quòd ſuperabundanter facit: ſicut creatura ad id quod facere poteſt, in quo tamen multum deficit à donis acceptis, Iuſtitia tamen propriè in Deo laudatur, in quantum omnibus ſecundum dignitatem diſtribuit. Iuſtum namque eſt, vt ſecundum ſuas & Reipub. quam adminiſtrat diuitias, ciuibus benè meritis per eum fiat diſtributio, & ſecundum eorum dignitatem qui operãtur, quorum magna eſt hic nobilitas, cuius hic reſpectus haberi debet. Hæc clariſsimè docet B. Thom. Quomodo autem in hac retributione conſiderari poſsit Deus quaſi priuatus & ratione ſui, vt de cuius perſona homines benè vel malè mereantur, aut vt publicus vniuerſalis mundi gubernator, idẽ Thomas docet 1. 2. quæſt. 21.

Rom. 8. *5. Ethicor.* *De diuin. nom. cap. 8.* *Eccleſ. 16.* *Rom. 11.* *4. lib. ſent. diſt. 46. q. 1. art. 1.*

Quod autem dicit Apoſtol. Paulus, quòd non ſunt condignæ paſsiones huius temporis, & cæt. nihil paſsionum vel operum merita reſpicit, ſed labores & afflictiones quas annexas habent paſsiones huius temporis, confert cum glória futura. Nihil enim conferri poſſunt momentaneæ huius temporis afflictiones cum æterna gloria ad quam perducunt: & ideo hilariter ſunt perferendæ, imò & libenter acceptandæ, quando ad tantam gloriam perducant, quæ incomparabiliter excedit in bonitate malitiam & pœnalitatem afflictionum. Eadem namque eſt ſententia cum ea, quam explicat Apoſt. ad Cor. Quod in præſenti eſt momẽtaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna ſunt. Hoc ſenſu dicimus amaritudinem medicinæ non eſſe condignam ad ſanitatem quam adducit. Sed nec delitiæ huius ſeculi, quia temporales ſunt, ad ſupplicium æternum ſunt condignæ, quod tamẽ merentur. In eandem ſententiam interpretatur Apoſtolum Paulum B. Ambr. Exhortatio hæc, inquit, ad ſuperiora pertinet, per quã oſtendit parua eſſe quæ hic poſſunt à perfidis irrogari, ad comparationem decreti muneris in futuro ſeculo, & propterea ad omnia exitia paratos eſſe debere, quia magna pro his repromiſſa ſunt præmia, vt in tribulatione conſoletur ſe animus, & ſpes creſcat. Nam & quoſdã, imò & multos ſcimus pro præſentibus lucris ad modicũ vtriq; profuturis, quam aſperos & duros ſubire labores, & ad quæ aliquando (quia ipſa vita fragilis eſt, & incerta) peruenire non poſſunt. Nautæ pro quibus commodis tantis ſe procellis & tempeſtatibus credunt, quum ſciant in his magis mortem ante oculos eſſe quàm vitam.

Rom. 8. *1. Cor. 4.* *In epiſt. ad Rom. 8.*

Vltima difficultas eſt quòd propheta dicit: Qui coronat te in miſeratione & miſericordia. Et B. Iacobus Apoſtol. Iudicium ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam: Vbi oſtendit etiam in illo iudicio in quo iuſti coronantur, iniuſtique damnãtur: alios cum miſericordia, alios ſine miſericordia iudicandos. Et mater Machabeorum filio ſuo dicit: Vt in illa miſeratione cum fratribus tuis te recipiam. Propter quæ dicit B.

Pſal. 102. *Cap. 2.* *2. Macha. 7.*

Auguſt.

De corrept. & gratia cap. 13. Auguſt. quòd electis Saluatoris ſui miſericordia adhæret, ſiue cùm conuertuntur, ſiue cùm prœliantur, ſiue cùm coronantur. Sed reſpondet, hanc miſericordiam in qua coronamur, miſerationes eſſe ex meritis. Tunc, inquit, pro bonorum operum meritis iuſto iudicio etiam ipſa miſericordia tribuetur. Cùm enim dicitur, Iudiciū ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam, manifeſtatur in his, in quibus inueniuntur bona opera miſericordiæ, iudicium cum miſericordia fieri, ac per hoc etiā ipſam miſericordiam meritis bonorum operum reddi: non ſic eſt nunc, quando non ſolùm nullis bonis, ſed etiam multis malis operibus præcedentibus miſericordia eius præuenit hominem, vt liberetur à malis, & quæ fecit, & quæ facturus fuerat niſi Dei gratia ſeruaretur. *Apocal. 21.* Quòd igitur Deus abſterget omnem lacrymam ab oculis ſanctorū, omnemq; miſeriam, quòd mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor, faciet ob merita vitæ præſentis, & miſericordia iſta atque miſeratio tanquam merces operibus eorum debetur. *Epiſt. ad Sixtum.* Et quod dicit idem Auguſtinus. O homo ſi accepturus es viam æternā, iuſtitiæ quidem ſtipendium eſt, ſed tibi gratia eſt, cui gratia eſt & ipſa iuſtitia: ſtatim interpretatur quod dixit. Tibi enim tāquam debita redderetur, ſi ex te tibi eſſet iuſtitia cui debetur. Item quod dicit beatus Bernardus, Neceſſe eſt credere, quod æternam vitam nullus poteſt operibus promereri, niſi gratis detur & illa: quia nō ſunt condignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: Nec ſi omnes vnus ſuſtineat. *Serm 1. de annunciat. B. Mariæ.* Neq; enim talia ſunt hominū merita, vt propterea vita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriam aliquam faceret, niſi eam donaret. Nam vt taceā quòd merita omnia dona Dei ſunt, & ita homo magis propter ipſa Deo debitor eſt, quam Deus homini: quid ſunt merita omnia ad tantam gloriam? Denique quis melior propheta, de quo Dominus teſtatur, quòd inuenerit virum ſecundum cor ſuum: verùm tamen ipſe habet dicere, Non intres in iudicium cum ſeruo tuo. *Pſal. 142.* Nemo itaque ſe ſeducat, quia ſi benè cogitare voluerit, inueniet proculdubio, quòd nec cum decem millibus poterit occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe. Et concludit, Ita de meritis ſi credis non poſſe haberi niſi per ipſum, non ſufficit, donec perhibeat tibi teſtimoniū ſpiritus veritatis, quia ea per illum habes. *Explic. ſent. B. Ber.* Loquitur enim beatus Bernardus de operibus vt noſtra ſunt, & laborem adferunt ac moleſtias, quæ non poſſunt cum vita æterna comparari, vt ſtatim diximus circa ſententiam Apoſtoli quam hic citat, & gratiam Dei ſecludit, eamque ponit ex parte Dei, non hominis operantis. Atque hoc modo, hoc eſt, ſuæ naturæ dignitate, opera noſtra non merentur vitam æternam, ſed ex dignitate ſpiritus mouentis per fidem & dilectionem. Nec ſi vnus omnes ſuſtineat, habita hac collatione acerbitatis ad gloriæ ſuauitatem, hanc gratiam & valorem habent. Nec vt hominis tantum opera ſunt, ex iure vita æterna eis debetur, nec iniuriam ei faceret Deus, ſi eam non donaret. Nulli enim debitor eſſe poteſt, qui vnicuiq; quod ipſi eſt debitum, hoc eſt, quòd ſecūdum ſuæ naturæ & conditionis, aut dignitatis rationem ipſum requirit, diſpenſat: quomodo debitum eſt homini, quòd manus habeat & pedes, & ei ſeruiant cætera animalia, quodque in tempore retributionis benè ſit iuſto, impio autem malè, ſecundum eorū merita. Quicquid autem debetur creaturæ, hoc ab eo pendet, quòd Deo debitum eſt, hoc eſt, quòd impleatur in rebus creatis, id quod Dei ſapientia decreuit, eiusq; manifeſtat bonitatem. Quibus modis dum vnicuique debitum reddit, iuſtus eſt Deus, & iuſtitiam facit, vt docet B. Thomas. Cùm igitur Deus nemini ſit debitor, nulli iniuriam facere poteſt. Quomodo autem ex ſua promiſsione ſe debitorem fecerit, ex varijs Auguſtini ſententijs docet Magiſter noſter Natalis Beda, circa propoſitionem 21. Iacobi Fabri. *1. Part. q. 21. art. 1.* Et reuera dona Dei ſunt noſtra merita, vt dicit B. Bernardus & dona ſua in nobis Deus remunerat: *In epiſtola Paul.* & ideò magis Deo obligamur, quòd dignatur ſua gratia per filium & ſpiritum ea opera in nobis noſtroque miniſterio facere (quæ ex eius ſolum operatione & gratia nobis ſunt merita) quam ipſe nobis obligatur. Quia tamen noſtra ſunt opera, quæ per ſpiritum nobis datum, eo cooperante operamur, eum habēt valorem, eam apud Deum gratiam, quia in Deo facta, vt ſecundum ſcripturas digna ſint vitæ æternæ remuneratiōe. Hinc enim quòd huiuſmodi dei dona, nobis vitæ æternę ſunt merita. Nam & paſsio & mors Chriſti ex gratia vnionis hypoſtaticæ, & alijs chariſmatibus, quibus tanquam vnigenitus à patre plenus erat, nobis merebatur liberationem à morte æterna & beatitudinem, ſecundum Apoſt. Paulum. Si enim cū inimici eſſemus, *Rom. 9.* reconciliati ſumus Deo per mortē filij eius, multò magis recōciliati, ſalui erimus in vita ipſius: & ſua dona pater remunerauit in filio, qui etiam magis ſecūdum naturam aſſumptam patri obligabatur ob huiuſmodi munera & gratias acceptas, quàm è diuersò pater filio. Et ſicut de noſtris paſsionibus diximus, quòd non ſunt condignæ ad futuram gloriā quæ reuelatur in nobis: ita nec Chriſti Domini paſsio quā pertulit in cruce moriendo, condigna erat ad futuram gloriam, quæ in nobis omnibus reuelabitur, ratione acerbitatis, & afflictiōis tametſi grauiſsimę, ſed ſolum quia patientiſsimè & amātiſsimo affectu ipſe Dei filius per ſpiritum ſanctum eam ſuſtinuit. Non igitur iuſtorum opera & etiam eorum afflictiones propterea merita nō ſunt, quia Dei ſunt dona, imò potius merita eſſe non poſſent, niſi in Deo fierent, per eius ſpiritū nobis cooperātibus & patientibus. Item ex eo quòd quilibet iuſtus dicere habet, Non intres in iudiciū cum ſeruo tuo, non aliud ſequitur, quā nos non poſſe vitam

noſtra iuſtitia tanquam ex nobis propria ſtatuitur, neq; ignoratur aut repudiatur iuſtitia Dei: quæ enim iuſtitia noſtra dicitur, quia per eam nobis inhærẽtem iuſtificamur, illa eadem dei eſt, quia à deo nobis infunditur per Chriſti meritum. Neque verò illud omittendum eſt, quod licet bonis operibus in ſacris literis vſque adeo multum tribuatur, vt etiam qui vni ex minimis ſuis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Chriſtus eum non eſſe ſua mercede cariturum. Et Apoſtolus teſtetur, id quod in præſenti eſt, eſt momentaneum & leue tribulationis noſtrę ſupra modum in ſublimitate æternæ gloriæ pondus operari in nobis: abſit tamẽ vt Chriſtianus homo in ſeipſo confidat vel glorietur, & non in domino, cuius tanta eſt erga omnes homines bonitas, vt eorum velit eſſe merita quæ ſunt ipſius dona. Rurſum in fine capitis vndecimi, dicit eos orthodoxæ religionis doctrinæ aduerſari, qui ſtatuunt in omnibus operibus iuſtos peccare, ſi ſuam ipſorum ſocordiam excitando, & ſeſe ad currendum in ſtadio cohortando, cum hoc vt in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intueantur æternam, quum ſcriptum ſit, Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in ęternum propter retributionẽ: Item de Moyſe dicat Apoſtolus Paul. quod reſpiciebat in remunerationem. Poſtremò Anathema dicit in eum qui dixerit iuſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur.

Matt. 10. *2. Cor. 4.* *Pſal 118.* *Heb. 11.* *Canon. 31*

IOANNES Caluinus contra articulum & Concilij Tridentini definitionem oſtẽdere nititur, quòd non ſolum omnia hominum opera ante regenerationem, hoc eſt, antequã habeãt ſpiritum iuſtificantem, ſint peccata, verùm etiam omnia iuſtorum opera, ac propterea præcepta Dei eſſe impoſsibilia, quibus ne iuſti quidẽ ſatisfacere poſsint. Item nullum eſſe iuſtorum meritum, nullã pro operibus bonis expectandam mercedẽ, nullam retributionem aut remuneratione vitæ æternæ in ſeculo futuro. Rurſum quòd Deus nullum exercebit in ſeculi conſummatione iudicium, ſed vitam æternam miſericorditer non pro meritis, verùm tanquam meram gratiam iuſtis largietur, quam à conſtitutione mundi eis præparauit, cõtra ſymboli Apoſtolici articulum, qui proponit nobis Chriſtum venturum ad iudicandum viuos & mortuos. Et Ioannes Brentius docet quidem futurum iudicium, ſed non ſecundum præcepta Decalogi, hoc eſt, de eorum præceptorum obſeruatione & transgreſsione, ſed ſecundum fidem tantum, hoc eſt, accipiendam ibi fore cognitionem, an in Chriſtum crediderimus, an ei increduli fuerim⁹, atque ſecundum fidem hanc ferendam ſententiam. Huiuſmodi eſt euangelium quod nobis adferunt nouelli iſti magiſtri, qui noſtræ, imo articulorum fidei doctrinæ manibus pedibuſque aduerſantur: Sed eis Apoſt. Paul. anathema dicit. Licet nos, inquit, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquã euãgelizauimus, Anathema ſit. Sicut prędixi & nunc iterũ dico, Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, Anathema ſit. Et Germaniæ dicere nos poſſemus, quod Apoſt. Paulus Gal. Miror quòd ſic tam cito trãſferimini ab eo qui vos vocauit in gratiã Chriſti, in aliud Euangelium, quod non eſt aliud, niſi quòd ſunt aliqui qui vos conturbant & volunt conuertere Euangelium Chriſti. Nam primam mentis Chriſtianæ conceptionem & elementum Apoſtolus docet eſſe quòd Deus eſt remunerator inquirẽtibus ſe. Credere, inquit, oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirẽtibus ſe remunerator ſit. Et tanquam abſurdiſsimum alio loco infert, Alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum? Sequitur autem impium atque abſurdum hoc dogma ex alio, quod pertinaciſsimè contra ſcripturas tuentur, de fide apprehendẽte omnia Dei beneficia, & hæc ipſa oſferri nullo ad opera habito reſpectu: Item ex eo, quòd doceant omnia iuſtorum opera eſſe peccata; ſed videamus quid eos cogat ad hæc & abſurda dogmata. Habet autem Concilium Tridentinum: Nemo, inquit, ſibi in ſola fide blandiri debet, putans fide ſola hæredem ſe eſſe conſtitutũ, hæreditatemq; conſequuturũ, etiam ſi Chriſto non compatiatur, vt & conglorificetur, & cætera quæ ſuperius ex eodem Concilio ſunt citata. Contra quam definitionem ait Caluinus.

Galat. 1. *Cap. 1.* *Hebr. 11.* *Rom. 3.* *Cap. de iuſtificatione im piiſ fol. 10.* *In Antidoto circ ca. 1. de iuſtificatiõe.*

At magnum quiddam videntur tibi effeciſſe, dum colligunt fruſtra gloriari cœleſti hæreditate, qui paſsionum Chriſti conſortes eſſe nolunt. At nos idipſum quanto melius, iudicent lectores. Vnum tamen intereſt, quod nos dum communicandum eſſe docemus paſsionibus Chriſti, vt ad ſocietatem perueniamus beatæ reſurrectionis, non ſeparamus Chriſtum à ſeipſo. Iſti quod nullo modo ſequitur, perperam inferunt, nos patiendo mereri vitam æternam, & in eo ſitam eſſe iuſtitiæ noſtræ partem ne ſola Dei gratia nitatur. *Caluinus.*

Promiſsionem hæreditatis æternæ conditionalem eſſe, clariſsimè docent hæc verba Apoſtoli, quæ patres citant, Si filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autẽ Chriſti, ſi tamen compatimur, vt & glorificemur. Ex quibus conſequens eſt nos patiẽdo vitam æternam mereri. Id quod expreſsius alijs in locis ſcripturę teſtantur. Ait enim Eccleſiaſticus. Omnis miſericordia faciet locum vnicuique ſecundum meritum operũ ſuorum. Et frequenter docet ſcriptura, vitã æternam eſſe mercedem laborum & afflictionum noſtrarum. Nec propterea à ſeipſo Chriſtũ diuidimus, imò nec à nobis noſtriſque operibus & meritis. Docemus namque quod omne opus quo vitam æternam meremur, principalius quàm noſipſi in nobis ipſe Chriſtus operatur: atque tantum hac ratione, non ob ſuæ ſubſtantię qualitatem dignum eſſe vita æterna.

Reſponſio. *Cap. 16.* *Sapien. 10*

Caluinus. *Verum improbius etiamnum ludunt in ſua cõſequentia. Nam inde colligunt, inimicos eſſe religionis Chriſtianæ, qui iuſtos tradunt in omni bono opere, ſaltem venialiter peccare. Scire velim ex* Fol 204. *qua Dialectica tales conſequentias didicerint. Sic currite vt præmium apprehendatis: Ergo in bonis ſanctorum operibus nihil eſt reprehenſione dignũ.*

Reſponſio. Rectiſsimè colligunt patres non ſolum 1.Cor.9. ex verbis Apoſtoli Pauli, Sic currite vt comprehendatis (quanquam & curſus debeat eſſe ſecundum leges prǽſcriptas, & ſine reprehenſione, qui brauium apprehendere mereatur). Sed magis ex ſententia B. Petri quam citant, Magis ſatagite fratres, vt per bona o- 2.Petr.1. pera certam veſtram vocationẽ faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Opera enim quæ bona ſunt, mala eſſe non poſſunt, aut reprehenſione digna. Nam quæ 2.Cor.6. participatio iuſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Et peccatum omne, omnemque operis reprehenſionem beatus Petrus excludit, dum addit, Et hæc facientes non peccabitis aliquando. Nihil igitur in his ſanctorum operibus meretur reprehenſionem, quam ſine dubio omne meretur peccatum.

Caluinus. *Verum hac quoque inſulſitate præterita, rem ipſam videamus. Concedant neceſſe eſt, opera ex interiore potius animi affectu vnde manant, & ex fine quò ſpectant, æſtimanda eſſe, quàm ex larua externa quæ hominibus apparet. Cor enim intuetur Deus, vt Samueli dictum eſt, & oculi eius* Cap.5. *veritatem reſpiciunt, vt monet Hieremias. Nunquam autem perfectos nos Dei amore ferri agiq; ad obſequendum eius iuſtitiæ, plus ſatis conſtat.*

Reſponſio. Inſulſi hic ſint patres, an Caluinus verius inſulſiſsimus, lectoris relinquo iudicio. Sed rem ipſam (ſicut hortatur) videamus & examinemus. Libenter concedimus, atque adeo hoc ipſum docemus, opera ex interiori potius animi affectu vnde manant, & ex fine quo ſpectant, eſſe æſtimanda, quàm ex his quæ hominibus foris apparent. Nunquã autem perfecto dei amore, & in veritate nos ferri in Deum, ſine ſcripturis aſſeritur, ſed iiſdem omnino aduerſatur. Nam de Ezechia 4.Reg.20. Rege referunt, quod conuertit faciem ſuã ad parietem, & orauit Dominum dicens, Obſecro domine memento quæſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod placitum eſt coram te fecerim. Item de Ioſia Rege Iuda, quòd ſi- 4.Reg.23. milis ei non fuerit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde ſuo, & in tota anima ſua, & in vniuerſa virtute ſua, iuxta omnem legem Moyſi. Similes ſunt ſententiæ multis in locis ſcripturæ. Et B. Ioan- 1.Ioan.2. nes docet in nobis perfectam eſſe charitatẽ perfectumque amorem. Qui ſeruat, inquit, verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt. Item, In hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcum, vt fiduciam habeamus in die iudicij. Rurſum, Hi ſoli veri ſunt adoratores, qui adorant patrem in ſpiritu & veritate, quales quærit ipſe & facit multos. Tametſi igitur Deus cor, & oculi eius veritatem reſpiciant, non tamen ex veritatis vel alicuius alterius defectu, quem oculi domini contẽplentur, mala ſunt, aut macula vlla reſperſa, aut reprehenſione digna iuſtorum opera. Frequens eſt quod Ioannes Caluinus rem per ſe clarã, obſcuram reddat nomine perfectionis, quam ſacræ ſcripturæ tribuunt noſtro amori, ipſe verò perpetuò detrahit & derogat. Sed quid precor obtinebit ſi non perfecto Dei amore feramur ad obſequendum eius iuſtitiæ, ſyncero tamen affectu Deum amemus, & fratri ſubueniamus indigenti, atque ex animo remittamus quicquid in nos peccauerit, nihil commodi aut gloriæ noſtræ ſpectantes. An in hoc opere macula erit vel venialis? Domino ſatis eſt quòd eum Ioan.14. diligamus. Qui diligit me, inquit, diligetur à patre meo, & ego diligam eum & manifeſtabo ei meipſum, nullam hic perfectionis faciens mentionem. Et beatos pronunciat Matt.5. qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam: iuſtitiam autem quæ non poteſt ſimpliciter eſſe perfecta, quàm diu non eſt eius ſatietas, modo tamen quodam perfectam hic dici & eſſe iuſtitiam, & proinde amorem quoq; Dei & proximi (quamuis reuera imperfecta ſit) pleriſ- Contra 2. epi. Pela. li. 1. cap. 7. que locis docet B. Auguſtinus. Iuſtitia, inquit, ſecundum quam iuſtus ex fide viuit, quoniã per ſpiritum gratiæ homini ex Deo eſt, vera iuſtitia eſt: Quæ licet non immeritò in aliquibus iuſtis pro huius vitæ capacitate perfecta dicitur, parua tamen eſt ad illam magnam quam capit æqualitas angelorum, quam qui nondum habebat, & propter Minor iuſtitia facit meritum et maior fit præmium. illã quæ iam inerat, perfectum, & propter iſtam quæ adhuc deerat, imperfectum ſe eſſe dicebat. Sed planè minor iſta iuſtitia facit meritum, maior illa fit præmium: Vnde qui illam non ſequitur, iſtam non aſſequitur. Quocirca poſt reſurrectionem hominis futuram negare iuſtitiæ plenitudinem, & putare tantam futuram eſſe iuſtitiam in corpore vitæ illius, quanta eſſe poteſt in corpore mortis huius, dementiæ ſingularis eſt. Idem Matth. 2. de charitate art. 16. et 11. et 1. 2. quæ. 44. pluribus in locis ſuprà citatis tradit B. Aug. Et beatus Thomas clare docet, quomodo poſsimus hic habere charitatem ſuæ ſpeciei perfectionem & quomodo hæc perfectio ſit nobis præcepta.

Varijs enim cupiditatibus retrahimur à curſu, Caluinus. *vt vix ambulemus, cum ſumma contentione feſtinare Deus præcipiat, vixq; teporem adferamus pro ſummo ardore.*

Scripturis ſatis eſt, quòd in via Domini Reſponſio. ambulemus. Ait enim propheta: Beati im- Pſal. 98. maculati in via qui ambulant in lege domi- Galat. 6. ni. Et Apoſt. Pau. Spiritu ambulate, & deſi- Epheſ. 4. deria carnis non perficietis. Item: Ambule- 1.Theſ. 2. tis dignè vocatione veſtra, Dignè ambuletis Deo. Et ſi in luce ambulamus, ſicut ipſe in luce eſt, ſocietatem habemus ad inuicem, & ſanguis Ieſu filij eius emundat nos ab omni peccato. Cucurriſſe tamen imò & volaſ-

ſe quoſ-

1. Ioan 1. ſe quoſdam teſtantur ſacræ ſcripturæ. Ait enim
Pſalm 91. ſanctus propheta Dauid, Viam mandatorū
Heb. 12. tuorum cucurri, quum dilataſti cor meum. Item Paulus, Sic currite vt comprehendatis: qui & hortatur, vt per patientiam curramus
Hebr. 4. & ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes
Eſai. 60. in authorem fidei & cōſummatorem Ieſum. Et vt feſtinemus ingredi in illam requiem. Rurſum, Qui ſunt iſti qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas. Vbi, precor, pręcepit Deus ſumma contentione ſummoq; ardore, vt ait Caluinus, feſtinare? Qui
Ioan. 14. diligit me, inquit Saluator, diligetur à pa-
Luca. 13. tre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Et alibi, Contendite intrare per anguſtam portam. Nuſquam ſummam requirit contentionem, nec amorem ſummum: Nec aliud in ſcripturis intelligitur per, Currere, Feſtinare, & Volare, quam ſollicitum eſſe & ſtudioſum, vt in obſeruatione mandatorum Dei, requiem nobis paratā ingrediamur, brauiumq; apprehēdamus. Et ſecundum interpretationem B. Auguſtini, qui iuſtitiæ & Dei amore, non formidine pœnæ, Dei præcepta implet, verè currit per viā mādatorum Dei. Amor enim dilatat, & metus anguſtat. Currit igitur is, in cuius corde diffuſa eſt charitas dei per ſpiritum ſanctū, ſed vnus altero velocius feſtinat, currit, & volat. Non igitur oportet adeſſe ſummum amorem, ſummum conatum, aut contentionem ſummam. Viam certè quæ ad vitam adducit per ſe anguſtam, anguſtiorem facit Caluinus, imò eam claudit his qui eam perambulare ſtudet, cùm eam tranſitu facit impoſsibilem. Et cupiditates, hoc eſt noxiæ pronitates, non ſemper noxios excitant affectus: ſicut nec praui habitus, nec inde excitati praui motus, contra hominis volunta-
Matth. 15. tē peccata ſunt. Ex corde enim, ait Saluator, exeunt quæ hominem inquinare poſſunt. Et quamuis remoretur nos in curſu noſtro habitualis cupiditas, non tamen impedit quin curramus, feſtinemus, atque etiam volemus ad cœleſtem Hieruſalem.

Caluinus. *Quod ſi defectum hunc præ hypocriſi non ſentimus, Deus tamen cernit & iudicat, in cuius cōſpectu ne ſtellæ quidem liquidæ ſunt, nec ſol lucidus. Denique ſeptimum caput ad Romanos controuerſiam iſtam dirimit: vbi in ſua piorumque omnium perſona fatetur Paulus ſe à perfectione diſtare, etiam cùm optima eſt voluntas. Quare blandiatur ſibi homo vt libet, ſi tamen in iudicium Dei vel præſtantiſsimum opus quod vnquam fuerit, vocetur, næuo aliquo reperietur deformatum.*

Reſponſio. Defectum hunc ſentimus. Quis enim non experitur carnem concupiſcere aduerſus ſpiritum, & ſpiritum aduerſus carnem, & hæc
Rom. 7. ſibi inuicem aduerſari, vt non quæcunque volumus ea faciamus? Sed credimus Apoſtolo dicenti, Iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Et carne ſeruimus legi peccati, ſed ego ipſe, inquit, mēte ſeruio legi Dei. Ex mente autem & corde proficiſcuntur quæ animam coinquinant, non ex ore vel carne. Et quamuis Dei compa- Matth. 15.
ratione nec ſtellæ ſint liquidæ, nec ſol lucidus, nihil tamē in ſe habent tenebrarū, nihil ſancti Angeli habent reprehenſione dignū. Quomodo igitur ex hac ſcriptura colligi poſſet in iuſtorum operib' inueniri quod reprehendatur? Fatetur Apoſtolus, quòd velle ſibi adiacet, nec ſe inuenire quod perficiat: Sed interpretante B. Auguſtino, hoc perficere eſt, carnem non concupiſcere, nullū habere aduerſarium: Quod pro præmio in cælis expectamus, adeò vt ſingularis dementiæ eſſe dicat Auguſtin. putare quòd hoc requiratur in hac peregrinatione. Ait enim, Contra. 2. epiſt Pel. lib. 3. cap. 7. et de natu. et grat. ca. 62.
Facere iuſtitiam, eſt in vero Dei cultu cum interno concupiſcentiæ malo interna conflictatione pugnare: perficere autem, omnino aduerſarium non habere. Nam qui pugnat, & adhuc periclitatur, & aliquando percutitur, etiam ſi non ſternitur. Qui autem non habet aduerſarium, plena pace lætatur. Quod autem hic colligit Caluinus ſine ſcripturis, imò & contra ſcripturas, quòd præſtātiſsimum opus quod vnquam hic fuit, næuo aliquo reperietur deformatum, ſi in iudicium Dei vocetur, hæreticum dogma eſt, & quidem blaſphemia in opera ſancti ſpiritus & iuſtorum omnium, quæ Saluator teſtatur in Deo eſſe facta & fructus eſſe vitis quæ eſt Chriſtus: Et eorum opera qui ſuperædificāt aurum, argentum, & lapides precioſos, docet Apoſtolus Paulus illæſa manere in igne 1. Cor. 3.
diſtricti ac ſæueri examinis iudicij Dei, atque à Deo iuſto iudice, qui nihil iniquitatis inultum abire patietur, mercedem accipere, qui de verbo etiam otioſo eſt rationē exacturus. Cuncta enim quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, ſiue bonum Iob. 14.
ſit ſiue malum, vt dicit Eccleſiaſtes: de quo multa diximus Articulo Octauo. Non igitur in iuſtorum operibus, quæ ab eis per ſpi- Cap. vlt.
ritum inhabitantem in Deo fiunt, magis næuus aliquis deformās reperitur, quàm in operibus ſanctorum Angelorum ante confirmationem, vel etiam iam beatorum. Nulla enim in eis deſideratur debita circunſtantia ſed opera ſua omnia in gloriam Dei faciūt: nec omnino adeſt aliquid deformans. Nec etiam maior amoris feruor exigitur: cū neć tepidi, nec etiā frigidi ſint in Dei ſeruitio, ſed calidi & ardentes. Et eſt ſententia Saluatoris, Si corpus tuum lucidum fuerit, non Lucæ. 11.
habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum. Lucidum autē erit corpus totum, ſi oculus tuus fuerit ſimplex. Porrò di- Eſai. 5.
ximus fierri non poſſe, quòd opus idem malū ſit & bonū, dicente propheta. Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum.

Atqui Deo probantur, Quis negat? Tantùm contendimus fieri non poſſe, vt abſque venia placeant. Quid autem eſt quod Deus ignoſcat, niſi peccatum? Inde ſimul conficitur non eſſe tantopere exagitandos, qui dixerunt quamlibet bona opera ſi exacto rigore cenſeantur, æterna potius Caluinus.

damna-

damnatione, quàm vitæ præmio digna eſſe. Vbi enim peccatum quamlibet nobis exiguum videatur, illic nemo ſanus mortis eſſe materiā negabit.

Reſponſio. Quòd Deo iuſtorum opera probantur & placent, clariſsima ſunt ſcripturarum teſtimonia, & gaudemus Caluinum hoc non negare. Sed quæ, precor, ſcripturæ teſtantur, quod ſolum Deo ignoſcente, ei placent iuſtorū opera, quum dicant ſimpliciter, iuſtos & eorum opera iuſta, Deoq; probari ac grata eſſe? Ait enim B. Ioan. Quicquid pertierimus accipiemus, quoniam mandata eius cuſtodimus, & ea quę ſunt placita coram eo facimus. Et Enoch teſtimonium habuit ſe placuiſſe deo. Item, Ambulate dignè deo per omnia placentes, inquit Paulus. Abrahæ quoque dixit dominus poſt filij ſui oblationem, Quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo vnigenito, benedicam tibi & multiplicabo ſemen tuum: quaſi eum commendans de opere ſibi gratiſsimo. Et cum in iuſtis vera ſit iuſtitia, operaque verè iuſta, quemadmodum oſtendimus Artic. 8. & conſtans eſt doctrina ſcripturarum, & Beati Auguſt. nihil habent eorū opera propter quod venia aut ignoſcentia Dei indigeant. Qui autem dicunt iuſtorum opera quantumuis bona, ſi exacto rigore cenſeantur, ęterna potius damnatione, quàm vitæ præmio digna eſſe (id quod Caluinus docet circa Can. 37.) ſeueriorem faciunt Deum Dracone legis latore, cuius leges propter rigiditatem & pœnarum magnitudinem Solon abrogauit, eò quòd non atramento, ſed ſanguine leges ſuas ſcripſit. Nam omnibus penè peccatis etiam exiguis, mortis definiebat ſupplicium. Olera enim aut ſimiles herbas furati, tanquam homicidæ, inquiebat, ſupplicium pendant, & ocio damnati, capite multentur. Palam autem huic ſententiæ Caluini reclamat B. Iob. dum ait, Vtinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas quam patior in ſtatera quaſi arena maris, hæc grauior appareret. Item, Videndum eſt, inquit Hiero. ne ferula dignus, claua vel ſecuri percutiatur. Vniuerſæ demū ſcripturæ docent Chriſtum ſecundum vniuſcuiuſque merita eſſe iudicaturum, & diuerſos eſſe gradus ſuppliciorum & præmiorum: mandatorum quoq; etiam quædam eſſe minima, quorum & minimum oportet eſſe ſupplicium, ſecundum diuum Bernardum. Sunt enim peccata plurima, quæ propter exiguitatem rei, aut affectus tenuitatem, non violāt amicitiam vel gratiā patris erga filios. Habet enim Deus, qui eſt legiſlator ſapientiſsimus, leges maximas & infimas, atq; iubet & prohibet, non modò pro ſuæ maieſtatis dignitate, ſed pro hominum conuenientia, quorū ſaluti & dignitati per ſuas leges voluit conſulere. Simile eſt de parente & præceptore, puero leges præſcribente, ne quid rapiat aut furetur, ne impexus aut illotus diſcedat, ne librum maculet, &c. hæc tranſgredientem nemo iudicabit dignum ſecuri aut gladio. In æſtimandis namque delictis, iuxta ſententiam Bernardi, præcipuè attendere oportet, quāti pōderis ſit res in qua peccatur, cuiuſq; momenti ſit præceptum. Quis, inquit, neſciat vnum detractionis verbum, quantum etiam innumeris verbis otioſis præponderet? Quia, inquit, diſcretio eſt in mandatis, conſequenter & in culpis, vt (ſicut dixeram) maiorum grauior, leuiorq; minorum cēſeatur tranſgreſsio mandatorum, ſed mandantium non item. Nemo enim ſanus iudicabit æterna morte dignum eſſe iram ſubreptitiam, aut verbum otioſum inconſideratius effuſum. Nec ſunt rei mortis filij illi qui patrē precantur, vt ſibi remittat debita.

[Margin: 1. Ioan. 4. — Hebr. 11. — Coloſſ. 1. — Geneſ. 22. — Li. 3. contra 2. epi. Pela. ca. 7. Item lib. 9. de ciuit. Dei. — Ariſt. 2. Politic. cap. vl. — Cap. 6. — Li. 1. contra Pelagia. — De præcepto et diſpenſat. — De præcepto et diſpenſat.]

Caluinus. *Fit tamen immenſa Dei miſericordia, vt in cœlo mercedem habeant, quæ non modo nihil tale merebantur, ſed mortis æternæ præmium habitura erant, niſi per Chriſtum abſterſa eſſet immunditiés quæ alioqui fœdata erant.*

Reſponſio. Quòd non ſola miſericordia, ſed iuſto Dei iudicio iuſtorum opera in cęlo mercedē habent, ex ſcripturis docuimus, quodque eam à iuſto iudice, nō à patre miſericordię, vt dicit beatus Auguſtinus, recipere merentur. Et quādo, obſecro, abſterſa eſt per Chriſtum à iuſtorum operibus immunditiés, antequam fiunt, quando fiunt, an poſtquam ſūt facta? Si primum, munda ſunt cùm fiunt: ſimiliter ſi per Chriſtum ſeruantur, quando fiunt, ne ſint immunda. Quando verò facta ſunt, mutari non poſſunt, circunſtantia maculāte. Et vbi, precor, ſcriptura habet, quòd ab operibus iuſtorum per Chriſtum immundicies abſtergitur? Nos poſt ſcripturas docemus, quòd iuſti per ſpiritum Chriſti & eo operante, opera faciunt verè iuſta, & ab omni ſorde pura & libera, qualia ex viribus liberi arbitrij præſtare non poſſent. Somnia ſunt quæ hic adfert Caluinus, imo nouæ atque peſtilentes inuentiones hominum pertinaciter defendentium, quod ſemel peſsimè cōceperunt, qui malunt rumpere vniuerſas ſepes, quam retrocedere vt rectam inueniant ſemitam.

[Margin: Tracta. 3. ſu per Ioan.]

Caluinus. *Porrò quam inepta ſit argumentatio, quæ ex nomine mercedis dignitas aut meritum elicitur, multis locis docui. Nec obſcura eſt ratio, cùm retributio ipſa quam Sophiſtæ in merito fundatam volunt, à gratuita acceptione pendeat.*

Reſponſio. Relatiua neceſſariò ſunt ſimul, non eſt filius ſine patre, non dominus ſine ſeruo, nec ediuerſo. Referuntur autem ad ſe inuicem merces & meritum. Et apertè teſtatur ſcriptura, quod miſericordia faciet locum vnicuiq; ſecundum meritum operum ſuorum. Et Apoſ. Paul. teſtatur, iuſtos eſſe dignos regno Dei. In ſuperioribus quoq; docuimus, quòd retributio mercedis fiet ex meritis & ex iuſtitia pro eiſdem, & quòd Chriſtus nos fecit dignos in partem ſortis ſanctorum in lumine.

[Margin: Eccle. 16.]

Item Apoſt. Paulus ſcribit Theſſalonicē. Tribulationes ſuſtinetis, vt digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini. Quòd inepta ſit patrum argumentatio, quæ ex mercedis

[Margin: Theſſa. 2.]

cedis nomine dignitas aut meritum elicitur, videamus quibus ſcripturis Caluinus hæc demonſtret. Dicit autem, quod hoc non obſcurè probatur, ex eo quòd retributio in merito (ſecundum noſtram doctrinam) fundata, à gratuita pendet acceptione.

De gra. et lib arb. cap 8. et 9. et in epiſt. 61. Cui obiectioni non obſcurè reſpondet Beatus Auguſt. in locis quę citauimus: docēs vitam æternam gratiam eſſe, & eam tamen pro meritis dari in mercedem. Gratiam autem vocare Apoſtolum Paulum, quia gratia & Dei dona ſunt opera, pro quibus tanquã merces & ſtipendium retribuitur. Non memini quòd apud Paulum vel Auguſ. dicatur vita ęterna eſſe ex gratuita acceptione. Nam ſicut iuſtus iudex ex iuſtitia mortem & vitam retribuit æternam, ita opera ex iuſtitia, & non ex gratuita Dei acceptatione vitam merentur æternam. Ex gratuita, inquam, acceptatione, quæ iuſtitiam & merita omnia excludit. Videamus igitur quibus argumentis, quibuſue ſcripturis doceat Ioannes Caluinus, ineptam eſſe argumentandi rationē, qua ex vno relatiuo colligitur alterum, à patre quòd filium, à domino quod ſeruum habeat, & ex mercede, quòd aliquod ſit eius meritum. Hic enim non aliam adfert rationem, quam à gratuita acceptatione pendere retributionem, quam Sophiſtæ (ita enim loquitur) in merito fundatam eſſe volunt. Id quod falſum eſſe oſtendimus. Prolixiùs autem rem iſtam tractat in Inſtitutione, ad quã hic remittit vbi ait. *Ca. 10. para. 78.*

Caluinus. *Ex mercedis nomine non eſt cur opera noſtra ratiocinemur cauſam eſſe ſalutis. Principio iſtud ſancitum ſit in cordibus noſtris, regnum cœlorum non ſeruorum ſtipendium, ſed filiorum eſſe hæreditatem, quam ſoli potientur, qui à Domino in filios cooptati fuerint: Neque ob vllam aliam cauſam quàm ob hanc adoptionem. Non enim erit hæres filius ancillæ, ſed filius liberæ. Adeòquè in ijs ipſis locis, quibus gloriam æternam mercedem operibus fore pollicetur ſpiritus ſanctus, hæreditatem nominatim exprimendo, aliunde nobis prouenire demonſtrat. Sic Chriſtus opera recēſet quæ cœli remuneratione compenſat, dum in eius poſſeſsionem electos vocat: ſed ſimul adiungit, hæreditatis iure poſsidendum. Sic Paulus iubet ſeruos fideliter agentes quod officij ſui eſt, ſperare retributionem à Domino: ſed addit hæreditatis.*

Reſponſio. Opera noſtra eſſe cauſam ſalutis docet Apoſtolus Paulus, qui hortatur Philippenſes, vt cum metu & tremore ſuam operentur ſalutem. Et Dominus Saluator, quòd propter opera vitam æternam nobis retribuet, clariſsimè docet, dum in extremo iudicio ſedens in ſede maieſtatis ſuæ dicet his, qui à dextris erunt, Venite benedicti patris mei, poſsidete regnum vobis paratum à conſtitutione mundi: cauſam aſsignãs, Eſuriui enim & dediſtis mihi manducare. Impijs verò dicet, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, & cętera. Eſuriui enim & non dediſti mihi manducare, & cætera quæ ſequuntur. *Cap. 2.* *Matth. 25.* Apertiſsimè hic teſtatur propter opera vitam & mortem rependi æternam, iuſtoq; Dei iudicio vnicuique retribui ſecundum ſua opera. Nec tamen ſeruorum, vt colligit Ioannes Caluinus, vita æterna eſt ſtipendium. Seruus enim, ait Saluator, non manet in domo in æternum: ſed iuſtorum & filiorum tantùm eſt merces ac ſtipēdium, qui ex meritis ſimul & iure adoptionis hanc mercedem accipiunt, vt hæreditatem adeant ob ſuum laborem, legittimum curſum atq; certamē: quemadmodum hoc ipſum ſcripturę apertè teſtantur, maioremq; hæreditatem ſuſcipiant, qui maiori cum labore pugnauerunt. Atq; hæc ipſa inter ſe non contrariari ſuprà oſtendimus. Voluit enim Dominus, vt copioſam eſſe ſuam redemptionem, ita vt ſalutē ex multiplici titulo fieri nobis debitam, adoptionis ſcilicet & certaminis quo ipſam meremur. Nam voluit totum effundere ſanguinem, qui vnius guttæ effuſione nos redimere potuiſſet, & centuplo plus ſoluere, quàm ſecundum iuſtitiam oportebat: ſed & tota eius vita eandem redemptionem meruerat. Nihil igitur mirandum, quòd vitam æternam quam ipſe nobis meruit, & cuius nos fecit hæredes, nos mereri voluit, qui merendi dedit virtutem. In omnibus nã que noſtræ gloriæ & honori cōſuluit, quos victores glorioſos eſſe voluit, & hac de cauſa coronari, atq; brauium tanquam palmam curſus noſtri obtinere. Vt igitur copioſum eſſet vitæ æternæ meritum, voluit ipſe eam nobis mereri, vt quaſi filij eã hæreditario iure acciperemus, noſtrum nihilominus accedere voluit laborem & certamen, cui vt merito deberetur. Hac enĩ lege nos adoptauit, vt currēdo in ſtadio, & certando cum hoſtibus tanquam mercedem, brauium & palmam, vitam apprehenderemus æternã. Filij ſeruiunt quidem patri, ſed non ſicut ſerui domino, hoc eſt ſicut filij ancillæ. Non accepiſtis, inquit Apo. ſpiritum ſeruitutis iterũ in timore, ſed ſpiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba pater. Atq; hac ratione Apoſt. Paulus hanc hæreditatem, quæ ex iure adoptionis debetur filijs, vocat retributionem. Serui, inquit, quodcunque feceritis ex animo in ſimplicitate cordis Deum timentes operemini, ſicut domino & non hominibus, ſcientes quòd à domino accipietis retributionem hæreditatis: docens hæreditatem hanc non obuenire more conſueto apud homines, ſed operibus retribui. Nec repugnãt iſta inter ſe, quòd ſcilicet ex promiſsione donetur id quod propter opera retribuitur. Nam eius rei clariſsimum eſt exemplum in Abraham, cui promiſit Deus ſemen & hoc multiplicandum ſicut ſtellas cœli, cui tamē poſt multos annos quaſi mercedem obediētiæ ſuæ hoc ipſum retributurum, dixit. Ait enim, Propter memetipſum iuraui, quia feciſti hanc rem, & non pepereiſti filio tuo vnigenito, benedicã tibi & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli. & cæt. quæ omnia ei multò ante promiſerat. Eiuſdem nãq; *Ioan. 8.* *Rom. 8.* *Vita æterna hæreditas eſt et merces filiorum.* *Geneſ. 15.* *Geneſ. 22.*

effectus

effectus plures poſſunt eſſe cauſæ: Sed hic poſteriores pendēt & procedunt ex Dei promiſſione. *Geneſ.16.* Nā ex eo quod Deus Abrahā promiſit, quòd ſemen illius multiplicaretur, ideo dedit ei hanc inſignem obedientiam, qua filium ſuum in mortē offerret, per quā mereretur hoc ipsū ſibi à Deo præſtari quod ei antea promiſerat. Et certiſsimum eſt quod hæc Dei promiſsio impleri non poterat ſine opera Abrahæ ex Sarai vxore generantis, *Rom.8.* cui virtutem concipiendi & ipſi generandi tribuit. Idem clariſsimum eſt de vniuerſis promiſsionibus prolis futuræ, quales factæ ſunt Annæ Zachariæ & alijs quibuſdā, quòd ſine operatione & congreſſu hominis impleri non poterant. *Epheſ.2.* Quod autem dicitur, Si qui ex lege hæredes ſunt, exinanita eſt fides, abolita eſt promiſsio, intelligit Apoſto. per legem opera quæ ex nobis ſunt, non illa in quibus creauit nos Deus, vt ex fide & charitate in illis ambulemus. *In inſtit.ca.30.parag.77* Nititur autem Caluinus interpretari & reſpondere ſcripturis, quæ docent Deum vnicuique ſecundum ſua opera redditurum. Sic enim habet.

Caluinus. *Quod vnicuique dicitur redditurus Deus ſecundum opera, paruo negotio diſſoluitur. Ordinē enim conſequentiæ magis quàm cauſam indicat iſta locutio. Extra dubium autem eſt, Dominum his miſericordiæ ſuæ gradibus ſalutem noſtram cōſummare, dum electos ad ſe vocat, vocatos iuſtificat, iuſtificatos glorificat.*

Reſponſio. Huic interpretationi quam ſuo ſenſu facit Ioannes Caluinus, reclamant & nominū mercedis, retributionis, & remunerationis rationes, & ipſæ ſcripturæ ſacræ atque earum interpretes. Dicuntur enim hæc nomina relatiuè ad opera pro quibus fit retributio, remuneratio, & mercedis ſolutio. Et clariſsimè cauſam explicant ſcripturæ: Nam dicet Saluator electis, Venite benedicti patris mei, poſsidete paratum vobis regnum à *Matt.15.* conſtitutione mundi. Eſuriui enim & dediſtis mihi manducare, &c. Reprobis autem, Diſcedite à me maledicti in ignem æternū. Eſuriui enim & non dediſtis mihi manducare, &c. Nam cauſalis eſt particula Enim. Et ſicut impij iuſto dei iudicio pro ſua impietate, & in peccatorum vindictam, mittentur in ignem æternum, ita iuſti in retributionem operum ſuorum poſsidebunt vitam æternam. Nam de eis ſicut Chriſtus, ita & Apoſtolus Paulus loquitur, quando dicit, *2.Teſſ 1.* Si tamen iuſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem his qui vos tribulant, & vobis *Matth.25.* qui tribulamini requiem nobiſcum. Et in Euangelio dominus ſeruo ſuo, Euge ſerue bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium domini tui. Idem apertis verbis teſtatur Apoſt. Pau. Cum metu, ait, & tremore veſtram operamini ſalutem. Rurſus, Quæ enim ſemi- *Philipp.2.* nauit homo, hæc & metet: *Galat 6.* qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu & metet vitam æternam. *Sapient.3.* Et, Bonorum laborum glorioſus eſt fructus. Huc etiā faciunt ſcripturæ de operarijs conductis ad laborandum in vinea, & de currentibus in ſtadio. Item quæ teſtantur Deum vindicem malorum, & formidabilem iram agni. Non igitur ex ſola Dei electione & promiſsione electi accipient vitam æternā, ſicut nec impij ex ſola reprobatione & reiectione æterna, ſupplicium æternum, ſed vtrique pro meritis ſuis. Nec negamus Deum his miſericordiæ ſuæ gradibus ſalutē noſtrā conſummare, dum eos quos vocat iuſtificat, iuſtificatos glorificat: ſed vt gradum poſteriorem vult eſſe finem prioris, ita priorem cauſam diſpoſitiuam vel meritoriam poſterioris: quemadmodum clarè docent ſcripturę, & ex eis beatus Auguſtinus. Porrò meriti nomine vtuntur ſcripturæ, Nam Eccleſiaſticus, Miſericordia, inquit, faciet locum *Cap.6.* vnicuiq; ſecundum meritum operum ſuorum. *Hebr. 13.* Item Apoſtolus Paulus, Beneficentię & communionis nolite obliuiſci. Talibus enim hoſtijs promeretur Deus. Cogitur & Caluinus fateri vetuſtos eccleſiæ ſcriptores paſsim vſos eſſe hac voce. *Atq; vtinam* (ait) *voculæ vnius abuſu, erroris materiam non præbuiſſent.* *In inſtitu. ca 5.20,58.* Audet tamen temerarius hic homo ſcribere ꝙ peſsimè religioni Chriſtianę conſuluit, qui primus nomen meriri humanis operibus aptauit, vt faſtuoſiſsimum ita pernicioſiſsimum. Nimia eſt Caluini arrogantia & cordis eius ſuperbia, quod non vereatur ſcripturæ ſermonem & vniuerſos patres contemnere, quando cōſentaneus eſt & ſermo & vniuerſæ ſcripturæ ſenſus. Sed quid hunc hominem, qui ſua mauult quàm maiorum in hac re ſequi iudicium, moueat, *Seſſ.6.* audiamus. Scribit autem contra vlt. ca. Concilij Tridentini, in hæc verba. *Fol.204.*

Caluinus. *Primum quòd vitam æternam mercedem faciunt, in eo ab illis diſſentio. Neq; enim ſi in vita æterna Deus opera remuneratur, inde protinus conficient vitam ipſam eſſe quæ in ea rependitur mercedem. Quin potius hæreditatem eſſe vbique ſcriptura clamitat, quæ non alio quàm gratuitæ adoptionis iure nobis obuenit.*

Reſponſio. Vitam ipſam æternam eſſe hanc mercedē qua remunerantur opera iuſtorum, teſtatur ſententia Saluatoris, quam feret in ipſorum cauſa eiuſque exequutione: Et ibunt hi in ſupplicium æternum, inquit Matthęus Euangeliſta, iuſti autem in vitam æternam. Nec aliud eſt eis regnum paratum, aut alia re- *2 Teſ.1.* quies, de qua Apoſto. ad Theſſal. *Heb.11.* Item Chriſtus, Super omnia bona conſtituet eum, quā *Colloſ 3.* vita æterna, ſicut ſuppliciū & mors æterna, ſtipendium peccati. Et quid, precor, Moyſes ſpectabat in remuneratione, quàm quod quærebat Deo perpetuò adhærere, ipſiusq; viſione frui? Porro vitam æternam eſſe hæreditatem, vbique clamat ſcriptura, ſed etiam non tacet talem eſſe hæreditatem, quæ ſit retributio laborum & operum ſanctorū. Nam Beatus Ambroſius in Commentarijs circa hanc ſententiam, Certi quòd à Domino recipietis retributionem hęreditatis. Do-

mini

mini Ieſu Chriſti cui ſeruitis. Vt promptos, inquit illos in obſequio & fide faciat, mercedem illos bonorum operum accepturos promittit à Deo in regno Chriſti, & ſic illos vult obſequi ſicut Domino à quo mercedem expectant. Item Oecumenius, Quæ, inquit, erit retributio ſeruo ex animo operāti? Primum quidem, inquit, merces erit à Deo. Et Theophyl. Domini non faciunt ſæpè ſeruos hæredes, etiam ſi decies millies eis benè ſeruierint. Dominus autem hæreditatem quæ in cælis eſt, retributionem vobis dabit, ſi beneuolētiam erga dominos cuſtodieritis. Similiter interpretatur Chryſoſtomus. Sumus itaque, vt diximus, hæredes adoptati, hac conditione vt laboribus noſtris mereamur adire hanc hæreditatem.

Caluinus.

Sed maior eſt in eo contradicendi materia, cū eos affirmare non pudet, nihil deeſſe fidelibus, quo minus legi Dei pro huius quidem vitæ ſtatu, ſatiſfeciſſe, & vitam æternam promeruiſſe cenſeantur. Vbi ergo erit illa beatitudo quæ à Dauide prædicatur. Pſal. 32. ſine qua ſumus omnes termiſeri! Væ autē miſeris iſtis, qui non intelligunt eum, qui proximè ad perfectionem acceſſit, nondum ad dimidium vſq; iter progreſſum eſſe. Nam veriſsimum eſſe illud Auguſtini ſentiunt, quicunque exercitatam habent conſcientiam. Sanctorum iuſtitiam in hac vita remiſsione peccatorum conſtare magis, quàm perfectione virtutum. Verius etiam num illud alterum quod iam citaui. Quàm diu ſub carnis infirmitate gemāt, vnicam illis ſpem reliquam eſſe, quod mediatorem habēt Chriſtum, per quem Deo reconciliantur.

Reſponſio.

Non ſolùm hoc definiunt huius Concilij patres, quòd nihil deeſt fidelibus, quo minus legi Dei ſatisfaciant, verùm etiam Concilium Arauſicanum, & vniuerſi ſcriptores vetuſtiores, & ante eos Apoſt. Paulus, Qui diligit proximum, inquit, legem impleuit. Nam plenitudo legis eſt dilectio. Et, Omnis lex in vno ſermone impletur, Diliges proximum tuū ſicut te ipſum. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Nam quod impoſsibile erat legi in quo infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum. Item B. Auguſtinus quum dixiſſet, quòd illa perfecta magnitudo iuſtitię eis qui hic mandata fecerūt præmium dabitur, ſe explicans addit, Sed ita dixerim, Mandata fecerunt, vt ipſa mādata meminerimus pertinere ad orationem in qua quotidie veraciter dicunt ſancti filij promiſsionis: Fiat voluntas tua. Et, Dimitte nobis debita noſtra, &c. De quo in ſuperioribus ſæpè diximus ex B. Aug. varijs locis. Et pro huius vitæ infirmitate dicimus, nos poſſe legi ſatiſfacere cum Dei gratia, quantum ad ſalutem eſt neceſſarium, videlicet vt in ea ſeruanda, non violemus charitatem Dei & proximi, et à ſcopo legis nō recedamus: non autem vt in legis obſeruatione perſeueremus, ſine vllo peccato & macula, ſed quam ſtatim charitatis feruore, & oratione Dominica abſtergimus, vt idem Auguſtinus. Nec enim ita ſine peccato quiſquam inuenitur, qui non indigeat peccatorū remiſsione: Nec eſſe poteſt beatus cui non remittat Dominus peccata. Qui autem manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, nec ſalute fruſtrari poteſt. Iterum refugit hic Caluinus ad aſylum ſibi frequens, ad perfectionē ſcilicet iuſtitiæ, de qua ſæpè diximus, quod duplex inuenitur in ſcripturis, vitæ nimirum noſtræq; peregrinationis & ſeculi futuri, quodque vtraque magnam habet latitudinem, graduſq; multos, in quorum tamē quolibet vera eſt iuſtitia homini Chriſtiano ad ſalutem ſufficiens. Iuſtus enim ex fide viuit & viuet in æternū ſi iuſtitiam nō deſerat. Perfectionem autem beatorū eſurire tantū & ſitire hic oportet, non aſſequi. Et mirum certè quòd tantā vbique requirat Caluin⁹ dilectionis perfectionem ex præcepto, Diliges Dominum Deum tuū ex toto corde tuo, & ex tota anima, &c. cùm ipſe interpretetur ex toto corde credere, non eſſe perfectè Chriſto hærere, ſed ex animo dūtaxat & ſyncera mente illum amplecti: non eo ſaturum eſſe, ſed ardenti affectu eſurire & ſitire, & ad eum ſuſpirare. *Et hic,* inquit, *mos eſt ſcripturæ, vt toto corde fieri dicat, quod ſyncere & ex animo fieri ſignificat.*

Rom. 13. Gal. 5. & 6. Rom. 6. Lib. 3. cōtra 2. epiſt. Pelag. cap. 7. in fine. De ſpir. & lit. c. et lib. 1. retract. c. 16. Contra 2. epiſt. Pelag. lib 3. cap. 5. In inſtit. ca. 6 parag. 8.

Quemadmodum contra, vbi fraudulētos obiurgat, illis cor, & cor exprobrare ſolet. Et ſentētias quas ex B. Auguſt. Caluinus adducit, libenter ſuſcipimus, ſi non torqueantur ad ſenſum ab ipſo autore alienum. Conſtat enim noſtra iuſtitia remiſsione peccatorum & virtutibus, & in his propriè eſt eius ratio ac ſubſtantia: Perfectio verò iuſtitiæ in perfectione virtutum, quam in cælis ſolum expectamus. Sanctorū igitur iuſtitia in hac vita remiſsione peccatorum magis conſtat quàm perfectione virtutum, ſed non magis in remiſsione conſiſtit quàm in ipſis virtutibus. Ait enim B. Auguſtinus. Quia Deo ſubdita quidem eſt ratio, in hac tamē conditione mortali & corpore corruptibili quod aggrauat animam, non perfectè vitijs imperat, ideo neceſſaria eſt iuſtis talis oratio, Dimitte nobis debita noſtra. Nam profectò quanquam imperetur nequaquam ſine conflictu vitijs imperatur. Et vtique aliquid ſubrepit in hoc loco infirmitatis, etiam benè confligenti, ſiue hoſtibus talibus victis ſubditiſq; dominanti, vnde ſi non facili operatione, certè labili locutiōe aut volatili cogitatione peccetur. Deinde concludens dicit, Hic itaque in vnoquoque fidelium iuſtitia eſt, vt obedienti Deus homini, animus corpori, ratio autem vitijs etiam repugnantibus imperet, vel ſubigendo vel reſiſtendo: atque vt ab ipſo Deo petatur, & meritorū gratia, & venia delictorum, ac de acceptis bonis gratiarum actio perſoluatur. In illa verò pace finali tanta erit obediendi ſuauitas & facili-

Lib. 19. de ciuita. Dei cap 27.

Lib. 2. Cap. 5. tas, quanta viuendi regnandiq; fœlicitas. Nã contra Iulianum ex B. Ambroſ. idem B. Auguſt. probat naturam humanam poſt corruptionem iuſtificationis eſſe capacem, vt per gratiam etiã in carne ſit iuſtificatio, vbi erat ante colluuio per culpam. Hic etiam docet iuſtificationem in hac vita ſecũdum tria iſta nobis conferri, Priuß lauacro regenerationis, quo ex aqua & ſpiritu renaſcimur in vitam nouã & ſpiritualem. Quod enim naſcitur ex ſpiritu ſpiritus eſt, & diuinæ efficitur conſors naturæ, in quo iuſtitiæ ratio & ſubſtantia cõſiſtit, deinde congreſsione, conuitijs, à quorum reatu abſoluti ſumus. Tertiò dum noſtra exauditur oratio qua dicimus, Dimitte nobis debita noſtra, Libẽter etiam ſuſcipim⁹ quòd vnica eſt nobis reliqua ſpes, quòd mediatorem habeamus Chriſtum, per quem Deo recõciliamur. Peccatorum enim remiſsione, quàm diu hic viuimus, indigemus. In eodem tamẽ capitulo docet B. Aug. omnes iuſtos etiam veteris teſtamenti verè iuſtos fuiſſe, nos quoq; in nobis nunc iuſtos eſſe, & non ſolùm iniquorum comparatione, quos damnaturus eſt Deus: licet non tam perfectæ virtutis in hac vita eſſe potuerint, quàm poſt hanc vitam erunt: quicquid tamẽ peccati ex humana infirmitate ſubrepſerit, pietate ipſius fidei continuò deletur. Pelagiani, inquit, non audebãt dicere, iuſtos imperfectę eſſe vel fuiſſe virtutis, quum tamen hoc confiteatur vas electionis, qui conſiderans vbi adhuc eſſet, Non quia iam acceperim, ait, aut iam perfectus ſim. Paulò pòſt tamen, qui ſe negauerat eſſe perfectum, Quotquot ergo perfecti, inquit, hoc ſapiamus, vt oſtenderet ſecũdum iſtius vitæ modum eſſe quandam perfectionem, eique perfectioni hoc quoque deputari, ſi ſe quiſque nouerit nondum eſſe perfectum. Hac igitur ratione, quia hic egemus peccatorũ perpetua remiſſione, quocirca non poteſt hic eſſe virtutum perfectio, dicit Auguſt. in hac vita iuſtitiam magis conſtare peccatorum remiſsione, quã perfectã aliquando conſequimur, quàm perfectione virtutum. Et vnica ſpes nobis eſt, quòd mediatorem habemus Chriſtum, per quem patri reconciliemur. Proſequitur Caluinus.

Peccatis piorum non tollitur iuſtitia.

Philip. 3.

Secundum huius vitæ modũ quædam eſt viſæ perfectio.

Caluinus. *Tria ſunt in eorum, hoc eſt, patrum decreto errata, quæ fieri non debent. Nam etſi obiter attingunt, Chriſti merito bona piorum opera eſſe meritoria, quod tamen in primis neceſſe erat, prætereunt, nullum eſſe opus quod non infectum ſit labe aliqua, niſi Chriſti ſanguine abluatur. Quin potius falſam operibus dignitatem affingunt, vt ſine venia placeant.*

Reſponſio. Iam frequenter diximus iuſtorum opera in Deo per ſpiritum eius à Chriſto fieri, & ideo nullam habere maculam, nullã labem quæ Chriſti ſanguine abluatur. Nõ enim in baptiſmate, vitia, inquit Auguſtinus, ſanctificantur, ſed homines. Et Chriſti ſanguine impios à peccatis ablui in ſacro baptiſmate, manifeſtè teſtantur ſcripturæ. Abſtergi verò vel ablui à maculis eorum opera contra ſcripturas ſtatuitur. Nam de Corinthijs, non autem de eorum operibus, dicit Apoſt. Abluti eſtis, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis in nomine Dñi Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri. Bonus homo, inquit Saluator, de bono theſauro profert bona. Et palmitis mundi, non poteſt immundus eſſe fructus. Iam vos mundi eſtis propter ſermonem quem audiſtis. Rurſum. Palmitem qui fert fructũ mundabit, vt fructus plus adferat. Item Apoſtol. Paulus docet alios eſſe fructus carnis, alios ſpiritus, qui nihil labis habere poſſunt. Tantam enim iuſtificatis inſpirat & impartitur Chriſtus virtutẽ, vt per eam efficere poſsint, quæ reuera iuſta ſunt & ſancta in conſpectu Dei. In quo etiam gratia Chriſti longè glorioſior & maior oſtẽditur, quàm ſi non tanta eſſet, vt iuſti maculas in ſuis operibus vitare poſſent. Quòd aũt piorum opera Deo placeant, imò etiam quòd ſint hoſtiæ coram Deo acceptæ in odorem ſuauitatis, teſtantur frequenter ſcripturæ ipſæ. Non eſt putandum opera immunda & inquinata, apud Deum æquiſsimum & exactiſsimum iudicem eſſe accepta tanquam odorem ſuauiſsimum.

1. Cor. 6.

Matth. 12.

Ioann. 13. & 15.

Galat. 5.

Rom. 15. Philip. 4.

Caluinus. *Specioſum quidem eſt quod obtendunt, fluere omnia à ſpiritu Chriſti. Sed vbi abſoluta ſpiritus ſancti virtus reperietur? An nõ ad menſuram vnicuiq; diſtribuitur? Debebant ergo obſeruare, ſemper aliquid noſtra fecis admixtum quod puritatẽ illam inficiat.*

Reſponſio. Hac ratione quia à ſpiritu Chriſti opera piorũ fluunt, vt ipſe ea magis quàm illi operetur, docemus ipſa eſſe ſine labe. Docemus præterea poſt euangelium, ſolum Chriſtum accepiſſe ſpiritum ſanctum ſine menſura, atque in eo abſolutam eius virtutem reperiri, non in Adam quidẽ ante peccatũ, nec in aliquo beatorũ ſpirituũ. Omnes enim de eius plenitudine virtutẽ accipimus, quaſi membra ex capitis influxu. Sed ex hoc ſolũ ſequitur, quòd ſpiritus ſancti chariſmata, virtutes atq; operationes ſecũdum perfectionẽm abſolutã, in Chriſto ſolo inueniuntur, quodq; vniuerſæ creaturæ ab hac deficiunt: non autem quòd aliquid fecis admixtum habeant piorum opera, quæ puritatem illam, quam à Chriſti ſpiritu habent, inficiat. Eadem namque argumentatione probaretur omniũ beatorum ſpirituum opera eſſe contaminata. Quod aduertẽs Caluinus ſe transfert ad aliunde probandum ſemper aliquid fecis piorum operibus eſſe admixtum. Ait autem.

Caluinus. *Cum autem deformet coram Deo quicquid à nobis operum prodit, quæ nobis inhæret vitioſitas, vnum ſupereſt, vt gratuita acceptione gratiam quam non habent à ſeipſis, recuperẽt. Id fit dum in æſtimationem nõ veniunt ipſa, ſed ſuum à Chriſto precium mutuantur, & quaſi emendicant. Hac iam nimis craſſa impiaq; hallucinatio, non agnoſcere hoc ſolo demum nomine acceptum eſſe Deo, quicquid operum à nobis prodit, cùm paterna indulgentia quicquid vitioſum eſt ignoſcitur.*

Docui-

Reſponſio. Docuimus frequẽter naturæ vitioſitatem non afficere nec deformare fructus aut operã ſpiritus. Nam filij Dei, vt iam diximus, ſic ſpiritu Chriſti aguntur, vt præſtent opera in odorem Deo ſuauiſsimum, in quibus nihil deſiderari poſsit, ne circumſtantia quidem vlla. Nam vera eſt eorum iuſtitia, & ad veri boni finem refertur. Gratiam itaque habet hæc iuſtitia, eiusq; opera in ſemetipſis gratia ſunt, ob ſpiritum ex quo proficiſcuntur, nõ autem vt ſunt à libero hominis arbitrio. Et veniunt in æſtimationem ex dignitate, *1.Cor.4.* quam ab hoc ſpiritu & Chriſti capitis influxu atq; operatione accipiunt, ſicut iuſti horum operũ authores in ſemetipſis Deo ſunt accepti, charisſmata quæ ex Chriſti victima in precium redemptionis (non in operũ noſtrorum mundationem, ſed vt hæc munda & ſancta à nobis proficiſcantur) in cruce oblata, acceperunt. Habemus enim theſaurum iſtum magnum in vaſis fictilibus. Falſum autem eſt quod frequenter repetit Cal. hoc ſolo nomine acceptum eſſe, quicquid operum à nobis prodit, quòd gratuitò à Deo accepte tur. Sicut enim iuſti Deo grati & accepti ſũt ſecundum charisſmata ex Chriſti capitis influentia donata: ita & eorũ opera ſecundum ſe Deo ſunt grata, vt ex eis procedũt. Exemplo hæc declarentur: Vni ex minimis fratribus ſpiritu charitatis dat aliquis calicẽ aquę frigidæ in nomine diſcipuli, nihil ſpectans gloriæ ſuæ: Quid fecis admiſcet huic operi adhærens vitioſitas, ob quod ingratum ſit ac Deo diſpliceat? An quia in hoc opere iuſtus vix ambulat, cũ ſumma contentione debeat feſtinare, vixq; pro ſummo ardore teporem adferat? Sed huic reſpõdimus, Deum requirere in quolibet opere ſummum ardorem, nec ſummam contentionem: verùm ei ſatis eſſe, quòd Chriſtum ſuper nos amemus: Et ſi quid minus habent noſtra opera in pondere & menſura, quam habuiſſent tempore innocentiæ, hoc ex naturæ infirmitate, nõ autem ex voluntatis deliberatione naſci. Illa *Matth. 15.* enim ſolũ peccata ſunt, & hominem ac eius opera coinquinant, quæ ex corde procedũt. Et quamuis ſpiritus humanus priuatum ad ſe amorem gerat, non tamen oportet quod quamlibet eius operationem hic amor afficiat, vt ex hoc amore propter ſe operetur. De quibus ſuperius latius egimus. Audiamus ſecundam Caluini rationem.

Caluinus. Iacob.1. *Altera ferè ſimilis, quòd non reputant ſi quid etiam opere ſumus promeriti, totum id quantumcunque ſit, contraria tranſgreſsione perire. Qui deliquerit in vna, factus eſt omnium reus. Quam tibi promittis mercedem, vbi nihil quàm mortis reatus indicitur? Faciunt itaque perperam, dum ad vnicum hoc remedium non confugiunt, vt liberali fauore dignetur Deus ſi quid in nobis eſt boni, mala quæ longè & numero & pondere ſuperant, non imputando.*

Epiſt.19.ad Hieronymũ. Lib.1.cõtra Pelag. Diximus de hac ſentẽtia Iacobi ex Auguſtino & Hieronymo, quod loquitur de peccatis quæ ſunt contra charitatem. Eandem enim obijcit Hierony. Pelagius, cui reſpondet B.Hieron. quòd ipſe locus ſeſe interpretatur. Non enim dixit, inquit, vnde cœperat diſputatio, Qui diuitem pauperi in honore prætulerit, reus eſt adulterij vel homicidij. In hoc enim delirant Stoici, paria contẽdentes eſſe peccata. Sed ita, Qui dixit, Non mechaberis, dixit &, Non occides: & ſi non occidis, mœcharis autem, factus es tranſgreſſor legis: Leuia cum leuibus, & grauia cum grauibus, comparantur: nec ferula dignum vitium gladio vindicandum eſt, nec gladio dignum ſcelus ferula coercendum. Non igitur, vt vult Caluinus, ſi quid opere vno ſumus promeriti, totum id quolibet peccato nobis perit, ſed ſola charitatis violatione. Et ideo B. Ioannes, poſtquam electam & natos eius hortat⁹ eſt, Videte voſmetipſos ne perdatis quæ operati eſtis, ſed vt mercedem plenam accipiatis, docẽs non quolibet peccato illa perdi, quũ in multis offendamus omnes. Et ſtatim addit, Omnis qui recidit, & non permanet in doctrina Chriſti, Deum nõ habet. *2.Ioann.* Non igitur ſi verbum quis otioſum proferat: aut diuitem pauperi in honore prætulerit, factus eſt ſtatim omnium reus, operumque ſuorũ merita continuò perdit, aut mortis reatum incurrit. Nimis ſeuerum nobis Deum in his proponit Caluinus. Et falſum eſt, quòd mala quę in iuſtis ſunt, longè ſuperant & pondere & numero ipſorum bona. Illa, inquit B. Auguſtin. fidei ardore & oratione ſtatim abſorbentur. Qui enim Dei & proximi ſeruat charitatem, & in iuſtitia manet, non perdit bonorum operum merita, nec quæ ſibi parata eſt coronam. Vnde in Apocal. *Cap.3.* Tene quod habes, vt nemo accipiat coronã tuam. Si enim quolibet peccato perderetur, quilibet eam perderet, nec diu eam teneret, qui alterius accepiſſet coronã. Quomodo opera mortificantur, & rurſum viuificantur per mortem & vitam animæ, docet B.Thomas in tertia parte. Non enim mortificantur, niſi vitam, hoc eſt, charitatem perdat qui ea eſt operatus: & rurſus viuificantur, quando ad vitam redit. Hoc autem vnicum eſt nobis refugium, quòd à peccatis, Dei fauore, liberati, ipſe liberali ſua gratia nos ſeruare dignetur, ne ab ipſo recedamus, ſed perſeueremus in bono.

Caluinus. *Tertius verò error longè deterrimus, quòd ſalutis fiduciam ab operum intuitu ſuſpendant. Verbo quidem vno prohibent ne nobis fidamus, ſed cùm rurſus in opera iubent intueri, vt eatenus nobis certa ſit ſpes ſalutis, quantũ illic reperiemus ſperandi materiam? Nonne totam in nobis fiduciam apertè locant? Itaq; & clauſulam adiungunt tali doctrinæ congruentem, Dubio euentu militandum eſſe in hac vita, donec vnicuique Deus ſecundum eius opera rependat: quo totam fidei noſtræ gloriationem euertunt, vel vt Pauli verbo vtar, fidem exinaniunt ipſam. At Paulus iuſtificatum ſe negat, etiamſi nihil ſibi ſit conſcius.* *Rom.4.*

Reſponſio. Salutis fiduciam ab operibus quæ Chriſtus in nobis operatur, pendere, oſtendimus

Heb. 3 et 4. prius ex varijs ſcripturæ ſententijs. Ait enim Apoſtolus, ſi filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur. Item, Participes Chriſti effecti ſumus, ſi tamē initium ſubſtantię eius, vſque ad finem firmum retineamus: Et quæ ſequuntur. Rurſum B. Auguſtinus, Qui credit & diligit benè agendo, & preceptis bonorum morum obtemperando efficit, vt etiam ſperet ſe ad id quod diligit eſſe venturum. Et ille ſe ad id quod credit & diligit peruenturum eſſe deſperat, cui malæ conſcientiæ ſcrupulus ineſt.

Lib. 1. de doctrin. Chriſ. cap 37. Cap. 40. eiuſd libri.

Quomodo autē in operibus fidere liceat, diximus articulo nono. & docet B. Ioannes, *1. Ioann. 3.* Si cor noſtrum, inquit, non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, quoniam mādata eius cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo facimus. Nec propterea, vt calumniatur Caluinus in nobis ſpē ſalutis locamus, ſed in Deo qui noſtro miniſterio vti dignatur, totam noſtrę ſalutis ſpem collocamus. Dubio euentu nos in hac peregrinatione militare, abūdè teſtatur plurimorum caſus. Et Apoſtol. Paulus, *Rom 11.* Dicis, inquit, fracti ſunt rami vt ego inſerar: Benè. propter incredulitatem fracti, tu autem fide ſtas. Noli altum ſapere, ſed time, ne fortè nec tibi parcat. In te vide bonitatē Dei, ſi permanſeris in bonitate, alioquin & tu excideris. Nec propterea fidei gloriationē euertimus, ſed magis ſtabilimus: gloriationem, inquam, quæ eſt in Domino. Non enim noſtris, hoc eſt virium noſtrarū operibus fidimus, ſed his quæ ſpiritus Chriſti per charitatē in nobis operatur. Nec Paulus ſe iuſtificatū negat, quod affirmat Caluinus, ſed tantū quod non oportet quòd iuſtificatus ſit, quamuis nihil ſit ſibi conſcius, quum ſimul fieri poſsit quod nō ſit iuſtificatus, Deo certius & intimius quàm ipſe, cor inſpiciente.

Caluinus. *Ideoq́; vt ſtabilis conſtet ac tranquilla iuſtitiæ profeſsio, poſthabita operum mētione, iudicem noſtrum deprecari conueuit, vt ne in iudicium intret nobiſcum. Hic enim vnicus ſecuritatis noſtræ portus eſt, quod iudicis perſonam Deus exuit, vt ſe nobis patrem exhibeat.*

Reſponſio. Vt ſtabilis ac tranquilla ſit nobis iuſtitiæ poſſeſsio, orandus eſt Deus ne in tentationē nos inducat, & gratiam largiatur in accepta iuſtitia perſeuerandi, ac poſthabita operum noſtrorum ratione, non intret nobiſcum in iudicium, ſecundum occulta ſua iudicia nos deferendo. Credendum eſt enim quoſdam non accepto dono perſeuerandi aliquandiu fideliter ac iuſtè viuere, & poſtea cadere, neque de hac vita priuſquam hoc eis contingat auferri. Et agnoſcimus hunc eſſe vnicum cōſolationis ac fiduciæ noſtræ portum, quòd iudicis perſonam Deus exuit, vt ſe nobis patrem exhibeat: ſed in huius ſeculi peregrinatione, vt cùm præſentari nos cōtingat ante eius tribunal, iuſto eius iudicio vitā accipiamus æternam, curſus noſtri brauium & gloriæ coronam. Obijcit præterea Caluinus contra merita iuſtorum, & præcipuè aduerſus opera ſupererogationis ſententiam Saluatoris apud D. Lucam.

Auguſt de corrept. & grat. cap. 13.

Caluinus, in inſti. cap. 10 parag. 4. Lucæ 17. *Iactare ſupererogationis opera, quomodo cum illo conuenit quod nobis præceptum eſt, vt quum fecerimus omnia quæcunque præcipiuntur uobis, dicamus nos eſſe ſeruos inutiles, nec plus feciſſe, quàm quod debuimus? Dicere coram Deo, non eſt ſimulare aut mentiri, ſed quod pro certo habeas apud te conſtituere. Iubet itaque Dominus nos ſyncerè ſentire, & nobiſcum reputare nulla ſibi præſtare gratuita officia, ſed debitas operas reddere, & meritò. Serui enim ſumus tot obſequijs defœnerati, quæ deſungi non poſſumus, etiam ſi omnes noſtræ cogitationes, omniaq́; membra in legis officia verſentur.*

Reſponſio. Teſtantur B. Ambroſius, Theophyl. Oecumenius, & Venerabilis Beda, modeſtiæ & hu humilitatis præceptum hîc à Domino tradi. Cùm enim, inquit Theophylactus, miraculorum operibus apoſtolos ornat, eos munit, ne extollantur in bonis operibus, idque pulcherrimo exemplo, quo monſtratur quòd extolli non oporteat in bono quopiam opere, imò nec in omni præceptorū Dei impletione. Et Oecumenius iactationis affectum, inquit, auellit: docens, quod ſicut nemo ſeruum ſuum poſt labores honore dignum ducit, nec gratiam illi habet: ad eundem ſanè modum, inquit, & Deus. Itaq; ſecundum iuſtitiæ ſermonem his qui præcepta non adimplent, periculū imminet, ipſa verò implentibus gratia nulla, nec propterea extolli oportet. Quod probè ſciens Apoſt. Paulus, Si *1. Cor. 9.* Euangelium, inquit, prædicauero, non eſt quod inde glorier: Neceſsitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi eſt, ſi Euangelium nō prædicauero. Attamen cùm bonus ſit Deus, ſeruis tanquam mercenarijs vtitur, & ſeruitutem illorū mercede rependit, ac debitum obſequium tāquam facinus egregium ſuſcipit, & præmium tribuit, quod labores etiam excedit. Vincit namque bonitas eius quod iuſtum eſt & æquum. Eſt autem modeſtiæ & humilitatis, conſiderare quid ex nobis ſumus. Item aduertere noſtra peccata ac defectus, & quidem plerunq; cum maiori exaggeratione: Ad virtutes verò & gratias quas à Deo habemus, clauſos habere oculos, ſicut e diuerſo noſtra erga Deū gratitudo, item heroica illa & Chriſtiana magnanimitas, bona à Deo accepta cōſiderat, vt gratias agat, & ex eis tanquā talētis à Deo collatis negocietur. Sic Paulus gloriatur, dum ait, Omnia poſſū *Philipp 4.* in eo qui me confortat. Ego didici in quibus ſum ſufficiens eſſe, ſcio & humiliari, ſcio & abundare, vbique & in omnibus inſtitutus ſum. Item, In quo quis audet, in inſipientia dico, audeo & ego: In laboribus plurimis, in *2. Corint. 11.* carceribus abundantius. Et ſi amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quā dedit nobis dominus in ædificationem, & non deſtructionem veſtram, non erubeſcam. Idem tamē Apoſtolus, Ego, inquit ſum mini-

minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus
1. Cor. 15. vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum
Eccleſiã Dei: Gratia autem Dei ſum id quod
ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed
abundantius illis omnibus laboraui: nõ ego
autem, ſed gratia Dei mecum. Cõtraria quidem
inter ſe hæc videntur, Abundantius omnibus
laboraui. Et, Non ego, ſed gratia Dei
mecum. Sed varia animi cõſideratione conueniunt.
Inducit autem Dominus in hac ſententia
Apoſtolos ad ſuæ infirmitatis cognitionem,
ſecundum quàm ſe inuenient &
iudicabunt ſeruos inutiles, etiam ſi fecerint
omnia quæ eis erant præcepta, & vt tales etiam
ſe pronuncient. Inutiles quidem, vt qui
debita tantum exoluerint, & nihil vtilitatis
ſupererogauerint. Hunc enim ſenſum teſtatur
id quod ſequitur, Quod debebam' facere,
fecimus. Vtilis eſt enim domino ſeruus
arans, aut boues paſcẽs: Sed vtilitatem hanc
Domino debet. Qui enim iuſsis domini alia
adhuc obſequia gratuita adiecerit, habet ꝙ
glorietur, & de quo gratias agat Dominus.
Nam ſi Euangelizauero, non eſt mihi gloria,
ait Paulus. Væ enim mihi eſt, ſi non euangelizauero.
1. Cor. 9. Quæ eſt ergo merces mea, vt Euangelium
prædicans ſine ſumptu ponam Euangelium?
Non autem ſcripſi hæc vt ita fiat in
me. Bonum eſt enim mihi magis mori, quàm
gloriam meam quis euacuet. Eſt tamen Dominus
tam magnificus & benignus, vt huiuſmodi
ſeruis etiam inutilibus ſecundum eorum
bonum erga eum affectum, mercedem
retribuat æternã. Nec pro ſeruis eos habeat,
vt dicit Oecumenius, ſed pro mercenarijs,
qui mercedem expectant promiſſam & conſtitutam:
Imò & pro filijs, ſi tamen filiorum
erga patrem præſtent officia. Sumus autem
ſerui inutiles, primò, quia ſi iuſtè egerimus,
Cap. 25. ait beatus Iob, quid donabis ei, & ſi peccaueris,
quid ei nocebis? Item ſecũdum hanc noſtri
conſiderationem, qua ea duntaxat ſpectamus,
quæ ex nobis habemus, inutiles inuenimur.
Sunt tamen quotquot ſunt iuſti,
ſimpliciter vtiles ſerui, quales eos Apoſtol.
2. Tim. 2. pronunciat, Si quis emundauerit ſe ab iſtis,
inquit, erit vas in honorem ſanctificatum, &
vtile Domino, hoc eſt ad vſus Domini accõmodum,
& ad omne opus bonum paratum.
Inutilem enim ſeruũ mandat Dominus projici
Math. 25. in tenebras exteriores. Omnis enim arbor
Math. 18. quæ non facit fructum bonum excidetur,
& in ignem mittetur. Item ficulneam
quæ non afferebat fructum ſuccidi iuſsit. Vt
quid etiam terram occupat. Inter illos autem
Luce 13. ſeruos, quos tãquam probos laudat, vni
Math. 5. qui quinque talenta fuerat ſuperlucratus,
ait, Euge ſerue bone & fidelis, quia in pauca
fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra
in gaudium, &c. Vult igitur Dominus, vt
quãto ſumus maiores, hoc nos magis humiliemus,
& ex animo iudicemus nos ſeruos
In ſerm. de pœnitent. & confeſſion. eſſe inutiles, & aliter de nobis iudicabit Dominus.
Sic enim ait Chryſoſtom. Audi quomodo
Christus præcipit nos obliuioni tra-
Luce 16. dere bona opera. Quando hæc omnia feceritis,
dicite, quoniam inutiles ſerui ſumus: Ego
non facio te inutilem, tu autem ſi confeſſus
fueris inutilitatem tuam, ego te illuſtrẽ Homil. 3. in Matthæum.
faciam, & coronabo. Rurſus, Non in ſuperbiam
tumeſcamus, ſed dicamus noſmetipſos
inutiles, vt in partem vtilium tranſeamus.
Si enim te laudandum eſſe dixeris, reprobus
effectus es, etiamſi fueris antè laudabilis. Si
verò inutilẽ te eſſe fatearis, factus es vtilis,
etiamſi fueras antè culpabilis. Item, Caueamus
de nobis ipſis dicere glorioſa. Hoc enim
nos, & hominibus, & Deo abominabiles facit:
& idcirco quantò maiora fecerimus bona,
tantò minora de nobis dicamus. Vbi multa
in eandem ſententiam addit. Et fortaſsis
in hac parabola tãtùm reſpiciebat Dominus
præcepta, quæ peculiariter dederat Apoſtolis
quibus loquitur, inter quæ præcipua ſunt
opera virtutum & miraculorum, de quibus
fuerat locutus, Si habueritis fidem, inquit, Math. 17.
ſicut granum ſinapi, dicetis huic arbori moro,
eradicare & tranſplantare in mare, & obdiet
vobis. Et obſeruat B. Ambroſius quod
Saluator dicit, Si feceris quæ præcepta ſunt
vobis, dicite, Serui inutiles ſumus. Hoc virgo, Lib. de vid.
inquit B. Ambroſius, non dicit: non dicit
ille qui bona ſua vendidit, ſed quaſi repoſita
expectat præmia: Sicut ſanctus apoſtolus ait.
Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus
te, quid ergo erit nobis? Nõ enim quaſi
inutilis ſeruus quod debuit facere feciſſe ſe
dixit, ſed quaſi vtilis Domino, qui commiſſa
ſibi talenta quæſitis multiplicauit vſuris,
mercedem fidei atq; virtutis benè ſibi conſcius
meritorumq; expectat: Et ideo ei cum
cæteris dicitur, Vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione
cùm ſederit filius hominis in
maieſtate ſua, ſedebitis & ipſi ſuper duodecim
ſedes iudicantes duodecim tribus Iſrael.
Origenes quoque tractans locum illum Libr. 3 comment. epist. ad Rom.
Pſalm. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles
facti ſunt, Donec quis facit, inquit, hoc tantùm
quod debet, id eſt, ea quę pręcepta ſunt,
inutilis ſeruus eſt. Si autem addas aliquid
præceptis, tunc iam non inutilis ſeruus eris,
ſed dicetur ad te, Euge ſerue bone & fidelis.
Quid autem eſt quod addatur præceptis, & 1. Corint. 7.
ſupra debitum fiat, Paulus Apoſtolus dicit:
De virginibus autem præceptũ Domini non
habeo, cõſilium autem do tanquam miſericordiam
conſecutus à Deo: Hoc opus ſuper
præceptum eſt. Qui ergo completis præceptis
addiderit etiam hoc vt virginitatem cuſtodiat,
non iam inutilis, ſed ſeruus bonus
& fidelis vocabitur. Et iterum præceptum
eſt, vt hi qui euangelium annunciant, de euangelio
& viuant: Apoſtolus Paulus tamen 1. Cor. 9.
dicit, quia nullo horũ vſus ſum, & ideo non
inutilis erat ſeruus, ſed fidelis & prudens.
Scripturis igitur aduerſatur dogma iſtud Ioannis
Caluini, quòd nulla ſunt opera ſupererogationis,
ſed omnia quę bona ſunt, etiam
præcepta ſint. Quod autem objicit idem Ioannes
Caluinus non conuenire cum ſententia
Saluatoris, iactare ſupererogationis opera,
hoc ipſum & nos dicimus, Omnem enim

operum iactantiam Dominus hic prohibet. Vanus eſt enim omnis iactator, & ſuam quærit gloriã & laudem. Agnoſcere tamẽ oportet Dei dona, vt de eis gratias agamus, & inde negociemur. Ait enim Apoſtolus Paul. 1.Cor.2. Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritũ qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo data ſunt nobis. Itẽ Ezechias Rex 2.Reg.20. in ſua infirmitate orauit Dominum, dicens, Memẽto quæſo quomodo ambulauerim coram te in veritate, & quod placitum eſt coram te fecerim. Quem locum tractãs B. Gregorius, Libr 12. ſuper Iob capit. 46. Plerunque, inquit, iuſti neceſsitate aliqua, ſua coguntur opera fateri, quod cùm iniuſti audiunt, elationem putant. Ex ſuis enim cordibus dicta iuſtorum penſant: ſicut grauis culpa eſt ſibi hominẽ arrogare quod non eſt, ſic, culpa nulla eſt, ſi humiliter dicat quod bonum eſt. Vnde contingit vt iuſti & iniuſti verba habeant ſimilia, & in quibus Dñs ab his offenditur, in ijs verbis ab illis placatur. Ecce Phariſæus ſe iuſtificat in opere: Ezechias etiam in cogitatione: Vnde ille offendit, inde iſte Deum placauit, cuius confeſsionem perfectionis dominus non deſpexit, quem mox in precibus ſuis exaudiuit. Verba enim ſingulorum Deus penſat ex corde ipſorum. Agnoſcimus itaq; & reuera iudicamus ſeruos nos eſſe inutiles, noſtri ſcilicet noſtrorumque contemplatione peccatorum: Dei tamen adiutorio ac dono non eſſe infructuoſos, nec arbores quæ excidi, & in ignem mitti mereantur. Inutilem ſeruum ſe 1.Cor.15. agnoſcebat Apoſt. Paulus, qui fatetur ſe plus omnibus laboraſſe & ab Hieruſalem per circuitum Rom.14. vſque ad Illyricũ repleuiſſe euangelio Chriſti, quiq; gloriatur ſe Euangelium ſic prædicaſſe, vbi Chriſtus nõ fuerat nominatus, ne ſuper alienum fundamentum ædificaret. Item ſcribit, Nolo vos ignorare fratres, Rom.1. quia ſæpè propoſui venire ad vos, vt aliquem fructũ habeã in vobis, ſicut & cæteris gentibus. Certè nõ erat hic ſeruus inutilis, qui prædicando tantũ fecit fructũ, & qui negociando tãtum ſuperlucratus eſt. Nam quæ Iacob.2. de ſurſum eſt ſapientia, 2.Pet.1. plena eſt miſericordia, & fructibus bonis. Et B. Petrus, Hæc ſi vobiſcum, inquit, adſunt, non vacuos, nec ſine fructu conſtituent in Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione. Sæpè monet nos Apoſt. Paulus, vt fructificemus Deo & ambulemus dignè Deo in omni opere bono fructificantes. Multum igitur fructus adferunt, & vtiles, non ſibi ſolum, ſed & Domino ſuo, qui ſe ex eius iuſſu ſeruos inutiles appellant, nõ tamen tales ſunt in oculis Domini, nec eos tales habet. Varias namque mentis noſtræ conſiderationes varij ſequuntur affectus, & diuerſæ virtutum operationes. Naſcuntur enim ex varia cõſideratione ſpes, timor, præſumptio, puſillanimitas & deſperatio. Nulla eſt hic, quemadmodum prætendit Caluinus, ſimulatio aut mendacium. Ex animo enim & verè loquitur Apoſt. Paulus, 1.Cor.15. quando dicit ſe eſſe minimum Apoſtolorum, & indignum vocari Apoſtolum, contuliſſe tamẽ magis Petro & Iacobo, qui videbãtur, & re- Galat.2. uera erant columnæ eccleſiæ (quibus ſe plus laboraſſe dicit) quàm ediuerſo, & Petro in faciem auſum reſiſtere, quando vidit eum ambulare, non ſecundum veritatem Euangelicam, Quomodo autem vir humilis verè & ex animo ſe credat, atque etiam pronunciet omnibus viliorem, atque ad omnia indignum & inutilem, ſicut in regula ſua docet B. Benedictus, declarat B. Thom. 2.2. Cap. 7. de gradib. humilit. Quæſ. 161. art. 6. Nec ſemper pro certo conſtituere oportet, quod coram Deo dicimus, quum ſecũdum B. Gregorium, bonarum mẽtium ſit culpam agnoſcere, vbi non eſt. Et B. Iob dicit, Verebar omnia opera mea, ſciens quòd non parceres delinquenti. Magna certè eſt Caluini impudentia quòd dicat Dominum iubere, vt no- Cap. 9. biſcũ reputemus nulla nos ſibi præſtare gratuita officia: cùm ei palam reclamet Apoſtolus Paulus. Item Origenes & Ambroſius. 1.Corint.7. & 9. Libenter tamẽ & ex animo agnoſcimus, quòd ſerui ſumus, & tot obſequijs defœnerati, quot defungi non poſſumus, etiam ſi omnes noſtræ cogitationes, omniaq; membra in legis officia verterentur. Hoc enim eſt quod diximus, nos magis obligari ex operibus noſtris, quàm nobis ipſe Deus obligatur. Digna tamen ſunt ſecundum ſcripturas, quæ remunerẽtur vita æterna ab eodem iuſto iudice, vnicuiq; ſecundum operum dignitatem retribuẽte, nullo reſpectu habito, vnde illam habeant. Simul etiã agnoſcimus nos ſeruos inutiles, nec habere quòd gloriemur, niſi in Domino, in quo gloriandi iuſtiſsimas habemus cauſas. Et quamuis tot obſequijs defœnerati ſumus, vt defungi nõ poſsimus, multa tamen nobis libera reliquit, quemadmodum & Apoſtolis, quod videlicet ſine ſumptu euangelizarent: quæ qui præſtant, ſingulariter in Domino gloriari poſſunt. Obſeruat Venerabilis Beda poſt B. Ambroſium in Vterque in commentar. ſuper Lucã. hac parabola, quod ſeruo de agro regreſſo non ſtatim dicitur, Tranſi & recũbe, ſed poſt completum totũ officium, iubet Dominus eum quieſcere & manducare. Ad hunc modum toto tempore peregrinationis noſtræ laborare oportet, donec Dominus iubeat nos tranſire in aliud ſeculũ, vbi quieſcemus, manducabimus & bibemus, ipſo Domino miniſtrante. Eſt præterea obſeruãdum, quòd Dominus nõ applicat parabolam. Sic & vos cum feceritis omnia, nunquid gratiam habet vobis, Sed, Dicite, Serui inutiles ſumus. Multam enim gratiã ſeruis ſuis habet Deus, qui affectu filiali præſtiterunt quæ præcepit eis.

EST hic & impium dogma Ioannis Brentij, quod Chriſtus non iudicabit ſuper tranſgreſsione Decalogi, ſed ſolum ſuper fide & incredulitate, vt qui crediderit, ſaluus ſit futurus, & qui non crediderit condemnetur. Ait enim in ſuo peſtilenti catechiſmo. In explicat. ſymboli circa art. Inde venturus eſt ad iudicand. &c.

Brentius. *Chriſtus non pronunciabit ſententiam iudicij ſui ſecundũ leges ciuiles, nec ſecundum leges pontificias aut monaſticas, nec ſecundum decalogum,*

hoc

hoc eſt, ſuper iuſtorum trangreſsione, &c. Reliquum igitur eſt quod ſententia extremi iudicij, nõ pronũciabitur, niſi ſecundũ Euangeliũ Chriſti filij Dei, vt qui credit filio Dei, ſicut ait Ioã. Baptiſta, habeat æternam vitam, qui verò nõ credit filio, nõ videat vitam, ſed ira Dei maneat ſuper eum.

Reſponſio. Mat. 6. et 25. Clariſsimè docet dominus Saluator, quòd filius hominis venturus eſt in gloria patris ſui cum angelis ſuis, & tunc reddet vnicuique ſecũdum opera eius, Item B. Ioannes in Apocalypſi. Cap. 22. Qui vicerit, poſsidebit hæc, Timidis autem & incredulis, & execratis, homicidis, & fornicatoribus, veneficis, idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardẽti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda: vbi incredulis connumerãtur & alij impij. Cap. 3. Et apud Malachiam prophetam, Accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficis & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, & humiliant viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum: nec timuerunt me, dicit dominus exercituũ. Cuncta enim quæ fiunt adducet Deus in iudiciũ, pro omni errato, ſiue bonum, ſiue malum ſit. Præterea de omni verbo ocioſo quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Matth. 12. Matth. 5. Et, Omnis q iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Qui autem dicit, Fatue, reus erit gehẽnæ ignis. Rurſus, Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſsit, ſiue bonum, ſiue malum. Nõ igitur ob ſolam infidelitatem & fidem iudicabit nos Domin⁹. Atqui apertiſsimè iſtud dogma conuellunt ſententię Saluatoris, quas deſcribit Euangeliſta Matt. Matth. 25. Iuſtis enim dicet, Venite benedicti patris mei, poſsidete paratum vobis regnum, &c. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: Impijs autẽ, Diſcedite à me maledicti in ignem æternũ: Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare. Quid reſpondeat parum pius hic homo ad has ſcripturarum manifeſtiſsimas ſententias, videamus.

Brentius. *His, inquit, verbis, Poſsidete regnum, Eſuriui enim, & dediſtis mihi edere. Et, Diſcedite à me, Eſuriui enim, & dediſtis mihi cibum, non ſignificat Chriſtus quod pronũciaturus ſit ſecundum merita operum, ſed iuxta fidem Euangelij, quæ ſi vera fuerit, declarabit ſe fructibus charitatis erga eos qui ſunt miniſtri Chriſti. Quare qui cibauerit potauerit, & veſtierit miniſtros Chriſti, ſeruabitur quod euangelio crediderit, Si aũt fides non fuerit vera, nihil conferet beneficij in miniſtros Chriſti, ſed potius dimittet eos inanes, & perſequetur eos: Quare qui miniſtros Chriſti nõ cibauerint, nõ potauerint, nec veſtiuerint, condemnabuntur, quod ſuo contemptu perſpicuè teſtificati ſint ſe nõ verè credere euangelio.*

Reſponſio. Matth. 25. Nulla in his iudicis ſententijs fit mentio fidei vel infidelitatis, ſed operum tantùm. Ait enim, Eſuriui enim & dediſtis mihi maducare. Item, Eſuriui, & non dediſtis mihi cibum. Et ſeruum inutilem eijcite, inquit, in tenebras exteriores: illic erit fletus & ſtridor dentiũ. Item, Ira Dei nõ ſolum ſuper incredulitatem reuelatur, ſed ſuper omnem impiętatem. Nec ſola infidelitas peccatum, nec fides ſola virtus vel bonum opus eſt. Hoc enim impijſsimum Luth. paradoxum, quòd ſcilicet ſola infidelitas eſt peccatũ, validiſsimè oſtendit eſſe falſum Ioannes Caluinus. Nam aures Chriſtianæ horrent adulterium, homicidium, & periurium non eſſe peccata, nec ob iſta hominem eſſe damnandum. Fides euangelij, quæ per dilectionem operatur, ſeſe fructibus charitatis declarat: ſed maioribus & pluribus in vno quam in alio. Nam gloriatur Apoſtolus, quòd plus omnibus laborauit, quodq́; ipſe euangelium ſine ſumptu poſuit. 1. Cor. 15. 1. Cor. 9. Vnuſquiſq; enim negociando ex talento ſibi concredito plus minusq́; lucri domino adfert ſecundum induſtriam, diligentiam, & deuotionem ſuam: ſicut non omnes ęqualiter ſequuntur ſuas concupiſcẽtias, atq; in peccata ſe præcipitant, ſed vn⁹ altero magis. Et multi eas omnino cohibẽt, vt poſt eas non eant. Et ideo Dominus in Apoc. Cap. 18. Quantum glorificauit ſe, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum & luctũ. Reddite illi, ſicut ipſa reddidit vobis. Duplicate duplicia ſecundum opera eius. In poculo quo miſcuit vobis, miſcete illi duplum. Et Pau. Vnuſquiſq; propriã mercedem accipiet, &c. 1. Cor. 3. Non enim vbi fides vera nõ fuerit, æquali somnium eſt impietas: nec fideles æqualiter in omni opere bono fructificant. Impijſsimum eſt quod idem hic dicit,

Quare qui miniſtros Chriſti non cibauerit, damnabitur, non propter opera, ſed quia non credit, & hoc operibus eſt teſtatus.

Sed quid moueat hominem iſtum ad hanc abſurditatem contra ſcripturas, videamus.

Brentius. *Nam ſi iudicaret, inquit, de humano genere in nouiſsimo die, iuxta ſententiam decalogi, tunc nullus hominum ſeruaretur. Omnes enim peccauerunt & violauerunt decalogum. Quis igitur poſſet ſalutem conſequi, ſi ſententia extremi iudicij iuxta decalogum ferretur.*

Reſponſio. In multis, inquit Apoſtolus Iacobus, offendimus omnes, ſed iuſti non relinquunt ſcopum decalogi violando charitatem, quæ eſt ſcopus & finis legis & præcepti. Et ſi aliquando contra decalogum peccant, per ſacramentum pœnitentiæ & orationem dominicam remittitur & expiatur. Quorum remiſeritis, inquit Dominus Saluator, peccata, remittuntur eis. Ioan. 20. Quod autẽ remiſſum eſt, apud Deum habetur quaſi factum non eſſet. Omnia namque mandata facta deputantur, quando quicquid non fit ignoſcitur. Animus verè Chriſtianus prius omnia dogmata, quæ neceſſariò ex hoc tam peruerſo dogmate ſequuntur, vel ex quibus ipſum ſequitur, abominari & negare deberet, quàm in tantam veniret abſurditatem, quòd Deus non iudicabit orbem, vnicuique ſecundum merita ſua reddendo. Aug. lib. retract. ca. 19.

Vndecimi Articuli Finis.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

Confirmatio & extrema vnctio ſacramenta ſunt à Chriſto inſtituta, ſed non vt duo præcedentia ad ſalutem neceſſaria: ex contemptu tamē illa omittere, mortale peccatum eſt.

EX ſcripturis manifeſtū eſt baptizatis datum eſſe ab Apoſtolis ſub viſibili ſigno ſpiritum ſanctum, eiuſque virtutem & robur: quemadmodū ipſi in die Pentecoſtes ſub linguis igneis eum prius ex promiſſione Chriſti acceperant. Quæ quidem virtus omnibus fidelibus toto ſuæ peregrinationis tēpore eſt neceſſaria. Nunquam igitur Eccleſiæ deerit. Promiſit enim Chriſtus ſuis, Ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad cōſummationem ſeculi. Item, Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis quem mundus non poteſt capere. Ipſe enim dixit, Non te deſeram neque derelinquam. Vſque ad ſeculi igitur conſummationem baptizatis ſub ſigno viſibili conferetur ſpiritus ſanctus eiuſq; virtus & robur. Narrat enim B. Lucas in fine ſui euangelij, dominum dixiſſe, Ego mittam promiſſum patris mei in vos: vos aūt ſedete in ciuitate quo ad vſque induamini virtute ex alto. Quam promiſſionem in Act. repetit, Accipietis, inquit, virtutem ſpiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa, & vſq; ad vltimum terræ. Hanc impleuit in die ſancto Pentecoſtes, in linguis igneis virtutem iſtam largiendo. Eandem autem hanc promiſſionem Apoſtolis pro omnibus fidelibus factam eſſe, teſtatur Apoſtolus Petrus, dum ait, Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Domini Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum ſpiritus ſancti. Vobis enim facta eſt repromiſſio & filijs veſtris: Repromiſſio, inquā, cuius ſtatim meminit, dum ait, Promiſſione ſpiritus ſancti accepta à patre, effudit hoc donum quod vos videtis. Docet itaque hic B. Petrus, quòd promiſſio ſpiritus, quo virtute ex alto induerētur, omnibus qui baptizarentur eſſet cōmunis. Et cum audiſſent Apoſtoli qui erant Hieroſolymis, quòd recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Ioannem, qui cum veniſſent, orauerunt pro ipſis, vt acciperent ſpiritum ſanctum. Nōdum enim in quenquam illorum venerat: ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini Ieſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant ſpiritum ſanctum. Item B. Paulus cum Epheſi inueniſſet quoſdam diſcipulos in Ioannis tantùm nomine baptizatos, dixit, Ioānes baptizauit baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens, vt in eum qui venturus eſſet poſt ipſum crederent, hoc eſt, in Ieſum. Quibus auditis, baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu: & cum impoſuiſſet eis Paulus manus, venit in eos ſpiritus ſanctus, & loquebantur linguis, & prophetabant. Apoſtolis igitur facta eſt hęc promiſſio ſpiritus & virtutis ſuperuenientis non pro ipſis tantum, ſed pro vniuerſis fidelibus baptizatis, ad ſeculi vſque conſummationem. Eccleſię enim ſponſę ſuę perpetuam curam atq; ſollicitudinem Chriſtus gerit, non tantum pro eius primordijs & Apoſtolorum temporibus. Nam ædificat ipſam ſuper firmam petram, vt portæ inferi aduerſus eam præualere non poſsint. Spiritum igitur ſuum, eiuſque virtutem tanquā donum ad ſalutem omnino conducens, vſque ad aduentum ſuum ad iudicium impartietur, & ſub ſigno ſenſibili, ſicut ipſis Apoſtolis eorumq́ue tēporibus omnibus baptizatis ſemper largitus eſt. Ex his ſcripturis ſequitur confirmationem eſſe ſacramentū, in quo baptizatis ſpiritus ſanctus datur ad robur & virtutem, qua induātur ex alto. Nihil hîc ſcrupuli relinquitur, quam quòd nūc cōſiſtit in cōſignatione per ſacrum chriſma, quod ab Apoſtolis conferebatur in ſola manuum impoſitione. Sed de hoc ſumus dicturi. Hic ſatis fuerit quòd in eccleſia perpetuò eſſe debeat aliquod ſacramentum, in quo conferatur ſpiritus ſanctus ad roborandum & confirmandum baptizatos. Nam vt ex patrum ſententijs docet venerabilis Hugo de Sancto victore, in baptiſmo gratia tribuitur ad remiſſionem peccatorum, in manus impoſitione gratia datur ad confirmationem. Quid enim prodeſt ſi à lapſu erigeris, niſi ad ſtandum cōfirmeris? Huic ex ſcripturis probationi & declarationi conſentiunt à temporibus Beati Petri Apoſtoli, eius in ſede ſucceſſores Epiſcopi vetuſtiſsimi in epiſtolis decretalibus, quas ad diuerſas Eccleſias & epiſcopos ſcripſerunt, qui & apertè teſtantur, ſe ab eodem Apoſtolo Petro accepiſſe ea quæ ſcribunt. Nec tacent faciendam eſſe chriſmate conſignationem in fronte. Conſentiunt & doctores eccleſiaſtici, Dionyſius Areopagita, Cyprian. Hieronymus, Auguſtinus, & ſcripturas ſuperius citatas, & præcipuè eam quæ dicit Petrum & Ioannē miſſos in Samariam de Confirmationis ſacramento interpretantur. Et propter quorūdam Gręcorum errorem diligenter diſcuſſa & diſputata eſt hæc ſententia, & tandem definitione eccleſiæ catholicæ in generali Cōcilio Florentino confirmata, vbi coacti sūt viri doctiſsimi, Epiſcopi & doctores Græci, ſcripturarum teſtimonijs ſuam relinquere opinionem, & agnoſcere Confirmationem verum eſſe ſacramentum eccleſiæ. Verè impius & ſacrilegus eſt qui poſt eccleſiæ & tot ſacerdotum ſententiā ſuæ opinioni aliquid tranctādum reliquit, maximè quando vetuſtiſsimorum in ſede B. Petro ſucceſſorum & veterum doctorum ſequuti ſunt ſententiā. Quid enim ſtabile & conſtans in noſtra erit religio-

Matth.28. Ioan.14. Heb.13. Cap.24. Cap.1. Actuum 2. Act.19.

Luc. vlt. Act.1. Promiſſio ſpiritus & virtutis ſuperuenientes facta eſt Apoſtolis pro vniuerſis fidelibus.

Lib 2. de ſacramētis parte 7. cap. 3.

Act.8.

Ex edicto Martiani Imperatoris

religio-

religione, ſi ſemel iudicata & rectè diſpoſita, reuolui, & publicè diſputari permittantur, vt diximus circa Art. 1. Maior eſt etiã charitas Chriſti, in eccleſiam ſuam ſponſam quã lauit in ſanguine ſuo, quam vt eam à temporibus Apoſtolorum permitteret illudi figmentis hominũ, & ſub inanibus & egenis elementis quaſi Dei inſtitutis & ſacramentis ſpiritalibus, ſuam quærere ſalutem. Oſtendemus autem ita ſe habere vt diximus. Nam Clemens papa & martyr Beato Paulo & poſtmodum Beato Petro in Euangelio collega & cooperarius, & tam fidelis, vt in epiſtola ad Philip. dicatur nomen eius ſcriptum eſſe in cælis, dicit in epiſtola quadam Decretali ſe ab Apoſtolo Petro accepiſſe, & cæteros ſanctos Apoſtolos, præcipiente Domino docuiſſe, quod omnibus feſtinandum eſt ſine mora renaſci Deo, & demum conſignari ab Epiſcopo, id eſt inquit, ſeptiformem gratiam ſancti ſpiritus percipere, quia incertus eſt vniuſcuiuſque exitus vitę, alioqui perfectus eſſe Chriſtianus nequaquam poterit. Et ſanctus Fabianus etiam Papa & martyr ſcribit ſancti chariſmatis vnctione perfici & cõſummari baptiſmum. Ait enim, cura eſt veſtræ ſollicitudini adhibenda, vt ea quæ ſunt ab Apoſtolis eorumq; ſucceſſoribus ordiuata, & inſtigante ſancto ſpiritu inſtituta, nec diſsimulatio negligere, nec aliqua præſumptio valeat perturbare. In illa enim die cœnæ dominicæ Dominus Ieſus poſtquam cœnauit cum diſcipulis ſuis, & lauit eorum pedes (ſicut à ſanctis Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſq; reliquerũt) chriſma conficere docuit. Ipſa enim lauatio pedum noſtrum ſignificat baptiſmum, quando ſancti chriſmatis vnctione perficitur atque confirmatur. Nam ſicut ipſius diei ſolemnitas per ſingulos annos eſt celebrãda, ita ipſius ſancti chriſmatis confectio per ſingulos annos eſt peragenda, & vetus in ſanctis eccleſijs cremandum. Iſtã à ſanctis Apoſtolis & ſucceſſoribus eorum accepimus, vobiſq; tenenda mandamus. Hæc ſancta Romana eccleſia & Antiochena, à tempore Apoſtolorum cuſtodit: Hæc Hieroſolymorum & Epheſianorum tenet, in quibus Apoſtoli præſidentes hæc docuerunt. Item Melciades papa clariſsimè explicat miniſtrum, materiam & effectum huius ſacramenti, ante annos mille & trecentos. De his, inquit, ſuper quibus rogitaſti vos informari, id eſt, vtrum maius eſſet ſacramentum, manus impoſitio Epiſcoporum, an baptiſmus: ſcitote vtrumq; magnum eſſe ſacramentum, & ſicut vnum à maioribus fit, id eſt, à ſummis Põtificibus, quod à minoribus perfici non poteſt, ita & maiori veneratione venerãdum & tenendum eſt. Sed ita coniuncta ſunt hæc duo ſacramenta, vt ab inuicem niſi morte præueniente, nullatenus poſſint ſegregari, & vnum ſine altero ritè perfici non poteſt. Nam vnum (præueniente morte) ſaluare ſine altero poteſt, aliud autem non poteſt. Vnde ſcriptum eſt, In diebus illis, dicit Dominus, effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, Aduertamus ſummas diuitias bonitatis Dei. Quod in cõfirmandis neophytis manus impoſitio tribuit ſingulis, hoc tunc ſpiritus ſancti deſcenſio in credentium populos donauit vniuerſis. Sed quia diximus quòd manus impoſitio & confirmatio, ad baptiſmi perfectionem pertineat, & qui iam regeneratus in Chriſto eſt, confirmare aliquid poſsit, forte cogitat ſibi aliquis, Quid mihi prodeſt poſt myſterium baptiſmatis myſterium cõfirmationis? Aut quantum video, non totum de fonte ſuſcepimus, ſi poſt fontem adiectione noui generis indigemus. Non ita dilectiſsimi, Attendat charitas veſtra: ſicut exigit militaris ordo, vt cum Imperator quemcunq; in militum receperit numerum, non ſolum ſignet receptum, ſed etiam armis competentibus inſtruat pugnaturum: Ita in baptizato, benedictio illa munitio eſt. Dediſti militẽ, da ei adiumentum militiæ. Nunquid prodeſt ſi quiſquam parentum, magnam pupillo conferat facultatẽ, niſi prouidere ſtudeat & tutorem. Itaq; Paràcletus regeneratis in Chriſto cuſtos, & conſolator, & tutor eſt. 1
deo dicit ſermo diuinus, Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Ergo ſpiritus ſanctus qui ſuper aquas baptiſmi ſalutifero deſcendit lapſu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocẽtiam in confirmatione augmentum præſtat ad gratiam. Et quia in hoc mundo tota ætate victuris inter inuiſibiles hoſtes & pericula gradiendũ eſt, in baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſmum, confirmamur ad pugnã. In baptiſmo ablumur, poſt baptiſmũ roboramur. At ſi cõtinuò tranſituris ſufficiant regenerationis beneficia, victuris tñ neceſſaria ſunt confirmationis auxilia. Regeratio per ſe ſaluat mox in pace b. ſeculi recipiendos. Confirmatio aũt armat & inſtruit ad agones mundi huius & prælia reſeruandos. Qui aũt poſt baptiſmũ cum acquiſita innocentia immaculat⁹ peruenit ad mortẽ, cõfirmatur morte, quia nõn poteſt peccare poſt mortẽ. Et Melciad. præceſſor Euſe. martyris. Manus impoſitionis ſacramẽtũ, inqt, magna veneratione tenendum eſt, ꝗ ab alijs perfici nõ poteſt, niſi à ſummis ſacerdotibus, nec tempore Apoſ. ab alijs quàm ab ipſis Apoſtolis legitur aut ſcitur perfectum eſſe: neque ab alijs, ſicut iam dictũ eſt, quàm ab illis qui eorum locum tenent, vnquam perfici poteſt aut fieri debet. Nam ſi aliter præſumptũ fuerit, irritum habeatur & vacuũ, nec inter eccleſiaſtica vnquam reputabitur ſacramenta. Vrbanus quoq; papa his multò vetuſtior, Omnes, inquit, fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum, ſpiritũ ſanctum poſt baptiſmũ accipere debẽt, vt plenè Chriſtiani inueniãtur, quia cum ſpiritus ſanctus infunditur, cor fidele ad prudentiã & conſtantiã dilatatur. Hac aũt de cauſa B. Clemens dicit eſſe non poſſe perfectum Chriſtianum ſine confirmatione, perfectione ſcilicet roboris et virtutis: Sicut puer homo perfectus nõ eſt niſi

Cap. vlt.

Ad Iulianũ & Iulii epiſcopos, quæ eſt 1.

Tempore Clemẽtis baptizati ab epiſcopo conſignabantur. Perfectus Chriſtianus non eſt ſine cõfirmatione

Epiſt. ad omnes Orientales epiſcopos.

Epiſt. ad cleros et omnes Hiſpaniæ epiſcopos.

Pſal. 129.

In fine epiſtolæ ad Epiſcopos Thuſciæ et Cãpaniæ.

In fine Epiſt. ad omnes epiſcopos.

niſi poſtquam adoleuerit, & ætas, quantitas ac virgor, acceſſerint. Et Melciades papa con firmationis ſacramentum baptiſmati conferens maiori veneratione tenendum & venerādum dicit. In baptiſmo enim naſcimur paruuli & modò geniti infantes, ſed per cōfirmationem grandeſcimus & roboramur: quemadmodum in vita corporali preter generationem qua vitam conſequimur, requiritur augmentatio qua creſcimus, & ad perfectionem naturæ & virtutis perducimur. Et ideo confirmatio dicitur maius ſacramentum, nimirum propter maiorem effectus perfectionem. Pertinet enim, iuxta Melciadem manus, impoſitio ad baptiſmi perfectionem: Et verè magnæ dignitatis & fructus eſt argumentum, quod caput Apoſtolorum Petrus & Ioannes miſsi fuerunt ab Apoſtolis in Samariam, ad confirmandū baptizatos à Philippo. Eſt præterea eiuſdem huius rei euidentiſsimum argumentum quòd ceſſantibus linguis igneis, in quibus prius collatum eſt, non tamen ceſſauit hoc ipſum ſacramentum. Cuius meminerūt ſuis temporibus pontifices ſupra citati, qui etiam mentionem faciunt vſus huius ſacramenti, & poſt eos ſcriptores eccleſiaſtici. Adducit Gratianus pro hoc ſacramento definitiones Conciliorum, & ſententiam Rabani, vnde idem manifeſtè conſtat.

De conſe.diſtinct.4.

b.

Cap.104. Hos patres & vſum eccleſiæ catholicæ ſecutus B. Aug. lib.3. contra epiſt. Petiliani, dicit quòd ſacramentum chriſmatis in genere viſibili ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut baptiſmus. Item lib.15. de trinit. Orabant, inquit, Apoſtoli, vt ſpiritus ſanctus veniret in eos quibus manum imponebant, non ipſi eum dabant. Quem morem in ſuis præpoſitis etiam nunc ſeruat eccleſia. Et paulò poſt, Vnxit eum, Chriſtus ſcilicet Deus ſpiritu ſancto, non vtique oleo viſibili, ſed dono gratiæ, quod viſibili ſignificatur vnguento, quo baptizatos vngit eccleſia. Rurſus lib.3. contra Donatiſtas oſtendit, quod nunc non debeant ſequi miracula ad manus impoſitionem epiſcoporum, ſicut olim. Neque enim, inquit, temporalibus & ſenſibilibus miraculis atteſtantibus per manus impoſitionem nunc datur ſpiritus ſanctus, ſicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei & eccleſiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, vt hi quibus manus ad accipiendum ſpiritum ſanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? Sed inuiſibiliter & latēter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus diuina charitas inſpirari vt poſsint dicere, Quoniam charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Multæ autem operationes ſunt ſpiritus ſcilicet quas proſequitur. Et B. Hieronymus aduerſus Luciferia. ſcribit fuiſſe conſuetudinē, quòd epiſcopus ad eos qui longe in minoribus vrbib⁹ per presbyteros & diaconos baptizati fuerant, ad inuocationem ſpiritus ſancti manū impoſiturus excurrebat. Quòd

Cap.26.

Baptizatos vngit eccleſia vnguēto viſibili.

Cap.16.

ſi hoc loco quæris, inquit, quare in eccleſia baptizatus, niſi per manus epiſcopi non accipit ſpiritum ſanctum, quem tamē in vero baptiſmo nos tribui aſſerimus? Diſce, inquit, hanc obſeruationem ex ea authoritate deſcendere, quod poſt aſcenſum Domini, ſpiritus ſanctus ad Apoſt. deſcendit. Et multis in locis idem factitatum reperimus. Refert quoq; Euſebius ex epiſtola Cornelij papæ & martyris, quòd ſpiritum ſanctam nunquam potuit Nouatus promereri, quia ſigna culo chariſmatis conſummatus non fuit. Item B. Bernardus in vita Malachiæ, vſum ſaluberrimum confeſsionis, ſacramentum cō firmationis, contractum coniugiorum (quæ omnia aut ignorabāt aut negligebant) Malachias apud populum de nouo inſtituit & renouauit. Et Innoc.3. cap. vnico, de ſacra vnct. parag. Per frontis. Dicit quòd per cōfirmationem datur ſpiritus ſanctus ad robur & augmentum. Et clariſsima eſt definitio Concilij Tridentini, vbi determinatum eſt, quòd verum eſt ſacramentum nouæ legis: Vbi etiam quæ eius forma, quæ materia, & quis ēius ſit effectus declarantur, quòd videlicet per ipſum augemur in gratia, & roboramur in fide. Et quòd loco man⁹ impoſitionis, de qua in Actis, nūc in eccleſia confertur confirmatio in chriſmate: quodq; vnum eſt ex tribus ſacramentis characterem, id eſt, ſpirituale quoddam ſignum à cæteris diſtinctum imprimens in anima in delebile, quapropter iterari non poteſt.

Li.6.ca.33.

Hoc ipſum, quòd ſcilicet iterari non poſſet, definitum fuit in Concilio Terraconenſi, & à Gregorio 2. vbi eadem pœna infligitur iterantibus confirmationem, quæ iterantibus baptiſmum. An verò ſicut epiſcopatus perfectio eſt ſacerdotij, & confirmatio baptiſmatis, & ſicut vires animæ in baptiſmo acceptæ in confirmatione perficiuntur, ita an idem character, qui eſt baptiſmi confirmatior factus, ſit etiam confirmationis, ſicut character ſacerdotalis idem in epiſcopatu perficitur, diſputatur apud doctores ſcholaſticos De charactere verò & initerabilitate ſacramenti confirmationis, & quòd ſit nouæ legis ſacramentum, plene agit Beatus Thomas.

In decretis de conſec. diſt.3.cap. Dictum eſt. Et cap. De homine.

Caietanus in 3.parte quæ. 72.cap.5. Loco vt ſupra artic. 1. 5.& 6.

SAcramentum hoc à Chriſto eſſe inſtitutum, ſaltem in genere, hoc eſt, quod ſigno ſenſibili baptizatis robur & virtus conferatur aduerſus ſuæ profeſsionis hoſtes, ex ſcripturis citatis eſt manifeſtum. Teſtantur enim Apoſtoli baptizatis manus impoſuiſſe cum certa pollicitatione & ſpiritus ſancti expectatione eos roborantis & confirmātis. Quod non tentaſſent, niſi Chriſti Domini nouiſſent voluntatem, & promiſsionē de ea re habuiſſent: ex quibus conſtat ſacramenti huius inſtitutio. Iuſſerat enim vt expectarent promiſsionem, quam per os eius audierant. Nam apud Ioannem, Si non abiero, inquit, paracletus non veniet ad vos: Si autem abiero, mittam eum ad vos. Et Ioannes A- *Ioan.16.*

1. Ioan. 7. nes Apoſtolus, Nondum erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus. Atq; hâc promiſsioné omnibus baptizatis fuiſſe communem ad ſeculi vſq; conſummationé ex ſcripturis ſuprà docuimus. Thomas dicit Chriſtum hoc ſacramentum inſtituiſſe promittendo, non exhibendo.

Quæ. 72. ar. 3. in ſolutio. 2 argum.

DEterminationem autē materiæ & formæ, hoc eſt, certi ſigni ſenſibilis, ſub quo ſpiritus ſanctus daretur, Chriſtus Apoſtolis ſuæ eccleſiæ præpoſitis reliquit, ſicut docet B. Auguſt. de modo ſumendi ſacram Euchariſtiam. Qui Apoſtoli primò, vel ſuo ſpiritu Apoſtolico, vel Chriſti ſuggeſtione (Nam de ſpeciali mandato aut inſtitutione nihil habent ſcripturæ) vtebantur manuum impoſitione, tanquam huius ſacramenti materia. Nam de verbis etiam nihil meminerunt. Linguæ autem igneæ, ſub quibus dabatur ſpiritus ſanctus, formæ ſacramēti ſignificationem ſupplebant. Significabāt enim quòd magno feruore & libertate teſtimoniū Chriſto perhiberent: Et ideo opus non erat eo tempore alia, expreſsioreq; ſignificatione. Quando autem linguæ, vt cætera miracula ceſſabant, oportebat ob confuſam, incertam & indiſtinctam manus impoſitionis ſignificationem, proprium & determinatū ſignū inſtitui atq; aſſumi. Ad varios namq; effectus Apoſtoli manus imponebāt. Nam vt in hoc ſacramento, ita olim in ſacerdotio, diaconatu & miraculorum operatione manus imponebant. Chriſtus etiam bene dicēdo paruulis manus eis impoſuit. Et poſt manus impoſitionem dimiſsi ſunt Paulus & Barnabas ad prædicandum. Et viſum eſt Apoſtolis conuenientiſsimum fore quod hoc ſignum inſtitueretur in chriſmate ab epiſcopo cōſecrato, vnà cum certa verborū forma quibus hactenus vtitur & vtetur ſemper eccleſia catholica. Nec mirandum eſt quòd huius mutationis nihil meminerint ſcripturæ, quum nec habeant, quòd Chriſti mandato vel ſpeciali ordinatione Apoſtoli manus impoſuerint baptizatis: ſed diximus hoc eos feciſſe ſpiritus ſancti ſuggeſtione duntaxat, & ex ꝓmiſsis Chriſti ac Ioelis vaticinio: Itē Chriſti exemplo qui paruulis manus impoſuit, primo manus imponere conſtituerunt, & linguis ceſſantibus ijdem ipſi Apoſtoli, quēadmodum teſtantur vetuſtiſsimi pontifices Romani eodem ſpiritu ſuggerente ſtatuerunt, & aſſumpſerūt aliud ſignum perpetuò permanſurum, adeo vt irritum futurum ſit ſacramentum, ſi aliter vel ſola manuum impoſitione adminiſtretur. Nec ſolum in hoc ſacramento materiam & formam determinandi poteſtate vſi ſunt Apoſtoli, verum etiā in ſacerdotio, diaconatu, & baptiſmo. Sola namq; manus impoſitione ſacramentum ordinis olim conferebatur, nunc autem alia materia & verba ſunt præſcripta, ex quibus conſiſtit, vt vnumquodq; ſacramentum haberet propriam materiam & propriam formā. Apud nos quoq; adhuc libertas eſt ſi lex

Epi. 118. ad Iannar. circa fin.

Et habet Thomas art. 2. ad 1.

1. Timo. 4. 6
2 Timot. 2.
Marci vlt.
Actuum 13.

Cap. 1.

Chriſti ſola ſpectetur, vt conferatur baptiſmus verbis vel indicatiuis, vel deprecatiuis vna vel trina immerſione: Et olim in nomine Chriſti cōferebatur. In ſacramentis enim potiſsimū ſpectatur ſignificatio, quæ quantò eſt manifeſtior, tantò conuenientius eſt ſignum ſacramentale, vbi eadem eſt ſignificatio & effectus, idem eſt & ſacramentū, quamuis res ſignificantes ſint aliæ. Atq; ita idē eſt ſacramentum quod modò chriſmatis vnctione confertur, & quod olim manus impoſitione adminiſtrabatur. Similiter idem ſacerdotium idemq; diaconatus. Vbi enim nō eſt determinata materia, & forma à Chriſto inſtituta, ibi ipſe Eccleſiæ præpoſitis reliquit ſtatuendum & ordinandum id quod pro maiori eccleſiæ vtilitate, pro temporum ratione viderent expedire. Sicut ſacramentū matrimonij, quod in contractu conſiſtit, varijs & diuerſis modis initur, eiuſq; variatur materia & forma: ſimiliter ſacramentum pœnitentiæ, & euchariſtiæ quoad panem azymum vel fermentatū, item quoad vnicā vel vtramq; ſpeciē. Sed variatio materiæ vel formæ plerunq; in iſtis non impedit rationem ſacramenti, ſicuti in hoc confirmationis ſacramento. Quamdiu aūt in linguis igneis ſuper baptizatos venerit ſpirit⁹ ſāct⁹ &, hoc donum linguarum durauerit, ex ſcripturis nō cōſtat, nec etiam ex probatis hiſtorijs: ex veteribus tamen ſcriptoribus certum eſt, quòd temporibus Apoſtolorum celebris atq; ſolemnis fuerit vſus chriſmatis, & quod paulatim ceſſabant linguæ. Dicit quoq; Tho. ex B. Dionyſi. quòd Apoſtoli chriſmate vtebātur in exhibitione huius ſacramenti, & verbis, quando ſigna viſibilia non dabantur. Dicit enim, inquit, Dionyſius, Eſt quædā perfectiua operatio, quam duces noſtri, Apoſtoli ſcilicet, chriſmatis hoſtiam nominant. Nec nouum aut mirum videri debet, quòd iſtud ſacramentum chriſmatis vnctione adminiſtrauerint, quando euāgelium clarè teſtatur, quòd infirmos oleo vngere ſolebant & ſanabantur. Item Iacob. Apoſtolus, quòd infirmis miniſtrabant ſacramentum, orātes & vngentes eos oleo. Non enim omnes naſcentis eccleſiæ epiſcopi gratiā habebant miraculorum propter quod per eorum manus non dabatur ſpiritus ſanctus in linguis igneis, ſed ad robur tantùm, vt acciperent virtutem ſuperueniētis ſpiritus ſancti (de qua ſola facta erat promiſsio) non donū linguarū, hi quibus manus imponebāt. Nā Titus & Timotheus qui populum ſuum roborabant & confirmabant ad fidei confeſsionem, non leguntur vlla feciſſe miracula, ſed ita fideles ſibi ſubiectos cōfirmabant, ſicut & reliq epiſcopi, vſu ſacri chriſmatis, quemadmodū hodie apud nos. Nam Fabianus papa ante annos mille & trecentos apertè dicit ſe ſuoſque ſucceſſores ab Apoſtolis accepiſſe, quòd chriſma ex iuſſu Chriſti conſecrandum eſt quotannis, & quod ſancti chriſmatis vnctione perficiatur & confirmetur baptiſmus. Item ſanctus martyr Cyprianus docet, in die

Quæ. 71. ar. 2. in fine ſolu 1. argume. et 4. ſentent.
Cap. 4. Hierarchia.

Epiſto. ad omnes Epiſ. Orientales.

cœnæ

Serm. de vnctione chriſmatis. cœnæ domini ſacrum chriſma eſſe conſecrandum,& hanc vnctionem nō eſſe inſtitutam corporibus, ſed ſanctificandis animabus, diuinamque virtutem potentius in ea operari. Adeſt,inquit,veritas ſigno, & ſpiritus ſacramento. Ex humore conſtat deſcendere omnes gratiarum diuiſiones. Vbi oſtendit quare reiectis omnibus quæ ad veteris legis cæremonias pertinebant, ſolum vnctionis myſterium non contempſerit Christiana religio. Atque his vetuſtior ſanctus Dionyſius Areopagita, Apoſtoli Pauli diſcipulus, ſcribit de chriſmatis vnctione, myſterio & ſignificatione: *Cap. 2. et 4. Hier. eccle.* Dicit autem eius vſum eſſe in omni rei ſacræ cōſecratione, & quod perficiens donum, & gratia Baptiſmalis lauacri vnguenti huius ſacratiſsima conſummatione perficitur. Item quòd ei qui baptiſmate regeneratur aduentu ſancti ſpiritus, conſummans hæc vnctio largitur vnguenti.

Cùm igitur proprius huius ſacramenti effectus ſit & fuerit ſemper, donatio ſpiritus ad roborandum & confirmandum baptizatos: cuius etiam ſolius meminerunt promiſsiones Christi, & donum linguarum tempori illi conueniebat, donec fidei ſemina (inquit Auguſtinus) ad crementum iacerentur, *Li. 22. de ci. uit. Dei. c. 8.* ceſſantibus miraculis, & hoc donū quod in illorum numero & genere erat, ceſſare oportuit, & cum eo linguas igneas, quę huius doni proprium erant ſignum. Nam & in baptiſmo aliquando collata eſt & ſanitas corporalis, vt habet Auguſtinus. Et cum manuū impoſitio ſignum eſſet valde ambiguum & incertum, neceſſarium erat vt impoſitio manuum mutaretur, & aliud ſignum inſtitueretur huic ſacramenti effectui proprium atque accommodum, ex naturali materię proprietate, verborumque ſignificatione: quale à Christo inſtitutum eſt in ſacramento baptiſmi. Simile factū eſt in die reſurrectionis, *Quæ 94 qui veteris & noui teſtamenti.* quando ſpiritus datus eſt Apoſtolis ad remittendum peccata, per inſufflationem: de qua idem Auguſtinus: Semel, inquit, fieri oportuit ſub flatu iſto còrporali, vt de cætero traditio iſta nō ſine dono ſpiritus ſancti eſſe crederetur: ſicut & in Saluatore forma data eſt viſibiliter, vt poſt baptiſmum ſpiritus ſanctus credentibus de cætero inuiſibiliter dari non ambigeretur. Quæ omnia confirmantur clariſsima definitione Concilij Florentini, vbi explicantur forma, materia, miniſter, & effectus huius ſacramenti. Sic enim habet, poſt multam diſputationem & diligentem veritatis examinationem, præſentibus & approbantibus Armenis & Græcis, *Definitio Concilij Florentini.* qui maximo numero epiſcoporum, patriarcharum, & Doctorū cū ſuo Imperatore eīdē interfuerunt. Secundum, inquit, ſacramentum eſt Cōfirmatio, cuius materia eſt chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ: & balſamo, qui odorem ſignificat bonæ famæ, per epiſcopum benedictum. Forma autem eſt, Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Ordinarius miniſter eſt Epiſcopus. Et cum cæteras vnctiones ſimplex ſacerdos valeat exhibere, hanc non niſi epiſcopus debet conferre, quia de ſolis Apoſt. legitur (quorum vicem tenent epiſcopi) quòd per manus impoſitionem ſpiritū ſanctum dabant: quemadmodum Actuum Apoſtolorum lectio ma- *Cap. 8.* nifeſtat. Cùm enim audiſſent, inquit, Apoſtoli qui erant Hieroſolymis, quia recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrū & Ioannem. Qui cum veniſſent, orauerunt pro ipſis, vt acciperent ſpiritum ſanctum. Nondum enim in quenquam illorum venerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini Ieſu. Tunc imponebāt manus ſuper illos & accipiebant ſpiritum ſanctum. Loco autem illius manus impoſitionis datur nūc in eccleſia Confirmatio. Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ ſedis diſpenſationem, ex rationabili & vrgente admodum cauſa, ſimplicem ſacerdotem chriſmate per epiſcopum confecto, hoc adminiſtraſſe Confirmationis ſacramentum. Effectus autem huius ſacramenti eſt, quia in eo datur ſpiritus ſanctus ad robur, ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes, vt videlicet Chriſtianus audacter Chriſti confiteatur nomen: ideoq; in fronte, vbi verecundiæ ſedes eſt, cōfirmandus inungitur, ne Chriſti nomen cōfiteri erubeſcat, & præcipuè crucē eius, quæ Iudæis eſt ſcandalum, gentibus autem ſtultitia, *1. Cor. 1.* ſecundum Apoſtolum, propter quod ſigno crucis ſignatur. Eadem definita ſunt in Concilio Tridentino, vbi aliter docentes, anathemate feriuntur. Eſt autem eius Canō, *Cano 9. ſeſſ. 7 de ſacramentis in genere.* Si quis dixerit in tribus ſacramentis, baptiſmo ſcilicet, confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, vnde ea iterari non poſſunt, Anathema ſit.

Item, Si quis dixerit Confirmationem ba- *De cōfirma. cano. 1. 2. 3.* ptizatorum ocioſam cæremoniam eſſe, & non potius verum ac proprium ſacramentū, aut olim nihil aliud fuiſſe, quam catecheſim quandā, qua adoleſcentiæ proximi, fidei ſuæ rationem coram eccleſia exponebant, Anathema ſit. Si quis dixerit iniurios eſſe ſpiritui ſancto, eos qui ſacramento confirmationis chriſmati virtutem aliquam tribuunt, Anathema ſit. Si quis dixerit, Sanctæ confirmationis ordinarium miniſtrum non eſſe ſolum epiſcopum, ſed quemuis ſimplicem ſacerdotem, Anathema ſit.

Cùm igitur ex ſcripturis, ex patribus vetuſtiſsimis, pōtificibus, Chriſti in ſede Petri in terris vicarijs, doctoribus eccleſiaſticis, ex obſeruatione vniuerſalis eccleſiæ à temporibus Apoſtolorum, & ex Conciliorum generalium definitionibus oſtenſum fuerit, Confirmationem, quæ fit ab epiſcopis in ſacro chriſmate, eſſe nouæ legis ſacramentum, nulla reſtat de hoc articulo dubitandi cauſa. Et quid amplius deſideretur ad huius ſacramenti probationem? Hæreticus igitur cenſendus eſt, & reuera talis eſt, quicunque aliter ſentit.

Naſcuntur autem ex ſuperioribus multæ difficultates & dubitationes, Primum ex eo, quod adhuc loquente Petro & adhortante, cecidit ſpiritus ſanctus ſuper omnes, qui audiebant verbum, & obſtupuerunt ex circuncisione fideles qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia ſpiritus ſancti diffuſa eſt. Audiebant enim illos magnificantes Deum, quos Petrus poſtea iuſsit baptizari in nomine Domini Ieſu Chriſti. Confirmatio igitur & effuſio ſpiritus ſancti in iſtis baptiſmum præceſsit, & ſimiliter in Apoſtolis (qui non leguntnr fuiſſe baptizati. Nam Ieſus nō baptizabat, ſed diſcipuli eius) donatio ſpiritus & virtutis eius. Non poteſt igitur confirmatio eſſe perfectio baptiſmi, nec ſolis baptizatis hoc ſacramētum eſt miniſtrandum. Et quidam catechumeni ante baptiſmum ſunt fidem Chriſti publicè confeſsi, & pro eius confeſsione ſanguinem fuderunt. Non ſolis igitur confirmatis hoc robur ſpiritus donatur. *Actuum 10.* *Ioan. 4.*

Secunda eſt difficultas, An in hoc ſacramento ſpiritus ſanctus detur ad roborādum contra perſecutores fidei, & hoſtes eam viſibiliter perſequētes: an etiam contra vniuerſas poteſtates noſtræ ſaluti aduerſantes, atq; etiam aduerſus mundi impetus & impugnationes. Nam beatus Clemens & Melciades papæ docent ſeptiformem ſpiritum eiusque ſeptē dona, de quibus apud Eſaiam, hac conſignatione donari, & ad prælia huius mundi armari. Clemens quidem dicit omnibus feſtinandum eſſe renaſci, & ab epiſcopo conſignari, id eſt, ſeptiformem gratiā ſancti ſpiritus percipere. Et Melciades, Quia, inquit, victuris inter viſibiles hoſtes & pericula gra diendum eſt poſt baptiſmum, confirmamur ad pugnam. Et, Cōfirmatio armat & inſtruit ad agones mundi huius & prælia reſeruandos. Nō igitur ſola hæc virtus eſt ad fortiter pugnandum, mortem etiam ipſam ſuſtinendo pro fidei & religionis confeſsione. *Cap. 9.*

Tertia eſt de miniſtro ſacramenti, An ex commiſsione ſummi pontificis ſimplex ſacerdos confirmare poſsit.

Ad primam reſpondetur, quòd confirmatio, vt diximus ex doctrina Melciadis, habet ſe ad baptiſmum ſicut augmentū ad generationem. Quemadmodum autem nemo adoleſcere poteſt, & ad ætatem perfectā peruenire, niſi prius ſit natus, ita niſi quis primò ſit baptizatus, & proinde in Chriſto natus, Sacramentum Confirmationis accipere non poteſt. Quia tamen virtus diuina ſacramentis nō alligatur, cōferri poteſt homini iſtud ſpirituale robur & gratiæ augmentum, ad publicè & liberè fidem Chriſti confitēdum, abſque iſto Confirmationis ſacramento: ſicuti quidam conſecuti ſunt remiſsionem pec catorum ſine baptiſmo. Nullus tamē conſequitur effectum baptiſmi ſine eius voto: & ita nec effectum Cōfirmationis ſine eius voto, quod quis habere poteſt etiā ante ſuſceptionem baptiſmi. Et audientes prædicationem Petri, acceperunt effectum Confirmationis miraculosè: nōn ipſum ſacramentum: ſicut Apoſtoli in die Pentecoſtes, quod ante Baptiſmum conferri non poteſt, quamuis aliquando eius effectū ante Baptiſmum quidam conſecuti ſunt. Nam quemadmodum hic effectus, qui eſt robur ſpirituale, præſupponit neceſſarium effectū baptiſmi, qui eſt iuſtificatio, quamuis ſimul donari poſsit, ita ſacramentum Confirmationis præſupponit ſacramētum Baptiſmi. Apoſtolos verò fuiſſe baptizatos, docet B. Auguſtinus ex ſententia Domini, Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet. *Epiſt. ad Seleucianum, quæ eſt 108.*

Ad ſecundam dicitur, quòd proprius effectus Confirmationis eſt pugnare contra hoſtes viſibiles, id eſt, contra perſecutores fidei & religionis, nomen Chriſti confitendo: nō contra hoſtes inuiſibiles, vel carnis, aut mūdi tentationes. Specificat enim ſcriptura donum ad quod Chriſtus promittebat ſpiritum, eſſe virtutem & robur ex alto, ob quod iuſsit ſedere in ciuitate priuſquam ei teſtes fierent Apoſtoli. Cuius rei conſideratione Concilium Florētinum poſt Melciadem papam, dicit augmētum gratiæ baptiſmalis & robur in fide, eiuſq; cōfeſsione dari in Confirmatione, atq; eius effectum eſſe, vt homo Chriſtianus audacter confiteatur Chriſti nomen, & ideo in fronte conſignari, vbi verecundiæ ſedes eſt, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipuè crucem eius, qui Iudæis eſt ſcādalum, & gentibus ſtultitia: propter qđ ſigno crucis ſignatur. Chriſti enim fidem & religionem potiſsimū reſpicit huius ſacramenti effectus. Attamen quia ſpiritus ſanctus mentem inhabitās diffundit in cordibus charitatem, reliquaſq; virtutes & ea dona quæ à charitate ſeparari nō poſſunt (qualia ſunt quæ Eſaias ſuper Chriſtū quieſcere dicit) ratione huius effectus cæteris Sacramentis communis, hoc eſt gratiæ gratum facientis, cuius augmentum fit in Confirmatione, vnà cum eius extentione ad virtutem iſtam ac robur. Ideo patres ſeptiformem ſpiritum & gratiarum plenitudinem, & pugnam contra hoſtes inuiſibiles, tribuunt Confirmationi: ex eo moti, quòd ſcripturæ quædam indiſtinctè de ſpiritu loquamur. Orauerunt, inquit Lucas, pro ipſis, vt acciperent ſpiritum ſanctum. Et manus eis imponebāt, & accipiebāt ſpiritum ſanctum. Item, Cùm impoſuiſſet illis manus Paulus, venit ſpiritus ſanctus ſuper eos. Et in Euangelijs, Nondum erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus. Nā ſicut in homine perfectę ætatis, eſt roboris & fortitudinis, totiuſque naturę perfectio & plenitudo: ita patres intellexerunt plenitudinē virtutis mentis, eſſe Confirmationis effectū. Ideo dicit Melciades, quod ſpiritus ſanctus in fonte plenitudinem tribuit ad innocētiam, hoc eſt plenè innocentem facit: in Confirmatione augmētum præſtat ad gratiam. Ex quibus conſequens eſt, per hoc ſacramentum aliquando remitti peccata mortalia. Confert enim primam gratiam cum augmento, quando nullū eſt iuſ- *Lucæ vlt. Act. 1.* *Cap. 11.* *Act. 8.* *Act. 19.* *Ioann. 7.*

eſt impedimentū. Et hoc ipſum omnibus ſacramentis eſt commune ratione gratiæ gratum facientis, quam conferunt, vbi nullum inueniūt obicem, vt clarè docet B. Thomas. In Concilio Aurelianenſi, inquit, dicitur, vt ieiuni ad Confirmationem veniant, & moneantur confeſsionem facere priùs, vt mundi, donum ſpiritus ſancti valeant accipere: & tunc per hoc ſacramentum perficitur pœnitentiæ effectus, ſicut & baptiſmi. Quia per gratiam collatam in hoc ſacramento conſequitur pœnitens pleniorem remiſsionē peccati. Et ſi aliquis adultus in peccato exiſtens, cuius conſcientiam non habet, vel ſi etiam non perfectè contritus accedat, per gratiam collatam in hoc ſacramento conſequitur remiſsionem peccatorum. Item de Euchariſtia dicit idem Thomas, quòd pręcepta ab eo qui eſt in peccato mortali, cuius conſcientiam vel effectū non habet (Fortè enim primò nō fuit ſufficienter contritus, ſed deuotè & reuerenter accedens, conſequitur per hoc ſacramentum Euchariſtiæ gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet & remiſsionem peccati. Vnde etiam ſequitur, quod electi qui accepto Confirmationis ſacramento ad Dominum migrāt, maiorem conſequuntur gloriam, quàm ſolum baptizati. Reſpondet enim gratiæ, augmentum gloriæ. Propter quod ipſum differri vſq; ad ſeptennium, vel ipſum annum diſcretionis, vt quidam ſuadent, non expedit, ne per mortem ſupernenientem huius gradus gloriæ faciant iacturam. Verè beati ſunt oculi qui vident, & experiuntur beneficia, quæ Deus nunc in populum Chriſtianum copioſè effundit: Multi prophetæ & reges voluerunt hæc videre & percipere, quibus tamen nō contigerunt. Eſt autem præclarum Dei beneficium, quod per ſacramētum Confirmationis, modò genitis infantibus robur addat, & in religiōe Chriſtiana adultos faciat. Non enim in hoc munere virtutis cælitus deſcendentis dabatur ſpiritus, quàm diu non erat Chriſtus glorificatus. Propter quod non fuit in patribus veteris teſtamenti. Quæ autem ſit hæc virtus, difficilè eſt explicare. Nam ſicut fidē ita charitatem in cordibus ſuis diffuſam per ſpiritum ſanctum, patres legis habuerunt, & per charitatem reliquas virtutes. Eſt enim charitas patiens, omnia tolerat, omnia ſuſtinet, eſt & fortis vt mors, dilectio: adfert etiam arma militiæ, & in fide reſiſtere facit aduerſario: item & dona ſancti ſpiritus adducit. Quæ eſt igitur hęc virtus quā promiſit Chriſtus, dum dicit, Sedete in ciuitate donec induamini virtute ex alto? Non fortitudo quę virtus eſt, nec ea fortitudo quæ eſt ex ſeptem donjs ſancti ſpiritus. Certè robur eſt animi quod reſpondet beatitudini, qua prædicantur beati, qui maledicta & perſecutionē patiuntur, non ſolùm propter iuſtitiā, ſed propter Chriſtum & nomen eius. Et eſt gratia propria huic ſacramēto. Nam quodlibet ſacramentum propriam habet gratiam diſtinctam à donis & virtutibus, vt docet beatus Thomas, & poſt eum Ioānes Capreolus. Hæc autem gratia ſacramentalis, an in habitu cōſiſtat, an in auxilio aliquo diuino, extende virtutes & dona ad effectus ſacramento proprios, variè loquitur beatus Thomas. Hic autem non eſt locus ea latiùs tractandi. Tractat hæc Cardinalis Caietanus quęſtione 62. articulo 2.

De Confirmat. part 3. q. 72. art. 7. — *Part 3 q. 79. art. 3. & q. 80. art. 4.* — *Coloſ. de cōſecrat. diſt. 5 cap. Vt ieiunij. Et Archidiac.* — *Ioann. 7.* — *1. Cor. 13. Cant. 8. Epheſ. vlt.* — *1. Pet. 5.* — *Part 3. q. 65. art 2. In 4 ſent. epiſ. 1. q. 2.*

Ex ſcripturis certum eſt virtutem, qua adulti & robuſti ſumus in vita Chriſtiana, & ceſſamus eſſe paruuli, proprium eſſe ſacramenti Confirmationis effectum, à gratia gratum faciente inſeparabilem, vnde etiā fluit, ſed non vt à cauſa totali, ſicut virtutes & dona, ſed ſolum concurrente iſto ſacramento Confirmationis. Huius tamen virtutis operationem ſupplere poteſt ardens charitas, & fortitudo quæ eſt donum ſancti ſpiritus. Atque ab hac virtute habet hoc ſacramentum quod dicatur Confirmatio. Quòd vero nominetur in ſcripturis manuum impoſitio, & frequenter apud Patres, Dionyſium & Pontifices ſupra citatos, item & cōſignatio, à cæremonia habet, qua in fronte manu epiſcopi ſignabantur confirmati. Nec perdidit nomen impoſitionis manuum, quod habuit à cæremonia, cuius meminerunt ſcripturæ, quando ea ceſſante ſacro chriſmate facta eſt in fronte conſignatio. Vocat enim B. Auguſtinus ſacramentum chriſmatis: vocat etiam impoſitionem manuum.

In locis ſupra allegatis Dialog. aduerſus Luciſer.

Tertia eſt difficultas valdè perplexa & cōtrouerſa. Nam B. Hieronymus docet ex ſola Eccleſiæ ordinatione, ſolum epiſcopum hoc ſacramentum adminiſtrare: & hac ſeculſa, poſſe diſpenſari per quemlibet ſacerdotem. Ad honorē, inquit, potius ſacerdotij, quàm ad legis neceſsitatem pertinet, quòd niſi per manus epiſcopi baptizatus accipiat ſpiritum ſanctum: alioquin ſi ad epiſcopi tantum imprecationem ſpiritus ſanctus defluit, lugendi ſunt qui in vinculis, aut in caſtellis, aut in remotioribus locis per presbyteros & diaconos baptizati antè dormierunt, quàm ab epiſcopis inuiſerētur. Eccleſiæ ſalus in ſummi ſacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exors quædam & ab omnibus eminens detur poteſtas, tot in eccleſijs efficienter ſchiſmata, quot ſacerdotes. Veteres autem Pontifices ex hiſtoria Actuū Apoſtolorū conſtanter & concorditer docent, quòd per ſolos epiſcopos ſacramentum hoc miniſtratur, quodque ab alijs diſpenſatum, irritum ſit & inane. Quam ſententiam ſequūtur poſt multos doctores ſcholaſticos, ſanctiſsimus dominus Adrianus Sextus, in tractatu de ſacramento Confirmationis. Et Reuerend. pater Alfonſus de Caſtro plurimas adducit pro hac ſententia epiſtolas decretales ſummorum Pontificum, Melciadis, Damaſi, Innocētij Primi, Leonis, & Euſebij. Certè ſecurius & tutius in hac obſcura quæſtione ſequi definitiones ſacrorum Conciliorum generaliū Florētini & Tridentini, quibus magis conſentaneum eſt, quòd ſolùs epiſcopus huius ſacramenti ordinarius miniſter, ſed quod ex cōmiſsione Ro-

Epiſt. 26. lib. 3. & apud Gratian. diſt. 95. cap. Peruenit.

ne Romani pontificis ſimplex ſacerdos verè & efficaciter miniſtrare poſsit: vt patrũ ſententias intelligamus de miniſtro ordinario, qui ſolus epiſcopus eſt. Nam beatus Gregorius Ianuario epiſcopo ſcribit, Peruenit, inquit, ad nos, quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quòd presbyteros tangere eos qui baptizati ſunt prohibuimus. Et nos quidem ſecũdum veterem vſum noſtræ eccleſiæ fecimus. Sed ſi omninò de hac re aliqui contriſtantur, vbi epiſcopi deſunt, vt etiam presbyteri in frontibus baptizatos chriſmate tangere debeant concedimus. Item Concilium Florẽtinum: Ordinarius, inquit, miniſter eſt epiſcopus: Legitur tamen aliquando per Apoſtolicę ſedis diſpenſationem ex rationabili & vrgente cauſa, ſimplicem ſacerdotem hoc adminiſtraſſe ſacramentum. Rurſum Tridentinum Concilium, Si quis dixerit, inquit, ſanctæ Confirmationis ordinarium miniſtrum, nõ eſſe ſolum epiſcopum, ſed quemuis ſimplicem ſacerdotem, Anathema ſit. Ideo perniciosa eſt opinio Cardinalis Caietani, quòd ſacramẽtum Confirmationis per ſimplicem ſacerdotem adminiſtratum, ratum ſit & validũ. Nam Innocentius Tertius in cap. Quæſitum. de conſuetud. definit nulla conſuetudine præſcribi poſſe, quòd ratum ſit & validum ſacramẽtum Confirmationis à ſimplici ſacerdote miniſtratum.

In commen. Act. 6.

QVòd infirmorum vnctio eſt nouę legis ſacramentum, manifeſtè teſtatur vltimum caput epiſtolæ beati Iacobi, qui ait, infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine domini: Et oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Quæ verba non inſtitutionem nouam ſacramẽti à ſancto Iacobo factam ſonant, ſed exhortationem ad ſuſcipiendũ & vtendum: eò quòd prius inſtitutum erat & quo populus Chriſtianus ex more iam vtebatur. Tradunt autem materiam, formam, promiſsionem, effectum, & miniſtrum huius ſacramẽti. Materiam, cùm dicunt, Vngentes eum oleo. Formam, Oratio fidei. Et, Orantes ſuper eum, Ex quibus duobus conſtat ſignum ſenſibile ſacramenti. Promiſsionem & effectum, dum addũt, Saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in Peccatis ſit dimittentur ei. Nam quia abſolutè & ſimpliciter hos effectus B. Iacobus ſequuturos pronunciat, verba ſunt promiſſoria, ſi videlicet presbyteri orent & vngant, ex pacto Chriſti hæc ſequẽtur. Et quamuis verba deprecatiua, ex quibus hoc ſacramentum conſtat, non ſignificẽt ex propria ſignificatione fieri effectum ſalutarem, quia nec verũ, nec falſum ſignificant: Ex Chriſti tamen inſtitutione & promiſsione, efficax eſt deprecatio, & verba ex conſequenti ſignificant hos effectus fieri in infirmo. Similis eſt ſermo in Leuitico, Oblato ſacrificio oret, inquit, ſacerdos pro eo, & dimittetur peccatũ. Et in forma baptiſmi qua Græci vtuntur. Porrò quia ſimpliciter dicit, Oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: hæc ſaluatio & alleuiatio non minus ſpiritum reſpiciunt, Imò verius quàm corpus. Miniſtros inſinuat Apoſtolus dum dicit, inducat presbyteros Eccleſiæ. Manifeſtum igitur eſt, quòd vnctio infirmorum eſt ſacramentum nouæ legis. Et dicitur extrema vnctio, eò quòd extremè laborantibus, hoc eſt, de quibus metus eſt, quòd ex infirmitate moriẽtur, miniſtratur. Id quod conforme eſt prædictæ ſententiæ. B. Iacobi. Nam de morbis leuibus nõ ſolent homines eſſe ſoliciti ad vocandum medicos vel curatores. Et dum additur, Saluabit infirmum, ſignificatur metus & periculũ mortis, & proinde periculoſa ægritudo. Dicitur tamen in genere, Infirmatur quis in vobis, vt intelligatur de quocunq; infirmitatis genere, ſi videlicet talis eſt eius ſtatus vt mortis adducat periculum, inducat, &c. Atque hanc limitationem inſinuant quæ ſequuntur.

Cap. 4. et 5.

Hunc ſenſum verborum Iacobi, quòd ſcilicet ſacramentum tradunt à Chriſto inſtitutum, tanquam certum & manifeſtum huius loci, ſequutus eſt Innocẽtius primus ante annos mille. Conſultus enim ſcribit ad Decentium Epheſium Epiſcopum. Non eſt dubium, inquit, ſententiam hanc Iacobi de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere. Et poſtea pœnitentibus, ſupple ſolenniter, iſtud chriſma fundi nõ poteſt, quia genus eſt ſacramenti. Et quibus reliqua ſacramenta negantur, quomodo vnum hoc putatur poſſe concedi? Item B. Chryſ. libr. 3. de dignitate ſacerdotali. Sacerdotes, inquit, nõ ſolùm quando nos regenerant, ſed etiam deinceps poteſtatem habẽt indulgendi peccata. Infirmatur, inquit Apoſtolus, aliquis ex vobis, adducat presbyteros eccleſiæ, &c. Et ſi in peccatis eſt, dimittentur ei. Et B. Auguſtinus libro ſecundo de viſitatione infirmorum, Nec prætermittendum eſt, inquit, illud B. Iacobi præceptum, Infirmatur quis in vobis, &c. Sic ergo roges de te & pro te fieri, ſicut dixit Apoſtolus Iacobus, imò per Apoſtolum ſuum Dominus. Similiter hanc ſententiã intelligit Innocẽtius tertius cap. Vnico. de ſacra vnctione. Et beatus Bernardus in vita S. Malachiæ. Ait enim, Venit ſanctus Malachias veſperi infirmam vncturus oleo, & cùm pararet vngere, viſum eſt omnibus differendum potius vſque mane: Acquieuit Malachias, & data benedictione ſuper ægram exiuit cum his qui ſecum erant. Poſt modicum mortua eſt mulier, & mortis tumultu audito accurrit ad lectum, & inueniens eam expiraſſe, ſibi imputãs quòd fraudata gratia ſacramenti obierat, eleuatis in cælum manibus, Obſecro Domine, inquit, inſipienter egi, Ego, ego peccaui, qui diſtuli: Non iſta quæ voluit. Et coram omnibus conteſtatus eſt nullam ſe recepturum conſolationem, niſi quam tulerat gratiam, ei reſtitueret: Et tota nocte cũ lachrymis orans ex-

Cap. 9.

Cap. 4.

auditus eſt, & reuixit mulier. Malachias verò gratias Deo agens, vnxit eam. Sciens, inquit, in hoc ſacramento remitti peccata, & quod oratio fidei ſaluat infirmum. Idem hic ſanctus epiſcopus moriturus, iubet ſe ſacro oleo vngi, vngitur, & ſumpto viatico mortuus eſt. Superuacaneũ eſt prolixius hæc proſequi, quando per eccleſiam catholicã aperta huius veritatis facta eſt definitio. Dicitur enim in epiſtola Synodotica Concilij Florentini. Quintum ſacramentum eſt extrema vnctio, quod niſi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet: cuius effectus eſt mentis ſanatio, & quantum expedit, etiam corporis. De hoc ſacramento inquit B. Iacobus, Infirmatur quis in vobis. Vbi etiam explicatur materia, forma, & miniſter eiuſdẽ ſacramenti, & quibus in membris vnctio fieri debeat. Nec intelligi poteſt hæc vnctio de qua B. Iacobus, eſſe candem cũ ea cuius meminit Marcus in ſuo euangelio, dum ait, Et vngebant oleo multos infirmos & ſanabantur. Hæc enim vnctio pertinet ad gratiam curationum quæ ſine miraculo non fiebant: Iacobus autem vult aduocari presbyteros Eccleſiæ, quales eſſent, etiã ſi hanc curandi gratiam non haberẽt. Erant enim plurimi preſbyteri, & epiſcopi eccleſiæ, qui eam curandi gratiam non habebant. Ait enim Apoſtolus. Nunquid omnes habent gratiã curationum? Non propterea deſtituendi erant fideles hac alleuiatione, ſalute & peccatorum remiſsione: Item nec beneficijs & auxilijs neceſſarijs ad tollendam moram & impedimẽta ingreſſus regni cælorum, quòd defineret in eccleſia miraculorum & curationum gratia. Apud Marcum nulla fit mentio effectus ſpiritualis, nec remiſsionis peccatorum, ſed ſanitatis corporalis tantum. Dęmonia, inquit, multa eijciebant, & vngebant oleo infirmos & ſanabantur. Idem namq; hic dicit, ꝙ Matthæus, Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, &c. Quæ omnia pertinebant ad miraculorũ operationem, vt per eam doctrina eorũ confirmaretũr. Nec propriè promiſsionem habebant Apoſtoli quòd ſanarẽtur quoſcunq; vngerent, ſed ipſo temporis momento impellente & ſuggerente ſpiritu, vngebant oleo, & ſemper ſanabãtur. beatus Iacobus autem quaſi ſecurus de ſpeciali Chriſti promiſſione, dicit, Oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, &c. Ex quibus etiam manifeſtũ fit, quòd Marcus non loquitur de vnctione hac ſacramentali, cùm nullius effectus ſpiritualis, vt diximus, ſed tantum corporalis meminerit. Vngebant etiam Apoſtoli nõ baptizatos, qui huius noſtri ſacramenti non ſunt capaces. (Iacobum enim elegit dominus, per quem ſolùm fidelibus hoc ſacramentum promulgaret) Et curando aliquando vſi ſunt oleo, ſicut Chriſtus luto vſus eſt illuminãdo cœcum à natiuitate, aliquàdo manuum impoſitione, nõ ſemper ſolo iuſſu & imperio. Huic tamẽ vnctioni olei tanquam figurę & aſsimilationi huius ſacramenti, veteres quidam in ſuis commentarijs ſententiam B. Iacobi Apoſt. accommodant, non quòd ſentiãt eſſe eandem, ſed quòd magis ſpectent ipſum figuratum in illa vnctione, quàm id quod fiebat. Et ſic interpretãdo, teſtes ſunt vſus eccleſiæ ſui temporis. Nam quòd ſacramẽtum hoc Apoſtoli miniſtrauerint, nondũ ſacerdotes, & his qui fortè nondum acceperant doctrinã euangelicam, aut baptiſmum qui ſacramenti & effectus eius capaces non ſunt, non eſt veriſimile, Oportuiſſet enim Chriſtum diſpẽſaſſe, quod diſpenſabile non eſt, vt videlicet ſacramentum miniſtrarcetur ei qui fructus eius capax non eſt. Propter quod in Concilio Tridẽtino dicitur apud Marcum hoc ſacramentũ inſinuatum, & per Iacobum Apoſtolum fidelibus commendatum ac promulgatum. Et Iacob. plures presbyteros aduocari volebat, quòd quiſque infirmus ſuum proprium presbyterum aduocaret. Vel ſpectabat morem eccleſiæ, qui hoc habebat, & iuſta ratione. Nam cum hoc ſacramentum perfectæ curationis animæ effectum habeat, copia & abundantia gratiæ requiritur, ad quã facilius impetrandam plures conuenit eſſe peccatores presbyteros, imò in eis totius Eccleſiæ orationem, non quidem ob effectum ſacramenti, qui ex opere operato ſequitur, ſed vt pręparatus ſit & diſpoſitus infirmus ad ſuſcipiendũ totum ſacramenti effectum, hoc eſt, plenã curationem & oblationem omnium, quæ remorari ſpiritũ poſsint ab ingreſſu gloriæ & beatitudinis æternæ. Nam definitum eſt à ſede Apoſtolica vnicũ presbyterum ſufficere in cap. Quæſiuit de verborũ ſignificatione, præſente vno clerico. Quòd igitur adſint plures, eſt pro ſolẽnitate ſacramẽti, & vberiore fructu conſequendo, nõ pro ſacramenti neceſsitate. Quando autem plures aderant, tunc vnus vngebat miniſterio, alij affectu, fauore, & approbatione: poſſunt tamen & ſimul vngere, vnus partem vnam, alius aliã. Et eadem ratione dicitur, Et oratio fidei ſaluabit infirmũ, hoc eſt, oratio ex certa expectatione & fiducia rei deſideratæ procedens: Non quòd ex ea (niſi tamen intelligatur forma) ſit ſacramenti efficacia: Hãc enim ex ſola Chriſti habet ꝓmiſsione, ſed quod impetret ex deuotione vngentiũ præparationem, vt infirmus plenè effectum cõſequatur, & ſtatim ac ſine mora hinc migret ad gloriam æternam. Eadem ex cauſa dicitur, Oratio fidei, quæ fidẽ requirit, pro vberiore fructu: ſed non, vt neceſſariam pro fructu ſacramenti. Nam vt non pendet efficacia ſacramentorum à ſanctimonia miniſtri, adeo vt tam à malis quàm à bonis eodem fructu conferatur: Ita nec à fide miniſtri & eius gratia pendet fructus huius ſacramenti. In infirmo tamen requiritur fiducia ſuſcipiendi fructus, vt hæc ſancta vnctio ſit ei ſalutaris. Rectè autem dicitur ſub conditione, Si in peccatis eſt, remittentur ei. Nam & ſi in multis offendimus omnes, de hoc tamen infirmo ad mortem ſe præparante, & ſacramento pœnitentiæ, & ſacra Euchariſtia munito (Hæc enim præcedunt

Cap. 6.

1. Cor. 12.

Oecumenius & Beda.

dūt ſacram infirmorum vnctionem) meritò dicitur ſub cōditione, Si in peccatis eſt: quæ iam præcedentia remedia, & animi dolorem credi poſſunt omnia eſſe remiſſa. Nec tamen propriè ad peccatorum remiſsionem inſtitutum eſt hoc ſacramentum, ſed ad plenam ſanitatem animæ & corporis, ſi quidem huius ſanitas animæ expediat. Et ideo fortaſſis forma extremæ vnctionis vtitur verbo, Ignoſcat, & ſic remittat quaſi factum non eſſet, quicquid fortaſsis deliquiſti per viſum, &c. Quia igitur miniſtratur hæc vnctio poſt cordis contritionem, confeſsionem, & ſumptum viaticum, per quæ peccata tolluntur, ſub conditione dicitur, Si in peccatis ſit, &c. qualiacunq; fuerint etiam mortalia, modò non ſit obex remiſsionis: quanquam non remittantur mortalia peccata, niſi ſecundariò & per conſequētiam, ſicut per Euchariſtiam & Confirmationem.

Ex hoc enim quòd adhibetur per modum medicationis, ſignificatur ſpiritualiter viuere qui iungitur, cui propterea nō remittuntur niſi venialia regulariter: vt per materiam intelligatur fieri generalis ſignificationis formę reſtrictio. Illa enim indiſtinctè habet, Quicquid deliquiſti per viſum, &c. Eſt enim huius ſacramēti ex Chriſti promiſsione primarius effectus, mentis ſanatio, non à peccatis mortalibus, aut à morte reſuſcitatio. Nam per Chriſti gratiam & pœnitentiā ab his liberatum eſſe oportet cum qui inungitur. Dictum eſt enim ei poſt baptiſmum in pœnitentia. Ecce ſanus factus es, vt dicit B. Auguſt. de fide & operibus: & alijs in locis. *Lib. 6. c. 26.* Sed à venialibus ſi quæ adhuc inſunt, & omnium peccatorū etiam mortalium reliquijs, per iſtud ſacramentum liberatur. Eſt enim ſacramentum vltimum & conſummatiuum totius curationis ſpiritualis, quo ad participandam gloriam ſine aliqua mora præparamur, quia autem inter reliquias peccati ſunt pronitas ad malum, ad bonum difficultas, reatus pœnæ ferendæ in altero ſeculo, corporis infirmitas & morbi ipſi, contra hæc vniuerſa ordinatur hæc ſacra vnctio, ne ſalutem remorentur. Quare noſtræ infirmitati plurimum conueniebat inſtitui ſacramentum aliquod exeuntiū & hinc migrantium. Nam cùm per negligentiam, occupationes, aut temporis breuitatem hæc nō ſatis emendemus, nec perfectè curemus, ſaluberrimè promiſſum eſt per patrē miſericordiarum, qui in filiorum flagellis non delectatur, vt per hoc ſacramētum prædicta curatio compleatur, & à temporalis pœnę reatu penitus liberemur, ita denique purgemur, vt nihil in anima remaneat quod in exitu ſuo eam ab ingreſſu glorię remoretur. Et quia ſecundarius huius ſacramenti effectus eſt ſanitas corporis, hæc non obtinetur, niſi ſecundum quod expedit effectui primario, quę eſt ſalus animæ, vt docet B. Thomas.

Ex B. Tho. lib. contra gētiles c. 37.

Lib. 4. contra gentiles cap. 73.

Quia autem extremæ vnctionis ſacramentum ordinatur contra infirmitatem corporis in quantum conſequitur ex peccato, manifeſtum eſt quod contra omnes alias peccati ſequelas ordinetur. Hæc inſinuat beatus Iacobus quando dicit, Oratio fidei ſaluabit infirmū: perfectè ſcilicet, cum antea ſaluus fuerit à peccatis: & alleuiabit eū Dominus, vt mens ſurſum feratur, & ſe erigat (morbo etiam quantumcunq; grauante & opprimēte) contra aggrauans pondus peccati. Magnū reuera beneficium Dei eſt, quod nobis in alterum ſeculum migraturis prouidit de ſacramēto & adiutorio, quo purgari poſsimus ab omni macula & reatu, qui ab ingreſſu regni cæleſtis & patris cōſpectu remorari poſſit, & iam confeſsis, abſolutis, & viatico Euchariſtiæ munitis, adhuc de extrema prouidit vnctione, vt ablatis omnibus impedimētis hilariter hinc ad patrē accedamus. Quando igitur claram hic habemus ſcripturā veterum patrum & doctorum conſenſum, inſuper apertam generalis Concilij definitionem, certa fide ſuſcipiendum & tenendum eſt, extremam vnctionem infirmorum eſſe ſacramētum nouæ legis gratiam conferens, ſi nullum inueniat obicem: hæreticos autem eſſe, qui eam pro ſacramento recipere nolunt.

ISTA autem ſacramenta Confirmationis ſcilicet & Extremæ vnctionis non ſunt (vt habet articulus) ad ſalutē neceſſaria, vt duo præcedentia. Hæc enim ordinantur ad effectus, ſine quibus omninò non poteſt ſalus contingere. Ait enim Dominus Saluator, niſi quis renatus fuerit ex aqua ex ſpiritu ſancto, nō poteſt introire in regnum Dei. *Ioan 3.* &: Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis. *Lucæ 13.* Illorum autem effectus non ſunt ſimpliciter ad ſalutē neceſſarij. Nam de Confirmatione dicit Melciades papa quod regeneratio per ſe ſaluat, & continuò tranſituris ſufficiunt regenerationis beneficia: victuris autem ad pugnandum neceſſaria fortè eſt Confirmatio: Vnctio autem infirmorum ad celerem paradiſi ingreſſum. Non ſunt igitur vt duo præcedentia ad ſalutem neceſſaria. Sed an Chriſtiano homini ſit abſolutè neceſſaria Cōfirmatio ad pugnandum, & ex conſequenti ad regnum cælorum aſſequēdum, non ſatis eſt manifeſtum. Nam patrum ſententiæ, quas ex Clemente, Melciade, Vrbano pontificibus ſuperius citauimus, Item Concilium Aurelianenſe, inſinuant eſſe neceſſariam, ſicut militi ad præliū progreſſuro neceſſaria ſunt arma. Melciades enim ait, quòd poſt baptiſmum confirmamur ad pugnam, quia tota ętate inter inuiſibiles hoſtes & pericula eſt gradiendum: & ideo quāuis continuò tranſituris ſufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen neceſſaria ſunt Confirmationis auxilia. Item Concilium Aurelianenſe. Nūquam, inquit, erit Chriſtianus, niſi Confirmatione epiſcopali fuerit confirmatus. Hanc autem ſententiam ſequi videtur Venerabilis Hugo de S. Victore, Quid prodeſt, inquit, ſi à lapſu erigeris, niſi ad ſtandum confirmeris? Propterea, ait, timendum eſt his, qui per negligentiam amittunt Epi- *Lib. 2. de ſacrament. part. 7.*

 ſcopi

ſcopi præſentiam, non ſuſcipientes manus impoſitionẽ ne fortè propterea damnentur, quia feſtinare debuerãt, dum poterant. Eandem etiam ob patrum dictorũ authoritates, ſequitur vener. pater Thom. VValden. Contraria tamen eſſe videtur ſententia B. Hiero. aduerſus Luciferianos, quod ſcilicet valde vtilis eſt, multumq́; fructum adferat baptizato, ſed nõ eſt neceſſaria. Nõ enim, vt diximus, neceſsitas hic eſt ex parte effectus, quũ in baptiſmo omnes virtutes cum gratia infundantur, ſecundum definitionem Concilij Viennenſis in Clem. 1. §. Ad hoc. De ſumma Trin. & fid. cath. atq; ita in baptiſmo ſufficienter armamur contra hoſtes vniuerſos, Nam charitas patiens eſt, benigna eſt, omnia ſuſtinet, omnia tolerat, & fortis vt mors eſt dilectio, omnesq́; virtutes & dona ſpiritus ſancti adducit. Nec eſt præceptum diuinũ de ſuſcipienda Cõfirmatione, quia mox tranſituris ſufficiũt regenerationis myſteria. Nec vſquam Eccleſia fidelibus iniungit vt confirmentur. Nam cap. Vt ieiuni: ex concilio Aurelianẽſ. de conſec. in quo Petrus Paludanus arbitratur præceptam eſſe Cõfirmationem, nullum ius nouum nec præceptum inducit. An autem conſuetudine alicubi inducta ſit obligatio hoc ſacramentum ſuſcipiendi, ad articulum noſtrum non pertinet, qui intelligitur de neceſsitate quam imponat præceptum diuinum. Sed patres fere intelligunt Confirmationẽ eſſe neceſſariã ad vitæ Chriſtianæ perfectionem, & peculiarẽ virtutem liberè & audacter fidem confitendi in perſecutione: non autem ad ſalutem: ſed ſicut neceſſarium eſt quod homo quantitate & virtute corporis creſcat & augeatur, vt tandem ſit perfectus: ita neceſſarium eſt mentis robur, vt intrepidè & liberè cum noſtræ religionis & fidei aduerſarijs congrediatur.

Lib. de ſacrament.

Hanc difficultatem diligenter tractat ſanctiſsimus dominus Adrianus 6. poſt B. Thomam & ſanctũ Bonauenturam, docens, quod Confirmatio nulla ratione eſt neceſsitatis ſacramentum, ſed conſilij tantùm. Et reſpondet primum ſententijs, quæ contrarium indicare videntur: imò & docet non eſſe præceptam confirmationẽ etiam imminente articulo perſecutionis tyrannorum, qui cogẽt fidem abiurare, tametſi adſit oportunitas eã ſuſcipiendi: cõtra Petrum de Palude & Durandum, qui docent eam illo caſu eſſe præceptam, nec negligi poſſe ſine ſacramenti cõtemptu vel præſumptione. Nam, vt aiunt, quæ ſecundum ſe præcepta nõ ſunt, ſed conſulta, ex hominis diſpoſitione vel infirmitate, aut occaſione alia, poſſunt pro certo tempore & circumſtantijs ei fieri præcepta. Et contingere poteſt, quòd ex gratia confirmationis roboratus perſecutioni reſiſtet, ſine qua alioqui Chriſtum negaret. Fieri etiam poteſt, quòd prima gratia detur per hæc ſacramenta, & ita remiſsio peccatorum, ſicut per ſacram Euchariſtiam. Quibus reſpõderi poteſt nõ propterea hęc duo ad ſalutem ſimpliciter eſſe neceſſaria, nec in illo quidem caſu, quia per ſpiritum Chriſti inhabitãtem perſiſtere poſſet, ſi ad hoc conſtantiore animo conaretur. Sacramenta hæc contemnere, æſtimando quaſi ſacramenta non eſſent, nec ad ſalutẽ vtilia, aut nihili pẽdere, vt faciunt nunc hæretici, mortale peccatum eſt, pertinens ad irreligioſitatem, ſicut contemnere conſilia euangelica, æſtimando ea eſſe inutilia. De ſpeciebus contemptus ex Reth. Ariſt. tractat idem ſanctiſs. Adrianus in Quotlib. de legibus ex Gerſone & VVillelmo Altiſſedorenſ. Ex prędicto igitur contemptu hæc ſacramenta omittere, eſt mortale peccatum, in quantum à contemptu imperatur. Eſt autem contemptus ſacramentorum, nolle eis ſubijci tanquam remedijs à Chriſto relictis: quod ſi ex infidelitate contingit (aliud tamen peccatũ eſt ab infidelitate ſpecie diſtinctum, & ſine infidelitate à plenè credente contingere poteſt) eſt tamen quidam contẽptus rei ſacræ, ſecundum quem non pro dignitate æſtimatur, quam nõ continuò oportet eſſe mortale peccatum: & proinde nec omittere hæc ſacramenta ex huiuſmodi contemptu. Nam vt beatus Thomas dicit. Non eſt contemptus ſacramenti ex hoc quod aliquis non curat ipſum ſacramentũ ſuſcipere, quod nõ eſt de ſalutis neceſsitate. Alioquin, inquit, qui non accipiunt ordines, qui non contrahunt matrimonium, contemnerent huiuſmodi ſacramenta. Idem eodem hoc articulo docet, quod tria ſunt ſacramenta ad ſalutem neceſſaria, Baptiſmus, Pœnitentia, ſuppoſito lapſu in mortale peccatum, & ſacramentum Ordinis eſt neceſſariũ Eccleſiæ: reliqua dicit non eſſe neceſſaria, niſi vt conueniẽtius ſalutem aſſequamur. Quia autem verba beati Iacobi inuitantis ſunt & conſulentis, Inducat, inquit, presbyteros Eccleſiæ, non eſt diuinum præceptum de ſuſcipienda extrema vnctione: nec etiam Eccleſia legitur hoc ſtatuiſſe. Quæ per hoc confirmatur, quòd tempore interdicti vtrumq; prohibetur miniſtrari. vt patet ex cap. Quod in te. De pœnitent. & re. Et cap. Permittimus. De ſententia excom. Item cap. Non eſt. De ſponſalib. & matrimonijs. Rurſus cap. Alma mater. De ſentent. excommunic. lib. 6. quod fieri non poſſet, ſi eſſent ſacramenta neceſsitatis. Quãtum autem obligationis obtinuit apud Chriſtianos conſuetudo, incertum eſt, videtur tamen apud nos obligare, cùm reprehenſibilis paſsim iudicetur & malè facere, qui habita oportunitate, non cupit à ſacerdote tempore periculoſæ infirmitatis inungi. Sed hæc ad articulũ non pertinent, qui loquitur de neceſsitate quam inducit effectus vel præceptum diuinum. Hic in primis aduertendũ eſt, quòd beatus Iacobus intelligit presbyteros vt nomen ſit ordinis ſiue officij, non ætatis. Hanc enim regulam ſcripturarum ſtudioſi obſeruauerũt, quòd presbyter ſit nomen ordinis ſiue muneris, quando ponitur ſine comparatione ad aliam ætatem. Et ideo B. Chryſoſtom' pertinere dicit ad ſacerdotũ dignitatem, quod hic presby-

Quæſt. 6.

In 3. part. q. 6. artic. 4. ad 5.

teris

teris tribuit B. Iacob. Id quod etiam definitum eſt in Concilijs Florentino & Tridentino. Illud enim dicit, quòd huius ſacraméti miniſter eſt ſacerdos. Huius autem Canon. 3. Si quis dixerit presbyteros eccleſiæ, quos beatus Iacobus adducendos eſſe ad vngendum infirmum hortatur, nō eſſe ſacerdotes ab epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores in quauis communitate, ob idq; proprium extremæ vnctionis miniſtrum, non eſſe ſolum ſacerdotem, Anathema ſit. Et quamuis in ſcripturis aliquando ſit nomen functionis epiſcopalis: ſicut apud B. Petrum, dum ait, Seniores qui in vobis ſunt, obſecro conſenior. *1. Pet. vlt.* hic tamen nomen generis eſt, complectens etiam ſimplices ſacerdotes: quemadmodum docet ſuper eodem interrogatus Innocentius primus. Cæterùm, inquit, illud ſuperfluum videmus adiectum, vt de epiſcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium eſt. *Epiſt. ad Decentiū epiſco Egubinum* Nam idcirco de presbyteris dictum eſt, quia epiſcopi occupationibus alijs impediti, ad omnes languidos ire non poſſunt. Nec docet hoc loco Innocentius, quod laicis liceat hoc ipſum ſacramentum miniſtrare, quando ait, quòd non ſolum ſacerdotibus, ſed omnibus Chriſtianis, hoc ſacramento videlicet in ſua & ſuorū neceſsitate inūgendo. Nā paſsiuā habet ſignificationē, non actiuā vox inungendo: Quod manifeſtum fit ex particula præcedēte, quæ habet, quod non ſit dubiū ſententiam hanc Iacobi de fidelibus ægrotantibus intelligi debere.

Ex quibus patet magna aduerſariorū noſtrorum erga Deum ingratitudo, qui non ſolum de tanto hoc beneficio gratias non agunt, ſed nec agnoſcere volūt, imo & ipſum perſequūtur, & perſuadere ſtudent hanc gratiam non eſſe datam fidelibus, ſed eſſe maleficium & inuentum papiſticum. Quod enim beneficium gratius & noſtræ infirmitati deſiderabilius præſtari poſſet, quàm hinc ad alterum ſeculum migrantes contra pondus morbi & corpus, & animam mortis metu aggrauans, alleuiari & hilares reddi tanquam nulla tenerentur afflictione, & remitti peccata omnia quoad culpam & pœnam, vt parati ſint omni impedimento iam ablatio, ſtatim poſt deceſſum ex hoc mundo, ſponſi ſui thalamum ingredi, & gloriæ coronam ſuſcipere. Immediatè namq; ad gloriam diſponit, & ad eam deducit iſtud ſacramentum, ſi nullum inueniat in ſuſcipiente obicem. Sicut enim aliorum ſacramentorū, ita & huius effectus per fictionem impeditur, qui adeo rationem & deuotionem requirit, vt ſecundum b. Tho. cum merito perſonali conferentis, & totius Eccleſiæ plurimum ad ſacramenti huius effectum valeant, propterea quod forma eius in oratione conſiſtat. *In 4. ſenten. diſt. 23. q. 2.* Maximo igitur beneficio ſe priuant, qui ob errorē vel negligentiam iſtud ſacramentum non ſuſcipiunt. Et mirandum eſt quod Eccleſia innocentes tempore interdicti tam ſalutari priuat remedio, ob aliorum duntaxat peccata. Sed ceſſabit admiratio, ſi attendatur quòd commoda & incommoda ob ſocietatem communem tam bonis quàm malis debeant eſſe communia.

Reliquum eſt vt videamus quàm parum momenti & ponderis habeant quæ ſcholæ nouæ aduerſus hæc duo ſacramenta adducunt. *Auguſt. de ciui. Dei lib. 1. cap 9.* Docent autem cōcorditer ꝙ vnctio infirmorum vtiliter exercebatur quamdiu miniſtri eccleſię ornati erāt dono corporaliter & admirabiliter ægrotos ſanādi, & impoſitio manꝰ, quādo miraculis autohritas euāgelij erat cōfirmāda: ſed quādo deſijt in eccleſia donum linguarum & gratia ſanitatum, hæ cæremonię vnctionis & impoſitionis manuum ocioſè & inutiliter exhibentur. Nouam hanc doctrinam ſimpliciter & ſuccinctè cum ſuis fundamētis proponit Confeſsio Theologorum Ducis Vittenbergen. in generali Concilio Tridentino per eius oratores exhibita quam hic ſubijciemus cum noſtra reſpōſione æquè breui & ſuccincta. De confirmatione autem ſic ait.

Confeſsio. *Non eſt nobis dubium, quin Apoſtoli initio reuelati & confirmati in die Pentecoſtes Euangelij, contulerint impoſitione manuum admirandū donum ſpiritus ſancti credentibus in Chriſtum, vt varijs linguis loquerentur.*

Reſponſio. Baptizatis in nomine Ieſu Chriſti, impoſitione manuum Apoſtoli non ſolum contulerunt quòd varijs linguis loquerentur, verū etiam quòd audacter & liberè varijs linguis Chriſti crucem & mortem confiterentur. *Luca 24.* Virtus igitur & robur ſpiritus, quo in fide fortes erant, principalior erat effectus ſpiritus ſancti, in linguis igneis per manus impoſitionem ſuper credentes deſcendentis. Ego, inquit Dominus, mittā promiſſum patris in vos, vos autem ſedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. *Cap. 2.* Vbi Euthimius patris promiſſū vocat de quo apud Iohelem, Et erit in diebus illis nouiſsimis, ait dominus, omnipotens, Effundam de ſpiritu meo ſuper omnē carnem, *Act. 2.* præcipuè videlicet Apoſtolicam: vos autem ſedete in ciuitate Hieruſalem, hoc eſt, conuerſemini ſimul Hieroſolymis nō ſeparati propter imbecillitatem qua adhuc tenemini & timorem veſtrum quoaduſq; induamini in modum armaturæ, virtute ex alto cœlo, vel à diuinitate alta per prædictā ſpiritus ſancti deſcenſionem. Idem ferè habet Theophylactus. Nam quod non linguarum donum duntaxat ſpiritus deſcendens contulerit Apoſtolis & alijs baptizatis, manifeſtè docet vaticinium Ioelis prophetæ ſupra citatum. Et ſuppreſsis linguis igneis, & linguarum dono, ait Saluator, accipietis virtutem ſuperuenientis ſpiritus ſancti. Hinc Beatus Auguſtinus. Neque enim ſic temporalibus, inquit, & ſenſibilibus miraculis atteſtantibus, per manus impoſitionem modo datur ſpiritus ſanctus, ſicut ante dabatur ad commēdationem rudis fidei, ſed inuiſibiliter & latenter.

Confeſſio. *Sed ex perſonali & temporali facto Apoſtolorum, non eſt abſque certo mandato Dei generale & perpetuum ſacramentum in Eccleſia ſtatuendum. Et horribile auditu eſt quòd ſacramētū Confirmationis, quale Epiſcopi ſuffraganei ſolent pueris impartiri, excellat dignitate ſua Sacramētum baptiſmi. Sic enim nonnulli de ſacramento Confirmationis ſcribere non verentur: Sicut vnū, inquiunt, à maioribus ſit, id eſt, à ſummis Pontificibus, quòd à minoribus perfici non poteſt, ita & maiori veneratione venerandum & tenendum eſt.*

Reſponſio. Impoſitio manuum ad roborandum credentes, ſicuti ad ordinandos præsbyteros & diaconos non erat factum perſonale Apoſtolorum, ſed authoritatis Apoſtolicæ & epiſcopalis, vſq; ad ſeculi conſummationem daraturum. Vtriuſque enim impoſitionis manuum effectus in eccleſia ſemper neceſſarius eſt. Et ideo eo nunquam eſt à Chriſto domino deſtituenda. Eſt enim robur iſtud donum ſpiritus internum, ſanctificans & confortans eos quibus donatur. Fatemur tamen donum linguarum & linguas igneas q̃ apparebant, ad operationes virtutū ſpectaſſe, & ita hæc fuiſſe temporalia & deſitura aceſſantibus alijs miraculis. Ideoq; ſicut Timotheus & Titus, poſt B. Apoſtolos Paulum & Barnabam, manus impoſuerunt his quos per ciuitates conſtituebant præsbyteros, Ita poſt Beatum Petrum & Ioannem, & poſt ipſumetiam Paulum, ad confirmandum fideles, manus imponebant, vel alio vtebātur ſigno ſenſibili idipſum ſignificante. Nec ſine certo mandato Dei generale & perpetuum ſtatuimus iſtud ſacramentum: Sed eodem mandato quo olim beati Apoſtoli manus imponebant, & poſt eos nunc noſtri epiſcopi ad ſeculi vſque conſummationem, idem ſacramentum à Chriſto inſtitutum miniſtrant, qui etiam eodem mandato poſt Timotheum & Titum manus imponunt ſacerdotibus & diaconis ordinandis. Et confitemur eſſe verum ſacramentum, quando nihil deeſt quod ratio ſacramenti requirit. Nec tamen in his ſacramentis, vt diximus, etiam eiſdē ſignis externis vti oportet, quibus Apoſtoli vti ſolent, eò quòd Chriſtus hic nullum certum determinauerit ſignum. Nec auditu eſt horribile, quòd Confirmationis ſacramentum dignitate ſua excellat ſacramentum Baptiſmi, ſed plauſibile & auditu ſuaue, ſi ſermo hic rectè intelligatur. Eſt enim Melciadis papæ & martyris in epiſtola ad Hiſpaniarum epiſcopos, qui in eadē ſenſum eius rei catholicū explicat. De his inquit, ſuper quibus rogaſtis vos informari, id eſt vtrum aliud ſit ſacramentum manus impoſitionis epiſcoporum, aliud baptiſmi, ſcitote vtrumque magnum eſſe ſacramētū, & ſicut vnum maioribus, id eſt ſummis pontificibus accommodatum, quod niſi à maioribus perfici nō poteſt, ita & maiori veneratione venerandum eſt & tenendum. Quid hic horribile eſt ſi conſideretur quòd Confirmatio perficit Baptiſmum & effectum eius quodque addit beneficium nouum ſpirituale augmentum ſcilicet & conſummationem gratiæ in baptiſmo acceptæ: & ſic maius eſt quātitate & dignitate effectus, eiuſq; ſignificatione, ſicut homo perfectior eſt & conſummatior poſtquam adoleuerit, quàm adhuc puer exiſtens. Si verò conſiderentur effectus horum ſacramentorum, Baptiſmi & Confirmationis, in ratione beneficij, maius eſt beneficium ex impio filium naſci, & hæredem regni cœleſtis fieri, quàm filium roborari, & in virtute creſcere. Diuerſa nāque conſideratione diuerſus eſt & ordo in ſacramentorum dignitate, de quo ſolent hi verſus poni, quos citat Petrus de Palude,

Maior in effectu Baptiſmus, corpus in eſſe,
Coniungium in ſigno. Sed & ordo chriſma miniſtro.

Et hac conſideratione miniſtri maiori veneratione eſt ſuſcipiendum ſacramentum Confirmationis. Atque hunc intellectum explicant verba Melciadis papæ, quæ nihil habēt ſcrupuli. Nā quando cū maioribus nobis eſt negotium, alia quidem maior requiritur veneratio. Hic autem & effectus eſt, vt diximus conſummatior, & quantitate & dignitate. Nam & in gradu conſtituitur excellentiore, ordine videlicet militum Chriſti: ſicut per ſacerdotium in gradu eccleſiæ digniore regentium ſcilicet & publici magiſtratus. Quòd autem Confirmatio dignitate ſua Baptiſmum excellat, Melciades non dicit, quamuis cōſideratione quadam verum ſit. Fatemur itaque ſic ſcripſiſſe de ſacramento Cōfirmationis ſanctū martyrem Melciadē papā, & eam ſentētiam patres eſſe ſequutos, quā & ſequentur ſemper, quia reuera eſt catholica & pia. De ordine ſacramentorum & dignitate, vide Petrum de Palude, qui dicit ſimpliciter loquendo de dignitate, Euchariſtiam tenere primum gradū dignitatis, quia intrinſecè Chriſtum continet: Ordinem ſecundum, Confirmationem tertium, Baptiſmum, quartum, in dignitate Pœnitentiam quintum: Extremam vnctionem ſextum, ſeptimum Matrimonium. Tamen Melciades videtur ſolum attendiſſe cōſiderationem dignitatis, quæ ſequitur à miniſtro digniore. Ideo, inquit, maiori veneratione venerandum eſt, quia à maioribus perficitur: cui impertinens eſt quam dignitatem ſecundum ſe ad inuicem habent ſacramenta. Addit præterea Petrus de Palude huius ordinis ſacramentorum rationem, Ordo obtinet ſecundum gradum, non ſolum ratione miniſtri, ſed propter maioris boni collationem, quia immediatius ordinat ad corpus Chriſti verum: Confirmatio plenitudinem ſpiritus ſancti continet: Baptiſmus amouet omne malum culpæ & pœnæ Pœnitentia omnem culpam actualem. Extrema vnctio, venialia & peccatorum reliquias. Vltimum matrimonium eſt omnibus ſimpliciter indignius & infirmius & in collatione boni & amotione mali. *Diſt. 7. quæ. 1. et 3. art. 3. concluſ. 3.*

Confeſſio. *Apoſtolis enim diuinitus conceſſum fuit, vt impoſitione*

impoſitione manuum conferrent credentibus in Chriſtum dona ſpiritus ſancti. Hoc autem non eſt ppriè intelligendum de priuatis illis ſpiritus ſancti donis, quæ vnicuiuis ad ſalutē neceſſaria ſunt. Hac enim accipiunt credentes per prædicationem euangelij, & per Baptiſmum: ſed intelligendum eſt de publicis donis ſpiritus ſancti, videlicet loqui varijs linguis, & alia quæ tum ad publicam confirmationem euangelij de Chriſto neceſſaria erant.

Reſponſio. Quòd dona ſpiritus ſancti quæ manuum impoſitione ab Apoſtolis conferebantur, non ſint priuata illa dona ſpiritus ſancti, quæ vnicuiq; ad ſalutem ex ſuo genere ſunt neceſſaria, hoc eſt, quę priuatam vniuſcuiuſque ſalutem promouent & Deo faciunt gratiorem, ſine ſcripturis, imò contra ſcripturas docet hæc Confeſsio. Nec propter ſolas linguas igneas, & linguarū dona veniſsēt Samariam Petrus & Ioannes. Loquitur autem apertè ſcriptura eos veniſſe, vt manus imponerent, & acciperent ſpiritū ſanctum, in ſuorum ſcilicet donorum conſummationem, in qua verius & plenius accipitur, quā dū incipit primò inhabitare. Hęc igitur dona quę ſpiritum hominis perficiunt, & gratiorem Deo faciūt, conferebat manuum impoſitio, & ad tempus donum linguarum, ſub apparentia linguarum ignearum: quàm diu ſcilicet euangelium virtutum operatione erat confirmandum, quibus licet pro ratione tēporis iam ceſſantibus, manere tamen debeat primarius effectus, ſcilicet robur & virtus, quo fierent robuſti milites Chriſti. Hic autem effectus & audacia Euangelium Chriſti confitendi, Apoſtolis neceſſaria erant. Nā Petrus qui ad vnam mulierculæ vocem negauit Chriſtum, magis ſolidari & confirmari debebat, vt iam nec ferro, nec igne à Chriſti confeſsione auelli poſsit. Non igitur ſolum dona quæ ad publicam euangelij confirmationem erant neceſſaria, ſed & quę ad perfectionem hominis Chriſtiani internam pertinent, intelligi debent nomine ſpiritus ſancti, quando Lucas dicit ad manuum impoſitionem Apoſtolorum collatum eſſe ſpiritum ſanctum.

Confeſsio. *Poſtquam igitur authoritas euangelij talibus miraculis ſatis confirmata eſt, ſicut deſijt admirādum illud donum linguarum, Ita & ritus imponendæ manus, quo donum illud conferebatur, factus eſt (quod quidem ad hanc rem attinet) otioſus: alioqui faciendum erit generale ſacramētum eccleſiæ ex vmbra, & obumbrandi ſunt ægroti, propterea quod multi conſecuti ſunt ſanitatem per vmbram Petri.*

Reſponſio. Fatemur oportuiſſe ritum hunc imponēdi manus ceſſare & futurum ocioſum, ſi ſolum ad publicam euangelij confirmationē, & dona ad eam conducētia Apoſtoli manus impoſuiſſent. Sed oſtenſum eſt hoc non eſſe ſcripturis cōſentaneum: & ideo nihil ſimilitudinis habet quod addit de vmbra Petri, in qua operabatur ſola gratia curationū quę Petro & Apoſtolis erat peculiaris & perſonalis, in qua non ſuccedit authoritas epiſcoporum. Mirandū eſt ſanè, imò & vehementer dolendum, quod dictis illis theologicis, qui hanc Confeſsionem collegerunt, non occurrerit B. Auguſtinū omnibus his ſuis argumentis luculenter reſpondere, & ſe infirmis ſuis & ſophiſticis perſuaſionibus multùm receſsiſſe à communi doctrina in eccleſia catholica à temporibus Apoſtolorum hactenus ad nos deriuata, & per ſacra Concilia generalia approbata. Oportebat eos conſiderare promiſsiones Chriſti, non de linguis igneis, ſed de virtute diuinitus per ſpiritum ſanctum conferenda & danda. Et cùm falsū ſit fundamentum quo ſolo nititur Confeſſio, & ab Auguſt. Hierony. ac reliquis patribus vniuerſis negatum, non ſatis ei eſſe debuit aſſumere tantum, quòd Apoſtoli duntaxat manus impoſuerint vt credentes varijs linguis loquerentur, ſed hoc ipſum certis ſcripturis confirmare oportebat, maximè quando ſcripturæ teſtentur primarium Cōfirmationis effectum eſſe vt induamur virtute ex alto. Incredibile eſt autem aliquod donum gratiæ ad electorum perfectionem pertinens olim fuiſſe in eccleſia, quod iam deſit. Nā nō patitur Chriſtus nos domeſticos ſuos ſemper manere paruulos & nuq̄ adoleſcere, ſed vult nos perfectos eſſe Chriſtianos. *Lib. 3 contra Donat. c. 19*

Confeſsio. *Similiter faciendum erit generale ſacramentum ex impoſitione ſudariorum, propter quòd aliqui liberati ſunt à morbis ſuis, cum ipſis imponerentur ſudaria Pauli. & incumbendum erit ſuper mortuos quòd Paulus in cubitu ſuſcitauit adoleſcentem à morte.*

Reſponſio. Idem dicendum eſt quòd nullus hic erat effectus ſpiritus interni, ad ſalutem promouens, ſed ſolum virtutum operatio & ſanitatis: Impoſitio autem manus fiebat, vt acciperent ſpiritum ſanctum, qui noſtræ ſaluti eſt neceſſarius, & ſpiritus noſtri virtutem, robur ac perfectionem promouet. His addit

Confeſsio. *Et ſentimus vtiliſsimum eſſe, vt pueri & adoleſcentes à paſtoribus eccleſiæ ſuæ in catechiſmo examinentur: & ſi quidem piè ac rectè fuerint eruditi, approbentur: ſi vero prauè, emendentur.*

Reſponſio. Optimum eſt conſilium, ſed nihil pertinet ad hoc ſacramentum. Et quod Ioannes Caluinus dicit antiquitus hoc obſeruatum, quòd ſicut hi qui ſe ad baptiſmum adulti offerebant, inter catechummenos ſedebāt, donec ritè fidei myſterijs inſtituti, proferant fidei confeſsionem coram epiſcopo ac populo ædere: Ita qui infantes baptiſmo initiati erāt, ſub finem pueritiæ ac ineūte adoleſcentia repręſentabantur iterum à parentib⁹ & ab epiſcopo examinabantur ſecundū formulam catechiſmi, quam tunc communem habebant. Et quo plus reuerentiæ hæc actio haberet & dignitatis, ab epiſcopo adhibebatur cæremonia impoſitionis manuum, & ita puer ille fide ſua approbata, cum ſolēni benedictione dimittebatur. Huius mentionem dicit ſæpe fieri apud veteres: vnicum tamē Leonem citat in epiſtola ad Rauēnalē epiſco- *Calui. in inſtit. cap 19. parag. 4.* *Epiſt. 5 in fi. concil.*

epiſcopum: nec præter hunc alium inueniet. Et Leo hic nihil agit de infantibus poſtquam adoleuerint: Verùm de his tãtum qui ab hæreticis baptizati iterum ad eccleſiam reuertuntur, quibus ſolent manus imponi. Huiuſmodi mera figmenta & nugas nobis proponũt, quaſi teſtimonia ſcripturarũ, aut patrum obſeruationem, quæ nihil tamen habent ſoliditatis, nec autoritatis.

Confeſſio. *Et tamen non eſt paſtoribus eccleſiarum permittendum, vt nullam habeant rationem erudiẽdæ pueritiæ ac iuuẽtutis in verè pia doctrina. Sed exigendum eſt ab eis, vt catechiſmum diligentiſſimè doceant.*

Reſponſio. Et hæc admonitio ſancta eſt & pia, quam obſeruari omnes deſideramus, quantum per alia negotia in parochia numeroſa paſtoribus vacare poteſt, ob quorum plurimas occupationes alios conueniret inſtitui catechiſtas: ſed & ſuſceptores proliũ è ſacro fonte, qui polliciti ſunt in earum baptiſmo, quòd curam fidei & religionis de eis haberent, nimium hic ſuum officium negligunt. Et generaliter magnus eſt puerorum neglectus, qui propterea adoleſcunt, quaſi à Chriſtiana religione alieniſsimi. Vos, inquit beatus Auguſtinus, omnes tam viros quàm mulieres, qui filios in baptiſmate ſuſcepiſtis, moneo vos, vt vos cognoſcatis fideiuſſores apud Deum extitiſſe pro illis, quos viſi eſtis de ſacro fonte ſuſcipere. *In ſerm. Paſchali qui incipit Hodiernus dies.*

De Extrema vnctione ſic habet.

Brentius. *Fatemur Apoſtolos vnxiſſe ægros oleo, qui & corporalem ſanitatem conſecuti ſunt.*

Reſponſio. Alia eſt vnctio infirmorum, quæ eſt ſacramẽtum, cuius meminit Iacobus, quàm ea cuius Marcus in ſuo Euangelio, vt ſuperius diximus. Nam apud Marcum ſola erat operatio virtutum: nec ibi vlla fit mentio remiſsionis peccatorum, nec ſalutis ſpiritualis, quarum meminit B. Iacobus. De his ſuperius dictum eſt. Ad ſolam enim corporalem ſalutem vngebant Apoſtoli infirmos ad confirmandam ſuam doctrinam, & vt ad credendum inuitarent. Nam patres quidam in AEgypto beatus Martinus, & S. Genoueſa, & alij plures ſancti infirmos curaſſe oleò leguntur, ſed gratia curationum, non ſacramentali, cum nullum ſacramentum adminiſtrarent. *In vita eorũ*

Brentius. *Fatemur etiam epiſtolam quæ inſcribitur Iacobo, iubere presbyteros Eccleſiæ ad ægrotos vocari, vt vngant eos oleo, & orent pro ipſis ad conſequendam ſanitatem.*

Reſponſio. Non ſolum ad conſequendam ſanitatem, ſed principaliter vt ſalui fiant & alleuientur ſpiritu: & ſi in peccatis ſint, remittantur eis, & ſalui fiant corpore & ſpiritu, atque in vtroque alleuientur, ſi tamen ſanitas corporalis ſaluti ſpiritus, ad quam ordinatur, expediat, ſecundum interpretationem Concilij Florent. & Trident. Hi enim non ſunt corporales effectus tantum, ſed & ſpirituales, quales operantur ſacramẽta. Oportet igitur ſi recipiatur epiſtola Iacobi, quod hæc infirmorum vnctio ſit ſacramentum propter expreſſam promiſsionem remiſsionis peccatorum, ſi ea inueniantur.

Brentius. *Sed hæc tum vtiliter exercebantur, cum miniſtri Eccleſiæ adhuc ornati erant dono ægrotos corporaliter & admirabiliter ſanandi. Poſtquàm autem hoc donum, confirmato Euangelio, in Eccleſia deſijt, res ipſa teſtatur, hanc vnctionis cæremoniam otioſe nunc & inutiliter vſurpari. Qui enim nunc vnguntur, non ſolent ex hac vnctione corporalem ſanitatem conſequi: Imò hæc vnctio non adhiberi niſi his, de quorum corporali vita deſperatum eſt. Nec exſtat vllum verbum Dei, quod promittat diuulgato Euangelio Chriſti, extremam vnctionem valere ad delenda peccata, & ad confirmandam ſpiritualem ac cœleſtem ſanitatem.*

Reſponſio. Iam dictum eſt, quòd hæc infirmorum vnctio non eſt ad ſanitatem corporalem principaliter, ſicut erat ea, qua vngebant apud Marcum Apoſtoli. Hęc enim inutiliter & ocioſe agitur ab his qui gratia curationum non ſunt ornati, ſed principaliter eſt vt infirmi ſalui fiant, alleuientur ſpiritu, & remittantur peccata. Et ideo perpetuam eſſe oportet hanc vnctionem, ſicut hęc alleuiatio & peccatorum remiſsio perpetuò in Eccleſia eſt neceſſaria. Ex eodem igitur errore naſcitur hic de extrema vnctione, quæ de Confirmatione doctrina aduerſariorum, eò ſcilicet quòd impoſitio manuum ſolum fiebat ad edendum miraculum pro Euangelij confirmatione, & vnctio infirmorum apud Iacobum ad corporalem ſanitatem, quorũ vtrunque oſtendimus à ſcripturis eſſe alienum. Adhibetur autem hæc vnctio ſolum his de quorum vita temporali, licet nondũ deſperetur, vehementer tamen vel veriſimiliter metuitur, vt ſi eorum ſaluti æternę expediat, manu Domini, cui nullus eſt morbus incurabilis, alleuientur & ſanentur. Si verò non expedire nouerit, præparet ad ingreſſum thalami ſpõſi ſui, ablatis omnibus quæ remorari poſſunt. Effectum enim ſecundarium, & qui ſolum eſt propter alterum, hoc ſacramentum non operatur niſi primario conueniat & ſubſeruiat. Mirum quod dicat Confeſsio, nullũm eſſe verbum Dei, quod promittat extremam vnctionem valere ad delenda peccata. &c. quum expreſſe teſtetur Iacobus, quòd oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eũ Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Quæ certè non ſcripſiſſet, niſi ſciuiſſet certam eſſe Dei promiſſionem, quòd ad vnctionẽ & orationẽ fidei hæc eſſet operaturus: Quod autem ſcribit Iacobus, eſt verbum Dei.

Brentius. *Nihilominus tamen officium exigit, vt miniſtri Eccleſiæ ægrotos viſitent, ac orent vna cum Eccleſia pro ſalute eorum, et conſolentur ipſos tam prædicatione Euangelij, quàm diſpenſatione cœnæ Domini.*

Dominicæ. Hæc eſt verè pia vnctio, qua ſpiritus ſanctus efficax eſt in credentibus.

Reſponſio. Vehementer probamus quòd paſtores viſitent infirmos & orent cum Eccleſia pro eorum ſalute, & conſolentur tam prædicatione Euangelij, quàm diſpenſatione cœnæ dominicæ. Sed magna eſt conſolatio ſacra hæc vnctio, quæ pro iam iam migraturis eſt à Chriſto inſtituta. Per hanc enim tolluntur peccatorum reliquiæ, ne retardēt ab ingreſſu cœleſti. Conſolatio verò quæ fit per verbum Dei, pia quidem eſt vnctio, qua ſpiritus ſanctus efficax eſt in credentibus, ſed nō ea eſt, ad quam hortatur nos Sanctus Iacob⁹ Apoſtolus. Porrò conſolatio cuius hic meminit Confeſsio, variè fit & hæreticè, ac deceptoriè ab his, qui nouam hanc ſequuntur doctrinam, vt videre licet in multis pernicioſis libellis de ea editis, & in Didagmate Martini Buceri. Qualem autem conſolationem intelligat Confeſsio, non explicat: ſed veriſimile eſt ex his quæ de fide & peccatorum remiſsione docet, quod eandem quam habet Bucerus, in hæc verba.

Bucerus in didag. in adhortat. ad ægro. *Mi frater, Ex Euangelio quod ipſe filius Dei annunciauit, & ſua morte confirmauit, certior factus, peccata tua omnia in Chriſtum reiecta, imo ab ipſo Chriſto penitus ſublata & abolita eſſe in æternum, vt nulla iam ſit penes Deum cauſa iræ & condemnationis aduerſum te Chriſto credentem, ſed certo reſtituta tibi ſit per Chriſtum gratia patris, miſericordia, vita & ſalus. Hæc omnia Dei tam immenſa in te beneficia, fide certa & firma tecum repetes, & fiduciam hanc tibi corrobores, Deum patrem te iam non habere qualis ex tuis ipſius peccatis factus es, inuiſum ſibi & perditioni deuotum: ſed propter Chriſtum filium* Ioan. 1. *ſuum, charum & deſtinatum vitæ æternæ, te iuſtitia & vita Chriſti filij Dei in æternum victurum in perfecta felicitate, tam certo, ſi credas tamen, quam eſt certum ipſum non propter peccata propria, ſed tua, tuliſſe iram Dei & mortem ſubijſſe. Quando igitur hæc ita ſe habent, vide vt tantis beneficijs te conſoleris, & certo ſcias peccatū, mortē, & infernum nihil in te habere iuris amplius: ſed Chriſtum agnum Dei illa omnia ſuſtuliſſe. In ſe enim ea tranſtulit, per ſe vicit, ac in perpetuum deleuit. Quare confide, remiſſa ſunt tibi peccata tua, & nihil eſt cauſæ, modo Chriſto domino credas ex corde, quin certo & conſtanter per Chriſtum dominum noſtrum expectes animo certiſſimo à Deo patre gratiam omnem, conſolationem, tempeſtiuum auxilium & ſalutem. Tali itaque fiducia te totum in ipſius clementem & paternam voluntatem concredas & reijcias, dicens cum Dauide, Deus illuminatio mea, à quo timebo? Pater cœleſtis fiat voluntas tua. In manus tuas commendo ſpiritum meum domine.*

Reſponſio. Cap. 5. Hic exclamare poſſumus cum Hieremia propheta, Stupor & mirabilia facta ſunt in terra: Prophetæ prophetabant mendacium, & ſacerdotes applaudebant manibus ſuis, & populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in nouiſsimis eius? Hic rectè conqueri poteſt dominus, ſicut apud Eſaiam, Popule meus qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſsipāt. Stat ad iudicandum dominus, & ſtat ad iudicandos populos. Dominus ad iudicium veniet cū ſenioribus populi ſui & principibus eius. Quæ eſt iſta iuſtitiæ inimica bonitas, palpare criminoſos & vulnera eorum vſque in diē iudicij incurata ſeruare? Verè dico, quia ipſi quibus cum periculoſa & falſa miſericordia indulgere videmur, cum ante tribunal Chriſti pro tantis peccatis damnādi aduenerint, cōtra nos cauſam dicturi ſunt dicentes quòd dum ad duram aſperitatem linguæ eorum expauimus, aut falſa blandimenta & periculoſas adulationes ipſorum libenter accepimus, in ijſdem permanere peccatis eis inutiliter indulgebamus, aut ipſa peccata augere permiſimus, credentes quòd ſic eis non acta pœnitentia digna dimiſerit Deus, quomodo ſacerdotes indulſiſſe videntur. Et Beatus Cyprianus grauiter aduerſus hanc ſacerdotum facilitatē conqueritur in ſermone 5. de lapſis, Irrita, inquit, & falſa pax, periculoſa dantibus & nihil accipientibus profutura, ante expiata delicta, ante exomologeſin factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio & manu ſacerdotis, pacem putant eſſe, quam quidam verbis fallacibus venditant, non eſt pax illa, ſed bellum. Quid iniuriam beneficium vocant? Quid impietatem vocabulo pietatis appellant? Quid eis qui flere iugiter & rogare dominum ſuum debent, intercepta pœnitentiæ lamentatione communicare ſe ſimulant? Apoſtolus Paulus Iudæis & Gentibus teſtificabatur pœnitentiam in Deum, & fidem in dominum Ieſum Chriſtum. Item Saluator iuſsit Apoſtolis ſuis prædicare pænitentiam in nomine ſuo, & remiſsionem peccatorum. Bucerus in hac ſua conſolatione, ſola fide conſolatur infirmum, & promittit credenti omnia Dei beneficia remiſsionem peccatorum & ſalutem æternam, & quòd tam certus ſit ſe Deo patri charum eſſe & deſtinatum vitæ æternæ, quam certum eſt Chriſtum non propter peccata propria, ſed noſtra, iram Dei tuliſſe & mortem ſubijſſe. Eandem hāc fidem habent vt prædicant vniuerſæ ſectæ noſtri temporis, Anabaptiſtæ, Zuingliani, imò & vſurarij, ſchiſmatici, & hæretici, qui Chriſti vicarium Romanum Pontificem, dicunt eſſe Antichriſtum, & eccleſiā ei ſubiectā eſſe ſynagogā Sathanæ, & quotquot ſunt ſcelerati, modò non peccent contra conſciētiā, quāuis ob cordis cœcitatē, hanc fidē ſe habere pręſumant, & falſa magiſtrorū ſuorū perſuaſione pleriq; eam imbiberint, qui tamen ſine pœnitentia participes redēptionis noſtræ fieri non poſſunt, nec Chriſti conſeq beneficia. Et miſerabiliter populū ſimplicem hi magiſtri fallunt ſub nomine credentium, quum ipſimet doceant fidem quam vocant hiſtoricam, firmā & certā verbi Dei & redemp-

Cap. 3. Gratianus in decreto diſ. 50. c. Si qui diaconum. Act. 20. Luca 24.

redemptionis factæ in Chriſto, ad remiſsionem peccatorum, iuſtitiam & vitam æternã non ſufficere, nec eſſe veram fidem euangelicam, niſi eam comitetur charitas, humilitas, patientia, pœnitentia, & totus virtutũ chorus. Qualem fidem certè multò difficilius eſt obtinere quàm charitatem & pœnitẽtiam ob Dei offenſam. Et ſanè mirandum eſt, cur in hac conſolatione non meminerit pœnitentiæ, quum ipſemet doceat fidem non valere ad remiſsionem peccatorum ſine pœnitentia pręcedente. Quomodo hoc certum eſſe poteſt, ſi credas, quòd in æternũ victurus es in perfecta felicitate, cum nec fides hæc, ſicut nec charitas, certò conſtare poſsit. Vera autem & Chriſtiana infirmi cõſolatio & exhortatio hęc eſt, vt cogitet ſe vocari ad tribunal Domini ſui, vt rationem reddat de tota vita ſua, & referat ꝓpria corporis prout geſsit, ſiue bonum, ſiue malum: & quòd propterea recogitet in amaritudine animæ annos ſuos, & de peccatis admiſsis doleat, vt ea apud ſacerdotem confeſſo prius remittantur, quàm iuſto iudici præſentetur, & ſic habeantur quaſi facta non eſſent. Hac confeſsione facta muniat ſe ſacra Euchariſtia tanquam itineris ſui viatico: Et ſi fortaſsis facta non eſſet plena peccatorum, quoad culpam vel reatũ, remiſsio, ſed reliquię adhuc manſerint, aduocet ſacerdotem ſecundum cõſilium Apoſtoli Iacobi, qui oret ſuper ipſũ, & vngat oleo in nomine Domini, vt oratio fidei infirmum ſaluet, eumque alleuiet Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittantur ei: quæ alioqui celerem coronæ gloriæ adeptionem impedirent. Quibus præmiſsis deſideret ſponſi ſui aduentum, certiſsimè ſperans & confidẽs ſe accepturum deſideratam ſententiam, per quam aſſcribatur & annumeretur ciuibus cæleſtis Hieruſalem, cum quibus æternam beatitudinem ſtatim poſsideat. De præcipua bene moriendi doctrina Iudocus Clichtoueus tractat in libello quem eo titulo inſcribit præcipuè cap. 9. 10. & 11. Mala certè mors putanda non eſt, quam bona vita pręceſsit. Et hac animaduerſione percutitur peccator, vt moriẽs obliuiſcatur ſui, qui dum viueret oblitus eſt Dei, vt dicit B. Auguſt. Hæc eſt vera catholica, & Chriſtiana infirmorum conſolatio, ſi modo non nimio opprimantur morbo, vt hæc omnia præſtare nõ poſsint. Nam ſecundũ variã conditionẽ & vitæ tranſactæ qualitatem, diuerſæ adhibendę ſunt conſolationes & admonitiones. Ea autem quam propoſuimus certis ſcripturarum teſtimonijs & Chriſti Domini promiſsis nititur: quam verò Bucerus deſcribit, ſcripturis & patrum authoritatibus aduerſatur, & ex fonte naſcitur hæretico, fallacibuſque pollicitationibus incautas ſimplicium animas in ſempiternum præcipitat exterminium.

In libello de cõciliãdo articulo iuſtificationis contra Pigbiũ.

Quia autem Confeſsio wirtembergenſis, eiuſque ſophiſticæ perſuaſiones contra Extremam vnctionem, deſumptæ ſunt ex inſtitutione Ioannis Caluini, nec alia ipſe, aut reliqui aduerſarij argumẽta vllius momenti contra iſtud ſacramentum adducunt, ſuperuacaneũ eſt ea vel recitare, vel eis reſpondere. Porrò quia Caluinus ſacramentũ Confirmationis impugnans, eodem cum Confeſsione nititur fundamento erroneo & ſcripturis contrario: quia tamen aliquid habere videtur apparentiæ, quædam in medium adferemus.

Ca. 19. & 13. & ſequent.

Poſterior, inquit, ætas re prope oblitterata, fictitiam neſcio quam Confirmationem pro Dei ſacramento poſuit. Confirmationis virtutem eſſe finxerunt ſpiritum ſanctum conferre ad gratiæ augmẽtum, qui in baptiſmo collatus ſit ad innocentiam: Confirmare eos ad pugnam qui in baptiſmo regenerati ſunt ad vitam. Peragitur autem hæc confirmatio vnctione, & hac verborum formula. Cõſigno te ſigno ſanctæ crucis & confirmo chriſmate ſalutis in nomine Patris, & filij, & Spiritus ſancti. Pulchre omnia & venuſte, Sed vbi Dei verbum quod ſpiritus ſancti præſentiam hic promittat? Nec iota quidem obtẽdere poſſunt. Vnde ergo nos certiores facient, chriſma ſuum eſſe vas ſpiritus ſancti? Videmus oleum, craſſum ſcilicet & pinguem liquorem, præterea nihil. Accedat inquit Auguſtinus, verbum ad elementum, & fit ſacramentum. Hoc, inquam, verbum proferant, ſi quicquam nos intueri in oleo volunt quam oleum.

Caluinus.

Non ætate poſteriore, ſed ab initio diuulgati Euãgelij, hæc de Confirmatione doctrina, in Eccleſia Catholica tradita & recepta eſt. Nam beatus Clemens Collega prędicationis Apoſtolorum Petri & Pauli. Item ſanctus Dionyſius Areopagita, & alij vetuſtiſsimi pontifices, iſta de Confirmatione docuerunt. Sunt autem verba Melciadis papæ, quæ Caluinus hîc inſectatur, quaſi in blaſphemiam baptiſmatis dicta, qui non eſt recẽtis ætatis, ſed ea ſcripſit ante annos mille ducentos. Sed quærit Ioannes Caluinus, Vbi Dei verbum, quod ſpiritus ſancti præſentiam hic promittat? Et nos petimus à Caluino: Vbi Dei verbum, quo mandatum eſt Apoſtolis, vt baptizatis manum imponerent & acciperent ſpiritum ſanctum? Nullum in ſcripturis inuenient niſi apud Lucam, Vos autem teſtes eſtis horum, & ego mittam promiſſum patris mei in vos. Vos autem ſedete in ciuitate quo aduſque, &c. Quam promiſſionem intellexerunt Apoſt. omnibus baptizatis eſſe communem. Propter quod & Petrus audacter pronũciat, Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſsionem peccatorum veſtrorum & accipietis donum ſpiritus ſancti. Vobis enim eſt repromiſsio & filijs veſtris, & omnibus qui longè ſunt. Hac igitur promiſsione freti Apoſtoli baptizatis manus imponebant, vt iuxta illam virtute ex alto induerentur. Cum enim certum ſignum nõ eſſet præſcriptum, arbitrati ſunt pro temporis ratione cõuenire impoſitionem manuum, ſed rerum ſtatu mutato, ceſſantibus miraculis, quod inſtitu-

Reſponſio.

Cap. 24.

Actuum 2.

inſtituerant ſignum ſpiritu Apoſtolico vel Chriſto ſuggerente, in aliud mutauerunt, quo hactenus ſemper vſa eſt Eccleſia.

Verbum ergo promiſsionis, imò & idem verbum Dei habemus nos vtentes chriſmate, vnà cum forma verborum præſcripta, vnde Apoſtoli habuerunt manus impoſitionē. Ex eodem igitur verbo certi ſumus quòd chriſma eſt vas ſpiritus ſancti, quo certiores facti ſunt Apoſtoli, quòd per manuum ſuarum impoſitionem daretur ſpiritus ſanctus. Sed inquit Caluinus, videmus oleum craſſum & pinguem liquorem, præterea nihil. Quid, precor, vides in aqua baptiſmi? An aliud quàm aquam? Accedit hic verbū ad elementum: verbum ſcilicet dictæ promiſsionis. Accedit & verbum in quo forma ſacramenti conſiſtit, & fit ſacramentum. In baptiſmo elementum eſt aqua, hic elementum, hoc eſt, res ſenſibilis, eſt oleum: quod eſt hic quaſi viſibile verbum. Vnde, inquit B. Auguſtinus, iſta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo? Hoc eodem verbo accedēte tanta eſt virtus olei, vt frontem conſignet, & gratiæ adferat augmētum, quo robuſtus fiat qui inungitur. In ſacramētis diximus potiſsimum ſpectādum verbum promiſsionis: Reliqua autem quæ per Chriſtum diſpoſita non ſunt, præpoſitorum & imprimis Apoſtolorum relicta ſunt diſpoſitioni.

Tract. 80. ſuper Ioan.

Caluinus. *Age mandatum huius miniſterij aliquod producant? Si mandato deſtituuntur, ſacrilegam audaciam excuſare non poſſunt. Hac ratione Phariſæos Dominus interrogabat, eſſet ne baptiſmus Ioannis è cælo, an ex hominibus? Si reſpondiſſent, ex hominibus, obtinebat friuolum eſſe & vanum: Si è cælo, doctrinam Ioannis agnoſcere cogebantur. Si itaque ex hominibus eſt confirmatio, vana & friuola eſſe conuincitur: Si è cælo eſſe perſuadere volunt, probent.*

Reſponſio. Et nos quærimus, vbi mādetur in ſcripturis, vt Apoſtoli manus imponerent? Item, Euangelium Ioannis, Epiſtolæ Pauli, & tota ſcriptura à Deo ſint, an ab hominibus? Sicut autem hæc à Deo ſunt, ſed hominum miniſterio, ita & impoſitio manuum, & nunc diſpenſatio eiuſdem ſacramenti per Chriſma, à Deo ſunt. Quemadmodum enim ex munere apoſtolatus iudicabāt Apoſtoli ad ſe pertinere miniſterium impoſitionis manuum ad largiendum ſpiritum ſanctum, ita eorum ſucceſſores, noſtri nunc epiſcopi, idem per ſacrum Chriſma ex eorum inſtitutione, & doctrina operantur. Nam ex hoc quod de ſacramento Euchariſtiæ loquens Apoſtolus Paulus dicat, Cętera cum venero diſponam, colligit beatus Auguſtinus, Quia non præcepit Dominus, inquit, quo ordine deinceps ſumeretur ſacra Euchariſtia, Apoſtolis per quos eccleſias diſpoſiturus erat, hunc locum reliquit, & ſeruauit. Eadem ratione, quia ſcilicet non præſcripſit Dominus, quomodo hoc ſacramētum perageretur, eorum determinationi reliquit. Quòd igitur nunc in chriſmate & præſcriptis verbis confertur ex Chriſti promiſsione augmentum gratiæ, & virtus ſpiritus ſancti, ab hominibus eſt, ſed ex Dei ſuggeſtione: ſicut tota ſcriptura canonica: Et ideo verius ex Deo, quàm ab hominibus.

1. Cor. 11.

Caluinus. Cap. 8. *Tuentur ſe Apoſtolorum exemplo. Rectè id ſanè. Nec à nobis reprehenderentur, ſi Apoſtolorum ſe imitatores oſtenderent. Narrat Lucas in Actis Apoſtolos Petrū & Ioannem, & hos oraſſe, vt ſpiritum ſanctū acciperent, qui in nomine Ieſu baptizati tantum erant: Et oratione facta manus impoſuiſſe, per quam impoſitionem ſpiritum ſanctum Samaritani acceperunt. Sic enim viſibiles illas & admirabiles ſpiritus ſancti gratias, quas tunc in populum ſuum effundebat, voluit Dominus à ſuis Apoſtolis per manuum impoſitionem adminiſtrari & diſtribui. Huic autem impoſitioni manuum nō altius ſubeſſe myſterium cogito, ſed huiuſmodi cæremoniam adhibitam ab illis interpretor, vt ipſo geſtu ſignificarent ſe Deo commendare, & velut offerre eum cui manus imponebant.*

Reſponſio. Humana eſt hæc cogitatio, & contra ſcripturas eſt interpretatio. Nam ſcripturæ teſtantur Apoſtolis promiſſum eſſe ſpiritum quo robuſti eſſent, & liberè ac intrepidè teſtarentur ea quæ viderāt & didicerāt à Chriſto domino. Patres quoq;, doctores, & Concilia docent impoſitas eſſe manus ad gratiæ augmentum & virtutem, qua ſtabilirentur in fidei Chriſtique crucifixi & mortui confeſsione. Quod quum non lateret Caluinum, non ſufficiebat ſuam de hac re cogitationem proponere, ſed oportebat ſuā illam cogitationem ſcripturis certis ſtabilire. Nec ſolum Apoſtoli Deo commendabant, & veluti offerebāt eum cui manum imponebant, (Hoc enim Philippus diaconus facere potuiſſet) ſed ſuo miniſterio Samaritanos faciebant participes promiſsionis à Chriſto factę de ſuſcipiendo robore, ac virtute S. ſpiritus.

Caluinus. *Eiuſdem hoc rationis eſt, ac ſi quis doceret flatum illum quo Dominus diſcipulos ſuos afflauit, ſacramentum eſſe quo detur ſpiritus ſanctus. Atqui hoc ſemel confecit non à nobis fieri etiam voluit ad eum modum. Et Apoſtoli manus imponebant pro eo tempore, quo viſibiliter ſpiritus ſancti gratias ad eorum preces adminiſtrari Domino placebat, non vt poſteri vacuum & frigidum ſignum mimicè tantum & ſine re effingerent.*

Reſponſio. Nullum de hoc flatu habemus Dei ꝓmiſſionem, quod ſpiritum ſanctum acciperent qui ſic afflarentur. Nec ſic eum accipiebant Apoſtoli, niſi in poteſtatem remittēdi & retinendi peccata. Et eandem quoq; nunc poteſtatem accipiunt, quibus epiſcopi Apoſtolorum ſucceſſores eam impartiuntur in ordinatione ſacra, non per flatum, ſed alia cæremonia, de qua poſtea agemus circa articulum 17. Addit præterea Caluinus alias calūnias, maledicta, & irriſiones, ſed quæ nihil momenti habent ad expugnādum ſacroſanctum hoc ſacramentum quod in chriſmate

Quare nulla ratione audiendi ſunt, qui contra tam apertam & dilucidam Apoſtoli Iacobi ſentẽtiam docent, hanc vnctionem vel figmentum eſſe humanum, vel ritum à patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promiſsionem gratiæ habentem, & qui illam iam ceſſaſſe aſſerunt, quaſi ad gratiam curationum duntaxat in primitiua Eccleſia referenda eſſet: & qui dicunt ritum & vſum quem ſancta Romana eccleſia in huius ſacramenti adminiſtratione obſeruat, Iacobi Apoſtoli ſententiæ repugnare, atque ideo in alium commutandum eſſe: & denique, qui hanc extremam vnctionem à fidelibus ſine peccato contemni poſſe affirmãt. Hæc enim omnia manifeſtiſsimè pugnant cum perſpicuis tanti Apoſtoli verbis. Nec profectò Eccleſia Romana aliarum omnium mater & magiſtra, aliud in hac adminiſtranda vnctione, quantum ad ea quæ huius ſacramenti ſubſtantiam perficiũt, obſeruat, quàm quòd Beatus Iacobus præſcripſit. Neque verò tanti ſacramenti contemptus abſque ingenti ſcelere, & ipſius ſpiritus ſancti iniuria eſſe poteſt. Hactenus doctrina Concilij Tridentini. Verùm ne quis contra illam docere aut quouis modo loqui temerè auderet, quatuor Canones latam Anathematis ſententiam continentes, contra huiuſmodi temerarios aſſertores protulit. Et ſunt qui ſequuntur.

Canon. I. Si quis dixerit Extremum vnctionem nõ eſſe verè & propriè ſacramentum à Chriſto Domino noſtro inſtitutũ, & à Iacobo Apoſtolo promulgatum: ſed ritum tantùm acceptum à patribus, aut figmentũ humanum, Anathema ſit.

2. Si quis dixerit ſacram infirmorum vnctionem non conferre gratiam, neque remittere peccata, neque alleuiare infirmos: ſed iam ceſſaſſe, quaſi olim tantum fuerit gratia curationum, Anathema ſit.

3. Si quis dixerit, Extremæ vnctionis ritum & vſum, quem obſeruat ſancta Romana Eccleſia, repugnare ſententiæ beati Iacobi Apoſtoli ideoque eum mutandum, poſſeque à Chriſtianis abſque peccato contemni, Anathema ſit.

4. Si quis dixerit presbyteros Eccleſiæ, quos beatus Iacobus adducendos eſſe ad infirmum vngendum hortatur, non eſſe ſacerdotes ab Epiſcopo ordinatos: ſed ætate ſeniores in quauis communitate, ob idque proprium Extremæ vnctionis miniſtrum non eſſe ſolum ſacerdotem, Anathema ſit.

Duodecimi Articuli Finis.

ARTICVLVS DECIMVS TERTIVS.

In Euchariſtiæ ſacramento eſt reipſa verum corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti, illud ipſum quod de Virgine natum, & in cruce paſſum eſt.

ARTICVLVS hic idem intelligit de ſanguine Chriſti, quod profitetur de corpore, quod ſcilicet in ſacramẽto Euchariſtiæ reuerà eſt ſub ſpecieb⁹ vini, ſicut corpus ſub forma panis, & ille idem ſanguis qui in cruce pro noſtra omnium ſalute effuſus eſt. Eſt autem in ſcripturis articuli huius certum teſtimonium ex verbis Domini Saluatoris. Nam referentibus Euãgeliſtis & Apoſtolo Paulo, Cœnantibus eis, ſcilicet duodecim Apoſtolis, accepit Ieſus panem, benedixit ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, Accipite, Hoc eſt corpus meum. Et accipiens cãlicem gratias egit, & dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Domino autem Ieſu (qui eſt veritas prima, quæ nec fallere nec falli poteſt) pronuncianti hoc quod porrigebat diſcipulis eſſe corpus ſuum, & quod propinabat in calice, ſuum eſſe ſanguinem, quis reclamare aut aduerſari audebit & dicere, Domine non corpus tuum, nec ſanguis tuus eſt quod porrigis, ſed ſolũ corporis & ſanguinis tui ſymbolum: reuera autem vt prius, adhuc panis manet & vinum vitis, tantùm translata ſunt in rationem figuræ & ſigni corporis & ſanguinis tui? *Matth. 26: 1. Corint. 11.*

Non dubites, inquit beatus Cyrillus, an verum ſit quod dicit Dominus, potiùs accipe verba Saluatoris in fide. Cùm enim ſit veritas prima, nõ mentitur, nec fallit quenquam. Inſaniunt igitur dicentes myſticam benedictionem à ſanctificatione ceſſare, ſi quæ reliquiæ eius remanſerint in diem ſubſequentem. Non enim mutabitur ſacroſanctum Chriſti corpus, ſed virtus benedictionis & viuificatiua gratiæ iugis in eo eſt. Item eloquentiſsimus ille Chryſoſtomus, Credamus, inquit, vbique Deo, nec repugnemus, etiam ſi ſenſui & cogitationi noſtræ abſurdum eſſe videatur quod dicit, & ſenſum ſuperet & rationem: quod in omnibus præcipuè in myſterijs faciamus. Nam ſenſus noſter deceptu facilis eſt & fallitur ſæpè. Illius verba falſa eſſe non poſſunt. Quoniam ergo ille dixit, Hoc eſt corpus meum, nulla hic ambiguitate teneamur, ſed credamus, & oculis intellect⁹ id perſpiciamus. Nihil enim ſenſibile traditum eſt nobis à Chriſto, tametſi ſub rebus ſenſibilibus, ſed inſenſibilia ſunt omnia quæ tradidit. Sic & in baptiſmo per aquam, quæ res eſt ſenſibilis, quod confertur inſenſibile eſt, regeneratio ſcilicet & renouatio ſpiritus. Si enim incorporeus eſſes, illa *Epiſt. ad Caloſirium epiſc.* *Homil. 83. in Euang. ſecundum Matt.*

aſſeruatur in pixide aut oſtēditur in proceſſionibus, ſentiunt, Non adeſſe corpus Chriſti. Huic autem, vt diximus, callidæ Martini Buceri adinuentioni omnes ſubſcripſerunt, ſalua proteſtatiōe, quòd referretur ad alios concionatores, & ſuperiores, ſine quorum conſenſu eis non liceret de concordia paciſſci. Sed nullum hic audimus ſcripturæ teſtimonium, ſed humanum tantum Buceri inuentum, quod pro concordia callidè ad tollendum Principū & populi offenſiones excogitauerat, videlicet vt vtraq; pars aliquid alteri condonaret, & in aliquo ſuæ cederet ſentētiæ, & ſic concors haberetur doctrina. Hoc autem medium concordiæ meritò vocat Cyrillus Inſaniam, quia verbis myſticæ benedictionis aduerſatur. Ait enim Dominus Saluator, Hoc eſt corpus meum, non autem, Hoc erit corpus meum, quando ſcilicet edetur. Nec ait, Hoc eſt corpus meum, ſi quis ipſum edat: non autem eſt ſi ad circunferendum ſeruetur: vel infirmorum cuſtodiatur neceſsitates. Verba enim Chriſti operatoria ſunt: & ſtatim fiunt quæ dicit. Ipſe enim dixit & facta ſunt. Nec verborum eius veritas à futuro vſu vel euentu pendere poteſt. Imprimis oportet conſecratum eſſe, hoc eſt, Chriſti corpus adeſſe, quam eius vſus haberi poſsit. Nec vllam habet ſoliditatem quod ſcribit Philippus Melanchthon, reſpondendo iudicio cleri & vniuerſitatis Colonienſis ſuper doctrina Buceri apud Bonnā & eius vocatione. Notant enim Bucerum dicere, quòd tantùm cum accipitur aut bibitur adſit corpus & ſanguis Domini, Melanchthon in Apologia pro Bucero hoc defendens ait, Cùm ſacramenta ſint certi generis actiones, certiſsimum eſt extra inſtitutam actionem, panem alienam rem eſſe à ſacramento. Certum eſt, inquit, cùm baptizatur homo, in actione adeſſe ſpiritum ſanctum. Iam ſi quis baptiſmi aquam circunferret, quaſi incluſus ibi ſpiritus ſanctus maneat, ac iuberet eam adorari, omnes pij hunc errorem deteſtarentur. Item de cœna domini ſciant pij in actione ſacramentum eſſe, non autem panem ad alium vſum translatum, vt cùm circūfertur, aut in pixide cuſtoditur. Et tandem concludit. Omnes pij intelligunt hanc ſententiam veriſsimam eſſe, ſacramenta certi generis actiones eſſe, nec extra inſtitutam actionem vllam manere Sacramenti rationem. Nec Deus ad vllam creaturam alligandus eſt ſine ſuo verbo. Verè ſtupenda eſt huius hominis arrogans temeritas præter omne ſcripturarum teſtimonium, imò contra verbū Domini, certiſsima hæc eſſe affirmantis: quando tamen qui Concilio intererant, non ſine timore & relatione ad alios ſuper hac ſententia paciſci audebāt. Nō ſine ſuo verbo Chriſtus hic ſuo ſacramento alligatur, hoc eſt, inſeparabiliter coniūgitur. Eſt enim eius verbum, Hoc eſt corpus meū. Et ideo quia fidelis eſt in verbis ſuis, & noſtri amantiſsimus, ſe ſacramēto alligat, & in eodem permanet, quàm diu apparentia eſt panis vel vini, hoc eſt, quā diu ſpecies, quantitas ſcilicet & qualitas panis & vini manent, nec tanta eſt corruptio in eis aut mutatio, quòd non maneret panis vel vini ſubſtantia, ſi non eſſet facta ſubſtantialis conuerſio. Cū enim ex conſecratione & verbis Chriſti, corpus & ſanguis ſub hoc ſacramēto contineantur, & mirabiliter ſibi mutuò vniantur, non deſinit hęc continentia & vnio, niſi altero extremo deſtructo. Sicut enim verbū caro factum eſt per vnionem naturę humanæ hypoſtaticam, quàm diu verbum manet (manet autem in æternum) manet & caro, & verbum caro eſt & manet: Ita Chriſtus manet in ſacramento, quàm diu ſpecies ſacramētales manent, ſub quibus in locum panis corpus Chriſti ſuccedit. Anathemate autem feriuntur in Concilio Tridentino, qui docēt extra vſum ſacramenti, aut quando reſeruatur, non manere in eo corpus & ſanguinem Domini. Habet enim Canon. Si quis dixerit non licere ſacrā Euchariſtiam in ſacrario reſeruari, ſed ſtatim aſtantibus neceſſariò diſtribuēdam, aut nō licere vt illa ad infirmos deferatur, Anathema ſit. Contra hunc errorem ſcribit Dominus Alfonſus de Caſtro: & Ioannes Cocleus. Ipſi etiam latius de eodem dicemus circa articulum ſequentem, qui habet quòd Euchariſtia circūferri ſanctè & licitè poteſt. Ratiocinatio Philippi qua ipſe ſcripturis deſtitutus, hunc ſuū errorem defendere conatur, falſum aſſumit & erroneo nititur fundamento, quòd ſcilicet ſacramenta certi generis ſint actiones. Quod & ipſe quoq; animaduertere poterat, ſi penitius inſpexiſſet huius ſacramenti formā, quę eſt, Hoc eſt corpus meū. Nullius enim actionis hic fit ſignificatio, ſicut in forma baptiſmi, Ego te baptizo: ſed tantum ſignificatur corporis Chriſti exiſtentia in ſacramento. Et ideo proprium eſt ei quod perficiatur in conſecratione materiæ, videlicet panis & vini, per quam ex his fit corpus & ſanguis Chriſti. Baptiſmus autem & alia ſacramenta in ſuæ materiæ vſu perficiuntur, in quo etiam ipſa conſiſtunt. Nam lotio in aqua cū præſcriptis verbis, eſt ſacramētum baptiſmi: & ſimiliter vnctio in chriſmate vel oleo, ſacramenta ſunt confirmationis & extremæ vnctionis. Ex quibus manifeſtum eſt, quòd prolatis verbis myſticæ benedictionis, ſtatim aderat ex eorum potentia in manibus Domini corpus ſuum verè & ſubſtantialiter, & ſanguis ipſius in calice, priuſquam diſcipuli acciperent, ederent & biberent. Ait enim tenens panem in manibus, Hoc eſt corpus meum, quod in manibus habeo. Accipite & edite. Et ſimpliciter de calice. Verbis autem eius nihil addere licet. Qui verò dicunt ex vſu & fide ſumentis corpus & ſanguinem Domini ſubſtātialiter ibi adeſſe, Domino contradicunt, qui ait adhuc manibus tenens hoc eſſe ſuum corpus & ſuum ſanguinem. Verbis præterea Chriſti derogant ſuam virtutem & efficaciam.

Canon. 7. De Euchariſtia hære. 12. Tract. 9. Miſcel.

Cùm autem dominus in cœna nouiſsima poſt panis & vini benedictionem & conſecratio-

Data eſt Apoſtolis po-

 cratio-

teſtas conſecrandi corpus & ſanguinem, & eam in alios transfundendi. crationem Apoſtolis dixerit, Hoc facite in meam cõmemorationem, idipſum videlicet quod ipſe Chriſtus fecerat, hocque ſit duraturum vſque ad ſeculi conſummationẽ: Nũc etiam quandocunque iſtud ſanctum myſterium celebramus facientes quod fecit Dominus, & in eius commemorationem, non minus adeſt verum Chriſti corpus, & verus ſanguis realiter & ſubſtantialiter, quàm aderat domino primam hanc menſam inſtruente & præparante. Nam qui dixit in principio, inquit Damaſcemus, Producat terra herbam virentem, & vſque nunc pluuia facta & diuino adiuta & vigorata præcepto, germina producit: idem quia dixit, Hoc eſt corpus meum, Et hic meus eſt ſanguis: Hoc facite in meam commemorationem, & id omnipotenti eius præcepto donec veniat, efficitur. Item B. Chryſoſtomus, Et nunc, inquit, ille præſto eſt Chriſtus, qui illam ornauit menſam, ipſe iſtam quoque conſecrat. Non enim homo eſt qui propoſita conſecratione menſæ Domini, corpus Chriſti facit & ſanguinẽ, ſed ille qui crucifixus pro nobis eſt Chriſtus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute conſecrantur & gratia. Hoc eſt, ait, corpus meum. Hoc verbo propoſita conſecrantur. Et ſicut illa vox quæ dicit, Creſcite & multiplicamini, & replete terram, ſemel quidem dicta eſt, ſed omni tempore ſentit effectum, ad generationem operante natura, ita & vox illa ſemel quidem dicta eſt, ſed per omnes menſas Eccleſiæ vſque ad hodiernam diem, & vſque ad Chriſti aduentũ præſtat ſacrificio firmitatem. Inſtituit itaq; Chriſtus per ſuos miniſtros mẽſam hanc parandam ad ſeculi vſque conſummationem, in qua ipſe tantum eſſet author muneris & cõſecrator, ſicut ipſe eſt qui in noſtro baptiſmo baptizat, & ſpiritum renouat. Ipſe eſt qui incrementum dat nobis plantantibus & rigantibus. Hanc verborum Chriſti intelligentiã de vera, reali, ſubſtantiali ac durabili corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra Euchariſtia præſentia ex conſecratione ſacerdotis, ſine dependentia ab vſu, quam etiam verba Chriſti ſecundũ ſermonis proprietatem faciunt, ſemper docuit & prædicauit Eccleſia Chriſti catholica, & vniuerſi patres à temporibus Apoſtolorum eandem ſemper ſecuti ſunt, qui olim vt hæreticos etiam damnauerunt quotquot docere aut ſentire auſi ſunt corpus & ſanguinem Chriſti in ſacramento eſſe tanquam in ſigno & figura duntaxat. Et ſententia hęc in multis Oecumenicis concilijs, tanquam certa fide credẽda, eſt definita. Nam in celeberrimo Concilio Lateranẽ. ſub Innocentio 3. cui omnes quatuor Patriarchæ interfuerunt, definitum eſt conformiter ad doctrinã magni illius Concilij Epheſini primi (quod eadem veneratione ſuſcipi vult B. Gregorius papa, qua quatuor ſancta Euangelia) Sed verba eius commodius citabuntur, circa articulum 16. eò quòd loquantur de incruenta oblatione & ſacrificio carnis domini viuificantis. Definitum eſt inquam, quòd

Lib.4. de orthod. fide cap.19.

Geneſ.1.

Ser. de proditione Iudæ.

Geneſ.2.

vna eſt fidelium vniuerſalis Eccleſia, extrà quam nullus omninò ſaluatur, in qua idem ipſe ſacerdos eſt ſacrificium Ieſus Chriſtus, cuius corpus & ſanguis in ſacramẽto altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continentur, transſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem, poteſtate diuina. Item in generali cõcilio Viennenſi tempore Clementis 5. apertè dicitur in hac ſacramentali Chriſti commemoratiõe Ieſus Chriſtus eſt, ſub alia quidem forma, in propria verò ſubſtantia. Aſcenſurus enim in cælum dixit Apoſtolis & eorum ſequacibus, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationẽ ſeculi, benigna eos promiſsione confortans, quòd ſcilicet permaneret & eſſet cum eis etiam præſentia corporali. Et poſtea in concilio Conſtãtienſi & Baſilienſi. Nouiſsimè autem in Oecumenica Synodo Florentiæ celebrata ſub Eugenio quarto in epiſtola Synodotica, approbante toto concilio, dicitur quòd non ſolùm corpus & ſanguis Chriſti, ſed totus Chriſtus eſt verè reali præſentia in Euchariſtia. Quod expreſsè approbant prędicta concilia. Et ob errorẽ huic doctrinæ contrarium Berengarius archidiaconus Andegauenſis primo damnatus eſt in Synodo Vercellenſi ſub Leone 9. deinde ſub Victore 2. qui etiam errorem iſtum tãquam hæreticum abiurauit, panemq; & vinum in ſacrificio Domini, non vmbratiliter & figuratè, ſed verè Chriſti carnem & ſanguinem fieri confeſſus eſt, & ad eam fidem in poſterum tenendam ſe iuramento obſtrinxit. Sed tandem in eandem hæreſim relapſus à Nicolao ſecundo ad Concilium Romæ habitum vocatus, rationibusq; & authoritatibus victus, iterũ ab erronea illa aſſertione reſipuit reuocauitque coram toto illius Synodi cœtu. Atque hæc eius reuocatio inſeritur libr. Decretorum. Hinc iterum ad vomitũ eſt reuerſus, & primum illud dogma quod bis ſolenniter abiurauerat, non deſtitit per eccleſias & diuerſa loca ſeminare: Propter quod à Gregor. 7. ad Cõcilium Romæ celebratum vocatus circa annum milleſimum ſeptuageſimum nonum, ob eandem impietatem tertiò iam damnatur, qui ſe grauiſsimè erraſſe confeſſus coram frequẽti illa Synodo tertiò abiurauit antiquum ſuum errorem, veniamque ab Apoſtolica benignitate eſt aſſecutus. Forma autem abiurationis fuit iſta, Ego Berengarius corde credo & ore confiteor, panẽ & vinum quæ ponuntur in altari, per myſterium ſacræ orationis, & verba noſtri redemptoris, ſubſtantialiter conuerti in veram ac propriã & viuificatricem carnem & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti: & poſt conſecrationem eſſe verũ Chriſti corpus, quod natum eſt de virgine, & quòd pro ſalute mũdi oblatum in cruce pependit, & quod ſedet ad dextram patris. Et verum ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui de latere eius fluxit, non tantùm per ſignum & virtutem ſacramẽti, ſed etiam in proprietate naturæ, & veritatę ſubſtãtiæ: Sicut in hoc breui continetur,

Matth. 28.

Epiſ. Syno. Mart art.3. Ioann. Vicleſ. ſeſſ.30.

Diſt.1. cap. Ego Berengarius.

tinetur, & ego lego, & vos intelligitis. Sic me Deus adiuuet & hæc ſancta euangelia. Refert B.Bernardus inſigne quoddam miraculum in vita Malachiæ epiſcopi. Quòd quidam clericus præſumpſerat dicere, in Euchariſtia eſſe tantum ſacramentnm, id eſt, ſignificatiouem, & nō corporis veritatem. Super quo à Malachia Epiſcopo ſecretò & ſæpe cōuentus, ſed in caſſum, in medium tandem vocatus eſt, ſeorſum tamen à laicis, vt ſi fieri poſſet, ſanaretur, & non confunderetur. Itaque in conuentu clericorum data facultas homini eſt pro ſua ſententia dicendi. Cumque totis ingenij viribus (quo non mediocriter callebat) aſſerere & defendere conaretur errorem, Malachia contra diſputante & conuincente, iudicio omnium ſuperatus eſt clericus. At de conuentu confuſus quidem abijt, ſed non correctus. Dicebat enim ſe nō ratione victū, ſed Epiſcopi preſſum authoritate: Et tu, inquit, ô Malachia ſine cauſa me hodie confudiſti, aduerſus profectò veritatem locutus es, & contra tuam ipſius conſcientiam. Mæſtus Malachias pro homine ſic indurato, ſed magis fidei dolens iniuriam, timens periculum, Eccleſiam conuocat, errantē publicè arguit, publicè monet vt reſipiſcat, ſuadentibus hoc ipſum epiſcopis & vniuerſo clero. Cùm nō acquieſceret, contumaci anathema dicunt, hæreticum proteſtantes. Nec ſic euigilans, Omnes, inquit, fauetis homini potius quàm veritati, ego perſonam non accipio, vt deſeram veritatem. Ad hoc verbum ſubſtomachans ſanctus: Dominus, inquit, fateri te veritatem faciat, vel ex neceſsitate: Quo reſpondente, Amen, ſoluitur conuentus. Tali iſte inuſtus cauterio meditatur fugam, infamis atq; inhonorus fore non ſuſtinens, & continuò ſua tollens, exibat. Tunc ecce ſubita correptus infirmitate ſiſtit gradum, viribuſq; deficiens eodem loco iactat ſe ſuper ſolum anhelus et feſſus. Fortè incidens in id loci vagabundus inſanus offendit hominem, quidnam ibi agat percunctatur. Reſpondet graui ſe infirmitate teneri, & neq; procedere neq; redire valentem. Et ille, Infirmitas iſta (inquit) haud alia quā ipſa mors eſt. Hoc autem dixit non à ſemetipſo, ſed pulchrè dominus per vagabundum corripuit eum, qui ſanus noluit acquieſcere conſilijs ſenſatorum. Et addidit, Reuertere domum, ego te iuuabo, deniq; ipſo duce reuertitur in ciuitatem. Redit ad cor, & ad miſericordiam domini. Eadem hora accerſitur epiſcopus, agnoſcitur veritas, abijcitur error, & confeſſus reatum abſoluitur, petit viaticū, datur reconciliatio, & vno penè momēto perfidia ore abdicatur, & morte diluitur. Ita admirantibus cunctis ſub omni celeritate cōpletus eſt ſermo Malachię, & ſcripturæ pariter dicentis, Quia vexatio dat intellectum auditui. Hactenus Bernardus.

Similia refert Cyprianus ſerm. de lapſ. & Ambro. de exceſſu fratris cap. 7.

Quæ teſtātur realem Chriſti præſentiā in Euchariſtia.

Nec eſt quod hic quiſquam miretur quod Malachias epiſcopus in hunc clericum hæreticum & pertinacem tantum anathema dixerit & hæreticum declarauerit, non aūt tradiderit eum tanquam incorrigibilem poteſtati ſeculari puniendum. Item quod Berengarius permiſſus ſit ter abiurare, & poſt tertiam etiam abiurationem adhuc ſit ei parcitum & cōceſſum, vt reuerteretur ad archidiaconatum ſuum. Eō namq; tempore nondum conſtitutæ erant ſanctiones canonicæ de tradēdis brachio ſeculari, ijs q pertinaciter perſiſterent in ſuis erroribus, aut in eoſdem ſemel abiuratos relaberentur, quæ poſtea ad improbam hęreticorum coercendam peruicaciam rectè & vtiliter, imò & neceſſario ſunt decretæ, poſtquam docente experientia citra mortis ſupplicium, eorū contagio aliorūq; ſubuerſio cohiberi nō poterat, vt docet ſanctus Chriſti martyr Ioannes epiſcopus Roffenſis. His canonibus & legibus ſeuerè in hæreticos animaduertentibus nunc ſtandum eſt. De Berengario autem teſtatur eximius doctor Ioannes Gerſon Cācellarius Pariſienſis, quòd cum extremo decumbens morbo, mortis horam ſentiret vicinā, in die Epiphaniæ Domini dixerit, alludens ad latinam eiuſdem ſolemnitatis appellationem, Hodie mihi apparebit Dominus Ieſus Chriſtus vel ad gloriā ſicut ſpero, propter pœnitentiam meam, vel ad damnationem ſicut formido propter aliorum corruptionem quos ad viam veritatis reducere non potui. Hanc igitur noſtræ fidei catholicæ ſententiam, hoc eſt, veritatem realis præſentiæ corporis & ſanguinis Chriſti in ſacro ſancta Euchariſtia, multis modis probat Ioannes Roffenſis in præfatione libri tertij. Et eandem à temporibus Apoſtolorum concorditer docuiſſe vniuerſos Orthodoxos patres tam priſcos quàm recentiores, & horum doctrinam atq; inſtitutionem ſemper ſecutum eſſe populum Chriſtianum, clariſsimè oſtendit idem Roffenſis aſſertor veritatis catholicæ, & hæreſum impugnator acerrimus, in diuino ſuo & eruditiſsimo opere, quod fecit contra blaſpemum & omnibus modis execrabilem libellum Ioan. OEcolampadij, de expoſitione verborū cœnę Domini, Hoc eſt corpus meum: in quo citat plurimorū teſtimonia, incipiens à ſancto Ignatio, Diony. Areopagita, & Clemēte quarto, Petri in Pōtificatu ſucceſſore, vſq; ad noſtri ſeculi doctores, vt ibi videre licebit, ſi quis concordiam ſententiæ patrum euidēter cognoſcere velit, in cuius Præfationis fine docet ſine hac fide veritatis corporis & ſanguinis Chriſti nulli contingere ſalutem. Idem facit Archiepiſcopus Cantuarieſ. Lancfrancus, vir non minori pietate quàm eruditione præditus, in epiſtola quam ſcripſit ad Berengarium, vt eum ad ſanam mentem reuocaret. Nam poſt plurima veterū teſtimonia ibi citata, concludit, Si verum eſt quod de corpore Chriſti tu credis & aſtruis, falſū eſt quod ab Eccleſia vbiq; gentium de eadem re creditur & aſtruitur. Omnes enim qui Chriſtianos ſe & eſſe & dici lætātur, verā Chriſti carnem verumq; eius ſanguinem, vera vtraque ſumpta de virgine, in hoc ſacramento ſe

Circa ar. 13. aſſert. Mart. Lutheri. Par. 4. alph. 64. Q &. parte 2. alph 41. K.

Infra. li. 4.

to ſe percipere gloriātur. Interroga vniuerſos qui Latinæ linguæ, noſtrarumq; linguarum notitiam perceperunt. Interroga Græcos, Armenos, ſeu cuiuſlibet nationis quoſque Chriſtianos homines, vno ore hanc fidē ſe habere teſtabuntur. Porrò ſi vniuerſalis Eccleſiæ fides falſa exiſtit, aut nunquam fuit catholica eccleſia, aut perijt. Nihil namque efficacius ad interitum animarum, quā pernicioſus error. Sed non fuiſſe aut perijſſe Eccleſiam, catholicus nemo conſenſerit. Aliòqui nō eſſet verum, quod tamen ipſa veritas Abrahæ promiſit, dicens, In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Item in Pſalmis, Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ. Hæc latè ex verbis Beat. Auguſtini proſequitur.

Cùm igitur hanc ſententiam ſemper ſequuta ſit tota Chriſti Eccleſia, eamq; ſemper prædicauerint quotquot in ea Præpoſiti fideles, horumq; doctrinam ſemper ſequuta ſit plebs Chriſto Domino in baptiſmo conſecrata, neceſſe eſt eam eſſe verę fidei ſententiam, quam qui ſequi recuſat, certo certius in ſempiternum ibit interitum & ſupplicium gehennę perpetuum. Nec membrū Chriſti eiuſq; corporis eſſe poteſt, qui hanc eius fidem reſpuit, & amplecti renuit, modis tam multis, traditione ſcilicet maiorum iam inde ab Apoſto. & frequentibus Conciliorum definitionibus comprobatam & confirmatam. Et reuera peſsimus & pernicioſiſsimus eſt hic error, qui tam inſignem & admirabilem Dei gratiam reijcit & contemnit, nec agnoſcit tantum Dei beneficium, quo nos etiam corporaliter ſicut Zacheum viſitat, cupiens apud nos manere, & quicquid ſubſidium noſtræ infirmitatis & paupertatis ab eo deſiderauerimus largiri. Et ideo nec gratias agit, quòd in propria perſona & natura, totus nobiſcum eſſe dignatur vſque in conſummationem ſeculi. Tolle, inquit quidam ſanctorum, hoc ſacramentum ab Eccleſia, & quid erit in mūdo niſi infidelitas & error & populus Chriſtianus quaſi grex porcorum diſperſus, & idololatriæ deditus. Item alius quidam, Omnis deuotio populi Chriſtiani hoc ſacramentum reſpicit & eius conſideratione excitatur. Quid enim magis charitatem erga Deum & proximum accendit & inflammat, quàm oſtenſio amoris quo ad nos miſeros vermiculos quotidiè tantus venit dominus, ſeſe realiter præſentans, vt faciat ſi quid ab eo deſideremus, qui ſe nobis in cibum præbet vitalem? Verè immenſam ſuā charitatem erga nos in hoc commēdat: Verè hic caro Chriſti carbo ignitus eſt, vt dicit Ioannes Damaſcenus. Carbonem, inquit, vidit Eſaias. Carbo autem ſimplex non eſt, ſed vnitus igni: Sic panis communionis nō panis ſimplex eſt, ſed vnitus diuinitati. Carbo hic comburit peccata noſtra, & illuminat corda vt participatione diuini ignis igniantur & deificentur. Subleuat & ſpei noſtræ fiduciam tam familiari ſua ad nos coniunctione

Bonauent. in lib. de præp. ad miſſam. Et Scotus diſtinct. 8 4. ſentent.

Li. 4. ca. 14.

& aduentu, vt ſubleuet & tollat noſtras miſerias. Quis non certiſsimè confidat ſe exaudiendū, imo & exaudiri, quando eundē ipſū præſentem & interpellantem apud patrem, & quidem ipſius iuſſu offerimus, qui ſe pro omnibus obtulit in cruce hoſtiam patri gratiſsimam? Inæſtimabilis eſt charitas Chriſti, qua voluit ad ſeculi vſque conſummationem in corpore & ſanguine ſuo, imò totus in vtraq; natura ſicut in terris viſibiliter eſt conuerſatus, permanere nobiſcum inuiſibiliter, in propria tamen ſubſtantia, vera realiq; præſentia, quaſi delitiæ eius ſint, vt reuera ſunt, eſſe cum filijs hominum, quando ſecundum viſibilem & corporalem præſentiā nos relicturus ad patrem reuertebatur. Hìc materia eſt exercendæ fidei, ſpei roborandę, & charitatis inflammandę: & ſingulare præbetur humilitatis exemplū, quando conſideramus quòd Dominus Maieſtatis in gloriam ſuam ſublimatus, ad noſtram tamen ſalutem noſtrique amorem, veſtiri dignatur tam modico & vili pallio, abiectiore quidem, quā tempore peregrinationis ſuæ vtebatur, ſpeciebus ſcilicet panis & vini, & ſine perſonarum reſpectu ad pauperem æquè veniens ſeque demittens atque ad diuitem: tam ad hoſtes & ingratos, quàm ad alios. Peſsima eſt igitur hæreſis, quæ dominum tam benignè ex ſumma ſua erga nos charitate venientem non agnoſcit, non recipit, non gratias agit, ſed ipſius Domini Chriſti Saluatoris noſtri realem & corporalem præſentiam & viſitationem arbitratur ſolum eſſe ſignificationem quam à remotis facit.

MAGNI igitur momenti eſt hic fidei Articulus, quem propterea diligentiſsimè patres & paſtores in cura populi Chriſtiani ac gregis ſibi cōmiſsi ſecundum ſcripturas excuſſerunt, non ignorantes quantum periculi populo ſuo immineret, ſi vel non agnoſceret præſentiam Chriſti in Euchariſtia, ſi reuerà adeſſet: vel ediuerſò crederet ibi velari Chriſtum, & realiter adeſſe, cum nequaquam adeſſet. Ex illo enim ſummæ ingratitudinis periculū & contemptus imminebat, ſi munus tam eximium à tanto tam incomparabili principe donatum, nō omni ſtudio, amore pariter & honore amplecteretur: Ex iſto autem diſcrimen & periculum idololatriæ, hoc eſt adorationis creaturæ loco creatoris. Etenim ſi Chriſtus crederetur ibi præſens, cùm reuerà non adeſſet, fidelis populus quoties hoc ſacrificium celebraretur, ibi Chriſtum adoraret, & in horrendiſsimum idololatriæ crimen incideret. Id quod doctè proſequitur Ioannes epiſcopus Ruffenſis in dicta ſua præfatione 4. li. in Auctarijs. Et in præfa. 3. li. corrob. 2. docet quòd ſi nullę penitus extarēt ſcripturæ, quibus huius ſacramenti veritas probaretur, non tamē eſſe alienum à magnificentia tanti principis, imò amantiſsimi ſponſi, munus tam incōparabile ſuæ ſpōſæ relinquere.

Ex his quæ hactenus dicta ſunt, facilis eſt

reſpon-

reſponſio ad ſcripturas & rationes quæ contra realẽ præſentiam Chriſti in ſacra Euchariſtia facere videntur, inter quas hanc obijciunt aduerſarij. Chriſtus ita per fidem operatur in credẽtibus abſens ſecundum corporalem præſentiam, ſicut præſens, imò pręſentia corporea impedimẽto eſt operationi ſpiritus, dicente domino, Niſi abiero, paracletus non veniet. Propter quod Apoſt. Paulus, Itaq; ex hoc, inquit, neminem nouimus ſecundùm carnem: & ſi cognouimus Chriſtum ſecundũ carnem, ſed nunc iam nõ nouimus. Et indignè ferebat Chriſtus, quòd Regulus rogabat eum vt deſcenderet & ſanaret filiũ, dicens, Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis. Sed Centurionis fidem commendauit, quia credebat Chriſtum quamuis abſentem, ſanare poſſe ſeruum ſuum. Fide omnia nobiſcum agit Dominus & ſecundum fidem noſtram quæ eſt abſentium & non apparentium atq; inuiſibilium, nobis facit.

Ioan 16. *1.Cor.5.* *Ioan.4.* *Matth.8.*

Cui reſponderi poteſt, quòd Chriſtus iam glorioſus ad dexteram patris, vt in nobis ſuam charitatem commendaret, & humilitatis exemplum præberet, nobiſq; ſpem ad omnia obtinenda erigeret, non potuit non adeſſe nobis vſq; ad ſeculi conſummationẽ. Cùm enim ſuum in nos amorem indicare vellet, inquit B. Chryſoſtomus, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in vnum nobiſcum ſe redegit, vt corpus cum capite vniretur. Hoc enim amantium maximè eſt, Id quod B. Iob. ſignificabat de ſeruis, à quibus maximè amabatur, qui amorem præ ſe ferentes dicebant, Quis det nobis vt carnibus eius ſaturemur? Quod Chriſtus fecit, vt maiori nos charitatẽ aſtringeret, & vt ſuum in nos oſtenderet deſiderium, non tantum ſe videri permittens deſiderantibus, ſed & tangi, & manducari, & dentes carni ſuæ infigi, & deſiderio ſui omnes impleri, vt non ſolum per dilectionem, ſed reipſa in illam carnem conuertamur: quod per cibum efficitur, quẽ nobis largitus eſt: Quamuis aũt Deo non deerat alius modus liberandi nos à morte ęterna, quã incarnatione & morte filij ſui, nullꝰ tamẽ erat ſanandę noſtræ miſerię conueniẽtior: ita nobis in ſpiritu paſcendis & cõfortandis nullus aptior, quã per carnem filij ſui in cruce pro nobis immolatã ſub ſpecie panis, & per ſanguinẽ in ea effuſum ſub ſpecie vini ne horror nobis eſſet, ſi caro humana & cruda, item ſanguis nobis proponerentur in proprijs ſpeciebus & formis. Et abſẽs poteſt quidem chariſmata nobis largiri, vt præſens per fidem, de qua cõmendauit Centurionẽ, & ob eius defectum Regulum arguit, operatus eſt tamen miracula ſua tempore peregrinationis ſuæ, ferè ſemper præſens. Sic ſanctificauit Ioan. in vtero matris adhuc latentem quando Maria ipſius mater Elizabeth viſitabat. Ad eius quoq; pręſentiam Zachęo & domui eius ſalus facta eſt. Item ad tactum fimbriæ veſtimenti eius ſanata eſt mulier quæ ſanguinis fluxum patiebatur. Rurſus ex aqua præſens vinum fecit in nuptijs in Cana Galilææ, Et alia multa huiuſmodi miracula ferè manus adhibitione & corporaliter pręſens eſt operatus. Et hoc pro gloria patris expediebat, quæ non ita fuiſſet manifeſtata, nec ipſe eorum author, ſi hęc virtute Chriſti abſentis facta fuiſſent. Fecit tamen etiã quędam miracula abſens, vt oſtenderet ſe habere poteſtatem, quæ non eſſet loco alligata, ſed ſuper omnia locorũ interualla, ſine limite aut termino. Si tantum abſens realiter noſtram operaretur modò ſalutem, non ita cõmendaret nobis charitatem & amorem ſuũ erga nos, non æquè in ſpem erigeret, nec ita fidem exerceret: propter quæ & alia iam dicta maxime conueniebat quòd Chriſtus nobis ſubſtantialiter in ſacramento adeſſet.

Homil. 45. in Euang. ſecũdum Ioan. *Cap. 31.* *Luc.1.* *Luc.19.* *Ioan.2.*

Cùm autem non ſit hoc verbum apud Deum impoſsibile, & clariſsima ſint eius verba, Hoc eſt corpus meum: &, Hic eſt ſanguis meus: nihil hìc eſt ſcrupuli, niſi nodum in ſcirpo quærere velimus, maxime poſtquam Eccleſiæ acceſsit interpretatio, cuius authoritate, ſicut receptæ ſunt ſcripturæ, ita & eius interpretationẽ accipere oportet. Eſt enim Eccleſia columna veritatis. Et quamuis fides non ſit apparentium, eſt tamen præſentium, quæ ſenſum & humanam ſuperant intelligẽtiã, adeo vt nihil fere in tota noſtra fide difficilius ſit ad credendũ, quã ſub hoc ſacramẽto verè & corporaliter, quamuis inuiſibiliter, præſens adeſſe corpus & ſanguinẽ Chriſti. In quo propterea maximè intellectum noſtum captiuare oportet, & ideoq; hæretici his Chriſti verbis credere nõ poſſunt. Nã in cruce quidem erat latens & obumbrata diuinitas, ſed patebat in ſua infirmitate humanitas: Hic autem vtraq; latet, & contra rationem eſſe videtur, quòd totũ hominis corpus ſit ſub tam exigua panis ſpecie. Nec impediebat effuſionem ſpiritus in Apoſtolos præſentia corporalis, ſed familiaris & corporalis conuerſatio, de qua poſt reſurrectionem apud Lucam dicit, Hæc ſunt verba quæ loquutus ſum ad vos, cum adhuc eſſem vobiſcum: vbi loquebatur quidem ad Apoſt. viſibiliter & corporaliter apparens, ſed non erat cum eis vt fuerat prius ſecundum carnales infirmitates. Ita etiam de abitu ſuo loquitur, cum dicit, Si enim non abiero, qui abſtulit infirmitates, & illam conuerſationem amicabilem, quam prius cum Apoſtolis habuerat. Eſt autem in ſacramento inuiſibiliter ſecundum ſpeciem propriam viſibiliter autem in ſpecie panis & vini: ſed hoc ſola fides apprehẽdit & cognoſcit, difficiliꝰ tamen quàm ipſum ſedere ad dexteram patris, vt enim dicit B. Aug. tractans hoc verbũ domini, Niſi abiero, &c. Formam ſerui Apoſtoli intuentes, hoc ſolum Chriſtum eſſe putabant, quod videbant & circa creaturam ſuſceptumq; habitum occupati, æqualitatẽ quam cum patre habet, non intelligebant. Quid eſt ergo, inquit, Si non abiero, paracletus non vẽniet ad vos? niſi, non poteſtis capere ſpiritum quàm diu ſecundum carnem Chriſtũ noſſe perſiſtitis. Et Theophylactus, Si non

Cap. vlt. *Ioan.16.* *Li.1.de trinit cap.9.*

corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra Eucha riſtia: meri fumi ſunt quibus caligāt & obſcurātur oculi inſipientium & ſimplicium.
Solutio. Nam hæc verba domini tropum ſigni & ſignati abſentis non admittunt, ſicut ſcripturę quarum meminit obiectio, imò planè ab eis
1. Cor. 10. et 11. excludunt verba Apoſtoli, vt diximus eorumque circunſtantiæ. Solent namque circunſtantiæ ſcripturarum ipſam illuminare
Quæſt. 69. ſententiam, vt dicit & B. Auguſtinus lib. 83. quæſtio. cum ea quæ circa ſcripturam ſunt, præſentem quæſtionem contingentia dili-
Matth. 29. genti diſcuſsione tractantur. In verbis autē prædictis Saluator nullam proponit parabolam, ſed ſimplicem tradit veritatē, docetq; quid ſit quod manducandum & bibendum ſuis miniſtret diſcipulis. Cœnantibus eis ait Matthæus accepit Ieſum panem & benedixit, ac fregit, deditq; diſcipulis ſuis, & ait, Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum, quaſi non amplius ſit panis quem in manus ſumpſit, vbi nuda eorum quæ geſsit Ieſus narratur hiſtoria. Quod ergo hic indicium figuratæ hujus locutionis? Si pro noſtro arbitrio omnia ad tropum torquere velimus, nihil tandem certi in ſcripturis erit. Nam eodem modo dicetur, Verbum caro factum eſt, non realiter, ſed ſignificatiuē, quia videlicet carnis aſſumpſit figuram. Nullum hic facinus iubetur aut dicitur quod Chriſtum non deceat: Imò ediuerſo indignum prorſus tāto principe & amatorē fuiſſet pro monumento & ſui memoriali fruſtulum panis tantum donaſſe, vel figuram quandam & nudam ſui repræſentationem tribuiſſe. Nam maritus à coniuge ſibi charisſima receſſurus, xeniū quoddam relinquere meditatur, quo ſui habeatur memoria, & ſi fieri poſſet, ſeipſum in xenio relinqueret. Sic & principes qui curant imagines ſui repræſentatrices depingi, vel donandas vel mittendas amicis, eadem facilitate, ſi pereas fieri poſſet, ſeipſos ſub imaginibus illis donarent. Animus non deeſt iſtud præſtandi, tametſi potētia pariter & arte careant, quò minus iſtud valent exequi. Cæterum Chriſto nec animus deeſt, quippe, qui nos adeò adamauerit, vt longè duriora pro nobis aggreſſus ſit: neque potentia qui vel imperio ſolo cuncta fecit ex nihilo: neq; demū ſapientia, quatā cōmodè præſtat hoc ipſum, vt & citra quamuis iniuriam ſui corporis, & citra crudelitatē & horrorem edentium, ſuam carnē nobis e-
Ioan 6. dendam impendat, vt meritò hic cum Apoſ. Paulo exclamemus, O altitudo diuitiarū ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quemadmodū latè iſta proſequitur D. Ioannes Epiſcopus Roffēſis, in diuino illo opere de ſacramēto Euchariſtiæ, contra Ioannem OEcolampadiū. Ni-
In præfa. li. 3 corrob. 2. hil igitur indignū eſt diuina Chriſti Maieſtate, imò maximè conſentaneum tanto amatori & tā incomparabiliter ardenti, vt cum per corporalem præſentiā eſſet à ſua charisſima ſponſa diſceſſurus, ſeipſum in monumento quodam relinquere. Id quod abunde ſuis ipſius verbis teſtatur ſe facere dum dicit, Hoc eſt corpus meū quod pro vobis tradetur. In ſcripturis citatis & obiectis ab aduerſarijs & circunſtantiæ & res ipſæ cogunt tropum intelligere. Nā Chriſtus dicit ſe eſſe vitē, nos ſūt palmites. Talis autē ipſe eſt vitis quales nos ſumus palmites, aſsimulatione ſcilicet ad veram vitem veroſq; palmites. Nec Ioannes Baptiſta ſimpliciter Chriſtum agnū pronunciat, ſed agnum Dei, & talem agnum qui tollit peccata mūdi: in quo ſingulariter Deo eſt bene placitum, adeo vt eius oblatione totum ſibi mundum reconciliaret, in quem finem etiā ſeipſum in cruce quaſi agnum obtulit, & peccata mundi abſtulit, quod nō eſt agni irrationalis. Nec itē rei natura patitur ꝙ homo propriè ſit agnꝰ aut vitis vel petra: Quanquam b. Ioan. Chryſoſtomus & Theodoretus (vt eſt apud OEcumenium) interpretentur Chriſtum eſſe propriè petram illam ſpiritualem, de qua loquitur ibi Apoſt. Paulus. Nam aſsignans cauſam quare dixerit Potum ſpiritualem quem eundem oēs biberant, interpretatur ſpiritualem à cauſa, quia virtute non naturali, ſed ſpiritus producta. Addit, Biberāt enim de ſpirituali conſequēte eos petra: Petra aūt hæc conſequens tanquam indiuiduus comes, ſequutus etiam ſecundū carnis aſſumptionem, erat Chriſtus, Meſsias ſcilicet cuius beneficio & virtute aqua de naturali petra fluxerat. In verbis aūt cœnę dominicæ Acceptum in manus panem benedixit, & ſua benedictione fecit vt ex ſumpto pane eſſet corpus ſuū, quod exhibuit diſcipulis, quod eſſe, & fieri diuina virtute, imò ſolo iuſſu poteſt, & fieri ac eſſe maximè cōuenit, attēta immenſitate amoris quo erat erga eos pro quibus etiā mori eſt dignatus, omniaq; illa grauisſima ſupplicia ſubire. Et abſurdisſimū eſt apud hominē Chriſtianū & veritatis amatorē, ꝙ non aliter ſit corpus domini quod miniſtratur nobis è ſacro altari, quā agnus Paſchalis, panis quē offerebat Melchiſedech, & manna in deſerto erat corpus Chriſti. Inter hæc enim & panē viuum qui de cœlo deſcendit, ſiue panē de quo Chriſtus, Panis quē ego dabo, caro mea eſt quam dabo pro mundi vita, magnum eſt diſcrimen. Patres veſtri, inquit, manducaue *Rom. 11.*
runt manna in deſerto, & mortui ſunt: Hic panis eſt de cœlo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur in æternū Et explicans quis ſit iſte panis, addit, Panis quem ego dabo, caro mea eſt, & quidem eadem quam pro mundi vita dabo in ara crucis: Hanc eādem dabo in panē & alimentum ad paſcendum. Huc ſpectat dum in cœna Ieſus accepit panem deditq; diſcipulis ſuis, & ait Accipite & māducate, hoc eſt corpus meum: Et ſi detur aduerſarijs quod hæc verba Domini aliquo modo poſsint ſecūdum tropum ſigni & ſignati intelligi, quia tamē proprius ſcripturarū ſenſus eſt accipiendus, niſi ſit abſurdus, vel alia ſcripturæ loca clariora impediant, verba iſta propriè intelligere neceſſe eſt, quæ ſi aliquid haberēt ambiguitatis quā tamen non habent, quē certiorē iudicē inueni-

inueniemus in veri ſenſus declaratione & germana intelligentia, non ſolum huius loci ſed totius ſcripturæ, quam Eccleſiam Chriſti ſponſam? Spiritum enim ſponſi ſui habet, & ſenſum eius nouit. Ipſa quæ ſcripturas nobis tradidit, dabit & earum intellectum. Nouit enim in quo ſenſu à ſponſo ſuo eas accepit, & hunc nobis tradidit. Hæc ipſa ab eo magnifica accepit teſtimonia veracitatis, vt docet Beatus Auguſt. propter quæ in omnibus ei credere oportet, & hanc nuſquam certius loquentem audiemus, quam in ſuis Præpoſitis, & concilijs generalibus, in quibus nō ſemel definitum eſt, vt frequenter diximus, hæc Chriſti verba ſine tropo in proprio ſenſu eſſe accipienda, & pro hæreticis habendos, qui hic tropum effingunt, ſecundum quem tantum ſit memoria in ſacramento corporis Chriſti in cruce immolati, & nō veritas aut realis prҫſentia: cuius contrarium in ſuperioribus eſt oſtenſum & declaratum. & clariſsime docent Magiſter Sentent. & Hugo de S. Victore. Nec aduerſantur quæ obiecta ſunt ex Tertul. & Auguſtino. Hi enim ijſdem illis locis apertiſsimè non aliud docent, quàm realem præſentiam corporis Chriſti in hoc ſacramento. Nam Tertul. hoc eodem loco dicit quod Ieſus acceptum panem corpus ſuum fecit dicēdo, Hoc eſt corpus meum. Idem li. De carnis reſurrec. poſtquam carnem noſtrā ſubſtantiam friuolā & ſordidā multis extuliſſet prҫconijs, addit: Caro, inquit, abluitur, vt anima emaculetur: Caro vngitur, vt anima conſecretur: Caro ſignatur, vt & anima muniatur: Caro manus impoſitione obumbratur, vt anima ſpiritu illuminetur: Caro corpore & sāguine Chriſti veſcitur, vt anima de Deo ſanetur. Et eandē ſuam fidem multis in locis paſsim teſtatur Aug. Quando igitur dicunt, hoc quod porrigebat Dominus diſcipulis, fuiſſe corporis ſui figuram, explicant ſecundum quam rationem corpus Chriſti realiter & ſubſtantialiter in ſacra Euchariſtia continetur, nempe vt res ſignificata, & vere contēta, nec tantum vt ſignificata & contenta, verū etiam vt ſignum. Eſt enim ſub ſacramento corpus Domini, vt eſt ſignū memoriale eiuſdē corporis in cruce pro nobis immolati: ſicut agnus paſchalis verus erat agnus, & in mēſa verè & realiter comedebatͬ, qui ſimul figura erat agni immaculati Chriſti Ieſu. Nā in ſacramēto eſt verè corpus & ſanguis Chriſti ſecundum rationem ſigni rememoratiui corporis in cruce oblati. Ait enim Chriſtus, Hoc facite in meam commemorationem, ſicut agnum immolabant Iudæi in figuram agni qui tolleret peccata mundi. Eſt enim in ſacra Euchariſtia corpus Domini res ſacramenti, & ſimul ſacramentum. Et hunc ſenſum inſinuat Tertullianus, dum ſimpliciter dicit, quod Chriſtus acceptū panem fecit corpus ſuum: non figuratè, ſed verè, dicendo, Hoc eſt corpus meum, id eſt, corporis mei figura. Corporis, inquam, vt in cruce immolati: eiuſdem autem cum eo hic contento. Reuerend. Epiſcopus Roffenſis latè tractat hāc Tertulliani ſententiam lib. 2. Et Beatus Auguſt. contra Adamantum, tractans locum ex Deutero. ſecundum interpretationem 70. Sanguis pecoris eſt anima eius, interpretatur quod dicitur, Anima eius, quia eſt ſignū animҫ, ſed prҫſentis. Ita inquit Chriſtus dicit, Hoc eſt corp' meū, hoc eſt, corporis mei ſignū & verè & realiter prҫſentis: ſicut ſanguis animæ iam præſentis eſt ſignū. Et videtur Pronomen, Hoc, apud Aug. demonſtrare ſpecies panis: &, Eſt, accepi non ſubſtantiuè, ſed repræſētatiuè: vt ſit ſenſus, Species quæ videntur ſignificant corpus Chriſti realiter adeſſe ſicut ſanguis præſentem adeſſe animam: atq; hoc ipſum verba faciunt. Nec eſt inconueniens tropos in hoc Chriſti ſermone admittere, modo non excludant veritatem præſentiæ corporis Chriſti. Nam oportet Pronomen, Hoc, facere demonſtrationem ſimplicem, eò quòd verificatur ſucceſſiuè de pane & corpore Chriſti, ſicut dum dicitur, Hæc herba creſcit in horto meo. Item non dixit Chriſtus de pane, quem nos in manibus habemus, quod eſſet corpus ſuum, ſed de eo duntaxat, quem ipſe in ſacras manus acceperat. Eſt igitur ſenſus verborum conſecrationis, Contentum vel ſubſtantia quæ eſt ſub his ſpeciebus panis, eſt corpus meum, vt demonſtratio quoad ſpecies ſit certa, ſed indeterminata quoad ſubſtantiam contentam. Sermo præterea eſt effectiuus ac operatorius, non purè enunciatiuus, qualis tamen eſſe videtur. Poteſt autem fieri, quòd ſermo ſit operatorius ex totius ſignificatione, ob modum pronunciandi, vel ex intētionē pronunciantis, ſeruata eadem partium orationis ſignificatione, hoc eſt, quòd verbum, Eſt, ſolum ſubſtantiuè ſignificet, & non effectiuè, quaſi æquiualeret verbo operatorio, quale eſt, Fit. Nam verba conſecrationis ſignificant conuerſionem panis in corpus Chriſti, non vt ipſa eſt in fieri, ſed vt eſt in facto eſſe, ſicut docet Beatus Thomas. Beatus Bonauentura, & alij quidam doctores docent Pronomen, Hoc, in conſecratione, demonſtrare panem, & eſſe ſermonem conuerſiuum. Poteſt etiam Pronomen Hoc, intelligi apud Tertullianum & Beatum Auguſtinum, vt demonſtret corpus Domini ſub ſpeciebus, vt ſignum erat eiuſdem corporis, in quo pro nobis in cruce mortuus eſt Chriſtus. Non igitur oportet hic excludere quemlibet tropum. Nam conſecratio calicis neceſſario aliquem requirit, ſed illum imprimis qui excludit realem præſentiam corporis Chriſti ſub ſacramento. Beatus Auguſtinus, libro De doctrina Chriſtiana ſe explicat, quo ſenſu ſecundum tropum intelligenda dicat verba domini, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, &c. quæ propriè intelligi non poſſe dicit. Si videlicet intelligantur de manducatione carnali, qua ſub ſpecie propria, & in partes decerptæ carnes manducantur, hoc eſt, vt in ma-

Lib. cōtr. epiſt. Petilia 19.

Li 4. diſ. 10

Lib. de ſacrament.

Lib. 4. cōtra Marcionem.

Cap. 12 et ſequent.

Cap. 2.

Par 2. q. 78. Art. 2.

Li. 3. ca. 16.

Ioan. 6.

in macello væneunt: Sic enim ipſemet interpretatur verba domini, Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam. Hoc enim ſenſu verba Chriſti ſonarent ſcelus & flagitium, ſicut apud carnales auditores ſonant, propter quod ſi veri fuiſſent diſcipuli, quia arduum videbatur & inhumanum quod dicebat, humiliter, inquit Cyril. petere oportebat intelligentiam, non veluti truculentos exclamare, Quomodo poteſt nobis dare carnem ſuam ad manducandum? Et rectè dicit Auguſtinus, quòd in hiſce verbis Chriſtus præcipit paſsionem domini in memoria recondi, quia ſacramentum, illius eſt memoria, & hic eius eſt effectus atque ſignificatio. Citat etiam aliquando hæc verba domini, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis, &cæt. quaſi intelligantur de ſpirituali manducatione duntaxat, aliquando autem vt de ſacramentali manducatione, ratione effectus eius. Quòd autem ſit in ſacramento ſolum figura & memoria Chriſti mortui pro nobis, nullus vnquam doctor catholicus docuit, imò omnes palam reclamant. Nam Damaſcenus libro quarto de orthodox. fid. Non eſt inquit figura panis corporis & vinum ſanguinis Chriſti. Abſit enim hoc credere: ſed eſt ipſum corpus domini Deificatum, ipſo dicente, Hoc eſt corpus meum: Non corporis mei figura, ſed corpus: non ſanguinis figura, ſed ſanguis. Et Theophylactus Bulgarorum epiſcopus, exponens illud Ioannis, Panis quem ego dabo caro mea eſt, quam dabo pro mundi vita. Attendite, inquit, quòd panis qui à nobis in myſterijs manducatur, non eſt tantum ſignificatio quædam carnis Domini, ſed ipſa caro Domini. Non enim dixit, Panis quem ego dabo, ſignificatio eſt carnis: Transformatur enim arcanis verbis panis ille per myſticam benedictionem & acceſsionem ſpiritus ſancti, in carnem domini. Hæc ſcripſit Theophylactus ante annos ferè octingentos. Nam floruit ſub Nicolao primo, tempore octaui Concilij vniuerſalis, in quo damnatus eſt Photius Conſtantinopolitanæ ſedis occupator, & ferè ducentis annis ante eum teſtatus eſt Damaſcenus id quod iam citauimus. Ex quibus vides etiam quæ fuerit communis fides illo tempore Eccleſiæ catholicæ, quam à maioribus acceperat, & ad nos vſque perducta eſt, ad ſeculi vſque conſummationem permanſura. Quidam omnem tropum excludere volentes à verbis conſecrationis, dicunt ea materialiter accipi. Sed his reclamat Concilium Florentinum, vbi definitum eſt, quòd ſacerdos in perſona Chriſti loquens, hoc conficit ſacramentum. Quæ tamen nos diximus, ſub correctione ſedis Apoſtolicæ dicta ſint. Beatus Auguſtinus epiſtola ad Bonifacium dicit, quòd ſecundum quendam modum ſacramentum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt: & ſacramentum ſanguinis, ſanguis eius eſt, ſed ſecundum tropum tantùm, non propriè. Sicut, inquit, ſacramentum fidei, fides eſt, & paruulus habere fidem & credere dicitur & ſe ad Deũ conuertere propter fidei & conuerſionis ſacramentum. Atque ſecundum hunc tropum loquuti ſunt Tertullianus & Auguſtinus quando interpretantur verba domini. Hoc eſt corpus meum, vt ſit ſenſus, hoc eſt figura ſiue ſacramentum corporis, quaſi Chriſtus appellauerit ſpecies panis nomine rei ſignificatæ ſcilicet corporis ſui: Sed ſimul interpretantur & intelligunt hoc eſſe ſacramentum ſiue ſignum corporis præſentis. Nam propter ſimilitudinem earum rerum quarum ſacramenta ſunt, plerumque ipſarum nomina accipiunt. *Aug. epiſ 23* Intellectum autem verborum domini, Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam: Verba quæ ego loquutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt, diligenter explicat Auguſtinus. *Ioan. 6. Tract 7. ſuper Euangel. Io.* Caro, inquit, non prodeſt quicquàm, ſed quomodo ipſi intellexerunt. Intellexerunt autem carnem quomodo dilaniatur in cadauere, non quomodo ſpiritu vegetatur. Proinde ſic dictum eſt, Caro non prodeſt quicquam, quomodo dictum eſt, Scientia inflat, inflat quidem, ſed ſola ſine charitate: ideo adiunxit Apoſtolus, Charitas verò ædificat. Adde ergo ſcientiæ charitatem, & vtilis erit ſcientia, non per ſe, ſed per charitatem. *1. Corint. 8.* Sic etiam nunc caro non prodeſt quicquam, ſed caro ſola: accedat ſpiritus ad carnẽ, quomodo accedit charitas ad ſcientiam, & prodeſt plurimum. Nam ſi caro non prodeſſet quicquam, verbum caro non fieret. Accedit autem ad carnem ſpiritus Chriſti quo homo eſt, & ſpiritus ſanctus ipſam inhabitans, per quem carnem ſuam & ſemetipſum totum obtulit pro omnium noſtrum ſalute & vita. Hic Chriſti ſpiritus per carnem & membra corporis locutus & operatus eſt, & in hoc ſacramento per eundem ſpiritum, ſecundum tamen eſſe & formam non viſibilem, ſed inuiſibilem & ſpiritualem, viuificat & vitam præbet. Verba itaque mea quę dixi de carne mea viuificante, hoc ſenſu ſunt intelligenda. Intelligit igitur Auguſtinus per ſpiritum Animam Chriſti, vel potius ſpiritum ſanctum quo ipſa plena eſt, & carnem ac ſanguinem non ſecundum proprias formas, ſed eſſe eorum inuiſibile. Et paucis interpoſitis, addit. Non ſicut illi intellexerunt carnem, non ſic ego do ad manducandum carnem meam. Proinde, inquit, verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt, ſpiritualiter intelligenda ſunt, hoc eſt ad ſpiritum carnis referenda, id eſt ad ſpiritum ſanctum, & verbum cui caro perſonaliter eſt coniuncta. Intellexiſti ſpiritualiter, ſupple quod dictum eſt de carne, ratione ſpiritus inhabitantis, ſic ſpiritus ſunt & vita. Intellexiſti carnaliter ſicut Iudæi, etiam ſic ſpiritus & vita ſunt, tibi non ſunt. Itaque ſpiritualiter ſecundum Auguſtinum ſpiritum ſanctum & verbum patris reſpicit, & etiam modum exiſtendi carnis & ſanguinis inuiſibilem, per excluſionem modi quo exiſtunt in

proprijs formis quem intelligebant Iudæi. Sic enim ipſe Beatus Auguſtinus ſe exponit, dum alio loco dicit, Spiritualiter intellectum viuificabit vos, & ſi neceſſe eſt illud viſibiliter celebrari, oportet tamen inuiſibiliter intelligi. Nam ſpiritus eſt qui in carne viuificat, & caro ex ſpiritu eſt viuificatrix, vt dicit cõcilium Ephesinum primum. Omnis namque vita à ſpiritu procedit, vita hominis ab anima rationali, quæ eſt ſpiritus hominis, & vita brutorum ab eorum ſpiritu. Spiritus enim ſemper formaliter & effectiuè producendo vitales operationes viuificat. Caro verò non prodeſt per ſe ad viuificandum, nempè quæ vitam ipſa accipit a ſpiritu informante, & caro Chriſti ab eodem, & prætereà a ſpiritu ſancto filioque Dei inhabitante. Nam tempore mortis Chriſti caro eius ſub ſacramento, ſi hoc conſecratum fuiſſet, viuificatrix fuiſſet à ſpiritu qui omnis vitæ eſt principium & fons: de quo potiſsimum loquitur dominus quando dicit, Verba mea ſpiritus & vita ſunt. Et hunc ſenſum interpretatur dominus, dum ait, Sicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter patrem. Et qui manducat me, & ipſe viuet propter me, qui ſum per eſſentiam ſpiritus & vita, carnemque inhabito, in ea verè ſubſiſtens ſicut in natura humana, cuius hæc eſt pars. Verba igitur quę locutus eſt dominus de carne & ſanguine ſuo, quòd vitam præſtant, & quod ſine eorum vſu, eſu ſcilicet & potu, non contingit vita, verificantur ratione ſpiritus ſancti inhabitantis qui eſt vita per eſſentiam, cui caro hypoſtaticè vnitur, non ratione carnis ſecundum ſe acceptæ: Vel vita ſunt prædicatione cauſali, quia viuificant manducantem & bibentem virtute ſpiritus coniuncti. Et quia dominus hic ſermonem ſuum interpretatur. Sunt, idem eſt quod ſignificant, niſi intelligamus per verba res ipſas ſignificatas. Quo modo interpretando parabolam dicit, quòd ſemen eſt verbum Dei. Eſt igitur hic ſenſus ſecundum Beatum Auguſtinum. Verba quæ locutus ſum vobis de carne mea manducanda, & ſanguine bibendo, intelliguntur quidem de vera carne mea veroque ſanguine, ratione ſpiritus coniuncti: ſed non ſecundum eſſe & ſpecies eorum, quas proprias & viſibiles habent, ſed ſecundum inuiſibilem eorum exiſtentiam ſub alienis ſpeciebus viſibilibus panis & vini. Ipſa itaque eadem caro Chriſti ſecundum propriam formam inuiſibilis viuificat, ſecundum propriam autem formam carnis qua viſibilis eſt, & horrorem incuteret, non prodeſt quicquam. Diſtinguit igitur Auguſtinus exiſtere carnis in viſibile & inuiſibile, ſecundum proprias qualitates, & interpretatur aliquoties, ſicut diximus, ſpirituale intelligi inuiſibile. Hoc modo ſe intelligere dicta, ſalua ſcilicet veritate corporis & ſanguinis ſui in ſacramento, clariſsimè oſtendit in comment. circa præfation. pſalmi trigeſimitertij, plurimum laborans, vt explicet quomodò pſalmi illius titulus verè in Chriſto impleatur, qui eſt de mutatione vultus Dauidis coram Abimelech. Ait enim, Et ferebatur in manibus ſuis, Hoc inquit, fratres, quomodo poſsit fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus ſuis? manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur. Quomodò ergo intelligitur in ipſo Dauid ſecundum literam non inuenimus: In Chriſto autem inuenimus ſecundum literam, ſcilicet, Quòd nec in Dauid, nec in quouis homine inueniri poteſt. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum ait, Hoc eſt corpus meum. Ferebat enim illius corpus in manibus ſuis. Et idem repetens concione ſequente, Quomodo ferebatur in manibus, quia cùm commendaret ipſum corpus & ſanguinem ſuum, accepit in manus ſuas, quod norunt fideles, & ipſe ſe portabat quodãmodo cum diceret, Hoc eſt corpus meum. Vbi apertè dicit, quòd ſecundum literam Chriſtus in manibus ſuis ferebatur: deinde quòd ipſe corpus ſuum ferebat: poſtremò quòd ipſe ſe portabat quodam modo, hoc eſt, ipſe humana forma iam conſpicuus, ſe ſuis manibus inconſpicuum verè exhibuit, viſibilis ſeipſum inuiſibilem portauit, vna eademque corporis ſubſtantia, vna vtrobique præſentia, ſed præſentiæ modus varius, & ſingulariter ſibi proprius, quem mens noſtra nec concipere, nedum exprimere poteſt, vt Chriſtus ſeipſum manibus ſuis ferat, id quod nemo alius poteſt. Intelligit igitur B. Auguſtinus, quòd Chriſtus ſe ſuumque corpus verum & idem ſecũdum ſubſtantiam, nõ autem eius imaginem in manibus ſuis portabat. Imaginem enim quiſque ſuam in tabula depictam manibus portare poteſt. Dicit autem proprium eſſe Chriſto, quòd ſe ſuumque corpus manibus ferre poſsit. Simili ferè modo hæc interpretatur Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus in comment. Caro, inquit, ſi ſola intelligitur, nihil prorſus viuificare poteſt, quippe quæ viuificante indigeat ſpiritu Chriſti inhabitante, & tota facta eſt viuifica coniuncta cũ ſpiritu viuificante, & totam verbi ſuſcepit operationem, quando totam Deitatis plenitudo corporaliter inhabitat. Nam ſicut mel, dulce facit id, cui miſcetur, magis ſpiritus inhabitans carnem totam facit viuificam. Putatis, inquit, me dixiſſe ſui natura, terreſtre hoc corpus eſſe viuificum? Non hoc dixit, verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritalia & de ſpiritu & vita, id eſt, de naturali & viuifica vita ſunt. Et addit, Vocat dominus ſuam carnem ſpiritum, quia ei totaliter coniuncta eſt, ſicut Apoſtolus dicit, Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus fit cum eo. Sic Damaſcenus vocat carnem Chriſti, carbonem ignitum, ferrum candens. Panis, inquit, communionis, non panis ſimplex eſt, ſed vnitus Deitati: ſicut carbo ſimplex non eſt, ſed vnitus igni. Chryſoſtomus autem, & poſt eum Theophy-

In comm. ſal. 91.

Ioan. 6.

Matt. 13.

In Ioannẽ.

Li. 4. cap. 3. & 14.

Theophylactus & Euthimius, intelligunt ſpiritum, ſenſum ſpiritualem & carnem, ſenſum carnalem, qualem de verbis domini acceperunt Iudæi, Non de carne eius, inquiunt, nunc eſt ſermo domini. Carnaliter intelligere verba domini nihil prodeſt, ſed ſpiritualiter intellecta, viuifica ſunt. interioribus oculis tanquam myſteria verba domini intueri & aſpicere oportet, non autem ſimpliciter.

Ad eadem hæc quæ obiecta ſunt ſuperius ex Auguſtino, & ad alias quaſdam eius ſententias ex commentarijs in Pſalmum nonageſimum octauum, & ex epiſtola ad Dardanum & ad ſententiam domini Saluatoris Ioannis ſexto, in ſuperioribus declaratam, reſpondet Magiſt. in ſentent. *Lib. 4. diſt. 10.* Ex eadem, inquit, ratione omnia accipienda ſunt. Non enim verbis his Saluatoris negatur verum corpus Chriſti à fidelibus ſumi, vel in altari eſſe, ſed his veritas Apoſtolos, & in eis nos inſtruxit, quòd ipſius corpus non in partes diſcerptum, vt putauerunt illi diſcipuli qui retroierunt, ſed integrum, nec viſibiliter in forma humana, ſed inuiſibiliter ſub forma panis & vini, corpus & ſanguinem nobis traderet. Quem ſenſum Auguſtinus *Tract. 30. in Ioannem.* confirmat dicens, Ipſum quidem, & non ipſum corpus quod videbatur manducatur, ipſum quidem inuiſibiliter, non ipſum viſibiliter. Item. Et ſi neceſſe eſt illud viſibiliter celebrari, neceſſe eſt tamen inuiſibiliter intelligi. Ita etiam intelligendum eſt corpus Chriſti eſt in vno loco, ſcilicet viſibiliter in forma humana, veritas tamen eius, id eſt diuinitas vbique eſt: veritas etiam eius, id eſt verum corpus in omni altari eſt, vbicunque celebratur. Sic etiam illud intel- *Matth. 26.* ligendum eſt, Pauperes ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis, ſecundum corporalem præſentiam, qua cum eis conuerſabatur. Similiter per id quod homo eſt in cœlo, eſt viſibiliter, inuiſibiliter autem eſt in altari, quia non in forma humana apparet ſed forma panis & vini operitur. Vnde & inuiſibilis caro eius dicitur, quæ verè eſt in altari: ſed quia in ſpecie ſua non apparet, inuiſibilis dicitur. Ait enim Auguſtinus, Hoc eſt quod dicimus, quod modis omnibus approbare cõtendimus, ſacrificium Eccleſiæ duobus confici, duobus conſtare, viſibili elementorum ſpecie, & inuiſibili domini noſtri Ieſu Chriſti carne & ſanguine, ſacramento & re ſacramenti, id eſt corpore Chriſti: ſicut & Chriſti perſona conſtat & conficitur ex Deo & homine, cùm Chriſtus ſit verus Deus & homo: quia omnis res illarum rerum naturam & veritatem in ſe continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem ſacrificium Eccleſiæ duobus, ſacramento & re ſacramenti, id eſt corpore Chriſti. Eſt ergo ſacramentum & res ſacramenti idem corpus Chriſti. Ecce inuiſibilem dixit carnem Chriſti, quia forma panis operta ſumitur & tractatur, idemque corpus Chriſti dixit eſſe ſacramentum & rem. Beatus Thomas ſimiliter explicat ſententias iſtas Auguſtini. *Part 3. quæ 75. art. 1.* Ait enim: Cùm Beatus Auguſtinus dicit, Non hoc corpus quod videtis, manducaturi eſtis, non intendit excludere veritatem corporis Chriſti, ſed ſpeciem ſecundum quam ab eis videbatur, in qua ab eis non erat manducandum, vt ſenſus verborum Auguſtini ſit formalis, Non hoc corpus ſcilicet quod videtis vt tale eſt, &c. Et quando dicit ſacramentum ſpiritualiter intellectum viuificabit vos, intelligit ſpiritualiter, inuiſibiliter, & per virtutem ſpiritus ſancti, ſicut ipſe ſuper Ioannem exponens, id quod dicitur, Caro non prodeſt quicquam, dicit, Quomodo illi intellexerunt carnem. *Tract. 30. in Euang. ſecundum Ioan.* Verba eius ſuperius citauimus. Item ad ſententiam eiuſdem Auguſtini, Donec cœlum finiatur ſurſum eſt dominus: ſed tamen hic eſt veritas domini, dicit verbum illud & omnia ſimilia eſſe intelligenda de corpore Chriſti, ſecundum quod videtur in propria ſpecie, iuxta illud quod Saluator *Matth. 26.* dicit, Me autem non ſemper habebitis.

Obijcitur præterea contra veritatem corporis Chriſti in ſacra Euchariſtia. Apoſtolus Paulus, *1. Cor. 10.* Patres, inquit, noſtri omnes eandem eſcam ſpiritualem m[illegible]ucauerunt, & omnes eundum potum [illegible]ualem biberunt: bibebant autem de ſpirituali, eos conſequente petra: petra autem erat Chriſtus. Si ergo in ſacramentis illis manducauerunt eundem panem, quem & nos manducamus de menſa altaris domini, conſequens eſſe videtur, vel hunc panem quem de altari ſumimus, non eſſe corpus domini, vel figuram illam ſiue manna quod patres manducabant, fuiſſe verum corpus Chriſti, & non ſolum figuram. Quod etiam Auguſtinus ſignificaſſe videtur, docens *Tract. 26. ſuper Ioannem & 45.* ex his verbis Apoſtoli Pauli, veteris & nouæ legis ſacramenta in ſignis quidem eſſe diuerſa, ſed in re quæ ſignificatur eſſe paria: Spiritualem ait vtique eandem. Nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud. Spiritualem verò eandem quam nos. Et omnes eundem potum ſpiritualem biberunt, aliud illi, aliud nos, ſed ſpecie viſibili, hoc idem tamen ſignificante virtute ſpirituali. Sed ſi diligenter diſcutiatur hic locus Apoſtoli, inueniemus ſenſum eſſe, omnes tam boni, quàm mali patres noſtri qui ſub nube fuerunt, & tranſierunt mare, eandem eſcam ſpiritualem à cauſa, quæ ſcilicet non natura, non mundi lege, vt ait Ambroſius, ſed Dei ac ſpiritus virtute parata fuit, habens in ſeſe figuram futuri myſterij, quod nos in commemoratione domini nunc ſumimus: Eandem, inquam, inter ſe manducauerunt, & ſimiliter eundem potum ſpiritualem inter ſe biberunt, non autem eundem nobiſcum. Quem ſenſum tradit poſt Chryſoſtomum etiam Theophylactus. Et ſenſus quem ſequitur Auguſtinus nihil aduerſatur veri- *Hom. 45. in Matth.* tati corporis Chriſti in Euchariſtia. Nam

Card. Caietà. in 3. part. qu. 75. art. 1.

Angelo præſenti tribuātur prædicata rei cōtinentis. Nec hic continetur corpus Chriſti ſub ſpeciebus quaſi ipſum excedentibus, nec eis propriè tegitur aut velatur, ſicut nec pri⁹ excedebant aut tegebant panem. In extrema namq; ſpecierū ſuperficie eſt corp⁹ Chriſti, ſicut prius ibi erat ſubſtantia panis. Eſt enim in ſacramento ſicut nō circunſcriptiuè, ita nec definitiuè. Nam ſpecies panis continent corpus domini, non loco, non ſitu, nec ordine, ſed eo modo & tam intimè, vt iuxta ſententiam Irenæi, B. Auguſtini, & Gregorij, quos citat Magiſter Sentent. ex ſpeciebus & corpore Chriſti vnū cōſtet ſacramentum, nō ſolū ſicut ex ſigno & ſignato, ſed modo nobis ineffabili & incōprehenſibili, qui in vniuerſo ſimilem nō habet. Intimius enim coniungitur ſpeciebus corpus Chriſti, quàm prius ſubſtantia panis. Nec ſolum immediatò ex Dei voluntate, ſed ex ipſo modo quo ibi exiſtit, inſeparabile eſt à ſpeciebus quàm diu ſaluæ manent. hoc eſt panis ſubſtātia maneret, ſi non eſſet facta eius conuerſio. Patet igitur quomodo corpus Chriſti ſit in ſacramento Euchariſtiæ, & idem atque idipſum ſecundum propriam & quidditatiuam rationem, naturales quoque proprietates, quod de virgine natum eſt, mortuum, & nunc ſedet ad dexteram patris. Non autem tale ſecundum infirmitates & conditiones quæ ſequuntur ſtatum peregrinationis. Ex virtute enim conuerſionis in ſacramento ſolum eſt corpus, ſecundum corporis rationem & naturales eius proprietates, ex ſequela tamen & concomitantia omnes qualitates eędem quæ ſunt in corpore extra ſacramentum. Gloriam namque corporis quam habet in cælo, omneſque eius qualitates corporales quas habet in dextera patris ſedens, habet etiam in ſacramento, quę tamen propter ſubſtantialem modum exiſtendi, nec viſum, nec aliquem alium ſenſum immutare poſſunt.

Diſtin. 10 et 11. quart. ſen.

Seſſ. 3. cap. 1.

TOtum articulum, & omnia quæ diximus docet & declarat Concilium Tridentinum. Ait enim, Principio docet ſancta Synodus, & apertè ac ſimpliciter profitetur, in almo ſanctæ Euchariſtiæ ſacramēto, poſt panis & vini conſecrationem, dominum noſtrum Ieſum Chriſtum verū Deum atque hominem, verè, realiter, ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerū ſenſibilium contineri. Nec enim hæc inter ſe pugnant, vt ipſe Saluator noſter ſemper ad dextram patris in cælis aſsideat, iuxta modum exiſtendi naturalem, & vt multis nihilominus alijs in locis ſacramentaliter præſens ſua ſubſtantia nobis adſit, ea exiſtendi ratione, quam & ſi verbis exprimere vix poſſumus, poſsibilem tamen eſſe Deo, cogitatione per fidem illuſtrata aſſequi poſſumus, & conſtantiſsimè credere debemus. Ita enim maiores noſtri omnes quotquot in vera Eccleſia fuerunt, qui de ſanctiſsimo hoc ſacramento diſſeruerunt, apertiſsimè profeſsi ſunt hoc tam admirabile ſacramentum in vltima cœna Redemptorem noſtrum inſtituiſſe, cùm poſt panis vinique benedictionem ſe ſuum ipſius corpus illis præbere, ac ſuum ſanguinem diſertis ac perſpicuis verbis teſtatus eſt, quæ verba à ſanctis euangeliſtis commemorata, & à Diuo Paulo poſtea repetita, cum propriam illam & apertiſsimam ſignificationem præ ſe ferant, ſecundum quam à patribus intellecta ſunt, indigniſsimum ſanè flagitium eſt, ea à quibuſdam contentioſis & prauis hominibus ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas carnis & ſanguinis Chriſti negatur, cōtra vniuerſum Eccleſiæ ſenſum detorqueri, quæ tanquam columna & firmamentum veritatis hęc ab impijs hominibus excogitata commenta velut Sathanica deteſtata eſt, grato ſemper & memore animo præſtantiſsimum hoc Chriſti beneficium agnoſcēs. Hæc eſt doctrina Cōcilij Tridentini. verùm ne aliquis nimium audax huic doctrinæ impunè ſe contradicere poſſe putet, Canonem latæ ſententiæ contra huiuſmodi contradictores protulit, cuius verba ſunt hæc.

Si quis negauerit in ſanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento contineri verè realiter & ſubſtantialiter corpus & ſanguinē vnà cum anima, & diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum: Sed dixerit tantummodo eſſe in eo vt in ſigno, vel figura, aut virtute, Anathema ſit.

Et Synodus Nicena de hoc ſacramento corporis & ſanguinis Chriſti ſic loquitur: Iterum etiā hic in diuina mēſa ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem & poculum, ſed attollentes mentem fide intelligamus ſitum in ſacra illa mēſa agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruentè à ſacerdotibus immolatum, & precioſum ipſius corpus & ſanguinem nos verè ſumentes, credere hæc eſſe noſtræ reſurrectionis ſymbola. Propter hoc enim neque multum accipimus, ſed parum, vt ſciamus quod non ſatietati ſed ſanctimoniæ ſumimus. Docent præterea hanc eandem ſententiam omnes veterés, quos ordine recēſet Epiſcopus Roffenſis & Reuerendus Conſtallus Epiſc. Dunelmenſis, & ſingulorum ſentētias, quas hic prolixè citat, & in locis communibus Reuerendus pater Ioannes Hoefmeiſterus.

In præfat. 4. lib.

Lib. 2. de veritate corporis & ſang. Chriſti in Euchariſtia.

CIrca naturalem præſentiam veri corporis Chriſti pro nobis traditi, & ſanguinis in noſtram redemptionem effuſi, nullæ leguntur fuiſſe hęreſes vſque ad tēpora cuiuſdam Berengarij Archidiaconi Eccleſiæ Andegauenſis, cuius ſupra meminimus, hoc eſt, vſque ad annum 51. ſupra milleſimum. Hic enim diſcipulus Petri Abailardi, aduerſus quem multas epiſtolas ſcribit beatus Bernardus ad Innocentium Pontificem, primus legitur docuiſſe verba cœnæ domini, Hoc eſt corpus meum, ſecundum tropum, quo ſigna & ſacramenta ipſarum rerum quas ſignificant, nomina accipiunt,

eſſe intelligenda. In veteri namque eccleſia ob magnam verborum iſtorum claritatem & indubitatā fidem veritatis corporis Chriſti in Euchariſtia, patres iiſdem domini verbis & eorum proprio ſenſu tanquam apertiſsimo teſtimonio vſi ſunt, ad conuincendum ſui temporis hæreticos. Ex illis enim aduerſus Marcionem argumentatur Tertullianus: ſimiliter Chryſoſt. homil. 83. in Matthæum, concludentes veram & non phantaſticam carnem Chriſtum aſſumpſiſſe, vt eſt

Li. 2. ca 22. videre apud Roffenſem. Et in Concilio Epheſino aduerſus Neſtorium, qui docebat in Chriſto duas eſſe perſonas, adducitur veritas Deificæ & viuificatricis carnis Chriſti in Euchariſtia: vnde eius error conuincitur. Dicitur enim in epiſtola quam Concilium ſcribit ad Neſtorium, Ad myſticas benedictiones accedimus & ſanctificamur, participes ſancti corporis & precioſi ſanguinis omnium noſtrorum redemptoris effecti, non vt communem carnem percipientes, quod abſit, nec vt viri ſanctificati & verbo cōiuncti ſecundum dignitatis vnitatem, aut ſicut diuinam poſsideutes habitationem, ſed verè viuificatricem, & ipſius verbi propriam factam, vita enim naturaliter vt Deus exiſtens, quia propriæ carni vnitus eſt, viuificatricem eam eſſe profeſſus eſt. Quomodo enim iuxta naturam ſuam viuificatrix eſſe caro poterit hominis? Sed vt verè propriam eius factam, qui propter nos filius hominis eſt factus & vocatus. Vbi manifeſtū eſt, quòd concludit eandem eſſe perſonam Dei & hominis in Chriſto, ex eo quòd caro Chriſti in ſacra Euchariſtia manducāti dat vitam eamque conſeruat, quam caro hominis dare non poteſt. Et Irenæus ex eiſdem verbis erroris conuincit hæreſim Valentinianam. Beren-

Li. 4. ca. 34. garium ſecutus eſt Ioannes Vuycleff, cuius articulus 3. in Concilio Conſtantienſi damnatus erat, quòd Chriſtus eſt non in ſacramento altaris identicè & realiter in propria præſentia corporali: & primus articulus, quod ſubſtantia panis materialis, & ſimiliter ſubſtantia vini materialis remanent in eodem ſacramento, nec accidentia panis ſine ſubiecto manent, qui ambo damnati ſunt in eodem Concilio. Vvycleffum autem ſecuti ſunt Caroloſtadius, Zuinglius, Oecolampadius & Martinus Bucerus, Item tota ſchola Tigurina, qui multis libris hunc errorem docent, tuentur & propagare ſtudent, quodque in verbis cœnæ dominicæ, Hoc eſt corpus meum, ſit demonſtratio panis: &, Eſt, capiatur pro ſignificat, vel corpus, pro corporis figura aut ſigno: vt ſit ſenſus, Hic panis ſignificat corpus meum, vel eſt corporis mei figura, quodque abſurdum ſit corpus Chriſti tranſponi in panem, ſicut ignis in ferrum quando eſt ignitum: quemadmodum docet Mart. Luth. & tota Vvirtembergenſis ſchola: multò item abſurdiùs, quòd his verbis panis in corpus Chriſti tranſſubſtantietur, ſiue

In ca. Babylonica. conuertatur. Propter quod ſententiarum diſsidium acerbiſsimæ diſputationes natæ ſunt inter Zuinglium & Oecolampadium, & deinde inter Martinum Bucerum ex vna parte, & Martinum Lutherum, & grauiſsima conuicia ac contumeliæ, quibus ſe mutuo proſciderunt, cum graui totius germaniæ offenſione & ſcandalo, ſicut teſtantur epiſtolæ plenæ conuicijs & iniurijs, & tractatus quos contra ſe inuicem ſcripſerunt. Lutherus enim Bucerum & eius in hoc errore collegas, vocat ſacramentarios, blaſphemos, & hæreticos, & expoſtulat aduerſus Bucerum, quòd dira ſua & ſacrilega præfatione virulentiſque annotationibus quartum tomum ſuarum concionum crucifixerit atque corruperit. Ait enim de eo, Anhelus ille & ſui ſenſus propagandi incredibili furore cupidus, ſe temperare non potuit, quin dira prȩfatione & ſacrilega meum op⁹ crucifigeret. Ita non ſunt contenti miſeri homines ſuum virus proprijs & iam infinitis libris ſparſiſſe, niſi & alienos libros eo veneno illito perdant. Idem fecit antea Ioanni Pomerano in ſuo Pſalterio inſigni perfidia, quem non ignorabat per Dis diapaſon ab illa impia ſecta diſsentire. Econtra ipſe Bucerus ſcribit Lutherum ab omnibus accuſari imperioſæ & acerbæ dicacitatis, & quòd non patiatur ſibi ab aliquo contradici. Si exigit, inquit Bucerus, ne quis à ſe vlla in re diſſentiat, ꝓbet ſe Deum eſſe. In vertendis & explanandis, inquit, ſcripturis, manifeſti, neque pauci eius ſunt lapſus. Cum Bucero namque nata eſt Luthero potiſsima contentio, quod in Præfatione quarti Tomi concionum ipſius Lutheri, doceat non eſſe corpus domini ſubſtantialiter in ſacra Euchariſtia. Item circa concionem, in dominica quæ Septuageſima dicitur, habet Lutherus Deum ab initio ſanctos ſuos ſaluaſſe per verbum externum & externa ſigna. Vbi annotauit Bucer⁹, Totam hanc de ſignis tractationem lege Chriſtiane cum iudicio. In nullius enim hominis verba Chriſtiano iurandum. Tandem tamen facta eſt inter eos, eorumq; in hoc errore collegas conciliatio, ad placandum & Principes Germaniȩ, in qua vtrinque à ſuis ſententijs aliqua ex parte receſſerunt. Docuerat enim Martinus Lutherus corpus domini ſubſtantialiter in ſacra Euchariſtia permanere, ſicut ignis in ferro ignito. Hac enim ſimilitudine vtitur in captiuitate Babylonica: alijs contra, nunquam in ea eſſe niſi vt in figura & ſigno aſſerentibus, donec facta eſt hæc inter eos concordia an. 37. in ædibus Martini Lutheri, vbi concordatum eſt, quòd deinceps vnanimes docerent corpus & ſanguinem Chriſti ſubſtantialiter eſſe in ſacra Euchariſtia, quando fieret eius vſus, non antè nec poſt, ſicut ſacramentum Baptiſmi in ſola conſiſtit lotione & vſu aquæ. Schola tamen Tigurina, cuius antiſtes poſt Zuingliū iam multis annis eſt Henrichus Bullingerus, & cum eo Ioan. Caluin. in ſua perſiſtunt ſententia, nempe quòd ſola fide manducamus in ſacramento, tanquam ſigno, carnem domini & eius bibimus ſanguinem, ſine reali & ſub-

In epiſt. ad Ioannē Harnagium.

& ſubſtantiali Chriſti præſentia. Hic conſideranda eſt magna inconſtantia & inſtabilitas Martini Buceri in Dogmatibus. Nam in Præfation. prædicta, & in Commentar. Euangelij ſecundum Matthæum ſcribit ſe non dubitare, diuinitus per ſcripturam ſibi reuelatum, quod corpus & ſanguis Chriſti non ſunt verè & realiter in ſacra Euchariſtia, & ſe certum eſſe quòd hoc à Deo didicerit: à quo tamen poſtea receſsit, deſerens Zuinglij ſententiam, cuius prius ſtrenuus fuerat aduerſus Lutherum propugnator, & ſubſcribens, quòd corpus Chriſti eſt in Euchariſtia, ſed tempore vſus eius duntaxat. Aliter de religionis noſtræ dogmatibus iudicabat Baſilius Magnus, ad quem dum miſſus eſſet à Valente Imperatore Præfectus in Cæſarea Cappadociæ, & eum moneret vt tempori pareret, & non tot Eccleſias propter paruam dogmatum ſubtilitatem vexari pateretur (Erat enim quæſtio cum Arrianis de nomine ὁμοούσιον) ipſe fortiſsimo animo reſpondit, Qui diuinis innutriti ſunt, corrumpere de diuinis dogmatibus ne vnam quidem ſyllabam patiuntur, ſed pro his ſi contingat etiam omnes mortis ſpecies amplectuntur. Similiter de eis iudicat Beatus Chryſoſtomus circa locum Apoſtoli, Quantum in vobis eſt pacem cum omnibus habentes. Non igitur debebat Bucerus recedere à dogmate, quod certò nouit ſibi à Deo eſſe reuelatum. Agit autem Martinus Bucerus ſcripturis & rationibus in dicta Præfation. & in commentar. in Matthæum, vt oſtendat nec corpus Chriſti tranſponi in panem, quomodo ignis tranſfertur in ferrum, vt Lutherus aſſerit, nec panem in corpus Chriſti tranſmutari, hoc eſt, quòd corpus & ſanguis Chriſti non ſit verè & eſſentialiter in ſacramento Euchariſtiæ, ſiue illud ſecundum Lutherum intelligatur eſſe panis, ſiue ſecundum noſtræ fidei veritatem, panis accidentia ac ſpecies.

Li. 7. tripar. hiſtor. ex Theodoreto.

Rom. 12.

Bucerus. *Inſufflante, inquit, in diſcipulos Chriſto, & dicente, Accipite ſpiritum ſanctum, nec ſpiritus ſanctus qui dabatur, in halitum illum fuit tranſpoſitus corporaliter, neque halitus in ſpiritum ſanctum tranſſubſtantiatus, ita potuit per panem & vinum corpus & ſanguinem ſuum ſuis dare verè, & tamen ſpiritualiter citra vllam panis aut vini realem immutationem, quo pacto ſcilicet ſolum erant ſaluti.*

Reſponſio. Sicut interueniente flatu Chriſtus diſcipulis ſpiritum ſanctum dedit, & ſine verbo in die Pentecoſtes in linguis igneis, ita frequenter eundem ſpiritum largitur per ſacramenta & aliquando inuiſibiliter ad ſolam cordis contritionem: Ad hunc modum dedit nobis pater filium ſuum, & ipſe filius ſeipſum. hoc eſt, corpus & ſanguinem dare potuit & dedit ſine ſacramento. Dedit, inquit Paul. ſemetipſum pro peccatis noſtris, vt eriperet nos de præſenti ſæculo. Venit enim filius hominis, non miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam in redemptioné pro multis. Rurſus, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Sed non eſt controuerſia, an Chriſtus dare poſſit ſe totum, corpus ſcilicet & ſanguinem per exhibitionem panis & vini, ſine horum reali immutatione, & corporali Chriſti præſentia, ſicut ager vel domus in alterius dominium & poteſtatem transfertur ſola ſigni translatione. Sed hic quæritur an patiantur circunſtantiæ Euangeliorum quæ referunt quod Ieſus acceperit panem, benedixerit dicens diſcipulis ſuis, Manducate ex hoc omnes, Hoc eſt enim corpus meum. Et accepto calice dederit eis, dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtaméti: Hoc inquam venit in quæſtionem, an hoc, quod, Domino dicente, eſſe ſuum corpus, ſit eius reuera corpus, an corporis figura tantùm, vel per allegoriam ſolum intelligatur panis quidem verè corpus Chriſti eſſe, ſed ſpiritualiter, ſed diſcipulis, vt ſicut corpore panis, ita mente edatur corpus Chriſti, quomodo per allegoriam verba hæc aliquoties interpretatur Bucerus. Nam ſolum quidem panem, inquit ille, edere iuſsit, & ad corpus ſuum eos remiſit, quod pro ipſis in mortem erat tradendum. Hoc eſt, inquit, corpus meum: Hoc, ſcilicet panis, eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic calix eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum: vt ſenſus ſit, Accipite & manducate, hic panis eſt corpus meum, hoc eſt, ſicut corporaliter do vobis panem & vinum, ita ad vitam animæ do corpus meum & ſanguinem, ea tradendo in mortem pro vobis. Qui ſenſus valde tortus eſt, & ab Euangelijs alienus. Nec ſpiritualis manducatio ſola eſt ſaluti, vt inſinuat Bucerus, ſed & ſacramentalis corporis & ſanguinis verè realiter præſentis, in qua nobis communicatur, & intimè vnitur viuificatrix Chriſti caro quæ ſalutem operatur. Multi, inquit Apoſt. Paul. vnus panis & vnum corpus ſumus, eò quòd de vno pane & vno calice participamus, quamuis ſine ſpirituali manducatione nõ proſit ſacramentalis, ſed multum obſit. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, ſicut ſacramentum baptiſmi indignè vel fictę ſuſceptum obeſt, quod dignè ſumptum prodeſt multum.

Galat. 1.

Matth. 20.

Cyrillus circa loca Ioan. Ego ſum vitis vera.

Bucerus. *Ita autem factum, videlicet quòd nulla fiat realis immutatio panis aut vini, nec ſubſtantialis corporis & ſanguinis præſentia, id probat quòd panis, panis perſeuerauerit, & vinum, vinum: cùm tamen omnia opera Domini quæ ſcriptura corporalia commemorat, dicendo, Hoc eſt illud, vt cùm aquam in nuptijs memorat factum vinum: cùm mortuos ſubinde factos viuos: ægrotos ſanos, &c. verè corporalia, hoc eſt, ſenſibilia apparuerint. Ita aqua illa vini habebat ſubſtantiã et proprietatem, vt ita ab omnib. agnoſceretur, Sic mortui viuebãt,*

& va-

anguſtias cõſcientiarum noſtrarum clamantes dignatur audire, vbi dicimus, clara apertaque ſunt verba Chriſti, Comedite, hoc eſt corpus meum. Hic conſcientiæ noſtræ captæ ſunt: monſtrari cupimus locum, qui oſtẽdat noſtrum ſenſum in his locis eſſe falſum. At hic nemo hiſcit in tot libris eorum. Ad quã Lutheri reſponſionem iterum argumentatur Bucerus.

Buceri reſpõſio ad epiſtolam Lutheri. *Calumniatur, inquit, Lutherus me in Præfatione dicere, Miracula Chriſti fuerunt talia, vt cum diceret, Hoc eſt illud, mox quoque ſenſibile fuerit: Igitur Chriſti corpus oportere eſſe viſibile in ſacramento, aut non eſt in ſacramento. Hac vocat ludibria & argumentationem à particulari ad vniuerſale. Legant Fratres meam prædictam Præfationem, ibi ego ſcribo omnia opera Domini, quæ ſcriptura corporalia commemorat dicendo: Hoc eſt illud, vt cũ aquã in nuptijs memorat vinũ factum, cum mortuos ſubinde factos viuos, ægrotos ſanos, & cætera, verè corporalia, hoc eſt ſenſibilia apparuerunt. Vbi hic argumentũ huiuſmodi, Aliqua Chriſti miracula, ſunt viſibilia, ergo neceſſe eſt omnia eſſe viſibilia? Cur omiſſum eſt, Corporalia, in quo tota vis argumentationis? Ita calumniari Fratrum ſcripta hoſtes veritatis decet, Lutherum non decet: Mea potius argumentatio eſt ab vniuerſali ad particulare, Omnia Chriſti opera corporalia, quæ quidem ſcriptura prædicat, ſenſibiliter apparuerunt: Ergo & hoc ita apparere oportuiſſet, ſi corporale opus et miraculum fuiſſet. Vobis hoc vitij rectius imputaretur, qui quod alicubi in ſcripturis, vbi dicitur, Hoc eſt illud, hoc illud realiter eſt, concluditis & in verbis cœnæ ſic habere, præter omnem aliam ſcripturam:* Hæc Bucerus.

Reſponſio. Quæ eius reſponſio nullo modo ſatis facit. Cùm enim Chriſtũ ſedere ad dexteram patris, regnare, viuere & agere, corporalia ſint, ſola tamen fide, non viſu, nec quouis alio ſenſu percipiuntur, oſtendit Martinus Lutherus falſam eſſe vniuerſalem propoſitionem, quòd omnia Chriſti opera corporalia, ſenſibiliter apparent. Vita enim Chriſti in cœlis, ſeſsio ad dexteram patris, & eius actiones corporales ſunt, imo ſecundum ſe ſenſibiles, nullo tamen ſenſu hac peregrinatione à nobis percipiuntur, poſt reſurrectionem glorioſum & ſpirituale habebat corpus, quale habet in ſacra Euchariſtia, quod *2. Cor. 15.* tamen non apparebat. Seminatur, inquit Apoſt. Pau. corpus animale, ſurget corpus ſpirituale: ſeminatur in corruptione, ſurget in incorruptione. Et Ioannes Apoſtol. Nunc *1. Ioan. 3.* filij Dei ſumus, inquit, & nondum apparuit *Colloſ. 3.* quid erimus, imò nec quid ſimus. Rurſus Apoſt. Vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo: cùm autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos cum ipſo apparebitis in gloria. Et ſi ita eſſet, quòd reliqua Chriſti opera & miracula corporalia ſenſibiliter apparerẽt, quia tamen fieri poteſt, nec vllam habet abſurditatem, quod ſimpliciter dixit Chriſtus, Hoc eſt corpus meũ, ſiue ſimile ſiue diſsimile cum alijs habeat domini operibus, firma fide hoc ipſum ſuſcipere oportet: non ratio hic, non ſenſus locum habet, ſed verbis domini fides adhibenda eſt. Nam corpora inuiſibiliter & inſenſibiliter tranſmutare poteſt. Nec nos à particulari ad vniuerſale, vt dicit Bucerus, argumentamur, ſed poſt concordem veterum interpretationem in proprio ſenſu intelligimus, quando nullam habeat abſurditatem, nec vlla ſcriptura aduerſetur: Quin potius commendat immenſam patris & Chriſti in nos charitatem.

Optimè hîc reſpondet Philippus Melanchthon, Quibuſdam, inquit, valde hebetes videmur, quòd in verbis Euangelij, Hoc eſt corpus meum, non videamus metaphoram, nec intelligamus nos ab infinitis quæſtionibus vnius beneficio metaphoræ liberari. Videtur inſania eſſe, ſententiam longè omniũ abſurdiſsimam mordicus tenere, cum aliam commodiſsimam offerat Metaphora. Hi deſiderabunt in me iudicium: Hic etiam quod in his teſtimonijs Hyperbolas & Allegorias non deprehenderim. Ego verò non ignoro hæc medicamina vtilia & exquiſita, vt quibus medicantur has ſententias alij. Verum quid non poterit eludi hac arte, ſi licebit Allegorias comminiſci noſtro arbitrio? Quidam enim callidi homines totam religionis doctrinam hoc modo transformarunt in philoſophiam. Quomodo Origenes totam hiſtoriam quam deſcribit Geneſis de Paradyſo, traxit ad Allegoriam & ſpiritum, negans corporalem huiuſmodi hortum à Domino plantatum, & arbores eſſe corporales, quarum meminit Geneſis, vt dicit de eo B. Auguſtinus. Pergit Philippus, Et vniuerſam eccleſiam catholicam ſemper docuiſſe corpus & ſanguinem domini verè adeſſe in cœna dominica, perſpicua & clariſſima docẽt veterum ſcriptorum teſtimonia. *Rom. 14.* Et quanquam fides non pendet ab humana authoritate, ſed à verbo Dei, tamen cùm ſcriptura imbecilles à fortioribus cõfirmari velit, iuuat habere eccleſiæ teſtimonia in omni genere tentationum. Vt enim viuos libenter conſulimus, quos iudicamus vſum aliquem habere ſpiritualium rerum, ita & veteres quorum ſcripta probantur, cenſeo conſulendos eſſe. Sunt & aliæ cauſæ cur veterum teſtimonia nõ contemnam. Exiſtimo enim hoc cõmuniter ſenſiſſe eccleſiã, quod ipſi ſcripſerunt. Neque verò tutum eſt à communi ſententia veterum diſcedere. Ego nouum dogma quod maximam ruinam rerum maximarum ſecum trahit, ſine firmioribus teſtimonijs non velim profiteri. Caroloſtadius primum excitauit hunc tumultum, homo ferus, ſine ingenio, ſine doctrina, ſine ſenſu communi, quem nullum vnquam humanitatis officium, aut intelligere, aut facere animaduertimus, tantum abeſt vt in eo ſignificatio aliqua ſpiritus ſancti animaduerſa ſit, imò extant mani-

Tract. de cœna domini contra Anabapt.

manifeſta ſigna impietatis. In tota doctrina ſolebat Iudaizare & diſſentire: damnabat omnes leges ab ethnicis conditas, contendebat in foro ius ex Moyſe dicendum eſſe, totam illam phanaticam Anabaptiſtarum doctrinam ſtatim initio ambabus manibus amplectebatur, cum cœpiſſet eam in Germania ſerere Nicolaus Storck. Et controuerſiam de cœna Domini tantùm odio Lutheri, non aliqua pietatis opinione mouit. Meo certè iudicio, magna eſt temeritas, dogmata ſerere non conſulta eccleſia veteri. Itaq; collegi hos locos de cœna Domini, vt in promptu eſſent veterum teſtimonia quam maxime perſpicua, in quibus affirmatur vere adeſſe corpus Chriſti in cœna dominica. Et adducit primò Cyrillum tractantem verba Domini, Ego ſum vitis vera, qui clariſsime dicit per communionem corporis & ſanguinis Domini corporaliter Chriſtum in nobis habitare, & participatione naturali in nobis eſſe, & non ſolum per charitatem, quodque natura corporis noſtri fieri nequit incorruptibilis, niſi Chriſtus ei coniungatur: Quemadmodum, inquit, ſi quis igne liquefactam cæram alij cæræ ſimiliter liquefactæ ita miſcuerit, vt vnum quid ex vtriſq; factũ videatur, ſic communicatione corporis & ſanguinis Chriſti ipſe in nobis eſt, & nos in ipſo. Nõ poterat enim aliter natura hæc corruptibilis corporis ad incorruptibilitatẽ & vitã traduci, niſi naturalis vitæ corpus ei cõiungeretur. Citat eundem Cyrillum ex lib. 4. ſuper Ioannem, vbi oſtendit, quòd non ſine magna impietate clamabant. Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum, docens quod operum Dei ratio, mentem noſtram effugiat. Item quòd Iudaicum verbum eſt, Quomodo poteſt hic nobis, &c. Citat etiam caput ſequens in Cyrillo, vbi docetur corpus Chriſti viuificare, Chriſtumque in miraculis edendis ſua carne vſum eſſe, vt oſtenderet corpus quoque ſuum viuificare poſſe. Quod ſi ſolo tactu ſuo, inquit, corrupta redintegrantur, quomodo non viuemus qui carnem illam & guſtamus & manducamus? Reformabit enim omninò ad immortalitatem ſuam participes ſui. Nec velis Iudaicè, Quomodo, quærere, ſed recordare: quamuis naturaliter aqua frigidior ſit, aduentu tamen ignis, frigiditatis ſuæ oblita æſtuat. Hoc ſanè modo etiam nos, quamuis propter naturam carnis corruptibiles ſumus, participatione tamen vitę ab imbecillitate noſtra reuocati, ad proprietatem illius ad vitam reformamur. Oportuit enim certè vt non ſolum anima per ſpiritum ſanctum in beatam vitam aſcenderet, verùm etiam vt rude atq; terreſtre hoc corpus cognato ſibi guſtu, tactu, & cibo ad immortalitatem reduceret.

Chriſtum in nobis habitat per communionẽ corporis & ſanguinis, nõ ſolum per charitatem ſed corporaliter. Ioan. cap. 15. circa Ego ſũ vitis vera.

Cap 13.

Ioan. 6.

Ex Chryſoſtomo autem citat quod quæſtio, Quomodo aliquid fiat, naſcatur eſt incredulitate, quodque vnum corpus ſumus, & membra ex carne & oſsibus eius, & quòd per cibum quem nobis largitus eſt, id efficitur, vt nõ ſolum per dilectionem, ſed re ipſa in illam carnem conuertamur, quodque per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in vnum nobiſcum redegit, vt corpus cum capite vniretur: Item vt nos ſecum in vnám (vt ita dicam) maſſam reducit, neque id fide ſolum, ſed reipſa nos corpus ſuum efficit; & quòd mundiſsimam oportet eſſe linguám quæ cruentatur hoc admirabili ſanguine. Quibus addit, Non ſunt humanæ virtutis hæc opera quæ tunc in illa cœna confecit, ipſe nunc quoque operatur, ipſe perficit, miniſtrorum nos ordinem tenẽmus. Qui verò hæc ſanctificat & transmutat, ipſe verè eſt. O ingẽs, inquit, miraculum, ò magnam Dei beneuolentiam erga nos. Is qui ſedet ſupra cum patre, illa hora omnium manibus detinetur, & dat ſe volentibus circundare & cõplecti. Adducit præterea Melanch. Theophylactum, quòd Deus ſpeciem quidem panis & vini ſeruat, & in carnem & ſanguinem tranſelementat: deinde Hilarium & Cyprianum, Irenæum & B. Ambroſium, de myſterijs initiandis, & de ſacramentis. Quorum omninium ſententiæ ſunt maximè perſpicuæ: & clariſsimè docent verè & realiter corpus & ſanguinem eſſe in Euchariſtia. Sed reuertamur ad Bucerum: addit enim rationem tertiam.

Homil. 41. in Ioannem.

Homil. 83. in Matth.

De dignitate ſacerdotali. Mar. 14. Li. 8. de trin. Epiſ ad Cecilium. & in ſermon. de cœna Domini. Lib. 5. cõtra Valentinum ca. 1. & li. 4 cap. 34.

Hora fuit vt nos ab elementis mundi ad ſuperna & ſpiritualia ſubueheret: Quare non videmus cum analogia fidei & conſonantibus reliquis ſcripturis, poſſe affirmari Chriſtum in panem ilicò edendum ſuum corpus, quo nihil in omnibus corporalibus rebus anguſtius, quod nunquam à verbo poſitum fuit, per miraculum collocaſſe, vt ita vellet nollet, mens pluſquam miraculoſo pani affigeretur, quæ iuxta verbum ipſius debet in memoria mortis eius occupari, donec veniat, inquit Paulus.

Bucerus.

Docet ſcriptura, quòd per ea quæ acta ſunt inuiſibilia Dei intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Item, A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri. Et V. Hugo de S. Victore, de ſacramentis viſibilibus loquens, Propterea infideliũ oculi, inquit, qui viſibilia ſolum vident, ſacramenta ſalutis venerari deſpiciunt: non enim ſciunt quòd fideles ſalutem ex iſtis elementis non quærant: etiam ſi in iſtis quærũt, ſed ex illo, & ab illo quærunt in iſtis, à quo iubentur quærere. Non enim iſta tribuunt quod tribuitur per iſta, ſed ille per iſta ſalutem præbet, qui in iſtis ſalutẽ quærere iubet. Significat enim & loquitur Chriſtus per has ſpecies panis & vini, ſe eſſe verum panem & potum, qui dant vitam mundo. Panis, inquit quem ego dabo vobis, caro mea eſt, quam dabo pro mundi vita. Et ideo ipſe Chriſtus per has ſpecies ad ſuperna & ſpiritualia nos ſubuehit, quaſi per monumentum & memoriale mortis ſuæ, & ſignis amoris, quem in hoc ſacramento nobis commẽdauit. Cùm enim ſuum in nos amorem, inquit Chryſoſt. indicare

Reſponſio Rom. 1. Sapient. 13. Lib. 1. par. 9. Cap. 3.

Homi 45. in Matth. care vellet, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in vnum nobiſcum redegit. Hoc enim amantium maximè eſt: Nam ait, Hoc facite in meam commemorationem. Nec dicimus Chriſtum in pane edendum, ſed panem in corpus Chriſti, vt Theophylactus & reliqui veteres ſcriptores, tranſelementandum. Nec etiam panis & vini ſpeciebus quaſi inuitus affigitur, ſed ſecundum ſuam inſtitutionem inſeparabiliter eis coniungitur, & ſeſe ex amore ſub eis continet, vt corporaliter etiam præſens adſit, ſicut dum nobiſcum in terris conuerſabatur: & in omni perplexitate & neceſsitate, ad eum cõfugiamus, ac verè præſentem oris oſculo, lingua, totiuſque affectus amore amplectamur. Rurſum Bucerus.

Bucerus. *Hac non dubitamus, inquit, diuinitus nobis & per ſcripturam reuelata de hoc ſacro.*

Reſponſio. *Innocen. 3. c. Cũ ex iniuncto de hæreticis.* Reuelationem quam iactat non ſuſcipimus, niſi per ſcripturam habeamus eius atteſtationem. Ita nos docent ſacri Canones, qui dicunt, Cum interna miſsio ad prædicãdum, vel dogma aliquod tradendum ſit occulta, non ſufficit cuiquam nudè tantum aſſerere, quòd ipſe ſit miſſus à Deo, cum hoc quilibet hæreticus aſſeueret: ſed propter quod aſtruat illam inuiſibilem miſsionem per operationem miraculi, vel ſcripturæ teſtimoniũ ſpeciale: quod & probant per exẽpla ſcripturæ. Et iuſtiſsima eſt cauſſa cur hãc Buceri reuelationem non ſuſcipiamus tanquam diuinitus factam, quin potius tanquã illuſionem Sathanæ reijcimus, quando ipſemet ab ea diſceſsit, & doctrinam ei contrariam propoſuit & ſubſcripſit in Cõcilio hæreticorum celebrato VVittembergæ in ædibus Lutheri, anno 36. vt diximus ſuperius ex Miſcell. Coclei Ita enim habent acta huius Concilij: Audiuimus D. Bucerũ explicãtem ſuam ſententiam de ſacramento corporis & ſanguinis domini, hoc modo. Cum pane & vino verè & ſubſtantialiter adeſt, exhibetur & ſumitur corpus Chriſti & ſanguis, & ſacramentali vnione panis eſt corpus Chriſti, & porrecto pane verè adeſt & verè exhibetur corp⁹ Chriſti. Quando enim perſpicuiſſima ſunt verba Chriſti, Hoc eſt corpus meum, & concors patrum de hac re ſententia, quis ſanæ mentis dubitare poteſt acquieſcẽdum eſſe Chriſti veritatis ſermoni, & reuelationem quam iactat Bucerus à Sathana eſſe ſuggeſtam? Nouimus enim, docente Apoſtolo, quòd ipſe Sathanas ſe frequenter trãſfigurat in angelum lucis. *2. Corin. 11.* *2. Theſſa. 2.* Non eſt ergo magnum, ait idem Apoſt. ſi miniſtri eius tranſfigurentur in miniſtros iuſtitiæ. Item alio loco. In eo quòd charitatem veritatis nõ receperũt vt ſalui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio. Mentem arrogantem & ſuperbam fallit, decipit & illudit, imò & excœcãt Deus. Nihil igitur mirandum eſt, quòd Bucerus non videt in ſcripturis id quod in eis perſpicuũ eſt, & per ſe manifeſtum. Ait enim de quibuſdam ſcriptura, *Roman. 1.* Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant. *Pſal. 68.* Et Dauid, Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, in captionem & in ſcandalum, obſcurentur oculi eorum ne videant. Magnum Dei donum eſt fides, & non ex nobis, quã in ſacra Euchariſtia videmus præſens corpus & ſanguinem Domini ſecundum proprias eorum naturas, quod abijcit Bucerus. Subiungit autem rationem quartam.

Bucerus. *Zuinglio & OEcolampadio nemo dubitat ſcribendi hac de re cauſam fuiſſe gloriam Chriſti & fidei puritatem, vt nimirum omnia à Chriſto ſedente ad dexteram patris peteremus, non ab elementis mundi, vt animis eo ſubueheremur, non in ſacramentis fruſtra, ne dicam irreligioſè defixi hærentes.*

Reſponſio. Manifeſtum eſt & certa fide credendum Zuinglium & OEcolampadium, quos magnificè commẽdat Bucerus, fuiſſe (quemadmodum etiam Mart. Lutherus rectè iudicat) hæreticos taleſque ab Eccleſia in Berengario & Ioãne VVicleffo iudicatos & damnatos, eoſque ad ſcribendum motos fuiſſe non ſpiritu pacis & ædificationis, ſed diſſenſionis & appetitus gloriæ, non Chriſti, nec patris eius ſed propriæ. Sui enim placentia, vt rectè dicit Irenæus, hæreſes & errores ſeminantur. Nam in hoc Chriſti gloria eſt, quòd ſimpliciter credamus ei quod dicit, quamuis ſenſus reclamet & ratio. Scribit enim de Abraham patriarcha Apoſt. Paul. quòd in repromiſsione Dei non hæſitauit diffidentia, *Rom. 4.* ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo, pleniſsimè ſciens, quia quæcunq; promiſit Deus potens eſt & facere. Nec minor Chriſto eſt gloria quòd ad eum confugimus, vt in ſacramento adeſt, & ſalutaria, humilitatem videlicet & caſtitatem per humilitatem & charitatem, quam ibi oſtendit, ab eo petamus, quàm ſi hæc ab eodem peterentur adhuc in terris cõuerſante, aut etiam nunc ab eodem ad dextram patris ſedente petuntur. Nam antiqua eccleſiæ conſuetudo habet, vt ad eundem in miſſa dicamus, Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miſerere nobis. Atq; ei in cruce pendenti grata erat oratio latronis, *Luc. 23.* qua dicebat, Domine memento mei quando veneris in regnum tuum. Mox enim reſpondit, Amen dico tibi, hodie mecũ eris in paradiſo. Et diximus Chriſtum in ſacra Euchariſtia ad dexteram patris ſedere, ſicut in cælis. Nam nomine dextræ patris intelligitur gloria diuinitatis, vt dicit Damaſcenus, vel æterna beatitudo, vel poteſtas regalis & iudiciaria, vt dicit Auguſt. *Thom. ex Damaſc. & Auguſt. par. te. 1 quæ 58. Lib. 4. ca. 2.* Sedere autem ſignificat quietem, vel regiam, atque iudiciariam poteſtatem. Hæc enim omnia Chriſto conueniunt, etiam ſecundum naturam aſſumptam in ſacra Euchariſtia. Nam Chriſtus in ſacra Euchariſtia eſt beatus, & omnium beatorum caput. Patri etiam conregnat, poteſtatemque ab eo habet iudiciariam, & ſanctorum angelorum multitudine cin-

ctus

ctus eſt vbicunque fuerit. Nec fidei puritas eſt, vt dicit Bucerus, ſed exterminium, & in Chriſtum blaſphemia, clariſsimis eius verbis contradicere, eique dicenti: Hoc eſt corpus meum, repugnare ac dicere, Non corpus tuum, ſed tantùm corporis ſymbolum & figura. Nemo certius nouit, quid eſſet quod diſcipulis porrigebat, quàm ipſe muneris largitor. Nec ab elementis mũdi aliquid petimus, nec in eis defixi hæremus, ſed dum viſibiliter Deũ cognoſcimus, per hunc ini nuiſibilem amorem rapimur, vt canit ſancta Eccleſia.

Colligit autem Bucerus ſummatim argumenta, quæ eum mouerunt ad docendum, non eſſe verum corpus verumque ſanguinem in ſacra Euchariſtia, in reſponſione ad expoſtulationem Martini Lutheri. Nã quia acerrima erat horum inter ſe diſputatio, vt habet Antipologia Buceri, omnia proponit ſuccinctè, quæ ſuũ dogma ſtabilire poſſent. Sic autem ait:

Bucerus. *Oſtendimus verba hæc ſcilicet, Hoc eſt corpus meum, non poſſe corporalem Chriſti præſentiam ſtatuere, quia nec ipſe Dominus in cœna panem in corpus ſuum mutauerit. Quomodo enim dicemus factum eſſe quod non fuit. Panis manſit. Non fuit igitur factum corpus, Tum illud, in hoc eſt corpus meum, ſcriptura non habet. Denique manducare Chriſtum corporaliter, nihil prodeſt. Non igitur voluit carnalem ſui manducationem inſtituere. Ergo verba illa, Hoc eſt corpus meum, ita intelligenda ſunt, Hic panis eſt corpus meum ſed ſpiritualiter: vt ſicut corpore panis, ita mente edatur corpus Chriſti. Nã violentũ eſt, quòd illud, Caro nõ prodeſt quicquam, de ſenſu carnali intelligunt. Neque nullius momenti eſt, quòd ſtatuere carnalem Chriſti præſentiam in pane, repetitis illis verbis, abſurdum ſecundum ſcripturas demonſtramus. Nihil ſiquidẽ abſurdi ſuo iudicio facit Deus. Sed hoc fortius eſt quàm vt contemni ab eis poſſit, miracula Dei corporalia omnia ſenſibilia apparere.*

Reſponſio. Iterum hic clariſsimè cognoſcimus fidẽ eſſe donum Dei, quod largitur & negat pro ſuo beneplacito quib' vult, & rurſum ſubtrahit, quibus ſemel eſt largitus quando vult, ſed ob culpam duntaxat. Neminem enim deſerit, niſi ipſe prius deſertus. Cuius rei terribile exemplum nobis oſtenditur in Martino Bucero, qui ob rationes has leuiſsimas, nihilque ſoliditatis habentes, blaſphemiam iſtam perfidiam de ſacramento corporis & ſanguinis Domini eſt amplexus, quam nunc pertinaciſsimè defendit, verbaq; Domini quæ ſecũdum ſermonis proprietatem plurimum faciunt ad ædificationem, & ſupereminentem Chriſti erga nos charitatem commendant, noſtramq; erga eum dilectionem accendunt, humilitatis prætere a exemplum, non minus quã in ſua morte & paſsione præ ſe ferunt, ſine iuſta ratione ad tropũ & allegoriam trahit. Et quamuis omnibus his Buceri rationibus ſatis reſponderimus, ſuccinctè tamen, ſicut ipſe ſuccinctè eadem etiã repetemus. Quòd igitur aſſumit hæc verba Domini, Hoc eſt corpus meũ, non poſſe corporalem Chriſti præſentiam ſtatuere, manifeſtè falſum eſt. Nã quibus, precor, verbis euidentius & expreſsius corporalem ſui præſentiam ſtatuere potuiſſet, quàm dum poſt panem in venerabiles manus acceptum, ocularem faciens demonſtrationem, dicit, Accipite & manducate, hoc ipſum quod porrigo, quod videtis, eſt corpus meum? Et Hic ſanguis meus eſt quẽ in calice vobis propino? Quis igitur Bucero credet quòd Chriſtus in cœna panẽ in ſuum corpus nõ mutauit (quãuis hic nõ de mutatione, ſed de reali exiſtentia corporis Chriſti in Euchariſtia ſit diſputatio) dum Chriſtus clariſsimè docet hoc ipſum eſſe corpus ſuũ quod porrigebat. Et quòd panis non manſerit poſt verborum benedictionẽ, ſed mutatus ſit, oſtẽdetur articulo ſequẽte, ex ipſis verbis dominicis. Libenter confitemur quòd panis non eſt factus corpus Chriſti, ſed id quod erat panis, iuxta ſentẽtiam B. Ambroſij, poſt conſecrationem eſt corpus Chriſti, ſicuti articulo ſequẽte etiam declarabitur. Item & confitemur non ſolùm ſcripturam non habere, in hoc ſcilicet pane eſſe corpus Chriſti, ſed eam nec hoc ſuſtinere. Habet enim quod dominus dixerit, Hoc ipſum quod porrigo eſt corpus meum. Et Martinus Lutherus cõſequentiã hanc recte negat, Panis panis manſit, ergo non eſt factus corpus Chriſti. Nam ſicut ferrum manet, & igne in ipſum trãſpoſito fit ignitum, ita dicit corp' Chriſti realiter in panẽ tranſponi. Falſum eſt præterea quod aſſumit Bucerus, nihil prodeſſe corporaliter Chriſtum manducare, ſub ſpeciebus panis. Cùm enim caro Chriſti ſit in ſacra Euchariſtia viuificatrix, & vitam ſeruet ſpiritualẽ, ſicut corporalem corporalis cibus, vt diximus ex concilio Epheſino, quomodo fieri poſſet, ꝙ nihil proſit corporaliter Chriſtum mãducare? Ait enim B. Chryſoſtomus, quòd in vnam quaſi maſſam vnumq; corpus per ſacram Euchariſtiam reducimur, neq; id fide ſolum, ſed re ipſa, Et B. Cyrillus ad huius rei declarationem ſimilitudine vtitur. Quãuis, inquit, naturaliter aqua frigidior ſit, aduentu tamen ignis frigiditatis ſuæ oblita æſtuat. Hoc ſanè modo etiam nos, quãuis propter naturã carnis corruptibiles ſumus, participatione tamen vitæ ad proprietatem illius ad vitã reformamur. Aperta quoq; eſt ſententia Apoſtoli Pauli, Vnus panis & vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus. Senſum autem verborũ Chriſti accipiendũ eſſe ſolum ſecundum Allegoriã quam explicat Bucerus, quomodo apud Apoſtolum Agar eſt vetus teſtamentũ, & in euangelijs ſemen eſt verbum Dei, ſcriptura ipſa nõ patitur, quando ſenſus verborum ꝓprius fidem, charitatẽ & reuerentiam erga Deum ædificat. Reclamat etiam cõcors patrum ſententia. Et ideo abſurdiſsimum eſt ex-

Homil. 83. in Matth. & hom. 45. in Ioan. li. 4. cap. 14.

1. Corint. 10.

Galat. 4.

eſt excluſo ſenſu proprio ad Allegoriã trahere verba ſaluatoris. Carnẽ autem dum dicitur, Caro non prodeſt quicquam, intelligunt Chryſoſtomus & Theophylactus ſenſum carnalem: Nec eſt violenta hæc eorum interpretatio. Beatus verò Auguſtin. & Cyrillus intelligunt carnem ſolitariè ſine ſpiritu ſumptam, vt diximus in ſuperioribus. Realem autem Chriſti præſentiam repetitis Chriſti verbis ſub ſpeciebus panis, ſtatuimus & docemus ex eiuſdem domini iuſſu ac mandato. Hoc facite in meam commemorationem. Vbi Chriſti verba deprompta fuerint, inquit Auguſtinus, iam non panis dicitur, ſed corpus Domini appellatur. Item B. Ambroſius, ſermone, inquit, Chriſti perficitur conſecratio. Sermo igitur Chriſti hoc conficit ſacramẽtum, is idem quo facta ſunt omnia. Iuſsit dominus, & factum eſt cælum: iuſsit, & facta eſt terra. Vides igitur quàm operatorius ſit ſermo Chriſti? Si ergo tãta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, vt inciperent eſſe quæ non erant, quanto magis operatorius eſt vt ſint quæ erant, & in aliud commutentur? Et Theophylactus explicans ſententiam ſaluatoris, Panis quem ego dabo caro mea eſt. Non dixit, inquit, Panis quem ego dabo figura eſt carnis, ſed caro mea eſt. Trãſformatur enim arcanis verbis panis ille per myſticã benedictionem & acceſsionem ſancti ſpiritus in carnem domini. Item B. Chryſoſtomus. Nunc ille præſto eſt Chriſtus, inquit, qui illam ornauit menſam, ipſe iſtam quoque conſecrat. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute conſecrantur & gratia, Hoc eſt, ait corpus meum. Hoc verbo propoſita conſecrantur, & ſicut illa vox quæ dicit, Creſcite & multiplicamini, & replete terram, ſemel quidem dicta eſt, ſed omni tẽpore ſentit effectum ad generationem, operante natura: Ita & vox illa ſemel quidem dicta eſt, ſed per omnes menſas eccleſiæ, vſq; ad hodiernam diem, & eius vſque aduentum præſtat ſacrificio firmitatem. Rurſum Ioãnes Damaſcenus, Qui dixit in principio, inquit, Producat terra herbam virentem, & vſque nunc pluuia facta & diuino adiuta & vigorata præcepto, germina producit: Idem quia dixit, Hoc eſt corpus meũ, & hic meus eſt ſanguis: hoc facite in meam cõmemorationem, & omnipotenti eius præcepto, donec veniat, hoc ipſum efficitur. Ex verbis igitur Chriſti ſecundum concordem veterum ſcriptorum interpretationem ſtatuimus ſub ſpeciebus panis, repetitis Chriſti verbis, eſſe veram atque realem Chriſti præſentiam. Demonſtrationem quam hic iactat Bucerus, ponit in eadem reſponſione ad Lutherum. Expendamus eam an ſit vera demonſtratio, an potius humana adinuentio, nihil habens ſoliditatis.

De ver. domini ſuper Lucã ſer. 28

Lib. 4. de ſacramento cap. 4.

Ioann. 6.

Ser. de proditione Iudæ.

Geneſ. 1.

Lib 4. de orthodox. fide.

Videant, inquit, (de Luthero, & his qui ponunt realem præſentiam Chriſti in ſacra Euchariſtia) *ne ipſi mõſtroſa doceãt & blaſphemẽt.* (Tale enim dicit Lutherus eſſe dogma Zuinglij & Martini Buceri.)

Profectò haud diſsimile monſtro eſt, quod affirmant Chriſtum dicendo, Hoc eſt corpus meum, effeciſſe, vt panis quidem non eſſet Chriſti corpus, attamen in pane eſſet corpus Chriſti realiter & corporaliter, nec tamẽ appareret præter rationem operum Domini, quotquot vniuerſa ſcriptura memorat, et præter vim horum verborum. An autem non blaſphemum aſſerere quemlibet impium, repetitis his verbis, Corpus Chriſti ad dexteram patris, hoc eſt, in cõſortium inuiſibilis maieſtatis Dei exaltatum, donec redeat ad iudicium ſicut aſcendit, realiter tranſponere in panem, vel Chriſtum corporaliter in pane includi, neque aliquid huiuſmodi mandatum nobis aut promiſſum? Illud enim, Facite hoc in meam cõmemorationem, & ſi per ſe ſatis pateat nullam huiuſmodi promiſsionem in ſe habere, tamen & Paulus illud interpretatur, ſubijciens, Quotieſcunque enim comederitis panem hunc & calicem biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat: Ergo edere hunc domini panem, & bibere calicem, atque mortis ipſius pro nobis obitæ cum laude meminiſſe, id demum eſt quod verbis illis, Facite hoc in meam commemorationem, Chriſtus facere nos iuſsit.

Bucerus in reſponſione ad Lutherũ.

Quid ſit Chriſtum ſedere ad dexterã patris.

Nihil ſoliditatis hæc demõſtratio habet, ſed merus eſt fumus, quæ in eo fundatur, q^d in reliquis Chriſti miraculis ad ſenſum appareat ea quæ fit mutatio. Cui ſuperius reſpondimus miraculũ hic eſſe corporale, hoc eſt, circa corpora, ſed ſecundum eſſe eorum inuiſibile, atque in hoc diſsimile eſſe iſtud miraculum ab alijs. Oſtendimus quoq; Martinum Lutherum ex ſcripturis docere multa Chriſti miracula eſſe quidẽ corporalia, nec tamen ad ſenſum nobis apparere; ſed fide duntaxat cognoſci, quàm diu à Domino peregrinamur. Non igitur demonſtrat M. Bucerus, panem myſticis verbis in corpus domini nõ mutari, ſed nec contra Lutherum corpus Chriſti in panem non tranſponi, ſicut ignis in ferrum quando eſt ignitum, tametſi hoc quoque ſit erroneum. Intolerabilis eſt hæc temeritas & arrogantia Buceri, in eo quod dicit blaſphemũ eſſe, aſſerere quemlibet impium, repetitis Chriſti verbis panem in corpus Domini cõuertere, cum hoc Chriſti verba habeant, eiuſq; ſit mandatum. Hoc facite in meam commemorationem, hoc inquam, ipſum quod ego feci, videlicet, Accipite & vos panẽ, gratias agite, & benedicite & meis verbis ex pane facite corpus meũ. Hoc enim ſenſu, vt diximus, verba hæc Chriſti veteres interpretantur. Apertè enim dicit Cyprianus, Domin^9 Ieſus, in qua nocte tradebatur, accepit panẽ, & gratias egit, & fregit, & dixit, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hoc facite & vos in meam commemorationem: ab euangelicis autem præceptis omninò recedẽdum non eſſe, & eadem q̃ magiſter docuit & fecit, diſcipulos quoq; obſeruare & facere debere, alio in loco B. Apoſt. docet, dicẽs, Miror quod ſic tam citò, &c. Refert autem Cyprianus hoc facere, ad offerre.

Reſponſio.

Epiſt. ad Cecilium quæ eſt 3. 2. lib.

Galat. 1.

offerre. Nam ſi Ieſus Chriſtus Dominus & Deus noſter, ſummus ſacerdos Dei patris, inquit, ſacrificiũ Deo patri primus obtulit, & hoc fieri in ſui cõmemorationem præcepit: vtique ille ſacerdos vice Chriſti verè fungitur, qui id quod Chriſtus fecit imitatur, & ſacrificium verum & plenum tunc offert in eccleſia Deo patri, ſi ſic incipiat offerre ſecundum quod ipſum Chriſtum videt obtuliſſe. Similiter hęc Chriſti verba interpretatur Dionyſius Areopagita. Habemus igitur expreſſum Chriſti mandatum de repetendis eius verbis, quibus ex pane fiat verũ Chriſti corpus. Et in hoc ſenſu, quẽ propriè Chriſti verba præſeferunt & veteres ſcriptores, atq; etiã Concilia generalia interpretantur, nos Chriſti verba intelligimus. Nec mõſtroſum eſt, ſed vera erga Chriſtum obedientia, quòd panẽ benedicimus, & in Chriſti corpus trãſmutamus. Abſurda eſt autem interpretatio Buceri, Hoc facite quod feciſtis, videlicet comedite, bibite, & mortis meæ ſitis memores. Germanus enim ſenſus eſt quem diximus, hoc vos facite quod feci ego. Vos enim menſæ iſtius præpoſitos nunc conſtituo, ſicut ego modò, ita & vos, donec veniam, eam inſtruite & præparate. Nec propriè manducare & bibere alicuius rei ſignificant factionem, Non enim facimus quod manducamus & bibimus. Nam facere effectum reſpicit: manducare verò & bibere paſſum: Et ideo ſicut cauſa, ita & facere ad aliquid dicitur: hæc verò ad actionem magis pertinent, quæ ad paſsũ refertur. Et qui ab impijs flagellari & crucifigi ſuſtinuit, nihil indignum iudicat, quòd ſuis ipſius verbis ab impio ſacerdote in ipſius perſona pronunciatis, verè & realiter ſuum corpus adſit in ſacra Euchariſtia. Nihil enim ſe iudicat indignum quod noſtrã promouet ſalutem, & ſuam erga nos commendat charitatem. Nam ſicut aliorum ſacramentorum miniſter eſt ſacerdos, vt bonus ita & malus, ſic & huius: Quemadmodũ Chriſtum eiuſque corpus æqualiter ſumunt mali vt boni. Quidam enim manducant indignè, & rei fiunt corporis & ſanguinis Domini. Et Apoſtol. Paulus interpretatur quod dixerat dominus, In meam commemorationem. Hanc enim explicat cõmemorationem mortis ſuæ donec veniat, non autem quod dixerat, Hoc facite: quin potius bibere diſtinguit contra facere, dum dicit, Hoc facite quotieſcunque bibetis. Propter quod, ſicut Dominus verba ſua, ita & Apoſtolus Paulus ſuam interpretationẽ ad apoſtolos refert. Et poſt interpretationem perſonas mutat dum addit, Quicunque itaque manducauerit panem, &c. Senſus enim interpretationis hic eſt, Quotieſcunque menſam hanc proponetis & præparabitis, ſicut ego eam nunc inſtruxi, (Vos enim huius mẽſæ præpoſitos & diſpenſatores cõſtituo) totam hanc veſtram actionem ad meæ mortis commemorationẽ referetis. Reſpondet præterea Martinus Bucerus argumentis & ſcripturis, quas Lutherus & nos etiam pro veritate corporis Chriſti in ſacra Euchariſtia adducimus, quas infirmare ſtudet & inualidare.

In Eccleſ. Hierar. par. 3. cap 3.

In reſponſione ad Luth.

Quatuor, inquit, fundamenta Martini Lutheri pro veritate corporis Chriſti in Eucbariſtia, deiecta ſunt per Ioan. Oecolampadiũ noſtrum. Primum. Hoc eſt corpus meum: vtique firmum non eſt, cum Lutherus ipſe fateatur, Eſt in huiuſmodi orationibus non ſemper ſignificare coexiſtentiam realem. Ergo hic ſolus locus nõ probabit à Chriſto panem corpus realiter factũ, ſicut nec vt alia Domini corporalia opera, corporaliter apparet, multò minus ab alijs hominibus fieri. quia nihil tale ei exiſtit vel promiſſum, vel mandatum.

Reſponſio. Quibus verbis, quaue oratione clarius dici poteſt, hoc quod Chriſtus porrigebat eſſe corpus ſuum: item, quod in calice propinabat ſanguinem ſuum eſſe, quàm hac, Hoc eſt corpus meũ: quod in calice propino eſt ſanguis meus, quaſi diceret, Hoc quidem hactenus panis, ſed ex hoc eſt corpus meum: & hic calix hactenus vinum, at ex hoc eſt ſanguis meus: non plus hoc eſt nec minus, quia non plus Dominus dixit. Non eſt hic diſputatio de ſententia aliqua, an euidenti & firma illatione ex verbis Domini concludatur, ſed de ipſis ſummæ veritatis verbis, ac ſententia proprio eius ore prolata: quæ, ſi propterea non ſint firmum fundamentum, quòd ſecundum tropum & allegoriam alium ſenſum habere poſsint, nihil in tota ſcriptura firmũ erit, nec quod Deus plantauerit paradiſum voluptatis, in quo poſuit hominem quem formauerat, & cætera quæ in Geneſi ſcribuntur: de quibus tamen fides catholica nihil dubitat: imò nec certum erit, quòd verbum Dei ſit verè homo pro noſtra ſalute crucifixus. Quæ enim ſcriptura Geneſis de paradiſo narrat, ſecundum allegoriam, ſenſum habent ſpiritualem, & hunc illuſtrem. De quo Aug. lib. 8. de Geneſ. ad literam: Verba enim ſcripturę primario ſenſu ſecundum ſuam & orationis proprietatem intelligenda ſunt, niſi aduerſentur aliæ ſcripturæ, vel ſequatur abſurditas. Et falſum eſt quod in huiuſmodi orationibus (qualis eſt de qua agitur) in quibus ſimplex narratur veritas, & arcanum ac ſacratiſsimũm inſtituitur ſacramentum, Eſt non ſemper ſignificet coexiſtẽtiam realem. Explicant enim vel parabolam, vel circumſtantiæ inſinuant, quãdo, Eſt, coexiſtentiam realem non ſignificat. Miniſtris autem mandatum eſſe, vt faciant id ipſum quod fecit Dominus, iam ſtatim monſtrauimus ex beato Cypriano.

Aug. contra Celeſtium lib. 2. ca. 23.

Cap. 1.

Epiſt. ad Cecilium.

Bucerus. *Vbi ad alia loca ſcripturæ ventum fuerit, ſpiritualis Chriſti mãducatio docetur, carnalis nequaquam. Et aperto apertius eſt, locum illum. 1. Cor. 10. de ſpiritali, hoc eſt, vera corporis & ſanguinis Domini communione loqui.*

Reſponſio. Quis hic credet Bucero ſolum aſſerenti Apoſtolũ hic non loqui de vera & reali corporis præſentis communione, quando & ipſa ſcriptura reclamat, & cõſentiens patrum interpretatio? Incredibilem hic oſtẽdit Bucerus

cerus impudentiam, quãdo eum non pudet dicere, Aperto apertius eſſe, quod tamen falſum eſſe ipſa clariſsimè teſtatur ſcriptura: Calix benedictionis, inquit Apoſtolus, cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis quē frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt? Non frangitur panis in cõmunicatione ſpirituali tantùm, nec in ea vſus eſt calicis, ſed in ſacramentali ſub panis & vini ſpeciebus. Et ideo hunc locum interpretatur Theophyla. poſt Ioannem Chryſoſt. verbis ferè eiſdem quibus ille. Calix, inquit, benedictionis, id eſt, Euchariſtiæ. Manibus enim eum tenẽtes benedicimus ei, & gratias agimus, qui ſanguinem ſuũ pro nobis effudit, ineffabiliaq; bona in nos contulit. Non autem dixit, participatio, ſed communicatio, vt aliquid excellentius indicet, ſummam puta vnionem. Quod verò dicit huiuſmodi eſt, hoc quod in calice eſt, illud eſt quod ex latere fluxit Chriſti, & ex eo accipientes communicamus, hoc eſt, vnimur Chriſto. Et explicans quomodo panis quem frãgimus communicatio corporis Chriſti ſit, Quòd in cruce, inquit, non eſt paſſus Chriſtus. Os enim eius nullum eſt cõtritum, hoc iam ſuſtinet, cùm propter nos frangitur. Quem enim frangimus inquit? Communio autem corporis Chriſti eſt, pro eo dixit quod eſt. Quemadmodũ illud corpus Chriſto vnitum eſt, ſic & nos ipſi Chriſto per panem hũc vnimur. Quæ omnia verbis ferè iiſdem habet Chryſoſtomus, atque hæc ferè eadem Oecumenius.

1. Corin. 10.

Bucerus. *Alia duo loca 1. ad Corint. 11. Qui enim manducat indignè, &c. nihil pro Luthero concludunt, hoc eſt, pro veritate corporis Chriſti in ſacra Euchariſtia, quia dum ſymbolum corporis Domini prophanatur, corpus Domini rectè prophanari dicitur: ſicut contemni Chriſtum ab eo qui contempſerit Apoſtolum eius.*

Reſponſio. Expendamus & hæc loca, an ne clariſsimè teſtentur, verè & realiter corpus & ſanguinem Chriſti in ſacra contineri Euchariſtia? Non enim Apoſtolus Paul. cauſam tacet, ob quàm indignè manducans, iudiciũ ſibi manducat. Addit enim, Non dijudicans corpus Domini, quaſi hæc ſit cauſa ob quam iudiciũ ſibi manducat. Qui autem docet ſymbolum duntaxat aut figuram eſſe corpus Domini, vel ſecundum analogiam per panem intelligi corpus Domini, hic non dijudicat corpus Domini eſſe quod manducat, cùm diuerſiſsima ſint corpus & corporis ſymbolum. Euidentius enim explicari non poſſet, quòd verè corpus Domini manducat is, etiam qui ſeſe non probauit. & ideo indignè manducat, & damnationem incurrit. Multum autem diuerſa ſunt, reum eſſe violatæ imaginis aut ſymboli corporis & ſanguinis, & reũ eſſe corporis & ſanguinis Domini, quaſi in ſeipſo, non in ſymbolo tantùm violati. Grauior enim eſt prophanatio & irreuerentia facta perſonæ in ſeipſa, quàm eadẽ in ſimulachro & imagine duntaxat facta. Nam vt

1. Cor. 11.

ſymbolis nulla debetur reuerentia, nulla veneratio, niſi ob perſonam repręſentatam, ad quam illa referuntur, iuxta ſententiam Ioannis Damaſceni ex ſancto Baſilio, Imaginis honor ad exemplaris transfertur honorem, ita irreuerentia quæ fit ſimulachro vel figuræ, tota refertur ad id quod repręſentatur: cui nulla fit irreuerentia, nec quouis modo prophanatur, niſi imagini vt ſignum eſt, fiat iniuria vel dehoneſtatio. Nam ſi Cæſaris imaginem, vel etiam Chriſti crucifixi pro aliqua noſtra commoditate in loco abſcondimus obſcuriori aut abiectiori, item manibus tractemus impuris, imò etiam materiam in qua eſt depicta violemus, nulla fit Cæſari vel crucifixo iniuria, ſi nullus repręſentatorum habeatur reſpectus, ſed noſtræ tantùm vtilitatis aut cõmoditatis ratio ſpectetur: Chriſti verò ſanguini & corpori in ſe ſuique ratione, in ſacra Euchariſtia fit irreuerentia. Idem enim honor ei debetur, qui propter ſe, ſuique ratione debetur filio Dei, qui realiter & verè ibi continetur. Et ideo dicit Apoſt. indigne manducãtem, reum fieri corporis & ſanguinis effuſi. Quærit enim Theophyl. poſt B. Chryſoſtomum, qua ratione reus ſit indignè aſſumens? Perinde nimirum ac ipſe qui ſanguinem Domini effudit. Idem interpretans quomodo non dijudicet corpus Domini, hoc eſt inquit, Non explorans, non intelligens propoſitæ rei amplitudinem. Si enim diſceremus quiſnã eſſet qui proponitur iſtic nobis, nõ indigeremus alte ro, ſed illud ipſum nos vt ſobrij eſſemus, pararet. Et B. Ambroſ. Deuoto, inquit, animo & cum timore accedendum ad communionem apoſtolus docet, vt ſciat mens reuerentiam ſe debere ei, ad cuius corpus ſumẽdum accedit. Hoc enim apud ſe debet iudicare, quia Dominus eſt, cuius in myſterio ſanguinem potat. Interpretatur enim quod dicitur. Non diſcernens corpus Domini. Aliud eſt Chriſtum contemni ab eo qui contemnit Apoſtolum, quum ipſe ſit qui in Apoſtolo loquitur, quòd non ſolùm miniſter eius & Apoſtolus eſt, ſed & membrum. Non enim, inquit, vos eſtis qui loquimini, &c. An experimentum quæritis eius, inquit Apoſtolus, qui in me loquitur? Et Paulo dixit Dominus, Quid me perſequeris? &, Quàm diu feciſtis vni de fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Non dixit veteri populo Dominus, Probet ſeipſum homo, & ſic de agno Paſchali, ſic manna & panes edat propoſitionis: nec reus erit corporis & ſanguinis Domini, qui impura conſcientia ad edẽdum iſta acceſſerit, non dijudicans corpus Domini, cuius tamen erant ſigna & figuræ, ſicut hic dicit de eo qui impœnitens accedit, qui non amat, qui deniq; innocentiam ad altare nõ ſecum adfert, quòd hic reus erit corporis & ſanguinis Domini, & quòd iudicium ſibi manducat & bibit. Docet igitur Apoſt. in his locis verè præſentem in ſacra Euchariſtia adeſſe Chriſtum in corpore & ſanguine ſuo. Vnde manifeſtum eſt infirma eſſe argumenta quæ

Lib. 4. c. 15.

Matth. 10. 2. Cor. 13. Actor. 9. & 26.

Matth. 25.

profert Bucerus in acerba illa & hoſtili conflictatione, in qua certum eſt eum omnia ſua tela & rationes producere, quibus expugnari putet veritatē corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra Euchariſtia: nullam tamen ibi audimus ſcripturam, niſi quòd Chriſtus in cælum aſcēdit, & ſedet ad dexteram patris. Cui reſpondimus, & iterum ex veteribus ſumus reſponſuri. Manifeſtū etiam eſt improbabiles eſſe eius reſponſiones ad argumenta & ſcripturas catholicorum. Magna igitur hominis huius cœcitas eſt, quòd ob huiuſmodi argumenta non ſolùm puduerit relinquere, ſed & acriter impugnare libuerit ſaluti noſtræ neceſſariam doctrinam, quam ignorare nō potuit à temporibus Apoſtolorum fuiſſe & eſſe receptam, multiſque Concilijs comprobatā. Rectiſsimè hic dicit Lutherus, His ſpiritibus credat doceri veritatem ſuamque committat ſalutem, ſi quem perire delectat, cum nō niſi manifeſtis mendacijs ortum dogma ſuſceperint, & mendacijs aſſerant. Super hac diſputatione acerrima & planè hoſtili, quæ primum fuit inter Martinū Lutherum, & alia ex parte Ioannem Oecolampadium, & Vlricum Zuinglium, quos ſectatus eſt Martinus Bucerus, iudicem ſe conſtituit Ioannes Caluinus, ſuamq; de ea pronunciauit cenſuram, quòd videlicet vtraq; pars ſit culpanda, nec pro rei dignitate tractauerit cœnam Dominicam, Lutherum damnās falſi dogmatis, Zuinglium verò & Oecolampadium, quòd non plenam docuerint veritatem. Ait enim.

Epiſt. ad Ioannem Hervagium Typographum.

Libel de cœna Domini.

Cum Lutherus docere cœpit, ſic materiam cœnæ tractabat, vt quod ad corporalem Chriſti præſentiam attinet, talem ipſe relinquere videretur, qualem tunc omnes concipiebant. Nam tranſſubſtantiationem damnās, panem corpus Chriſti eſſe dicebat, quod vnà cum ipſo coniunctum eſſet. Adiungebat præterea ſimilitudines duras quidem illas & rudes, ſed eis vti cogebatur, quod aliter mētem ſuam explicare non poterat. Dehinc ſuborti ſunt Zuinglius & Oecolampadius, qui cum impoſturam & deceptionem à diabolo inuectam conſiderarent in ſtabilienda præſentia illa carnali, quæ ab annis ſexcentis tradita & pro certa habita fuerat, rem tanti momēti diſsimulare nefas eſſe exiſtimarunt, maximè cum huic errori execrabilis idolatria annexa eſſet, quòd Chriſtus quaſi ſub pane concluſus adoraretur. Quia verò difficillimum erat hanc opinionem quæ diu iam et altius radices egerat in animis hominum, reuellere, omnem ingenij vim ad eam impugnandam applicarunt, admonentes craſsiſsimi & abſurdiſsimi erroris eſſe, non agnoſcere ea quæ de aſcenſione Chriſti tota ſcriptura teſtificatur, ipſum in cælo in hominis natura receptum eſſe, ibiq; manſurum, quoad deſcendat ad iudicandum orbem. Sed huic propoſito nimium intenti, quam præſentiam Chriſti in cœna credere debemus, qualis illic cōmunicatio corporis & ſanguinis ipſius percipiatur, dicere omittebant, adeo vt Lutherus eos nihil præter ſigna nuda & ſpiritualis ſubſtantiæ vacua, relinquere velle exiſtimaret, ideo cœpit palam obſiſtere, ita vt pro hæreticis habendos denunciaret. Ex quo ſemel efferbuit cōtentio, ſic temporis progreſſu adaucta et inflāmata eſt, vt acerbius æquo exagitata ſit per annos plus minus quindecim, quibus interim neutri alteros æquo animo & placido audire ſuſtinebant. Nam etſi ſemel contulerunt inter ſe, tanta tamen animorum alienatio erat, vt re infecta diſceſſerint. Cum etiam ad concordiam aliquam accedere debuiſſent, magis ac magis regreſsi ſunt, nihil aliud ſpectantes, quàm vt opinionem ſuam tuerentur, & contrariam refutarent. Habemus itaque qua in re impegerit Lutherus, in qua etiam Oecolampad. & Zuing. Lutheri partes erant ab initio admonere, non eſſe propoſiti ſui præſentiam talem ſtatuere, qualem papiſtæ ſomniant: Item teſtari ſe non hoc quærere, vt ſacramentum Dei loco adoraretur: Tertiò abſtineri à ſimilitudinibus illis rudibus & perceptu difficillimis, aut moderatè eis vti. Alij etiam offenderunt in eo quòd ita tenaciter inhæſerunt in oppugnanda ſuperſtitioſa et phanatica opinione papiſtarum de præſentia locali, & adoratione quæ inde ſequebatur, vt ad vitiū diruendum conatus ſuos potius cōuerterint, quàm ad id quod cognitu vtile erat ſtabiliendum. Hoc intelligo dum nimis ſtudioſè ac diligenter in hoc toti incumbebant, vt aſſererent panem & vinum corpus & ſanguinem Chriſti vocari, quòd ipſorū ſigna ſint, non cogitarunt ſibi hoc interea ſimul agendum, vt adiungerent iſta ſigna eſſe vt nihilominus veritas cum eis coniuncta ſit. Nec teſtati ſunt ſeſe non eo tendere vt verā communionem obſcurarent, quā nobis hoc ſacramēto Dominus in corpore & ſanguine ſuo exhibet. Vtrique profectò in culpa fuerunt, dum ſeſe mutuo audire non ſuſtinuerunt. Hactenus Caluinus.

Cenſura Ioannis Caluini de diſputatio ne ſuper cœna domini inter Lutherum & Zuingliū et Oecolampadium.

Error Zuinglij & Oecolampadij.

Adoratio ſequitur Chriſti præſentiam in ſacramento.

Quomodo autē panis & vinum, corpus & ſanguis Chriſti vocentur, ipſorumq; ſint ſigna, & nihilo minus veritas cum eis coniuncta ſit, veritas, inquam, non realis & perſonalis præſentię Chriſti: Item quomodo ſubſtantiæ corporis & ſanguinis Chriſti fiamus & verè ſimus participes (in quo Zuinglium & Oecolampadiū deficere dicebat) in principio eiuſdem libri declarat.

Caluinus.

Cùm enim Chriſtus, inquit, vnicus cibus ſit quo animæ noſtræ paſcuntur, in quo pater omnem vitæ plenitudinem repoſitam eſſe voluit, cumque cum gratijs ſuis omnibus nobis diſpenſet & diſtribuat, ſuo ſermone velut inſtrumento huic rei deſtinato, quia adeo imbecilles & infirmi ſumus, vt certa animi fiducia ipſum recipere non poſsimus, cum nuda doctrinæ prædicatione nobis offertur, pater miſericordiæ ſe in eo imbecillitati noſtræ accōmodare volens, ſermoni ſignum quod ſub oculorum ſenſum caderet, adiunxit, quo promiſsionum ſuarum ſubſtantiam nobis repræſentaret, vt omni dubitatione & incertitudine ſublata, in eo confirmari & roborari poſſemus. Eam namque ob cau-

ſam Dominus cœnam inſtituit, vt conſcientijs noſtris obſignaret eas promiſſiones, quibus in euangelio de corporis & ſanguinis ſui communione participes nos facturum promiſit, atque in hac perſuaſione nos obfirmaret, etiam in eo eſſe ſpiritualem vitam noſtram, vt tali tanquam inſigni arrabone accepto, firmam ſalutis fiduciam concipiamus.

Reſponſio. Nullam hic audimus ſcripturam, qua noua hæc doctrina de menſa Domini à ſeculis incognita, nec ſolum doctoribus ſacris, verum etiam Oecolampadio, Zuinglio, & Bucero inaudita, probetur. Quæ, precor, ſcriptura panem & vinum in mẽſa Domini propoſita dicit eſſe arrabonem, & quaſi ſigillum omnes promiſsiones in Chriſto nobis factas confirmans & ſtabiliens? Quæ item ſcriptura habet quòd certior ſit nobis & firmior ſalutis & omnium bonorum fiducia per panis & vini ſuſceptionem? Promiſsio in Euangelijs nobis facta de participatione corporis & ſanguinis, eſt apud Ioan. *Cap. 6.* Panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mũdi vita. Quam promiſsionem impleuit, quando in nouiſsima cœna accepit panem & poſt benedictionem ait, Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum: Implet & nunc in nobis, quando ex altari ſub ſpeciebus panis corpus eius nobis diſpenſatur. Quis huius promiſſionis, quam quotidie in nobis implet Dominus, requirit vel expectat arrabonem, vel ſigillum aliud, quàm ipſum verbum Domini? Eius autem ſacramenti effectus eſt, vt vnum ſimus cum ipſo, ſicut ipſe vnum eſt cum patre. Sic enim Theophylactus interpretatur quod dicit Apoſtolus, Panis quẽ frangimus, *1. Cor. 10.* nónne communicatio corporis Chriſti eſt? Quod pro eo, inquit, dixit quod eſt, Quemadmodum illud corpus Chriſto vnitum eſt, ſic & nos ipſi Chriſto per panem hunc vnimur. *Homil. 45. in Ioann. & 83. in Matt.* Et beatus Chryſoſtomus. Cùm enim, inquit, ſuum in nos amorẽ indicare vellet, per corpus ſe nobis commiſcuit. & in vnam (vt ita dicam) maſſam reducit. Neque id fide ſolum & charitate, aut fiducia, ſed re ipſa nos corpus ſuum efficit: Corporaliter itaque Chriſto iungimur, eoque participamus & cõmunicamus, ſecundum Apoſtoli ſententiam, & non ſpiritualiter tantum. Qui manducat meam carnem, ait Dominus, & biberit meũ ſanguinem, in me manet & ego in eo. Et ſicut ego viuo propter patrem, ſic qui manducat me, & ipſe viuet propter me. Hi enim effectus ſunt non panis & vini, ſed Chriſti ſub ſpeciebus eorum contenti, per quem in hoc ſacro conuiuio mẽs impletur, & futuræ gloriæ pignus datur. Prudenter igitur Zuingl. & Oecolampad. atque etiam Mart. Bucerus in ſua de Euchariſtia tractatione, dicere omiſerunt, panem & vinum eſſe arrabonem, ſigillum & obſignationem promiſsionum Dei in conſcientijs noſtris, & ad hunc vſum eſſe inſtitutam cœnam Dominicam, cum ſit inuentio & merum ſomnium Ioannis Caluini. Non igitur in ſacra Euchariſtia communicantur & ſuſcipiuntur corpus & ſanguis Chriſti quaſi abſentis, & in cælis ad dexteram patris ſedentis, vt docet Caluinus, ſed verè etiam præſentis in ſuo corpore & ſanguine ſub ſpeciebus panis & vini. Nec eſt inſtituta ad confirmãdas in nobis Dei promiſſiones, ſed vt memores ſimus mortis Chriſti pro nobis perpeſſæ. Hoc facite, inquit, in meam commemorationem. Et Paulus, Quotieſcunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat. *1. Cor. 11.* Ad quam commemorationem totam cœnæ Dominicæ actionem referunt Zuinglius, Oecolampadius, & Martin. Bucerus, & ideo meritò offenſa fuit ſchola Tigurina aduerſus Caluinum, quòd Zuinglij doctrinam de cœna Dominica repræhẽderit, & præter omnem ſcripturam, nouam quandam induxerit. Colit enim ſchola illa Vlricum Zuinglium tanquam præceptorem primarium ſuumque antiſtitem, à cuius doctrina non libenter recedit, imò eam ex profeſsione defendit & tuetur. Id quod intelligens Caluinus, ad eam placandã ſcribit epiſtolam, in quã oſtendere nititur ſe non diſſentire à Zuinglio, cæteriſque eius ſcholæ magiſtris in doctrina de cœna dominica, ſed eandem docere, cùm tamen reuera plurimũ ab eis diſſentiat. Multum namque diuerſa ſunt, ſuſcipere panem & vinum tanquã corporis & ſanguinis figuras ſiue ſymbola, & in ſe ſuisq; naturis corpus & ſanguinem ſuſcipere & participare. Diuerſa ſunt res ipſas repręſentatas donare, & earum ſymbola exhibere, & hæc in arrabonem atque ſigillum, ad confirmandas Dei promiſsiones, videlicet quòd Chriſtus eſt nobis ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemptio, totiusque vitæ plenitudo, hoc eſt quòd eius iuſtitia iuſti ſumus, eiuſq; ſanctitate ſancti, & ita grati Deo patri, ac ſi ipſi totam gratiarum plenitudinem, quam habet Chriſtus, in nobis haberemus, & proinde æquè grati & placentes, atq; ipſe Chriſtus. Hęc enim omnia intelligit Ioannes Caluinus, ſed ea ignorat ſcriptura ſacra, quæ docet corpus Chriſti in hoc ſacramento eſſe cibum quem edamus, & ſanguinem potum quem bibamus, quæ proinde omnem fructum & effectum in ſpiritu noſtro operantur, quem ſecundũ proportionem cibus corporalis in corporibus. *Epiſt. Synodica eiuſdem concilij ſiue decreto Eugenij. 4.* Et hoc modo Eccleſia catholica docet de corpore & ſanguine Chriſti, vt ſunt in hoc ſacramẽto. Huius ſacramenti effectus, inquit conciliũ Florentinum, quem in anima dignè ſumentis operatur, eſt adunatio hominis ad Chriſtũ: & quia per gratiam homo Chriſto incorporatur, & membris eius iungitur, conſequens eſt, quòd per hoc ſacramentum indignè ſumentibus gratia augeatur, omnemque effectum quem materialis cibus & potus, quoad vitam agunt corporalem ſuſtentando, augendo, reparando, & delectando, ſacramentum hoc quoad vitã operatur ſpiritualem, in quo (vt inquit Vrbanus Papa) gratam Saluatoris noſtri recẽſemus memoriam, à malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum

tutum & gratiarum proficimus incrementũ. At Caluinus refert ſolum ſacræ Euchariſtiæ virtutem ad ſignificandum, excitandum & teſtificãdum, nullam ad efficiendum noſtri cum Chriſto vnionem, ſecũdum patrum teſtimonia iam citata. Item dicit quod participatio corporis & ſanguinis Domini vera ac ſpiritualis in ſalutis conſiſtit fiducia.

Vt certa, inquit, *animi fiducia Chriſtum ipſum recipere poſsimus.* Cum ad fidem & amorem magis ptineat coniũgere & vnire nos Chriſto, & ipſum Dominum in hoc ſacramento aduenientẽ quaſi obuijs vlnis amplecti. Nec tamen fide ſolùm & amore, ſed vt patres palam teſtantur, re ipſa Chriſtum dominum in corpore & ſanguine ſuo ſubſtantialiter præſentem, & non in ſymbolis tantùm, in ſacra Euchariſtia ſuſcipimus, & corporaliter complectimur. Sunt præterea multum diuerſa ad edendum & bibendum corpus & ſanguinem donari, & ſimpliciter ad omnia donari in hoc ſacramento, id quod docet Caluinus. Vlricus autem Zuinglius & Oecolãpadius, ad vſum eſus & potus, & mortis eius commemorationem dũtaxat, ea dari docent. Sed vnde hæc tãta diſſenſio, & pugna paucorum horum magiſtrorum in dogmate, quod ipſimet omnes teſtantur eſſe maximi momenti? Nam Lutherus primò ſuam propoſuit ſententiam, quod ſcilicet reuerà corpus & ſanguis Domini ſunt ſubſtãtialiter in ſacra Euchariſtia, ſed ſubſtantia panis ſimul manente, ſicut ferri natura manet quãdo ipſum eſt ignitum, & panis natura quando vino quod imbibit eſt plenus: In quo deſerit Eccleſiæ catholicæ doctrinam. Succedunt Zuinglius, Oecolampadius, qui hanc Lutheri ſententiam tanquam articulo fidei de aſcenſione Chriſti in cælũ, & ſeſsione ad dexteram patris contrariam impugnant. De horum ſententijs arbitrum ac cenſorem ſe conſtituit Ioannes Caluinus, qui damnat vtroſque & ſuam adfert ſententiam, quæ nec ipſa placet ſcholæ Tigurinæ, ſed magis ſentẽtia ſui præceptoris Vlrici Zuinglij. Vnde obſecro, tantum diſsidij, cùm vniuerſi doctores catholici, ſcholaſtici, & ſcriptores veteres à temporibus Apoſtolorum idem per omnia tradant, & in tractatione de ſacra Euchariſtia quotquot ſcripſerũt in Oriente, & occidente, & Meridie, omnes conſentiant? & hi tam pauci ita diſſentiant de cœna Dominica, & præſentia Chriſti in hoc ſacramento, vt vix duo conſentiant, nec tantum inter ſe diſſentiant, ſed ijdem ipſi hodie docent vnum, & cras aliud, & quidem contrarium, cuius exemplum habemus in Luthero & Bucero, eorumque complicibus. Certiſsimum hinc eſt argumentum, quòd non ſunt locuti ſpiritu veritatis, & hoc eodem, ſed humano & proprio ſpiritu erroris & vertiginis. Scribit enim Apoſt. de quibuſdam, Quia charitatem veritatis non receperũt, ideo mittet eis Dominus ſpiritum erroris, vt credant mẽdacio. non enim diſſenſionis eſt Deus, ſed pacis & concordiæ. Non vnum loquitur in vno, & aliud per alium. Quod verò doctores catholici tam longo locorum & temporum interuallo à ſe mutuo diſsiti, inuicẽ conſentiant, idem doceant ſine collatione & librorum mutua communicatione, euidens eſt argumentum, quod ſancto veritatis ſpiritu afflati & edocti eandem de ſacra Euchariſtia tradiderũt ſententiam. Repetere hic conuenit ſententiam & admonitionẽ Marti. Lutheri. Quis tã inſanus, & ſuæ ſalutis prodigus, qui huiuſmodi ſpiritibus & magiſtris, qui inter ſe conuenire non poſſunt, ſuam credat ſalutem, & catholicæ Eccleſiæ deſerat doctrinam, quæ tantam habet ſcriptorum concordiam? Vt ad Caluinum redeamus, nõ ita hic diſputatur de participatione corporis & ſanguinis Domini, & quomodo hæc nobis donãtur, ſicut de ſignificatione & germano ſenſu verborum Chriſti, Hoc eſt corpus meum, an ſecundum ſermonis proprietatem, an ſecundum allegoriam ſint intelligẽda, aut ſecundũ Tropũ figuræ & ſymboli. Cal. quidẽ ea intelligit ſecundum Allegoriã. Ait enim,

2. Theſ. 2. 1. Corin. 1.

Verba quibus Dominus vtitur, tantundem ſignificant, ac ſi quis diceret, Quemadmodum hominis corpus pane nutritur, & ſuſtentatur, ita caro mea cibus eſt ſpiritualis, quo animæ viuificantur. Quamuis autem veteres doctores Sorbonici ſubtilius diſputarũt, quomodo corpus & ſanguis cum ſignis coniunctũ ſit, tamen negari non poteſt, hanc opinionem receptam eſſe à ſummis & infimis in Eccleſia Papali, & ab annis ſexcentis traditam, & pro certa habitam, atque hodie flamma, ferro, cæde, et omni tormentorum genere defendi & aſſeri, Chriſtum ſcilicet contineri ſub his ſignis, ibiq; eum inueſtigandũ eſſe. Quam opinionem vt ſuſtineant, fateantur etiam neceſſe eſt, Chriſti corpus tanquam infinitum nullo ſpacio contineri, aut diuerſis in locis ſimul eſſe. Talem ergo præſentiam loco circumſcriptam ſtatuere, qua corpus Chriſti ſigno includatur, aut localiter, quod aiunt, coniungatur, non tantùm delirium eſt, ſed etiam execrandus error, gloriæ Chriſti detrahens, & quicquid de natura ipſius humana credendum, euertens. Scriptura enim vbique docet Chriſtum, vt in terris humanitatem noſtram accepit, ita ereptam ex hac mortali cõditione in cælum, natura tamen non immutata extuliſſe. *Caluinus.*

Verba cœnæ Dominicæ ſecundũ proprietatem ſermonis eſſe intelligenda, & non ſecundum Allegoriam vel Tropum, ſuperius oſtendimus, & ex Apoſtolo & conſentiente patrum interpretatione. Oſtendimus præterea quòd nõ magis gloriæ Chriſti derogat, quod ipſe nobis ſubſtantialiter præſens corporaliter adſit in ſacra Euchariſtia, quàm quod pro nobis in cruce pepẽdit, & tandem mortuus eſt: De quo Apoſtolus Paulus ait, Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam. Ipſis autem vocatis Iudæis atque Græcis Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam, quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt homi- *Reſponſio.* *1. Cor. 1.*

minibus. Ita Chriſto prędicante carnem ſuã manducari, & ſanguinem bibi, multi ſunt ſcandalizati, hoc, inquit ipſe, vos ſcãdalizat. Ioan. 6. Non mirum igitur quod nunc hæretici indicant eſſe ſtultitiam & delirium, id quod Petro & veris catholicę eccleſię filijs, Chriſtiq; diſcipulis, verba ſunt vitæ æternæ, dum credunt, quia ipſe eſt filius Dei, cui non eſt impoſsibile omne verbum. Nec quicquam Chriſto eſt indecorum quod noſtram promouet ſalutem pro qua mortuus eſt, & pro qua nihil non facere eſt paratus. Prædicat enim Apoſtolus ſupereminẽtem Chriſti charitatem, Eph. 3. ex qua delitiæ ſunt ei, intimè nobis coniungi, & eſſe cum filijs hominum vſque in ſeculi conſummationẽ. Nihil igitur glorioſæ eius conditioni per hanc corporalem in ſacramento decedit præſentiam. Eximia enim eius eſt gloria, quòd caro eius ſecundũ eſſe ſubſtantiale verè ſit cibus, & ſanguis potus, ſine quo vita animæ ſubſiſtere nõ poteſt. Neq; tñ propterea fateri neceſſum eſt, Chriſti corpus tanquã infinitũ nullo ſpatio contineri, aut diuerſis in locis eſſe ſimul. Nam & ſi iſtud Deo impoſsibile non ſit, non tamẽ hoc fateri eſt neceſſe, cùm corpus Chriſti nõ ſit in ſacramento localiter, ſiue vt in loco, ſicuti ſupra ex B. Thoma declarauim⁹, Par. 3 quæ. 70. art. 1. ſed incomprehenſibiliter & modo mirabili, qui omnem ſuperat intellectum creatũ. Interrogat, inquit Damaſcenus, ſancta virgo, Quomodò fiet mihi iſtud, quoniam virum non Li. 4. 4. c. 1 de orthodox. fide. cognoſco? Reſpondet Gabriel Archangelus, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi. Et nũc tu interrogas, Quomodo panis fit corpus Chriſti, vinum & aqua ſanguis Chriſti? Reſpondeo tibi & ego, Spiritus ſanctus obumbrat, Epiſt. 3. quæ eſt ad Voluſianum. & hæc operatur ſuper ſermonem & intelligentiam. In talibus, inquit Auguſtinus, mirabilibus Dei operibus ratio facti eſt potentia facientis. Nam ſi ratio quæritur, non erit mirabile, ſi exemplum poſcitur non erit ſingulare. Demus Deũ aliquid poſſe, quod nos fatemur inueſtigare nõ poſſe. Nimis intolerabilis eſt arrogantia & pertinacia Ioan. Cal. quòd delirium & execrandũ errorẽ appellat eã doctrinam, quã confitetur in eccleſia papali ab annis ſexcẽtis à ſummis & infimis fuiſſe receptam, & contrarium docentes flamma & omni tormentorum genere quaſi hęreticos & rei Chriſtianæ pernicioſos hoſtes exterminari. Non enim alia eſt Chriſti Eccleſia, quàm quæ Chriſtum in ſuo agnoſcit vicario, De ſimplicitate prælatorum Ad Florentinum Pupianum. B. Petri in cathedra ſucceſſore. Ad Chriſtum, inquit Cyprianus, non pertinet, qui Chriſti relinquit eccleſiam. Et ſi qui cum Epiſcopo non ſunt, in eccleſia non ſunt: Vnde, inquit, ſcire debes Epiſcopum in eccleſia eſſe, & eccleſiam in Epiſcopo, quando eccleſia, quæ catholica vna eſt, ſciſſa non ſit neq; diuiſa, ſed ſit vtique connexa, & cohærentium ſibi inuicem ſacerdotum glutino copulata. Et illam Beatus Auguſtinus iudicat veram eſſe Chriſti eccleſiam, in qua eſt ſucceſſio Epiſcoporum continua in ſede Petri. Sed hanc Chriſti ſponſam eiuſque ſententiam arroganter contemnit Ioannes Caluinus homo nimium ſapiens apud ſemetipſum. Verum quid eum mouet vt delirium & execrandum errorem dicere audeat, quod confitemur Chriſtum eſſe corporaliter præſentem in ſacra Euchariſtia?

Sic itaque duo nobis conſideranda ſunt, cum de Chriſti humanitate verba facimus. Primum, Caluinus. *ne veritati naturæ ipſius detrahamus, Deinde ne derogemus glorioſæ eius conditioni. Quod vt ritè obſeruemus, erigendæ ſunt in cælum mentes, vt ibi redemptorem noſtrum quæramus. Nam ſi velimus eum ſub elementa mundi corruptibilia abijcere, cum ea deſtruemus quæ de humana eius natura ſcripturæ teſtantur, tum etiam glorioſam ipſius aſcenſionem in nihilum redigemus.*

Falſum eſt vtrunque quod hîc proponit Reſponſio. Ioannes Caluinus contra veritatem pręſentiæ corporis & ſanguinis Chriſti, neutrum tamen per ſcripturam vel rationem probare conatur. Quòd enim fieri nõ poſsit vt verus in natura homo Dei virtute contineatur ſub ſpeciebus panis & vini, atque hoc verbum Deo eſſe impoſsibile, nunquam probare poterit, (Nam ſtultiſsimum eſt noſtra ratione eius potentiæ & virtuti limites præſcribere) & multò minus quòd hoc ipſum ad- Marc. vlt. uerſatur articulo fidei, qui habet Chriſtũ ad cælum aſcendiſſe, & ſedere ad dexteram patris: Quem etiam articulum dicit mouiſſe Zuinglium & OEcolampadium, vt diceret craſsiſsimum & abſurdiſsimum eſſe errorẽ, non agnoſcere huic fidei articulo repugnare corporalem præſentiam Chriſti in ſacramẽto. Omnis igitur Caluini, Zuinglij, & OEcolampadij argumentatio in hac conſiſtit illatione & conſequentia, Chriſtus in cælũ receptus eſt, ibiq; manſurus, quoad deſcendat ad iudicandum orbem: ergo non eſt, nec eſſe poteſt corporaliter in ſacramento Euchariſtię. Sed quis Apoſt. hanc facit illationem? Quis ſanctorum eam probat? Omnes conſtãter docent eam eſſe inualidam, ſed ſimul conſiſtere Deum eſſe receptum in cęlum ad dextram patris, & tamen eſſe corporaliter in manibus ſacerdotis in terris. Ita enim inclamat b. Chryſoſtomus ad opus Dei tam immenſum, O miraculum, ô Dei benignitatẽ? Lib. 3 de ſacerdotio. Qui cum patre ſurſum ſedet in illo ipſo tẽporis articulo (nempe poſt verba Chriſti operatoria) omnium manibus pertractatur, ac ipſe tradit volentibus ipſum excipere ac complecti. Fiat autem id nullis præſtigijs, ſed apertis, ac circunſpicientibus circunſtãtium omnium oculis. Homi. 24. in epi. 1. ad Co. Et ne exiſtimes hoc illi excidiſſe, paſsim fere ita loquitur. Cùm mors, inquit, accepiſſet corpus Chriſti, quia continere non poterat, rurſus euomit, & radios ad ipſum ſupernum thronũ dimiſit. Illuc namque ipſum extulit, quod etiã nobis exhibuit, & vt teneremus & mãducaremus, quod maximũ dilectionis ſignum eſt. Quos enim amamus, nonnunquam morſu etiam petimus. Et rurſus, Quod ſummo, inquit, ho- Eadẽ homil.

nore dignum eſt, id in terra oſtendam. Nam quemadmodum in regijs non parietes, non tectum aureum, ſed regium corpus in throno ſedens omnium præſtantiſsimum eſt, ita quoque in cælis regium corpus, quod nunc in terra videndum tibi proponitur, neque angelos, neque archangelos, non cælos cælorum, ſed ipſum horum omnium tibi Dominum oſtendo. Animaduertitis quonam pacto? Quod omnium maximũ eſt atq; præcipuum in terra, non conſpicaris tantùm, ſed tangis, neq; ſolum tangis, ſed comedis & eo accepto domum redis. Abſterge igitur ab omni ſorde animam tuam. Item recolite quia illius corpus eſt & ſanguis, qui ſupra cęlos reſidet, qui ab angelis ſuppliciter adoratur. Illius, inquã, qui proximè aſsiſtit immortali Dei potentiæ. Huius delibamus ſanguinem, & proprium corpus nobis ſumendum tradidit. Quin etiam in ſua Liturgia ita orat, Qui ſuprà vna cum patre ſedes, & hic vna nobiſcum inuiſibiliter verſaris, dignare potenti manu tua nobis impartiri impollutum corpus tuum, & precioſum ſanguinem, & per nos toti populo. Rurſum declamans ad populum & enarrans locum de pallio Heliæ donato Heliſæo. Helias melotem diſcipulo reliquit, filius autem Dei aſcendens ſuam nobis carnem dimiſit. Sed Helias quidem exutus, Chriſtus autem, & eam nobis reliquit, & ipſam habens aſcendit. Quid igitur dicemus? Num beato Chryſoſtomo clariſsimum maximeq; neceſſarium fidei articulum excidiſſe quiſquam credat, cum in ipſa Euchariſtiæ tractatione tam ſæpe de eo loquatur? An non meminerit vocis illius angelicæ, Quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cælum ſic veniet? An ignorauerit quod ad diſcipulos Saluator dixit, Vado ad patrem, & iam non videbitis me? Nequaquam certè ignorabat ſanctus hic Epiſcopus localem deſignari remotionem, ſed certiſsimò credebat quod creaturam creator vt vult, transformare potuit, & vt potuit, ita iuxta verbum ſuũ voluit & fecit. Neq; vllam habet conſequentiæ rationem, Chriſtus aſcendit in cœlum, & vadit ad patrem, ergo non eſt hic. Vnde beatus Auguſtinus ſententiam hanc Saluatoris exponens, Quid ergo eſt, Ad patrẽ vado & iam non videbitis me? niſi quomodo ſum, cùm vobiſcum ſum. Tunc enim adhuc erat mortalis in ſimilitudine carnis peccati, qui & eſurire poterat & ſitire, Hunc ergo Chriſtum, id eſt, talem Chriſtum, cum tranſiſſet de hoc mundo ad patrem non erant iam viſuri. Et tantum abeſt vt hæc duo ſibi aduerſentur, aſcenſus videlicet Chriſti in cælum, & corporalis præſentia eiuſdem in ſacramento, vt iuxta interpretationem Beati Auguſtini & Beati Cyrilli Dominus declarauerit, quæ dixit de manducanda carne ſua, & bibendo ſanguine, per aſcenſionem ſuam in cœlum, dum ait, Hoc vos ſcandalizat? Si ergò videritis filium hominis aſcendentem vbi erat priùs, quid dicetis tunc? Hinc, ait Auguſtinus, ſoluit quòd illos commouerat. Illum enim putabant erogaturum corpus ſuum. Ille autem dixit ſe aſcenſurum in cœlum, vtique integrum. Certè vel tunc videbitis, quia non eo modo quo putatis erogat corpus ſuum. Et Cyrillus, Si præter naturam caro mea in cœlum aſcendet, quid prohibet ne ſimiliter præter naturam viuificet? Nihil igitur ſolidi habent, imò falſa ſunt quæ adducit Caluinus contra veritatem corporalis præſentiæ Chriſti in ſacra Euchariſtia. Et mirabilis eſt cœcitas conſentientem eccleſiæ catholicæ ſententiam propter ſophiſticas has argumẽtationes relinquere, quæ fundamentum habet verbum domini & veterum ſcriptorum concordem interpretationem. Porro totam hanc Ioannis Caluini ſententiam clarè explicat Gloſa ordinaria iam recens ædita & impreſſa à Roberto Stephano anno.53. Geneuæ, ex qua manifeſtior fiet eius abſurditas. Ait enim.

Hom.1. in epiſt. ad Ephe. — *Homil. 2. ad populum Antiochenum.* — *Act.1.* — *Ioan.16.* — *Tract. 94. & 95. in Io.* — *Ioan.6.* — *Circa 14.26 Matth.*

Specimen gloſſæ ordinariæ.

In verbis cœnæ dominicæ relatiuum Hoc, refert panem non corpus, & corpus ſuum panem vocat, non ſolum quia figura eſt corporis, ſed magis quia ſymbolum, in quo res exhibetur, ſicut Ioannes ſpiritum ſanctum vocat columbam, quod ſub columbæ ſpecie apparuerat. Ita panem corpus ſuum vocat, quòd certo teſtetur nobis exhiberi corpus ſuum quod figurat: vel quia dominus viſibile illud ſymbolum nobis porrigendo vna dat nobis etiam ſuum corpus. Proinde certum eſt veritatem hic cum ſuo ſigno coniunctam eſſe, hoc eſt non minus vere nos (quantum ad vim ſpiritualem attinet) participes corporis Chriſti fieri, quam pane veſcimur. Nam vt reuera regnum dabat Deus & ſacerdotium, propheticiq; munus per vnctionis ſymbolum, licet nec regna, nec ſacerdotium, nec propheticus ſpiritus localiter in eo fuerint, & vt Hieroboam verè accipiebat decem tribuum regnum, licet in decem pallij partibus localiter non eſſet: Et quemadmodum Chriſtus reuerà beneuolentiam ſuam per externam manus impoſitionem pueris & ægrotis dabat, tametſi in manibus illa localiter non comprehenderetur, & per baptiſmum exhibetur peccatorum remiſsio, etiamſi ſub aqua localiter non includatur: ita verè in cœna datur nobis corpus Chriſti per panem & vinum tanquã externa ſymbola, tametſi localiter in illis non comprehendatur. Datur enim nobis corpus Chriſti ſub his ſymbolis vt ſit animis noſtris in cibum ſalutarem, hoc eſt, in quantum ex Chriſti carne vis viuifica in nos per ſpiritum diffunditur, quamuis longe à nobis diſtet, nec miſceatur nobiſcum ſicut ſol in cœlo manens radios in terram traijcit ad generandos, fouendos, & vegetandos fœtus terræ, & in radijs ſuam quodammodo ſubſtantiam communicat: Sic Chriſtus in cœlo manens ſe nobis cõmunicat arcana ſpiritus ſancti virtute. Nam vinculũ huius coniunctionis eſt ſpiritus domini, cuius nexu copulamur, & eſt quidam veluti canalis, per quem, quicquid & eſt et habet, ad nos deriuatur.

Nota hæc explicationem.

Ex his

Reſponſio. Ex his liquido patet quòd Caluinus intelligit ſub pane & vino ſecundum veritatē dari & exhiberi corpus & ſanguinem domini, non ſecundum eorum ſubſtantialem præſentiam, ſed ſecundum virtutem & efficaciam tantùm: quomodo adſunt & exhibetur in baptiſmo & pœnitentia, imò quandocunque aliquem effectum mors Chriſti in nobis operatur. Sed hoc duntaxat modo ea adeſſe in ſ. Euchariſtia non patiuntur verba Chriſti quibus dixit corpus ſuum eſſe hoc quod oculariter demonſtrabat, & quod nobis tradendum & frāgendum affirmabat. Rectè hic dicit Lutherus, Si Chriſtus dixiſſet, Accipite & māducate, hic eſt panis triticeus quem exhibeo vobis: Item, Accipite & bibite, hic eſt calix vini quem propino vobis, nemo dubitaret de eius orationis intelligētia. Quid igitur hæremus, quid diſputamus de ſenſu verborum, quibus dicit, Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hic eſt calix ſanguinis mei, quādo ad ſymbolicā intelligentiam nihil ſuadet, nihil infirmæ quædam argumentationes ſophiſticæ ex humana tantum ratione deductæ, quæ non ſufficit, nec angelica quidem, ad intelligendum mirabilia Dei opera. Argumentatur enim Caluinus, quòd humanæ naturę veritas non poteſt conſiſtere cum coexiſtentia ſub ſpeciebus panis & vini, item quod aduerſatur articulo fidei de aſcenſione Chriſti in cœlos, & eius ſeſſione ad dexteram patris. Quibus ſuperius reſpondimus ex ſententijs Aug. & Chry. Et expreſſe damnatur hæc Caluini ſententia de præſentia Chriſti in Euchariſtia ſecundum virtutem duntaxat ſiue efficaciā, in Concilio tridentino, quod ſicait, Si quis dixerit Chriſtum in ſ. Euchariſtia eſſe tantummodò vt in ſigno vel figura aut virtute, Anathema ſit. Item quod Caluinus dicit communionem panis & vini ex Chriſti inſtitutione & promiſſione maiorem facere certitudinē quòd ſumus membra Chriſti ex carne & oſsibus eius, quodq; corda noſtra inhabitat, humanum eſt figmentum, & ſine ſcriptura dicitur.

Sermone de Euchari. im preſſo Haganoæ per Ioā. Secerium an. 27.

In eodem ſermone quo ſupra.

Hom. 50. in Lucam.

Hic præterimus errorem Ma. Lutheri, quē ſequitur & latè declarat Ioan. Brentius, quod videlicet Chriſtus non ſolum eſt corporaliter in ſ. Euchariſtia, ſed vbique, & cœlum impleat & terram inſtar diuinæ eſſentiæ, propter vnionem hypoſtaticam cum verbo Dei. Ait enim Brentius. *Brentius.*

Poſtquam Chriſtus aſcendit in cœlum, non iam eſt in locis pro carnali humanæ rationis imaginatione, ſed pro ratione diuina. quare & ſi corpus eius ſit ſimul in cœlo, & in terra, ſuper cœlos & in cœna, non tamen eſt in diuerſis locis iuxta carnis cogitationes, ſed eſt potius in vno loco: imò quia aſcendit ſuper omnes cœlos, eſt ſupra, infra, intra & extra omnia huius ſeculi loca. Manifeſtum quid eſt quod corpus mathematicum in vno tantùm externo loco natura ſua contineatur, ſed illud corpus quod aſſumpſit filius Dei in vnitatem perſonæ, quod intrauit gloriam & maieſtatē Dei patris, & ſi, quod ad ſubſtantiam eius attinet, non ſit mutatum, multa tamen adeoq; innumerabilia accepit accidentia, quæ ſunt cœleſtia & ſupernaturalia. Atq; hunc errorem ante eos docuit Iacobus Faber Stapul. qui ſic habet.

In epiſtolā pri ad Cor. cap. 12. et cap. 14. in Ioan.

Corpus Chriſti, id eſt aſſumpta humanitas, cœlum implet & terram: Eſt enim vbicunq; verbum Dei eſt, quia verbum caro factum eſt, quare verbum nuſquam eſt ſine carne. Item cum filius ſit in patre, & in omnibus ſanctis qui ſunt in cœlo & in terra, an etiam corporaliter ſit? Quid ni? Sed abſque modo, niſi dicas diuino & incomprehenſibili modo, qui non tam modus quàm non modus dici debet.

Diſt. 22. diſ. 10. dubio 2. et 3. epiſ. 57.

Sed hæc omnia præterimus, quod eorum tractationem præſens non requirat articulus, & diligenter de his diſſerant ſcholaſtici doctores 3. lib. ſentent. & Petrus de Palude 4. lib. ſentent. Aduerſus eundem hunc errorem ſcribit B. Aug. ad Dardanum. Ita, inquit, Chriſtus venturus eſt quemadmodum ire viſus eſt in cœlum, id eſt, in eadem carnis forma atq; ſubſtantia, cui perfectò immortalitatem dedit, naturam non abſtulit. Secundū hanc formam non eſt putandus vbique diffuſus. Cauendum eſt enim, ne ita diuinitatem aſtruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non eſt autem conſequens, vt quod in Deo eſt, ita ſit vbique vt Deus.

Pleniſsimè & latiſsimè tractauit Reuerēdiſsimus Epiſcopus Roffenſis, de exiſtentia reali & ſubſtantiali corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra Euchariſtia, aduerſus Ioannem OEcolampadium, qui in libello cui titulus eſt, De genuina verborū domini Hoc eſt corpus meum, expoſitione, omnes intendit neruos vt corradat argumenta & apparētias quibus euertat & expugnet ſaluberrimū hunc fidei catholicæ articulum. Sed his omnibus doctiſsimè reſpondet Roffenſis eumque ſequuti ſunt tres docti viri Angli, Stephanus Epiſcopus VVintonienſis, & Cancellarius regni Anglię, & Cuthebertus Tonſtallus Epiſcopus Dunelmēſis, & Albanus Lengdailus Archidiaconus Ciceſtrienſis, ad quos lectorem remittimus, ſi pleniorem huius articuli explicationem, probationem & defenſionem deſideret.

Finis Articuli decimi tertij.

ARTICVLVS DECIMVS QVARTVS.

In Euchariſtia non manet panis & vinum, ſed hæc in corpus & ſanguinem Chriſti mirabili potentia verbis ipſius ſunt conuerſa, manentibus tantum panis vinique ſpeciebus. Vnde certa fide tenendum eſt ſacram Eucharistiam ſanctè à nobis adorari, ſiue in miſſa, ſiue extra miſſam vbicunq; repoſita fuerit, aut quoties in ſupplicationibus publicis à ſacerdote circumfertur.

Matth. 26. DOMINVS Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panē, & gratias agens fregit, & dixit. Accipite & manducate, Hoc eſt corpus meū, quod ꝓ vobis tradetur. Accepit quidem in ſanctas manus ſuas panem, fregit panem, ſed quod diſcipulis ſuis dabat, ipſique manducandum accipiebant, dixit eſſe corpus ſuum. Hoc, inquit, quod exhibeo, & quod accipitis, corpus meum eſt. Accepit autem & calicem, gratias egit & dedit illis, dicens, Bibite ex hoc omnes, Hic eſt enim ſanguis noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Quòd vero vnum, idemq; panis ſit triticeus & corpus Domini: & idē vinum & ſanguis Chriſti, manifeſta eſt pugnantia & contradictio, ſicut quod idem ſit corpus & ſanguis, panis & vinum, aqua & ignis. Nam quæ ſubſtantialiter & eſſentialiter ſunt diuerſa, non poſſunt vnum idemque eſſe ſecundum ſubſtantiam, rationibus terminorum apertè repugnantibus. Quando igitur Dominus ait hoc ipſum quod exhibebat eſſe corpus ſuum, & item ſanguinem, neceſſaria rerum conſequentia docebat idem non eſſe panem, nec eſſe vinum. Accepit quidem panem, ſed ex eo fecit corpus ſuum, dum ait, Hoc eſt corpus meum: & ex vino ſanguinem, dicens, Hic eſt ſanguis meus: quaſi diceret, Non eſt iam amplius vinum quod calix continet, ſed eſt ſanguis meus: nec eſt iam panis quem in manibus de menſa ſumpſi, ſed eſt corpus
Ioan. 1. meum. Sicut in nuptijs, quibus in Cana Galilçæ dignatus eſt intereſſe, iuſſu eius impleuerunt miniſtri ſex hydrias aqua, eoque di-
Exo. 4. et 7. cente, Haurite nūc, & ferte architriclino, ex eis fundebant & adferebant architriclino, non aquam, qua tamen eas impleuerant, ſed vinum. Nam aqua vinum factum fuerat. Itē & Aaron accepit virgam in manum, quæ proiecta in terram iam non erat virga, ſed coluber. Idem percuſsit aquam fluminis, & factus eſt ſanguis. Conformiter his ſcripturarum exemplis, accepit Ieſus de menſa panē, ſed quod diſcipuli edendum ſumebant, nō iā panis, ſed corpus erat Domini, in quod panis fuerat conuerſus. Similiter calicem vini accepit, ſed quod diſcipuli accipiebant & bibebant, ſanguis erat Chriſti. Id clariſsimis verbis teſtatur Dominus, qui ait, Hoc eſt corpus meum, hactenus quidem panis, ſed ex hoc iam eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus, hactenus vinum, ſed ex hoc iam eſt ſanguis meus, in quem verſum eſt vinum. Magis autem eſt credendum verbo Dei, quā experientiæ. Sicut igitur credimus in nuptijs ex aqua vinum factum, quia hoc indicauit architriclinus, ita magis credendum non eſſe hic panem, quia Chriſtus dixit, Hoc eſt corpus meum. Quisq; apud ſe hic expendat, anne ſit addere verbo dei, domino dicente, Hoc eſt corpus meum, nulla panis facta mētione, aliquis adijcere audeat, Eſt quidem corpus eius, ſed, Hoc, panem demonſtrabat, quem de menſa acceperat: & eſt ſenſus, Hic panis eſt corpus meum, vel hoc quod porrigo eſt corpus meum, ſed ſimul eſt panis, ſaluaq; manet panis ſubſtantia. Quod enim ſimpliciter, indefinitè & ſine additamento dicit dominus, id hi ad panem reſtringunt & determinant, interpretantes, Hoc, id eſt, hic panis eſt corpus meum: quod non dicit dominus, ſed in genere, hoc quod videtis ſub accidentibus panis, quod in manibus habeo, & vobis edendum exhibeo, eſt corpus meum. Atq; ita ſecundum proprium orationis ſenſum demonſtratur non corpus Domini, nec panis, niſi confusè & indeterminatè, ſed in genere ſubſtantia, quam videbant ſub ſpeciebus ſenſibilibus panis. Nec myſterio caret, quod Chriſtus non dixit, Hic eſt corpus meum, cùm tamen panis Græcè & Latinè ſit generis maſculini, ſed, Hoc eſt corpus meum, id demonſtrando, quod ſub panis videbatur accidentibus, inſinuans, & explicans corpus Chriſti eſſe imò quòd ſub iiſdem latebat accidentibus, ſub quibus prius ſubſtantia panis.

Argumentum autem quod ſumitur ex mutatione generis Pronominis, Hoc, & panis, proſequitur Rex Angliæ in aſſertione ſeptem ſacramentorum aduerſus Martinum Lutherum, & Ioannes Epiſcopus Roffenſis in apologia pro eadem aſſertione. Item pater Alfonſus de Caſtro: Idem etiam attingit Hæreſi. 5. de
Martinus Lutherus, & reſpondere nititur, Eucharistia
ſed non ſatisfacit. Nec minus abſurdus eſſet qui panem diceret manere, quando adeſt corpus Domini, quam qui diceret, virga mutata in colubrum, virgę formam adhuc manere cum colubro, & in hydrijs nuptiarum aquam ſimul cum vino manſiſſe, atque vtrūque ſimul allatum architriclino. Erat quidem hoc fortaſsis poſsibile, nam aqua etiam manere potuit & affici colore, ſapore, ceteriſque vini qualitatibus, ita vt nullum fuiſſet vinum ſecundum ſpeciem, ſed ſecundum qualitates tantùm. An vero fieri potuerit quòd pane manente ſacramentaliter adeſſet corpus Chriſti, ita vt panis eſſet ſignū ſacramentale, ſicut modò ſunt panis accidentia, diſputant doctores Scholaſtici, quorum quidam docent hoc fieri non poſſe, alijs contrarium defendentibus. Sed in myſterijs ſcripturarum non quid abſolutè fieri poſſet ſpectan-

ſpectandum eſt, verum quis ſenſus ſcripturis earumque circunſtantijs magis ſit conſentaneus. Chriſtus hic in manus accepit panē, & adhuc panis eſſe videbatur, & dixit, hoc eſſe corpus ſuum. Neceſſaria igitur eſt conſequentia iam non eſſe panem. Huius autem intellectus verborum Chriſti conſideratione, ante mille annos maiores noſtri tradiderunt, poſt conſecrationem, panem nō manere. Nam beatus Auguſtinus, Cùm de ſacramentis, inquit, tractarem, dixi vobis quòd ante verba Chriſti quod offertur, panis dicatur: vbi verò Chriſti verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, ſed corpus domini appellatur. Cur ergo (ſibi obijcit) ſi vt panis non dicitur, ita nec eſt: In oratione dominica, ait, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie? Et reſpondet, Panem quidem dixit, ſed ſuperſubſtantialem: Non eſt iſte panis, qui vadit in corpus, ſed iſte panis vitæ æternæ qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit. Et beatus Ambroſius. Qui pridie, inquit, quam pateretur, in ſanctis manibus ſuis accepit panem: antequàm conſecratur panis eſt, vbi autem verba Chriſti acceſſerint, corpus eſt Chriſti. Audi dicentem, Accipite & edite, Hoc eſt corpus meū, ante verba Chriſti calix eſt vini & aquæ plenus. Vbi verò verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur qui plebem redimit. Item Licet figura panis & vini videatur, nihil tamē aliud quā caro Chriſti & ſanguis poſt conſecrationem credenda ſunt. Et Concilium Conſtantienſe damnat articulum Ioannis Vvicleffi, ſubſtantia panis materialis, & ſimiliter ſubſtantia vini materialis manent in ſacramēto altaris. Quòd igitur panis non maneat, nec vinum poſt conſecrationem, ex ipſis domini verbis, Hoc eſt corpus meum: &, Hic eſt ſanguis meus, patres eccleſiaſtici & Concilium prædictū apertè docent, & ex eis ſolis pronūciat B. Tho. hæreticum eſſe dogma, quòd panis & vinum manet poſt conſecrationem.

Sermo. 28. de verbis domini ſuper Lu.

Li. 4. de ſacrament. c. 5

Seſſ. 8. et in decret. Mar.

Par. 3. quæſt 75. art. 2. et in 4. diſt. 11. q. 1. artic. 1.

SEQVENS Articuli particula, videlicet, Panis & vinum conuertuntur in corpus & ſanguinem Chriſti, maiorem habet difficultatem, intra ſcripturæ & verborum Chriſti limites conſiſtendo. Cùm enim fieri poſsit quòd in ſacramento ſint corpus & ſanguis Chriſti per ſolam panis & vini corruptionem, vel eorum receſſum aut reſolutionem in præexiſtentem materiam, mirū videri poteſt, quod articulus & Concilia generalia pronunciant per conuerſionem panis & vini, in hoc ſacramento eſſe corpus & ſanguinem domini, quum miracula ex eo multiplicentur, & plurimę difficultates hic emergant, quę noſtram ſuperant intelligentiam. Sed quia patres & eccleſia catholica quæ ſpiritum & ſenſum Chriſti ſponſi ſui habet, viderunt ex germano verborum Chriſti ſenſu hanc ſequi conuerſionem, quam Concilia magis explicant & declarant eſſe tranſſubſtantiationem, hoc eſt, mutationem ſiue tranſitum de ſubſtantia in ſubſtantiam, quæ eſt mutatio ſubſtantialis inter duos terminos poſitiuos, non ſolum ex verbis domini docuerunt non eſſe panis & vini ſubſtantiā in hoc ſacramento, ſed corpus & ſanguinem Chriſti domini in eo eſſe per trāſſubſtantiationem, id eſt conuerſionem panis & vini in corpus & ſanguinem domini, non per loci mutationem, nec modum aliquem alium, quemadmodum ignis eſſe incipit vbi prius erat lignum, quando in ignem mutatur lignum per ſui conuerſionem & aggenerationē: Non ignorauerunt tamen plures hinc naſci difficultates, quas poſtea etiam attingemus. Cùm enim pronomē, Hoc, demonſtret ſubſtantiam indeterminatè & in genere, neceſſarium eſt, hoc quod prius erat panis, poſt conſecrationem manentibus ijſdem accidētibus, eſſe corpus Chriſti, quod ſine conuerſione fieri non poteſt Et ideo ex ijſdem Chriſti verbis conſtanter & concorditer veteres ſcriptores et Concilia generalia docuerunt, panem & vinum in ſacra Euchariſtia tranſſubſtantiari in corpus et ſanguinem domini, nihil deterriti quod plus miraculorū inde naſci, & plures etiam ſequi difficultates videbant, quando ſpiritu Chriſti ſuggerēte, verum hunc verborū Chriſti ſenſum intelligebant. Docet enim b. Amb. clariſsimè hanc trāſſubſtātiationē. Verè inquit magnū & diuinū miraculum eſt quod populo pluit Deus manna de cœlo, non laborabat populus & tñ manducabat. Tu fortè dicis Meus panis eſt vſitatus: ſed panis iſte panis eſt ante verba ſacramentorū, vbi acceſſerit conſecratio de pane fit caro Chriſti. Hoc igitur aſtruamus Quomodo poteſt qui panis eſt corpus eſſe Chriſti conſecratione? Cōſecratio igitur quibus verbis eſt, & quibus ſermonibus? Domini Ieſu. Nā per reliqua omnia quæ dicuntur laus Deo defertur: Oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cęteris: vbi venitur vt cōſecretur venerabile ſacramentū, iā nō ſuis ſermonibus ſacerdos, ſed vtitur ſermonibus Chriſti. Ergo ſermo Chriſti hoc conficit ſacramentum. Quis ſermo Chriſti? Nempe is quo facta ſunt omnia: Iuſsit Dominus & factū eſt cęlum: Iuſsit Dominus & facta eſt terra: Iuſsit Dominus & omnis creatura generata eſt. Vides ergo quā operatorius eſt ſermo Chriſti. Si ergo tāta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, vt inciperent eſſe quę nō erant, quāto magis operatorius eſt, vt ſint quę erant, & in aliud commutentur? Itē alio loco ex parte neophytorum obijcit. Fortè dicas, Aliud video, quomodo tu mihi aſſeris, quòd Chriſti corpus accipiā? Et hoc nobis adhuc ſupereſt vt probemus. Quantis igitur vtimur exemplis probemus non hoc eſſe quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit, maioremq; vim eſſe benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur. Virgam tenebat Moyſes, proiecit eam & facta eſt ſerpens. Rurſus apprehendit caudā ſerpentis, & in virgæ naturam reuertitur. Vides igitur prophetica gratia bis mutatam eſſe naturam, & ſerpentis & virgæ, Quod de plurimis ſcripturarū exēplis proſequi-

Li. 4. de ſacrament. c. 4. Et c. 9. de myſterijs initiandis.

Geneſ. 1.

Exod. 4.

ſequitur, tandem concludens, Si tantum valuit humana benedictio, vt natura conuerteretur, quid dicemus de ipſa conſecratione diuina, vbi verba ipſa Domini Saluatoris operantur? Nam ſacramentum iſtud quod accipis, Chriſti ſermone cõficitur. Sermo ergo Chriſti qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt in id mutare quod non erant? Non enim minus eſt nouas rebus dare quam mutare naturas. Sed quoad argumentis vtamur? Suis vtimur exemplis, incarnationisq; aſtruamus myſterij veritatem. Nunquid naturæ vſus præceſſit, cùm Ieſus Dominus ex Maria naſceretur? Si ordinẽ quærimus viro mixta fœmina generare cõſueuerat. Liquet igitur, quòd præter ordinem naturæ, virgo generauit. Et hoc quod cõficimus corpus ex virgine eſt. Quid hic quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cùm præter naturam ſit ipſe Domini Ieſu partus ex virgine? Vere vtiq; caro Chriſti quæ crucifixa eſt, quæ ſepulta eſt: Verè ergò carnis illius ſacramentum eſt. Ipſe clamat dominus Ieſus, Hoc eſt corpus meum. Ante benedictionem verborum cœleſtium illa ſpecies nominatur: poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur. Ipſe dicit ſanguinem ſuum: ante conſecrationem aliud dicitur, poſt conſecrationem ſanguis nuncupatur. Et Euſebium Emiſſenum, plurimosq; alios doctores Eccleſiaſticos citat Magiſter Sẽtentiarum, & Gratianus in Decretis. Item Theophylac. Miſericors, inquit, Deus noſtræ infirmitati condeſcendens, ſpeciem quidem panis & vini ſeruat, in virtute autem carnis & ſanguinis tranſelementat. Et clariſſimè Ioannes Damaſcenus doctor Græcus, ſicut & Theophylactus, maiorum ſuorum ſententiam explicans: Deus, inquit, panem, ſuum ipſius corpus & vinum atq; aquam ſanguinem facit. Et quemadmodum omnia quæ fecit Deus, ſpiritu cooperante fecit, ſic & nunc ſpiritus ſancti cooperatione hæc ſupra naturã operatur, quæ niſi ſola fides cognoſcere non poteſt. Quomodo fiet mihi iſtud, dicit ſancta virgo, quoniã virum non cognoſco? Cui reſpondet Gabriel Archangelus, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi. Itaq; ſi & nunc interrogas, Quomodo panis fit corpus Chriſti, & vinum & aqua ſanguis? Reſpondeo & ego tibi, Spiritus ſanctus obumbrat, & hæc ſupra ſermonem & intelligentiam operatur, non quòd ipſum corpus aſſumptũ ex cœlo deſcenderit, ſed quòd ipſe panis & vinum tranſſumuntur & tranſmutantur in corpus & ſanguinem Dei. Si autem modum requiris, quonã pacto fit, ſat tibi ſit audire, quoniam per ſpiritum S. quemadmodum ex ſancta Deipara ſeipſo & in ſeipſo dominus carnem ſuſtẽtauit. Et nihil amplius hic cognoſcimus, quàm quòd verbum Dei verum & efficax eſt & omnipotens, modus aũt inſcrutabilis. Ignotum autem & inſcrutabilem eſſe modum huius conuerſionis, naturali declarat exemplo. Nec prolixiores eſſe oportet

Homil. 5. de paſchate.
Li. 4. diſ. 10 De conſ. diſ 2. cap. Quia corpus, et ſequent.
In Marcum cap. 14.
Li. 4. de ort. fide cap. 4.
Luc. 1.

hic in citandis patrum ſententijs pro hac cõuerſione panis in corpus Chriſti, cùm eas plurimas ſit inuenire apud Reuerendum patrem Alfonſum de Caſtro. Ex quibus manifeſtum eſt, veriſsimum eſſe quod ſcribit Lãcfrancus Epiſco. Cantuarien. ad Berengariũ, quòd toto orbe diffuſa eccleſia catholica, credit terrenas illas ſubſtantias, quæ in mẽſa dominica per ſacerdotale myſterium diuinitus ſacrificantur, ineffabiliter, incomprehenſibiliter operante ſuperna potentia, conuerti in eſſentiam dominici corporis & ſanguinis, reſeruatis ipſarum rerum ſpeciebus & qualitatibus, ipſo nihilominus dominico corpore permanente in cœleſtibus ad dexteram patris, integro, incontaminato, illæſo, nempe impaſsibili & immortali, vt verè vtrunq; dici poſsit & ipſũ corpus quod de virgine ſumptum eſt, atq; ipſum ſanguinem qui in ara crucis pro nobis effuſus eſt, ſub ſpecieb⁹ panis & vini nos ſumere & quodam modo non ipſum: Ipſum quidem quantũ ad veræ vtriuſq; naturæ eſſẽtiam proprietatem & virtutem: non ipſum autem ſi modum illum ineffabilem ſpectemus, quo ſub alienis ſpeciebus mirabiliter & incomprehenſibiliter latitat. Hæc, inquit, fides eſt quã tenuità priſcis temporibus, & nunc tenet eccleſia, quæ per totum orbem diffuſa catholica nominatur. Hanc fidem Latinos, hanc Græcos, hanc Armenos magno conſenſu ſequi affirmat. Atq; hanc eius ſententiam hic repetere conueniebat, propterea quod apertè explicet priores partes præſentis articuli toto orbe eccleſiam ſemper docuiſſe. Et ne vllus hic ſcrupulus aut vacillatio in animis noſtris hæreret, acceſsit definitio in Concilio tempore Innocentij 3. Lugduni celebrato, quæ habet, Vna eſt fideliũ vniuerſalis eccleſia, extra quã nullus ſaluatur omnino, in qua idem & ſacerdos eſt & ſacrificium Chriſtus Ieſus, cuius corpus & ſanguis in ſacramẽto altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continẽtur, tranſſubſtãtiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem, eius poteſtate diuina. Item in Synodo œcumenica Florentiæ ſub Eugenio quarto celebrata definitur, ꝙ ſacerdos in perſona Chriſti loquens hoc cõficit ſacramentum, quodq; ipſorum verborũ virtute ſubſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem conuertitur. Et Concilium Tridentinum celebratum ſub Iulio 3. docens quid de ſacra Euchariſtia neceſſariò ſit credendum, ſic ait, Quoniam autẽ Chriſtus redẽptor noſter, corpus ſuũ, id quod ſub ſpecie panis offerebat, verè eſſe dixit, ideo perſuaſum ſemper in eccleſia Dei fuit, idq; nũc denuo ſancta hæc Synodus declarat, per cõſecrationẽ panis & vini, conuerſionẽ fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti domini noſtri & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis eius: quæ conuerſio conuenienter & propriè à ſancta catholica eccleſia tranſſubſtantiatio eſt appellata. Et poſt datã hanc doctrinam à Concilio, ne quis contra illam do-

Hæreſ 5 de ſacra Euchariſtia.
De ſumma trinit. & fide catholic. cap. firmiter.
Cap. 4. Seſ.

cere,

cere, aut ſentire præſumat, canonē latæ ſententiæ qui eſt ſecundus in ordine contra huiuſmodi præſumptores protulit, cuius verba ſunt hæc, Si quis dixerit in ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſacramento remanere ſubſtantiam panis & vini, vna cum corpore & ſanguine domini noſtri IeſuChriſti, negaueritque mirabilem illam & ſingularem conuerſionē totius ſubſtātiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus duntaxat ſpeciebus panis & vini, quam quidem conuerſionem catholica eccleſia apertiſsimè tranſſubſtantiationem appellat, Anathema ſit. Nihil igitur dubitādum quin in ſacra Euchariſtia fiat panis & vini cōuerſio in corpus & ſanguinem domini, hoc eſt vera tranſſubſtantiatio, in qua deſinunt eſſe panis & vinum, & tranſeunt in corpus & ſanguinem Chriſti. Hanc patres ex verbis Chriſti, quæ eam inſinuant, concorditer docuerunt, & generalia definierūt Concilia. Quare pertinaciſsima eſt cōtumacia non ſolum contrarium docere, ſed vel de ea dubitare, aut amplius ipſam inueſtigare. Et ideo verè hæreticus eſt, ſubuerſus, & ſuo iudicio condemnatus, qui vel aliter ſentit, vel ſentiendum docet. Definiuit enim antiquus ille doctor Origenes eum eſſe hęreticum, qui Chriſto ſe credere profitetur, & aliud de veritate Chriſtianæ fidei credit, quam habet definitio eccleſiaſticæ traditionis. Modus autem quo fit hęc conuerſio, ſiue tranſſubſtantiatio ineffabilis eſt & incomprehenſibilis, ſicut diximus de modo quo corpꝰ & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini continentur, vt rectè hic quæri poſsit, Quomodo hæc fiant, ſicut Maria interrogauit ab archangelo, quomodo filium conciperet, quæ virum nō cognoſcebat: ſicut autem ei ab angelo reſponſum eſt, ita & hic quis reſpondere poſſet, Id ego ignoro, nam ſuperat meam intelligentiam: ſed ſpiritus ſanctus ſuperueniet, qui admirabili ſua potentia hęc omnia operabitur. Quo autem modo hoc faciat, ipſe qui muneris eſt author & largitor & teſtis veritatis, ipſe quod loquitur, & quomodo faciat ipſe nouit ſolus. Superat enim omnē intellectum creatum quòd panis mutetur in corpus Chriſti pręexiſtens & ei tamen nihil accedat, & pane tranſeunte omnia eius nihilominus maneant accidētia, color, ſapor, odor, figura, quantitas & pondus, & ſub parua eorum quantitate totum hominis contineatur corpus, & ſub qualibet eius particula. Propter quas difficultates & rei ſublimitatem circa cōuerſionis huius modum quo fiat, variè opinati ſunt doctores Scholaſtici vt dicit Magiſter in 4. ſentent. qui tres recitans opiniones, quarum primam ſequitur, quam tanquam verbis Chriſti magis conſentaneam, generalia Concilia definierunt certa fide eſſe tenendam, quam etiam explicāt, & declarant ex verbis cœnæ dominicæ beatus Thomas, & exactiſsimè Cardinalis Caietanus. Ex quibus patet quòd non rectè dicat Cardinal. Cameracen, Petrus de Aliaco, ꝙ inter modos quibus imaginari poteſt fieri tranſſubſtantiatio, ille ſit ad intelligendum facilior & rationabilior, ꝗ ponit quod ſubſtātia panis manet, ſiue intelligatur corpus Chriſti cōtineri ſub pane, ſicuti ſub accidētibus eius ipſum contineri nos docemus, videlicet vt ſubſtātia panis ſit ſignū ſacramentale, ſiue intelligatur natura panis corpori in vnitate perſonæ verbi vniri, ſicut vniūtur natura humana & diuina. Quia, inquit, his modis ſubſtantia panis defert accidētia, nec ponuntur ſine ſubiecto, quod eſt vnū de difficilibus quæ hic ponūtur: Et addit hūc modum nec rationi nec bibliæ repugnare. Nec videre meo, inquit, ex determinatione eccleſiæ, nec euidēter ex ſcripturis ſequitur quòd ſubſtantia panis non manet. Oſtendimus enim ex verbis domini neceſſariò ſeq quòd non eſt panis id quod dominus porrigendo diſcipulis, dicebat eſſe corpus ſuū. Et Generalia Concilia declarauerunt tranſſubſtantiationē eſſe rationē & cauſam realis & ſubſtantialis præſentiæ Chriſti ſub ſacramēto. Dicit enim Concil. Florent. Forma huius ſacramenti ſunt verba Saluatoris, quibus hoc confecit ſacramentū. Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens, ipſum conficit ſacramentū. Nam ipſorum verborū virtute, ſubſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinē conuertuntur. Item in Generali Concil. Lateranē. dicitur quòd Chriſti corpus & ſanguis in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continētur, tranſſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinē. Vbi ex ipſo modo loquendi inſinuatur prioritas & cauſalitas trāſſubſtantiationis reſpectu cōtinentiæ corporis & ſanguinis Chriſti. Et ideo valde mirandū eſt quod dicit Aliaco permanentiā panis & vini eſſe rationabiliorē, & Luther. hunc cardinalē citat dicere eā eſſe probabiliorē. Magis aūt mirandū quòd dicit non ſequi ex defenſione Eccleſiæ, quod panis & vinū in S. Euchariſtia nō manent. Nam in myſterijs ſcripturarū non ſolū ſeruandū eſt quod euidenter ex eis ſequitur, ſed quod eis magis eſt cōſentaneū, maxime quando hoc concorditer tradiderunt patres. Et quiſquis non male affectus conſiderata ſola ſerie hoſtoriæ cœnæ dominicæ, etiā ſi eſſet philoſophus gentilis, & crederet fieri poſſe quod credimus, & veracem eū qui loquitur, non aliū ex Chriſti verbis colligeret ſenſum, quā diximus. Opinionem aūt de aſſumptione naturæ panis à Chriſto Dei verbo, tenuit aliquando doctor quidam Ioannes Pariſien. & eam ſequi videtur Martin. Luth. ſed efficacibus rationibus & ſcripturis docet eā eſſe erroneam Petrus Paludanus & alij ſcholaſtici. Et quia corpus in verbis domini intelligitur non tota ſubſtantia, ſed altera pars compoſiti, non poteſt panis de ipſo prædicari, quanuis etiā panis natura aſſumpta eſſet in vnitatē hypoſtaticā verbi Dei. Nec tranſſubſtātiatio ſaluari poteſt, manentibus panis & vini ſubſtantijs, quanuis vnitis perſonaliter verbo Dei.

In comment. in epiſ. ad Titum, vt citat b Pamphilus in Apol pro Origene.

Euſebius Emiſſenus ſer. 5 de paſcha.

Diſt. 2.

3. part. quæſ. 75. art. 1. & ſequent.

In 4. ſent. q. 2. de Euchariſtia.

In 4. ſentēt. diſt. 10. et 11.

FIT autem hæc conuerſio admirabili ver
bi potentia, non ſolum incarnati, ſed &
vei bi ſiue ſermonis quem Chriſtus pro-
tulit. Eſt enim operatorius eius ſermo, & ef-
ficit hoc myſterium multis modis & miracu
lis admirabile. Duplex autem eſt hoc verbũ,
illud videlicet quo inſtituit iſtud ſacramen-
tum, dicens, Accipite & manducate, Hoc eſt
enim corpus meum: Et, Hoc facite in meam
commemorationem. Nam qui dixit, inquit
Damaſcenus in principio, Producat terra
Lib. 4. de orthodoxa fide cap. 14. herbam virentem, & vſque nunc pluuia fa-
cta & diuino vigorata præcepto germina
producit: Idem quia dixit, Hoc eſt corpus
meum, & hic meus eſt ſanguis, hoc facite in
meam commemorationem, & omnipotenti
Homi de proditiõe Iudæ. eius præcepto donec veniat, efficitur: de
quo etiam citauimus Beatum Chryſoſto-
mum. Eſt & verbum aliud, quo conſecratur
& conficitur hoc ſacramentum, verbum ſci-
licet Chriſti, Hóc eſt corpus meum, & hic eſt
calix ſanguinis mei, quando in eius perſona
à ſacerdote ſuper pane & vino pronuncia-
De verbis domini. ſer. 28. tur: De quo Beatus Auguſtinus, Dixi vobis,
inquit, quòd ante verba Chriſti quod offer-
Li. 4 de ſacramẽt. c. 5. tur panis dicitur: vbi verò Chriſti verba de-
prompta fuerint, iam non panis, ſed corpus
domini appellatur. Et Beatus Ambroſius,
Antequam conſecretur, panis eſt, vbi autem
verba Chriſti acceſſerint, corpus eſt Chriſti.
Ca 4. eiuſdẽ lib. vt ſupra. Idem, vides, inquit, quã operatorius eſt ſer-
mo Chriſti. Si ergo tanta vis eſt in ſermone
domini Ieſu, vt inciperẽt eſſe quæ non erãt,
quantò magis operatorius eſt, vt ſint quæ e-
rant & in aliud commutẽtur. Loquitur au-
tem de ſermone ſiue verbis conſecrationis.
Ait enim, Non erat corpus Chriſti ante con-
ſecrationem, ſed poſt conſecrationem dico
tibi quòd iam corpus eſt Chriſti. Et idem de
finitum eſt in Concilio Florentino. Nec ſo-
lum hęc virtus eſt in verbis conſecratio-
nis, verùm etiam in miniſtro conſecran-
te indelebiliter & per modum habitus per-
manentis, quæ in verbis cum eorum pro-
Part. 3 quæ 78. art. 4. et 62. art. 4. Diſt. 1. 4. ſentent. latione tranſit: Sed qualis ſit hæc verborum
virtus, an eis ſolum aſsiſtens, an intrinſeca,
non eſt hic locus tractãdi, quorum tamen ſi
quis plenam tractationem deſideret, inueni
et apud beatum Thomam & doctores Scho-
laſticos. Ex quibus manifeſtum eſt Bucerum
& Pomeranum grauiter errare, qui ex ſolo
verbo inſtitutionis conſiſtere & perfici do-
cent ſacroſanctam Euchariſtiam: Nec tamẽ
hoc ita mirandum de Bucero, qui docet in
ea ſolum eſſe ſymbolum & ſignum corporis
& ſanguinis Chriſti abſentis, ſicut de Pome-
rano, qui docet in pane verè eſſe corp' Chri-
ſti, & ſanguinem in vino, in quib. de nõ eſſe
nõ poſſunt, niſi accedente aliquo verbo. Nã
de baptiſmare à Chriſto inſtituto dicit B. Au
Tract 80 ſuper Ioãnem. guſtinus, Accedit verbum ad elementum, &
fit ſacramentum. Id quod de ſacra Euchari-
ſtia idem B. Auguſtinus & B. Ambroſius in
ſententijs ſtatim citatis etiã docent. Et Chri-
ſtus ipſe hoc perficiendo ſacramentum ver-
bis vtebatur dicens, Hoc eſt corpus meum.

Mandauit autem quòd nos faceremus id ip-
ſum quod fecit ipſe. Hoc, inquit facite in *In Apologia aduerſus Bucerum & in antapologia.*
meam commemorationem. Hæc attendens
Martinus Lutherus, docuit his verbis cor-
pus Chriſti in panem, & ſanguinem eius in
vinum tranſponi. Nec tamen conueniunt,
imò & ad inuicem pugnant Bucerus & Po-
meranus in modo celebrandi cœnam vt vo-
cant dominicam, & quo panis fit myſticus,
& vinum ſimiliter. Ait enim Ioannes Po-
meranus.

Neque corrumpimus Chriſti verba effictis *Pomeranus. Da ſacramẽto corporis et ſanguis Chriſti cõfeſsiõe. Vbi publicã reddit rationem ſuæ fidei de cœna domini.*
tropis, vt noſtri ſacramentarÿ, & ſe et ſcripturam
miſerè torquent, qui vbi habent muros iſtos pro
ſua, vt putant opinione aheneos, Chriſtus ſedet in
dextra patris: Caro non prodeſt quicquam: qui
muri quidem ſunt, ſed tantum valent ad opinio-
nem eorum tutandam, quantum nix valet ad ca-
lefaciendum. Multis iam æditis libellis non po-
tuerunt reſpondere vni verbo Pauli: Non dijudi- *Se explicat Pomeranus Contra Bucerum.*
cans corpus Domini. Breuiter audi quid facimus.
Conuenimus, accipimus panem, & edimus cor-
pus Chriſti, in commemorationem corporis Chri
ſti pro nobis in cruce mortui. Similiter accipimus
poculum, & bibimus ſanguinem Chriſti, in com-
memorationem ſanguinis pro nobis in paſsione e-
ius & morte effuſi. Hæc omnia facimus & credi-
mus ſecundum Chriſti inſtitutionem. Conueni-
mus autem & prædicamus, cantamus, ſed cum
intellectu, & quem etiam vulgus cantat, & ora-
mus fatentes mortem Chriſti & gratias agen-
tes. Nam in ſui ſuiq́; mortis commemorationem
hoc ſacramentum Chriſtus inſtituit. Et accipimus
panem & edimus corpus Chriſti: accipimus po-
culum & bibimus ſanguinẽ Chriſti. Nam Chri-
ſtus dicit, Hoc facite, in quo verbo fidenter faci-
mus quæ Chriſtus inſtituit, non fidimus in noſtris
conſecrationibus, & anhelitu, vt ſtultè obÿcitur
nobis, ſed hoc verbo Chriſti, hoc facite, hoc eſt,
fidimus in Chriſti inſtitutione & iuſsione. Sed hic
diſcordia orta eſt ex iſto verbo. Nam ſacramenta-
rÿ exponunt, Hoc facite, id eſt, accipite panem
& comedite panem: Accipite vinum & bibite vi-
num: Ita dicere debent qui nolunt videre & au-
dire quid Chriſtus dicat. Nos verò inuiolatam ſer
uantes Chriſti inſtitutionem, ſic dicimus, Chri-
ſtus accepit panem & dedit diſcipulis ſuis dicens,
accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum, quod
pro vobis datur. Hoc facite, quoties feceritis, id
eſt, accipite panem & comedite meum corpus, cre
dentes panem quem ſecundum meam inſtitutio-
nem editis in meam commemorationem, non ſim-
pliciter eſſe panẽ, ſed meum corpus quod pro vobis
datur. Similiter accepit calicẽ, & dedit eis dicens,
Bibite ex hoc omnes. Hic eſt ſanguis meus, &c.
Hoc facite quotieſcunq; biberitis in mei cõmemo-
rationẽ. Facite, inquit, hoc, id eſt, accipite calicem
& bibite meũ ſanguinem, credentes poculũ, quod
me inſtituente in mei cõmemorationẽ bibitis, eſſe
meum ſanguinem. Chriſtus ergo non inſtituit, &
dixit, hoc facite, id eſt, accipite & comedite pa-
nem,

nem accipite & bibite vinum, ſed hoc facite, id eſt, accipite & comedite meum corpus: ſic inſtituo, ſic volo, ſic iubeo, Accipite & bibite meum ſanguinem: ſic inſtituo, ſic volo, ſic iubeo, vt in mei commemorationem bibatis ſanguinem meum: Nõ inſtituo vt in mei commemorationem edatis ſimpliciter panem, ſed panem quem editis, credatis eſſe meum corpus. Similiter non inſtituo, vt in mei cõmemorationem bibatis ſimpliciter poculũ, ſed poculũ quod bibitis, credatis meũ eſſe ſanguinem. Accipite ergo & comedite panem quem frangitis inter vos, qui eſt corpus meum. Non dico aut iubeo vt vos faciatis eum panem corpus meum, ſed vt edatis eum qui iam eſt corpus meum, Accipite & bibite poculum, quod diſtribuitis inter vos, quod eſt ſanguis meus: Non dico aut iubeo, vt vos faciatis illud poculum ſanguinem meum, ſed bibatis poculum quod iam eſt ſanguis meus. Inſtituo & volo, vt in commemorationem mortis meæ edatis corpus meum, & bibatis ſanguinem meum, vt ille panis qui edetur ſæpe in commemorationẽ mei ſit corpus meum: & illud poculum quod ſæpe bibetur in commemorationẽ mei, ſit ſanguis meus.

Chriſtus hoc fecit et nobis iuſſit vt hoc ipſum facere mus quod fecit ipſe.

Igitur conuenite ad hoc ſanctum conuiuium quoties volueritis, & agite mei commemorationem, me prædicate, mutuo vos conſolamini recordatione beneficiorum per me acceptorum, gratias agite de morte mea, quod corpus meum traditum ſit pro vobis, & ſanguis meus effuſus in remiſsionem peccatorum veſtrorum. Breuiter itaque hæc inſtitutio Chriſti, ſi actio, verbum, iuſsio eius inſpiciatur vt oportet, hoc vult, inſtituit & ordinat, vt vbi viſum fuerit cõuenientes edamus panem eius, quem ipſe dicit ſuum corpus eſſe: & bibamus poculum eius, quod ipſe dicit ſuum ſanguinem eſſe, & edamus, & bibamus in eius commemorationem. Sed dicis ſi non confiditis in veſtris conſecrationibus & flatu & fœtido anhelitu, cur verba Chriſti, Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus ſuper panem & vinum profertis, incantaturi Deum in panem, vt faciatis aliquem deum impanatum?

Explicat ſe Pomeranus.

Cui reſpondeo, Nos non ſolum repetimus ſuper panem & vinum iſta verba Chriſti, Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus, ſed totam Chriſti inſtitutionem ſiue ordinationem ex Apoſtolo Paulo, hoc modo, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in ea nocte, qua tradebatur, & cætera: vſq;, Hoc facite quotieſcunque biberitis. Iſta omnia repetimus ſuper panem & poculum, vt priuilegium principis noſtri, vt inſtitutionem & ordinationem domini noſtri Ieſu Chriſti, vſque ad mundi finem apud fideles duraturam. Non enim conuenientes cupimus hic edere vulgarem panem, aut bibere vulgare poculum, ſed eum panem quem Paulus vocat panem Domini, & illud poculum, quod Paulus vocat poculum Domini, id eſt, Chriſti: hoc eſt illum panem & illud poculum quod Chriſtus inſtituit edendum & bibendum in ſui commemorationem, hoc eſt, corpus & ſanguinem Domini. & hic obiter interrogo ſacramentarios? Vnde, quo halitu, quibus verbis, qua incantatione fiat panis & poculum eorum in Chriſti commemoratione tam ſanctum, vt indignè vtens iudicium ſibi ſumat, & fiat reus corporis & ſanguinis Domini, vtcunque negent ibi eſſe corpus & ſanguinem Domini. Quòd ſi dixerint, id quod non dubito ſanctores dicturos, quod ob Chriſti inſtitutionem hoc fiat, gratias agemus eis, modò ſinant etiam nobis de tota hac cauſa ſic reſpondere, Stultum igitur fuerit hæc verba inſtitutionis Chriſti omittere, impium his nõ cõfidere: Nam ſine his quid quæſo in pane & poculo quæreremus? Hæc verba ſacræ Chriſti inſtitutionis publicè recitat miniſter noſtræ eccleſiæ ſuper panem & poculum ſuper menſam ſiue altare poſita, nullo eis adhibito flatu, vt irridemur, quando agnoſcit nihil hic fieri ſua virtute, ſed omnia virtute inſtitutionis & adorationis Chriſti. Recitat autem miniſter hæc verba, vt agnoſcant cõmunicaturi (qui niſi adſint nulla nobis vnquam miſſa eſt) agnoſcat & noſtra eccleſia in Chriſto ad Euangelium & orationem & hymnos congregata, quid erga hoc ſacramentum ſit nobis vel faciendum, vel credendum.

Sine verbis inſtitutionis ſacræ Eucharistiæ, nõ eſt in ea corpus & ſanguis domini.

Docet igitur Pomeranus, quod neceſſaria eſt recitatio verborũ inſtitutionis huius ſacramenti, non autem peculiariter verba conſecrationis eſſe recitanda. Docet præterea panem edẽdum eſſe cum certa fide, quòd panis eſt corpus domini, & vinũ ſanguis eius. In hoc enim reprehendit Bucerum, quod dixerit Chriſtum porrigẽtem panẽ diſcipulis, & dicentem, Hoc eſt corpus meũ, edere iuſsiſſe panem, & ad corpus ſuum quaſi repræſentatum eos remiſiſſe quod pro eis in mortem tradebatur, vt hoc crederent, & internò reciperent ac ſpiritualiter ederent. Contra hũc dicit Pomeranus.

Chriſtus quidem inſtituit edi panem, ſed quem ſuum eſſe corpus dicebat. An non qui dicit, Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum, iuſſerit nos edere ſuum corpus edendo panem, quem certe ſuum corpus eſſe dicebat? An non panis huic aliquid accedit, ſed propter nos, quãdo ei accedit, hoc verbum Chriſti, modò tu huic verbo credas, qui ſacramentum hoc es ſuſcepturus? Certũ itaq; eſt quod Chriſtus ipſe hic adeſt, & dat nobis ſuũ corpus & ſanguinem, efficiens inſtitutionis ſuæ verbo, vt panis ſit corpus ſuum, & poculum ſanguis ſuus: Sit, inquam, illis qui credunt eſſe propter verbum eius & inſtitutionẽ, ſiue dignè, ſiue indignè manducẽt.

Pomeranus contra Bucerum.

Requirit ergò Pomeran. certam etiam fidem verborũ inſtitutionis ad hoc vt adſint corpus & ſanguis Chriſti, præter eorundem verborum recitationem. Bucerus verò nulla requirit verba recitari, nec inſtitutionis, nec conſecrationis: Nam declarans quomodo cœna dominica celebranda ſit,

Hæc, inquit, noſtra Euchariſtia eſt & cæna dominica, vt conuenientes panem inter nos frangamus, & poculum bibamus domini, hoc eſt quibus memores ſimus eius quod ipſe in nouiſsima illa

Bucerus. In cõment. in cap. 26. Matth.

 cæna

cœna cum diſcipulis ſuis geſsit & locutus eſt, prædicantes mortem eius corpusq́; domini & ſanguinem pro nobis quoq; traditum. Quod cum vera ſide memoramus, ſanè mens iam corpore & ſanguine domini paſcitur, & ad vitam Deo dignam vegetatur, vt cum domino iam per fidem, & inter nos per dilectionem vnum corpus & vnus panis ſimus, verè ita corpore & ſanguine domini communicantes. Sic verè denique facimus hoc, id eſt, edimus panem & bibimus calicem in commemorationem domini, vt ipſe iuſsit. Vt autem nuſquam iuſsit verba iſta ſua repetere, & ita corpus ſuum in panem, & ſanguinem in vinum per ea tranſponere, neque promiſit vſpiam, ſi id faceremus, aliquam in pane & vino noſtro forè mutationem: ita illorum philoſophiam, qui aiunt verbis iſtis domini, Hoc eſt, & cæt. corpus & ſanguinem domini credita, cum illa ad panem veniant, adſerre illa pani, vt iã in pane exiſtãt realiter, nulla ſane ſcriptura habet, corpus & ſanguinem domini verbis his credita quoquam ferenda, neq; pani & vino, ſed mentibus electorum debent verba adferri. Paulus quidem recitauit verba Chriſti, & quæ in cœna geſsit, vt inde oſtenderet Corinthijs, quomodò cœna dominica eſſet peragenda, & argueret eorum circa hanc abuſus: nuſquam autem vel ipſe, vel Chriſtus iuſsit illa verba, Hoc eſt corpus meũ, &c. ſuper panem & vinum recitare. panem frangere, & calicem libere, atque domini meminiſſe, mortemq́; eius annunciare iuſsi ſumus. Hinc in cœnis noſtris panem cum Paulo nos frangere dicimus & agnoſcimus, & bibere poculum, nulli mortalium concedentes facultatem in panem & vinum corpus & ſanguinem tranſponendi corporaliter, quia eam nulla ſcriptura concedit. Demus magis operam, vt per annunciationem mortis domini tranſponantur hæc in mentes ſpiritaliter. Nam corporaliter Chriſtum adeſſe nequaquam nobis vtile, habẽtibus ipſum ſpiritu nobiſcum vſq; ad conſummationem ſeculi. Et vt nihil inquinat hominem quod per os ingreditur, ita etiam nihil huiuſmodi ſanctificare poteſt nec corpus nec ſanguis domini.

Reſponſio.

Quanta eſt iſtorum hominum, poſtquam ſemel ab Eccleſiæ ſententia defecerunt, & ſuam ſequuntur, diſcordia & diuerſitas in perficiendo & communicando corpore & ſanguine domini? Teſtatur hoc Martinus Lutherus, non aliud, inquit, de huiuſmodi ſpiritibus (de ſacramentarijs loquens) affirmo, amiſſo & relicto verbo Dei, per me ſanè quicquid volent credant, & factioſè diſſentiant quoad lubet, ſicut iam videmus ſex aut ſeptẽ ſectas intra biennium emerſiſſe ſuper ſacramento diſſentientes, quæ tamen omnes ſibi perſuaſerũt Chriſti corpus & ſanguinem in ſacramento non eſſe. Naſcitur autem hęc inter eos diſcordia, atq; ab inuicem & ab eccleſia ſancta defectio, ex prauo intellectu verborum Chriſti, Hoc facite in meam commemorationẽ, quæ intelligunt contra verborũ

In ſermo. ſu. ſacrament. corporis & ſanguinis Chriſti impreſſo Haganoæ per Ioã. Seterium anno 27 ſex aut ſeptẽ ſectæ ſacramẽtariorum intra biẽnium emerſerunt.

proprietatem, & ſeriẽ narrationis, nulla citata ſcriptura, nulla ratione, ſed ſolũ ſenſũ ſuum ſequentes, vt hoc facere, ſit edere & bibere panem & vinũ: Bucerus quidem in commemorationem domini, Pomeranus aũt panem iam factum corpus domini, & vinũ factum ſanguinẽ domini, ac propterea verbis conſecrationis opus nõ eſſe, & ſecundũ Martinum Bucerum, nec inſtitutionis verbis cõtra conſentientẽ patrum & Conciliorũ interpretationem verborum propriã ſignificationem, & hiſtorię ordinẽ, ſicut manifeſtũ eſt ex ijs quæ in ſuperioribus diximus. Iuſsit enim dominus his verbis vt Apoſtoli præpararent & adornarent hanc mẽſam vſq; ad ſeculi conſummationẽ, ſicut ipſe in illa cœna eam inſtruxerat & inſtituerat. Nam iuſsit eos hoc facere, quod ipſe fecerat: fecerat autẽ benedicendo, & dicẽdo, Hoc eſt corpus meũ, Hic eſt ſanguis meus, de pane ſuum corpus, & vino ſanguinem. Iuſsit itaq; vt eadẽ verba dicendo ipſi idem facerẽt. Nam hoc facere, eſt facere ſubſtantiale, ſiue ſubſtantiam facere, vt ſupra ſatis diximus.

ACcidentia in hoc ſacramento manere negari non poteſt, cùm ſenſus ea infallibiliter demonſtret. Sunt enim ſenſibilia propria circa quæ ſenſus falli non poteſt. Quia autem oſtendimus panis viniq́ue ſubſtãtiam non manere, neceſſarium eſt accidẽtia iſta eſſe ſine ſubiecto. Neq; enim his corpus & ſanguis Chriſti afficiuntur, cùm hoc ſine eorum alteratione fieri non poſſet: nec etiam talium accidentium ſunt capacia: ſimiliter nec ſubſtãtia aeris quæ hoſtię Chriſti corpus continenti cedit, nec ſimul cum ea eſſe poteſt, ita tamen vt ſola quantitas dimẽſiua ſine ſubiecto ſubſiſtat, & ipſa alijs accidentibus præbeat ſuſtentamentum, vt docet B. Thomas: Nec accidentis eſſe eſt ineſſe actu, ſed aptitudine tantum, ſicut ſubſtantiæ eſt per ſe eſſe, & tamen natura humana in Chriſto non per ſe eſt, ſed in ſuppoſito alieno verbi patris. An verò quantitas in ſacramento Euchariſtię, ſolum priuata ſit actuali modo eſſendi in ſubiecto, an poti⁹ accipiat modum per ſe exiſtendi, hoc eſt per modum ſubſtantiæ, vt ſubſtãtiæ proprietatem, actũ, vim atq; virtutem in agendo & patiendo habeat, & in omnibus vices ſubſtantię & etiam materię ſuppleat, vt capax ſit formæ ſubſtantialis cum qua ſubſtantiam conſtituat, exactè diſputãtur a doctor. ſcholaſticis & pręcipuè à beato Thoma, & Cardinale Caietano qui docent, quòd quantitas, ſeruato eodem eſſe quod prius habebat in ſubiecto, Dei virtute nouum accipiat eſſendi modum, operationem quoque, atque virtutem actiuam & paſsiuam ſubſtantiæ, vt quantitas per accidentia idem agere & producere, ac etiam pati ac recipere poſsit, quæ prius ſubſtantia panis & vini, eorumq́ue materia, ac propterea de eius potentia produci poſsint etiam formæ ſubſtantiales. Quam ſententiam, vt dicunt, magis comprobat experientia, & pauciora eam ſequuntur miracula.

Lib. 4. cõtra Gẽtiles c. 65.

Parte 3. ſummæ queſ. 77

Quapro-

Quapropter tanquam veriſimilior & probabilior in hac quæſtionum obſcuritate, de quibus ex ſcripturis non cōſtat, videtur eſſe amplectenda. Eſt igitur quantitas in hoc ſacramento per ſe in modum ſubſtātiæ, reliqua autem accidentia & qualitates in ea non ſolum vt ſuſcipiente, ſed & ſuſtentante, quæ ipſa prius cum reliquis accidentibus à ſubſtantia ſuſtentabatur. Certum eſt aūt quod corpus & ſanguis Chriſti ſub his ſpeciebus manent, quamdiu integra manet hoſtia, vel aliquæ eius partes. Quod verò ſub eiuſdem ſpeciebus maneant quamdiu non corrumperentur ſubſtantiæ panis & vini, quibus ſub eiuſdem ſpeciebus ſucceſſerunt, ita videlicet vt ſub tanta ſpecierum alteratione permaneant corpus & ſanguis Chriſti, quantam pateretur ſubſtātia atque forma panis & vini (quæ ſententia eſt magis probabilis, quam ſequitur Thomas) nō concorditer ſentiunt ac docēt doctores ſcholaſtici, quorum varias ſententias, & ſingularem opinionem Hugonis de ſancto Victore, recenſet B. Bonauentura, & Cardinalis de turre cremata in Decretis. Quare autem ſub diuerſis ſpeciebus & panis & vini Chriſtus nobis reliquerit corpus ſuum & ſanguinem, Magiſter Sentent. tres aſsignat cauſas, vt ſcilicet fides haberet meritum, & ne abhorreret animus ab eo quod cerneret oculus, & ne ab incredulis religioni Chriſtianæ inſultaretur: Idem quod ſcilicet conuenientiſsimè ſub his panis & vini ſpeciebus nobis relictū ſit iſtud ſacramentum docet Ioan. Damaſcenus. Et quamuis ſub ſpecieb⁹ carnē domini edamus & ſanguinem bibamus, iudicamur tamē, inquit Beatus Cyprianus, ab ethnicis quaſi amentes, quod humanum bibamus ſanguinē, & ab iiſdem calumniamur, quaſi Cererem & Bacchū celebremus, vt dicit Auguſtinus.

Diſt. 31. 4. ſentent.
De cōſe. diſ. 2. ca. Tribus gradibus.
Diſt. 11. 4. li.
Lib. 4. de orthodox. fide. cap. 14.
Ser. de cœna dom. et Tertul. ad vxorem lib. 2.
Lib. 20. c. 13. contra Fauſtum.

ADdit Articulus, Vnde certa fide tenendum eſt, ſacram Euchariſtiam ſancte à nobis adorari, & cætera. Nam hoc ſequitur ex eo quod panis & vinum non manent, ſed conuerſa ſunt in corpus & ſanguinem domini, quæ ſub eorundem ſpeciebus ſubſtantialiter ſuccedunt. Nam ſi manerent panis & vinum, & ſub eis continerentur corpus & ſanguis domini, idololatria eſſet, vel magna eius occaſio, ſi conſecratæ hoſtiæ veneratio & adoratio latriæ exhiberetur. Ad ſubſtantiam enim accidētibus ſenſui apparentibus ſubiectam adoratio termi naretur: quamuis ſecundum abſtractionem intellectus exhiberi poſsit ſoli corpori & ſanguini domini: falſa prętereà eſſet, vt ait beatus Thomas, forma conſecrationis, Hoc eſt corpus meum, cum ex vſu & intelligentia communi pronomen demōſtret ſubſtantiam quæ ſenſibilibus accidentibus ſubijcitur, & immediatè ſub eis latet: Et magis cōueniſſet dicere, Hic eſt corpus meum, vel, Sub hoc pane eſt corpus meum, quàm, Hoc eſt corpus meum. Pro pleniore autem huius particulæ explicatione, primò tractandū eſt de adoratione Chriſti in ſacra Euchariſtia: ſecundo de adoratione corporis & ſanguinis eius, deinde de veneratione ſacramenti, hoc eſt ſpecierum, ſub quibus corpus & ſanguis Chriſti continentur. Cùm enim Euchariſtia ex nominis interpretatione dicatur bona gratia, vnumquodlibet ex eis nomen Euchariſtiæ ſortiri poteſt. (Dicit autem articulus ſacram Euchariſtiam ſanctè à nobis adorari) ob plenitudinem & fontem gratiarum, qui in ea ſubſtantialiter adeſt in corpore & ſanguine. Poſſumus enim in ea per fidem conſiderare ſolum corpus & ſanguinem Chriſti, quorum verba domini meminerunt, & proinde ex virtute conſecrationis adſunt, quomodo corpus in ſepulchro iacebat per triduū mortis Chriſti, & ſanguinis in terra effuſus. Poſſumus etiā ſecundū eandem fidem meditari Chriſtum adeſſe in corpore & ſanguine, ſicut in ſepulchro erat, & in ſanguine ſuper terram effuſo. Nunquam enim dimiſit ab vnione hypoſtatica corpus & ſanguinē poſtquam ea ſemel aſſumpſit, vt dicit Ioannes Damaſcenus. Nam totus Chriſtus ſecundum naturam diuinā & humanam eſt ſub vtraq; ſpecie Euchariſtæ, vt docet articulus ſequens: Poteſt igitur adoratio referri immediate ad perſonam Chriſti verè & ſubſtantialiter pręſentem in corpore ſuo & ſanguine, imò in tota natura humana ſimul & diuina. Poteſt etiam referri immediatè ad corpus & ſanguinem, ſecūdum quod repræſentantur in ſacramento, vel etiam ad naturam eius humanam: Sed ſecundum hāc conſiderationis diuerſitatem varia debetur veneratio. Nam in vtraq; natura ſubſiſtēs, imò & in ſola humana, vel corpore ſolū vel anima, aut etiā ſanguine, ver⁹ Deus eſt patri ſuo conſubſtantialis, & ideo ſicut in terris nobiſcum conuerſans adorandus erat eadem adoratione qua pater & ſpiritus ſanctus, ita & nunc nobis præſens in ſacra Euchariſtia. Hæc enim adoratio ſiue honor latriæ ei debetur ratione immenſæ excellentiæ. Eadem autem excellentia erat in Chriſto tempore ſuæ peregrinationis & infirmitatis, eadem potentia, ſapientia, & omniū perfectionum immenſitas, ſicut & nūc in ſacra Euchariſtia, quæ in eodē iam glorioſo ſedente ad dexteram patris. Et ideo Magi eum in ſtabulo & præſepio iacentem proſtrati adorabant, oblatis muneribus quibus ſimul Deū & hominem mortalem profitebantur. Et de cœco nato ſcribit B. Ioannes, quod procidens adorauit Ieſum. Item diſcipuli dominū vidētes adorauerunt, nec eos prohibuit, ſicut B. Petrus Centurionē adorantem prohibebat. Et in ſacra Euchariſtia carnē Chriſti adorandā eſſe priuſquā manducetur, hoc eſt Chriſtum in carne ſubſiſtentē cum carne, apertè docēt B. Auguſtinus, & Ioannes Damaſcēnus, ſicut ſtatim dicemus. Eadem autem adoratione venerandum eſſe naturam Chriſti humanā, corpus ſcilicet & ſanguinem, definitum eſt in primo Concilio Epheſino, quod ſic habet: Si quis audet dicere aſſumptum hominem coadorādum Dei verbo, & conglorificandum

Thom. in 4. diſt. 11. quæſ. 1. art. 1.
Cap. 9.
Matth. 28.
Acto. 10.
Cano. 8.

candum Deum tanquam alterum cum altero, ac non potius vna ſupplicatione veneratur Emanuel, vnamque ei glorificationem dependit iuxta quod verbum caro factum eſt, Anathema ſit. Item ſi quis duabus naturis adorari dicit Chriſtum (ex quo duæ adorationes introducuntur) ſed non vna adoratione Deum verbum incarnatũ cum propria ipſius carne adorat, ſicut ab initio eccleſiæ Dei traditum eſt, talis Anathema ſit: & ideo Apoſtolus Paulus, Cùm iterum vnigenitum introducit, inquit, in orbem terræ, dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et in deſerto angeli acceſſerunt poſt tentationem Sathanæ, & miniſtrabant ei, quos & nunc tanquam miniſtros eidem in ſacramẽto adeſſe tanquam certiſsimum affirmant ſancti Doctores. Ait enim Beatus Gregorius, Quis enim fidelium habere dubium poſsit in ipſa immolationis hoſtia ad ſacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Ieſu Chriſti myſterio choros angelorum adeſſe, ſumma & ima ſociari, vnum quid ex inuiſibilibus fieri? vno quidem eodemque tempore ac momento, & in cœlo rapitur miniſterio angelorum conſociandum corpori Chriſti, & ante oculos ſacerdotis in altari videtur. Et b. Ambroſ. Vtinam nobis quoq; adolentibus, inquit, altaria, ſacrificiũ deferentib. aſſiſtat angelus, imò præbeat ſe videndũ. Non enim dubites aſsiſtere angelũ quando Chriſtus aſsiſtit, Chriſtus immolatur. Itẽ B. Chryſoſt. Expende quales oporteat eius eſſe manus tantarũ rerum miniſtras, qualem linguã verba illa proferentem, aut quo genere non mundiorẽ & ſanctiorem animã talem ſpiritum recepturam. Tunc enim etiã angeli circunſtãt ſacerdoti, & tribunal ſiue altaris locus cœleſtibus virtutib. adimpletur, ad honorem illius qui immolatur. Quod quidem ex ipſis quæ aguntur oſtenditur. Ego aũt audiui, referente aliquo, quoniam presbyter quidã vitæ ſanctitate mirabilis, & qui reuelationes ſolet videre, retuliſſet illi tale ſpectaculũ ſe aliquando vidiſſe, id eſt ſacrificij tẽpore conſpexiſſe angelorum multitudinẽ (ſicut ei poſsibile erat intueri) ſtolis fulgentibus circundantẽ, & altare coronantẽ cum officio, quo circa Regẽ ſuũ milites ſtare conſueuerunt, quod mihi facile perſuaſum eſt. Hæc aũt adoratio deferẽda eſt Chriſto in ſacra Euchariſtia ratione naturæ diuinæ non humanę, nec ratiõe corporis vel ſanguinis, quæ ſola ex virtute verborũ Chriſti in ea cõtinentur. Horũ enim conſideratione minor Chriſto veneratio & adoratio debetur. Nã adoratio eſt honor cõmunis etiã creaturis, & non Deo proprius, vt docet B. Auguſt. tractans locum, Dominũ Deum tuũ adorabis, & illi ſoli ſeruies. Nam Abraham, inquit (vt habet ſcriptura) ſic honorauit populũ quendam gentiũ vt etiam adorauerit. Alia namq; eſt ratio ob quam honoramus, excellẽtia videlicet & perfectio: Alia perſona cui honor defertur. In eo enim qui honoratur, duo poſſumus conſiderare, vt dicit B. Thom. ſcilicet eum cui honor exhibetur, & cauſam honoris. Propriè aũt honor exhibetur toti rei ſubſiſtenti. Non enim dicimus, inquit, quòd manus hominis aut pedes honorãtur, ſed in manibus & pedibus honoratur homo. Et ſi quãdoq; cõtingat quod dicãtur honorari pedes alicuius, non ea ratione hoc intelligitur, q pedes ſecundũ ſe honorentur, ſed quia in eis totũ honoratur, per quem modũ homo etiã honorari poteſt in aliquo exteriori, puta in veſte aut imagine vel nũcio. Cauſa aũt honoris eſt id ex quo is qui honoratur aliquã habet excellentiã, & ideo ſi in vno homine ſint plures cauſæ honoris, puta prælatio, ſciẽtia, & virtus, erit quidẽ illius hominis vnus honor ex parte eius q honoratur, plures tamẽ ſecundũ cauſas honoris. Cùm ergo in Chriſto vnica ſit perſona in diuina & humana natura, eiusq; partibus ſubſiſtẽs, vnica eſt eius adoratio ex parte ei⁹ qui adoratur, licet plures ſint adorationis cauſæ & rationes, Ideo alio honore honoratur ꝓpter ſapientiã increatam, & alio propter ſapientiã: alio quia emit nos precio magno, precioſo videlicet ſanguine quaſi agni immaculati & incõtaminati, vel quia mediator noſter eſt atq; reconciliator: & alio, Quia nos creauit, iuſtificat & glorificabit. Et art. ſequẽte docẽs, quomodo humanitas Chriſti adorãda ſit adoratione latriæ, ſecundũ doctr. B. Auguſt. & Ioãnis Damaſ. dicit dupliciter poſſe intelligi, quòd Chriſti humanitas adoratur (& idẽ iudiciũ eſt de adoratiõe corporis & ſanguinis in Euchariſtia) vno modo vt ſit eius quaſi rei adoratæ, & ſic, inquit, adorare carnẽ Chriſti, nihil eſt aliud, quàm adorare verbũ Dei incarnatum: ſicut adorare veſtẽ regis, eſt adorare regem veſtitũ, & hoc intellectu adoratio humanitatis ſiue corporis & ſanguinis Chriſti, eſt adoratio latrię, quæ defertur quidẽ corpori & ſanguini, nõ ratione ſui, ſed perſonæ, vel poti⁹ diuinę naturę, cui in eodẽ ſuppoſto vniũtur. Alio modo hæc adoratio corporis vel humanitatis Chriſti intelligi poteſt quaſi rationis ſiue cauſę ob q̃ honoratio, quia videlicet Chriſti humanitas omni gratiarũ munere eſt perfecta, & corpus ei⁹ & ſanguis, noſtræ redẽptionis fuerunt inſtrumẽta, & in ſacramẽto iſto viuificãt. Atq; hęc adoratio nõ eſt latriæ, ſed ea quã B. Aug. vocat duliã, ita vt vna eadẽq; ꝑſona Chriſti adoretur adoratione latriæ, ꝓpter ſuã Deitatẽ, & adoratiõe dulię, propter perfectionẽ humanitatis. Nec hoc eſſe incõuenieñs, dicit, quia Deo patri debetur honor latrię propter Deitatẽ, & honor duliæ propter dominiũ quo creaturas gubernat. Nã ſuper verſiculum Pſam. Domine Deus meus in te ſperaui, dicit gloſa Magiſtri ſenten. Domine omniũ propter potentiã cui debetur dulia, Deus omniũ propter creationem cui debetur latria. Idẽ circa verſiculũ, Adorate ſcabellũ pedũ eius quoniã ſanctũ eſt: Caro, inqt, à verbo Dei aſſumpta ſine impietate adoratur à nobis, q̃a nemo ſpiritualiter carnẽ eius manducat, niſi prius adoret. Et addit, Non adoratione illa quæ latria eſt, quæ

Hebr. 11.

Homilia paſchali.

Lib. 1. comment in Lucam circa angeli apparitionem.

Li 6. de dignit. ſacerdotali ca. 4.

In quæſt. ſu. Geneſ. q. 61.

Parte 3 quæ. 25. artic 1. Vbi querit an eadẽ adoratione adoranda ſit Chriſti humanitas & eius diuinitas.

1. Cor. 6.

Li. 10. de ciuit. Dei c. 1.

Pſalm. 7.

Pſalm. 98.

quæ ſoli creatori debetur, ſed illa quę in du- *Li.4.c.3.de ortbod. fide.* lia dignior eſt. Quod intelligit, ſi diuidas ſubtilibus intelligentijs, vt inquit Ioannes Damaſcenus, quod videtur ab eo quod intelligitur. Inadorabilis enim eſt caro, quia creatura, adoratione latriæ: & tunc intellectæ vt ſeparatæ à Dei verbo, debetur ſibi excellentioris duliæ adoratio: quã hyperduliam vocant. Adoratio itaque latriæ non debetur humanitati Chriſti, nec eius corpori & ſanguini in ſacramento ratione ſuiipſius, ſiue ſecundũ ſe & propter ſe, ſed ratione diuinæ naturæ, cui in eadẽ hypoſtaſi coniungitur. An verò hæc adoratio immediatè terminetur ad corpus & ſanguinem Domini, & per iſta trãſeat ad perſonam, an ſolum ſecundario ad ea quaſi cõditiones & qualitates perſonæ, non ſatis inter Scholaſticos doctores conuenit. Et eſt quæſtio magis pẽdens à philoſophia, quàm à ſcripturis. Sunt enim, vt dicit Cardinalis Caietanus, duæ opiniones circa honorationem perſonę in ſuis partib⁹, vel his quæ extra ipſam ſunt, vtpote veſte, imagine, vel nuncio, quibus propter alium honor defertur, quas etiam proſequitur Ma- *Part.3.q.25* giſter in Sententijs, Vna eſt quod perſona honoratur in iſtis, quia in eis quoddam eſſe habet. Nam veſtis honoratur ſecundũ quod perſona eſt ſub illa: Imago, quia in ea reprę- ſentatur: & nuncius, ſecundum quod prin- *Lib.3 diſt.9* ceps eſt in illo. Caro autem Chriſti, quia in ea eſt verbum Dei, Atq; ſecundum hoc eſſe, partes & quę extra perſonam ſunt, immediate terminat honorationem non ſecundum quod perſona eſt in illis. Altera opinio eſt, quòd in illis perſona honoratur inquantum per illa excitantur & conuertuntur homines ad perſonam illam honorandam, & ideo nullo modo terminant honorationem, quare etiam nullo modo honorari dicuntur ſecundum hanc opinionem, niſi abuſiuè. Has opiniones prolixè examinat Cardinalis Ca- *Part 3. art.3 quæſt.25.* ietanus circa articulum beati Thomæ, Vtrũ imago Chriſti ſit adoranda adoratione latriæ. De actibus tamen latriæ externis nullum eſt dubium quin immediatè terminentur ad Sacramentum, & per illud ad corpus & ſanguinem Domini, vt oſculando, genu flectendo, proſternimus nos ante venerabile Sacramentum. Nam Maria Magdalena oſculata eſt & vnxit pedes Ieſu Saluatoris Dominum ſuum in his honorans adoratione latriæ, & in ijſdem ipſum adorabat actu interno, qui erat de huiuſmodi oſculis pedibus Chriſti imprimendis, nõ tamen agnoſcebat pedes Domini, ſicut nec nos corpus & ſanguinem, noſtrum eſſe creatorem vel Dominum, ſed proximã ad ipſum creatorẽ habere relationem. Exactiſsimè iſta diſcutiuntur à *Magiſt. diſt. 9. & Thomas part.3. art.5.quæſt. 25.* Scholaſticis doctoribus in 3. Sentent. Vbi Magiſter inueſtigat, An humanæ naturæ Chriſti debeatur honor latrię, an duliæ. Hoc interim certiſsimum eſt & certa fide credendum, quòd in ſacroſancta Euchariſtia Chriſtus eadem veneratione & cultu ſit adorandus, quo & nos & ſancti Angeli ipſum à dextris Patris in cœlo ſedentem adorant. Atque perpetuo ſuo vſu teſtatur tota Eccleſia Catholica, Dominum ſuum ſic eſſe adorandum, vbicunque eum nouit eſſe præſentem. Et naturale rationis lumen hoc docet, quòd Dominum ad nos venientem, vt patrocinetur neceſsitatibus noſtris, agnoſcamus & veneremur eo honore quo dignus eſt. Sed ad hoc, inquiunt aduerſarij, Non eſt in Euchariſtia vt adoretur, ſed vt manducetur à fidelibus: Nec in ſcripturis legimus, quod in ſacramento coli & adorari velit: Et idolatricus eſt cultus qui Deo exhibetur ſine expreſſo eius verbo, quo ſe ſic coli inſtituit, & à nobis exigit. Quid precor iſti obijciunt? An idololatræ fuerunt Magi illi, qui Chriſtum in cunabulis adorauerunt, & myſticis illis honorauerũt muneribus? Neq; enim ad hoc incarnatus, & in mundum natus eſt vt hîc adoraretur in mortali corpore, ſed vt conſpueretur, cæderetur, crucifigeretur, & pro noſtris omnium peccatis ſatis faceret. Nec vllum ex ſcripturis verbum proferent, quo à Magis cultus ille exactus fuit. Hoc mihi velim reſpondeant aduerſarij, Si Chriſtum viderent corporalibus oculis, quemadmodũ hîc in terris viderunt eum ipſius Apoſtoli, nec dubitarent verè Chriſtum eſſe quem viderent, quacunq; demum cauſa illi placeret ſe nobis exhibere & oſtendere, an dubitarẽt illum adorare, illi ſe proſternere, illi velut familiarius ingerenti fiducialiter, & omnis reuerẽtiæ & honoris ſignificationem deferre? An fortè antè ipſũ interrogarent, an à nobis adorari vellet? Hoc certe nos oẽs docet lumẽ diuini vultus ſuper nos ſignatũ, vt diuinũ numen adoremus, vbicunq; ſentimus ſingularem eius familiaremq; aliquam nobis ingeſtã præſentiam: id quod feciſſe ſemper ſanctos omnes vniuerſa ſcriptura teſtis eſt. Quod ſi de hoc ſe dubitare, non audebũt dicere. Nam & principem aut patrem quacunq; ex cauſa præſentem honoramus, quid igitur dubitant adorare præſentem in Euchariſtia, in qua tam verè præſentem vident fidei multò certioribus quàm corporalibus oculis, tam inquam verè, quàm erat in præſepio, vel in matris gremio, cùm adoraretur à Magis, quàm pendebat in cruce, quàm nunc ſedet in Patris dextera? *Lib. ſentent. Proſperi.* Cum his enim nunc agimus, qui credunt Chriſtum verè & realiter eſſe in Euchariſtia, non cum ſacramentarijs, qui Chriſto in ſacramẽto adorationem negantes ſuo dogmati conſentanea loquerentur. Aliorum verò doctrinæ palam aduerſatur, aſſerere non eſſe Chriſtum in ſacra Euchariſtia adorandũ. De eadem hac Chriſti id eſt corporis & ſanguinis Chriſti adoratione, clarè loquitur Auguſtinus. Nos, inquit, *Aug pſal.98* in ſpecie panis & vini quam videmus, res inuiſibiles, id eſt carnem & ſanguinem adoramus. Item circa verſiculum, Adorate ſcabellum pedum eius, quoniã ſanctum eſt. Quod, inquit, hoc ſcabellum? Alio certè loco hoc indicat ſcriptura dum dicit, Cęlum mihi ſedes eſt, terra aũt ſcabellum pedum meorum:

ſed quomodo adorabimus terram, cùm dicat ſcriptura, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies? Anceps factus ſum, timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cælum & terram. Rurſum timeo non adorare terrã, quia eſt ſcabellum pedum Domini quod ipſe adorare iubet. Fluctuãs conuerto me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hic, & inuenio quomodo ſine impietate adoretur terra. Suſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit, & quia in ipſa carne hic ambulauit, ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit: Nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adorauerit. Et quia cùm Dominus de eius terræ, hoc eſt carnis ſuæ commendatione loqueretur, ait, Spiritus eſt qui viuificat, caro nõ prodeſt quicquam, ideò & ad terram dum te inclinas, non quaſi terram intuearis, ſed illum ſanctum cuius pedũ ſcabellum eſt. Propter ipſum enim adoras, ideoq́; & Propheta ſubiecit, Adorate ſcabellum pedum eius quoniam ſanctum eſt. Ne igitur cogitatione in carne remaneas, quia ſpiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam. Eadem circa hunc verſiculum habet Caſsiodorus. Item Ioãnes Damaſcenus, Vnus eſt Chriſtus, inquit, Deus perfectus, & homo perfectus, quem adoramus cum Patre & Spiritu ſancto vna adoratione cum immaculata eius carne. Neq; inadorabilem carnẽ eſſe dicimus. Nam adoratur in vna verbi hypoſtaſi, quæ & ipſi hypoſtaſis facta. Neq; creaturam colimus. Nam non vt nudam carnẽ adoramus, ſed coniunctam diuinitati. Et vt in vnã perſonam Dei verbi duæ eius reuocatæ ſunt naturæ: timeo quidem carbonem tangere propter ignem ligno coniunctum, adoro Chriſti ſimul vtrumq; propter carni coniunctam, coniunctamq; diuinitatem. Et alio loco. Filium Dei cum Patre & Spiritu ſancto adoramus, incorporeũ quidem ante humanitatis aſſumptionem, & eundẽ incarnatum & hominem factum, & cum hoc Deũ exiſtentem. Caro igitur eius ſecũdum ipſius naturam, ſi ſubtilibus cogitationibus diſpeſcas, quod videtur ab eo quod intelligitur, cogitationeq́; humanitatẽ à diuinitate præſcindas, inadorabilis eſt vt creatura, vnita autem Deo propter ipſum & in ipſo adoratur. Eo namq; modo, quo rex & nudus adoratur & indutus, purpura autem vt nuda conculcatur & proijcitur, facta autem regis amictus, honoratur & glorificatur: & ſi quis eam proterere præſumpſerit, perſæpe morte multatur. Et quemadmodum lignum nudũ non eſt tactui inacceſsibile, atqui igni coniunctum & carbo factum, non propter ſeipſum, ſed propter ignem coniunctum fit inacceſsibile, hoc eſt, quando ignitum eſt lignum. Sic & caro ſecundum ſui naturam nõ eſt adorabilis, adoratur autem in Deo verbo incarnato, non propter ſeipſam, ſed propter coniunctum ipſi ſecundum hypoſtaſim Deum verbum. Nec dicimus quòd carnem adoramus nudam, ſed carnem Dei, id eſt, Deum incarnatũ. Item de ſacra Euchariſtia loquens, Carbonem, inquit, vidit Eſaias, carbo autem ſimplex non eſt, ſed vnitus igni. Sic panis communionis non panis ſimplex eſt, ſed vnitus diuinitati. Et ideo in Cõcilio primo Epheſino dicitur anathema ei, qui nõ veneratur aſſumptum hominem, & Emanuel eadem veneratione cum Deo verbo. Et eadem ferè cum Ioanne Damaſceno docet B. Auguſt. loco alio. Nam ſibi obijciens ex perſona aduerſariorum. Quid eſt, inquit, quòd carnem Domini quam creaturam eſſe non negas, ſimul cum diuinitate adoras, & ei non minus quàm diuinitati deſeruis? Et reſpondet, Ego dominicam carnem, imò perfectam in Chriſto humanitatẽ ideo adoro, quia à diuinitate ſuſcepta & Deitati vnita eſt, vt non alium, ſed vnum eundemq́; Deum & hominem & filium Dei eſſe confitear. Deinde ſi hominem ſeparaueris à Deo, illi ego nunquã credo nec ſeruio: ſi quis purpuram, vel diadema regale iacens inueniat, nunquid conabitur adorare? Cum verò rex eis fuerit indutus, periculum mortis incurrit, ſi ea quis ſimul cum rege adorare cõtempſerit: Ita & in Chriſto Domino humanitatem non ſolam aut nudam, ſed diuinitati vnitam, verum Dei filium, Deum verum & hominem verum qui adorare cõtempſerit, æternæ mortis pœnam patietur. Quomodo autem hæc adoratio, de qua Auguſtinus & Damaſcenus, carni & humanitati à verbo aſſumptæ propter verbũ debeatur ac fieri conueniat: ſuperius eſt declaratũ, & Magiſter Sẽtentiarum interpretatur eſſe adorationem non latriæ, quę ſoli creatori debetur, ſed duliæ. Species quoque panis & vini, ſub quibus continentur corpus & ſanguis Chriſti, ob Chriſti pręſentiam in veneratione habẽtur, & quidem multò maiore quàm ciborium in quo ſacra Euchariſtia ſeruatur, propter inſeparabilem & intimam coniunctionem ipſarum cum ipſo corpore & ſanguine Domini, tantam videlicet vt modis quibuſdam idiomatum fiat communicatio, & fractis ſpeciebus, corpus Chriſti frangi dicatur, ſecundũ Chryſoſtomum & Theophylactum, & effuſis ſpeciebus vini, ſanguis effundi dicatur. Dum frangitur, inquit Auguſtinus, hoſtia, dum ſanguis de calice effunditur, quid aliud quàm dominici corporis immolatio, & eiuſdem ſanguinis de latere effuſio deſignatur: Ideo cum omni honoris & reuerentiæ ſignificatione ob eiuſdem Chriſti præſentiã ſpecies ſacramentales tractandæ ſunt, deferendæ & populo exhibendæ, vt populus fidelis ad deuotionem & fiduciam erga ſuum redẽptorem veluti præſentem, & quaſi oculis ſe ingerentem prouocetur & inuitetur, vt mẽte affectuq; ſyncero ad eum confugiat, ſicut Maria Magdalena ad eũ venit in domo Phariſæi menſæ aſsidentem.

Declarat Auguſt. quomodo caro Chriſti in ſacramento ſit adoranda.

Lib. 3. de orthodoxa fide cap. 8.

Lib. 4. ca. 3.

Caro Chriſti ſecundũ ſuã naturam inadorabilis eſt, vnita autem Deo adoratur.

Lib. 4. ca. 14

Sermo. 58. de verb. dom ſecundũ Ioan.

1. ad Cor. 10. circa locum Panis quem frangimus.

Lib. ſentent. Proſperi & de conſec. diſtinct. 2 c. Cũ frangitur.

QVOD autem reponi ſoleat ſacra Euchariſtia ad vſum infirmorum, & ad eos per ſacerdotem portari, antiquiſsimus habet vſus Eccleſiæ. Nam Euſebius Cæſarienſis

Lib.6.c.34. ſarienſis ex epiſtola Dionyſij Epiſcopi Alexandrini ſcripta ad Fabianum Antiochenum Epiſcopum, Intexnit, inquit, quandam hiſtoriam dignam memoria, nempe Serapionem quendam fuiſſe apud Alexandriam, vnum ex his qui lapſi fuerant, eundemq; ſæpe deprecatum vt ſuſciperetur ad pacem, nec tamen impetraſſe, oppreſſum deinde hunc eſſe ægritudine, ita vt triduo iam ſine voce prorſus iaceret, paululum verò quarto die reſpirantem vocaſſe ad ſe filiam ſuam & dixiſſe, Quouſq; me detinetis? quæſo vos citò aliquis presbyterum roget, vt poſsim aliquãdo dimitti. Et cum hæc dixiſſet, rurſum ſine voce permãſit. Abijt curſu puer ad presbyterum noctis tẽpore: Infirmabatur presbyter, venire non potuit, tamen quia præceptum fuerat a me (ait Dionyſius) vt lapſis in exitu nemo recõciliationis ſolatia denegaret, & maximè his quos prius id rogaſſe conſtaret. Parum Euchariſtiæ puero qui ad ſe venerat, dedit, quod infuſum iuſsit ſeni præberi: regredienti adhuc puero antequam intraret domum, rurſum Serapiõ reſpiciẽs, Rediſti, inquit puer? & licet presbyter venire non potuit, tu tamen imple quod tibi præceptum eſt, vt poſsim diſcedere. Cumq; eſſet completa ſolennitas, velut cathenis quibuſdam vinculiſque diruptis, lætiorem iam ſpiritum, reddidit. Ex quo, inquit B. Dionyſius certiſsimò conſtat huius boni auxilio nullũ fraudari debere, Et B. Hieron. de ſancto Exuperio Epiſcopo Toloſano, narrat quod tam liberalis erat in pauperes, vt nihil ſibi ſeruaret, & corpus domini caniſtro viminio & ſanguinem in vitro ad infirmos portaret: Item B. Ambroſius, ſingularem fratris ſui Satyri cõmendans erga Deum pietatem & deuotionem refert, quod conſtitutus in naufragio non mortem metuens, ſed ne vacuus myſterij è vita exiret, ab his quos initiatos eſſe cognouerat, diuinum illud fidelium ſacramentum ſibi dari popoſcerit, vt fidei ſuę tali ſacramento cõſequeretur auxilium, quodq; datum ſibi ſacramentum ligari fecerit in orario, & orarium in collo inuoluerit, atque ita ſe in mare deiecerit, non requirens de nauis cõpage reſolutam tabulam, cui ſupernatãs iuuaretur, quoniam fidei ſolius arma quæſierat, atque his ſe tutum ac munitũ ſatis credens, alia auxilia non deſiderabat. Nec, inquit Ambr. ſpes eũ deſeruit, nec fefellit opinio, ſed primus ſeruatus eſt, & in portum terrenæ ſtationis eſt euectus. Rurſum Tertullianus ad vxorem, Non ſciet maritus quid ſecratò ante omnem cibum guſtes. Nã conſuetudo tunc habebat, quòd laici in manus acciperent Euchariſtiam & domum portarent, vt ex ſupra dictis patet, & ex Euſebij eccleſiaſtica hiſtoria: vbi & hoc annotat B. Rhenanus. Manifeſtum etiam hoc ipſum eſt ex ſer. Cypriani de lapſis, qui mulieris meminit, quæ in arca ſacram Euchariſtiam repoſuerat, & quia indignis manibus eam tractauerat, quãdo arcam aperire tentauit, igne inde ſurgente deterrita eſt, ne attingere auderet. Clemẽs quoq; Petri Apoſtoli diſcipulus, & in cathedra ſucceſſor, inter multa quę ſe à B. Petro accepiſſe narrat, dicit ſe accepiſſe, quòd tribus commiſſa ſunt ſacramẽta diuinorum ſecretorum, presbytero, diacono, & miniſtro, qui cum timore & tremore reliquias corporis domini debent cuſtodire fragmentorũ, ne qua putredo in ſacrario inueniatur, ne cum negligenter agitur, portioni corporis domini grauis inferatur iniuria. Manifeſtũ eſt igitur antiquiſsimũ eſſe vſum & à temporibus Apoſtolorum obſeruatam conſuetudinẽ, de cuſtodienda S. Euchariſtia in vſum fideliũ, potiſsimum autem infirmorum, vt populus fidelis præſentẽ habeat dominum, ad quem in omni neceſsitate recurrere poſsit. Quod etiam antiquitus deferri ſolebat ſacra Euchariſtia, manifeſtum eſt ex epiſtola Irenæi, & epiſcoporũ Galliæ ad Victorem quem citat Euſebius. Scribunt enim quòd Romani Pontifices ſui pręceſſores ſolent Epiſcopis Eccleſiarum, qui non ita ſicut ipſi celebrabant diem Paſchæ, Euchariſtiam tranſmittere in ſignum pacis & communionis. Vbi notat Beatus Rhenanus, quòd cum Epiſcopus aliquis Romam veniret, Pontifex Romanus Euchariſtiam hoſpiti ſolenniter tranſmittebat, & id fortè, inquit, & à cæteris fiebat Epiſcopis, quod haud dubiè ex Apoſtolica conſuetudine eſt deſumptũ. Cum enim ſacra Euchariſtia cõmunionis ſit ſacramentum, rectè colligit, inquit Irenæus, nõ fuiſſe hæreticos iudicatos, quibus Euchariſtia fuerat trãſmiſſa, quales tamen videbatur iudicaſſe Aſianos Victor Papa, & ideo excommunicaſſe. Et cũ corpus domini in ſ. Euchariſtia extra eius vſum maneat, non ſolum vſq; ad manducationẽ, ſed quàm diu mãſerit panis ſubſtãtia, ſi nõ eſſet facta cõuerſio, vt probauimus articulo præcedenti: Nã eos inſanire dicit B. Cyrill. qui myſticam benedictionẽ à ſanctificatiõe ceſſare dicebant, ſi quæ eius reliquiæ in diẽ ſequentẽ remanſerint, eò quòd virtus benedictionis, & gratia viuificatiua iugis in eo maneat, & cùm pro infirmis ſeruari ab Apoſtolorum temporibus ſit conſuetũ, quis prohibebit, quò minus ex iuſtis cauſis in fidelium ædificationem in publicis ſupplicationibus circũferatur, nõ ſolum honoris cauſa, ſed potiſsimũ vt mortis Chriſti fiat cõmemoratio, & gratiarũ actio pro immenſa illa charitate, quam pater nobis in filij ſui paſsione & morte cõmendauit, omniumq; mirabilium, quæ populo ſuo vnquam exhibuit fiat memoria? Dominus enim noſter Ieſus Chriſtus nõ ſolum lingua & epiſtola prædicatur, vt dicit beatus Auguſtinus, verum etiam per ſacramentum corporis & ſanguinis ſui. Ob quã cauſam ab Apoſtolorum etiam temporibus in ſacrificio miſſæ ad hæc noſtra vſque tempora corporis & ſanguinis Chriſti fit eleuatio & oſtenſio. Scribit namque Dionyſius Areopag. quòd epiſcopus cõſecratum corpus in conſpectũ agit & oſtendit, vt patri videlicet filium prę́ſentet, eiuſq; contemplatione populi

Epiſt. ad Ruſticũ monachum.

De exceſſu fratris ſui c. 7.

Li. 2. ad vxorem.

Li. 6. ca. 33. in fine.

De cõſecra: diſt. 2. ca. Tribus gradibus.

Li. 3. de trin. cap 4.

De eccl. Hierarch. cap. 4.

populi ſui miſereatur. Nam de B. Franciſco legitur quòd tempore eleuationis ſacræ Euchariſtiæ mētem ad patrem erigebat, & orabat, Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti filij tui chariſsimi, in quo beneplacitum eſt tibi. Ad Agnus Dei enim vſque fit patri oblatio, nulla in canone ad Chriſtum ſupplicatio, vt docet Concilium Carthaginenſe 3. ca. 23. Quid igitur hanc cor poris Chriſti circungeſtionem prohibere po teſt, quando expreſſum à Chriſto habemus mandatum, vt hoc ipſum quod ipſemet fecit, faciamus & nos, non tantum in cibum & potum, ſed præcipuè in mortis eius commemorationem, vt apud nos eius perpetua ſit memoria? Filius enim datus eſt nobis in omnem vſum ſalutarem, in deuotionem populi, in fiduciam per eum à patre omnia impetrandi, Et quid impedit eum in publicis ſupplicationibus coram toto populo patri præſentare, qui patris iram aduerſus populum ſuum per ſe placare poteſt? Quanta enim deuotione, quanta reuerentia arcam fœderis, quæ ſolum manna, tabulas, & virgas continebat, populus legis tempore reuerebatur. Soli namque ſacerdotes eam per duo milia paſſuum ante totū populum portabant: Nec veritus eſt Rex Dauid ante eam ſaltare & canere cythara: Quanto etiam honore cum tubis geſtabatur ſpecies in circuitum Hierico, concidentibus ob hoc muris ciuitatis: Item ad bellum ducebatur cōtra hoſtes, & ad domum Obededom, & deinde in ciuitatē ſuam maximo cum honore. Abſurdiſsimum igitur videbitur eorum dogma, qui ſacram Euchariſtiam arcam veri mannæ, quod de cælo deſcendit, & panis planè cæleſtis honorificè cuſtodiri nolunt & circumferri, vt populus fidelis excitetur ab affectu ſyncero confugiendum ad dominum ſuum præſentem, eiq; vota ſua innoteſcat, item vt patri filium præſentent, in cuius faciem aſpiciens ſui misereri dignetur. Scripturis itaque conſentaneum eſt quod ſacra Euchariſtia ſeruetur, & cum reuerētia circumgeſtetur aduerſus hoſtes fidei, & in publicis calamitatibus, vt in gratiam filij ſui pater ſuccurrat. Nec alio ex fonte natus eſt error hic, quòd reponi & circumferri non poteſt ſacra Euchariſtia, quàm ex eo, & quidem inſaniæ pleno, quod extra vſum ſiue ſumptionem non manent corp⁹ & ſanguis Chriſti in ſacra Euchariſtia, cùm tamen Dominus dicat quòd in ſui commemorationem corpus & ſanguinem ſuum conſecrare debeamus, ac proinde in omnem vſum quo populus fidelis in fide, ſpe, & charitate, cæteriſq; virtutibus ædificare poteſt. Abſurdum enim eſt quòd à voluntate communicare volentium pendeat quòd corpus Chriſti, ſit & permaneat in Euchariſtia, vt ſi velint communicare, ſit in ea corpus, ſi autē nolint communicare, iam in ea eſſe deſinat, & ſi hoſtia vna fortè ſuperſit, nō permaneat ibi corpus Chriſti, ſed fiat panis prophanus: Similiter vinum tanquam prophanum effundatur, cuius pars reliqua quę in vſum venit ſanguinem Domini continebat, prout docent & obſeruant aduerſarij. Rectè igitur inſanum hūc vocat Cyrillus errorem. Nam ratum firmumq́ue eſt verbum Chriſti, Hoc eſt corpus meum: Quod autem ſemel corpus Chriſti factum eſt, non dimouetur, nec inde ſeparatur perſiſtentibus ſpeciebus ſub quibus pani ſucceſsit corpus Domini. Vnde clarè conſtat non eſſe conſuetudinem recentem à tempore Vrbani quarti natā, nec præter ſcripturam vſurpatam, quod Chriſtum in ſacra Euchariſtia adoramus, eamq́ue reponimus & cuſtodimus. Nam ea conſuetudo multis annorum centenarijs præceſsit Vrbanum 4. eamq́ue in Chriſti eccleſia fuiſſe ante annos mille trecentos, & eſſe traditionem quam per manus ab Apoſtolis, vel eorum diſcipulis accepimus. Nam concilium VVormacienſe ſanciuit quòd presbyter Euchariſtiam ſemper habere debeat paratam, vt ſi quis infirmatus fuerit, ſtatim eum communicet, ne ſine communione moriatur, cùm ſacroſancta Euchariſtia morientibus ſaluberrimum & tutiſsimum ſit viaticū. Et concilium Arelatenſe grauiter animaduertit in eos qui negligētes ſunt in ſacræ Euchariſtiæ cuſtodia. Item magnum illud concilium Lateranenſe, cui quatuor patriarchæ interfuerunt, & ingens epiſcoporum multitudo ex toto terrarum orbe ſub Innocentio tertio celebratum, conſtituit vt ſacra Euchariſtia cum chriſmate ſub fideli cuſtodia clauibus & ſeris adhibita cōſeruetur, ne temeraria ad ea manus extendi poſsit. Rurſum Concilium generale Viennenſe arguit & damnat eos qui in eleuatione corporis Chriſti nolebant aſſurgere, & reuerentiam ei exhibere. Item mandat Vt celebretur feſtum corporis & ſanguinis Chriſti. Et Honorius tertius præcepit, vt Euchariſtia in loco aliquo ad hoc deſtinato & mundo honorificè reponatur, ac per fideles & pios cuſtodiatur. Sacerdos verò frequenter plebem doceat, vt cùm in celebratione miſſarum eleuatur hoſtia ſalutaris, ſe reuerēter inclinet, atq; idem faciat cùm defertur ad infirmū, voluit quoque luminaria ſemper Euchariſtiæ præferri, ad ſignificandam præſentiam lucis æternæ. Super iiſdem his etiam catholicā tradēs doctrinam Concilium Trident. definiuit quòd conſuetudo aſſeruandi in ſacrario ſacram Euchariſtiam, adeo antiqua eſt, vt eam ſeculum etiam Niceni Concilij agnouerit. Porrò deferre ipſam Euchariſtiam ad infirmos, & ad hunc vſum in eccleſijs conſeruari, prę terquam quòd cum ſumma ęquitate & ratione coniunctum eſt, tum multis in concilijs præceptum inuenitur, & vetuſtiſsimo catholicæ eccleſiæ more eſt obſeruatū. Quare hæc ſancta Synodus retinendum omnino ſalutarem hunc & neceſſarium morem ſtatuit. Et ne quis temerè illi contradicat, canonem latæ ſententiæ contra huiuſmodi temerarios adiecit, ſic inquiēs, Si quis dixerit non licere ſacram Euchariſtiam in ſacrario reſeruari, ſed ſtatim poſt conſecrationem aſtantibus

tibus

Ioſue 6. 2. Reg. 4.

Ioannes Eckius ſerm. 31 de ſeptem Sacramentis.

De cōſecra. diſt. 2.

Auguſt. de viſitatione infirmorū li. 2. c. 4. Eadem diſt. ca. Qui bene. ca. 20 & cuſto. Euchariſtiæ, c. Statuim⁹. in Clementin. Ad noſtrum, de hæreticis. Clemē Vnica de reliquijs & veneratiōe Sanctorum. De celebrat. miſſarū ca. Sane.

Cano. 7.

tibus neceſſario diſtribuendā, aut non licere vt illa ad infirmos honorificè deferatur, anathema ſit. Cum igitur ex antiqua eccleſiæ catholicæ obſeruatione ſacroſanćta Euchariſtia adorata ſit, repoſita, conſeruata, & delata, & hęc ipſa obſeruatio à Hierarchis eccleſię Chriſti vicarijs & à celeberrimis Concilijs generalibus ſit comprobata, atque hoc ipſum Euchariſtiæ inſtitutioni & ſcripturis maximè conſentiat, imò & per ſe notum ſit ſi conſideremus ipſum Dominum reuera & ſubſtantialiter in eadem adeſſe, & quamdiu ſuperſunt ſpecies, in ea permanere, nulla eſt de his dubitandi cauſa, cùm ne vna quidem ſit ſcriptura quæ vel in ſuperficie probabiliter iſtis aduerſari videatur. Quare rećtè dicit articulus, certa fide hæc eſſe tenenda. Vnde in canonibus declarantur eſſe hæretici & excommunicati, qui aliter de ſacramentis eccleſiæ, corpore & ſanguine Chriſti, ſentiunt aut docent, quàm ſanćta eccleſia Romana docet vel prædicat.

Cap. ad abolendā de hæreticis.

QVòd panis & vinum permaneant in ſacramēto Euchariſtiæ, multis modis ꝓbare nititur Martinus Lutherus in captiuitate Babylonica: Vbi ſanè abſurdiſsimè errat in eo, quod non ſolum panem permanere dicat in Euchariſtia, verùm etiam panem realiter eſſe corpus Chriſti, & vinum eius ſanguinem, id quod rerum naturæ non patiuntur. Sed quia eius argumentis pleniſſimè reſpondet Rex Angliæ in Aſſertione ſeptem ſacramentorū: & in Apologia quam Reuerendiſsimus Chriſti martyr Ioannes Roffenſis pro Rege fecit, ad eas lećtorem remittimus. Ea tantum argumenta hic proponemus, quæ mouent Ioannem Caluinum, vt hanc veritatem de ſacra Euchariſtia modis tam multis comprobatam relinquat, & hoſtiliter impugnet. Hic autem, quia ſacramentarius eſt, docere compellitur panem & vinum manere, vt ſint ſymbola & figuræ, ſub quibus corpus & ſanguis reprę ſentantur, ita tamen vt per ea verè exhibeantur nobis, quamuis longè abſentia. Ait enim in libello de cœna Domini.

In libello de cœna Domini.

Caluinus.

Commentum iſtud transſubſtantiationis nullum prorſus in ſcripturis fundamentum, neq; vllum veteris Eccleſiæ teſtimonium habet, atque adeo cum verbis domini conuenire, aut ſtare nullo modo poteſt. Nonne talis interpretatio nimis violenta & coacta eſt? Cùm Chriſtus panem oſtendens, corpus ſuum vocat, dicere panis ſubſtātiam in nihilum redigi, & in eius locum Chriſti corpus ſuccedere? Sed non eſt neceſſe rem in dubium vocare, cùm veritas dilucida ipſa per ſe tam abſurdā vanitatem refutare poſsit. Infinita teſtimonia & ſcripturæ & patrum prætermitto, quibus ſacramentum panis appellatur.

Reſponſio. Veriſsimum hic eſſe probat Ioannes Caluinus quod de ſacramentarijs ſcribit Lutherus, quòd non niſi manifeſtis mendacijs ortum dogma ſuſceperunt, & mendacijs aſſerunt, & quod ſint inſani qui huiuſmodi ſpiritibus credunt. Non enim ignorare poteſt Caluinus manifeſtè falſa eſſe quæ hic aſſumit. Legit namque Magiſtrum ſentent. Legit & Gratianum, qui multorum patrum citant teſtimonia pro conuerſione panis in corpus Chriſti, & vini in eius ſanguinem, quę verba Domini habent pro fundamento. Nouit etiam B. Thomam & reliquos ſcholaſticos docere, quòd Pronomē, Hoc, in verbis Chriſti non panem demonſtrat, ſed confusè & abſolutè id quod Chriſtus in manibus habebat, & diſcipulis porrigebat: quod etiam hiſtoriæ maximè eſſe conſentaneum ſuperius docuimus. Accepit enim panem & ipſum benedicens, dixit eſſe corpus ſuum quod tradebat: id quod fieri non poterat, niſi per conuerſionem panis in corpus, ſicut aquæ in vinum conuerſionem teſtabatur, quod miniſtri ex hydrijs quas prius aqua repleuerant effundebant vinum. Et abſurditas quam ipſe Caluinus ſequi videbat ex demonſtratione panis, meritò eum abſterrere debebat ab huiuſmodi intellećtu: ſed maluit ad Allegoriā verba Domini tametſi relućtantia trahere, & corporis Chriſti præſentiā negare, quàm ſimplicem ſequi demōſtrationem, nulla pro ſuo intellećtu addućta ſcriptura. Abſurdè enim interpretatur verba Domini, Hoc eſt corpus meum: videlicet hoc ſenſu, Quemadmodum hominis corpus pane nutritur & ſuſtētatur, ita caro mea cibus eſt ſpiritualis, quo animæ viuificantur. Quid precor, commune habent verba domini cum iſto intellećtu? Nouit prǽterea Caluin. veterem eccleſiam ſecutam eſſe id quod prædicabant eius paſtores, & docebant magiſtri, nec tamē pudet eum ſcribere, quòd dośtrina de conuerſione & tranſitu panis in corpus Chriſti (quē concilia generalia explicant eſſe tranſſubſtātiationem) nullum habeat in ſcripturis fundamentum, neq; vllum veteris eccleſiæ teſtimonium: item quod cum verbis Domini ſtare non poteſt, quòd Chriſtus panem oſtendens ſiue demōſtrans corpus ſuum vocat, quodq; veritas tam dilucida per ſe, tam abſurdam vanitatem refutare poſsit. Quanta arrogantia & temeritas abſurdam vanitatem vocare dośtrinam, quam quaſi ex fide populo ſuo proponit B. Auguſt. B. Ambroſ. & plurimi dośtores eccleſiaſtici, & comprobant generalia eccleſiæ concilia. Ille enim in concione ad populum liberè pronunciat, Ante verba Chriſti quod offertur, panis dicitur: vbi verò Chriſti verba deprompta fuerint, iam non panis, ſed corpus Domini appellatur. Et B. Ambroſius ex parte Neophytorum quos inſtituit, ſibi obijcit. Fortè, inquit, dicas, Aliud video, quomodo tu dicis quod corpus Chriſti accipiam? tandem poſt multa exempla quibus ad veritatis huius cognitionem eos manuducit, Sermo ergo Chriſti, inquit, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poterit ea quæ ſunt in id mutare quod non erant? Item vetus ille & inſignis dośtor Euſebius, Epiſc. Emiſſenus, apet-

In epiſto. ad Ioan. Heruagium.

4. lib. diſt. 10. & 11.

De conſecra. diſt. 2.

Serm. 28. de verb. domini ſuper Lucam.

De myſterijs initiandis.

De Phaſe. Homil. 5.

regno Dei, hoc eſt, non qui iam ſunt claudi aut cœci, aut leproſi: non quæ iam ſunt meretrices vel peccatores, ſed qui fuerint. Sæpe etiam eadem ſcriptura appellat res nominibus, quibus in forma aſsimilantur, vt Ioannes vidiſſe ſe ait Spiritum ſanctum, cum non ipſum ſpiritum, qui ſua natura eſt inuiſibilis, ſed ſpeciem columbæ, vt Lucas exponit, viderit. Item mulieres viderunt angelum, quem Euangelium iuuenem appellat. Et ſæpenumero angeli dicuntur viri, non quod fuerint, ſed quòd formã duntaxat præ ſe ferrent. Nam Dauid de ſe vel potius de Chriſto ita loquitur, Ego ſum vermis, & non homo, cùm ſubſtantialiter homo eſſet, ſola verò ſimilitudine vermis. Et priori ſuo nomine adhuc res appellamus, quod ſimilem effectũ producant. Vocatur itaque panis, quia ex pane cõficitur, vel quia formam panis retinet, vel quia ſimilitudine quadam panem referat, habeatq; inditas pani adhuc qualitates, vel (vt ſemel dicam) ab effectu, vt ſicut panis reficit, & alit ventrem, & vinum cor hominis lætificat, ita quod ſpiritualiter mentem lætitia afficit, & mentem impinguat, panis & vini vocabula ſortiuntur. Accipit itaque Ieſus panem, & benedixit, dicens, Hoc eſt corpus meum: deinde fregit & dedit diſcipulis ſuis, in hoc benedictionem explicans, quod dixit, Hoc eſt corpus meum. Non enim ſemper rei geſtæ ordinem ſeruant in ſcribendo Euangeliſtæ, vt dicit beatus Auguſt. Vnde B. Thomas, Intelligendum eſt, inquit, rei geſtæ ordinem ſic poſſe explicari, Accipiens panem benedixit, dicens, Hoc eſt corpus meum, deinde fregit & dedit diſcipulis ſuis. Sed idem ſenſus, inquit, haberi etiam poteſt verbis Euangelij non mutatis. Nam hoc Participium, dicens, concomitantiam quãdam importat verborum ad ea quę præcedunt, nõ ſolum reſpectu verbi vltimè prolati, quaſi Chriſtus tunc verba illa protulerit, quando diſcipulis ſuis dedit, ſed poteſt intelligi concomitantia reſpectu totius præcedentis, vt ſit ſenſus, Dum benediceret & frangeret, & daret diſcipulis ſuis, hæc verba dixit, Accipite, &c. Itaq; Chriſtus accepit panem quem ſtatim benedixit, & ſua benedictione dicendo, Hoc eſt corpus, &c. creatura ſuo obediens creatori, in eius corpus eſt conuerſa, ſicut aqua in hydrijs eius iuſſu, facta eſt vinum. Atq; hoc ſenſu benedicere explicat ſuper dicere virtutem dictionis ſiue verborum Chriſti, ſicut benedicendo in Geneſi creaturis virtutem eſt largitus. Et benedictionem cuius meminit Matth. & Marcus, aliã eſſe à gratiarum actione, teſtatur Canõ Miſſæ, in quo legimus, Gratias agens benedixit quaſi iſta ſint diſtincta. Matth. & Marcus in conſecratione calicis, meminerunt gratiarum actionis, & non benedictionis. Si tamẽ intelligatur hæc benedictio eſſe gratiarum actio, ſicut beatus Lucas & Apoſtolus Paulus interpretari videntur, qui nulla benedictionis facta mentione, cum gratias egiſſe dicunt: Et ſi ſeries apud Euangeliſtas, & B. Paulum ſeruetur hiſtorię, Ieſus panem accepit, patri gratias agendo benedixit, panem fregit, panem dedit, hoc eſt, exhibuit diſcipulis, & dixit, Accipite & manducate, hactenus panis erat, ſi ordo, vt diximus, ſeruetur hiſtoriæ, imò & quando Chriſtus dixit, Hoc eſt corpus meum, adhuc panis erat, ſed completo ſermone corpus eſt Chriſti, atque ita Apoſtoli acceperunt & manducauerunt nõ panem, ſed corpus Chriſti, in quod panis iam erat conuerſus. Sermo enim dominicus non ſolum eſt enunciatiuus veritatis, vt rectiſsimè dicit Cardinalis Caietan⁹ (Veriſsimum enim eſt, quod hæc ſubſtantia eſt corpus Chriſti) ſed etiam eſt factiuus veritatis ſignificatæ. Facit enim quod enunciat, & ideo eius veritas enunciatione eſt poſterior. Et propterea inquit, pronomen Hoc nõ demonſtrat panem, neque corpus Chriſti, ſed hanc ſubſtantiam. Pronominis enim officiũ eſt monſtrare ſubſtantiam ſine qualitate. Nam veritati enunciatæ repũgnat demonſtratio panis. Falſum eſt enim, quod panis eſt corpus Chriſti: efficientiæ autem repugnat demonſtratio corporis Chriſti. Falſum eſt enim quod efficiatur quòd corpus meum eſt corpus meum, ad quod nulla opus eſt efficientia: ſed tam veritati enunciatæ, quàm efficientiæ quadrat demonſtratio ſubſtantiæ, non demõſtrando ſpecialem naturam, quia & verum eſt quod hæc ſubſtantia (non hoc accidens) eſt corpus meũ: & verum eſt quod fit, quod hæc ſubſtantia eſt corpus meum: hoc eſt enim quod fit per hunc ſermonem. Vnde apparet, addit Caietanus, non eſſe ab eccleſia adinuentã tranſſubſtãtiationẽ panis in corpus Chriſti, vt hæretici fingunt, ſed Eccleſia à veritate per hæc domini verba propriè intellecta cogitur ad confitendum efficientiam. Non enim aliter verificatur nunc & non prius, Hoc eſt corpus meum, niſi quia nunc & non prius factum eſt, vt hoc ſit corpus meum. Ex vtroq; autẽ, ſcilicet veritate ſignificata & effecta cogitur ad cõfitendum trãſſubſtantiationẽ panis in corpus Chriſti, neq; enim aliter fieri potuit quòd hæc ſubſtantia ſit corpus Chriſti, quàm per tranſſubſtantiationem. Nam ſi tranſubſtantiatio nõ interuenit, non verificatur, quod hoc demonſtratum quando Chriſtus profert pronomen, Hoc, id eſt illamet ſubſtantia quam pronomen demonſtrat in ſui prolatione, ſit corpus Chriſti, ſed illa ſubſtantia quæ tunc demonſtratur, ſi qualis tunc eſt remanet in fine conſecrationis, non eſt corpus Chriſti, ſed eſt panis. Si annihilatur, nec eſt panis nec eſt corpus Chriſti, ſed nihil eſt. Et concludit, Omnes itaque hæreſes excludunt hæc verba, Hoc eſt corpus meum, ſecundum proprietatem ſermonis intellecta. At ſi verbis proprijs, ſi proprietati ſermonis non habetur veritas fidei, ruit tota fides Trinitatis, ruit vniuerſa certitudo ſacræ ſcripturæ. De veritate autem & natura orationis factiuæ eiuſq; efficientia clarè docet B. Thom diſt. 8. 4. ſentent. Multo autem probabilius eſt, vt

Matth. 11. *Ioann. 1.* *Pſal. 21.* *Lib. de conſenſu euangeliſtarum.* *Par. 3 quæ. 88. art. 1.* *In comment Matth. 26.* *quæſ. 2. ar. 1 quæ. 4. ad primum.*

ſentit Thomas & alij ſcholaſtici, quod Euangeliſtæ non ſeruant ordinē hiſtoriæ, quodq; Chriſtus acceptum panem ſtatim benedixit dicendo. Hoc eſt corpus meum, & poſtea panem benedictum, ſiue potius ſpecies eius, diuiſit in duodecim vel tredecim particulas, & dixit, Accipite & comedite, & iam fractū panem, atque ſic ſecundum ſuam formam diuiſum dedit manducandum: Non eſt hic veriſimile, vt ſcribit Caieta. quòd ſingulorum ori imponendo ſingulas partes porrexerit, vel manu ſua ad manus eorum, ſed exhibuit, & obtulit particulas ſacri panis in patina à ſingulis particulam proprijs manibus accipiendā. Crediderim, inquit, ego, quod ſicut vnum calicem communē omnibus tradidit, ita in vna patina panem in duodecim buccellas fractum in manibus proprijs accipiēdam tradiderit, & quod eccleſia vſum hunc patinarū Apoſtolica traditione acceperit: ita quòd ſicut calicem vnus diſcipulus dedit alij, ita patinam cum pane ſancto propinquiores Ieſu remotioribus ſucceſsiue porrexerint. Quantum ad præſentiam ſubſtantialē corporis Chriſti & conuerſionem panis, nulla eſt hic difficultas, nulla dubitatio, ſiue intelligatur ab Euangeliſtis hiſtoriæ ſeries ſeruata, ſiue per anticipationem dicatur Chriſtus fregiſſe & dixiſſe, Accipite & comedite. Nam certum eſt quòd panis in Chriſti corpus conuerſio facta eſt quando dixit, Hoc eſt corpus meum, & non antea. An autē hoc dixerit poſtquam fregit, an prius, non ſatis conſtat. Locum autem B. Pauli, Panis quem frangimus, &c. interpretatus eſt B. Chryſoſtomus de cæleſti illo pane de quo Domin⁹. Panis quem ego dabo caro mea eſt. Ait enim Hunc panē ſiue corpus, Chriſtus omnibus æqualiter dedit, hoc pro omnibus pariter fractum eſt, & æqua portione diſtributum, eo dicente, Accipite & manducate corpus, videlicet, quod, vt Theophylactus interpretatur, omnibus æquè diſpartiens morti deſtinaſſet, & quod in cruce non eſt paſſus, hoc iam ſuſtinet, cùm propter nos frangitur, Os eius nullum eſt contritum. Nihil tamen incommodi eſt, ſi panis hic intelligatur ipſum ſacramentum, hoc eſt panis ſpecies, ſicut dū dicit, Quoniam vnus panis & vnum corpus omnes ſumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus, propter ſimilitudinem, imò quia eædem qualitates hic ſunt, ſecundum quas ſimilitudo attenditur, quę fuerūt in pane, qui in corpus Chriſti trāſijt, atq; etiam virtutes panis eędē. Diximus enim multis modis vnam rem appellari nominibus alterius, à qua tamen multum eſt diuerſa. Et B. Auguſt. ob ſimilitudinem dicit ſacramenta plerunq; ipſarum rerum quas ſignificant nomina accipere, ſicut ſecundum quendā modum ſacramentum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt & ſacramentum ſanguinis Chriſti ſanguis Chriſti eſt. Locum ex Actis deſumptum veteres non referunt ad ſacram Euchariſtiam. Nam OEcumenius in commentarijs circa locum, Et frangentes iuxta domum panem: Domum dicit nunc templum, inquit, Dixit aūt, Frangentes panem, vt tenuitas & ſimplicitas victus eorum appareat. Et gloſa interlinearis interpretatur, In fractione panis ſiue cōmunis, ſiue ſancti. Et frangentes panem circa domos ſanctum, inquit, vel corporalem. Et Nicolaus de Lyra, Communicabant in fractione panis, inquit, tum quia quotidie communicabant, tum quia omnes ſicut & cætera communia habebant: Item alio loco. Cùm veniſſemus ad frangendum panem, inquit gloſa, corporalem vel ſpiritualem. Quod ſi intelligatur ſacra Euchariſtia nomine panis, hoc fit ſecundum regulas præcedentes, & vt dicit beatus Auguſtinus, ſecundum tropum, quo ſacramentum corporis, corpus nominatur, & ſpecies panis appellantur panis, quia eius, vt diximus, ſunt ſimilitudo, eiuſque habent virtutem & efficaciam. Quæ loca ſimul & ſuperiorem de fractione panis ex Paulo eruditè explicat Albanus Archidiaconus Ciceſtrienſis Anglus. Verba autem Domini apud Matthæum, Non bibam ammodo de hoc genimine vitis, vſque in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum in regno patris mei: in quibus præcipuum & ferè vnicum fundamentū ſui erroris ponunt, magnam habent obſcuritatem, vt docta Hedibia eorum intelligentiam quæſierit à B. Hierony. & eruditus Eucherius Epiſ. Lugdunenſis inter quæſtiones de ſcripturis difficiliores ea locauerit, & reuera latens videtur eorum intelligentia. Quæ autem in ſcripturis lucida ſunt, præiudicium ab obſcuris locis, vt quidā rectiſsimè dixit, pati nō debent: habemus aūt in lucido poſitum, Hoc eſt corpus meum. Cæterùm omiſsi allegorijs quibus pulchrè ac eleganter vtuntur ſacri interpretes dicamus ſimpliciter, quod ſicut typicum agni eſum, ſic etiam potum Paſchæ typicum negat ſe vltra guſtaturū: vel illud rectè dici poteſt ſecundum normam & regulam ſcripturæ, quòd res iuxta eam naturam nō quam iam habent, ſed quam prius habuerunt, non nunquam appellare ſoleat. Atq; hunc intellectum ſcripturarum circunſtantiæ manifeſtè oſtendunt. Vbi conuenit meminiſſe Matthæum & Marcum leuiter attingere vetus Paſcha, & veluti ſicco pede pertrāſire, nō putantes operæ precium fore diutius morari, feſtinant ad nouū. Lucas autem qui poſt eos, vt hiſtoriæ tradunt, Euangeliū ſuū conſcripſit, vtrumque accuratius diſtinxit, & quod illi ſubobſcurè, hoc iſte apertius poſuit. Ait enim, Cū facta eſſet hora, diſcubuit & duodecim diſcipuli cum eo, & ait illis, Deſiderio deſideraui hoc Paſcha māducare vobiſcū antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non maducabo illud donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit & dixit, Accipite & diuidite inter vos. Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et hæc quidem de legali cœna hactenus. Hinc de tremendo myſterio ſubdit, Accepto pane gratias

Marginal notes: 1. Cor. 10. Hom. 27. 1. Cor. 11. — Epiſt. 23. ad Bonifacium — Cap. 2. — Act. 20. — Lib. 2. catholicæ confutationis, fol. 62 72. cap. 26. — Quæſt. 2. ad Hedibiam. — Arnobius in pſal. 41. Smaragdus.

gratias egit, fregit, & dedit eis dicens, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationē. Similiter & calicem poſtquam cœnauit, dicens, Hic calix eſt nouum teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis fundetur, Hic autem ſcrupus eſt, quod euangeliſta Mattheus à cœna Domini hanc ſentētiam apponit, Non bibam de hoc genimine vitis, vnde effici volūt vinum etiam tum fuiſſe quod Chriſtus dedit, perinde ac fuit illud quod in typica agni cœna inter eos diuidi iuſsit: ſed Euangeliſtarum cōſenſus nullo modo hoc permittit. Nam ſanctus Lucas dicit Chriſtum eandem ſententiam dixiſſe, non de poculo Euchariſtico, ſed legali, quod vel intuēre in aperto eſt. Cùm igitur Sāctus Lucas teſtetur Chriſtum in cœna agni paſchalis dixiſſe, Non bibam de generatione vitis: cumque Mat. quod etiam illi volunt, affirmet Chriſtum bibiſſe poſtea, cum ſuum corpus & ſanguinem ſuis diſcipulis porrigebat. Subiecit enim, non bibam poſt hac de hoc genimine vitis, conſequens eſt, vt iam non ſit vitis naturalis fructus quem tum bibebat, & de quo Matth. loquitur, ſed verus ſanguis, licet eodem nomine ſecundum ſcripturæ morē appelletur, alioqui mendax Chriſtus, quod abſit. Si enim in cœna qua agnum iuxta legem obtulit, comeditq;, palam teſtetur, quod Lucas affirmat, ſe non bibiturum de generatione vitis, donec regnum Dei veniat, & ſi poſtea cùm inſtituit nouæ legis nouum teſtamentum bibit, vt Matth. ait, liquet profecto non fuiſſe vinum quod tum bibebat, ſed aliud, nempe ſanguinē ſub forma vini, id quod ſcriptura, ſi aduertatur, palam oſtendit. Quapropter non ſegniter prætereunda ſunt verba Euangeliſtarum. Sanctus enim Lucas de veteri teſtamento ſic refert Saluatorem dixiſſe, Non bibam de genimine vitis abſolutè. Matthæus autem vt quod in nouo bibebat plurimum differre oſtendat, aliter locutum atteſtatur, ſic nimirum: Non bibam de hoc genimine vitis. Eſt enim hoc genimen ſeu generatio non cuiuſlibet vitis, ſed verè, illius, inquam, vt Origenes interpretatur, quæ dicit, Ego ſum vitis vera: Et eſt potio nō cuiuſlibet, ſed vuæ illius, quæ, vt idem ait, miſſa in torcular paſsionis potum hunc protulit. Et proinde hoc verbo Dominus ſignificauit longè aliud fuiſſe quam quod in cœna legali dederat, nempe vt dixi, ſuum ſanguinem, quem ipſe, inquit beatus Hieronymus, nobiſcum bibit in regno eccleſiæ: Ipſe conuiua & conuiuium, ipſe comedens, & qui comeditur. Ex quibus conſtare poteſt, quare hoc ſacramentum panis appelletur, vel ſacramentum panis. Nam in ſpeciebus & forma panis nobis proponitur, & conſecrationis eius materia eſt panis. Patet igitur ꝙ hæc verba Domini, quibus aduerſarij ſuam ſtabiliunt impietatem, ſolidum ſunt catholicæ veritatis fundamentum, quod videlicet vinum non manet poſt conſecrationem, ſed conuertitur in ſanguinem Chriſti.

Quæſt. 2. ad Hedibiam.

Caluinus. *Tantùm dico ſacramenti naturam hoc requirere, vt panis materialis pro viſibili corporis ſigno remaneat. Eſt enim regula generalis in omnibus ſacramentis, ſigna quæ in ipſis videmus, debere aliquid ſimilitudinis habere cum re ſpirituali quā repræſentant. Vt igitur in baptiſmo certiores reddimur, animas noſtras interius ablutas eſſe, cum aqua quæ corporis ſordes abluit, eius rei teſtificandæ cauſa effunditur, ita in cœna materialem panē eſſe neceſſe eſt, vt nobis teſtatum ſit corpus Chriſti cibum noſtrū eſſe. Quæ enim eſſet ſignificatio, nobis id ab albedine ſignificari? Apertè igitur cognoſcimus omnem repræſentationem quam Dominus, ſeſe noſtræ infirmitati accōmodare volens, dedit, interituram, niſi panis ſubſtantia remaneret.*

Reſponſio. Verè tantùm hæc dicit Ioannes Caluinus ſine ſcripturis, ſine vllis patrum teſtimonijs imò contra ea, & contra apertiſsimas Conciliorum definitiones. Quis tam ſuæ ſalutis negligens, vt ſic dicenti vllam adhibeat fidem, quod videlicet ſacramēti natura requirat, vt panis materialis pro viſibili corporis ſigno remaneat. Sed eſt, inquit, regula generalis in omnibus ſacramentis. Nec hanc quidem vlla probat ſcriptura, quæ & ſi vera eſſet in reliquis ſacramentis, hic habet exceptionem. Magnum enim eſt diſcrimen huius ſacramenti ab alia. Nam alia ſacramenta ex verbo conſtant & elemento, atq; ab his ſuam habent ſignificationem: Hoc autem ſacramentum nec elementum habet, nec verba ex quibus conſtet, licet eius conſecratio & verba & materiam habeat ſenſibilem panem & vinum. Nam vt rectè dicit B. Thomas, hoc ſacramentum ab alijs differt in duobus. primò quantum ad hoc quòd perficitur in conſecratione materiæ, & alia in vſu materiæ conſecratæ: & ſecundò quia in alijs ſacramentis conſecratio materiæ conſiſtit ſolū in quadā benedictione, ſed in hoc ſacramento conſecratio materiæ conſiſtit in miraculoſa conuerſione ſubſtantiæ, quæ à ſolo Deo perfici poteſt, & quia forma debet eſſe rei conueniens, ideo, inquit, huius ſacramēti forma etiam in duobus differt à formis aliorū ſacramentorum: primò quidem quia aliorū formæ important vſum materiæ, puta baptizationem vel conſignationem, ſed huius ſacramenti forma importat ſolum conſecrationem materiæ, quæ in tranſſubſtantiatione conſiſtit: ſecundò quia aliorum ſacramentorū formæ proferuntur ex perſona miniſtri, ſed forma huius ſacramēti profertur ex perſona ipſius Chriſti loquentis, vt detur intelligi quòd miniſter in eius perfectione nihil agit, niſi quòd profert verba Chriſti. Magis igitur huius ſacramenti natura hoc requirit, quòd ſubſtantia panis maneat, cùm perficiatur in conſecratione panis, hoc eſt eius conuerſione in corpus Chriſti: Et eſſet contra ſacramenti ſignificationem, quia ſpecies non ducerent in verum Chriſti corpus per modum ſigni, ſed magis in panis ſubſtantiā quā afficerent. Magna tamen eſt ſpecierum ſimi-

Part. 3. q. 78. art. 1.

Epiſt ad Magnum. *Falſa eſt hac citatio.* *fide cōſideremus in ſancta illa menſa agnum Dei. Cyprianus, Quādo Dominus corpus ſuum panem vocat de multorum granorum adunatione cōgeſtum, populum noſtrū quem portat indicat adunatum. Et quando ſanguinem ſuum vinum appellat de botris atque acinis expreſſum, gregem item noſtrum ſignificat commixtione adunata multitudinis copulatum.* *Admonitio.* *Sic etiam Fulgentius ſacramentum panis & vini vocat. Denique ſicut ait Aug. Si ſacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum quas figurant non haberent, vtiq; ſacramenta non eſſent. Vnde & panem in Chriſti corpore ſanctificatum vocarunt aliqui ex patribus.*

Reſponſio. Si in hunc modum quo locutus eſt Apoſt. Paulus, locuti ſunt omnes ſancti patres, vt dicit Caluinus, nihil ſanè conuerſioni panis in corpus Chriſti aduerſantur, cum B. Paulus, non de vulgari loquatur pane, ſed eo qui eſt corpus Chriſti. Non enim omnes de vno & eodē pane triticeo, vt diximus, participare poſſumus, & ſi poſſemus, ex eo nō eſſemus vnus panis & vnum corpus. Nec hic panis eſt materialis, de quo dicit Apoſtolus Paulus, fideles vnum eſſe panem. Nam ſicut Magiſter ex eodem B. Aug. dicit, vnus panis *Diſt. 84. li.* & vnum corpus Eccleſia dicitur, propterea quòd ſicut vnus panis ex multis granis conficitur, & vnum corpus ex multis membris componitur, ſic Eccleſia ex multis fidelibus charitate copulante connectitur. Hoc autē myſterium pacis & vnitatis Chriſtus in ſua menſa conſecrauit. Qui ergo accipit hoc myſterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non accipit hoc myſterium pro ſe, ſed contra ſe: Cuius etiam ſacramentum eſt corpus Chriſti proprium de virgine ſumptum, quia vt corpus Chriſti, ex multis membris puriſsimis & immaculatis conſtat, ita ſocietas eccleſiaſtica ex multis perſonis à criminali macula liberis conſiſtit. Et ſicut ex pluribus acinis vinum in vnū confluit, ſic ex multis fidelium perſonis vnitas conſtat Eccleſiaſtica. Vbi & declarat quòd ſpecies panis & vini ſunt ſacramētum tantùm, & caro Chriſti quam de virgine traxit, & ſanguis quem pro nobis effudit, res hic contenta & ſignificata: res autem ſignificata & non contenta, vnitas eccleſiæ in prædeſtinatis, vocatis, iuſtificatis, & glorificatis. Et ſimiliter venerabilis Hugo de ſacramentis pleniùs declarat, quòd ſpecies viſibiles panis & vini verā *Lib. 2. par. 8. cap. 7.* habeant rationem ſacramenti. Ait enim. Cū vnum ſit ſacramentum, tria in eo diſcreta pōnuntur, ſpecies videlicet viſibiles: & veritas corporis: & virtus gratiæ ſpiritualis. Aliud eſt enim viſibilis ſpecies quæ viſibiliter cernitur, aliud eſt veritas corporis & ſanguinis quę ſub viſibili ſpecie inuiſibiliter creditur atq; aliud gratia ſpiritualis, quæ cum corpore & ſanguine inuiſibiliter & ſpiritualiter percipitur. Quod enim videmus, ſpecies eſt panis & vini: quod autem ſub ſpecie illa credimus, verè corpus eſt & ſanguis Ieſu Chriſti quod pependit in cruce, & qui fluxit de latere. Nec per panem & vinum corpus & ſanguinem tātum ſignificari credimus, ſed ſub ſpecie panis & vini verum corpus & verum ſanguinem conſecrari ac contineri: & ſpeciem quidem viſibilem ſacramētum eſſe veri corporis & veri ſanguinis: corpus autem & ſanguinem ſacramentum eſſe gratiæ ſpiritualis. Et quemadmodum ſpecies illic cernitur, cuius res vel ſubſtantia ibi eſſe non creditur, ſic res ibi veraciter & ſubſtantialiter præſens creditur, cuius ſpecies non videtur. Videtur enim ſpecies panis & vini, & ſubſtantia panis & vini nō creditur, creditur autem ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti, & tamen ſpecies non cernitur. Lege & ea quę ſequuntur. Et rationem ſacramenti ſpeciebus conuenire clarè explicat Bonauentura. *2. par. diſ. 18 4. ſentent.* Si obijcias, inquit, quòd ſpecies non componitur nec reficit. Dicendum quòd retinent idiomata ſubſtantiæ quę prius ibi fuit, & ratione illius ſunt ſigna cōuenientia. Atque beatus Thomas proponit argumentum: *Par 3. quæ. 75. art. 2.* Panis & vinum aſſumuntur, inquantum ſignificant Eccleſiaſticam vnitatem, prout vnus panis fit ex multis granis, & vinum ex multis racemis, vt beatus Auguſtinus dicit libro de ſymbolo: ſed hoc pertinet ad ſubſtantiam panis & vini. ergo ſubſtantia panis & vini in hoc ſacramento remanet. Item, Inter Eccleſiæ ſacramenta debet eſſe conformitas: ſed in alijs ſacramentis ſubſtantia materiæ manet, ſicut in baptiſmo ſubſtantia aquæ. & in cōfirmatione ſubſtantia chriſmatis, ergo etiam in hoc ſacramento ſubſtantia panis & vini manet. Item dicit Ioannes *Li. 4. ca. 14.* Damaſcenus, Quia conſuetudo eſt hominibus comedere panem, & bibere vinum, coniugauit eis diuinitatem, & fecit ea corpus & ſanguinem ſuum, atq; ita panis communicationis non panis ſimplex eſt, ſed vnitus diuinitati: Sed coniugatio eſt rerum exiſtentium, ergo panis & vinū ſimul ſūt in hoc ſacramento, cum corpore & ſanguine Chriſti. Ecce argumenta Caluini. Reſpondet ad primū Thomas, quòd ſpecies quę in hoc ſacramento remanent, ſufficiunt ad ſignificationem huius ſacramenti. Nam per accidētia cognoſcitur ratio ſubſtantiæ. Et in 4. ſentent. reſpondet, quod ſpecies hic remanentes repręſentant aliquo modo ſubſtantiam quam prius afficiebant, & per conſequens proprietates eius, & ita habent rationem ſignificandi per quandam ſimilitudinem, corpus Chriſti verum & myſticū. Atq; hoc ipſum eſt, quod ſancti referunt ſignificationem huius ſacramenti ad materiam ex qua per cōſecrationē ſacra Euchariſtia perficitur, cuius ſpecies, vt diximus, ſunt reliquiæ in quibus manet panis & vini ſubſtantia ſecundum virtutem, efficaciam & perfectionem ac ſubſiſtentiam. Ad ſecundum reſpondet, quod in alijs ſacramentis non eſt Chriſtus realiter, ſicut in hoc ſacramēto, & ideo in illis manet ſubſtantia materiæ, non autem in iſto. Damaſcenum autem interpretatur quod Deus coniugauit diuinitatam ſuam, id eſt diuinā virtutem

tutem pani & vino, non vt remaneant in hoc ſacramento, ſed vt faciat inde corpus & ſanguinem ſuum. Vel intelligendum dicit quantum ad ſpecies quibus corpus Chriſti diuinitati vnitum modo ineffabili cõiungitur. Nam certiſsimum eſt Damaſcenum in eodem capite dicere panem conuerti in corpus Chriſti, & viuũ in ſanguinem. B. Irenęus magis etiam probat hanc conuerſionem & panis tranſitum in corpus Chriſti, in hac ipſa ſententia quã citat hic Caluinus, quàm ei aduerſetur. Quemadmodum, inquit, qui eſt à terra panis percipiens vocationem vel inuocationem domini, non iam communis panis eſt, ſed ex Chriſti benedictione Eucharistia factus eſt, panis ſcilicet in quo plenitudo diuinitatis & gratiarum inhabitat etiam corporaliter. Quem ſenſum magis explicat dum dicit, quod eum qui ex creatura panis eſt accepit, & gratias egit dicens, Hoc eſt meum corpus, benedicendo videlicet ex eo quod erat panis, fecit ſuum corpus, & calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura, quę eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt: & ſine dubio ex ea ſuum ſanguinẽ, vt dixit & confeſſus eſt, etiam fecit. Ex quo non conſequitur quòd poſt conſecrationem panis maneat, quin potius quòd Chriſti virtute & benedictione tranſijt in corpus eius ſicut dicit Ioan. Damaſcenus, quòd panem & vinum fecit ſuum corpus & ſanguinem, dũ dixit, hoc eſt corpus meum, ſuam his ipſis cõiungendo diuinitatem. Porrò Irenæus dicens Euchariſtiam ex duabus rebus conſtare, terrena & cœleſti, nõ explicat quæ ſit hæc res terrena. Si intelligat panem & vinum, ex eis conſtat tanquam ex materia tranſeunte in corpus & ſanguinem domini, quę ſub iiſdem ſpeciebus & formis eis ſuccedunt. Conſtat tamen etiam ex ſpeciebus quæ ſunt res terrenæ, tanquam ſigno, & corpore & ſanguine Chriſti, qui eſt panis de cœlo deſcendens. Similiter de Euchariſtia loquitur Auguſtinus, vt citat Magiſter in ſentent. Conficitur, inquit, ſacrificium Eccleſiæ duobus, ſacramento & re ſacramenti, hoc eſt corpore Chriſti & ſacramento, quia forma panis operta Chriſti caro ſumitur & tractatur: Et beatus Gregorius, Quis fidelium habere dubium poſsit in ipſa immolationis hora, ad ſacerdotis vocẽ, in illo Chriſti myſterio ſumma & ima ſociari, vnum quid ex inuiſibilibus atq; viſibilibus fieri: Vbi viſibilia intelligit ſpecies panis & vini, quibus corpus & ſanguis Chriſti ineffabili modo vniũtur, vt ſint vnum ſacramentum, & in multis idiomata ſibi mutuo cõmunicẽt. Quomodò aũt hoc ſacramentum aliquando conſtare dicatur ex carne & ſanguine, aliquãdo ex ſpecie panis & vini: item ex ſpecie & vero corpore Chriſti, declarat ſanctus Bonauentura circa textum diſtinct. 10. Quod autem citat ex Cypriani epiſtola ad Magnum, quòd Dominus corpus ſuum panem vocat (ſi tamen ita eſt) nec ipſe Caluinus intelligit propriè dictũ, ſed ſecundum analogiam, ſicut diximus in ſuperioribus ex eius libello de cœna Domini: & nos intelligimus, ſi intelligatur corp⁹ Chriſti verum, ſecundum tropum in ſcripturis vſitatum, vel quia ex pane confectum eſt, vel quia formam & ſpeciem panis retinet, aut ſimiles habet effectus. Atq; hæc analogia reſpicit corpus Chriſti myſticum, cuius vnitas in hoc ſacramento repræſentatur mediante vero Chriſti corpore (vt docet Magiſter Sententiarum) quod eſt primarium huius ſacramenti ſignificatum. Et vera eſt hæc analogia reſpectu ſpecierum ratione ſubſtantiæ panis prout in eis manet, quæ etiam conſtant ex pluribus partibus.

Li. 4. c. 34. — *Colloſ. 2.* — *Ca. 37. eiuſdem libri.* — *Diſt. 10. 4.* — *Lib. 4. dialogiorum.* — *Lib. 4. ſent. in fine.* — *Li. 4. diſt. 8.*

Rectè docet Canon Concilij Niceni, vt ad panem qui in altari proponitur, & ſimiliter in poculum non nimis humiliter ſimus intenti, ne quaſi in ſigno hærentes negligamus eius reprę ſentationem, ſiue panis intelligatur qui cõſecrandus proponitur, & trãſit in corpus Chriſti ſiue huius panis forma: ſed vt mente, fide eleuata, conſideremus in ſancta illa menſa agnum Dei qui tollit peccata mundi, & non ſolum eundem agnum, in dextera patris aſsidentem. Mens enim eleuatur & ſurſum ſubuehitur in omni conſideratione, quę ſuperat lumẽ rationis, & fit ſecundum fidei reuelationem. Nam Magi Chriſtum in cunabulis adorantes habebant mentem ſurſum eleuatam: ſimiliter latro in cruce pendens, quando orabat. Memento mei cùm veneris in regnum tuum. Et ſi Cõcilium in hoc Canone intelligat panem poſt conſecrationem, ſermo eſt figuratus, vt ſub nomine panis ſignificetur panis ſpecies. Nec mirum quòd à Fulgentio dicatur ſacramentum panis & vini, quando conſecrationis materia eſt panis & vinum, ſub quorum formis, Chriſti corpus & ſanguis nobis proponuntur. Præterit hic Ioannes Caluinus Fragmentum de duabus naturis in Chriſto aduerſus Eutychen & Neſtorium, quod in Antidoto contra diuerſas omnium ferè ſeculorum hæreſes aſcribitur Gelaſio Epiſcopo Romano, in quo apertè dicitur, ſacramenta quæ ſumimus corporis & ſanguinis Chriſti diuina res eſt, propter q & per eadẽ diuinæ efficimur cõſortes naturæ, & tñ eſſe nõ deſinit ſubſtãtia vel natura panis vel vini & certè imago & ſimilitudo corporis & ſanguinis Chriſti in actione myſteriorum celebrantur: Satis ergo nobis euidenter oſtenditur, hoc nobis in ipſo Chriſto Domino ſentiendũ quod in eius imagine profitemur, celebramus & ſumus, vt in hanc ſcilicet diuinam tranſeant ſancto ſpiritu perficiẽte ſubſtantiam, permanente tamen ſua proprietate naturæ. In qua eius ſententia aduerſarij ſibi ſerio triumphare videntur. Veriſimile namq; eſt Caluinum non latuiſſe probabilia eſſe argumenta, ob quæ falſa videtur hæc inſcriptio. Nam nec Platina, nec abbas Tritemius huius opuſculi vſquam meminerunt, ſed tantum quinq; librorũ quos ſcripſit aduerſus Eutychen & Neſtoriũ. Et fragmentũ dicit recentem eſſe altercationem de noſtri

ſaluato-

Saluatoris deitate pariter & humanitate, ſuper quæ tamen ante plurimos annos tempore Leonis in Concilio Calcedonenſ. poſt legitimam diſceptationem ſententia fuerat pronunciata, & damnatus Eutyches & Neſtorius. Nec (quod mirãdum eſt) huius Concilij & damnationis meminit Fragmentum, ſed ſolum in fine ſentẽtiæ patrum, cuius tamen Concilij authoritate libenter vtitur in ſuis epiſtol. Gelaſius Papa præcipuè ad Fauſtum. Magis videtur eſſe Gennadij Maſs. Eccleſiæ presbyteri, quem abbas Tritemius dicit etiam ſcripſiſſe contra Eutychem, qui in multis errauit, prout patet legẽti eius opus de viris illuſtribus. Et ſi diligenter expendamus eius ſententiam, non aduerſatur tranſſubſtantiationi, ſed magis ei patrocinatur. Dicit quidem, quod non deſinit ſubſtantia & natura panis & vini, natura, inquam, extrema. hoc eſt proprietates & qualitates cũ dimẽſionibus panis & vini naturalibus, quę vtique eorum ſunt natura. Quem ſenſum & ipſe explicare videtur, dum dicit panem & vinum in proprietate ſuæ naturæ permanere, non in ſuis ſubſtantijs, quas apertè dicit diuino ſpiritu perficiente in diuinã tranſire

Fol. 118. lib. 3.

ſubſtantiam. De quo & aliorum quorũdam veterum ſententijs latius Albanus Ciceſtrienſ. Archidiaconus in Catholica ſua confutatione. Nec refert ad conuincendum errorem Eutychis, an maneat panis & vinum in S. Euchariſtia ſecundũ ſe, vel ſecundum ſuas proprietates. Nam hæreſis eius erat, quòd Chriſtus Dominus erat ex duabus naturis, diuina & humana, quaſi ante vnionẽ diſtinctis, non autem poſt vnionem naturarũ, ceſſante nimirũ per eam earum inter ſe diſtinctione cum ſuis proprietatibus & operationibus: Et ideo nõ ponebat in Chriſto niſi vnius naturæ proprietates, vnam volũtatem, vnam cognitionem & affectum. Si igitur nõ deſinit ſubſtantia panis & vini ſecundũ ſuas proprietates, virtutem & officia, quamuis non maneat ſubſtantia, efficax eſt contra Eutychen fragmenti huius demonſtratio. Vbi notandum eſt, quòd tam certa & indubitata erat eo tempore tranſſubſtãtiatio (Nam ante Concilium Calcedonen. ſcriptum eſſe videtur) vt ex ea aliæ hæreſes conuincerentur: ſicut ſuperius diximus Tertullianum & Irenæum ex ea conuiciſſe Marcionem hæreticum. Et quamuis ante definitionem eccleſiæ catholicæ veniale fortaſsis fuerit de hoc articulo diſputare & errare, nunc tamen ſententia per eccleſiam pronunciata grandis eſt impietas hanc tranſſubſtantiationem impugnare. Et mirum eſt quod non puduerit Caluinum tranſſubſtantiationẽ impugnare per dubias & obſcuras patrum ſententias, quos nouit conuerſionem panis in corpus Chriſti alijs locis clarè docere, & eos patres nobis obijcere, quibus ipſe nullam tribuit authoritatem, nullam fidem. Nos eos libenter recipimus, præponimus tamen cenſuram Eccleſiæ, quæ ſpiritum & ſenſum ſui ſponſi habet cui propterea etiam ſe & ſuas ſubmiſerunt ſententias. Nouerunt enim in ipſa eſſe tribunal ad quod quæſtiones & dubia fidei referantur. Nam de beato Cypriano ſcribit Auguſtinus, quod quæſtio de rebaptizandis his quos baptizauerant hæretici, nulla erat plenarij Concilij definitione eliquata. Nos ipſi, inquit, aliquid tale aſſerere non auderemus (quòd videlicet non ſunt rebaptizandi) niſi vniuerſæ Eccleſiæ concordiſsima authoritate firmati, cui & ipſe Cyprianus ſine dubio cederet, ſi iam illo tempore quæſtionis huius veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium ſolidaretur, cuius certè Concilij ſaluberrima in eccleſia eſt authoritas.

Lib. 8. contra Donat. cap. 4.

Cùm igitur in toto hoc articulo clariſsimas habeamus generalium conciliorum definitiones, magna eſt arrogantia, magna impietas, iterum de his diſputare & impugnare ea, ſuper quibus ſemel per Eccleſiam eſt pronunciatum. Iterum iubet huc adducere ſententiam religioſi Imperatoris Martiani, qui dicit impium eſſe & ſacrilegum qui poſt Eccleſiæ & tot ſacerdotum ſententiam ſuæ opinioni aliquid tractandum relinquit (Loquitur enim de concilio Calcedonẽſ.) Quid enim ſtabile & conſtans in noſtra erit religione ſi ſemel iudicata & rectè diſpoſita reuolui & publicè diſputari permittantur?

ADorationem ſacræ Euchariſtiæ impugnat Caluinus argumẽtis quibuſdam & rationibus, quas examinare conuenit quid habeant momẽti & ſoliditatis. Ait autem.

An res erat nullius momenti Deum hac forma adorare, vt nihil nobis præſcriberetur, an cum de vero Dei cultu ageretur, tanta leuitate fuerat tentandum, de quo nullum vſquam in ſcripturis verbum legebatur? At ſi qua decet humilitate cogitationes omnes ſuas ſub Dei verbo continuiſſent, auſcultaſſent certè quod ipſe dixit, Accipite & manducate, huicq́; mandato paruiſſent quo accipi ſacramentum non adorari iubet.

Caluinus. In inſtitut. cap. 3.

Nobis itẽ ſcripturis præſcriptum eſt, vt dominum Deum noſtrum adoremus, eique ſeruiamus vbicunque inueniatur & conſpiciatur, ſiue in ſua maieſtate dextræ patris aſsidens, ſiue iacens in præſepio, ſiue in cruce cum latronibus pendens, ſiue in ſacra Euchariſtia exiſtens, in qua eũ certa fide intuemur in ſuo corpore & ſanguine, à quibus nunquam ſeparatur. In nomine enim Ieſu omne genu flectitur. Sicut igitur Deum in omni loco adoramus. Ait enim propheta quidam, Viuit Dominus in cuius conſpectu ſto, &c. ita & Chriſtum Dominum adorare oportet, eumque adorãt ſancti angeli etiam in ſacra Euchariſtia. Quia autem auſcultamus quod ipſe dixit, Accipite & manducate, Hoc eſt corpus meum, Chriſtum hic in corpore ſuo agnoſcimus & confitemur præſentem. Item quia auſcultamus Auguſtino dicenti quòd nemo rite corpus Domini manducat, qui nõ prius adorauerit ipſum in ſacra Euchariſtia,

Reſponſio.

Pſal. 98 circa verſiculũ. Adorate ſcabellũ pedum eius.

adoramus priuſquam mãducemus. Et quamuis hoc verbo, Accipite & manducate, &c. non iubeat nobis ſeipſum adorare, docet tamen corpus ſuum eſſe viuum & verum, & ita ſe Dominum Deum noſtrum reuera nobis adeſſe: de quo ſcriptura: adorent eum omnes angeli eius.

Caluinus. *Qui verè vt à Deo mãdatum eſt ſine adoratione accipiunt, ſecuri ſunt ſe à mandato Dei non deflectere: qua ſecuritate nihil melius eſt cùm quid operis inſtituimus.*

Reſponſio. 1. Cor. 11. Ait Apoſtolus Paulus, quòd qui indignè manducat & bibit, iudicium ſibi manducat & bibit, ex hoc ſolum quia nõ dijudicat eſſe corpus Domini quod accipit: Qui autem iudicat Dominum ſuum illic adeſſe, eumque ad ſuum venire hoſpitium aduertit, & cum reuerentia atque deuoto animo ipſum ſuſcipit, veneratur & adorat. Nam B. Ambroſius hunc locum Apoſtoli exponens, 1. Cor. 11. Deuoto, inquit, animo & cum timore accedẽdum ad communionem docet, vt ſciat mens reuerentiam ſe debere ei ad cuius corpus ſumendum accedit. Hoc enim apud ſe debet iudicare, quia Dominus eſt cuius in myſterio ſanguinem potat. Peſtilẽs igitur eſt hæc doctrina quòd ſecuri ſint, nec à mandato Dei deflectant, qui ſine adoratione accedunt & comedunt. Oportet enim, vt ex Auguſtino citauimus, non ſolùm Dominum, ſed & ipſam carnem Domini prius adorare, quàm eam manducemus. Et à mãdato Dei, hoc ſcilicet, Dominum Deum tuum adorabis, & cæt. deflectit, qui ei in ſacra Euchariſtia adorationem negat.

Caluinus. *Habent Apoſtolorum exemplum quos non legimus proſtratos adoraſſe, ſed vt erant diſcũbentes accepiſſe & manducaſſe. Habent Apoſtolicæ Eccleſiæ vſum, vbi fideles non in adoratione, ſed in fractione panis communicaſſe à Luca narrantur. Habent Apoſtolicam doctrinam, qua Paulus Corinthiorum Eccleſiam inſtituit profeſſus ſe à Domino accepiſſe quod tradebat.*

Reſponſio. Nec legimus Apoſtolos toto peregrinationis ſuæ tempore Chriſtum proſtratos adoraſſe, quomodo in præſepio eum adorauerunt Magi. Quid igitur mirandum quòd in ſacramenti huius exhibitione ante ipſum non proſternebãtur? Non tam ſtupidi erant Apoſtoli, vt cum Chriſtũ ipſum coram cernerent menſæ aſsidentem, eo relicto adorarent ſacramentum, & in ſacramento eius corpus. Sufficiebat reuerentia quod verbo Domini credentes, ipſius corpus & ſanguinem ea honoris delatione proſequerentur, qua Domini ſui corpus & ſanguinem ſuſcipere conueniebat. Nam corporis & ſanguinis conſideratione, quorum Dominus meminit, non conueniebat exhibere cultũ quo Deo ſoli ſeruimus, ſicut ſuperius poſt Auguſtinum & Damaſcenũ docuimus: præcipuus autem Dei cultus eſt in fide, ſpe, & charitate, vt dicit Auguſt. Veneratio autem Euchariſtiæ corpori & ſanguini debita eſt, vt agnoſcatur verè adeſſe corpus & ſanguis Chriſti, atque in ea efficacia, vt comedens ex ea viuat in æternum. Nec articulus habet quod proſtrati ſacram Euchariſtiam ſuſcipere debeamus, ſed quòd rectè à nobis adoratur ſigno externo pro conditione loci, temporis & qualitatis perſonarum, & hominum cum quibus conuerſamur conſuetudine. Nam cũ defertur ad infirmos, genua flectimus ſi nullum ſit impedimentum: in plateis autem immũdis detegimus caput cum aliquo alio reuerentiæ ſigno. Si infirmi per plateas portamur, ſi curru vehimur, ſignum oſtendimus reuerẽtiæ, quod patitur conditio temporis, loci, & perſonæ: Item decumbentibus aut ſedentibus infirmis iſtud ſacramentum miniſtramus, præſtita reuerentia quam poſſunt: Et ſacerdotes in Miſſa conſecrant & ſumunt ſtantes. Nullum igitur ſumitur argumentum ex eo, quòd Apoſtoli diſcumbentes corpus & ſanguinem Domini ſumpſerunt, qui familiariter cum eo ex conſuetudine loquebãtur ſine ſingulari aliqua externa veneratione. Indubitata eſt ſententia beati Auguſtini quam ſemper ſecuta eſt Eccleſia Chriſti, neminem illam carnem dignè manducare, niſi illam prius adorauerit, interna ſaltem adoratione quæ fit fide, ſpe, & charitate, huiuſque cultus teſtimonium, quod conditio & qualitas perſonæ & loci patitur pro conſuetudine Eccleſiæ in qua viuit foris oſtenderit. Atque vterque hic cultus eſt iuſſus à Domino in primo decalogi præcepto, quod cùm affirmatiuum ſit, non pro omni tempore obligat. Non enim ſemper præſente venerabili ſacramento Chriſtum in eo actu adorare, eiuſque corpus venerari oportet, ſicut nec Deum ſemper nobis & vbique præſentem, ſed vnumquodque opus, ſuum tempus ſuamque habet opportunitatem: pro eo tamen tempore quo ſacra Euchariſtia ſuſcipitur, dijudicare oportet in ea adeſſe corpus domini, ipſumque venerari & adorare. Varia namque fuit conſuetũdo Eccleſiæ in cultu huius ſacramenti externo. Nam tempore Cypriani manibus accipiebãt ipſam Euchariſtiã communicaturi, quæ nũc magna eſſet impietas, olim miniſtrabatur infantibus, quod modò grande eſſet piaculum. Plurimum igitur refert, quis cultus exhibeatur ſacræ Euchariſtiæ pro tempore & loco in quibus verſamur. Euangelicum præceptum eſt dijudicare corpus Domini, & dominum in ſuo corpore adeſſe, eumq; debita cum reuerẽtia accedere atq; ſuſcipere: Quo cultu corpus & ſanguinem Domini, atque in his ipſum Dominum venerabantur Apoſtoli, quamuis in menſa vnà cum ipſo Domino diſcumbentes, & hi quos beatus Lucas in Actis narrat communicaſſe in fractione panis. Cap. 6. De his namque refert quòd erant perſeuerãtes in doctrina Apoſtolorum & fractione panis, & in orationibus. Et ſicut dubium non eſt quin inter precandum ſe geſſerint reuerenter, & doctrinam Apoſtolorum cum reuerentia audiebant, ita non eſt dubitandũ

In Enchirid. cap. 3.

quin

quin ſacramentum iſtud ab Apoſtolis diſtributum cum reuerẽtia acceperint. Talem autem cultum externum veri Chriſtiani ſacramento exhibẽt, ad qualem ſpiritus Chriſti, & interior reuerentia eos inclinat: inclinabat autem Magos vt ante Ieſum in ſtabulo primum ſe proſternerent & eum adorarent, deinde ſurgentes eundem munerum ſuorum oblatione venerarentur. Hoc modo his cæremonijs non leguntur Maria & Ioſeph, imò nec Apoſtoli eum adoraſſe, agnoſcebat tamen Petrus Chriſtum eſſe filium Dei viui, & reuerentiam foris exhibebat cognitioni illi reſpondentem, & ſimiliter cæteri Apoſtoli, Maria & Ioſeph. Illi enim venerabantur eum vt dominũ ſequendo, eiuſque mandatis obſequendo, Maria & Ioſeph eidem in præſepio tanquam Dei filio pro hominibus incarnato, & pro iiſdem morituro, ſeruiendo. Non oportebat Apoſtolos alijs cæremonijs Chriſtum venerari in ſacramẽto, quàm eundem venerabantur menſæ aſsidentem. Certè infirma ſunt hæc argumenta quibus negatiuè arguitur. Non legimus proſtratos adoraſſe Apoſtolos: Chriſtus accipit ſacramentum, non adorari iubet, ergo, &c. Sed ſolidis argumentis & ſcripturis ſtabilire oporteret doctrinam, quam quis cõtra Eccleſiam Catholicam ſtatuere conatur. Nam & Apoſtolo Paulo obijci poſſet, Quid tu mandas vt probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, vtq; dijudicet corpus Domini qui ipſum ſumit, cum Dominus horum non meminerit, ſed ſimpliciter dixerit, Edite & bibite in meam commemorationem. Cui ipſe reſponderet hæc in eo includi, quòd corpus & ſanguis Domini eſt quod porrigitur, & ideo neceſſarium eſſe vt probet ſe homo atque dijudicet hoc corpus. Ad hunc modum & nos reſpõdemus. Quia corpus Chriſti nobis porrigitur, cum reuerentia & veneratione ipſum ſuſcipere oportet.

Caluinus. *Nam vt Chriſtum illic ritè apprehendant piæ animæ, in cælum erigantur neceſſe eſt. Quod ſi hoc ſacramenti officium eſt mentem hominis inſirmam alioqui adiuuare, vt ad percipiẽdam ſpiritualium myſteriorum altitudinem ſurſum aſſurgant, qui in ſigno externo detinentur, à recta quærẽdi Chriſti via aberrant. Quid ergo ſuperſtitioſum eſſe cultum negabimus cùm ſeſe homines coram pane proſternunt, vt Chriſtum illic adorent? Huic modo proculdubio obuiare voluit Nicæna Synodus cum vetuit nos humiliter attentos eſſe ad propoſita ſymbola.*

Reſponſio. Sacramenti huius officiũ eſt vt hic repræſentet Chriſtum præſentem, & memoriam ingerat mortis & paſsionis eius, & propriè quòd adſit panis viuus qui de cælo deſcendit, caro, inquam, viuificatrix. Horum meditatione cor ſurſum aſſurgit, & ſpiritualia hæc myſteria apprehẽdit: Nec in ſigno detinetur qui in his myſterijs recogitandis totũ ſe occupat, & in recta quærendi Chriſti via ſe continet. Nec ſe coram pane proſternunt homines, ſed coram ſacramẽto, vt Chriſtum in eo adorent, in quo vera conſiſtit Chriſtiana religio: Nec magis hic locũ habet ſuperſtitio quàm in adoratione Magorum coram Chriſto in ſtabulo manente. Et Concilium Nicænum mandat nos attentos eſſe venerari agnũ Dei in ſacra menſa iacentem, & magis memores eſſe mortis eius, quam ſeſsionis ad dexteram patris.

Nec alia cauſa inſtitutum olim fuit, vt ante cõſecrationem populus alta voce admoneretur habere ſurſum corda. Caluinus.

Reſponſio. Populus ante cõſecrationem admonetur vt cor ſurſum habeat, ſed ad Dominum, & ſtatim additur, Benedictus qui venit in nomine Domini Oſanna in excelſis, vbi admonetur à Domino aduenturo in altiſsimis & excelſis donis ſpiritus ſaluari. Et cor ſurſum erigimus, quãdo Dominum pro nobis mortuum meditamur, cuius memoriale eſt hoc ſacramentum. Nam B. Auguſtinus tractans locum Apoſtoli, Quæ ſurſum ſunt quærite, Hortatur, inquit, Apoſtolus, nõ quæ ſurſum ſunt loco, ſed excellentia & dignitate quærere. (Libr. 83. quæſt. 29.) De quo & B. Bernardus in fine libri de præcepto & diſpenſatione.

Quid enim eſt idolatria ſi hoc nõ eſt dona pro datore ipſo colere? Vbi dupliciter peccatum eſt. Nam & honor Deo raptus ad creaturam traductus eſt, & ipſe etiam in polluto ac prophanato ſuo beneficio inhonoratus, dum ex ſancto eius ſacramento, factum eſt execrabile idolũ. Nos econuerſo ne in eandem incidamus foueam, aures, oculos, corda, mentes, linguas penitus defigamus in ſacra Dei doctrina. Eſt enim ea ſpiritus ſancti optimi magiſtri ſchola in qua ſic proficitur, vt nihil ſit aliundè aſciſcendum, ignorandũ verè libenter quicquid in ea non docetur. Caluinus.

Reſponſio. Sacramentarius eſt Ioannes Caluinus, qui nec Chriſtum, nec eius corpus & ſanguinem ſubſtantialiter credit adeſſe in ſacramento. Quare nihil mirandum quòd hanc ſcribat blaſphemiam, & iudicet idolatras eſſe, qui Chriſtum in ſacra Euchariſtia adorant. Non enim vt ipſe fingit & calumniatur, dona Dei in ea colimus, ſed Chriſtum ipſum omnium bonorum datorem: non creaturam, ſed omnium creaturarum creatorem. Magis mirandum de iis qui cum Chriſtum ſubſtantialiter in Euchariſtia eſſe doceant, eum hic non adorant. Nos credimus verbo Chriſti qui dixit, Hoc eſt corpus meum: Et, Hic eſt ſanguis meus, & ideo ipſum colimus, & ipſi ſoli in Euchariſtia ſeruimus, ſicut eũ in ſtabulo coluerunt Magi, & ei ſemper ſeruiunt in cælis beati ſpiritus. Ex hoc errore nec Ioannes Caluinus, nec alij qui ſolo vſu ſacramenti, corpus & ſanguinẽ Chriſti adeſſe putant, patiuntur ſacram Euchariſtiam circumferri, cum Chriſtus in ea adorari non poſsit. Diximus autem multas eſſe iuſtiſsimas cauſas, ob quas eam in proceſsionibus circumferri cõuenit, ſicut in Miſſa eleuatur & oſtẽditur.

Sanctè

Sanctè enim & cum magno fructu circumfertur, vt patri ſuo præſentetur (ſicut in cælo ſe ſemper vultui patris pro nobis præſentat ad interpellandum perpetuò pro nobis) vt propter filium ſuũ noſtri miſereatur: deinde, vt in nobis renouetur mortis quã pro nobis ſuſtinuit memoria: item, vt eum oremus quòd noſtri miſereatur, & nobis det pacem, id quod ab ipſo qui eſt verè agnus Dei ꝓ nobis immolatus, in Miſſa petimus. Quia autem hæc omnia Ioannes Oecolampadius ad euertendum hoc ſacroſanctum ſacramentum obijcit & proponit in peſtilentiſsimo ſuo libello quem inſcribit de genuina verborum domini, Hoc eſt corpus meum, expoſitione, & pleniſsimè ei reſpondet Chriſti martyr reuerendiſs. Epiſcopus Roffenſis, ad quem lectorem remittimus, potiſsimũ libr. 1. cap. 19. & 20. & lib. 3. cap. 4. & 5. ideò à prolixiore tractatione argumentorum, quæ ſacro ſanctæ Euchariſtiæ hoſtes & aduerſarij obijciunt, ſuperſedemus. Eorum etiam obiectionibus diligenter reſpondent ſuperius nominati Epiſcopi Tonſtallus & VVintonienſ. & Albanus Archidiaconus angeli. Item Thomas VValdenſ. tomo de ſacramentis. In confirmationem tamen eorum quæ diximus de adoratione & circũlatione ſacræ Euchariſtiæ adducam doctrinam Concilij Tridentini aduerſus errores huius noſtri ſeculi, de cultu & veneratione ſanctiſsimi huius ſacramenti, quod poſt definitionem de cõuerſione totius ſubſtantiæ panis, in ſubſtantiam corporis Chriſti, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem ſic habet. Nullus itaq; dubitandi locus relinquitur, quin omnes Chriſti fideles more in Catholica Eccleſia ſemper recepto latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic ſanctiſsimo ſacramẽto in veneratione adhibeant. *Cap. 5.* Neque enim ideo minus eſt adorandum, quod fuerit à Chriſto Domino vt ſumatur inſtitutũ. Nam illum eundem Deũ præſentem in eo adeſſe credimus, quem pater æternus introducens in orbem terrarum dicit, Et adorent eum omnes angeli eius, & quem Magi procidẽtes adorauerunt, quem denique in Galilæa ab Apoſtolis adoratum fuiſſe teſtatur. Declarat præterea ſancta Synodus piè ac religioſè admodũ in Dei Eccleſia inductum fuiſſe hunc morem, vt ſingulis annis peculiari quodam & feſto die præcelſum hoc & venerabile ſacramentum ſingulari veneratione ac ſolẽnitate celebraretur, atque in proceſsionibus reuerẽter & honorificè illud per vias & loca publica circumferretur. Aequiſsimum eſt enim ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, cùm Chriſtiani omnes ſingulari ac rata quadam ſignificatione gratos & memores teſtentur animos, erga communem Dominũ & redemptorem, pro tam ineffabili & planè diuino beneficio, cũ mortis eius victoria & triumphus repræſentatur: ac ſic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & hæreſi triumphum agere, vt eius aduerſarij in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta vniuerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati & fracti tabeſcant, vel pudore affecti & confuſi aliquando reſipiſcant. Et in Canone eiuſdem concilij dicitur Anathema aduerſus aliud docentes. Habet enim. *Canon. 6.* Si quis dixerit in ſancto Euchariſtiæ ſacramento Chriſtum vnigenitum Dei filium nõ eſſe cultu latriæ etiã externo adorandum, atq; ideo nec feſtiua peculiari celebritate venerãdum, neque in proceſsionibus ſecundum laudabilem & vniuerſalem Eccleſiæ ſanctæ ritum & conſuetudinem, ſolenniter circumgeſtandum, vel non publicè vt adoretur populo proponendum, & eius adoratores eſſe idololatras, Anathema ſit.

Finis Articuli Decimi quarti.

ARTICVLVS DECIMVS QVINTVS.

Non eſt laicis neceſſaria ad ſalutem communio ſub vtraq; ſpecie, iuſtiſq; de cauſis ab Eccleſia ſancitum eſt, vt illis ſub vna tantùm panis ſpecie Sacramentum communicetur, in quo carnem & ſanguinem, atque ita totum Chriſtum ſub vna ſpecie ſumunt.

SI Laicis ad ſalutem neceſſaria eſſet cõmunio ſub vtraque ſpecie, neceſsitas huiuſmodi communionis naſceretur ab effectu ſacræ Euchariſtiç ſub vtraque ſpecie, vel ex Chriſti præcepto, aut inſtitutione, vel ex eius facto aut exẽplo. Ab effectu autem huiuſmodi communionis, nulla eius naſcitur neceſsitas, quomodo paruulis ad ſalutẽ neceſſarius eſt baptiſmus. Nam ſaluos nos facit *Titum 3.* Dominus per lauacrũ regenerationis & renouationis ſpiritus ſancti, quem effudit in nos abundè, vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundũ ſpem vitæ æternæ. Et, qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. *Marc. vlt.* Quòd ſi dicatur, Baptiſmus & regeneratio ꝑ ſe quidẽ ſaluant, & ſufficiũt continuò tranſituris, vt dicit de Confirmatione Melciades papa, non autem ad prælia huius mundi reſeruandis, quos armat & inſtruit Confirmatio: *In epiſt. ad Hiſpaniarũ Epiſcopos.* Ita ſ. Euchariſtia diu victuris quaſi verus animæ cibus & potus, ſine quibus vita conſiſtere non poteſt, eſt neceſſaria, ſicut non diu ſubſiſtere poteſt ſine cibo & potu vita corporalis: Propter quod Dominus Saluator, Niſi manducaueritis, inquit, carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, nõ habebitis vitam in vobis. Cui reſpondetur, quod Chriſtus, qui ſub vtraque ſpecie totus in ſacra Euchariſtia ſumitur, vt cibus eſt ita & potus: & ſitim æquè atque famem ſedat, & abundè ſufficit ad vitam animæ. Ipſe enim ait, Ego ſum panis vitæ, qui venit ad me, nõ eſuriet, &

riet,& qui credit in me,non ſitiet in ęternū. Ego ſum panis viuus qui de cęlo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis quem ego dabo caro mea eſt,quam dabo pro mundi vita. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Eundem itaque effectum & refectionem ſumptus hic panis in anima operatur, quē ſanguis Chriſti ſi ſimul biberetur efficeret. Idem namque re ipſa eſt animam eſurire & ſitire, idem eſt & cibus ſpiritualis & potus. Ait enim Saluator, Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam. Item Sapiēs in perſona ſapientiæ, Qui edūt me adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient. In me gratia omnis vitæ & veritatis, in me omnis ſpes vitæ & virtutis. Et ideo B. Auguſtinus circa verbum Saluatoris, Qui venit ad me,non eſuriet,& qui credit in me nō ſitiet. Qui venit ad me hoc eſt quod ait, Et qui credit in me. Et quod dixit, Non eſuriet, hoc intelligendum eſt, & nō ſitiet vnquam. Vtroque illo ſignificatur illa æterna ſatietas, vbi nulla eſt egeſtas. Et patres veteris teſtamenti ſine hoc ſacramento viuebant & Deo placebant. Iuſtus enim ex fide viuit, & fide Deo placebant vniuerſi, de quibus Apoſtolus Paulus in epiſtola ad Hebr. Hoc igitur ſacramentum, ex effectu, non eſt ſimpliciter ad ſalutem neceſſarium, ſicut nec baptiſmus niſi paruulis. Non igitur hac ratione laicis neceſſaria eſt communio ſub vtraq; ſpecie, immò nec ſub altera. Nec vllum eſt præceptum Euangelij de huiuſmodi communione. Nam in huius ſacramēti inſtitutione nec apud beatū Paulum, nec apud Euangeliſtas Chriſtus poſt inſtitutionem meminit vſus ſacramenti, qui in manducando & bibendo conſiſtit. Conſecrat quidem iſtud ſacramentum ſub vtraq; ſpecie, materiam & formam eius ordinat, & ſub vtraque ſpecie Apoſtolis diſpenſat, dicēs, Accipite & manducate, Accipite & bibite ex hoc omnes. Sed poſt inſtitutionem quam fecit dicendo, Hoc facite in meam commemorationem, nullum præceptum, imò nulla communionis fit mētio. Et Apoſtolis ſolis qui in menſa erant præſentes locutus eſt & dixit, Accipite, manducate & bibite. Addit enim ſtatim eos quibus loquebatur ab alijs veluti diſtinguens, Qui pro vobis & pro multis effundetur. Et dicēs, Hoc facite, &c. in ſuæ mortis memoriam ſacramentum & ſacrificium inſtituit vſque ad ſeculi conſummationem in Eccleſia frequētandum, vt diximus ex Chryſoſt. & Damaſc. ſed non vſum præcepit. Dixit enim Deus in principio, inquit Damaſcenus, Producat terra herbam virentem, & vſque nunc pluuia facta producit germina, diuino adiuta & vigorata præcepto. Itaque dixit Chriſtus, Hoc eſt corpus meum: & hic meus eſt ſanguis: hoc facite in meam commemorationem, & omnipotenti eius præcepto donec veniat efficitur. Nam conſecrando fecit quidem ex pane & vino corpus & ſanguinem ſuum, & ſacrificauit, non autem hoc faciendo propriè ſacramentum vel ſacrificium perpetuò duraturum inſtituit, ſed dicendo, Hoc facite in meam commemorationem. Niſi enim hoc addidiſſet quod Apoſtolus interpretatur, Donec veniam, non haberet eccleſia ſacroſanctum iſtud ſacramentum atque ſacrificium, nec in ea eſſet ipſum conſecrandi & offerendi poteſtas. Nam ſacramenti inſtitutio requirit diuinam ordinationem de ipſo adminiſtrando & conficiendo, tempore futuro. Hæc igitur verba. Hoc facite, & cætera, non diſponunt de huius ſacramenti eſu vel potu, vel modo vtendi, conſecrandi, vel diſtribuendi, ſed ſolum de eius ſubſtantia & miniſtro. Facta eſt autem eius inſtitutio ſub vtraque ſpecie, vt expreſsior ſit repræſentio mortis Chriſti, & quia in hoc ſacramento perfecta ſignificatur refectio animæ, cibi & potus habens efficaciam. Nam ſpecies panis ſolum ſignificant corpus pro nobis in cruce oblatum, cùm iam eſſet exangue, & ſpecies vini, ſanguinem effuſum, & quaſi à corpore ſeparatum. Quapropter non eſt perfecta oblatio ſacramentalis quæ mortis Chriſti imaginem plenè referat, niſi fiat ſub vtraque ſpecie. Sed non eſt facta ſub vtraque ſpecie inſtitutio, vt Chriſti fideles eo vterentur, corpus ſub ſpecie panis edendo, & ſanguinem ſub ſpecie vini bibendo, quod & ipſa Domini verba teſtantur, Hoc facite in meam commemorationem. Hoc ipſum ſcilicet, vt ſæpe diximus, quod ego feci: Chriſtus ipſe eſt, inquit Chryſoſtomus, qui propoſita de conſecratione menſæ Domini corpus ſuum facit & ſanguinem, & nūc ſacerdotes ore proferuntur eadē verba, Hoc eſt corpus meum, & Dei virtute conſecrantur. Hoc autem diſcriminis eſt, quod Chriſtus ſua virtute, nos autē eius virtute & gratia. Et ideo Cyprianus interpretatur, Hoc facite, ſacrificate & offerte. Nam ſi Ieſus Chriſtus ſummus ſacerdos Dei patris, inquit, & ſacrificium Deo patri primus obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem iuſsit, vtiq; ille ſacerdos vice Dei fungitur, qui id quod Chriſtus fecit imitatur, & ſacrificiū verum & plenum tunc offert in Eccleſia Deo patri, ſi ſic incipiat offerre ſecundum quod ipſum Chriſtū videt obtuliſſe. Eſt igitur ſacra Euchariſtia inſtituta ac data nobis, vt habeam' ſacrificium quo ſimus memores victimæ & oblationis factæ in cruce, cuius, ſecundum Apoſtolum, ipſum eſt memoriale: Nulla autem fit hic diſpoſitio de edendo corpore & bibendo ſanguine. Nam, vt diximus, facere, diſtinguitur hic contra ſacramenti vſum, dū ait Apoſtolus, Hoc facite quotieſcunque bibetis in meam commemorationem, ſicut panes propoſitionis parabātur in oblationem in menſa Domini, & agnus paſchalis ad immolationem, & poſtea panes oblati atq; agnus immolatus manducabātur: Hoc ordine & forma ſacram Euchariſtiā cedere in vſum fidelium teſtatur Apoſt. Paulus, comparans participationem corporis & ſanguinis Domini de menſa eius, cum his quæ ſecundum legem immolabantur, & immolata fuerant idolis,

Eccleſ. 24. *Cap. 11.* *Lib. 4. c. 14.* *De proditione Iudæ.* *Epiſt. ad Cæcilium.* *1. Cor. 10.*

idolis, Nolo, inquit, vos ſocios fieri dæmoniorum, quia non poteſtis calicem Domini bibere,& calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe & menſæ dæmoniorum. De quo plura docebit articulus ſequens. Et concorditer hoc ſcribunt patres, quòd primaria ratio inſtitutionis ſacræ Euchariſtiæ ea eſt,vt ſacrificiũ haberemus ꝙ Deo patri offeratur. Quod autem cibus ſit & potus, hoc eſt corpus edatur, & ſanguinem bibamus, finis eſt inſtitutionis ſequens alterum primarium. Nam ſacrificium oblatum, tempore legis in vſum cedebat ſacerdotis, & aliquando etiã offerentium, & legis erat diſpoſitio,quę pars in vſum ſacerdotis cederet & miniſtrorũ, quæ in vſum offerentium. Sanguis ſemper effundebatur, & in nullius vſum veniebat. Nam lege prohibitus erat eſus ſanguinis, nec vnquam liquida veniebãt in aliorum quàm ipſorum miniſtrorum vſum: Similiter hic dicendum de ſacra Euchariſtia, quòd priùs oblata ex Chriſti inſtitutione in aliorum, ſacerdotis ſcilicet & aſſiſtentium vſum venit. Sed quid in ſacerdotis,quid in aliorum veniat vſum,nihil Chriſtus definiuit, quod tamẽ in lege Moyſi ipſe præſcripſit. Et ideo hoc liberum reliquit & diſponendum arbitrio & prudentiæ paſtorum,quos menſæ ſuæ præpoſuit, ſicut etiam eis reliquit,quo tempore,quo loco, in pane azymo aut fermentato, quibus item ritibus miniſtretur & cõſecretur: Quemadmodum tempore legis Moyſi fuiſſet hoc per ſacerdotes diſponendum, niſi per legem Deus iſta ordinaſſet. Et eo tempore offerentes edere poterant partem oblationis ſibi lege diſpoſitam,non tamen tenebantur,imò nec poterant, ſi immunditia aliqua, vel alia cauſa legitima impediuiſſet. Hic autem quia nihil à Chriſto (vt diximus) diſpoſitũ eſt,qua parte ſacramenti vti debeat ſacerdos, & qua aſſiſtentes, an ſacramento corporis ſub ſpecie panis, an potius ſacramento ſanguinis ſub ſpecie vini, an ſub vtraque ſpecie. Idem hæc omnia libera relicta ſunt diſponenda pro varia temporum, locorum, ac perſonarum conditione. Non enim hæc circumſtantiarum diuerſitas vniformẽ patitur ſacramenti diſpenſationem & vſum. Præpoſiti autem Eccleſiæ conſiderare debent, quid requirat honor Dei, reuerẽtia huius SS. ſacramẽti & fideliũ in virtutibus ędificatio. Nam tempore legis aliæ erant ordinationes de offerendis ſacrificijs,aliæ de iiſdem vtendis. Quam doctrinã tradit B. Auguſtinus interrogatus à Ianuario, Quidam enim eo tempore vrgebant, vt poſt cœnam offerretur ſacrificium Euchariſtię,& exemplo Chriſti cœnatis diſpenſaretur.

Epiſt. 18. ad Ianuarium.

Ait itaque Aug. Non ideo putari debet inſtitutum eſſe multis locis vt illo die poſt refectionem offerretur, quia ſcriptum eſt, Calicem accipiens poſt cœnam, dicens, &c. Ipſam enim appellare potuit cœnam, qui iam corpus acceperãt, vt deinde calicem acciperent. Apoſtolus namque alibi dicit,

1. Cor. 12.

Conuenientibus vobis in vnum non eſt Dominicam cœnam manducare: Hanc ipſam acceptionem Euchariſtiæ Dominicam cœnam vocans. Illud magis mouere potuit homines, vtrum iam refecti die illa vel offerrent vel ſumerent Euchariſtiam,quòd in euangelio dicitur, Cùm autem illi manducarent, accepit Ieſus panem & benedixit,cùm etiã ſuperius dixiſſet,Cùm ſero factum eſſet recumbebat cum duodecim,& manducantibus eis dixit,quoniam vnus ex vobis me tradet. Poſt enim tradidit ſacramentum. Et liquido apparet, quoniam primum acceperũt diſcipuli corpus & ſanguinem Domini,non eos accepiſſe ieiunos. Nũquid propterea calumniandum eſt vniuerſæ Eccleſiæ, quòd à ieiunis ſemper accipitur? Ex hoc enim placuit ſpiritui ſancto, vt in honorem tanti ſacramenti,in os Chriſtiani prius dominicum corpus intraret,quàm exteri cibi. Nam ideo per vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur. Neque enim q̃a poſt cibos dedit Dominus, propterea pranſi aut cœnati fratres ad illud ſacramentũ conuenire debent, aut ſicut faciebant quos Apoſtolus arguit & emẽdat, menſis ſuis iſta miſcere. Nam Saluator quò vehementius commendaret myſterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit cordibus & memoriæ diſcipulorũ inſculpere, à quibus per paſsionem digreſſurus erat. Et ideo non præcepit quo deinceps ordine ſumeretur, vt Apoſtolis per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, hunc locum ſeruaret. Nam ſi hoc ille monuiſſet vt poſt cibos alios ſemp acciperetur, credo quòd nemo morem illum variaſſet. Cùm verò ait Apoſtolus, de hoc ſacramento loquens, propter quod fratres cùm conuenitis ad manducandum inuicem expectate. Si quis eſurit, domi manducet, vt non ad iudicium conueniatis: ſtatim ſubtexuit dicens, Cætera cùm venero ordinabo. Vnde intelligi datur (quia multum erat vt in epiſtola totum illum agẽdi ordinem inſinuaret, quem vniuerſa per orbem ſeruat Eccleſia, ab ipſo ordinatum eſſe) quod nulla morum diuerſitate variatur. Quod autem hic dicit beatus Auguſtinus quòd ex ordinatione Apoſtoli & obſeruatione totius eccleſiæ à ieiunis ritè ſumatur ſacra Euchariſtia, quamuis apoſtoli non ieiuni à Chriſto acceperint, quia de eo nihil diſpoſuerat Dominus, idem docẽdum eſt de vniuerſis circumſtantijs, loco, tempore, cæteriſq́ue qualitatibus perſonarũ communicantiũ & conſecrantium de vtraq; ſpecie, vel altera tantùm, de azymo pane & fermẽtato, de quibus Chriſtus nihil diſpoſuit: ſed præpoſitorum per quos ſuam gubernat Eccleſiam reliquit arbitrio atq; iudicio. Nec ideo calumniandum quòd Eccleſia nunc variat ab ea forma diſpenſationis quam ſeruauit Chriſtus in nouiſsima cœna apud Apoſtolos, quam nec ipſe, nec Apoſtoli ſemper ſeruauerunt. Ex inſtitutione igitur huius ſacramẽti nulla eſt neceſsitas ſub vtraque ſpecie communicandi, nec Chriſti exemplum in iſto imitari oportet, quia de ſumptione ſacramenti vel ſub vna, vel ſub vtraque ſpecie ni-

cie ni-

cie nihil diſpoſuit, & ſpeciales habebat cau- *Loco vt ſupra.* ſas, vt docet Auguſtinus, ob quas ſub vtraque ſpecie poſt cœnam & non ieiunis ſacramentum iſtud miniſtrauit: Inter quas vna eſt, quòd eos iam menſæ huius creabat præpoſitos, quos diſcere conueniebat quomodo ipſi menſam hãc præpararent & diſpenſarent. Item quia ſingulare dilectionis argumentum eis exhibere voluit, ſanguine ſuo & carne eos paſcebat. Certũ namq; eſt, multas fuiſſe huius diſpenſationis circunſtantias, quę poſtea in Eccleſia catholica ab Apoſtolorum temporibus nunquam fuerunt obſeruatæ Nam poſt lotionem pedum & cœnam agni paſchalis diuiſit & fregit panem, & azymum panem, hunc in patina exhibuit, & in calice ſanguinem, quæ in Eccleſia non fuerunt ſeruata. Chriſtus itaque in duabus ſpeciebus ſacram inſtituit Euchariſtiam, & ſic etiam diſpenſauit, ſed non iuſsit vt ſic omnibus traderetur, nec quando inſtituit, ſicut ex verbis cœnæ dominicæ oſtendimus, nec in Euangelio Ioannis. Nam totum cap. Ioan. 6. & ſententia, Niſi mãducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, & cæ. ſimpliciter & abſolutè loquuntur de eſu carnis & potu ſanguinis, nulla panis triticei aut vini facta mẽtione. Quòd autem Dominus in genere & indeterminatè loquitur, non eſt noſtrum reſtringere ad mãducationem ſpiritualem tantum, nec determinare ad ſacramentalem. Et ideo hoc caput intelligendum eſt, vt vtranq; manducationẽ & potationem complectatur, ſed quò perfectius manducamus & bibimus, eò conſummatior eſt huius cibi atque potus operatio: Sumuntur autem hæc perfectiſsimè, quando fide per dilectionem operante vera & reali præſentia corporis & ſanguinis ſacra ſuſcipitur Euchariſtia. Sed quia veteres ſpectant plenam & perfectam carnis domini manducationem, & ſanguinis potum, accommodant verba Saluatoris maximè ab eo loco, Panis quem ego dabo caro mea eſt, & cætera, ad manducationem & potum ſacramentalem, modò tamen fiant ex fide per dilectionem operante. Aperte enim teſtantur Chryſoſtomus & Cyrillus, quòd per venas noſtras ſanguis Chriſti diffunditur. Cùm igitur libertas cõmunicandi vel ſub vtraque vel ſub altera tantùm ſpecie, tam ſub ſpecie vini quàm panis, relicta ſit Eccleſiæ, ipſa pro temporum & neceſsitatum ratione & oportunitate vſa eſt hac ſibi data libertate, ſicut & Apoſtoli, & deinde Eccleſiarum prępoſiti, ex- *1. Cor. 11.* emplo Apoſtoli Pauli (qui multa de ſacra *Luca vlt.* Euchariſtia apud Corinthios ordinauit, & *Lib. 3. de cõſenſu Euangeliſtarũ ca. 15.* alias ſe diſpoſiturum pollicetur, dum ait, Cætera cùm venero diſponam) ſibi conceſſam vſurparunt in hac re poteſtatẽ, ſicut docet Auguſt. epiſtola ad Ianuarium: Vnde valde varius fuit vſus huius ſacramenti in Eccleſia. Nam & Chriſtus dominus duobus diſcipulis in Emaus corp⁹ ſuum dedit ſub ſpecie panis tantùm. Poſt porrectum enim panem ſtatim ob oculis eorum euanuit: De quo Auguſtinus, Non incongruenter, inquit, accipimus hoc impedimentum in oculis duorum diſcipulorum a Sathana factum fuiſſe ne agnoſceretur Ieſus, & à Chriſto facta eſt permiſsio vſque ad ſacramentum panis, vt vnitate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimentũ inimici. Et Theophylact. Inſinuatur quòd oculi eorũ *In caput vltimũ Lucæ.* qui benedictũ panem accipiunt, aperiuntur vt cognoſcant illum: Magnam enim & indicibilem vim habet caro domini. Item Chryſoſt. Quod ſacerdos, inquit, de manu ſua *Homil 17. in opere imperfecto.* dat, non ſolùm ſanctificatum eſt, ſed etiam ſanctificatio eſt, quoniam non ſolùm hoc datur quod videtur, ſed etiam illud quod intelligitur. De ſanctificato ergo pane licet & animalibus iactare & dare infidelibus, quia non ſanctificat accipientem. Si autem tale eſſet quod de manu ſacerdotis accipitur, quale eſt quod de menſa manducatur, omnes de menſa manducarẽt, & nemo de manu ſacerdotis acciperet. Vnde & Dominus in vita non ſolum benedixit panẽ, ſed de manu ſua dedit Cleophæ, & ſocio eius. Et Paulus nauigans non ſolũ benedixit, ſed de manu ſua porrexit Lucæ & cæteris diſcipulis ſuis. Quod autem de manu porrigitur, nec animalibus dandum eſt, nec infidelibus porrigendum, quia non ſolum ſanctificatum, ſed etiã ſanctificatio eſt, & ſanctificat accipientem. Hoc domini ſui exemplum ſecuti Apoſtoli in Eccleſia Hieroſolymitana, tãtùm ſub ſpecie panis ſacram Euchariſtiam diſcipulis diſpenſabant. Perſeuerabant enim diſcipuli in communicatione & fractione panis, nulla facta mentione vini. Et Paulus panem benedictum Lucæ & cæteris diſcipulis diſtribuẽs non meminit ſpeciei vini. Docuit nos quoq; ipſemet dominus panem noſtrum ſuperſubſtãtialem, quẽ Cyprianus corpus domini interpretatur, à patre cæleſti petere. Et B. Hieron. ſcribit quòd dominus apparuit Iacobo qui appellatur frater domini, quodq; tulit panẽ, benedixit ac fregit, & dedit Iacobo iu- *Serm. de oratione dominica.* ſto, dixit, Frater mi comede panem tuum, quia reſurrexit filius hominis. Item in Euangelijs narratur dominum dixiſſe, Hoc facite in meam commemorationem, poſt cor- *In epiſt. ad Ephes.* pus ſuum diſcipulis diſtributum. Et Paulus ſimpliciter, ſicut etiam Euangelia, refert do- *Epiſt 180.* minum hoc tantum de corpore dixiſſe: de ſanguine autem ſupplet quod Euangelia non habent, Hoc facite quotieſcunque bibetis in meam cõmemorationem, non ſimpliciter ſicut de corpore. Et ſanctus Ignati⁹ qui fuit Apoſtolorum temporibus, & B. Auguſtinus ad Honoratum, ſolum de corporis communione loquuntur. Ait enim Auguſtinus de fuga Epiſcoporum tempore perſecutionis. Veniet, inquit, lupus, non homo, ſed diabolus qui plerumque fideles apoſtatas eſſe perſuaſit, quibus quotidianum miniſteriũ dominici corporis defuit, & peribit infirmus propter quẽ Chriſtus mortuus eſt: Similiter Ambroſius libro de Sacramẽtis potiſsimum loquitur de corporis cõmunione.

Item in Concilio Nicæno. Hoc neque regula, neque cōſuetudo tradidit, vt hi qui offerendi ſacrificij non habent poteſtatem, his qui offerūt corpus Chriſti porrigant. Et veterum Conciliorum Canones frequenter meminerunt communionis laicæ. Et Beatus Cyprianus ſcribit Trophimum Epiſcopum receptum eſſe, ſed vt tanquam laicus communicet, & non vſurpet locum ſacerdotis. Et antiquiſsima eſt conſuetudo Eccleſiæ, q̀ infirmis ſub altera tantùm ſpecie ſacramentum hoc fuerit miniſtratum, regulariter ſub ſpecie panis, & quando per oris ſiccitatem ſpeciem panis deglutire non poterant, ſub ſola vini ſpecie ſanguis miniſtrabatur, vt patet ex Concilio Toletano 11. Si quis, inquit, acceptam à ſacerdote Euchariſtiam nō ſumpſerit, velut ſacrileg⁹ propellatur. Solet humanæ naturæ infirmitas in ipſo mortis exitu prægrauata, tātò ſiccitatis pondere deprimi, vt nullis ciborum illationib⁹ refici, ſed vix tantundē illati delectetur poculi gratia ſuſtentari: Quod etiam in multorum exitu vidimus, qui optatum ſuis votis ſacræ cōmunionis expetentes viaticum, collatā ſibi à ſacerdote Euchariſtiam reiecerunt, non quod infidelitate hæc agerent, ſed quod præter dominici calicis hauſtum traditam ſibi non poſſent Euchariſtiam deglutire. Idem narrat Euſebius de Serapione, quod per puerū ſacerdos aliquid miſerat Euchariſtiæ quod ori eius infundebatur. Refert enim ex epiſtola Beati Dionyſij Alexandrini, quòd preſbyter qui ob infirmitatē venire nō poterat, parum Euchariſtiæ puero qui ad ſe venerat dedit, quod infuſum iuſsit ſeni præberi. Iudicabant enim illi patres neminem ſine ſua culpa ſacra fraudandum eſſe eucharistia. Et ſi per infirmitatem corpus Domini ſumere non poterant, miniſtrabant ſanguinem domini ſub ſpecie vini, in hoc vtentes libertate Eccleſiæ relicta, & ſibi conceſſa poteſtate in ijs de quibus nihil diſpoſuit dominus. Et B. Gregorius ſcribit quòd papæ Agapito in Græciam proficiſcenti oblatus ſit mutus & claudus, qui celebrata miſſa, peractoque ſacrificio coram omni populo ei dedit corpus dominicum, quod ori eius impoſuit, & ille ſtatim loqui cœpit, Vbi rurſus calicis Gregorius non meminit. Item in Concilio Remēſi vetitum eſt, ne laici deferant corpus Chriſti ad infirmos. Iterum in Concilio VVormacien. præcipitur omnib. parochis, vt ſemper in prōptu habeant corpus Chriſti pro infirmis. Præterea hiſtoriam de Satyro fratre B. Ambroſij, quem corpus domini ſecum in naui habuiſſe, quæ naufragium paſſa eſt, teſtatur idem Amb. Ex quo ſimul & ex ſermone Cypriani de lapſis videtur, quod illis tēporibus ſanguinem domini ex calice omnes bibebant, & quòd corpus domini eis in manus dabatur, vt vel ſtatim ſumerēt, vel ſecū portarent domum, ibiq; ſumerent, ita vt per temporum interualla, biberēt ex calice domini, & corpus domini manducarent. Teſtimonia autem cōmunionis ſub vtraq; ſpecie multa ſunt & ea certiſsima. Nā Apoſt. Paul. teſtatur Corinth. ſub vtraq; ſpecie cōmunicaſſe. Et longiſsima conſuetudine hunc morem in Eccleſijs Apoſtolicis fuiſſe obſeruatū in Affrica, in Aſia, & Romæ teſtantur Dionyſius Areop. Tertul. Cyprian. Hierony. Ambroſ. & Auguſt. Ait namq; Cyprian. Quomodo docemus aut prouocamus eos in confeſsione nominis Chriſti ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinē denegamus? aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, ſi non eos ad bibendū prius in Eccleſia poculum domini iure communicationis admittimus? Quos enim excitauimus & adhortamur ad præliū, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione corporis & ſanguinis Chriſti muniamus, cū ad hæc fiat Euchariſtia, vt poſsit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra aduerſarium volumus. Et beatus Hieronymus, Sacerdotes, inquit, qui Euchariſtiæ ſeruiunt, & ſanguinē domini populis diuidunt, &cęt. Item S. Laurentius ad Sixtum pontificem, cùm is iam ad ſuppliciū duceretur, exclamauit, Quo ſacerdos ſine leuita properas? Experire certò vtrū idoneum miniſtrū elegeris, cui cōmiſiſti dominici ſanguinis diſpenſationem. Et b. Amb. vt refert Theodoretus aduerſus Theodoſiū Imperatorem expoſtulans, quem propter immēſam crudelitatem quam Theſſalonicæ exercuerat, excommunicauerat, Quibus, inquit, oculis aſpicies communis domini templum? quibus calcabis pedibus ſanctum illud pauimentū? quomodo manus extendes, de quibus ſanguis adhuc ſtillat iniuſtus? quomodo huiuſmodi manibus ſuſcipies ſanctum domini corpus? qua temeritate ore tuo poculum ſanguinis precioſi percipies, quando furore verborum tuorum iniuſtè eſt ſanguis effuſus? Et b. Leo huius nominis primus, in quodā Decreto & Sermone præcepit, vt communio nō fiat ſub ſpecie panis tantum, propter hæreſim Manichæorū, & aliorum qui docebant Chriſtum aſſumpſiſſe corpus phantaſticum ſine ſanguine: ob quam cauſam contendebāt Euchariſtiam ſine ſanguine eſſe ſumēdam. Ex quo Leonis decreto ſatis conuincitur, in S. Romana Eccleſia prius fuiſſe conſuetudinem ſub vna tantum ſpecie cōmunionis laicorū, ſed eam tunc ſublatam, & inoleuiſſe conſuetudinem communicādi ſub vtraque ſpecie, quæ permanſit atque durauit vſq; ad tempora B. Gregorij, ita vt quod Gelaſius papa qui Leoni ſucceſsit, dicit ſacrilegium eſſe à calice ſacrati cruoris abſtinere poſt ſumptam corporis ſacri portionem, ad quoſlibet etiā Chriſtianos referri poſsit, quando iuſta ex cauſa hoc fuerat præceptum. Ait enim, Comperimus quòd quidam ſumpta tātummodo corporis ſacri portione, à calice ſacrati cruoris abſtineant, qui proculdubio (quoniā neſcio qua ſuperſtitione doceantur aſtringi) aut integra ſacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diuiſio vnius eiuſdem myſterij ſine grandi ſacrilegio non poteſt proue-

Marginalia: *Sardinē. c. 1. Agathē. ca. 50. Epiſt. ad Antonianū quæ eſt 2. li. 4.* — *Lib. 4. hiſto. Eccle. ca. 34.* — *Lib. 3. Dial. cap. 1.* — *De cōſecrat. diſ. 2 c. Peruenit. c. Presbyter.* — *1. Corint. 11.* — *Epiſt. 2. li. 1.* — *In cōment. Sophoniæ. 3.* — *Hiſt. tripart. li. 9. cap. 30.* — *Serm. 4. de quadrageſi.* — *Epiſt. ad Maioricū et Ioannem epiſcopos.* — *De cōſecrat. diſtin 2.*

prouenire. Et beatus Gregorius ſic populũ alloquitur, Quid ſit ſanguis agni non iam audiendo ſed bibẽdo didiciſtis, qui ſanguis ſuper vtrumque poſtem ponitur, quando nõ ſolum ore corporis, ſed etiam ore cordis hauritur. Atque hæc communicandi cõſuetudo in quibuſdam Eccleſijs durauit vſque ad tempora B. Thomæ, qui dicit, Proinde in quibuſdam Eccleſijs obſeruatur, vt populo ſanguis ſumendus non detur, ſed ſolum à ſacerdote ſumatur. Veriſimile tamen eſt, quòd nunquam vniuerſalis in tota Eccleſia fuerit iſta ſub vtraque ſpecie communionis conſuetudo, imò quidam prohibiliter opinantur, quòd vſus vtriuſque ſpeciei ſolũ vſurpatus fuerit in ſolẽnibus conuentibus, qui celebrati ſunt exemplo & imitatione cœnæ dominicæ, hoc eſt, maximè in tribus feſtiuitatibus ſolennioribus, Paſchæ, Pẽthecoſtes, & Natiuitatis domini, quibus communiter totus populus Chriſtianus communicabat: aliter autem fuiſſe obſeruatũ in priuata cõmunione, & apud infirmos, quos tamen ex probatis hiſtorijs cõſtat ſub vtraque ſpecie aliquando ſacram accepiſſe communionem. Magna hæc in communicando ſub vna & ſub vtraq; ſpecie diuerſitas in diuerſis Prouincijs & temporibus etiam Apoſtolorum, certũ eſt argumentum, nihil de hac re diſpoſitum eſſe à Domino aut ordinatum. Si enim ſub vtraque ſpecie communicandum ordinaſſet, eum morem nemo variaſſet, vt dicit Beatus Auguſtinus de Euchariſtia à ieiunis accipienda. Neque etiam conueniebat, quòd per ipſum de eo aliquid ſtatueretur, vt videlicet ſub vtraq; ſumeretur, vel ſub altera tãtùm: item ſub ſpecie corporis tantùm, aut ſanguinis tantùm, propter magnam varietatem quam humanæ requirunt neceſsitates, errorum pericula, & ſacramenti reuerentia, ob quam ſecundum ſententiam B. Auguſtini à ieiunis ſumitur: ſicut non cõueniebat per Chriſtum determinari, quod à ieiunis, aut pranſis, veſperi vel mane, in Azymo pane vel fermento ſumeretur. Eius namq; ordinationes firmas & ſtabiles eſſe oportet, quæ per eccleſiæ Præpoſitos mutari vel alterari non poſſunt. Sicut nõ conueniebat, quod ipſe diſponeret, quando eſſet cõmunicandum, quãdo ieiunandum, ſed præpoſitis quos in Eccleſia ponit ſpiritus ſanctus ad regendum fideles, illam etiam facultatẽ ſtatuendi, relinqui conueniebat. Et ideo in iſtis etiã frequẽter eſt in eccleſia variatum. Nam in Hieroſolymitana videntur communicaſſe quotidie. Scribit enim Beatus Lucas, quod diſcipuli erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorũ, & communicatione fractionis panis & orationibus, quotidie quoque perdurãtes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione, & cæt. At Anaclet. Papa. Peracta inquit, conſecratione, omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus. Sic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & S. Roman. tenet Eccleſia, Item in canonibus Apoſtolorum, Omnes fideles qui ingrediuntur eccleſiam & ſcripturas audiunt, non autem perſeuerant in oratione, nec ſanctam communionem percipiunt, conuenit communione priuare. Quem morem eccleſiam Romanam adhuc temporibus B. Hieronymi obſeruaſſe ipſe teſtatur, Ait enim, Scio Romæ hanc eſſe conſuetudinẽ, vt fideles ſemper Chriſti corpus accipiant, quod nec reprehẽdo, nec probo. Item alibi, De ſabbatho quod quæris, an ieiunandum: & de Euchariſtia, an accipienda quotidie, quod Romanæ Eccleſiæ & Hiſpaniæ obſeruare perhibentur, &c. De quo etiam interrogauit Auguſtinum Ianuarius, an quotidie ſit communicandum. Vbi Augu. quoq; variam refert eccleſiarum conſuetudinem, exhortans tamen, vt ſaltem dominicis diebus ſacra ſumatur Euchariſtia, quamuis Fabianus Papa tunc ſtatuerat, quod ſaltẽ ter in anno corpus Chriſti ſumeretur. Et ſi non frequentius, inquit, ſaltẽ ter in anno homines communicent, in Paſcha videlicet, Penthecoſte, & Natali domini, niſi fortè quis maioribus criminibus impediatur. Addit autẽ Sother papa, vt etiã in cœna dominica Chriſtiani cõmunicent. Tandem Innocentius 3. in concilio generali ſtatuit, vt ſaltẽ ſemel in anno, in Paſchate videlicet, quiſq; fidelis ſacramentum Euchariſtiæ ſuſcipiat. Et in Eccleſia B. Chryſoſt. ſolum etiã in Paſchate quidam cõmunicabant, alij bis, alij ter in anno, aliqui tantũ ſemel in biennio, vt ipſemet fatetur. Eo autem tempore, quo fideles quotidie ſacram ſuſcipiebant Euchariſtiã, veritatem habet quod dicit B. Clemens, Certe tanta in altari holocauſta offerantur, quanta populo ſufficere debeant: quod ſi remanſerint, in craſtinũ non reſeruẽtur, ſed cũ timore & tremore clericorum diligentia cõſumãtur. Nam alioqui in eadem epiſtola reſeruari permittit: & certè reſeruari neceſſe eſt pro infirmis, quando populus Chriſtianus tam raro cõmunicat, vt ſemper pro infirmis parata habeatur Euchariſtia, ſecundum præceptũ concilij VVormatien. Et de varia ieiuniorum & quadrageſimę obſeruatione loquitur Auguſtinus in epiſtola ad Ianuariũ: & ad Caſulanum: & beatus Hieronymus ad Luciniũ, quibus vterque ſuadet ſeruandam eſſe conſuetudinem eccleſiæ ad quam venire contingit, & epiſcoporũ in ea cõſtitutiones. Eo, inquit Hieronymus, illud breuiter te admonẽdum puto, traditiones eccleſiaſticas ita obſeruandas vt à maioribus traditæ ſunt, nec aliorum conſuetudinem contrario more ſubuerti, Euangelicum tamen præceptum eſſe de ieiunando oſtendit Auguſt. Ego, inquit, in Euangelicis & Apoſtolicis literis totoq; nouo teſtamẽto animo id reuoluẽs, video præceptum eſſe ieiunium, quibus autem diebus nõ oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apoſtolorũ non inuenio definitũ. Sicut igitur hæc Varietas in ieiunando & communicando certiſsimum eſt argumentũ, quòd non eſt Chriſti domini de his ordinatio, quibus diebus atque temporibus

Homil de octaua Paſch.

Part. 2. q. 80. artic. 12.

Eckius hom. 31. de Sacra.

Epiſt. 118. ad Ianuarium.

Act. 2.

Epiſt. 1. de oppreſsione Epiſcoporum. Cano. 10.

In Apol. pro libris aduerſ. Iouinianũ. Epiſt. ad Luciniũ.

De cõſecrat. diſt. 1. & ſi non.

Hom. 17 in epiſt. ad Heb.

Epiſt 2 ad Iacobũ fratrẽ domini.

Epiſt ad Caſulanũ. 86.

ribus ieiunare, aut ſacram ſumere Euchariſtiam oporteat, ita certum argumentum eſt varius vſus Euchariſtię, quoad vtramque vel vnicam ſpeciem, quod de eo nihil diſpoſuit Dominus, ſed quòd huiuſmodi reliquit ſuis Apoſtolis, qui pro temporum ratione & periculorũ occurſu diſponerent, quod fideliũ ſaluti atque ædificationi, & ſacramenti reuerentiæ iudicarent conuenire. Hanc libertatem relictam eſſe eccleſiæ vidit etiam Lutherus, qui in captiuitate Babylonica poſt diligentem verborum inſtitutionis huius ſacramenti diſcuſsionem, docet non peccare qui ſub vna tantum ſpecie cõmunicant, cum Chriſtus nõ præceperit vlla vti, ſed arbitrio cuiuslibet reliquerit, dicens, Quotieſcunq; hæc feceritis, &c. Et cap. Ioan. 6. dicit, nec ſyllabam quidem de ſacramẽto loqui, tũ quod tunc nondum eſſet inſtitutum, tum maximè quod ipſa ſermonis conſequẽtia de fide verbi incarnati Chriſtum loqui clarè oſtendat. De quo poſtea ſumus locuturi. Docet tamen impium eſſe & tyrannicum, quòd ſub vtraq; ſpecie Euchariſtiam petentibus negetur. In quo grauiter errat, nõ intelligens diſpenſationem commiſſam Apoſtolis & eccleſiæ paſtoribus, qui etiam totum ſacramentum negare poſſunt ob culpam, indiſpoſitionem, vel aliam cauſam iuſtam. Nam paterfamilias præfigere habet domeſticis, quo tempore, quo loco, qua hora, quid item prandendũ vel cœnandum, ſecundum quod nouit toti familiæ conuenire: & ſicut nũc petenti confiteri, vel ſacram Euchariſtiam ſumere, non poteſt paſtor negare ſuum miniſterium, niſi cauſam habeat, ob quam ei non expediat, & tũc ei diſſuadere & negare, ita quando mos erat ſub vtraque ſpecie communicare, neutrum negare poterat, ſine petentis iniuria. Nam iure exigit filiusfamilias cibum & potum de menſa patris ſui à domus præpoſito & præfecto, niſi aliud poſtulet ſalus eius vel aliorum pax, & trãquillitas familiæ, vel domini ſui, vt diximus, honor & reuerentia, quam in omnibus domus præfectum ſpectare oportet. Iuſta autẽ exiſtente cauſa negari poteſt totum ſacramẽtum, ſicut negatur infantibus & amentibus. Nulla igitur fit iniuria ſi negetur iſtud ſacramentum vtramque eius ſpeciem petentibus, ſicut iniuria non fieret eis qui iſtud pranſi exigerent, vel in loco aliquo prophano. In hac itaque cõmunionis varietate, poſtquam paulatim diſceſſum eſt ex communi fidelium & pręſulum tacito conſenſu, à communione ſub vtraq; ſpecie, nulla interueniente ſynodali vel eccleſiæ conſtitutione, cœptum eſt diſputari, an liceret populo Chriſtiano ſub vnica ſpecie communicare, & inſtigante Sathana omnis pacis & concordiæ oſore, quidam docebant non eſſe licitum propter ſententiam Saluatoris, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Nam, vt ſcribit Aeneas Sylulus in hiſtoria de origine Bohœmorum, poſt Huſsitarum ſectam in Bohœmia ſeminatam, nouam peſtem attulit Petrus quidam Dreſenſis, quod eſt oppidum Miſnæ (nõdum error de ſacramento altaris irrepſerat) Hic Petrus aggreſſus Iacobellum Miſnenſem literarum doctrina, & morum præſtantia clarum, qui apud eccleſiam ſancti Michaelis in Praga per id temporis populum prædicando inſtruebat.

Ioan. 6.

Cap. 35.

Hunc aggreſſus, mirari ſe ait doctũ & ſanctum virũ, qui diuina eloquia plebibus exponeret, errorem illum non animaduertiſſe communionis Euchariſtię qui iampridem Eccleſiam peſſundaſſet, in qua ſub vna tantũ ſpecie dominicum corpus populo miniſtratur, cùm apud Ioannem Euangeliſtam ſub duplici ſpecie panis viniq́ue ſumi iubeatur, dicente apud eum Saluatore, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c. Commotus his Iacobellus, cùm perquiſitis vetuſtis ſanctorum doctorũ codicibus, Dionyſij præſertim & Cypriani, communionem calicis laudatã inueniſſet, publicè commonere populum cœpit, ne deinceps communionem calicis, ſine qua ſaluari nemo poſſet, quoquo pacto negligeret. Huic omnes hęretici conſenſerunt, haud modica geſtientes lætitia, quòd articulum inueniſſet in Euangelica lege fundatum, per quem Romanæ ſedis vel ignorantia, vel nequitia argui poſſet. Latè igitur hoc nouo errore ſerpente, (Nam ante hunc Petrũ non legitur fuiſſe aliquis, qui ipſum in Eccleſia vnquã docuerit) relata eſt noua hæc doctrina ad Concilium quod tunc erat Conſtantiæ congregatum, & poſtea iterum ad Concilium Baſilienſe, vbi poſt diligentiſsimam veritatis indagationem & diſputationem damnata eſt, & hęretica iudicata, & vniuerſi qui ipſam ſequuntur declarati hæretici. Habet enim Concilium Conſtantienſe: Cùm in nonnullis mundi partibus quidam temerariè aſſerere præſumant, populum Chriſtianum debere ſacramentum Euchariſtiæ ſub vtraque panis & vini ſpecie ſuſcipere, & non ſolũ ſub ſpecie panis, ſed etiã ſub ſpecie vini populũ laicũ paſsim communicent, etiã poſt cœnã, vel aliàs nõ ieiunum, & communicandũ eſſe pertinaciter aſſerunt, contra laudabilem Eccleſiæ cõſuetudinẽ rationabiliter approbatam, quam tanquã ſacrilegam damnabiliter reprobare conantur. Hinc eſt quòd hoc præſens Cõcilium ſacrum generale Conſtãtien. in ſpiritu ſancto legitimè congregatũ, aduerſus hunc errorem ſaluti fidelium prouidere ſatagens, matura plurium doctorum tam diuini quã humani iuris deliberatione præhabita declarat, decernit & definit: quod licet Chriſtus poſt cœnam inſtituerit, & ſuis diſcipulis adminiſtrauerit ſub vtraque ſpecie hoc venerabile ſacramentum, tamen hoc non obſtante, ſacrorum Canonum authoritas laudabilis, & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſeruauit & ſeruat, quòd huiuſmodi ſacramentũ non debet cõfici poſt cœnam, neq; à fidelibus recipi non ieiunis, niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſsitatis à iure vel Eccle-

Seſſ. 13.

Cõſuetudo eccleſiæ laicos cõmunicãdi ſub. ſpecie panis.

Conſuetudo ſub ſpecie panis tantū introducta eſt, ad euitandū pericula & ſcandala.

Eccleſia cōceſſo vel admiſſo. Et ſicut hæc conſuetudo ad euitandū aliqua pericula & ſcandala, eſt rationabiliter introducta, quod licet in primitiua eccleſia huiuſmodi ſacramentum reciperetur à fidelibus ſub vtraque ſpecie, poſtea à conficientibus ſub vtraque & à laicis tantummodo ſub ſpecie panis ſuſcipiatur, cum firmiſsimè credendum ſit, & nullatenus dubitandum, integrum Chriſti corpus & ſanguinem tam ſub ſpecie panis, quàm ſub ſpecie vini veraciter contineri. Vnde cum huiuſmodi conſuetudo ab eccleſia & ſanctis patribus rationabiliter introducta, & diutiſsimè obſeruata ſit, habenda eſt pro lege, quam non licet reprobare, aut ſine eccleſiæ authoritate pro libito mutare. Quapropter dicere, quòd hanc conſuetudinem aut legem obſeruare ſit ſacrilegum aut illicitum, cenſeri debet erroneum, & pertinaciter aſſerentes oppoſitum præmiſſorum, tanquàm hæretici arcendi ſunt & grauiter puniendi per Diœceſanos locorum, ſeu Officiales eorū, aut inquiſitores hæreticæ prauitatis in regnis ſeu prouincijs, in quibus cōtra hoc decretum aliquid fuerit forſan attētatum aut præſumptum iuxta Canonicas & legittimas ſanctiones, in fauorem catholicæ fidei contra hæreticos & eorum fautores ſalubriter adinuentas. Mandat autē idem hoc Concilium vniuerſis Epiſcopis, vt effectualiter puniant contra hoc decretum excedentes, qui communicando populum ſub vtraq; ſpecie panis & vini, ſic faciendum eſſe exhortati fuerint & docuerint, eoſq; per cenſurā eccleſiaſticam, vt hæreticos coerceant.

Conſuetudo cōmunicādi laicos ſub ſpecie panis tātum ab eccleſia vniuerſali ante Cōcilium Baſilienſe fuit obſeruata. Seſſ. 30.

Idem in epiſtola Synodali Martinus Pontifex mādat, vt inquiſitores interrogent, vtrum credant quòd conſuetudo communicandi perſonas laicales ſub ſpecie panis tantùm ab eccleſia vniuerſali obſeruata, & per ſacrū concilium Conſtantiæ approbata, ſit ſeruanda, ſic vt non liceat eam reprobare, aut ſine Eccleſiæ authoritate pro libito immutare. Et quòd dicentes pertinaciter oppoſitum præmiſſorum tanquā hæretici aut ſapientes hæreſim ſint puniēdi & arcendi. Quæ definitio confirmata fuit in concilio Baſilienſi. Vt lucidiùs, inquit, videatur pro declaratione catholicæ veritatis, quid circa præceptionem ſacræ Euchariſtiæ tenendum ſit, & agendum pro vtilitate & ſalute populi Chriſtiani, poſt diligentem perſcrutationem diuinarū ſcripturarum ſacrorūq; canonum & doctrinarum à ſanctis patribus & doctoribus traditarum in hac ſancta Synodo longis temporibus habitam, conſideratiſq́ue omnibus quæ pro declaratione huius rei conſiderāda fuerunt, decernit & declarat eadē ſancta Synodus ꝙ fideles laici, ſiue clerici communicantes, & non conficientes non aſtringuntur ex præcepto Domini ad ſuſcipiendū ſub vtraq; ſpecie, panis ſcilicet & vini, ſacrum Euchariſtiæ ſacramentum.

Eccleſia ordinare habet quomodo nō conficiētibus miniſtretur ſacra Eucha riſtia.

Sed Eccleſia quæ regitur ſpiritu veritatis ſecum manēte in æternum, & cum qua Chriſtus manet vſque ad cōſummationem ſeculi (ſicut ait diuina ſcriptura) ordinare habet, quomodo ipſis non conficientibus miniſtretur, prout pro reuerentia ipſius ſacramenti & ſalute fidelium viderit expedire: Siue autē ſub vna ſpecie, ſiue ſub duplici quis communicet, ſecundum ordinationem ſeu obſeruantiam Eccleſiæ proficit dignè communicantibus ad ſalutem. Nec vllatenus ambigendum eſt quòd nō ſub ſpecie panis caro tantùm, nec ſub ſpecie vini ſanguis tantùm, ſed ſub qualibet ſpecie eſt integrè totus Chriſtus. Laudabilis quoque conſuetudo communicandi laicum populū ſub vna ſpecie, ab Eccleſia & ſanctis patribus rationabiliter introducta, & hactenus diutiſsimè obſeruata, & à doctoribus diuinæ legis ſacrarum ſcripturarum atq; canonū multam peritiam habentibus, iam à longæuo tempore commendata. Hactenus de Concilijs. Poſt has igitur Eccleſiæ definitiōes, ſcripturæ ſacræ, exemplo Chriſti & Apoſtolorum conſentaneas, nihil amplius ſuper iſto articulo eſt dubitandum, imò certa fide tenendū, quòd non eſt laicis, nec ſacerdotibus quidem, quando non conſecrant, ad ſalutem neceſſaria communio ſub vtraque ſpecie.

Circa art. 16

Et noſtro hoc ſeculo nō ſine magna ratione cœptum eſt diſputari & controuerti, an huiuſmodi communio ſub vtraq; ſpecie ſit eis licita & permiſſa, propter ſententiam Apoſtoli Pauli, qui ſupplens quod omiſerunt Euangeliſtæ, ſcribit dominum poſt conſecratum calicem dixiſſe, Hoc facite quotieſcunq; bibetis in meam cōmemorationem: ex qua argumentatur Epiſcopus Roffenſis. Nihil, inquit, apud Corinthios recenſet Paulus, niſi quod Chriſtus ipſe ſub cœna geſſerat: Hæc autem verba nequeunt intelligi quouis pacto ad laicos fuiſſe dicta. Quomodo enim poterit ad laicos dici, Hoc facite quotieſcunque bibitis in meā cōmemorationem; Quid eſt, Hoc facite quotieſcunque bibitis? Si facere hic conſecrare intelligamus, quemadmodū haud dubiè Damaſcenus ac cæteri patres accipiunt, nemo bibiturus eſt ex calice qui nō prius conſecrauerit. Nam dicit, Quotieſcunq; bibitis, hoc facite: Atqui laicū nemo ſanæ mentis dixerit poſſe conſecrare. Nō igitur hoc laicis dictum fuit. Vnde videtur inferendum quòd laicis bibere non licet ſicut nō licet cōſecrare, cùm hoc fieri in Chriſti memoriam iubeatur, quotieſcunq; calicem bibimus.

In cōtrouerſia.7.

In qua ſententia eſſe videtur eſſe Cardinalis Caietanus in opuſculo quod fecit de cōmunione ſub vtraq; ſpecie, & Albertus Pighius, Magnā ſanè apparentiam habet hæc illatio, & multam adfert difficultatem. Non enim dixit, Bibite quotieſcunque facietis in mei memoriam, nec, hoc facite quotieſcunque feceritis in mei memoriam. Certè latere oportet aliquod occultum myſterium quod poſt corpus conſecratum ſimpliciter dixerit, Hoc facite in meam commemorationem, & non adiecerit, Quoties mādu caueritis, & poſt calicem cōſecratum addat, Quotieſcunque bibetis. Si dicatur præceptum, Hoc facite reſpicere ordinē ad mor-

tis commemorationem, cum propter illam ſemper facere oporteat, quid adijcere neceſſe erat, Quotieſcunque bibetis? Reuerendus dominus Roffenſis reſpõdet hoc ſolum Apoſtolis eſſe dictum, vt reuerà ſe res habet. Sed tunc Apoſtolis non fuiſſet permiſſum bibere calicem domini, niſi quãdo conſecrabant: & eadem ratione nec vnquã licuiſſet Epiſcopis & ſacerdotibus bibere ſanguinem domini, niſi quãdo conſecraſſent, quod abſurdum videtur, quòd videlicet laicis licitum eſſet calicem domini bibere, & non Epiſcopis, etiam infirmitatis tempore niſi quando conſecraſſent. Item conſuetudo Eccleſiæ reclamat, q̃ recipere ſolet Epiſcopos lapſos ad pœnitẽtiam & communionẽ laici.

Cypria. in epiſto ad Antonianum.

Quod autem ſpecialiter fuerit mandatum Apoſtolis, nõ eſt vllo modo veriſimile. Certè hic ſenſus, quòd nemini ſanguinem bibere liceret niſi conſecraſſet, ſequendus videretur, niſi longiſsima conſuetudo per Eccleſiam latè ſparſa communicandi laicos ſub vtraque ſpecie obſeruata eſſet in eccleſijs etiam Apoſtolicis, Apoſt. Paulo in Eccleſia Corinthiorũ approbante, Ait enim, Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat & de calice bibat. Non eſt ſibi contrarius Apoſtolus Paul⁹ in eodem capite. Quòd dicitur Paulus apud Corinthios eam conſuetudinẽ inueniſſe, & ad eam diſsimulaſſe, vel eum tantũ de ſacerdotibus loqui, nullam habet probabilitatem. Et ſuperius oſtendimus hanc conſuetudinem obtinuiſſe non ſolum in Eccleſijs Aphricanis, Oriẽtalibus, & Græcis, verũ etiam in eccleſia Romana, & Leonẽ 1. mandaſſe omnibus communionem ſub ſpecie ſanguinis. Item Cyrill⁹, Chryſoſtomus, & doctores alij cap. Ioan. 6. de bibendo ſanguine Chriſti referunt ad ſacram Euchariſtiam. Non igitur dici poteſt iure Euangelico, quod pronunciat Paulus Apoſtolus, prohibitum eſſe laicis communicare ſub ſpecie vini & bibere calicem domini. Oportet itaque huius ſententiæ commodum inuenire ſenſum. Nam quòd dicatur, Hoc facite, hoc eſt bibite, quotieſcunq; bibetis in meã commemorationem, abſurda eſſet interpretatio. Magis conueniſſet dicere de corpore domini, Hoc facite, hoc eſt manducate quotieſcunq; manducabitis in meam commemorationem. Et diximus ex concordi patrum interpretatione, Facere hic eſſe conſecrare & offerre. Videtur igitur hoc prçceptum referri ad Apoſtolos vt diſpenſatores ſacræ Euchariſtiæ, non vt priuatæ erant perſonæ. Pluri mi namque æſtimanda eſt conſuetudo hęc ſub vtraque ſpecie ſacramentum diſpenſandi, propter quam non videtur etiam damnãda eſſe cõſuetudo olim obſeruata in multis Eccleſijs communicandi infantes ſtatim poſt Baptiſmum, quaſi iuri diuino contraria, quã in Carthaginẽſi Eccleſia fuiſſe teſtatur B. Cyprianus. In Hiſpanijs quoque eam obtinuiſſe docet Concilium Toletanum 11. & beatus Dionyſius in Hierar. Eccleſiaſtica, vbi Iacobus Faber Stapulen. ſuper par. 3. de eo longam habet annotationem. Iuſtiſsima tamen ratione hoc abolitum eſt ob ſacramenți reuerentiam, quia plerunq; q́uod in os ingeritur non diglutiunt, aut ingeſtum reijciunt. Quod enim obijcitur, quod ſe probare non poſſunt paruuli, nec dijudicare corpus Domini, obſtare nõ videtur, quia ſuperuacanea eſt eorum probatio quos conſtat mundos eſſe & purificatos ſacro baptiſmate, atque ad Chriſti familiam admiſſos. Abſurdum videtur quod nihil de menſa patris participare poſſent, niſi iuſta fuerit nõ admittendi cauſa. Item dicit & B. Hieronymus, baptiſma ſine Euchariſtia non tradi. Interpretatur beatus Thomas Dionyſium & ſanctos loqui de baptiſmate adultorum, quando dicunt baptizatos ſtatim admitti ad ſacram communionẽ. Et poſſunt quidẽ paruuli dijudicare corpus domini quod ſumunt in ſuis tutoribus, qui eorum nomine antequam baptizantur dicunt ſe credere, imò & puerum credere & abrenunciare ſathanæ. Communicantur enim carentes vſu rationis, quos conſtat prius Euchariſtiam petiuiſſe, iuxta canonẽ 76. 4. Concilij Carthaginen. & canonem 34. 3. Concilij Carthagin. vbi dicitur, is qui in infirmitate pœnitentiam petit, ſi caſu dum ad eum inuitatus ſacerdos venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim conuerſus fuerit, dent teſtimonium qui eum audierunt, reconcilietur & infundatur ori eius Euchariſtia. Item in Concilio Arauſicano dicitur, Amentibus quæcunque pietatis ſunt, conferenda ſunt. Sicut autem iſtis conducere fortaſsis poteſt ſacra Euchariſtia ad gratię augmentum, & defenſionem à malignis ſpiritibus, ita prodeſſe poſſe & paruulis, de quo prolixè tractat Cardinalis Caietanus, item & B. Thomas. Difficilis & obſcura eſt hæc quæſtio, meritò referenda ad definitionem ſedis Apoſtolicæ. Nã Alexander de Hales opinatur non eſſe dandam Euchariſtiam, ne ijs quidẽ qui ob infirmitatẽ ratione ſunt priuati, & ſani eam petiuerunt, eò quòd non poſsint dijudicare corpus Domini eſſe quod ſumunt. Alij aliud ſentiũt poſt B. Thomam. Sicut igitur laicis neceſſaria nõ eſt ſub vtraque ſpecie communio, ita nec iure diuino ei eſt prohibita. Sed hîc iam quæritur quid magis expediat Eccleſiæ, an quòd populus vtraque ſpecie communicet, an ſub altera tãtum, quidue ſit melius. Item an vtilius ſit & plus adferat fructus ſpiritualis ſub vtraque ſpecie communicare, quàm ſub vna tantùm: Et an eis qui ſub vtraque ſpecie communicare conſueuerunt, hoc ſit permittendum, maximè ſi hac permiſsione cõciliari poſsit pax & tranquilitas eccleſiæ. Hunc enim articulum iam multis annis vrgent Germani, vt eis permittatur atque concedatur ſicut Bohœmi tempore Concilij Baſil. Quibus reſpondetur, quòd habito reſpectu ad ſacramẽtum, eiuſque perfectionem, magis cõueniret ſub vtraque ſpecie fieri communionem, quàm ſub altera tantùm. Hoc enim magis conſonũ eſt eius inſtitutioni & integritati, & refe-

ctioni

1. Corin. 11.

Ser. 4. de quadrageſima.

Ser. de lapſis.

Cap vlt. & c. 2. par. 2. et part. 3.

Aduerſus Luciferianos

par. 2. qu 10. art. 9. ad 3.

Eucharistia ori infundi tur Cano. 3.

Part. 3. quaeſ. 79 art. 1.

par. 3. qu. 80. art. 6.

par. 4. q. 49. memb. 4.

Cardinal. Caietanus 2 parte. q. 80. art 12.

ctioni corporali, imò & exemplo Chriſti & patrum primitiuæ Eccleſiæ, qui extra Iudæã ſub vtraque ſpecie ſacram Euchariſtiam diſpenſabant in Eccleſia etiam Romana, vt ſupra diximus. Nam in canone miſſę ſimul cõplectendo aſsiſtentes dicimus, Vt quotquot ex hac participatione filij tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus, &c. & expreſsior eſt mortis domini repræſentatio. Alia tamen cõſideratione, reuerẽtiæ videlicet, quæ huic ſacramẽto debetur, vtq; in eius vſu omnem vitemus irreuerentiam, minus conuenit atque etiam malum eſt, nulloq; modo Eccleſię expediens, quòd populus Chriſtianus ſub vtraq; ſpecie communicet. Nam hæc cõmunio popularis ſub vtraq; ſpecie, periculum ſacrilegij habet annexum in ſpargendo ſanguine Chriſti, & in omiſsione calicis nullũ interuenit peccatum aut periculum, nec aliqua gratiæ ſpiritualis iactura. Et quia hoc ſacrilegium nõ eſt inter caſus inopinatos, aut rarò contingentes, propter magnam populi communicantis diuerſitatem (id quod & experientia teſtatur) non ſolum ei cuius negligentia cõtingeret imputaretur, ſed & populo, & ipſis Eccleſiæ rectoribus. Imprudentiæ enim rectoris imputatur defectus nõ rarus, ſi poteſt prouidere & non prouidet, & populo, quod mauult cum hoc irreuerentię Chriſti periculo communicare, quàm ab vtraq; ſpecie abſtinere, cui hac de cauſa plagę diuinitus immittũtur. Nec excuſat à ſacrilegij vitio, quod nõ ex propoſito, ſed ex incuria, huiuſmodi irreuerentia accidat, quoniã peccandi occaſio ſpeciem peccati nõ tollit, quamuis vtcunque excuſare poſsit, vt peccatum ſit leuius. Huic accedit quòd ſine fructu multitudo populi biberet calicem domini, ob defectum feruoris & deuotionis. Nam ſi calix domini non ſumeretur cum maiori deuotione & feruore, quàm ſuſceptum eſt corpus, non augeretur gratia quam confert ſacramentum. Eſurientes enim & ſitientes iuſtitiam & Dei amorem, ſecundum eorum deſiderium & præparationem reficit & implet iſtud ſacramentum. Atque his de cauſis ceſſatum eſt à conſuetudine ſub vtraq; ſpecie communicandi, & laicorum pariter & ſacerdotum communi conſenſu, & veluti inſpirante vnico ſpiritu Chriſti, introductus eſt vſus ſub ſpecie panis tantùm populum communicandi. His quoq; rationibus moti ſunt patres Conciliorum Conſtantienſis & Baſilienſis, vt approbarent & vim legis habere declararent conſuetudinem ſub ſpecie panis communicandi. Nihil enim humanæ affectionis in hac definitione ſuſpicari poſſumus in patrib. fuiſſe, cùm inde nihil emolumenti expectare poſſent, tãtum itaq; ſpectabant populi Chriſtiani communem ſalutem, & huius ſacroſancti ſacramenti reuerẽtiam. Defectum autem & imperfectionem populi Chriſtiani his ſeculis noſtris ſatis teſtatur, quòd vix ſimplicẽ faciat præparationem ad ſemel communicandum in anno, cùm in primitiua Eccleſia quotidie, aut ferè quotidie communicaret. Nam ſacri Canones à Miſſa audienda excludebant omnes non communicantes.

Hinc rationabiliter conijcere poſſumus, quòd ſicut Eccleſia agnoſcens poſteriorum imperfectionem, deſtitit à quotidiana communione populi, & ab expellẽdo à Miſſa nõ communicantes, ita communem cognoſcẽs imperfectionem, teporem, & frigiditatem, deſtitit à communione ſub vtraque ſpecie, vtpote facta infructuoſa & communi populo perículoſa.

Reſponſio ad rationes ſuadentes cõmunionem vtriuſq; ſpeciei. Cardinalis Caietanus in 3. part. q. 80.

Et ob eaſdem cauſas ſpiritus ſanctus docet & docuit eccleſiam, non expedire, vt imitetur omnes conditiones quæ interuenerũt in actionibus Chriſti, quando cum Apoſtolis cœnam celebrabat nouiſsimam. Nam ſicut ratione reuerẽtiæ communicat ieiunus, ita ob reuerentiam omittit alteram conditionem, ſcilicet ſub vtraque ſpecie communicare. Imò communio popularis magis exigit omiſsionem calicis, quàm communio ſacerdotis omiſsionem ſobriæ mãducationis, quoniam hic nullum eſt peccati periculum, niſi ex Eccleſię ſtatuto, ibi autem interuenit ſacrilegij periculum ex conditione ſumentium, & in vtroque obedit Chriſto, non ſecundum ſimilitudinẽ actionis, ſed ſecundũ eius intentionem, quę magis eſt de reuerentia ſacramento exhibenda, quàm exteriori operis ſimilitudine. Similiter communio populi ſub ſpecie vtraq; per modum aſsimilationis, inſtitutioni & integritati ſacramẽti & refectionis corporalis eſt conſentanea, non tamen præcepto Chriſti, Hoc facite in meam commemorationem, nec rationi rectę curam gerenti de reuerẽtia ſacramenti. Omnibus igitur conſideratis, Chriſtiano populo magis expedit communicare ſub ſpecie panis tantùm, & ad euitandum ſacrilegij periculum, & ſcandala infructuoſum calicis potum, & ad meritum tam obedientię quàm reuerentiæ, pluris faciendo ſacramentum hoc, quàm propriam affectionem ad vtramque ſpeciem. Non enim mercede ſua caret tuta & ſecura reuerentia, cui innititur populus tantùm ſub ſpecie panis communicans. Ex quibus patet, quòd non expediat cõcedere vel permittere Bohœmis & Germanis, ac his qui iam multis annis ita communicauerunt, vt ſub vtraque ſpecie communicent, non ſolum ob periculum ſacrilegij, & irreuerentiæ erga iſtud ſacramentum, verùm etiam propter hæreticã radicem, ex qua primum apud eos vtriuſque ſpeciei communicatio eſt nata, quam eorum doctores & paſtores palam docuerunt & docent ex Chriſti præcepto & inſtitutione eſſe neceſſariam. Et ideo quia ex hoc errore ortum habet hæc communio, ne cauſæ ceſſant, ob quas ab ea per totam eccleſiam receſſum eſt, nullo modo eſt concedenda nec expreſsè permittẽda, ſi vtiliter prohiberi poſsit, ne fomentum & fauor peſtilẽti & hæretico errori præſtetur. Ob ſimilẽ enim cauſam olim Eccleſia prohibuit in pane azymo, & alio tempore in fer-

mentato ſacramentum hoc conficere. An autem adiectis conditionibus populo vtraque ſpecies permitti poſsit, tractatũ fuit in Concilio Baſilienſi in gratiam Bohœmorum, & propoſitis ſex articulis, ſatis tolerabile videbatur, quòd ſub vtraq; ſpecie communicarent. Horum primus erat, quòd crederent communionem ſub vtraque ſpecie non eſſe præceptam. Secundus, quòd credant & doceant laicos non peccare, qui ſub vna ſpecie communicant. Tertius, quòd credant & doceant non plus ſumi ſub duabus ſpeciebus, quàm ſub vna. Quartus, quòd ſub vna ſpecie ſumatur totus Chriſtus, id eſt, tam corpus eius, quàm ſanguis. Quintus, quòd aduerſarij in eccleſijs ſuis laico petenti alteram ſpeciem non denegent. Sextus, quòd cura adhibeatur per vtramque poteſtatem, ne ſacramento calicis irreuerentia exhibeatur. Quibus admiſsis, an ob communem pacem & tranquillitatẽ, & ſchiſmaticorum ad Eccleſiam catholicam reductionem, hæc præmiſſio eis fieri poſsit, potiſsimum ad prudentiam pertinet. Ponderãdum namq; eſt periculum iniuriæ ſacramento inferendæ, & mala quæ ex hac permiſsione veriſimiliter ſequẽtur. E diuerſo autem ſpectandum eſt & lucrũ animarum, & eccleſiæ tranquillitas, quid horum alteri ſecundum veram æſtimationẽ præponderet. Quàm diu enim permanent in opinione neceſsitatis ſumendi vtramq; ſpeciem contra eccleſiæ conſuetudinem & Conciliorum definitiones, grauiter peccarent, imò ad iudicium & animarum damnationem ſacramentum ſuſciperent, nec Sacerdos eis ſacramẽtum iſtud ſic miniſtrare poſſet, dicente Domino, Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos: & fomentum daretur hæretico errori, ex quo orta eſt huiuſmodi cõmunio. Et magnum eſt malum, quòd in ſacramẽto vnionis, per quod vnus panis & vnum corpus ſumus, eccleſiaſtici corporis vnitas, cõſenſio & conformitas ſcinderetur. Reuerà nimiũ ſuis indulgent affectibus, qui hæc mala conſiderãtes, nihilominus ſolliciti ſunt, vt eis hæc communio permittatur, id quod certum videtur eſſe argumentum, quòd remordente conſcientia ex opinione de huiuſmodi communionis neceſsitate, ab ea abſtinerent, & ſub vnica ſpecie ſuſciperent. Diuinum ſane iudiciũ videtur, quòd ſchiſmatici ſint hodie populi ſub vtraq; ſpecie communicantes.

Matth. 7.

Cap. de communione.

Manifeſtum eſt igitur malum eſſe conſiliũ quod proponit author libri Cæſariæ Maieſtati Ratiſponæ oblati, dum ait, Cùm iam plurima in Germania plebs perſuaſa ſit Chriſti mandatum & inſtitutionem requirere, vt integra ſacramenta ſuſcipiat, & omnino cauẽdum, ne quis ad hęc ſacroſancta myſteria participanda cum mala conſciẽtia accedat, operæprecium videbitur, ſi Eccleſia ad medendum his malis, omnibus liberum faciat ſub altera, vel vtraque ſpecie communicare, ſic tamen ne hinc cuiquam vlla anſa præbeatur, receptam hactenus in eccleſia conſuetudinem temere damnandi, vel poſthac inuicem iudicandi. Hæ namque rationes quòd plebs perſuaſa eſt mandatum Chriſti requirere integra ſacramenta, & mala conſcientia alteram tantum ſpeciem ſuſcipi, magis cõcludunt non eſſe ei permittendũ vtriuſq; ſpeciei communionem, tum quòd indignè ſuſciperet, tũ quia in ea errorẽ firmaret, quo credet vniuerſalem Eccleſiam facere contra Chriſti mandatum atq; inſtitutionem, item falſam eius ſententiam roboraret, qua æſtimat laicos catholicos malè facere alteram ſpeciem omittendo. Non enim ſanctorũ patrum & Eccleſiæ hic mos eſt, quando errorẽ extirpare ſolent. Nam non extinguuntur hæreſes permiſsionibus, ſed contrarijs conſtitutionibus, vt dum Neſtorius negaret Mariam eſſe Dei matrem, ſed Chriſti matrem tantũ fateretur, prohibuit Concilium Epheſinum, ne diceretur Chriſti mater, ſed mater Dei. Sic cum Heboinitarũ hęreſis inualeſceret de legalibus cum Euangelio ſeruãdis, & negabãt poſſe confici in fermento, eò quod omnis oblatio quæ offertur domino ſecundum legem ſit ſine fermento: Non diſsimulauit hîc Eccleſia, ſed contrarium præcepit, vt in fermentato pane ſacra conficeretur Euchariſtia. In qua tamẽ re per ſe nihil refert, ſiue in azymo, ſiue in pane celebretur fermẽtato. Sed an fructuoſior & plus gratiæ adferat ſpiritualis communicatio ſub vtraq; ſpecie, quàm ſub altera tantũ, non eſt ſine difficultate: Primò quòd alius ſit effectus cibi, & alius potus. Nam ſitim potus, famem cibus ſedat, Secundo quòd ſub vtraque ſpecie ſacra Euchariſtia verè ſacramentum eſt: nec minus efficax eſt Chriſtus in ſanguine ſuò ſub vini ſpeciebus, quàm in corpore ſuo ſub ſpecie panis: Nec inutilis eſſe poteſt ſanguinis Chriſti potus ſacramẽtalis, ſi dignè & legitimè ſumatur. Et quia ſacramentũ eſt ſpecies vini: ſacramenta autem omnia iuxta regulam communem ex opere operato gratiã conferunt, potus ſanguinis proprium habet effectum ſpiritualem, ſitim ſedando ſpiritualem, vel augendo, aut confirmando gratiã acceptam in communione corporis. Nam quòd ſacerdos celebrans nullum fructũ percipiat ex calicis communione, non videtur probabile, cùm inutiliter de calice participaret. Nec ſufficiens eſt reſponſio, ſi dicatur ſub vtraq; ſpecie totus eſſe Chriſtus, & ideo eundẽ operari effectũ per corpus & per ſanguinem. Vbi enim idem eſt agens, idem patiens æqualiter vtrobiq; diſpoſitum, eũdem oportet eſſe effectũ, quia in hoc ſacramento ſolum per concomitantiam, non ex virtute conſecrationis totus eſt Chriſtus, & ita ſecũdariò, & quaſi per accidens. Nam ſi in triduo mortis Chriſti facta fuiſſet cõſecratio, ſub neutra ſpecie totus Chriſtus fuiſſet, eandem tamẽ ſacramentum contuliſſet gratiã. Quæ enim hoc modo ſunt in ſacramento, ſicut non variant eius ſignificationem, ita nec virtutem, efficaciam, aut fructum. Non igitur alia

Leuit. 2.

tur alia eſt ſub his ſpeciebus operatio ſacramenti, quia Chriſtus ibi eſt totus, quàm ſi ſolus eſſet ſanguis ſub ſpeciebus vini, vel corpus ſub ſpeciebus panis. Et quãuis ſub vtraq; ſpecie totus ſit, operatur tamen ſecundum earum ſignificationem, & vtitur ſub vna corpore tanquam inſtrumento: ſub altera ſanguine. Nec operatur in Euchariſtia fructus ſacraméti Pœnitentię aut Confirmationis. Et caro Chriſti viuificatrix eſt, quia verbi caro, non quia caro humana, vt dicit Conciliũ Epheſinum. Nam ſpiritus Dei eſt, qui in carne viuificat. Cum igitur varia ſint inſtrumẽta, varia ſignificatio, alius videtur eſſe effectus. Et cum ſacramenta conferant gratiam quam ſignificant, quãdo completior & perfectior eſt ſignificatio, pleniorẽ oportet eſſe effectũ. Quę ſi vera ſunt, iniuria laicis fieri videtur, quòd à ſanguinis Chriſti ſacramentali cõmunione prohibentur, quamuis præcepta eſſet, nec ex Chriſti inſtitutione neceſſaria. His tamen non obſtantibus cum idẽ ſit effectus cibi ſpiritualis & potus, carnis & ſanguinis Domini in ſacramento (Vtrumq; enim ſuſtentat, reparat, auget, & delectat. Nam potus hic eſt, vt Medici loquuntur, cibalis) neceſſarium eſt, quod eadẽ ſit gratia, quæ ſub vtraq; ſpecie confertur, ſicut idem eſt quod eſurimus & ſitimus, vt diximus ſuperius, & clariſsimè teſtatur b. Auguſtinus, Panis iſte viſibilis, inquit, ſtomachum confirmat, ventrem cõfirmat: eſt alius panis qui cor cõfirmat, quia panis eſt cordis: & ſpirituale vinum eſt, quod lætificat cor hominis. Ergo ſic accipe de pane, quomodo accipis de vino: Intus eſuri, intus ſiti. Beati qui eſuriũt & ſitiunt iuſtitiam, quia ipſi ſaturabuntur. Panis ille iuſtitia eſt, vinu illud iuſtitia eſt, veritas eſt, veritas Chriſtus eſt, Ego ſum, inquit, panis viuus qui de cælo deſcẽdi, & ego ſum vitis, vos ſermenta, & panis cor hominis confirmat. Iuſtitiæ itaq; fames & ſitis eſt, quam ſedat hoc ſacramentum, confirmando & tribuendo virtutem iuſtè operandi, imò eiuſdem iuſtitiæ maiorem eſuriem excitando, ſicut Sapientia dicit. Qui edũt me adhuc eſurient, & qui bibunt me adhunc ſitient. Meus, inquit Saluator, cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me. Vtraq; igitur ſpecie confertur robur iuſtè operandi, & accenditur voluntas & amor iuſtitiæ, qui non ſatiatur, niſi abſoluta noſtra peregrinatiõe, cuius figura præceſsit in Helia propheta de quo dicitur, quòd comedit & bibit & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctib. vſq; ad montẽ Dei Oreb. Et ideo ſi ſolus ſanguis ſumeretur, vt aliquando olim factum eſt per ſacræ Euchariſtiæ infuſionem, eadem gratia conferretur quæ nunc confertur ſolum corpus ſuſcipienti. Nec alia acquiritur gratia quando poſt corpus ſumptum ſacerdos bibit ſanguinem domini ſimul cũ corpore calici immiſſo, imò nec maior acquiritur gratia, niſi maiori ſumeretur deuotione, ſicut in die Natiuitatis Chriſti, vel quando ſacerdos ex cauſa bis celebrat, nõ maiorem percipit gratiam ex ſecunda vel tertia corporis & ſanguinis communione, nec ex quotidiana vel frequenti communione. Et quando contingit ex corporis communione animum inflãmari, & ſiti iuſtitiæ ac amore erga Deum ſuum accendi, ſumptio calicis maiorem operatur gratiam, ſed quem non minus efficeret corpus ſumptum, etiã ſi calicis potus non fuiſſet ſecutus. Non enim ſacramentum corporis ſolum operatur, quando accipitur, ſed quamdiu in homine manet, otioſum eſſe nõ poteſt, verũ perpetuò vegetat, confirmat & roborat cor hominis atq; lætificat, modo nõ defuerit iuſta diſpoſitio atq; pręparatio, hoc eſt, ſi ſancta meditatione, fide & amore circa Chriſti domini mortem, eiuſq; erga nos charitatem cõmunicans occupetur, & ex ea accendatur deſiderio iuſtitię & Dei faciendi voluntatem, ſicuti cibus corporalis nutrit, ſuſtẽtat & alit, ſuoſq; operatur effectus, magis quãdo ſumptus eſt & in ſtomachũ traiectus digeritur, cõcoquitur, atq; in hominis ſubſtantiam cõuertitur. Nam ſacramentum Euchariſtiæ magis quàm eius perceptio & conſecratio ſalutem operatur. Illud autẽ in eſſe conſiſtit permanente, vt ſuperius diximus. Omnibus autem ſacramentis hoc commune eſt, quod ſecundum pręparationem & deuotionem ſuſcipientis, maiorem vel minorem operentur effectum. Nam & baptiſmus maiorem confert gratiam minus diſpoſito, ſicut nullam indiſpoſito. Sed dices fortaſsis, ſacramento corporis dignè ſuſcepto augetur in ſuſcipiente gratia, & ex conſequẽti deuotio actualis: Dum ergo ſanguinem ſumit, magis ad gratiam eſt pręparatus: Maior itaq; gratia ſuſcipitur per potum ſanguinis. Cui reſponderi poteſt, Cum ſacramẽtum corporis adhuc in homine maneat, imò diutius quàm ſanguinis ſacramentum, & non ſolum perceptio ſacramenti, ſed ſacramentum ſumptum ſalutem operetur, idem gratiæ augmentum ſacramentum corporis operaretur, quamuis ſanguinis potus non acceſsiſſet.

Pſal 103. circa verſiculũ. Panis cor hominis confirmat, & vinum lætificat cor hominis.

Matth. 5.

Eccleſia. 24.

3. Reg. 10.

Sed iterum obijcies, Sumendo ſanguinem, expreſſa Chriſti mortis repręſentatione, inflammatur plerunq; animus ſuſcipientis, & potu calicis munitur, & ad prælium armatur, Loquens enim Cyprianus de lapſis tempore perſecutionis ad pacem atque Euchariſtiam recipiendis, quando ad martyrium rapiuntur. At verò, inquit, nunc non infirmis, ſed fortibus pax neceſſaria eſt, nec morientibus, ſed viuentib. cõmunicatio à nobis danda eſt, vt quos excitamus & exhortamur ad præliũ, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione corporis & ſanguinis Chriſti muniamus. Et cũ ad hoc fiat Euchariſtia, vt poſsit accipientib. eſſe tutela, quos tutos eſſe cõtra aduerſarium volumus munimento dominicę ſaturitatis armemus. Nam quomodo docemus aut prouocamus eos in cõfeſsione nominis Chriſti ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinẽ denege-

Epiſt. 2. li. 1.

denegemus: aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, ſi non eos ad bibendum prius in Eccleſia poculum domini iure communicationis admittimus?

Reſpondemus vtramq; ſpeciem armare, protegere,& munire inermes,& idoneos facere ad martyrij poculum,& vtramq; ſpeciē magis quàm alteram tantum virtutem ſacramenti ſpectando, ſed nō ſequi fructum maiorem, niſi in potu calicis maior fuerit ad huius ſacramenti gratiam præparatio, quæ in populi multitudine rarius cōtingit, propterea quòd ad hæc gratiæ incremēta, vt diximus, ſe non diſponat: Et ideo quāuis conſiderando virtutem corporis & ſanguinis ſub proprijs ſpeciebus, plus gratiæ ſpiritualis ſub vtraq; conferatur, quàm ſub altera tantùm ſpecie, ob imperfectionem tamen & indiſpoſitionem multitudinis,& numeralē identitatem effectus ſpecierum, qui pro augmēto perfectiorem requirit diſpoſitionē, non eſt populo vtilius, quod ſecundum conſideratum melius eſſet, ſub vtraque videlicet ſpecie communicare, quàm ſub vnica. Vnde calicis infructuoſitas eſt ex æquali diſpoſitione communicantis, nō ex ſanguinis domini inefficacia. Dixi hāc inutilitatem calicis magis prouenire ex numerali idētitate effectus ſacramēti ſub vtraq; ſpecie, quàm ex idētitate rei contētæ, qui eſt Chriſtus totus ſub vtraq; ſpecie latēs, quia vt diximus, per diuerſa hîc operatur inſtrumēta variè ſignificātia, ſanguinem videlicet & corpus ſuum, quę ſunt cauſæ immediatę effectus ſacramētalis: Ipſe etiam diuerſos operatur effectus, donaq; ſua diuidit idem ipſe ſicut vult. Identitas igitur effectus eſt potior huius rei cauſa, quàm idem Chriſtus ſub vtraque ſpecie contentus: Et eadem diſpoſitio ſi ad alia ſacramēta accommodetur, ad eorum effectus ſufficiet, vt ſi poſt corpus domini dignè ſumptum quis confirmetur, vel ſacramentū ſuſcipiat Extremæ vnctionis: Horum enim effectus ſpecie diſtinguuntur à gratia ſacræ Euchariſtiæ. Atque ob hanc cauſam numeralis videlicet identitatis effectus, & indiſpoſitionem ad gratiæ augmentum, in prouincijs vbi ſub vtraq; ſpecie communicant, nō meliores ſunt alijs qui in ijſdem & alijs locis ſub vnica tantum ſpecie communicant, Nec ſacerdotes ſub vtraque ſpecie communicantes propterea alijs ſunt meliores. Beatus tamen Cyprianus promiſcuè loquitur de corporis & ſanguinis Domini ſacra Euchariſtia, ad quam lapſos admitti volebat ante cōpletum tempus pœnitentiæ, quando periculū erat quòd ad martyrium raperentur: & eundem toti Euchariſtiæ tribuit effectum, quāuis per accommodationem & expreſſam mortis Chriſti ſignificationem (quæ tamen cum ſuo effectu magis ad diſpoſitionē pertineat ſuſcipientis, quàm ad ſacramenti operationem) peculiariter illum tribuat potui ſanguinis: ſicut B. Ambroſius alium effectū ſacramento corporis tribuit, aliū ſacramento ſanguinis, dum ait, Valet ad tuitionē corporis & animæ, quod percipimus, quia caro Chriſti pro ſalute corporis, ſanguis verò pro anima noſtra offertur.

In commēt. 1. Corint. 11.

Cōſideratione autem virtutis ſacræ Euchariſtiæ ſub ambabus ſpeciebus Alexander de Hales ad quæſtionem, An hoc ſacramētum habeat eādem efficaciā ſumptū ſub vna ſpecie, & ſub duabus, reſpōdet quòd ſumptio ſub vtraq; ſpecie eſt maioris efficaciæ & complementi, imò & maioris meriti, tum ratione augmentationis deuotionis, tum ratione fidei dilationis actualis, tum ratione ſumptionis cōpletioris, Eccleſia tamen vtitur altera ſpecie tātum propter certas cauſas, de quibus ſuperius. Et beatus Thomas reſpiciens multitudinis imbecillitatem, dicit ſine aliquo detrimento gratiæ, ſub altera tantū ſpecie populum cōmunicare. Ex quibus patet quid reſpōdendum ſit, ad ea quæ obijciuntur. Concludunt enim ſecundū quid vtilius eſſe, habito ſcilicet reſpectu ad efficaciam & virtutem ſacramenti ſub vtraq; ſpecie, quæ autem in contrarium adiecimus ſimpliciter concludunt, non eſſe populo Chriſtiano vtilius ſub vtraq; ſpecie ſumere ſacram Euchariſtiam, propter eius indeuotionē, quæ faceret ſine fructu potare de calice domini, quamuis tamen quibuſdā eſſet vtilius, ſed leges reſpiciunt ad bonum communitatis, quamuis ex eis ſequatur quorundam iactura ac detrimentum. Quod tamen dicitur de perfectiori repręſentatione mortis Chriſti per ſacramentū ſanguinis, nō pertinet ad ſacramentum, nec eius ſignificationem, virtutem vél fructum, ſed ad ſacrificium magis, nihil autem ad communionem vt dicit B. Thomas. Nam repreſentatio, inquit, dominicæ paſſionis agitur in ipſa conſecratione huius ſacramēti, in qua nō debet corpus à ſanguine ſeparari. Ipſum autem ſacramentum ſignificat realiter verum cibum & potum animæ ſubſtantialiter ſub ſpeciebus adeſſe, & ideo tanquam eſurientes & ſitientes iuſtitiam, & in Dei mādatis ambulare deſiderātes, ſacram Euchariſtiam ſuſcipere oportet, vt cibo potuq; cæleſti reficiamur, atq; iuſtitiam faciamus. Et ſignificatio iſta expreſſior eſt rememoratio mortis à Chriſto in cruce perpeſſæ, & ideo nō pertinet ad gratiam quam ſacramentum operatur, ſed cauſam eius tantummodo. Dixit enim dominus, Hoc facite in meam commemorationem: Non dixit, In mei commemorationem comedite & bibite. Nam hic panis cor hominis confirmat, & vinū lætificat ad hilariter currendum in cordis latitudine viam mandatorum Dei. Et hic eſt finis huius ſacramenti & ſacræ communionis, non autem mortis Chriſti memoria.

Part. 4. ſummæ quæ. 53. memb. 1.

Part. 3. q. 80 art. 12. ad 3.

Loco vt ſupra.

ET iuſtis de cauſis ab eccleſia ſancitum, vt laicis ſub vna tantùm panis ſpecie ſacramentum cōmunicaretur. Quod ſancitum eſt ab eccleſia magis conſuetudine & generali vſu populi Chriſtiani, quàm aliqua ſynodali aut præpoſitorum conſtitutione, quam conſuetudinem OEcumenicum Concilium Conſtantienſe declarat, decernit, &

definit

definit eſſe rationabilẽ, diutiſsimè obſeruatam, & legittimè introductã, atq; vim legis habere, quã ſi antea forſitan nõ habuerit, illam ei iam tribuit. Et quia hæc conſuetudo laicos ſolum reſpiciebat, nõ clericos, nec religioſos, ideo de eis Concilium nihil decreuiſſe videtur, cùm eam non extendat ad alios, apud quos nondũ obtinuerat. Paulatim enim iſta conſuetudo ſpõtanea populi Chriſtiani voluntate & aſſenſu irrepſit, & abolita eſt communio vtriuſq; ſpeciei, & tandem extenſa eſt ad vniuerſos, qui ſacram Euchariſtiam non conficiunt, id eſt, etiam Sacerdotes & Epiſcopos, quando hoc ſanctum myſterium non celebrant. Nam tempore Alexandri de Hales, qui ſcripſit circa annũ 1240. & tempore B. Thomæ, qui poſt eum ſcripſit annis ferè 30. nondum exoleuerat cõſuetudo cõmunicãdi ſub vtraq; ſpecie. Ille enim ait, Corpus Chriſti ſumitur à laicis ferè vbique in Eccleſia. Iſte aũt, Proinde in quibuſdã eccleſijs obſeruatur, vt populo ſanguis ſumendus nõ detur, ſed ſolum à ſacerdote ſumatur. Et in cõment. ſuper Ioañ. Secundum antiquã eccleſię conſuetudinem, inquit, oẽs ſicut cõmunicabant corpori, ita cõmunicabant & ſanguini, quod etiam adhuc in quibuſdam eccleſijs ſeruatur, vbi etiã miniſtri altaris continuè & corpore & ſanguine cõmunicant, ſed propter periculum effuſionis in aliquibus eccleſijs ſeruatur, vt ſolus ſacerdos communicet ſanguine, reliqui verò corpore. Nec tamen eſt contra ſententiam Domini, quia qui communicat corpori, cõmunicat etiam ſanguini, cùm ſub vtraq; ſpecie totus Chriſtus cõtineatur. Item venerabilis pater Thomas VValden. qui ſcripſit tẽpore Concilij Conſtantienſis, quod celebratũ eſt anno 1430. & annis aliquot præcedentibus & ſequentibus, dicit quòd illo tempore Romæ miniſtri altaris adhuc ſub vtraq; ſpecie communicabant, qui etiam dicere vidẽtur, quòd perſonæ quædã laicæ admitti poſſent ad bibendum calicem Domini, quando periculum & ſcandalum præcauerentur: Sed, vt diximus, latior facta eſt conſuetudo, vt nunc complectatur vniuerſos, qui non celebrant. Sicut autem in his quę fiunt per eccleſiã Chriſti ſola obſeruatione diutiſsima vel quæ in Concilijs generalibus definiuntur, cauſæ obſeruationis & definitionis nõ ſunt requirendæ, ita nec rationes ſemper cogentes, & efficaces haberi poſſunt. Diriguntur enim ſecũdum ſpiritus Chriſti ſuggeſtionẽ, qui apud eccleſiã ſemper manet, omnemq; docet veritatem, ac veram ſcripturarũ ſuggerit intelligẽtiam, de qua teſtatur Apoſtolus, quòd ſit columna & firmamentum veritatis: Nec in ſuis ſentẽtijs iudices exprimere ſolent quid eos mouerit ad pronunciãdum, & ideo ſimpliciter ſequendum quod Eccleſia obſeruat generaliter, vel Cõcilia decernunt circa ſacramẽtorum adminiſtrationẽ, iuxta mandatum Domini, Facies quodcunq; dixerint qui pręſunt loco quem elegerit dominus, & docuerint te iuxta legem eius, ſequeriſq; ſententiam eorum, nec declinabis neq; ad dexteram neq; ad ſiniſtram. Concilium tamen Conſtantienſe & Baſilienſe docet ad vitanda pericula & ſcandala hanc conſuetudinem diutiſsimè fuiſſe ſeruatam & introductam, nimirum poſt multã horum experientiam. Non autem poteſt iuſtior eſſe cauſa omittendi etiam quòd ſanctũ & vtile eſt, quàm ſcandala & pericula, potiſsimũ irreuerentię & ſacrilegij erga Chriſtum in ſacra Euchariſtia. Nam ad euitandum ſcandalum faciendum eſt & omittendum quicquid fieri vel omitti poteſt ſalua veritate vitæ, vt docet B. Hieronymus. Eſt aũt ſcandalum dictum vel factum præbens alteri occaſionem ruinæ. Periculum hîc eſt irreuerentiæ ex ſanguinis Chriſti effuſione, ſi paſsim & promiſcuè multitudo populi Chriſtiani ex calice communicaretur, & hoc frequenter, propter diuerſitatem communicantium, & multorũ inconſiderationem. Cui periculo prouideri non poſſet, niſi per calicis ablationem, per quam nullum, vt diximus, patiuntur detrimentum. Cauetur prętererea periculum indignæ ſumptionis ſanguinis, ex qua nullum propter ſuam incapacitatem fructum ſuſciperent. Varia etiam cauentur ſcandala, Nam propter ſacramenti huius diuerſam communionẽ plures nati ſunt errores. Credebatur enim à quibuſdã ſanguis potus ad ſalutem neceſſarius, & damnabantur quaſi tranſgreſſores dominici præcepti, qui ſub altera tantùm ſpecie cõmunicabant: Alij arbitrabantur aliũ eſſe corporis, aliũ ſanguinis effectũ, item quod nõ totus Chriſtus ſub vtraq; cõtinebatur ſpecie. Et hinc ſchiſmata & diſsidia inter fideles naſcebantur. In ſacramẽto aũt vnitatis diuerſitatem eſſe non cõuenit. Ob huiuſmodi igitur pericula & eorũ ſcandala, frequentemq; eorum experientiã receſſum eſt ab antiqua cõſuetudine ſub vtraq; ſpecie cõmunicandi, atq; introducta eſt conſuetudo alterius ſpeciei, ſcilicet panis dũtaxat, donec prior totaliter eſſet abolita iuſtiſsimis his cauſis. Et ideo nõ eſt dubitandũ quin eodẽ ſpiritu ſuggerẽte & dirigẽte, quo Chriſtus dominus ſub duabus ſpeciebus ſacram Euchariſtiã miniſtrauit, & in Eccleſia Corinthiorum & alijs multis ſęculis ſic diſpenſata eſt, eundem ritum reſumpſerint fideles, quẽ Chriſt' apud diſcipulos in Emaus, & Apoſtoli in Hieruſalẽ apud deuotũ illum cœtum obſeruauerant. Didicerant namque per multam experientiam magis hoc conuenire pro gloria & honore ſponſi ſui & animarum periculis vitandis. Nec nouũ aut mirum videri debet, quòd tanta ſit facti mutatio in huius ſacroſanctę Euchariſtiæ diſpenſatione, vbi domini ordinationem nõ habemus, quãdo aduertimus quod Ioſias rex Iuda in ſcripturis eſt commendatus, quòd confregit ſerpentem æneum quem ex iuſſu domini fecerat Moyſes. Siquidem vſq; ad illud tẽpus filij Iſrael adolebant ei incenſum. Hãc igitur ob cauſam, ſcandali videlicet, ipſum confregit, & teſtatur ſcriptura eum in hoc feciſſe

Marginalia: *Part. 4. q. 53 memb. 1.* — *Part. 3. q. 80. art. 12.* — *Cap. 6.* — *De ſacramentis cap. 88.* — *Deuter. 17.* — *In commẽt. Matth. 28.* — *4. Reg. 18.*

Ca. Quia ſan ƈa. diſt. 63.

feciſſe bonum coram domino. Huius exemplo concludunt ſacri canones quod per hoc magna authoritas iſta habenda eſt in Eccleſia, Vt ſi nonnulli, inquit Stephanus papa, ex prædeceſſoribus & maioribus noſtris fecerunt aliqua quæ illo tempore potuerũt eſſe ſine culpa, & poſtea vertuntur in errorẽ & ſuperſtitionẽ, ſine tarditate aliqua à poſteris deſtruãtur. Et Innocent.3. in Concilio generali, Non debet reprehenſibile iudicari, ſi ſecundum varietatem temporum ſtatuta quãdoq; mutentur humana, præſertim cum vrgens neceſsitas vel euidens vtilitas id expoſcit. (Eadem autem eſt ratio de cõſuetudine) quoniam ipſe Deus ex his quę in veteri teſtamento ſtatuerat, nõnulla mutauit in nouo. Atq; huius mutationis clariſsimum habemus exemplum in Canonibus pœnitentialibus, qui vniuerſi in deſuetudinẽ abierunt. Neceſſe eſt enim iuxta locorum, temporum & hominum diuerſitates, mutari leges humanas & conſuetudines, prout ex primo libro B. Auguſtini de libero arbit. docet Beatus Thomas.

Ca. Non debet. De conſangui. & affin.

1.2. queſt. 97. artic. 1.

Ad tollendum igitur & cauendum errorem circa effectum ſacræ Euchariſtiæ, & rem in ea contentam, & circa ſacramenti ſaguinis neceſsitatem, cõueniebat laicos tantùm ſub ſpecie panis cõmunicari. Nec mirãdum eſt ob has cauſas vnam ſpeciem ſacræ Euchariſtiæ laicis eſſe ablatam, quando ob ſolam reuerentiam, quæ ſacramento huic debetur, quibuſdam totum ſacramentum negatur. Nam abolita eſt conſuetudo communicandi infantes, ob ſolam indiſpoſitionem naturalem, & periculũ irreuerẽtiæ quæ circa ſacramentum contingere poſſet. Eandem ob cauſam non communicantur morituri, quando ex vomitu laborant: nec amẽtes, qui omnes à toto hoc ſacramento ſecluduntur, eccleſiæ atque fidelium antiqua cõſuetudine magis quàm præpoſitorum conſtitutione: & ſemper excluſi ſunt publici peccatores. Nam B. Cyprianus conſultus, quid ei videretur de hiſtrione quodam, an deberet ad ſacram cõmunionem admitti. Reſpondet. Puto ego nec maieſtati diuinæ, nec Euangelicæ doctrinæ congruere, vt pudor & honor eccleſiæ tã turpi & infami contagione fœdetur. Et B. Auguſtinus, Nos à cõmunione, inquit, quenquam prohibere non poſſumus, niſi aut ſpõtè confeſſum, aut in aliquo iudicio eccleſiaſtico vel ſeculari nominatum & conuictũ. Et aperta eſt ſententia Domini, Nolite ſanctum dare canibus. Olim etiam coercebantur à communione ob diſciplinam, & in aliorum exemplũ lapſi in grauiora crimina, nec admittebantur niſi in mortis periculo, vel ſaltẽ poſt longi temporis expletã pœnitẽtiã. Imò Innocẽtius primus ſcribit de his, qui poſt baptiſmum turpiter vixerant, quòd in fine pœnitentes ad pœnitentiam recipi ſoleant, non ad ſacram communionem. Similiter loqui videtur Canon quidam Stephani papæ 5. Item B. Cyprianus grauiter indignatur ſacerdotibus, qui ante legittimã

Epiſt 10. l. 2 ad Euagriũ

Serm de pœnitentia.

Matth. 7.

Epiſt. ad Exuperium.

Cap. Admonere 33. q 2. epiſt. 14. li. 3

ſatisfactionem, lapſis ſacram miniſtrabant Euchariſtiam. Nam cum in minoribus peccatis, inquit, agant peccatores pœnitentiam iuſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem, ad exomologeſin veniant, & per manus impoſitionem epiſcopi & cleri ius communicationis accipiant, nunc crudo tempore perſecutione adhuc perſeuerante, nondũ reſtituta eccleſiæ ipſius pace, ad communicationem admittuntur, & nondum pœnitentia facta, nondum exomologeſi facta, nondum manu eis ab epiſcopo aut clero impoſita, Euchariſtia illis datur. Id quod proſequitur ſex epiſtolis ſequentib. & in ſermonẽ de lapſis. Ex quibus manifeſtũ eſt, quòd ſolũ inſtãtis mortis tempore lapſi in idololatriã, aut negationem nominis Chriſti, ad pacem & ſacram communionem admittebantur, imò in multis eccleſijs tanta erat Epiſcoporũ ſeueritas, vt nec imminentis mortis tempore ad eã admitterentur. Nam citat Euſebius epiſtolam Dionyſij Alexãdrini Epiſcopi, in qua ſcribit ſe pręceptum dediſſe, vt lapſis in exitu nemo ſacerdotum reconciliationis ſolatia denegaret. Et Beatus Ambroſius Theodoſium pœnitentem ex animo, à ſacra Euchariſtia excludebat ob ſcelus commiſſum. Excluduntur etiam ſecundum ſacros canones non ſolum excommunicati per maiorẽ excommunicationem, ſed & per minorem. Nec tantum ob culpam propriam authores criminis à ſacramento iſto repelluntur, verum etiam innocentibus propter interdictum ciuitatis ex culpa aliena, ſacra Euchariſtia negatur. Nam vnum membrum iacturam ferre oportet in ſalutem totius corporis & aliorum membrorum. Nam ſolum morientibus tempore interdicti ſacra Euchariſtia cõceditur, de qua re multi ſunt canones. Quod prolixè proſequitur & docet Philippus Francus in cap. Alma. Sunt plurimæ alię cauſæ propter quas, ob ſacramenti reuerentiam, innocens prohibetur à ſacra cõmunione, vt quando nocte cognita eſt vxor. Nam illam mundiciem requirebant panes propoſitionis, de quo B. Hieronymus & B. Ambroſius. Et Apoſtolus Paulus, Nolite fraudare inuicem, niſi forte ex conſenſu ad te[...]s, vt vacetis orationi. Nam immundi prohibiti ſunt comedere panes propoſitionis, & agnum paſchalem, ſed in alterum menſem differre cogebantur. Prohibentur etiam pranſi & polluti. Nec tamen miniſtris ſemper negare licet, quibus ſacra communio prohibetur. Multæ itaque ſunt cauſæ propter quas à mẽſa patris filius excludi poteſt ſine ſua cauſa, nimirum ob ſacramenti reuerentiam vel fratrum ſuorũ ſalutem & diſciplinam. Quæ autem ſit cauſa iuſta, & quo vſque ſe extendat, & quid quantumue ex ea prohiberi vel conſtitui poſsit, magis docet prudentia & vnctio ſancti ſpiritus, quàm certa regula poſsit definiri. Hinc inter patres & eccleſiarum paſtores non conueniebat, an ob crimi num grauitatem tempore mortis ſacra communio negari poſsit: quibuſdam ex diſciplinæ

Lib. 6. c. 34.

Cap. Si celebrãt. de cler. excõmunic. & ſub inter. dicto miniſtrante.

Cap. Quod in te de pœnitẽ & remiſſ. & ca. Si ſententent & c. Si ciuit. de ſent. excom. & c. Alma. li. 6. de ſentẽt. excõmunicat.

in Apol. pro libro aduerſus Iouinia. & in comm. epiſt. ad Titũ exponens hoſpitalem, pudicum, &c. Et in cõmen. ad Epheſ. circa locum, Diligite vxores veſtras.

plinæ

plinæ ſeueritate eam criminoſis negãtibus, alijs ex clementiæ benignitate concedentibus: quod propterea eorum diſcretioni relinqui debet. Et locum hic habet quod dicit *4.Reg. epiſt. 7. lib. 4. & epiſt. lib. 2.* B.Cyprianus de ſuis coepiſcopis, Oſtendi quod nos, quantum in nobis eſt ſentiamus, inquit, nemini præſcribentes quo minus ſtatuat quod putat vnuſquiſq; prępoſitus, actus ſui rationem domino redditurus, ſecundum *Rom.14.* quod Beatus Apoſtolus Paulus, Vnuſquiſque noſtrum pro ſe rationem dabit. Non ergo nos inuicem iudicemus. Menſæ namq; & familię præpoſitis hoc officium impoſitũ eſt, vt cibum & potum in tempore domeſticis diſpenſent, & à menſa excludant ad tempus vel perpetuo, atq; admittant ad totum ſacramentum vel eius partem, prout conuenire videbitur reuerentiæ domini ſui, & domeſticorum ædificationi atq; ſaluti quos propterea non reſpicere oportet in conſtituendo quod ſingulis cõgruit, ſed quod magis conducit ad ſalutem communitatis populi Chriſtiani. Cum tanta eſt plaga, inquit *Homil. 50. quæ eſt de pœnitent.* B. Auguſtinus, vt medicamenta corporis & ſanguinis domini differenda ſint authoritate antitiſtis, debet ſe quiſq; ab altero remouere ad agendam pœnitentiam, & eandem authoritate reconciliari. Tantum autem ſe extendit præpoſitorum in hac diſpẽſatione poteſtas, quantum cauſa & diſciplina requi- *2.Cor.3. et 13* runt. Ait enim Apoſtolus Paulus: Dedit poteſtatem mihi dominus in ędificationem, & non in deſtructionem. Et ideo homo Chriſtianus, nec conſuetudine, nec præpoſitorũ conſtitutione paſſim excludi poteſt à toto ſacramento, cum ius ſit domeſticis familiæ Chriſti paſci ex menſa patrisfamiliæ, nec filius generaliter repelli poteſt à cibo & potu menſæ patris ſui, niſi iuſta ſubſit cauſa, de qua diximus. Quapropter ſacramentũ miniſtrari debet petenti, quandocunq; diſ- *Epiſt.2.li.1.* penſator non habet cauſam ob quam iuſta ei competat exceptio. Et quando conſuetudo erat ſub vtraq; ſpecie communicare, non ſine iniuria calix ſanguinis negari poterat: & ideo dicit B. Cyprianus, quòd lapſos in *Hom. 18. in 2. epiſt. ad Cor.* graue crimen iure communicationis ad poculum Domini bibendum admittimus. Et B.Chryſoſtomus. Non enim fas eſt non initiatis omnia detegere. Eſt autem vbi nihil differt ſacerdos à ſubdito, vt quando fruendum eſt horrendis myſterijs. Similiter enim omnes vt illa percipiamus digni habemur, non ſicut in veteri lege, partem quidem ſacerdos cõmedebat, partem autem populus, & non licebat populo participem eſſe eorũ, quorum particeps erat ſacerdos: ſed nunc non ſic, verùm omnibus vnum corpus proponitur, & poculum vnum. Intelligit autem Beatus Chryſoſtomus nullam eſſe differentiam ex Chriſti inſtituto & ordinatione, & mos Eccleſiæ tunc habebat vt ſub vtraq; ſpecie omnibus ſacramentum proponeretur, facta tamen prius per ſacerdotem conſecratione & oblatione, & vtramq; ſpeciem iure ſuo petebant laici, ſicut nunc alteram tantũ, nec eis tunc negari poterat: Lex verò Moyſi ordinabat quid in ſacerdotum, quid in laicorum vſum cederet. Nec in ſacerdotis, nec in laicorum vſum totum cedebat ſacrificium. Nunc autem lex Chriſti non diſtinguit, nec de toto, nec de parte noſtri ſacrificij aut ſacramenti, ſed relinquit vtriſq; vel totum vel partem, ſecundum Præpoſitorum prudentem diſpoſitionem, ſicut diximus ſuprà ex epiſtola Auguſtini ad Ianuarium.

IN ſacramento eſſe carnem & ſanguinem, totumq; Chriſtum ex natura diuina & humana conſtantẽ, manifeſtum eſt ex verbis euangelicis, quibus hoc ſacramentum conficitur: Hoc, inquit Dominus, eſt corpus meum. &, Hic eſt ſanguis meus. Nam ſicut ſub ſpeciebus panis totus eſt Chriſtus, ita & ſub ſpeciebus vini. Tale namque in ſacramento eſt eius corpus, talis & ſanguis, qualia hæc ſunt in Chriſto in cœlis. Ipſo autem in cœna conſecrante viuũ erat corpus, & viuo corpori ſanguis commixtus, nec ab anima ſeparatus erat ſanguis aut corpus: Similiter & modò, illo eodem conſecrante per noſtrũ miniſterium. Quando autem aliqua ſunt realiter coniuncta, vbicunque eſt vnum realiter, neceſſe eſt eſſe & aliud, cum ſola animæ operatione ſeparentur. Hæc autem omnia realiter, hypoſtaticè & inſeparabiliter ſunt coniuncta, nec mutantur priora mutatis poſterioribus. Eſſe autem in ſacramento relationẽ dicit, quæ poſterior eſt & accidit ſubſtãtiæ, corpori videlicet & ſanguini in Chriſto: Et Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, nec mors illi vltra dominabitur. Eſt igitur anima coniuncta corpori, ex quibus natura conſtat humana, & hæc verbo Dei pſonaliter eſt vnita, nec ſanguis deeſſe poteſt, vbi vita eſt animalis. Non enim exangue eſt corpus in ſacramento, & veluti mortuum cadauer, nec ſanguis à corpore ſeparatus. Totus igitur Chriſtus ſub vtraq; ſpecie continetur. Sciendum eſt autem, quòd aliquid Chriſti eſt in hoc ſacramento dupliciter, Vno modo quaſi eſt vi ſacramenti: Alio modo ex naturali concomitãntia. Ex vi quidem ſacramenti ſub ſingulis ſpeciebus id duntaxat continetur, in quod directè conuertitur ſubſtãtia panis & vini præexiſtens, provt per verba formę ſignificatur quæ ſunt effectiua in hoc ſacramento, ſicut & in cæteris, puta cum dicitur, Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus, Ex naturali aũt concomitãtia in hoc ſacramẽto, eſt illud quod realiter eſt coniunctũ ei, in quod prædicta conuerſio terminatur. Si enim aliqua duo, inqt *Thom. par. 3 qu. 76. art. 1.* B.Thomas realiter ſunt coniuncta, vbicunq; eſt vnum realiter, oportet eſſe & aliud: ſicut generationem ignis ſequuntur calor, ſiccitas, & aliæ ignis proprietates. Propter quod dicit Chriſtus de manducante carnem ſuam quòd ipſum manducat, quodq; viuet propter ipſum. Nã caro Chriſti viuificatrix non eſt niſi ex ſpiritu & hypoſtatica vnione cum verbo Dei. Ideo B. Thomas ante conciliorum definitionem dicit, quod omnino ne-

ceſſe eſt confiteri ſecundum fidem catholicam totum Christum eſſe in hoc ſacraměto: Et cōcorditer hoc ipſum docuerunt omnes patres, Vnuſquiſq;, inquit Auguſtinus, accipit partem ſuam & manet integer totus, & ſinguli accipiunt Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus eſt totus, nec per ſingulos minuitur, ſed integrum ſe in ſingulis præbet. Citat & alios canones Gratianus. Quod & definierũt vniuerſalia Eccleſię Cōcilia. Nam Concilium Conſtantienſe: Firmiſsimè, inquit, credendum & nullatenus dubitandum, integrũ Chriſti corpus & ſanguinem, tam ſub ſpecie panis, quàm ſub ſpecie vini veraciter contineri, quodq; à laicis tantùm ſub ſpecie panis ſuſcipitur quãtum ſub ſpecie vtraq;. Et Concilium Baſilienſe, Nec vllatenus ambigendũ eſt, quòd non ſub ſpecie panis caro tantùm, nec ſub ſpecie vini ſanguis tãtùm, ſed ſub qualibet ſpecie eſt integrè totus Chriſtus. Item Florẽtinorum ipſorum verborum virtute ſubſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem Chriſti conuertitur, ita tamen quod totus Chriſtus continetur ſub ſpecie panis, & totus ſub ſpecie vini. Et addit, Sub qualibet quoq; parte hoſtiæ conſecratæ, & vini conſecrati, ſeparatione facta totus eſt Chriſtus. Et beatus Hieronymus, Nec Moyſes dedit vobis panem verum, ſed Dominus Ieſus, ipſe conuiua & conuiuiũ, ipſe comedens & qui comeditur. Rurſum in Cōcilio generali tempore Innocentij 3. dicitur: Idem ipſe ſacerdos eſt & ſacrificium Ieſus Chriſtus, cuius corpus & ſanguis in ſacramento altaris, &c. Non igitur minus ſub vna ſpecie ſacramenti ſumitur, quàm ſub duab. imò & plus ſumitur quàm vtraq; ſignificatur, totus videlicet Ieſus Chriſtus ſecundum naturam humanam & diuinam, vt ad eum verè & ſubſtãtialiter præſentem in ſacramento, in omni neceſsitate noſtra recurramus. Et quamuis fortaſsis abſoluta Dei potẽtia corpus & ſanguis Domini eſſe poſsint etiam ſacramentaliter, vbi non eſt natura eius humana, nec eius anima, & ſine ſanguine corpus, & extra corpus ſanguis: ſicut Ioannes hic ſedere poteſt & Romæ ambulare, hîc eſſe calidus vel albus, & alio loco frigidus & niger. (Iſtud namq; à philoſophis probabiliter in vtramque partem diſputatur, vt hæc concomitantia videri poſsit non ſimpliciter neceſſaria, nec neceſſarium, vnum coniunctorum eſſe vbi aliud) Eccleſia tamen catholica nō quid Deus abſolutè poſsit, ſed quid ſcripturis & fidei noſtræ magis ſit cōſentaneum ſequens, ſemper intellexit, quòd ſicut Chriſtus ſemel mortuus eſt in cruce ad multorum exhaurienda peccata, ita nunquam amplius ſit moriturus, nec ſimpliciter, nec loco aliquo, vel etiam ſub ſacramento: Certum eſt autem quòd vbi anima corpus non informaret, ibi ipſum mortuum eſſet, quamuis ſimpliciter eſſet viuum: quemadmodum ſi Ioannes careret viſu Romæ, vel à corpore eius ſeparata eſſet anima, ibi cæcus eſſet & mortuus, & loco alio poſsit habere viſum & vitam. Hæc an fieri poſsint probabiliter pro vtraque parte diſputantur. Chriſtus autem reſurgens ex mortuis amplius non moritur, nec corpus eius aliquo modo vel loco iam mortale eſt vel corruptioni obnoxium. Hanc ab Apoſtolorum temporibus fuiſſe Eccleſiæ catholicæ fidem, teſtatur etiam reſponſum beatæ Andreæ Apoſtoli ad Egeam iudicem, vt tradit Philætetus. Omnipotenti Deo, inquit beatus Andreas, omni die ſacrificio, non thuris fumum nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum ſanguinem, ſed immaculatum agnum in altari crucis ſacrifico, cuius carnes poſteaquam omnis populus manducauerit, eiuſque ſanguinem biberit, agnus qui ſacrificatus eſt integer perſeuerat & viuus. Ex quibus omnibus conſequens eſt, quod non aliter ſecundum rei veritatem ſanguis Chriſti eſt ſub ſpeciebus vini, quàm ſub forma panis. nec aliter corpus eius ſub ſpeciebus panis, quàm ſub forma vini, niſi tantum ſignificatione diuerſa, qua forma panis corpus Chriſti ſub ſe contineri ſignificat, & ſpecies vini tantùm ſignificat ſub ſe contineri ſanguinem. Hoc enim conſequens eſt, ſi totus Chriſtus immediatè ſub vtraque ſpecie contineatur: propter quod ſanguis Chriſti nō eſt in ſacramento quaſi fluidus, ſed eſt in venis & toto Chriſti corpore diffuſus, quomodo in corpore noſtro, & in eodem corpore in cœlis ſicut docet in Canonem Miſſæ Gabriel Biel. Quod tamen prius natura ſub ſpeciebus panis ſit corpus domini, quàm ſanguis & Chriſtus totus, & ſub ſpeciebus vini prius natura ſanguis, doctè diſputat & reſoluit contra aliter opinantes VVilhelmus de Rubione ordinis fratrum minorum. Ex quo videtur, quòd in ſacramento Euchariſtiæ, quamuis liquidus, non bibitur corporaliter ſanguis domini, niſi habita conſideratione ſpecierum, earumque ſignificatione, non autem habita ratione ad ſanguinem, vt eſt in ſacramento.

De toto igitur hoc articulo nihil nũc amplius diſputandum nec dubitandum eſt poſt pronunciatam ſententiam Eccleſiæ catholicæ in œcumenicis Concilijs. Verè impius & ſacrilegus eſt, qui poſt Eccleſiæ & tot ſacerdotum ſententiam ſuæ opinioni aliquid tractãdum relinquit. Prolixè de communione ſub panis ſpecie tantum, & contra neceſsitatem communicandi ſub vtraque ſpecie ſcribit reuerendus pater Ioannes Roffen. circa articulũ 16. aſſertionis Lutheranæ: Et in defenſione Regiæ aſſertionis contra Babylonicam captiuitatem, vbi reſpondet ſeptẽ rationibus quas robora appellat Martinus Lutherus, quibusque conatur Lutherus oſtendere ſacrilegam, & cōtra Chriſti inſtitutum eſſe laicorum communionem ſub ſpecie panis tantùm, & grauem fieri iniuriã quòd ſanguis eis negatur. Ad hanc Apologiam lectorem remittimus. Lutheri igitur rationibus omiſsis, expendimus ea quæ Martinus Bucerus

In ſer domi nica 5. poſt epiphaniam. De conſe. di. 2 ca Qui mã ducat, cap. vbi pars. Seſſ 13. Quæſt 2. ad Hebidiam. Cap. firmiter de ſum. Trinitat. Lect. 53. b Diſt. 1. li. 4. quæſt. 10. In edicto Martiani Imperatoris.

cerus contra eandem veritatem cōmunionis ſub altera ſpecie tātum, panis videlicet, ſcribit aduerſus dominum Bartolomeum Latomum, inter quos ſuper diſpenſatione ſacramenti Euchariſtiæ acris fuit diſputatio.

Bucerus. *Ad communionem integri ſacramenti, inquit Bucerus, vrget, & in ea detinet nos merito præceptum Chriſti, Accipite, manducate, Hoc eſt corpus meum, & accipite, bibite ex eo omnes, & Facite hoc in meam commemorationem: Hoc quod ego nunc facio, & facere vos iubeo. Eccleſia verò Chriſti ne angelum quidem de cœlo audit, qui diuerſum à mandato ſponſi ſui præcipiat, tantū abeſt vt ipſa per ſe aliud quid vſurpet aut ſtatuat. Lege quaſo & expende quæ ſanctus martyr Cyprianus de hoc præcepto, Facite hoc, differit epiſtola 3. lib. 2. Cumq; hoc ſacramentum dominus inſtituerit tam diu celebrandum, dum redeat glorioſus ad iudicium, is profectò ritus quem in eo obſeruandum tradidit, nulla potuit humana negligentia, nec contraria conſtitutione abrogari.* Matth. 26.

Reſponſio. Sint hæc verba, Accipite, comedite, bibite, & facite, nō inuitātis, ſed Chriſti præcipiētis, eos tamen duntaxat alloquebatur, qui menſæ aſsidebant, & quibus loquebatur, duodecim ſcilicet Apoſtolis, his quibus dicebat: Vnus veſtrum me traditurus eſt, & omnes vos ſcādalum patiemini in me iſta nocte. Quod autem in nouiſsima cœna factum & mandatum eſt Apoſtolis, ad omnes fideles extendi non poteſt. Ratio enim erat ſpecialis totum ſacramentum eis miniſtrandi quos elegerat, vt mēſæ ſuæ, ſuo nomine & vice faceret præpoſitos, eamq; poſt ſe præparent, alijſque ex ea diſtribuerent. Nam hos ſuo exemplo docere oportebat, quid & quomodò eis in poſterum eſſet agendum, non ſolum diſpenſando, ſed & conſecrando atque ipſam menſam inſtruendo. Tunc enim & poteſtatem eis erat daturus menſam iſtam parandi. Nam cum Chriſtus ſacramentum iſtud tum primo inſtituebat ſub vtraque ſpecie, conueniebat quod ſub vtraque etiam eis miniſtraret: alioqui eum ſolum ſanguinem ſumere oportuiſſet, vnde natus fuiſſet error, quòd laici ſanguine domini communicare non poſſent. Et quod dicit beatus Cyprianus de lapſis qui ad matyrium rapiuntur, quòd ſanguine domini communicari debeant, ad animandum eos ad proprium ſanguinem effundendum, ita confortandi erant Apoſtoli potu calicis domini contra negationem & pericula quæ imminebant. Volebat etiam Chriſtus ſingularis amoris argumenta eis exhibere, quorum & pedes lauit, & quos vſque in finem, vt inquit Euangeliſta, dilexit. Ob has cauſas hic locum non habet ſententia Saluatoris, Quod vobis, dico, omnibus dico. Intelligit enim eo loco charitatis & virtutū officia, & omnibus cōmunia pericula. Ex paritate namq; rationis quæ de huiuſmodi quibuſdam dicuntur ad omnes extenduntur, quale eſt, Vigilate ne dormientes opprimat vos aduentus domini. Nam quod dixit. Vos eſtis ſal terræ, Vos eſtis lux mundi, Quæcunque alligaueritis ſuper terram, & quod Petro dictum eſt, Tu es Petrus & ſuper hanc petram, &c. Paſce oues meas, non omnibus dicuntur, cum ſint priuilegia quæ gratioſè quibuſdam conceduntur, quos ad hæc dominus peculiariter elegit. Et quanuis omnib. cōmunia ſint quę ad cibum & potum animæ pertinent, nō tamen horum ſigna ſacramentalia, maximè quando eundem effectum præſtant cibus & potus. Quod autem verba iſta, Manducate & bibite, ſint domini præcipientis & mandantis hæc omnibus fidelibus, nec Martinus Lutherus admittit, neque vllam habet probabilitatis rationem, & ſine ratione, ſine ſcriptura, ſine vlla authoritate hoc aſſerit Bucerus. Nihil enim hæc verba, Accipite, comedite, bibite, facite, commune habent cum his qui menſæ non aſsidebant, quibus nō loquebatur. Et ſecundum beatum Chryſoſtomum & Ioannem Damaſcenum, verbum, Hoc facite, eſt dantis poteſtatē conſecrandi, & diſpenſandi ſacramenta: ſicut verba, Germinet terra herbam virentem. Item, Creſcite multiplicamini, & implete terram. Et ſicut hæc præcepta non ſunt, ita nec, Hoc facite. Sed Chriſtum dicere, ait Bucerus. *Hoc quod ego nunc facio, & facere vos iubeo.* Fallitur Bucerus & aliquid addit verbo domini, Nō enim ita dominus, hoc quod ego nunc facio, & facere vos iubeo, ſed ſimpliciter: Hoc facite in meam commemorationem. Fecerat autem Chriſtus ex pane & vino corp' ſuum & ſanguinem, Hoc, inquit, & vos facite per operis exercitium, dans eis facultatem hoc faciendi, ſecundum Beatum Chryſoſtomum nihil autem præcipiens. Nam ſacerdotibus præceptū eſſe, vt aliquando conſecrent, non neceſſariò ex his verbis colligitur, ſed magis ex eo (vt docet beatus Thomas) quod ait beatus Petrus, Vnuſquiſque ſicut accepit gratiā in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. Sed nihil ad laicos pertinet, quando certa fide tenendum eſt, quòd hi ſoli ſacram Euchariſtiam cōſecrare poſſunt, quos ad munus ſacerdotij Deus vocauit. Et libenter ſuſcipim' quod ait Bucerus. Eccleſia vera Chriſti ne angelum quidem de cœlo audit, qui diuerſum à mandato ſponſi ſui præcipiat, tantum abeſt, vt ipſa per ſe aliud quid vſurpet aut ſtatuat. Sed hic diſputatur, an Chriſtus mandauerit, vniuerſis fidelibus ſub vtraque ſpecie ſacram ſuſcipere Euchariſtiam. Concilia definierunt hoc non eſſe Chriſti mandatum, declarauit idem vſu & obſeruatione ſua vniuerſalis Chriſti Eccleſia. Bucerus verò cōtrà, ſine ſcriptura dicit hoc eſſe mandatum Eccleſiæ à ſponſo ſuo Chriſto. Certè æquum non eſt, vt contemptis Concilijs, ſolius Buceri aſſertioni ſine vllis teſtimonijs credamus. Nā ſicut in ſimili dicit Auguſt. Si Chriſtus monuiſſet etiam ſine præcepto, vt ſub vtraq; ſpecie vniuerſi fideles cōmunicarent, nemo

Matth. 26. Cauſæ peculiares ob quas cōueniebat apoſtolis diſpēſare integram ſacramentū. Marci 13. Matth. 5. Matth. 16. Homi. 30. ad populū Conſtātinopolita num. Li. 4. ca. 14. 1. Pet. 4. Epiſt. 18.

mortis Chriſti, cuius perſonam gerunt & repræſentant ſacerdotes conſecrantes. Adeo quidem difficile eſt ex ſcripturis docere, quòd neceſſarium eſt laicis ſacram ſumere Euchariſtiã ſub aliqua ſpecie, vt omnes ferè Scholaſtici opinẽtur, ex iure diuino non eſſe neceſſarium vnquam cõmunicare. Sed b.Thomas ob materiæ obſcuritatẽ mutauit ſententiã ſuam, & docet in Summa ex iure Euangelico neceſſarium eſſe cuilibet Chriſtiano aliquando ſacram ſuſcipere Euchariſtiam, quem ſequitur Sanctiſsimus Adrianus 6. & fortiſsimè eam opinionem tuetur Ioannes Roffenſis. Quæ certè ſententia multò eſt probabilior, quã docuiſſe quoque videntur in ſuis cõmentarijs in capit. Ioã.6. Chryſoſt. & Cyrillus. Nec præcepiſſet eccleſię in Paſchate cõmunicare, tempus determinando, niſi credidiſſet diuinum eſſe præceptum de ſumenda Euchariſtia. Nobis igitur meliori ratione exclamare licet. O irreligioſam & ſacrilegam pſeudo magiſtrorũ doctrinam, qua non ſolum mutatur, ſed plane violatur Chriſti inſtitutum, & ſanctæ Eccleſiæ aufertur ſacrificium, quod Chriſtus vſque ad ſuũ reditum frequẽtandum, & ad ſuum patrem placandum, offerendum inſtituit.

Part 3.qu. 80. art.11. — *Lib.5. cõtra Oecolãpa. in præfat. & lib.4. ca 8.*

Bucerus. *A Theologis qui maximè laborauerunt comminiſcendo cauſas huius mutationis, periculum effuſionis memoratur, & vt ſacerdotum aſſeratur dignitas. At verò tempore ſanctorum patrum periculum hoc magis metuendum erat, cum tota, & longè frequentiſsima eccleſiæ calicem Domini ſingulis dominicis & feſtis diebus ſumebant. Dignitatis verò ſacerdotalis aſſerendæ quantò amplior cura patres illos tenebat? Verum nec periculum hoc ſanctiſsimos patres mouit, vt inſtitutum immutarent Domini, adeoque non eſt illis viſa dignitas ſacerdotalis aſſerenda hac ſacramenti dimidiatione, vt qui contrarium diſertè docuerint, in his ſcilicet myſterijs nibil prorſus inter ſacerdotem & plebem intereſſe. Nunc non ſic, inquit Chryſoſtomus, verùm omnibus vnum corpus proponitur & vnum poculum.*

Hom.18 in Epiſt.ad Corint.

Reſponſio. Theologis opus non fuit huius mutationis cauſas comminiſci, quando per totam Eccleſiam obuium erat, & frequenter expertum huius effuſionis periculum, nec periculum ſolum, ſed & ſcandala: Nam dicit Concilium Cõſtantienſe, ſimiliter & Baſilienſe, quòd ad euitandum pericula & ſcandala, hęc conſuetudo ſub ſpecie panis tãtum communicandi, rationabiliter eſt introducta, & abolita ſpecies vini. Et ſacerdotum officium & dignitas, quam Apoſtolis in nouiſsima cœna conferebat Chriſtus, eos menſæ illi vt eam appararent, & tanquam præpoſiti ex ea diſpenſarent præficiendo, hoc exigebat vt formam viderent quam eſſent ſecuturi, quãdo fidelium ædificatio & Chriſti honor hoc poſtularet. Nec ſanguinem miniſtrabat niſi iam conſecratis ſacerdotibus, ſi hiſtoriæ ſeriem ſeruet B.Lucas. Hæc igitur cauſa cum alijs quas diximus, Chriſtum mouit ad diſtribuendum Apoſtolis plenum ſacramentum, quod tamen nõ plus continebat, quàm ſingulæ eius partes, quę totum Chriſtum ſub ſe præſentem continent. Tota itaque hæc tempeſtas non ſuper re aliqua, ſed ſuper ſolo ſanguinis ſigno ab aduerſarijs excitatur. Et ſi tempore patrum, ad quod prouocat Bucerus, tanta erat fidelium multitudo, & tam incircunſpecta atq; indeuota, quàm ſeculis ſequentibus, idem erat etiã tunc metuendũ periculũ: ſed poſt multos lapſus, multamq; effuſionis ſanguinis experientiam, iſtud periculum tandem innotuit. Et quia non leuiter mutanda eſt conſuetudo diuturna, maximè quam Paulus approbauerat, & ferè tota obſeruabat Eccleſia, quando nihil in ſe mali habebat, multo tempore à patribus ſuper ea eſt diſsimulatum. Nouerant enim quòd ipſa conſuetudinis mutatio adiuuat vtilitate, nouitate tamen plurimum perturbat. Quapropter, inquit Auguſt. quæ vtilis non eſt, perturbatione infructuoſa, conſequẽter eſt noxia, cuius habemus exemplum in conſuetudine apud Aſianos celebrandi Paſcha decima quarta lunæ, ſecundum legis Moyſi cõſtitutionem, quam propterea iuſta ratione Victor Romanus Pontifex abolere volebat: ſed ob eccleſiarum turbationem non ſatis circunſpecte, vt eum monet Irenęus. De quo Euſebius in Eccleſiaſt. hiſtoria. Eſt & aliud exemplum de rebaptizando ab hæreticis baptizatos tempore B. Cypriani, quę tamen conſuetudo diuturna non fuerat, ſed per ſuum præceſſorem Agrippinum primum introducta: eam tamen S. Cyprianus, quamuis ſcripturis aduerſaretur, relinquere non potuit. Nihil igitur hic mirandum eſt, quòd ſancti patres etiam poſt experta pericula hanc ſub vtraque ſpecie communicãdi conſuetudinem tolerabant, donec ab ea fideles, huius irreuerentiæ in Dominum ſuum horrore, ſua ſponte paulatim diſcederent. Nec ſolum hoc effuſionis periculum, ſed & ſcandala fideles mouerunt, vt relinquerent potum calicis Domini. Quòd autem patres non mouit iſtud periculum, diuinando, ſine ratione, & falſo aſſerit Bucerus. Non enim fidelis eſt miniſter quem non mouet contra dominũ ſuum tãta admiſſa irreuerentia. Maius verò periculũ quod ex diuturnę conſuetudinis mutatione metuebant, ne ęam abolerent prohibebat. Docemus & nos Domini inſtitutum mutari non poſſe, ſed vtriuſq; ſpeciei communio Domini inſtitutum non eſt, quæ proinde mutata eſt & omiſſa per Dominum ipſum, & per Apoſtolos vt diximus. Quod autem Chryſoſtomus dicit in his myſterijs nihil prorſus intereſſe inter ſacerdotem & plebem, intelligit quantum ad myſterij participationẽ, non quantũ ad eius diſpenſationem & conſecrationem, quæ ſolis miniſtris commiſſa eſt & ſacerdotibus. His enim ſolis dicitur. Hoc facite in meam commemorationẽ: Intelligit præterea nihil intereſſe, Chriſti diſpoſitionem &

Epiſt.118.ad Ianuarium. — *Lib.5.c.24.*

ordinationem ſpectando. Hæc enim inter ſacerdotes & laicos, quoad ſacramenti participationem, nihil diſcreuit. Et tempore B.Chryſoſtomi is vſus & conſuetudo erat in eius Eccleſia, vt non minus per ſacerdotum manus laici de menſa Domini perciperent, quam ſacerdotes, Sed ob pericula & ſcandala vitanda, ſpiritus Chriſti ſuggeſtione ab eo more vniuerſalis Eccleſia deſciuit, & amplexa eſt vnicam ſpeciem panis, ſicuti per Apoſtolorum manus cõmunicare ſoliti fuerant ſancti in Hieruſalem: quem ritum & Eccleſiæ conſuetudinẽ ſacra approbarunt Oecumenica cõcilia. Quid (precor) hic peccati eſt circa ſacræ Euchariſtiæ myſterium, cuius vſum in Eccleſia liberum reliquit ipſe eius inſtitutor?

Bucerus. *Cùm ergo luce meridiana clarius pateat, quid in ſacra cœna Dominus inſtituerit & nobis faciendum præceperit, & cùm nullis omnino vel patribus, vel Concilijs vlla de cauſa liceat circa ſacramenta, aut alias res quicquam ſtatuere, contra id quod Dominus ipſe & Apoſtoli apertè definierũt, quod & Concilia & Pontifices ipſi fatentur, certò ſequitur & iſtam ſacramenti mutilationem non poſſe tribui Eccleſia Chriſti, nec eos, qui vel inuexerunt illam, aut defenderunt, repræſentaſſe Eccleſiam Chriſti. Nec enim ſine grandi illa ſacrilegio admitti poteſt, vt papa Gelaſius rectè pronunciauit his verbis, Comperimus autem, quòd quidam ſumpta tantummodo corporis ſacri portione, à calice ſacrati cruoris abſtineant, qui procul dubio (quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur aſtringi) aut integra ſacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diuiſio vnius eiuſdemq́; myſterij, ſine grandi ſacrilegio non poteſt peruenire.*

De cõſec. di ſtin. 2. ca. Cõperimus.

Reſponſio. Ex ipſius Buceri proprio teſtimonio locũ in eo habet, quod apud Iob Eliphas vnus ex eius amicis dicit, quòd Deus apprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & cõcilium prauorum diſsipat: per diem incurrent tenebras, & quaſi in nocte ſic palpabunt in meridie. Nam ſcribit Bucerus luce meridiana clarius eſſe, quid in ſacra cœna dominus inſtituerit, & nobis faciendum præceperit. Inſtituit autem ſecundum ſententiã S. martyris Cypriani, quem huius diſputationis ipſe iudicem facit, nouũ ſacerdotium & ſacrificiũ ſecundum ordinẽ Melchiſedech. Ipſe tamẽ Bucerus in hac luce meridiana errat & palpitat quaſi in nocte. Dicit enim nulli conceſſam eſſe conſecrandi & offerendi poteſtatẽ, nullum eſſe ſecũdum ordinẽ Melchiſedech ſacerdotium, nullum nouæ legis eſſe ſacrificium, ſed à Chriſto in cœna ſolum inſtitutũ eſſe, vt conueniamus & commemoremus mortem Chriſti, atq; panem ſumamus & vinum in eiuſdem mortis recordationem. Facimus, inquit, vt ipſe iuſsit, quando edimus panem, & calicem bibimus in eius commemorationem. Nec patribus conſuetudinis vtriuſque ſpeciei abrogatio, nec Concilijs (vt falſo aſſerit Bucerus) tribui poteſt, cùm

Cap. 5.

In commeut. ſuper Ioan.

ante omnem conſtitutionem, per vſum eccleſiæ exoleuerit: & poſt introductam conſuetudinem in Eccleſia ſpeciei panis, approbauerunt Concilia Eccleſiam rectè feciſſe, atq; eam conſuetudinem declarauerunt rationabiliter introductam, nec quouis modo ſcripturis aduerſari, nec quicquam admiſſum eſſe contra Chriſti aut Apoſtolorũ definitionem vel inſtitutum in huiuſmodi abrogatione: Et vt diximus, in hoc Eccleſia ſecuta eſt Chriſti exemplum, non quidem in nouiſsima cœna exhibitum, quod multas requirebat pro ratione temporis & aliarum circunſtantiarum cæremonias peculiares, ſed id exemplum quod oſtendit duobus diſcipulis in Emaus.

Aboleuit itaque veterem conſuetudinẽ, & nouã adduxit ſpiritus Chriſti, qui otioſus non eſt in templo quod inhabitat, viuificat, mouet & regit. Propter quod hanc conſuetudinem defendunt poſt generalia Concilia quotquot ſunt Eccleſię catholicæ Chriſti ſponſæ filij germani, Sed & ſi nullum haberet Eccleſia exemplum, quia tamen liberum modum communicandi in Eccleſia Chriſtus reliquit ſine ſpeciali mãdato, modus hic variari poterat, exigente hoc fidelium ædificatione vel Chriſti reuerentia. Non enim precepit quo ordine deinceps ſumeretur, quo modo, quo tempore, quo loco, quibus adhibitis cæremonijs, publicè an priuatim, ſingulariter an in cõuentu, alijs præſentibus & ſimul communicantibus, an ſtatim ex manibus ſacerdotis myſterium celebrantis, nec etiam an ſub vtraq;, an ſpecie altera tantùm, nec qua ſpecie, item an ex patina ſuis manibus quiſque eſſet ſumpturus, an in pane azymo, an fermentato, an vino miſcenda eſſet aqua. Omnia enim hæc libera reliquit pro fidelium ſalute, Chriſtique honore, per eccleſiam eiuſque præpoſitos ordinanda. Hoc enim docet Apoſtolus poſt quorundam huius ſacramenti ordinationem, dicens, Cætera cùm venero diſponam, ſecundum facultatem prępoſitis Eccleſię à Chriſto relictam. Et diximus exemplum Chriſti eiuſque inſtitutionem non imponere imitandi neceſsitatem in his quæ libera reliquit. Non pudet Bucerum hic Chriſtum facere ſacrilegum, & ſacramenti mutilatorem, qui ipſe primus ſub ſpecie panis conſecrauit, & diſcipulis in Emaus diſpenſauit ſecundum beatum Auguſtinum, & diuum Chryſoſtomum & Theophylactum. Sententiam autem Gelaſij papę, quę in eius epiſtolis nuſquam inuenitur, cui etiam nec Bucerus multum tribuit authoritatis, plurimum abutitur. Nam ſententia illa quam ex Gratiani Decreto citat, de ſolis loquitur ſacerdotibus, ſicut & præcedens capitulum Relatum, quod ex Concilio Toletano 12. ſumptum eſt. Diximus pręterea Leonem prim. ad tollendum Manichęorum errorem, conſtituiſſe, vt ab vniuerſis fidelibus ſub vtraque ſpecie communicaretur, cui Gelaſius in epiſcopatu ſucceſsit. Eo autem tempore non ſine hæretica ſuperſtitione

ſtitione à calicis communione abſtinebatur, nec ſine ſacrilegio, quod contingit ex indigna atque indebita huius ſacramenti tractatione.

Bucerus. *Vnus indubitatus doctor veritatis eſt Chriſtus Dominus, hunc iuſsit pater audire, hunc audiuit Eccleſia vniuerſa Chriſti, ſicut in cæteris, ſic etiã in hoc inſtituto, quamdiu illi veri Epiſcopi præfuerunt, & hodie audit eum, & integrum ſacramentum adminiſtrat omnis Eccleſia cum Indica, tum Græca. Nulla igitur omnino cauſa adferri poteſt, quo minus imminutæ Maieſtatis Chriſti & Eccleſiæ eius ipſi nos obligemus, ſi tam manifeſtam ſacramenti deprauationem, quæ eo tempore in Occidentalibus Eccleſiis obrepſit, quo dominos habere cœperunt, qui Antichriſto non Chriſto ſeruiebant, vt Diuus Bernardus queſtus eſt,* Ser. 33 in Can. *retinere audeamus docti iam pridem meliora. Audes tu quidẽ ſcribere, (* Ait ad Latomum *) Eccleſiam multis ſeculis hanc deprauationem vſurpaſſe: verum hoc ipſo Eccleſiæ Chriſti luculentam iniuriam facis. Conſtat enim ab Orientalibus Eccleſijs nunquam fuiſſe receptam, in Occidentalibus autem ante quadringẽtos annos nondum vbique obtinuiſſe. Sed fac eſſe quod multis ſeculis hæc mutilatio obtinuerit, quia tamen conſtat vſum huius cæremoniæ ſecus eſſe inſtitutum à Chriſto, aliter traditum ab Apoſtolis, qui à domino acceperant, nonne concludimur hanc Chriſti inſtitutionis deprauationem minime tribuendam eſſe eccleſiæ ſponſæ Chriſti, quæ verbum eius per omnia ſequitur, ſed temeritati potius & ſuperſtitioni imperitorum & irreligioſorum ſacerdotum?*

Reſponſio. Doctorem hunc vnicum audiuit & audiet ſemper vera Chriſti Eccleſia, nec ſolum eum audit per ſe loquentem, ſed & in miniſtris & paſtoribus Eccleſiæ præpoſitis, in quibus Chriſtum loquentem libenter etiam audit & ſequitur. Vera enim ouicula ſui paſtoris vocem audit ſemper & ſequitur, alienos non ſequitur, quia eorum vocem nõ nouit. Act. 20. & ad Epheſ. 4. Nouit enim illos poſitos eſſe à ſpiritu ſancto ad regendum eccleſiam, ad conſummationem ſanctorum, vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ: hos audit vſque ad ſeculi conſummationem, quales etiam fuerint in moribus Epiſcopi. Nam & doctores in epiſcoporum ſubſidium in eccleſia poſuit ad eius ædificationem ac inſtructionem. Secundum Buceri doctrinam vera Chriſti eccleſia in India & Græcia quærenda eſt, & non in fidelibus qui Chriſti vicario Pontifici Romano obediunt, & conſuetudinem ſub ſpecie panis duntaxat communicandi ſequũtur: qualem communionis morem falsò & odioſè vocat ſacramenti deprauationem, dimidiationem, atq; mutilationem. Nulla enim eſt hic ſacramẽti deprauatio, quando exemplũ habet in Chriſto & in eius Apoſtolis. Quapropter non primò in eccleſijs Occidẽtalibus irrepſit, ſed initium habuit in Hieruſalem apud Chriſtũ & eius Apoſtolos. Nec eſt mutilatio, aut dimidiatio ſacramẽti, ſi rem ſub vnica ſpecie contentam, eiuſq; efficaciã ſpectemus. Nihil enim minus ſingulæ cõtinent ſpecies, quàm ambæ ſimul, nec hæ effectum vllum amplius habent, quàm altera: quáuis repræſentatio non ſit plena & perfecta. Sed hæc repræſentatio ad ſacramẽtum pertinet, vt ſacrificium eſt, & à ſacerdote conficitur, non autem vt cibus & potus eſt animæ. Facite hoc, inquit Dominus, in meam commemorationem, in quam non editur nec bibitur, ſed in cordis confirmationem. Panis enim cor hominis confirmat & vinum lætificat, vt inquit Dauid. Hic ſiquidem eſt vſus cibi & potus. Et falſum eſt quod dicit Bucerus conſtare vſum huius cæremoniæ ſecus inſtitutum eſſe à Chriſto, aliter traditũ eſſe ab Apoſtolis. Nam de vſu huius cæremoniæ, vt vel ſub vtraq; vel altera ſpecie ſumatur, nihil inſtituit Chriſtus. Ab Apoſtolo Paulo quidem in hac cæremonia diſpoſita eſt communio, vel permiſſa apud Corinthios, ſed à reliquis Apoſtolis ſub altera cæremonia & ritu in Hieruſalem. Quæ autem ab Apoſtolis ſunt ordinata, ob iuſtas cauſas mutari poſſunt, cuius exemplum habemus in ſuo ipſorum Decreto de abſtinẽdo ab immolatis ſimulachrorum, à ſanguine & ſuffocato. Item Act. 15. in multis quæ Paulus conſtituit, vt de non ordinando bigamo, de ordinando velato & detecto capite. Tribuenda eſt igitur communionis mutatio ſponſæ Chriſti veræ eccleſiæ catholicæ, & ſancto ſpiritui, qui eam regit, omnemq; docet veritatem, quæ etiam ſi nullum habuiſſet exemplum in Chriſto vel Apoſtolis, hanc tamen mutationem facere potuit, Chriſti ſponſi ſui reuerentia, vel fidelium ſalute hoc exigente.

Commentum illud, videlicet contineri tantùm ſub altera ſpecie ſacramenti, quantum ſub vtraq;, irreligioſæ argumentationi meritò eſt aſſcribendum. Iſta corporis & ſanguinis Domini exhibitio, quam Dominus nobis in ſacra cœna ſua offert, res ſacramenti eſt, & operationis diuinæ. Quapropter ex Phyſica ratione de ea quicquam colligere velle, non minus à ratione, quàm à religione alienum eſt. Exhibet hic ſe dominus, vt ipſi viſum eſt, ratione nobis inexplicabili: & quanquam ſeorſum corpus, ſeorſum ſanguinẽ in ipſo tamen nephas eſt quicquam ſectionis cogitare. Vera eſt & realis exhibitio, ſed ad id, vt corpus & ſanguinem Domini verè percipientes, viuamus penitius in ipſo, & ille in nobis. In noſtris enim cordibus habitare vult, eò ſe his ſacramentis infert, vt ipſum non in auro & argento, in quibus non habitat (vt Salomon, Ieſaia, Stephanus & Paulus teſtantur idonei teſtes) ſed in nobis ipſis, quem tota vita noſtra circumferre, & tanquam vera monſtratia, demonſtrare & exhibere debemus omni pietate, ſanctimonia & beneficentia. Bucerus.

Reſponſio. Non commentum eſt, ſed certa atque infallibilis veritas, quam definierunt & decla-

rarunt vniuerſalia Eccleſiæ Cōcilia (ad quæ ambiguę quęſtiones olim ſemper referri ſolent) nec ſine ſcripturarum teſtimonio eam pronunciauerūt. Et ſicut irreligioſa non eſt argumentatio qua concludimus, in Chriſti corpore eſſe neruos & oſſa quàm extra ſacramentum tam in ſacramento, cum corpus humanum ſine eis non conſiſtat, ita nec ea qua colligimus animam eſſe in Chriſto corpore viuo, ſine qua cadauer eſt, nec viuere poteſt: nec etiā ea qua concludimus in corpore eius eſſe ſanguinem & diuinā naturam, à qua in verbo nunquam ſeparatur. Et quamuis ea quæ fide ex Dei reuelatione credimus, non ſubſint ratiocinationi humanæ, in his tamē rebusq́; diuinis, ex conſequentibus & antecedentibus ſanctè & religioſè argumentamur, ſicut in rebus naturalibus. Regulę nāq; argumētationum, quas tradit Dialectica, in omnibus rebus æqualiter locum habent: ſicut Grammaticorum regulæ nullam reſpiciunt peculiarem materiam. Iſta corporis & ſanguinis Domini exhibitio, res quidem ſacramenti eſt, & diuinæ operationis, & ideo nulla argumentatione cognoſci poteſt, ſicut nec perſonarum trinitas, vel verbi incarnatio, quę tamen neceſſariò hinc dependent & antecedunt, argumētatione cognoſcere poſſumus, ſicuti quod natura humana nec Deus eſt, nec eſt natura diuina, quamuis Chriſtus homo ſit & Deus: & ex trinitate cognoſcitur, quòd pater non eſt filius, quodq́; de eius ſubſtantia ſit genitus vnumq́; ſint in ſubſtantia & operatione. Exhibet quidem ſe hic dominus, vt ſibi viſum eſt, ratione nobis inexplicabili, quia tamen ſe in corpore viuo ſexhibet quale in cœlis habet, neceſſarium eſt ipſum eſſe animatum, & non ſine ſanguine. Erroneum eſt præterea quod dicit Bucerus, quòd nephas eſſet quicquā ſectionis in Chriſto cogitare, quamuis ſeorſim corpus & ſeorſim ſanguinem in ſacramento exhiberet. Ex eo enim neceſſariò ſequeretur diuiſum eſſe corpus à ſanguine, & ediuerſò, ſicut erat in triduo mortis. Et quando ſuperiùs dixit dominus doctor Latomus, ad tollendum errorem ſimplicium, ne putarent à corpore ſeiunctum ſanguinem, & in duobus ſacramētis Chriſtum eſſe diuiſum, introductam eſſe ſub ſpecie panis communionem, obijcit Bucerus. Hunc errorem aliquando extitiſſe vbi legiſti? Quem errorem nunquam, vt ipſemet ſcribit, auditum ipſe palam nunc docet & profitetur poſt magiſtrum ſuum Lutherū, qui ſcribens aduerſus quoddam epiſcopi Miſnenſis mandatum, affirmat ſub alterutra ſpecie ſacramenti, alteram tantùm eſſe partem Chriſti, puta ſub ſpecie panis ſolum corpus, & ſub ſpecie vini ſolum Chriſti eſſe ſanguinem, veram fidei relinquēs ſententiam, quā prius fuerat ſequutus, ſicut docet M. N. Ioannes Eckius. Habitat aūt Chriſtus in cordibus noſtris ſed per ſacramentū operatur, vt tota vita ipſum tanquā verè eius mōſtrantiæ, circumferamus in corporibus noſtris. Hic enim finis & effectus eſt huius ſacramenti. Et cum verè ac ſubſtantialiter corpus & ſanguinem ſuum ſub ſacramēto exhiberet, neceſſarium eſt tale corpus in eo adeſſe, quale patri aſsidet in cœlis, viuū ſcilicet & glorioſum. Nec ingratum ei eſſe poteſt monſtrantiam, in qua ſeruatur, auro & argento ornari, cuius iuſſu arca teſtamenti omni ex parte erat auro circumcincta, aurea vrna in qua erat manna, aureum thuribulum. Si enim quod euacuatur, in gloria eſt, multo magis quod manet, in gloria eſt, vt in ſimili dicit Apoſtolus Paulus. Quamuis autem hanc monſtrantiam corporaliter non inhabitat, ea tamen ſubſtantialiter contineri, & in noſtram omnium conſolationem ibi manere dignatur. Ex concomitātia enim eſſentiali & naturali & inſeparabili vnione in ea continetur totus Chriſtus ſecundum vtramq́; naturam.

Hom. 25. de ſacramentis. — *Heb. 9.* — *2. Corint. 3*

Bucerus ad Latomum.

Quod ſubijcis, non vetuiſſe Dominum diſpenſari altera ſolum ſpecie, quum & ipſe ita ſacramentum duobus diſcipulis Emaunti porrexerit, tantundem momenti habet. Primum enim, an Dominus in ea fractione panis duobus diſcipulis ſacramentum corporis ſui dederit, incerta coniectatio eſt: & vt certa ſit, quomodò probabis non dediſſe Dominum his diſcipulis pariter & ſacramentum ſanguinis ſui? Quid enim hoc loco habetur aliud, quàm hos diſcipulos apertis tandem ipſorum oculis agnouiſſe Dominum, cum eis acceptum benedictum, & fractum panem porrexiſſet? Deinde ſi maximè conſtaret, Dominum in hac fractione panis exhibuiſſe ſacramentum ſui ipſius, & id ſymbolo panis tantùm, licet ne propterea ſeruis immutare inſtitutum Domini ſui in hac ſacra cœna, tam clare & diſertè ab eo traditum? An verò non videtur tibi Dominus ſatis vetuiſſe, alteram tantùm ſacramenti ſpeciem de menſa ſua diſpenſare: cùm vtrumq́; dare & accipere, adeo ſanctè inſtituit & præcepit? tu quanquam te hominem agnoſcis, nec digniſsimum iudicas, qui donis Dei profuſius vtare, tamen ſi tuæ familiæ deſertè præcepiſſes, vt ad prandium tibi pararet tria ciborum genera, cùm duobus multò ſalubrius vtereris, eo ipſo tamen velles domeſticos tuos arbitrari eſſe abs te vetitum ipſis duo tātùm tibi genera ciborum exhibere, quod præcepiſſes illis diſerte de tribus: Cur igitur putes vetitum nobis non eſſe, alteram ſolū Eucharistiæ partem de menſa domini diſpenſare, cùm Dominus tam clare inſtituerit & iuſſerit Apoſtolos primum, conſequenter omnes homines adminiſtrare & ſumere vtramq́;, dum ait, Bibite ex eo omnes.

Reſponſio.

Non poteſt incerta eſſe cōiectatio, quā ex euangelio cōcorditer tradunt magni hi doctores, Auguſt. Chryſoſt. & Theophylact. Et corporis dūtaxat, nō ſanguinis ſacramentū iſtis diſcipulis Chriſtū porrexiſſe ipſe teſtatur b. Lucas. Scribit enim ꝙ poſt porrectum panem aperti ſunt eorū oculi, vt ipſum iam cognoſcerent, & euanuit ab oculis eorum. Quando aūt conſtat in hac panis fractione ſub

Cap. vltimo.

ſub ſymbolo & forma panis ſacramentum Dominum exhibuiſſe, ſine tamen ſacramẽti depravatione, mutilatione, & ſuæ inſtitutionis violatione, aliũ videlicet ritum & cæremoniam in eius diſpenſatione hic oſtendens, Eccleſia catholica hanc ſequens cæremoniam non depravat, non dimidiat ſacramentum, nec eius violat inſtitutum, quin potius magiſtrum & Dominum ſuum imitatur, intelligens ex eiuſdem Chriſti ſui ſpiritu ob varium iſtum diſpẽſationis ritum quẽ Chriſtus prior obſervavit ſibi relictam eſſe libertatem ſacramentum hoc diſpenſandi, quemadmodum tempori, perſonis, & fidelium ſaluti conveniret. Iterum hic repetit (ſicut & alias ſæpe) quod planè falſum eſt, Dominum videlicet vetuiſſe alteram tantũ ſpeciem. Et quod dixit, Bibite ex eo omnes, ſimplici & imperito lectori manifeſtũ eſt, præſentibus illis qui menſæ aſsidebant, & non alijs eſſe dictum, ſicut nec alia quæ in eodem Evangelij contextu ſcribuntur.

Bucerus. *Eccleſiæ igitur Chriſti quia ſunt hominum cœtus, & labi poſſunt propter imperitiam miniſtrorum, & inopiam doctrinæ ſyncerioris, ferre potuerunt cum aliqua ignorationis excuſatione, ſpoliari ſe diſpenſatione & perceptione calicis domini, & nihilominus Eccleſiæ Chriſti eſſe. At quæ eruditæ ſunt, quomodo myſterium huius ſacramenti Dominus inſtituit, hæ nõ poſſunt eſſe Eccleſiæ Chriſti, ſi prætermittant quod traditum eſſe noverunt à Chriſto ſponſo & capite ſuo. Adulteræ enim ſunt, non ſponſæ Chriſti, quæ maieſtati & præceptis Chriſti, autoritatem creaturæ ſcientes præferunt.*

Reſponſio. Ad rebellionem & diſsidia adverſus ſuos paſtores hic excitat Bucerus fideles, Ipſe homo apoſtata à ſancta Chriſti religione & profeſsione, quam Deo coram altari in ordine prædicatorum fecit, alios à Chriſto apoſtare facit, & hæreſes ac ſchiſmata ſeminare molitur. Non ſatis eſt ei quod erret ipſe, ſed & alios in errorem, imò in extremũ pertrahit exterminiũ. Eccleſiam ſuam Chriſtus ſuper firmam petram ædificavit, adverſus quã nec portæ inferi prævalere poterunt. Nemo eam potu calicis ſpoliavit (vt obijcit Bucerus) vltro ob ſponſi ſui reverentiam ab hoc potu deſtitit, ſola corporis manducatione contenta. Quas hic dicit Eccleſias eruditas, hæ ſunt quas ipſe mendaci & hæretica perſuaſione cum ſuis eiuſdem impietatis collegis ſeduxit: Adulteræ ſunt Eccleſiæ nõ Chriſti ſponſæ, quæ Eccleſiam ſuper Petrum fundatam (vt inquit Cyprianus) eiuſq; doctrinã relinquunt & contemnunt. Vnica eſt Eccleſia, vnica fidelium domus, quiſq; ab ea ſegregatus adulteræ ſe iungit, à promiſsis Eccleſiæ ſeparatur: nec pertinet ad Chriſti præmia. qui relinquit Eccleſiam Chriſti, alienus eſt, prophanus eſt, hoſtis eſt: Habere iam nõ poteſt Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet matrem. Docet autem b. Cyprianus hanc eſſe veram Chriſti ſponſam illam Eccleſiam,

De ſimplicitate prælatorum.

quæ agnoſcit Petrum, Chriſtique in terris Vicarium.

Bucerus. *D. Cyprianus contra eos nominatim ſcripſit: qui in calice dominico ſanctificando, & plebi miniſtrando, non hoc faciebant, quod Ieſus Chriſtus Dominus & Deus noſter, ſacrificij huius author & doctor, fecit & docuit, videlicet quòd aquam pro vino in calice miniſtrabant: Cùm autem illud D. Martyr ideo tantopere damnarit, quod alienũ eſſet ab inſtituto Domini: nec minus ab eo inſtituto diſceditur, quando calix omnino plebi non miniſtratur, ac cum in eo pro vino exhibetur aqua, planum eſt omnia illa quæ D. Martyr hoc loco cõtra eos adfert, qui ſacramentum Domini violabant, dum aquam in calice loco vini porrigebant: veriſsime dici poſſe, & quadrare hodie in eos, qui idem ſacramentum in eo mutilant, quòd plebi calicem penitus ſubtrahunt.*

Reſponſio. Qui aquam pro vino in calice miniſtrabant, ſacramenti mutabant materiã, nec verè cõſecrabant, nec Chriſti ſanguis ibi in calice continebatur, ſicut ſi in vino miniſtraretur baptiſmus, nullum eſſet ſacramentum, nec vlla fieret regeneratio, nec peccatorum remiſsio. Lõgè autem diverſum eſt in ritu & cæremonia variare, quæ ad ſacramentum eiusq; ſubſtantiam non pertinẽt, ſed ad eius diſpenſationẽ & vſum duntaxat: Atqui hoc ritu ſub ſpecie panis tantum ſacramentum miniſtrandi, Chriſti habemus exemplum & Apoſtolorum. Meritò igitur graviter hoc damnat B. Cyprianus, quòd in calice Domini loco vini offerebatur aqua, cum Chriſtus materiam conſecrationis huius ſacramenti inſtituerit panem & vinum, nõ autem quod vel ſub vtraq; vel altera tãtùm ſpecie fieret ſacramenti diſpenſatio. Non igitur à Chriſti inſtituto hic receditur, quamvis tunc exhibitum eius exemplum non ſequamur. Plurimum quoq; refert in qua vel quali re eius exemplum non ſequamur: quemadmodum ex iuſſu Eccleſiæ aliquando conſecratum eſt in pane fermentato, cum tamen ex Evangelijs manifeſte conſtat Chriſtum panem azymum conſecraſſe.

Bucerus. *Concludo itaque hanc quæſtionem cum D. Cypriano, videlicet, in ſacrificio quod Chriſtus eſt, nõ niſi Chriſtum audiendum & ſequendum eſſe. Hic omnibus Chriſtianis tam accipientibus quàm adminiſtrantibus, idem corpus & idem poculum propoſuit, iuſsitq; pariter omnes vtrumque ſumere. Nihil enim in hoc ſacramento intereſſe inter ſacerdotem & plebem, catholicè & orthodoxè D. Chryſoſtomus teſtatus eſt: Ita obſervavit (quod veluti per manus acceptũ à Domino Apoſtoli tradiderant) vniverſa Eccleſia Chriſti.*

Reſponſio. Et nos Chriſtũ audimus, nec aliquid verbo eius addere audemus, ſervitutem Eccleſiæ imponẽdo in ea cæremonia, in qua libertatem ei reliquit, eius & ſequimur exemplũ corã duobus diſcipulis in Emaus exhibitũ, ſequimur & exemplum ſanctorum diſcipulorum

lorum in Hieruſalem, quibus Apoſtoli menſam parabant poſt acceptum ſpiritum ſanctum in die Penthecoſtes, ob pericula & ſcãdala. Cæremoniam quam in cœna ſeruauit Chriſtus (cùm eam non iuſſerit obſeruari, ſed liberam reliquerit) eodẽ Chriſti ſpiritu conſulente ſanctę Eccleſię tandem reliquit: In cœna autem nouiſsima non omnibus fidelibus, ſed Apoſtolis dũtaxat idem corpus & idem poculum propoſuit. in Emans ſolũ corpus. Quod iuſſerit pariter vtrumq; omnib. Chriſtianis, falſum eſſe oſtẽdimus, nec ſcriptura, nec ratione hoc ꝓbauit Bucerus. Nihil ex Chriſti inſtitutione ac diſpenſatione quoad ſacramenti perceptionem, intereſſe inter laicos & ſacerdotes docuit B. Chryſoſtomus, ſed ritum iſtum communicandi pro fidelium ſuorum ædificatione & ſacramenti reuerentia variandum reliquit. Vnde manifeſtum eſt quòd nihil roboris, nihil firmitatis habent quę adfert Bucerus cõtra diſpenſationem ſacræ Euchariſtiæ ſub ſpecie panis tantum. Suæ igitur ſalutis prodigus eſt & ſpontè ſe perdere eligit, ac in ſempiternum exterminium præcipitare, qui relicta Conciliorum definitione, & generali eccleſiæ catholicæ cõſuetudine legittimè introducta, eius ſequitur ſententiam. Nos aũt ex ſuperioribus aliter concludere poſſumus: Cùm Chriſtus dominus de hac cæremonia vtriuſq; vel alterius ſpeciei nihil diſpoſuerit, ſicuti nec de his quæ Apoſt. Paul. ordinauit, & diſpoſiturum ſe ſcribit in Eccleſia Corinthiorum, atq; ita libertatem vtendi cęremonia, quæ magis pro tempore ad vitanda pericula & ſcandala cõuenire videretur, reliquerit: habeamus præterea Chriſti exemplum & ſancti Petri, aliorumq́; Apoſtolorũ, poſt abolitam cõſuetudinem ſub vtraq; ſpecie communicandi, ſpontaneo conſenſu eccleſiæ catholicæ rectè definitum eſt & declaratum, quòd huiuſmodi conſuetudo ob pericula & ſcandala legittimè ſit introducta, quòdq́; ſcripturis non aduerſatur, & quòd hæretici ſint illi, qui eam quaſi Chriſti inſtitutioni atque Euangelio repugnantem improbant.

NEc plus ſoliditatis habent quę adducit Ioannes Caluinus in Antidoto articulorum facultatis ſacræ Theologiæ Pariſienſis, ſuper materijs fidei noſtræ hodie cõtrouerſis, vbi ſcribit contra articulum ſeptimum in quo idem dicitur, quod habet hic noſter articulus.

Caluinus. *Mandatum, inquit, eſt Chriſti, Bibite omnes. Quin etiam cùm de pane ſimpliciter dixiſſet, Accipite, manducate, cum ad calicem ventum eſt, iubet nominatim vt omnes bibant.*

Reſponſio. Si mandatum eſt, eos ſolos reſpicit qui præſentes aderant, duodecim videlicet Apoſtolos, quibus ſolis loquebatur & quibus dicebat, omnes vos in me ſcandalum patiemini in iſta nocte, hos cùm ſingulariter dilexiſſet, in finem eos dilexit & peculiaria amoris beneficia eis exhibuit, diximus & alias cauſas ob quas cõueniebat eis corpus & ſanguinem diſpenſare.

Caluinus. 1. Cor. 11. *Hoc ſe Apoſtolus Paulus tradidiſſe Corinthijs, ſicut acceperat à domino teſtatur. Ratio quæ adduci ſolet de concomitantia, locum hic non habet, Neque enim quid nobis det Chriſtus intueri ſolum conuenit, ſed etiam qualiter, aut ſi mauis, modus inſpiciendus eſt, quo Dominus ſeipſum nobis vult communicare. Quemadmodum ergo ſub pane dat nobis corpus, ita etiam ſub calice ſanguinem. Proinde nihil nobis aliud reſtat, niſi vt obediamus eius mandato, ex eius manu ſumẽdo ſigna quæ porrigit nobis, vt rerũ veritate fruamur. Nã quia corporei ſumus, quemadmodum Chryſoſtomus admonet. ſub viſibilibus, pro captu moduli noſtri ſpiritualia nobis diſpenſat.*

Reſponſio. Non dicit Apoſtolus Paulus quod Chriſtus omnibus Chriſtianis locutus fuerit ac iuſſerit, Bibite ex eo omnes, & reclamat ſeries hiſtorię: ſimplici autem lectori euidens erit, ſolis duodecim Apoſtolis Chriſtũ hoc dixiſſe: & hæc concomitantia ſequitur rerũ naturas, quomodocunque corpus ſuum & ſanguinem Chriſtus dederit, ſiue ſub forma propria, ſiue ſacramentaliter ſub panis & vini ſpeciebus. Neceſſarium enim eſt adeſſe animam & ſanguinem: item hominem ipſum eiuſq; perſonam, ſi adeſt corpus hominis viui. Sed quia Caluinus ſola fide in ſacramento corpus & ſanguinem Domini, nõ reali præſentia apprehendi docet, & intelligentia per abſtractionem hæc ſeparari poſſunt, ideo ſecundum eius & aliorum ſacramentariorum opinionem non habet locum iſta concomitãtia, quæ rerum ſequitur naturas, non intellectus conſiderationem, qua etiam maximè coniuncta ſeparari poſſunt. Nec ſolum ſub viſibilibus quaſi ſignis dantur in hoc ſacramento corpus & ſanguis Chriſti (vt docet Caluinus) ſed reipſa, facta conuerſione panis in corpus, & vini in ſanguinem.

Caluinus. Hom. 60. ad populum De reſurrect. carnis Li. 3. Eccleſiaſt. hiſtoriæ c. 8. in Sophon. In 2. Corint. cap. 9. *Hic ritus obſeruatus fuit in Eccleſia vltra annos mille, ſicut teſtantur omnium patrum ſcripta. Caro, inquit Tertullianus, corpore & ſanguine Chriſti paſcitur, vt anima de Deo ſaginetur. Et Theodoretus verba Ambroſij refert ad Theodoſium Imperatorem. Quomodo huiuſmodi manibus ſacrum Domini corpus ſuſcipies? qua audacia poculum precioſi ſanguinis ori tuo admouebis? Hieronymus, Sacerdotes qui Euchariſtiam conficiũt, & ſanguinem Domini populo diſtribuunt. Item Chryſoſtomus, non ſicut in veteri lege partem comedebat ſacerdos, partem verò populus, ſed ea quæ ſunt Euchariſtiæ, communia ſunt omnia inter ſacerdotem & populum. Omnibus vnum corpus proponitur & calix vnus. Sed de obſeruatione non eſt controuerſia, quam omnes talem fuiſſe fatentur.*

Reſponſio. Act. 2. Poſt hunc ritum aliam diſpenſationis ſacramenti huius formam oſtẽdit Chriſtus apud diſcipulos in Emaus, obſeruauerunt

quoque aliam Petrus, reliquiq; Apoſtoli in Hieruſalem. Et ſi nunquã alius ritus ſeruatus eſſet, quando à Domino vtriuſque ſpeciei communio præcepta non fuit, mutari hæc cæremonia potuit, exigente ſacramenti reuerentia ac fidelium ſalute, periculis & ſcandalis. Atque hanc reſponſionem veram ad ſuam ratiocinationem obuiã videns, addit:

Caluinus. De conſec. diſt. 2. cap. Cõperimus. epiſt. 2. de lapſis.

Quod autem ſic fieri omnino oportere cenſuerint, conſtat ex decreto Gelaſij, qui arceri iubet à toto ſacramento, qui calice abſtinent, quoniam diuiſio huius myſterij, inquit, grandi ſacrilegio non careat. Cyprianus verò fortiter contendit, nullo modo admittendum eſſe hoc ſacrilegium.

Reſponſio. Parum Caluinum mouet Gelaſij, omniumque veterum authoritas, quos vniuerſos contemnit, ideoque ſcripturã adducere oportebat, quando quaſi deſtitutus & diffiſus ſuis argumentis, extremam adijcit probationem, quòd omnino ſic fieri oportebat ſicut hic communionis ritus ſub vtraque ſpecie à patribus fuit obſeruatus. Gelaſius papa epiſtolas ſuas Eccleſiæ iudicio libẽter ſubieciſſet. Et verum eſt in ſacerdotibus quod ex decreto Gratiani ex eius epiſtola citatur, ſed laicos non complectitur hæc eius ſententia, ad quos tamen Calu. eam extendit. Aduertere hic oportet, quòd Caluinus non meminit primarij fundamenti, quo potiſſimum nititur Mart. Bucerus contra ſpeciem panis tantùm, & pro neceſſitate vtriuſque ſpeciei, verbo videlicet Domini, Hoc facite in meam commemorationem. Nouit enim eius infirmitatem, & ideo ad alia eiuſdem dominicæ cœnæ verba recurrit quę propter vniuerſalitatem, quandam apud populum habere apparentiam videntur, ſcilicet, Bibite ex eo omnes. Verùm legenti ſacrũ Euãgelium quantumuis etiam imperito, manifeſtum erit, ꝙ ſignum vniuerſale ſolos complectitur duodecim Apoſtolos, qui aderant præſentes.

EAdem ferè argumenta contra communionem corporis ſub ſpecie panis tantùm, proponit Confeſſio Auguſtana, & in eius Apologia Philippus Melãchthon, quę quia paulò plus momenti habere videntur, & maiori cum apparentia adferuntur, oſtendemus etiam ea eſſe infirma.

Habet Confeſsio.

Cõfeſsio Auguſtana.

Datur apud nos laicis vtraque pars ſacramenti in cœna Domini, quia ſacramentum inſtitutum eſt non ſolum pro parte eccleſiæ, ſcilicet presbyteris, ſed etiam & reliqua eccleſia: Igitur & populus vtitur ſacramento ſicut Chriſtus inſtituit, Et quidem Chriſtus inſtituit Matthæi 26. Bibite ex hoc omnes. Vbi manifeſtè ait de poculo, vt omnes bibant. Et ne quis cauillari poſſit, quòd id tantùm ad ſacerdotes pertineat, Pauli ordinatio apud Corinthios teſtatur, totam Eccleſiam communiter vſam vtraque ſpecie. Hic mos diu manſit etiam in Latinis Eccleſijs, nec conſtat quando, aut quo authore mutatus ſit. Cyprianus aliquot locis teſtatur, populo ſanguinem datum eſſe, vt ad Cornelium Papam ſcribens. Et Beatus Hieronymus, Extat in decretis Canon Pontificis Gelaſij. Item in hiſtoria tripartita, in obiurgatione Theodoſij Imperatoris, quem Ambroſius voluit ad communionem admittere ſine pœnitentia, propterea quòd Theſſalonicæ paucorum militum necem, qui per tumultum interfecti fuerant, nimis acerbè vltus erat, trucidaueratq; ſeptem milia ciuium. Hic Ambroſius inquit, Quomodo his manibus ſuſcipies ſanctum Domini corpus, qua temeritate ore tuo poculum ſanguinis precioſi percipies? & cætera. Conſtat igitur veteris Eccleſiæ morem fuiſſe, dare populo vtramque ſacramenti partem, tantùm conſuetudo non ita vetus adimit populo alterã partem. Non diſputabimus, quid ſentiendũ ſit de conſuetudine recepta cõtra authoritatẽ Apoſtolicæ ſcripturæ, contra canones contra exemplũ veteris Eccleſiæ. intelligunt enim oẽs pij, conſcientias de doctrina Chriſtiana verbũ Dei conſulere debere, nec approbandũ eſſe conſuetudinem contra verbum Dei. Quanquam aũt conſuetudo mutauerit in Latina Eccleſia veterem morem, tamen non improbet nec prohibet. Nec verò humana authoritas prohibere ordinationem Chriſti & receptiſſimum veteris Eccleſiæ vſum debet. ideo nos nõ diximus prohibendum eſſe vſum integri ſacramenti.

Epiſt. 2 li. 1. in Zachariã cap. 3. primus. De cõſecr. diſt. 2. ca. Cõperimus.

Reſponſio. Quòd contra generalem Eccleſiæ catholicæ conſuetudinem, ob pericula & ſcandala vitanda, ſpiritus ſancti ſuggeſtione, legitimè introductam, iuxta Concilij vniuerſalis declarationem & decretum, ex peruerſa ſcripturarum intelligentia ſeducti, vos veſtra authoritate nouum erigitis altare contra domum Iſrahel, nemo ſapiens probare poterit, cum reliquis Eccleſiæ membris vnitatem & conformitatem veſtro affectui & iudicio pręferre oportebat. Sed dicitis. Scripturæ nos cogunt, nec aliter conſcientijs noſtris ſatisfacere poſſumus. Quæ obſecro ſunt hæ ſcripturæ, quæ rationes? Nempe iſtæ.

Sacramentum inſtitutum eſt non pro parte Eccleſiæ, ſcilicet presbyteris, ſed etiã pro reliqua Eccleſia. Bibite ex eo omnes.

Docemus quidem & nos pro tota Eccleſia eſſe inſtitutum, videlicet vt ſacrificium habeat quod ſacerdotum miniſterio patri repræſentet & offerat in victimę filii eius dilecti recordationem: ſicut in lege agnus Paſchalis offerebatur in commemorationem liberationis populi à ſeruitute AEgypti. Nam Euthimius in Comentar. Matthæi, tractans ex Beato Luca, verba Domini, Hoc facite in mei recordationem. Hoc, inquit, nouũ myſterium, & non illud vetus Siquidem vetus illud myſterium in recordationem inductum eſt ſalutis Hebræorum primogenitorum, hoc autem in recordationem Domini. Per tale enim ſacrificiũ reminiſcimur, quòd corpus ſuum in mortem tradiderit, & ſanguinem ſuum effuderit, ac ita continuatè memo-

Ca. 26. circa locũ. Qui pro multis effundetur.

memoriam renouamus. Vidiſti quo pacto diſcipulos à veteri ſacrificio in nouum trãſtulerit, de quo latius articulo ſequente, & ſicut agnus immolatus per familias & domos edebatur, ſecundum legis præſcriptum, ita nunc corpore & ſanguine vtimur poſt oblationem, ſecundum prudentem Præpoſitorũ diſpoſitionem, quos Eccleſiæ ſuo loco Chriſtus gubernatores reliquit. Non enim (vt inquit beatus Auguſtinus) Dominus pręcepit, quo deinceps ordine ſumeretur ſacra Eucharistia, vt Apoſtolis per quos eccleſias diſpoſiturus erat ſeruaret hunc locum. Eſt itaque ſacramẽtum inſtitutum, vt offeratur pro viuis & mortuis: ſicut panes propoſitionum in oblationem, & agnus paſchalis in ſacrificium. Deinde ſecundo loco, vt ſit cibus & potus miniſterio Apoſtolorum & ſacerdotum (quos menſæ hic præfecit) fidelibus diſpẽſandus pro eorum ſalute & ædificatione: quibus & præcipitur, Nolite ſanctum dare canibus: & vt ab iſta menſa repellant, quando honori & reuerentiæ eius hoc conuenire viderent. Non igitur inferri poteſt, quòd populus vti debeat ſacramento ſecundum vtramq; eius partem, niſi intelligatur eo vti tanquam ſacrificio quod ipſa eccleſia patri offert, ſecundum ſententiam B. Auguſtini, In quotidiano, ait, Eccleſiæ ſacrificio tã ipſa per ipſum Chriſtum, quàm ipſe per ipſam ſuetus eſt offerri. Quòd autem edendo & bibendo populus hoc ſacrificio vtatur, Chriſtus non inſtituit. Et quidem Chriſtus, inquit, Bibite ex hoc oẽs, ſed ſolis duodecim loquitur Apoſtolis, nõ populo, vt ſæpe repetere cogimur. Eccleſia aũt Corinthiorũ vſa eſt vtraq; ſpecie, ſed an Pauli, an alterius inſtitutione, non ſatis conſtat: & fortaſsis exemplo communicationis à Chriſto in vltima cœna oſtenſo. Eſt & mos iſte in eccleſijs Latinis ſeruatus. Sed quia mos ſolũ erat populi Chriſtiani, & Præpoſitorum ordinatio, non Chriſti mandatum, mutari & aboleri per Eccleſiam poterat, maximè quando ex eius obſeruatione nata ſunt pericula & ſcandala, ſicut diximus Ezechiam regem deſtruxiſſe ſerpentem æneũ, quem Moyſes fecerat ex iuſſu Dei. Soli autem ſacerdotes miniſtri ſunt conſecrationis & diſpenſationis ſacramenti, qui ſuo fungentes miniſterio, Chriſtum repræſentant, & plenam victimæ crucis tenentur facere memoriã, & propterea non ſine grandi ſacrilegio vnum idemq; myſterium diuidere poſſunt, vt inquit Gelaſius papa.

Matth. 7.

Lib. 20. de ciuit. Dei, cap. 20.

4. Reg. 18.

loco vt ſupr.

Quod verò dicit Confeſsio, quòd cõſuetudo non ita vetus adimit populo alteram partem, certè tam vetus, vt dixerit ante annos centum & viginti concilium Conſtantienſe eam diutiſsimè obſeruatam in Eccleſia catholica. Et hæc communio ſub ſpecie panis tantum, apud ſanctos in Hieruſalem ſub Petri aliorumque Apoſtolorum gubernatione vetuſtior eſt, quàm ea quæ fit ſub ſpecie vtraque. Nec vlla Apoſtolicæ ſcripturæ authoritas prohibet, aut improbat nunc receptam conſuetudinem in Hieruſalem à fidelibus ſeruatam. Et aboleri poſſunt ſacri canones, item conſuetudines & decreta quæ traduntur in ſcripturis ſacris, quando ſunt Apoſtolorum, & non diuinæ conſtitutionis: quemadmodum manifeſtum eſſe diximus de Apoſtolorum decreto, vt nõ veſcamur ſuffocato & ſanguine: & quod Paulus mandat de non ordinando bigamo. Nam vbi cauſa non hæret, vt inquit Ambroſius, vitium non imputatur. Eccleſiaſticæ namq; prohibitiones proprias habent cauſas, quibus ceſſantibus ceſſant & ipſæ. Suademus etiam & nos, conſcientias de doctrina Chriſtiana verbum Dei conſulere debere, atque hic conſuluimus hoc verbum Dei, quod adducunt aduerſarij, & nullum in eo inuenitur Chriſti præceptum, ſed populo Chriſtiano liberam eſſe relictam hanc cæremoniam deprehendimus. Conſuetudinem verò alterius ſpeciei introductam, morem veterem in Latina eccleſia nõ ſolum mutaſſe, verùm etiam improbare & prohibere, apertè teſtatur generale Concilium, declarans eã obtinere vim legis & propterea debere ſeruari, ſicuti mos vetus ſeruari debebat, quando vim legis obtinuit. Item quòd populus mauult integro ſacramẽto vti, ſine quo conſcientię eius non pacantur, profectum eſt ex falſa magiſtrorum ſuorum, à quibus miſerè eſt ſeductus, perſuaſiõe. Explicetur ei quòd nulla eſt domini in hac communione ſub vna vel vtraq; ſpecie, ordinatio: item quòd nihil patiatur detrimenti, imò plus commodi & ſalutis, ſi ſub altera tantùm ſpecie cõmunicet, & quòd ſacramenti reuerentia hoc requirat, & fortè gratius Deo. Quod ſi fiat, nõ diutius ſollicitabit ad communicandum ſub vtraque ſpecie.

Act. 15.

Epiſt. ad Verſalenſes.

Gratia. diſt. 61. cap. Statuimus.

PHilippus Melanchthon in Apologia huius confeſsionis Auguſtanę aliquid melioris coloris ei addere, eamq; exornare conatur, ſed tantũ eſt fucus meretricius qui nihil habet veritatis. Ait enim.

Non poteſt dubitari, quin pium ſit & conſentaneum inſtitutioni Chriſti & verbis Pauli, vti vtraq; parte in cœna Domini. Chriſtus enim inſtituit vtramq; partem, & inſtituit non pro parte Eccleſia, ſed pro tota. Nam non presbyteri ſolum, ſed tota Eccleſia authoritate Chriſti, non authoritate humana, vtitur ſacramento, idq; fateri aduerſarios exiſtimamus. Iam ſi Chriſtus inſtituit pro tota Eccleſia, cur altera ſpecies adimitur parti Eccleſiæ? cur prohibetur vſus alterius ſpeciei? cur mutatur ordinatio Chriſti, præſertim cũ ipſe vocet eã teſtamentum ſuum? Quòd ſi hominis teſtamẽtum reſcindere non licet, multo minus Chriſti teſtamentum reſcindere licebit.

Melãchthon

Numer. 21.

Aliquandò pium erat erigere ſerpentem æneum, & percuſſos in eum aſpicere vt ſanarentur, pium erat & ipſum ſeruare, ipſumq; tanquam ſignum populo proponere. Hoc ipſum autem hominum & temporum mutatione

Reſponſio.

tione factum eſt impium. Commendatur enim rex Ezechias, quòd ipſum detraxerit atque cõfregerit, eò quòd filij Iſrael adolerẽt ei incenſum. Pium etiam erat legis tempore immolare agnum Paſchalem, & ſecundum legis cæremonias ipſũ comedere, quod nunc impium factum eſt & irreligioſum atq; Iudaiſmum reducit.

Lib. 22. contra Fauſtũ, cap. 47. & 48. Dicit beatus Auguſtinus, Obijciuntur Iacob quatuor vxores, quod quando mos erat peccatum non erat, nunc autem impium eſſet & graue crimen. Item alibi de coniugio fratris & ſororis, & poſtea de connubijs conſobrinarum, quæ olim fiebant, quia nec diuina, nec etiam tunc lex prohibuerat humana, peccata non erant, quæ tamen poſtea facta ſunt iniqua & peccata, temporum mutatione & legis acceſſu: *Libr. 15. de ciuit. Dei, cap. 16.* Ita pium erat & ſanctum vti vtraque parte ſacramenti, quando mos erat eccleſiarũ, nunc autem contra conſuetudinem legitimè introductam & declaratam habere vim legis, veterem illũ & abolitum morem ſequi eſt iniquum. Inſtitutioni verò Chriſti in qua nihil de hac cæremonia diſpoſitũ eſt, neuter mos propriè eſt conſentaneus, eò quòd vtrũque permittat: imò eidem inſtitutioni aduerſatur, qui eccleſiam in hac cæremonia ſeruituti ſubijcit, in qua Chriſtus eam liberam manere voluit: Et vt dicit Cardinalis Caietanus, licet cõmunio ſub vtraque ſpecie ſit fortaſsis magis conſentanea per modum aſsimilationis inſtitutioni & integritati ſacramenti, communio tamen populi ſub ſpecie panis tantùm, magis conſentanea eſt pręcepto Chriſti, Hoc facite in meam commemorationem: Item & rectæ rationi curam gerenti de reuerentia ſacramenti. Quæ beatus Paulus de vtraque ſpecie ad Corinth. differit, præſupponunt morem illum apud eos non diuinitus, ſed à ſuis prępoſitis ordinatum, vel cœnæ Dominicæ exemplo aſſumptum. Illa autem à Domino accepit, quæ per eum ad Apoſtolos dicta eſſe commemorat. Quomodo verò Chriſtus pro tota Eccleſia vtramq; ſpeciem inſtituit, iam ſtatim diximus, non vt calicem tota biberet, ſed vt patri vna cum corpore offerretur. Et Chriſti quidem authoritate, non humana tota Eccleſia ſacra Euchariſtia vtitur, cæremonia tamen ſub vtraque vel altera ſpecie ſumendi, non eſt ex authoritate vel diſpoſitione Chriſti. *Epiſt. 808. ad Ianuar.* Nam hunc locũ eccleſiæ Præpoſitis reliquit, ſicut docet B. Auguſt. ex ſententia Apoſtoli Pauli, Cætera cùm venero diſponam. Atque adimitur parti eccleſiæ altera ſpecies ex conſuetudine, ſpõtanea eius voluntate, ob pericula & ſcandala vitanda, introducta, Chriſti ordinatione penitus immutata, & ex omni parte inuiolato permanente eius teſtamento.

Melãchthon *Et Paulus inquit ſe à Domino accepiſſe quod tradidit, tradiderat autem vſum vtriuſq; ſpeciei, ſicut clarè oſtendit textus primæ Corinth. 11. Hoc facite, inquit, primum de corpore. Poſtea eadem verba de poculo repetit: & deinde, Probet ſeipſum homo, & ſic de pane edat, & de poculo bibat. Hæc ſunt verba diſponentis. Quare conſtat pro tota Eccleſia ſacramentum inſtitutum eſſe. Et manet mos adhuc in Eccleſijs Græcis, & fuit quondam etiam in Latinis Eccleſijs, ſicut Cyprianus & Hieronymus, & Synodus Toletana teſtantur. Hic prudenti Lectori expendendum relinquimus quid cenſendum ſit de diuina inſtitutione.*

Reſponſio. Quid dicat ſe Apoſtolus à Domino accepiſſe, & tradidiſſe Corinthijs, clarè ipſemet explicat proſequens verba Domini ad ipſos apoſtolos. Ait enim, Quoniam Dominus Ieſus in qua nocte, &c. quæ ad eos ſolos diriguntur, non ad Corinthios, vſque ad locum, Itaq; quicunque manducauerit panem, &c. Ex quibus Domini verbis Corinthios hortatur ad reuerenter communicandum, & in primis ad ſe præparandum, atque probandũ priuſquam corpus manducent & calicem bibant, cùm corpus Domini ſit quod edunt, & ſanguis eius quem bibunt. Ab eo igitur loco Pauli verba ſunt, non quæ à Domino acceperat. Non igitur Paulus à Domino accepit, quod Corinthijs vtriuſque ſpeciei vſum tradidit, ſed vel ſua authoritate apoſtolica tradidit, vel ab alijs præpoſitis traditũ inuenit. Et quòd dicit, Probet ſeipſum homo, verba ſunt Pauli, non tam diſponentis, quam ex verbis Chriſti, quia corpus eius eſt quod ſumunt, exhortantis. Non negamus vtriuſque ſpeciei morem fuiſſe in eccleſijs etiam Latinis, & quãdo mos erat, pium & ſanctum erat ſecundum eam cæremoniam communicare, impium autem violare. Ius quoq; tunc erat fidelibus vtramq; ſpeciem à ſuo paſtore exigendi. Quando autem hunc morem ipſa Eccleſia abrogauit ob pericula & ſcandala vitanda, grande crimen eſt eandem conſuetudinem in Eccleſiam reducere, quando iam mos alterius ſpeciei inductus, vim & efficaciam legis obtinet, & Concilij generalis definitione eſt approbatus. Et nos hic prudentem lectorem oramus, vt expendat quid ſentiendum ſit de diuina circa has cæremonias ordinatione, an ne eccleſiæ libertati ſint relictæ. Nos hanc libertatem tuemur. Puto iam euidens factum eſſe, quòd nulla ſcriptura quam adferunt aduerſarij harũ cæremoniarum ſeruitutem vel neceſsitatem imponit. Nam ſub vtraq; ſpecie ſacramentum Chriſtus inſtituit, ſed in ſacrificium patri offerendum, in memoriam filij ſibi chariſsimi, & vt poſt oblationem ſacramento vtamur ſecundum ſanctę Eccleſiæ diſpoſitionẽ, quæ Chriſti ſponſi ſui ſpiritum ſemper habet.

Melãchthon *Aduerſarij in confutatione non hoc agunt vt excuſent Eccleſiam, cui adempta eſt altera pars ſacramenti, id decuit bonos & religioſos viros. Erat quærenda firma ratio excuſandæ Eccleſiæ, & docendarum conſcientiarũ, quibus non poteſt contingere niſi pars ſacramenti.*

Reſponſio. Nulla hic opus eſt excuſatione, cùm Chriſtus Eccleſiæ reliquerit libertatem ſacra Eu-

chariſtia vtendi eo ritu & more, qui magis conuenire videretur pro honore ſpōſi ſui & fidelium ſalute. Quando autem hanc libertatem relictā eſſe Eccleſijs conſcientijs perſuadetur, tranquillæ erūt & pacatæ, ſi ſub ſola panis ſpecie ſacramentum iſtud ſumant.

Melāchthon *Nunc ipſi defendunt rectè prohiberi alteram partem, & vetant concedere vſum vtriuſque partis. Primùm fingunt initio Eccleſiæ alicubi morem fuiſſe, vt vna pars tantum porrigeretur, nec tamen exemplum huius rei verus vllum adferre poſſunt, ſed allegant locos, in quibus fit mentio panis, vt apud Lucam, vbi ſcriptum eſt, quod diſcipuli agnouerint Chriſtum in fractione panis: citant & alios locos de fractione panis. Quanquam autem non valdè repugnamus, quò minus aliqui de ſacramento accipiantur, tamen hoc non conſequitur, vnam partem tantum datam eſſe, quia partis appellatione reliquum ſignificatur communi conſuetudine ſermonis. Addunt de laica communione, quæ non erat vſus alterius tantum ſpeciei, ſed vtriuſque. Et ſi quando ſacerdotes laica communione vti iubentur, ſignificatur quòd miniſterio conſecrationis remoti fuerint.*

Reſponſio. Diximus exoleuiſſe morem vtriuſq; ſpeciei per alteram conſuetudinem, quæ tandem vim legis obtinuit, ex qua vetatur populo, potiùs quàm ex conſtitutione aliqua ſcripta, vtriuſq; ſpeciei vſus. Propter quam conſuetudinem defendimus, rectè prohiberi vſum vtriuſque partis. Nec fingimus initio eccleſię alicubi morem fuiſſe, vt vna pars tantùm porrigeretur, ſed ex ſcripturis ſecūdum patrum interpretationem hoc docuimus. Et quòd appellatione partis reliquum ſignificetur, nō patitur ſeries hiſtoriæ, quàm refert beatus Lucas. Ipſe quoque Melanchthon docet ſcripturam non eſſe ad tropum referendam, quando nihil incommodi habet ſenſus eius proprius. Intelligitur deinde laica communio, qua laici communicāt, ſiue ſub vna, ſiue ſub vtraque ſpecie. Fatemur igitur ex laica ſacerdotum communione nō probari alterius tantum ſpeciei communionem, niſi quando laici illa cęremonia communicabant.

Melāchthon *Allegant & periculum effuſionis & ſimilia quædam, quæ non habent tantam vim vt ordinationem Chriſti mutent. Et fingamus ſanè liberum eſſe vti vna parte, aut ambabus, quomodo poterit prohibitio defendi? quanquam Eccleſia non ſumit ſibi hanc libertatem, vt ex ordinationibus Chriſti faciat res indifferentes. Nos quidem Eccleſiam excuſamus, quæ hanc iniuriam pertulit, cùm vtraq; pars ei contingere non poſſet: ſed authores qui defendunt rectè prohiberi vſum integri ſacramenti, quiq; nunc non ſolùm prohibent, ſed etiam vtentes integro ſacramento excōmunicant, & vi perſequuntur, non excuſamus. Ipſi viderint quomodo Deo ſuorum conſiliorum rationem reddituri ſint.*

Reſponſio. Iam diximus in his cæremonijs vtriuſque vel alterius ſpeciei, nullam eſſe Chriſti ordinationem, ſed eas relictas eſſe eccleſiæ iudicio. Quod ſentiens Philippus dicit, Fingamus ſanè liberum eſſe, quod rei veritas eſt, nec fictione opus habet. Quomodo (quærit) poterit prohibitio defendi? Certè defendetur iure conſuetudinis longæuæ, quam ſuis actibus, ſuoque conſenſu ſponte Eccleſia induxit ob pericula, ſcandala, & reuerentiam ſacramenti, vtens libertate qua Chriſtus eā, ſuam, inquam, Eccleſiā donauit, non vnumquemque fidelium, qui ſe accommodare debet conſuetudini loci in quo verſatur. Et ideo nullam hic pertulit Eccleſia iniuriam, cùm ſponte ab vtraque ſpecie receſſerit. Et in generali Concilio Conſtantienſi mandatur ordinarijs, vt puniant eos qui communicando populum ſub vtraque ſpecie panis & vini, exhortati fuerint, & ſic faciendum eſſe docuerint. Item, vt ad pœnitentiam redire nolentes, tanquam hæretici (quales verè ſunt) coerceātur. Nam vt dicit beatus Auguſtinus, In his rebus in quibus nihil certi ſtatuit diuina ſcriptura, mos populi Dei & inſtituta maiorum, pro lege tenenda ſunt, & ſicut præuaricatores diuinarū legum, ita contemptores Eccleſiaſticarum conſuetudinum coercendi ſunt. Seſs.13. Epiſt.86. ad Caſulanum.

Ex his quæ diximus manifeſta eſt reſponſio ad ea quæ proponit Confeſsio VVirtembergen. contra ritum communicandi ſub ſpecie panis. Supponit enim Chriſti eſſe ordinationem, quòd vniuerſa Eccleſia vtraque ſacramenti parte vtatur, nullam adducēs ſcripturam, nullam rationem, ſed ſolam Gelaſij papæ ſententiam. quæ tamen nullam fidem vel authoritatē apud eam habet. Ait autem.

Quod autem ad Euchariſtiæ vſum attinet. Primum, & ſi non negamus, quin totus Chriſtus, tam pane quàm vino Euchariſtia diſpenſetur, tamen docemus vſum vtriuſque partis debere vniuerſæ Eccleſiæ communem eſſe. Manifeſtum enim eſt quòd Chriſtus ipſe nihil periculis, quæ poſtea humana ſuperſtitione excogitata ſunt, aut alijs commentis deterritus, tradiderit Eccleſiæ vtramque partem vtendam. Confeſs. VVirtemb.

Benè habet, quòd contra doctrinam Buceri, Lutheri, & Caluini, doceat hæc Confeſsio, totum Chriſtum ſub vtraque ſacramenti parte diſpenſari. Quòd verò vtraque pars vniuerſæ Eccleſiæ debeat eſſe communis, nunquàm ſcripturis aut efficaci ratione probabit, nec etiam Chriſtum Eccleſiæ tradidiſſe vtramq; partem eſſe vtendam. Nec excogitata ſunt pericula effuſionis ſanguinis, ſed frequenti experientia euidenter etiam comperta: nec pericula ſolùm, ſed & ſcandala, vt dicit Concilium Conſtantienſe. Reſponſio.

Manifeſtum etiam eſt, quòd vetus Eccleſia vſa ſit vtraque parte multis annis, & teſtantur aliquot ſcriptores perſpicuè, eos qui ſolum panem accipiunt Confeſs.

cipiunt, non accipere plenum ſacramentum ſacramentaliter (ſic enim loquuntur) & diuiſionem vnius eiuſdemq; myſterij ſine grandi ſacrilegio fieri non poſſe.

Reſponſio. Docuimus ſuperius Eccleſiam etiam Romanam multis annis vſam fuiſſe vtraq; ſpecie. Sed quia hic vſus non erat ex diuina inſtitutione vel præcepto, iuſtis ex cauſis aboleri potuit. Iuſtior autem abolendi cauſa contingere non potuit, quàm ſunt ſcandala & pericula ſacrilegij. Et libenter confitemur, quòd communicantes ſub vna ſpecie tantùm, non plenum accipiunt ſacramentum, quod ex duabus conſtat partibus, perfectam tamen & plenā accipiunt rem ſub ſacramento contentam, Chriſtum videlicet totum, vt habet ipſa Confeſsio, plenam etiam ſacramēti efficaciam & effectum. Diuiſionē autem vnius eiuſdemq; myſterij fieri non poſſe ſine grandi ſacrilegio, Dicit Gelaſius papa in ſacerdote, qui Chriſti vicem & perſonam gerens ſacroſanctum hoc celebrat myſterium.

Confeſſ. *Quare ſentimus vſum vtriuſq; partis eſſe verè Catholicum & Apoſtolicum, nec licere vlli homini hanc Chriſti inſtitutionem, & tam diuturnum veteris ac veræ Eccleſiæ ritum pro ſua libidine mutare, & laicis, vt vocant, alteram partem Euchariſtiæ auferre.*

Reſponſio. Fuit quidem vtriuſque partis vſus verè Catholicus, hoc eſt, vniuerſalis in plurimis ſaltem Eccleſijs, & ab Apoſtolis vel ordinatus vel permiſſus: vetuſtiorem tamen diximus alterius ſpeciei vſum apud ſanctos & primos diſcipulos in Hieruſalem, & duos diſcipulos in Emaus. Vſum verò illum vtriuſque partis aboleri conueniebat, quando ſcandala & pericula ex eo naſcebātur, & ob has cauſas nulli homini, toti tamē Eccleſiæ, cum mutare & abolere licebat, cùm non eſſet Chriſti inſtitutio, ſed ritus per Eccleſiarum Præpoſitos, vel ipſas Eccleſias introductus. Quando autem ob cauſas legitimas ſacramenti vſus ſub vnica ſpecie eſt introductus, nulli homini, nulliq́ue Eccleſiæ particulari hunc ritum, nunc diuturnum pro ſua libidine mutare, & vtramque ſpeciem laicis miniſtrare licet, eò quòd iam vim legis ſecundum generalis Concilij declarationem obtinuit.

Confeſſ. *Mirandum eſt, quòd hi qui profitentur ſe ritus veteris Eccleſiæ propugnare, tam procul hac in parte à veteri eccleſia recedant.*

Reſponſio. *Lib. 3. Confeſſ. cap. 7. & 8. & lib. 1. de libero arbit. cap. 6.* Non ita ritus veteris Eccleſiæ propugnamus ac profitemur, atque eius dogmata. Illi enim pro temporum & perſonarum conditione mutantur, ſicut docet beatus Auguſt. dogmata verò immobilia manent, nec mutantur per tempora.

CVM ex Aeneæ Syluij hiſtoria de origine Bohœmorū reperimus Iacobellum quendam hereſim de communione ſub vtraque ſpecie ſacræ Euchariſtiæ inuexiſſe in Bohœmiam, & ex ſententia Saluatoris, Niſi mãducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, perſuaſiſſe paſtori Pragenſi euangelio aduerſari communionē ſacramenti ſub ſpecie panis tantum, citatis pro ſua ſententia veterū commentarijs, operæprecium fuerit hanc Domini Saluatoris ſententiam tractare, & explicare capitis ſexti apud Ioannem germanum ſenſum, an videlicet intelligatur de ſacramentali mãducatione & potu, carnis & ſanguinis Domini, an ſpirituali tantum. Nam doctores Catholici ſuper hoc variant, & ſalua pace atque fidei vnitate plurimum diſſentiunt, & in ſuo ſenſu abundāt. *Ioann. 6.* Nam Ioannes Epiſcopus Roffenſis in prologo quinti libri aduerſus Oecolampadiū docere contendit caput ſextum apud Ioannem à ſententia Saluatoris, Panis quem ego dabo caro mea eſt, quam dabo pro mundi vita, intelligendum eſſe de ſacramento corporis & ſanguinis Domini. Ab eo nanque loco totus ſermo eſt de pane qui eſt caro Domini, & de eius ſanguine: Quæ verò præcedunt, nullam carnis vel ſanguinis faciūt mentionem, ſed panis qui de cælo deſcendit, & quem pater dedit. Trifariam autem hoc probare conatur. Primò ex vnanimi patrum conſenſu, qui ſic interpretantur. Secundò ex neceſsitate corporalis vſus ſacramēti præter fidem. Tertiò ex ipſius Chriſti verbis & ſcripturarum circumſtantijs. Quam intelligentiam tribus etiam rationibus confirmat, & latiſsimè omnia proſequitur. Et quia ex hac intelligentia videri poſſet omnibus fidelibus neceſſaria huius ſacramenti ſub vtraq; ſpecie communio: item & infantibus, circa artic. 16. aſſertionis Martini Lutheri poſtquam oſtēdit Chriſtum vitam multaque beneficia Ioan. 6. promiſiſſe pro eſu panis, nulla vini vel calicis facta mentione, ſibi objicit: Inquiet aliquis, An nō Chriſtus dicit, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis? Et reſpōdet, Nihil dubitamus aſſerere, quòd qui ſub ſpecie panis Chriſtum ſumit, eūdem & carnem mandacare & ſanguinem bibere, cùm & carnem integrè accipiat, cuius acceptio eſus dicitur, & ſanguinem integrum, cuius ſumptio potatio dici poteſt. Secundò, ait, dicimus, quod nihil his verbis de vini ſpecie traditur, ſed de ſanguine dūtaxat, qui nunquam ab hoc pane ſeparatur. Et de infantibus, Quibuſdam, inquit, ob cauſam interdum pars vtraque ſacramēti ſubducitur, nimirum ipſis morituris, quando ex vomitu laborant, & infantibus, qui non ſemper deglutiunt quod in os ingeritur, ſed ingeſtum plerunque reſpuunt. Reſponderi etiam poteſt, quòd per modum præcepti proponitur. *In Apol. regie aſſertionis contra captiuitat. Babyl. ca. 2. parag. 18.* Niſi manducaueritis carnem, &c. præceptorum autem capaces non ſunt infantes, quouſque ad vſum venerint rationis, nec eis obligantur. Ex quibus patet quòd ſecundum hanc intelligentiam huius ſententiæ Domini, ſacra Euchariſtia hic præcepta eſt, & ex iure Euangelico neceſſaria, ſub altera ſacra-

In libello de Cõmunione ſub vtraque ſpecie. menti parte, neutra tamē ſimpliciter eſt neceſſaria, ſed alternatiuè ſub ſpecie panis, vel ſub ſpecie vini, & ſub vtralibet corpus Chriſti manducatur, & ſanguis bibitur. Cardinalis verò Caietanus contra hunc intellectum ſexti capitis apud Ioannem fortiter pugnat, & magna libertate pronūciare audet, quòd ſalua fide non poteſt intelligi caput hoc & ſententia citata, de ſacramento Euchariſtię. Olim, inquit, aſſumptū eſt à Bohœmis pro communione vtriuſque ſpeciei præceptum ex verbis Domini Ioann. 6. qui ait, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quid, inquiunt, clariùs? Eodem enim modo neceſsitatem communicandi ſub vtraque ſpecie promulgat, quo promulgauerat neceſsitatem baptiſmi. Nam quemadmodum de baptiſmo dixerat Ioannis tertio, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei, ita de Euchariſtia dicit, Niſi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Nos autem dicimus hæc Chriſti verba ſecundum germanum ſenſum non eſſe intelligenda de vſu Euchariſtiæ, imò nec poſſe intelligi, ſalua Chriſtiana fide, de cibo & potu ſacramentali: Et hoc facilè manifeſtatur ex eo, quod ſi intelligerentur de Euchariſtia, tolleretur baptiſmi ſufficientia ad ſalutem. Pari ſiquidem modo hæc neceſsitatem ſonant edendi carnem & bibendi ſanguinem filij hominis, quo ſonant alia illa Domini verba, neceſsitatem naſcēdi ex aqua & ſpiritu. Et propterea manifeſtè ſequitur, quòd ſi in iſtis verbis indicitur neceſsitas ſumendi Euchariſtiam, non ſufficit baptiſma ad ſalutem, nec niſi ſimul Euchariſtiam ſumat, vitam habere poſſit. Cuius contrarium non ſolùm in ſymbolo fatemur confitentes vnum baptiſma in remiſsionem peccatorum, ſed Dominus in *Marc. vlt.* Euangelio dicit, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Et Paulus Apoſtolus, Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. Quia igitur idem eſt aſſerere verba illa Chriſti Ioannis 6. intelligi de cibo & potu ſacramenti Euchariſtiæ, & negare baptiſmi ſufficientiam ad ſalutem, clarè patet verba illa nec intelligi, nec intelligi poſſe de cibo & potu Euchariſtiæ: & propterea ex eis non habetur præceptum ſub vtraque ſpecie Eu- *Tertia parte quæſt. 80. art. 12.* chariſtiam ſumendi. Et alio loco ſcriptura inquit, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & cætera, intellecta de ſacramentali mãducatione, hæreſim inducit manifeſtam, ſcilicet quòd baptiſmus non ſufficiat infantibus ad vitam æternam, niſi ſimul ſumpſerint ſacramentum Euchariſtiæ, & propterea eos non habere vitam æternam, ſi cum ſolo baptiſmo decederent: conſequenter probans, quòd Euangelico iure prohibitum eſt dare infantibus ſacram Euchariſtiam. Probat autem ſententiam hanc, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c. ad literam eſſe intelligendam de manducatione ſpirituali, quæ conſiſtit in actibus internis fidei & charitatis, abſtrahendo tam à mãducatione ſacramentali, quàm à manducatione ſpirituali ſacramēti in re vel in voto, hoc eſt intelligendam eſſe de manducatione, nullo ſacramēti habito reſpectu, quomodo patres veteris teſtamenti Chriſtum ſpiritualiter manducabãt, & animæ ſanctæ nunc in cælis. Atque id probat Caietanus, tribus modis ac ijſdem quibus epiſcopus Roffenſis ſtabiliuit *Part. 3 q. 80 art 12 q. 1.* contrariam ſententiam: Primò ex textu Euangelij: ſecundò ex contextu eiuſdem: & tertiò authoritate ſanctorum, & præcipuè beati Auguſtini, quæ omnia ipſe etiam latè proſequitur: & in probatione ex contextu Euangelij, Explanans, inquit, Dominus de quo loquutus fuerat, ad carnem deſcendit, dicens, Et panis quem ego dabo caro mea eſt, &c. Quo audito, litigabant Iudæi ad inuicē, Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? quibus tunc dixit Ieſus, Niſi manducaueritis carnem, & cætera: vbi diligenter aduertenti clara luce patet, quod cùm totus præcedens ſermo fuerit de actib⁹ purè ſpiritualibus, de ſpirituali quoque mãducatione & potatione ipſius Chriſti carnis & ſanguinis ſermo præſens ad literam eſt, in cuius ſignum nūquam in toto iſto capite fit mentio de ſpeciebus ſacramentalibus. Carnis quoq; & ſanguinis meminit, vt doceret non ſufficere ad vitam noſtram credere in ipſum Chriſtum, panem qui de cælo deſcendit, hoc eſt, Deum & hominem, ſed quòd oporteat etiam credere ipſius pro mūdi vita paſsionem & mortem, in qua ſanguis ſeparatus fuit à carne. Hoc enim eſt, quod apertè Dominus ſubdidit, Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Caro enim eius pro mundi vita fuit caro paſſa & occiſa. Morte enim ſua mūdum viuificauit. Vnde & litigantibus de hoc Iudæis, ſtatim de carne & ſanguine, & nō de ſpeciebus ſacramentalibus ſubdidit, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & cætera. Conſequens eſt igitur, vt textus iſte de ſpirituali manducatione carnis Chriſti & ſanguinis, hoc eſt, de fide in ipſum & mortem eius, & non de ſacramēti Euchariſtiæ ſpirituali aut ſacramētali manducatione intelligatur. Deinde declarat quare Chriſtus noſtram in ipſum & mortem eius, fidem ſub Metaphora mãducationis & bibitionis docuerit, & qua ex cauſa à doctoribus ſacris, quandoque extenditur caput 6. Ioannis ad ſacramentum Euchariſtiæ. Cõcludit autem Cardinalis Caietanus, Rationis ordo poſcit, vt exiſtētibus duabus expoſitionibus, quarum vna ſit indubiè vera, plana, & abſque quæſtionibus: alia verò dubia, & multas ingerens difficultates: illa quæ indubiè eſt vera & planè conſonat abſque gloſis ſcripturæ, pro ſenſu ſcripturæ acceptetur, & tanto magis in propoſito, quanto indubitata expoſitio vniuerſaliſsimè vt ſonat, ſaluat Chriſti legem, & totius eccleſiæ catholicæ vſum, altera verò particularibus tantùm cõſonat ſectis aut opinionibus. In

bus. In hac magna & apparente ſententiarum diuerſitate, circa magnum hoc myſterium ſacræ Euchariſtiæ, mihi videtur conformius textui Euangelico, quòd ipſum intelligamus ſecundum propriam verborum, & ſermonis Chriſti ſignificationem. Loquitur enim in genere de manducanda carne, & bibendo ſanguine filij hominis. Generale autem & abſolutum Dei ſermonem, non eſt noſtrum reſtringere ad ſacramentalem manducationem & potum, vel ſpiritualem tantum, cùm vtramque ſuis verbis Dominus complectatur. Quòd itaq; dicit Cardinalis Caietanus Dominum loqui de manducatione ſpirituali; abſtrahendo tam à manducatione ſacramentali, quàm à manducatione ſpirituali ſacramenti in re vel voto: verius mihi dicendum videtur, quòd de manducatione ſpirituali loquitur, non abſtrahendo, quin potius complectendo, ſicut genus complectitur ſpeciem, tam manducationem ſacramentalem & ſpiritualem ſacramenti in re, vel in voto, quàm merè ſpirituale͂, nullo ad ſacramentum reſpectu habito. Et ſecundum hanc intelligentiam (quam credo habuiſſe Cardinalem Caietanum) nõ oportet pro ſingulis his modis manducãdi vniuerſa quę hic Dominus dicit verificari, ſed ſufficit quòd pro aliquo eorum, vniuerſa verò de eſu & potu in genere, Sancti quos citat Epiſcopus Roffenſis interpretãdo accomnodãt verba Saluatoris ad eſum & potũ ſacramentalem, maximè quia in eorum Eccleſijs mos obtinebat, quòd ſub vtraque ſpecie toti populo ſacramẽtum miniſtraretur: & quia perfectiſsimus eſt hic modus manducandi carnem, & bibendi ſanguinem ſubſtantialiter ſub ſacramento præſentem, & verba Saluatoris in ſacramẽtali manducatione, plenius & perfectius implentur, atque cum fructu maiore. Frequens eſt, quod in homilijs ſcripturas accommodent doctores pro captu & ædificatione auditorũ. Nam quod dicit Dominus, Panis quem ego dabo caro mea eſt, quam, inquam, dabo in cibũ, illa eſt eadem mea caro, quam in cruce dabo pro mundi vita. Dat autem hanc carnem in cibum & refectionem edendam atque maſticandam fide & charitate. Attenta namque meditatio carnis pro nobis paſſæ & mortuæ, cor hominis plurimum confirmat, magis tamen ſi realiter edatur in ſacramento. Quòd verò dicit Caietanus hæreſim ſequi, ſi intelligatur de ſacramento, verum dicit, ſi generalis eſſet intelligentia, comprehendens omnes Chriſtianos etiam infantes, & intelligeretur de manducãdo & bibendo ſub proprijs ſpeciebus. Sed hoc modo non intelligit Roffenſis Epiſcopus. Hæc tamen videtur realis inter has ſententias eſſe differentia, quòd ſecundum Roffenſem ſub his verbis, Niſi manducaueritis carnem, &c. diuinum traditur præceptum ſub altera ſpecie, ad minus panis vel vini ſacramentum ſuſcipiendi. Secundum Caietanum verò ex verbis illis hoc colligi non poteſt. Sed hic difficultas in alio eſt non modica. Nam beatus Cyprianus & Innocentius in epiſtola ad Concilium Mileuitanum, & beatus Auguſtinus verba Domini Saluatoris, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, &c. intelligunt vt etiam infantes complectantur, qui nec ſacramentaliter manducare poſſunt, nec ſpiritualiter credendo & amando. Cui reſpondetur, quòd verba hæc Domini intelligunt referenda eſſe ad rem ſacramento Euchariſtiæ ſignatam, quæ eſt ſocietas ſiue vnitas in corpore Chriſti ſiue Eccleſiæ, non propriè ad ſigna ſacramentalia, poſtea à Chriſto inſtituta. Quem effectum confert etiam baptiſmus, imò & ſacramẽta vniuerſa, vt docet beatus Dionyſius Areopagita in Hierarchia Eccleſiaſtica: Vnaquæque, inquit, ſacramẽtalis inſtitutio id agit, vt noſtras vitas in plura diuiſas in vnicum illum ſtatum, quo Deo iungimur colligat, nobiſque eius quod verè vnum eſt, ſocietatem vnitatemque indiuiduam largiatur. Et Apoſtol. Paulus cùm dixiſſet. Multi vnum corpus ſumus omnes, qui de vno pane, & de vno calice participamus: ſubiunxit in eadem epiſtola, Etenim in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, baptiſmo tribuẽs quod prius aſſcripſerat ſacramento Euchariſtiæ. Ita beatus Cyprianus oſtẽdere volens, quòd nemo ad regnum Dei accedat, niſi baptizatus, duas tantùm citat ſcripturas, ſcilicet, Niſi quis renatus fuerit, &c. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, inſinuans hanc ſentẽtiam poſteriorem non propriè ad ſigna, ſed ad rem ſiue effectum ſacramenti Euchariſtiæ eſſe referendam, quem etiam confert ſacramentum Baptiſmi. Hunc imitatus Innocentius Papa ſcribens ad Concilium Mileuitanum: Illud, inquit, quòd eos veſtra fraternitas aſſerit, prædicare paruulos æternæ vitæ præmijs etiam ſine baptiſmatis gratia poſſe donari, perfatuum eſt. Niſi enim manducauerint carnem filij hominis, & biberint eius ſanguinem, non habebunt vitam in ſemetipſis. Qui autem hanc eis ſine regeneratione defendunt, videntur mihi ipſum baptiſmum velle caſſare, cùm prædicant hos habere, quod in eis creditur, non niſi baptiſmate conferendum. Quam Innocentij ſentẽtiam valde celebrat & nominatim ac frequenter citat beatus Auguſtinus, vocans eum Apoſtolicum teſtimonium. Hos igitur ſecutus Auguſtinus cùm dixiſſet Dominum in dicta ſententia non de ſacramento lauacri locutum, ſed de ſacramento ſanctæ menſæ ſuæ, ſtatim adiecit, An verò quiſquam hoc dicere audebit, quòd ad paruulos hæc ſententia nõ pertineat, non contendens ſpecies panis & vini infantibus, qui vix lac ſumere queunt, debere diſtribui, ſicut in multis locis impitè in libris noſtris notatum habemus, ſed volens ſignificare ideo ſe dixiſſe apud Ioãnem de ſacramento ſanctæ menſæ ſuæ diſſerere, quia rei ſignificatæ per ipſum, vtilitatẽ atq; neceſsitatem expreſſerat, quod magnopere ad ſacramenti intelligentiam & tractationem

Epiſtol. 93. inter epiſt. Auguſt.

Par. 1. cap. 3.

1. Cor. 10.

Libr. 3. ad Quirinum cap. 25.

Epiſt. 106. poſt mediũ.

Lib. 2. contra 2. epiſt. Pelag. c. 4.

Lib. 1. cõtra Iulianum cap. 2.

nem pertinet, ſimul etiam docens paruulos manducare carnem filij hominis, quia credunt, hoc eſt, imbuuntur fidei ſacramento. Etenim credere infantibus, eſt ipſum baptizari, vt ait idem Auguſtinus capite præcedente. Et apud Ioannem quod dicit Dominus, Qui credit in me, non ſitiet, quantum ad infantes, iuxta eundem beatum Auguſtinum nihil eſt aliud, quàm qui baptizatur, bibit vt amplius non ſitiat. Hoc namque diſcriminis eſt inter baptiſmum & ſacrã Euchariſtiam, quod vtriuſque effectus eſt ad ſalutem neceſſarius, ſed huius effectus non eſt ei proprius, verum etiam per alia ſacramenta, & potiſsimum confertur per baptiſmum. Hinc eſt quòd beatus Auguſtinus citans verbum Saluatoris, Panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita. Ac per hoc etiam, inquit, pro paruulorum vita caro data eſt, quæ data eſt pro ſeculi vita. Et ſi non manducauerint carnem filij hominis, nec ipſi habebunt vitã. Qui credit in filium habet vitam æternam: Qui autem incredulus eſt filio, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum: docens deinde quòd Eccleſiaſtica regula baptizatos infantes fidelium numero adiungit. Item ſe clariſsimè explicãs, Niſi manducauerint homines carnem eius, hoc eſt, inquit, participes facti fuerint corporis eius, non habebũt vitam. Et concludit: Non igitur ſolùm in regnum Dei non baptizati paruuli intrare non poſſunt, ſed nec vitam æternam poſſunt habere præter Chriſti corpus, cui vt incorporentur ſacramento baptiſmatis imbuuntur. Hoc enim agitur cum paruuli baptizantur, vt incorporentur Eccleſiæ, id eſt, Chriſti corpori membriſque ſocientur. Denique ipſe ſaluator dicens, Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo: oſtendit quid ſit non ſacramentò tenus, ſed reuera corpus Chriſti manducare, & eius ſanguinem bibere. Hoc eſt enim in Chriſto manere, vt in illo maneat & Chriſtus. Hunc itaque cibum & potum ſocietatem vult intelligi corporis & membrorum ſuorum, quod eſt ſancta Eccleſia, cuius rei ſacramentum, id eſt, vnitatis corporis & ſanguinis Chriſti alicubi quotidie, alicubi certis interuallis dierum in Dominica menſa præparatur, & de menſa dominica ſumitur quibuſdam ad vitam, quibuſdam ad exitium: res verò ipſa, cuius & ſacramentum eſt omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunq; eius particeps fuerit. Et alio loco, Nulli eſt aliquatenus ambigendum tunc vnumquemque fidelem corporis ſanguiniſque Domini participem fieri, quando in baptiſmate membrum corporis Chriſti efficitur, nec alienari ab illius panis calicisq; conſortio, etiamſi antequam panem illum comedat & calicem bibat, de hoc ſeculo in vnitate corporis Chriſti conſtitutus abſcedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio nõ priuatur quãdo ipſe hoc quod ipſum ſacramẽtum eſt, inuenitur. Ex horum autem patrum interpretatione, & Apoſtolico, vt inquit beatus Auguſtinus, teſtimonio, ſententia Saluatoris, Niſi manducaueritis, &c. vniuerſaliter accepta, vt comprehendat etiam infantes, nec de manducatione ſacramentali, nec de ſpirituali, quæ fit per fidem & dilectionem actualem, ſed de effectu ſolum huius manducationis, qui eſt Chriſto incorporari, atque in corporis eius ſocietate manere intelligitur: nec manducationis ſolum, ſed & ſacri baptiſmi hic eſt effectus. Eſt autem neceſſaria manducatio corporalis ad reparationem eius quod virtute caloris naturalis deperditum eſt, & cõfirmationem virtutis naturalis. Propter quod qui in eo ſtatu ſunt, vt iam nihil ſubſtantiæ corrumpatur, nec fluxus fiat ſubſtantialis, quales fuerunt ſeptem dormientes, & quales futuri ſunt ſancti in cælis glorioſi, illis cibus non eſt neceſſarius. Et quia nihil vitæ ſpiritualis, quam in baptiſmo acceperunt, in infantibus deperit aut deperditur, his nutrimẽtum cibi aut potus non eſt neceſſarium. Quod conſideraſſe videntur iſti patres, vt ſententiam iſtam quantũ ad paruulos præcipuè interpretarentur de effectu ſacramenti, potius quàm de ſignis ſacramẽtalibus, vel etiam de ſpirituali manducatione, quæ fit per maſticationem fidei & charitatis. Nã ſicut in manducatione naturali cibus mutatur in ſubſtãtiam comedentis, ita in ſpirituali & ſacramẽtali comedens in corpus Chriſti quod manducatur cõuertitur. Cibus, inquit Dominus, ſum grandium, creſce & manducabis me, nec tu me in te mutabis, ſicut cibum carnis tuę, ſed tu mutaberis in me. Et quia in baptiſmo (vt diximus) Chriſti corpori inſerimur, vt viuamus in eo, non indigemus alicuius alterius cibi manducatione.

Lib. 1. de peccatorũ meritis, cap. 20.

Lib. 3. de ſacram. c. 4.

Libr. 21. de ciuita. Dei, cap. 25.

Tract. 26. ſuper Ioann.

Citatur à Beda 1. ad Cor. 10. circa locum Calix benedictionis.

Aug. lib. 7. confeſ. c. 10.

Videntur autẽ hi patres hanc Chriſti ordinationem, Niſi manducaueritis carnem, &c. interpretari maximè quoad infantes, vt ſit conſtitutio ex cauſa, qua ceſſante ipſa etiam ceſſet, ſicut dicit beatus Ambroſius de ordinatione Apoſtoli, qua prohibetur ne neophyti ordinentur. Non igitur principaliter & propriè caput ſextum Ioannis diſſerit de ſacramento Euchariſtiæ, niſi fortaſsis ratione rei, ad quam ſignificandam poſtea eſt inſtitutum. Loquitur namque Saluator de mãducanda ſua carne, quaſi tunc quãdo loquebatur manducare licuiſſet. Qui manducat, inquit, meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternã, & ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die. Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus: quaſi eo tempore potuiſſent manducare carnem, & bibere ſanguinem, quibus loquebatur.

Epiſt. ad Vercellenſes lib. 10. epiſt. 82.

Non enim veriſimile eſt, quòd hic inſtituerit ſacramentum Euchariſtiæ ex neceſsitate huius manducationis, ſicut prius inſtituerat baptiſmum, eius docens neceſsitatem, cùm diceret, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, &c. Nam non eſt veriſimile, quòd Chriſtus ſacramentum aliquod inſtituerit vel præceperit, nullam omninò vocem

cem proferens, qua propria eius ſigna deſignaret, cuiuſmodi ſunt in hoc ſacramento, panis, calix, benedictio, fractio, & voces ſimiles. In nomine ſiquidem panis non aliqua ſpecies intelligitur, ſed Chriſtus ipſe, qui de cælo deſcendit, vt det vitam mundo. Non poteſt igitur intelligi hæc Domini ſententia de ſacramēto, niſi fortè ratione rei ad q̄. efficiendam poſtea eſt inſtituta, ſine qua nemini vt non contingit ſic nec conſeruatur vita, ſiue magnus, ſiue infans ſit vnius diei. Quando autem diximus ſuperius hanc ſententiam intelligi in genere, & ſine reſtrictione vt verba ſonant, de manducatione ſpirituali, eam de adultis intelleximus, qui ſine fide mortis Chriſti, & gratiarum actione nec viuere poſſunt, nec in vita permanere. De quibus Saluator loqui videtur, cum non dicat, Niſi quis manducauerit carnem filij hominis, ſicut de baptiſmate, Qui non renatus fuerit: ſed ait, Si non manducaueritis, velut eos alloquens, qui audire & intelligere poterant, quod vtique non valent paruuli. Quæ omnia dicta ſunt, ſaluo ſemper iudicio ſedis Apoſtolicæ.

Finis Articuli Decimi quinti.

ARTICVLVS DECIMVS SEXTVS.

Sacrificium Miſſæ ex inſtitutione Chriſti, tam viuis prodeſt quàm defunctis.

Ignatius in epiſt. ad Smirnenſes. Et S. Clemens in epiſt. 3. ca. 6. parag 13.

DE Vocabulo Miſſa, quo etiam vſi ſunt veteres, eiuſq; origine, an Latina ſit an Hebræa, multa differit Epiſcop. Roffenſis in Defenſione Regiæ aſſertionis. Secundum Venerabilē Hugonem de S. Victore, Miſſa dicitur quaſi trāſmiſſa, eò quòd populus per miniſterium ſacerdotis, qui mediatoris vice fungitur inter Deum & homines, preces, vota, & oblationes Deo tranſmittit, hoſtiaque ſacra Miſſa vocari poteſt, quia tranſmiſſa eſt prius à patre nobis, vt ſcilicet nobiſcū eſſet, & poſtea à nobis patri, vt apud patrem pro nobis eſſet. Et tertiò ſecundum eundem, Miſſa ab emittendo dicitur, quia vt ſacerdos conſecrare hoſtiam incipit, per manus Diaconi & Oſtiarij catechumenos, & non communicantes foras Eccleſiam mittit. Et in Sentent. dicit Magiſter Miſſam dici, eò quòd cæleſtis miſſus ad conſecrandum viuificum corpus adueniat, iuxta dictum ſacerdotis, Omnipotens ſempiterne Deus, iube hæc perferri per manus ſancti angeli tui in ſublime altare tuum. Hic autem vbi de re ipſa agimus, nomine Miſſæ intelligimus totum illum cæremoniarum, lectionum, & orationum decurſum, quæ conſecrationem & oblationem ſacræ Euchariſtię præcedunt, & ſequuntur vnà

Lib. 2. de ſacramēt. par. 18. cap. 4.

Li. 4. diſ. 13.

cum eius participatione. Nam diuidi ſolet Miſſa in præparationem populi & materiæ conſecrandæ Euchariſtiæ conſecrationem & oblationem, & eius communionem totiuſque myſterij concluſionem. Intelligit itaque præſens Articulus, quòd in hac cæremoniali actione, ex Chriſti inſtitutione ſacrificatur & conficitur verum ſacrificium, corpus videlicet & ſanguis Chriſti, quod ſicut ipſe ſemel in cruce obtulit in mortem in odorem ſuauitatis apud patrem, pro omnium noſtrûm redemptione, ita & nos ipſū ſacrificamus, & offerimus Deo patri in eiuſdem ſacrificij crucis recordationem. Non enim in miſſa cruentum fit ſacrificium, nec oblatio cruenta: ſed Deo patri fit præſentatio realis & ſubſtantialis eiuſdem corporis, quod pro nobis in mortē tradidit, eiuſdem que ſanguinis quem pro nobis in cruce effudit. Sicut enim ſemel ſancta ſanctorum ingreſſus perpetuò ſe vultui patris præſentat, oſtendens vulnera & ſanguinem ſuum in recordationem mortis ſuæ (ſempiternum nāque habet ſacerdotium ſemper viuens ad interpellandum pro nobis) ita & nos corpus & ſanguinem eius patri præſentamus, imò & ipſe Chriſtus per noſtrum miniſterium ſe offert & pręſētat vt pater memor huiꝰ mortis reſpiciat in faciem Chriſti ſui, noſtrique miſereatur. Ait enim beatus Ambroſius, Hic vmbra, hic imago, illic veritas: Vmbra in lege, imago in Euangelio, veritas in cæleſtibus: Ante agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Chriſtus offertur, ſed offertur quaſi homo, quaſi recipiens paſſionem, & offert ſe ipſe quaſi ſacerdos, vt peccata noſtra dimittat, hic in imagine, ibi in veritate, vbi apud patrem pro nobis quaſi aduocatus interuenit. Per proprium enim ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, in ipſum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.

Hebræ. 7. Rom. 8.

Lib. 1. Offic. cap. 48.

Chriſtus ſe patri offert in ſacra Euchariſtia.

Eſt autem ſacrificium verum iuxta ſententiam B. Auguſtini, omne opus quod agitur, vt ſancta ſocietate inhæreamus Deo, relatū tamen ad illum finem bonum, quo veraciter beati eſſe poſſimus. Nec tamē opus tantum ſecundum eum, eſt ſacrificium, ſed omne quod in diuinam reuerentiam ordinatur, hoc eſt, quod ad Deum tanquam finem vltimum refertur. Exhibete, inquit Paulus, corpora veſtra hoſtiam ſanctam, Deo placētem. Item, Beneficentiam & hoſpitalitatē nolite obliuiſci. Talibus enim hoſtijs promeretur Deus. Et ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus: Omne denique opus virtutis ſi ad Dei fiat reuerentiam, vt ei ſancta ſocietate vniamur, verum eſt ſacrificium. Sunt tamen quidā actus, vt dicit B. Tho. qui ex alio laudem non habent, niſi quia fiunt propter reuerentiam diuinam, qui propriè ſacrificia dicuntur, & ex ſola virtute quæ religio eſt proficiſcuntur. Alij aūt qui immediatè ex temperantia, iuſtitia, vel miſericordia procedunt, rationem induunt ſacrificij ex relatione ad diuinam reuerentiam. Idem etiam

Heb. 9. Lib. 10. de ciuit. Dei, c. 6

Rom. 12. Heb. vlt.

22. quæſ. 85. arti. 3.

In ſolutione 3. argumen. diſtinguit ſacrificia ab oblationibus, quod ſacrificia propriè dicuntur, quãdo circa res Deo oblatas aliquid fit, ſicut quod animalia occidebantur, quod panis frangitur, comeditur, benedicitur, aut alteratur. Atque hoc ipſum nomen ſonat. Nam ſacrificium dicitur ex eo, quod homo facit aliquid ſacrum: Oblatio verò directè dicitur cùm Deo aliquid offertur, etiam ſi nihil circa ipſum fiat: ſicut dicuntur offerri denarij, vel panes in altari, *Gabriel poſt Cancellariũ Pariſiẽ. Gerſon alphabeto 85. Lec. 85 Gabri.* circa quos nulla fit mutatio. Vnde omne ſacrificium, ſecundum Th. eſt oblatio, ſed non ediuersò. Alij definiunt ſacrificium eſſe oblationem Deo factam in recognitionẽ ſummi dominij. Et ſecundum Melanchthonem ſacrificium eſt cæremonia vel opus quod nos Deo reddimus, vt eum honore afficiamus. Caluinus verò dicit eſſe ſacrificium, quicquid Deo offertur. Facimus autem in miſſa & conſecramus ex pane corpus Chriſti ſub eiuſdem panis ſpeciebus, & ex vino eius ſanguinem eius ſpecie & accidentibus iiſdem manentibus: atque hæc facimus in memoriam mortis eius, vt patri filium pro noſtra redemptione mortuum præſentemus, vtque ſit cibus animas viuificans. Cor- *1. Cor. 10.* pus verò & ſanguinem Chriſti hoc modo eſſe in ſacra Euchariſtia, eſt aliquid non ſolum ſanctum, ſed & ſanctiſsimum, quod agitur in ſancta ſocietate, vt adhæream' & vniamur Deo. Omnes enim vnum corpus ſumus qui ex vno pane participamus. Oportet igitur corpus Chriſti, & ſimiliter eius ſanguinem, quando ex ſacerdotis conſecratione ſunt in ſacra Euchariſtia, eſſe ſacrificiũ, et ſacerdotem conſecrantem ſacrificare ſecundum omnes has ſacrificij definitiones. Hoc enim neceſſariò & euidenter ſequitur ex nominũ ipſorum rationibus. Et quamuis alia ratione ſit in miſſa ſacrificium, quàm in ara crucis, idem tamen eſt, qui in cruce dilectã animam ex patris obedientia in mortem tradidit pro omnium noſtrum redemptione, & ſanguinem ſimiliter effudit: propter quod cruentum erat ibi ſacrificium, & ipſe ſe tradendo ſanguinolentè ſacrificauit. Hic autẽ ſacrificium eſt idem corpus & ſanguis, imò idem totus Chriſtus, ſed ea ratione, quia ex panis tranſmutaione cœpit eſſe ſub ſpeciebus panis & vini. In cælo quidem ſe non ſacrificat, ſed per proprium ſanguinẽ ingreſſus in ſancta ſanctorum, id eſt, in ipſum cælum, apparet vultui Dei pro nobis, & patri mortem & vulnera, ac ſe totum pro nobis prǽſentat. Et ideo ſimilis eſt oblatio quæ fit in miſſa cũ ea quam Chriſtus in cælis fecit. Miſſæ namq; oblatio poſt conſecrationem eſt filij & mortis eius apud patrem rememoratio & repræſentatio. Eſſe autẽ in miſſa ſacrificium ab Apoſt. temporibus, ex Apoſtol. traditionibus, ſemper docuit Eccleſia catholica. Noui teſtamenti, ait Irenæus, nouam Chriſtus docuit oblationem quam Eccleſia *Li. 4. aduerſus hære. ca. 23.* ab Apoſtolis accipiens in vniuerſo mundo offert Deo. Et ideo mera eſt inſania: imò vt inquit Auguſt. inſania inſolentiſsima, diſputare an in miſſa ſit ſacrificium & oblatio, cum tota per orbem hoc frequentet Eccleſia. Sunt præterea plurima ſcripturarũ teſti- *Epiſt. 118.* monia, quibus clarè probatur à Chriſto inſtitutum eſſe nouæ legis ſacrificium, quod in miſſa Deo patri offeratur. Nam ſi Cyprianus hoc docet ex verbis cęnæ dominicę, Hoc facite in meam, &c. & ex vaticinio regis Da- *Pſal. 109.* uid, Iurauit Dominus, & non pœnitebit eũ, Tu es ſacerdos in ęternum ſecũdum ordinẽ Melchiſedech. Si autem ſecundum ordinem Melchiſedech: & non iuxta ritum Aaron iuramento patris Chriſtus conſtitutus eſt ſacerdos, oportet vt eiſdem rebus ſacrificauerit, quibus conſtat Melchiſedech olim ſacrificaſſe, de quo ex Geneſi conſtat, quod ſacrificauit in pane & vino. Sic enim illic ſcri- *Cap. 14.* ptum eſt, Melchiſedec rex Salem protulit panem. Erat enim ſacerdos Dei altiſsimi benedixitq; Abrahæ: Quamobrẽ in pane & vino Chriſtus debuit ſacrificare. At nuſquã iſtud fecit, præterquam in cœna, quando ſub ſpecie panis & vini ſacramentum corporis & *In axiomat. 10. 2. cõgreſſus.* ſanguinis ſui inſtituit. Quocirca palam eſt eum in hac cœna ſacrificaſſe: Iuſsit autem vt idipſum facerent Apoſtoli vſq; ad reditum ſuum. Verè igitur ipſi in miſſa ſacrificant, & ſacrificium offerunt Deo patri, Melchiſedech autem in pane conſecrare conſueuiſſe, oſtendit Reuerendus Epiſcopus Roffenſis, ex hoc textu Geneſis concorditer patres docuiſſe, B. Cyprianum, ſanctum Ambroſium, Hieronymum, Auguſ. Chryſoſtomum alioſ- *Epiſt. 3. li 2. ad Cæcilium.* que quorum citat ſententias. Audiamus ipſum ſanctum martyrem loquentem, In ſacerdote Melchiſedech, inquit, ſacrificij dominici ſacramẽtum prǽfiguratum videmus, ſecundum quod ſcriptura diuina teſtatur & dicit, Ecce & Melchiſedech, rex Salem protulit panem & vinum: Fuit autem ſacerdos Dei ſummi, & benedixit Abraham. Quod autem Melchiſedech typum Chriſti portaret, declarat ſpiritus ſanctus in Pſalmis ex perſona patris ad filium dicens, Ante Luciferum genui te: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec: Qui ordo vtique hîc eſt de ſacrificio illo, vtique veniens & inde diſcedens, quòd Mechiſedech ſacerdos Dei ſummi fuit, quòd panem & vinum obtulit, quòd Abraham benedixit. Nam quis magis ſacerdos Dei ſummi, quàm Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem quòd Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem? Et circa Abraham benedictio illa præcedens ad noſtrum populum pertinebat. Nam dictum eſt Abrahæ, In ſemine *Galat. 3.* tuo benedicentur omnes gentes: quod ſemẽ Apoſtolus interpretatur Chriſtum eſſe.

Vt ergo in Geneſi per Melchiſedech ſacerdotem benedictio circa Abraham poſsit ritè celebrari, præcedit antè imago ſacrificij, in pane & vino ſcilicet conſtituta. Quã rem perficiens & adimplens Dominus panẽ

& cali-

& calicem mixtum vino obtulit, & qui eſt plenitudo veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit. Et quibuſdā interpoſitis, Quòd ſi & à Domino præcipitur, & ab Apoſt. eius idem confirmatur & traditur, vt quotieſcunque biberimus, in memoriam eius faciamus quod fecit & Dominus, inuenimus nō obſeruari à nobis quod mandatum eſt, niſi eadem quæ Dominus fecit, nos quoque faciamus. Et ſi in ſacrificio quod Chriſtus eſt, non niſi Chriſtus ſequendus eſt, vtiq; id nos obaudire & facere oportet quod Chriſtus fecit. & quod faciendum eſſe mandauit, & ſi Ieſus Chriſtus Dominus & Deus noſter ipſe ſummus ſacerdos Dei patris, & ſacrificiū Deo patri ipſe primus obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit, vtiq; ille ſacerdos vice Chriſti verè fungitur, qui id quod Chriſtus fecit, imitatur? Et ſacrificium verum & plenum tunc offert in Eccleſia Deo patri, ſi ſic incipiat offerre, ſecundum quod ipſum Chriſtum videt obtuliſſe. Quotieſcunq; ergo calicem in commemorationem domini & paſsionis eius offerimus, id quod conſtat dominum feciſſe, faciamus. Et videris frater chariſsime, ſi quis de anteceſſoribus noſtris vel ignoranter vel ſimpliciter non hoc obſeruat, quod nos dominus exemplo & magiſterio ſuo docuit, poteſt ſimplicitati eius de indulgentia Domini venia cōcedi. Nobis verò nō poterit ignoſci q nūc à Domino admoniti & inſtructi ſumus, vt calicem dominicum vino mixtum, ſecundū quod Dominus obtulit, offeramus. Vbique lex euangelica & traditio dominica ſeruetur, & ab eo quod Chriſtus & docuit & fecit, non recedatur. Si ergo Chriſtus iuxta Melchiſedech ordinationem ſacerdos fuit, oportuit eum & ſimile ſacrificium offerre, quemadmodum obtulit Melchiſedech, iuxta argumentationem quam ex ſcripturis facit ſanctus martyr Cyprianus: quod cum in pane ſimul & vino fuiſſe compertum ſit, oportuit & Chriſtum in pane ſimul & vino ſacrificaſſe, in corpus & ſanguinem ſuum ea transmutando, vt in ſacra Euchriſtia ſacrificia ſint non ſolum corpus & ſanguis Chriſti, ſed & panis & vinum. Et cùm ordinauerit Chriſtus, vt faciamus id quod ipſe fecit, neceſſario ſequitur in Miſſa fieri & eſſe verum ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti. Hanc autem Cypr. intelligentiam de verbis Domini, Hoc facite in meam commemorationem confirmant ſententiæ Ioan. Chryſoſtomi & Damaſceni in articulis præcedentibus citatę & clariſsimè Eccleſia catholica in ſacro canone Miſſæ, in quo etiam ante tēpora Ambroſij facta conſecratione poſt recitatam ordinationem Domini, Hæc quotieſcunq; feceritis, in mei memoriam facietis, obtemperans ſponſi ſui diſpoſitioni & mandato, dicit: Vnde & memores nos tui ſerui, &c. offerimus præclaræ maieſtati tuæ hoſtiā puram, &c. Et B. Ambroſius. Sacerdos inquit, dicit, Ergo memores gloriæ eius paſſionis, ab inferis reſurrectionis, & in cælum

In homi de proditione Iudæ.

Damaſ. li. 4 cap. 14.

Li. 4. de ſacramentis, ca. 6.

aſcenſionis, offerimus tibi hanc immaculatam hoſtiam, rationabilem hoſtiam, incruentam hoſtiam, & petimus ac precamur, vt hanc oblationem ſuſcipias in ſublime altare tuum, &c. Sacrificij etiam altaris multis alijs in locis meminit diuus Cyprianus, vt in epiſtola ad Felicem presbyterum, In ordinationibus ſacerdotū immaculatos, inquit, eligere debemus, qui dignè & ſanctè ſacrificia offerentes Deo audiri in precibus poſſunt, quas faciunt pro plebis dominicæ incolumitate. Itē quia ſacerdotes ſacrificia quotidie celebramus, hoſtias Deo & victimas præparem⁹. Rurſus in epiſtola ad plebē, Furnis prohibet oblationem pro eo fieri qui elegit ſacerdotem tutorem. Et ſacerdotium Chriſti ſecundum ordinem Melchiſedech eodem ſenſu cum B. Cypriano interpretatur B. Aug. In Melchiſedech, inquit, qui erat ſacerdos Dei excelſi, primum apparuit ſacrificium quod nunc à Chriſtianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturq; illud quod longe poſt hoc factum per prophetam dicitur ad Chriſtum, qui fuerat venturus in carnem, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinē Melchiſedech, qui ordo fuerat auferendus illuceſcentibus rebus quæ illis vmbris prænotabantur.

Lib. 1. epiſ. 4 in principio.

Lib. 1. epiſ. 9

In libris de ciuit. Dei et alijs locis.

Li. 16. de ciuit. Dei. cap. 22.

Item tractans locum Eccleſiaſtæ, Non eſt bonum homini, niſi quod manducabit & bibet. Quid, inquit, credibilius dicere intelligitur, quàm quod ad participationem mēſæ huius pertinet, quam & ſacerdos ipſe mediator teſtamenti noui exhibet ſecundū ordinem Melchiſedech de corpore & ſanguine ſuo? Id enim ſacrificiū ſucceſsit omnibus illis ſacrificijs veteris teſtamenti, quę immolabantur in vmbra futuri. Et quæ ſequuntur. Et iterum loco alio, quando propheta Dauid dicit, Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, quibus verbis immutabile futurum eſſe ſignificat, quod adiungitur, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Quis ambigere permittitur de quo iſta dicantur, ex eo quòd iam nuſquā eſt ſacerdotium & ſacrificium ſecundū ordinem Aaron, & vbiq; offertur ſub ſacerdote Chriſto, quod protulit Melchiſedech, quando benedixit Abraham? Item contra aduerſarium legis & prophetarum, dictum eſt in Pſalmis, Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in ęternum ſecūdum ordinem Melchiſedech. Nouerunt qui legunt quid protulerit Melchiſedech quando benedixit Abraham. Et ſi iam ſunt participes eius, vident tale ſacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Et quod Deum nō pœnitebit, ſignificatio eſt quia hoc ſacerdotium non mutabit. Mutauit quippe ſacerdotium ſecundum ordinem Aaron. Vnde alius propheta dicit ad eum qui carnaliter eſt Iſrael. Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & hoſtiam non accipiam de manibus veſtris, Ecce quod eſt ſecundum ordinem Aaron. Cur autem hæc non accipiat, addit & dicit, Quia ab ortu

Li. 17. de ciu. Dei cap. 20 cap. 3.

Lib. 17. de ciuit. 17.

Lib. 1. ca. 20 Pſal. 109.

Malach. 1.

ſolis

ſolis vſque ad occaſum glorificatum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco incenſum offertur nomini meo, & hoſtia, pura, quia magnum eſt nomen meum in gentibus. Ecce quod eſt ſecũdum ordinem Melchiſedech, ipſe per hunc prophetam quòd futurum, erat, iam velut factum prædicans ait. Ab ortu ſolis vſque ad occaſum, gloricatum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco incenſum offertur nomini meo, & hoſtia pura, quia magnum eſt nomen meum
Lib. 1. ca. 25 in gentibus. Et contra Creſconium Grammaticum, Quid de ipſo corpore & ſanguine Domini vnico ſacraficio pro ſalute noſtra? quamuis ipſe Dominus dicat, Niſi quis man-
Heb. 8. ducauerit carnem meam. Tranſlato enim ſacerdotio ſicut neceſſarium eſt & legem trãſferri, ita & ſacrificium. Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his quę ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Nulla vnquam lex abſque ſacerdotibus, neque ſacerdotes abſq; ſacrificio fuiſſe leguntur, vt latè proſequitur Reuerendus Epiſco-
Cap. 6. pus Roffenſis in Defenſione contra captiuitatem Babylonicam. Tranſlato itaq; ſacerdotio ad Chriſtum & miniſtros, qui eius nomine ſacrificãt, oportet ſacrificium eſſe ſempiternum, ſicut ſempiternum eſt ſacerdotiũ.
In epiſtol. ad Heb. cap. 5. Quod declarans Theophylactus, Dicant inquit, nobis Iudæi, quis nam fuerit alius ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech præter Chriſtum? Solus enim ille pane & vino ſacrificium conſecrauit, perinde ac Melchiſedech. Qui verò dixit, In æternum? Tu es ſacerdos in æternum? Quoniam etiamnum vnà cum corpore quod pro nobis immolauit, apud Deum & partem intercedit, hoc eſt, quas pro nobis pertulit afflictiones, vt multum commoueat, proponit etiam ſine voce, re ipſa nimirum patri loquens, Pro humana natura filius tuus ego ſuſtinui hæc: Miſerere igitur horum pro quibus ego pati & mori ſuſtinui. Vel: Quia quæ in ſingulos dies fit & futura eſt in perpetuum oblatio ipſum habet pontificem & ſacerdotem Dominum, atque adeo ipſam hoſtiam, qui ſeipſum pro nobis ſanctificat, & frangitur & diſtribuitur. Quoties enim hæc fiunt mors
In commen. ca. 5. ad Heb. Domini annunciatur. Et OEcumenius explicans locum Apoſtoli, Secundum ordinem Melchiſedech. Hic, inquit, primus hoſtiam ſine ſanguine Deo obtulit, nempe panem & vinum. Et licet Chriſtus non obtulerit carentem ſanguine hoſtiam, ſiquidẽ ſuũ ipſius corpus obtulit, attamen qui ab ipſo fungentur ſacerdotio, quorum Deus pontifex eſſe dignatus eſt, ſine ſanguine offerent: Nam hoc ſignificat, In æternm. Neque enim de ea, quæ à Deo ſemel facta eſt oblatio & hoſtia dixiſſet, In æternum, ſed reſpiciens ad præſentes ſacrificos, per quos medios Chriſtus ſacrificat & ſacrificatur, qui etiam in myſtica cœna modũ illis tradidit huiuſmodi ſacrificij, Citat præterea Phociam dicentem, Quia ſine ſanguine hoſtiam obtulit deinde poſtmodum ſuum ipſius etiam corpus: propterea ergo aptè dictum eſt, Chriſtũ eſſe ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech.

Eandem fidei veritatem ſanctus martyr Lib. 4. c. 34.
& epiſcopus Irenæus ante annos mille & quadringẽtos ex vaticinio Malachiæ prophetæ docuit aduerſus hæreticos, oſtendens, videlicet ſacram Euchariſtiam nouæ legis, nouiq; ſacerdotij ſecundum ordinem Melchiſedech eſſe ſacrificium. Ait, enim, Chriſtus ſuis diſcipulis dans cõſilium primitias Deo offerre ex ſuis creaturis, non quaſi indigenti, ſed vt ipſi nec infructuoſi, nec ingrati ſint eum qui ex creatione panis eſt, accepit & gratias egit, dicens, Hoc eſt corpus meum: & calicẽ ſimiliter, qui eſt ex ea creatura quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & noui teſtamenti, nouam docuit oblationem: quã Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in vniuerſo mundo offert Deo, ei qui alimẽta nobis præſtat primitias ſuorum munerũ in nouo teſtamẽto, de quo in duodecim prophetis Malachias ſic pręſignauit, Non eſt mi- Cap. 1.
gi voluntas in vobis dicit Dominus omnipotens, & ſacrificium non accipiam de manibus veſtris, quoniam ab ortu ſolis vſque ad occaſum nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incenſum offertur nomini meo & ſacrificium purum, quoniam magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens, manifeſtiſsimè per hæc ſignificans, quoniam prior qui- Ca. 33. et 34.
dem populus ceſſabit offerre Deo, omni autem loco ſacrificium offertur ei, & hoc purum: nomen autem eius glorificatur in gentibus. Incenſa autem Ioannes in Apocalypſi orationes ait eſſe ſanctorum. Igitur Eccleſiæ, oblatio quam Dominus docuit offerre in vniuerſo mundo, purum ſacrificium reputatum eſt apud Deum, & accepta eſt ei, non quod indigeat à nobis ſacrificio, ſed quoniam is qui offert glorificatur in eo, quod offert, ſi acceptetur munus eius: Et genus oblationum reprobatum eſt. Oblationes enim Cap. 35.
& illic, oblationes autem & hic ſacrificia in populo, ſacrificia & in Eccleſia: ſed ſpecies immutata eſt tantùm, quippe cùm iam non à ſeruis, ſed à liberis offeratur. Et in calce eiuſdem capituli aggreditur Irenæus, & conuincit Valentinianos, & illius ſeculi hæreticorum portenta, negantiũ Chriſtum creatoris mundi filium, & carnis ex mortuis reſurrectionem, quam ex principio malo eſſe volebant, ex ſacrificio ſacræ Euchariſtiæ quaſi certiſsimo religionis dogmate, omniũ conſenſu in Eccleſia celebrato. Quomodo, inquit, conſtabit eis eum panem in quo gratiæ actæ ſunt, corpus eſſe Domini ſui, & calicem ſanguinis eius, ſi non ipſum fabricatoris mundi filium dicant, id eſt verbum eius? Et quomodo rurſus dicitur carnem in corruptionem venire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & ſanguine alitur? Ergo aut ſententiam mutent, aut abſtineant offerendo quæ prædicta ſunt. Noſtra au-

tem con-

tem conſonans eſt ſententia Euchariſtiæ, & Euchariſtia rurſus confirmat ſentẽtiam noſtram. Offerimus enim ei quæ ſunt eius, cõgruenter communicationem & vnitatẽ prædicantes carnis & ſpiritus. Quemadmodum enim qui eſt à terra panis percipiens inuocationem Dei, iam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia ex duabus rebus conſtans, terrena & cæleſti, ſic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, iam non ſunt corruptibilia ſpem reſurrectionis habentia. Offerimus autem ei non quaſi indigenti, ſed gratias agentes donationi eius & ſanctificantis creaturam. Propheta Malachias de futuro ob certitudinem (vt ferè ſolent) in præſenti loquitur, Non eſt mihi, inquit, voluntas in vobis. Futurum namque erat, quod aboleretur vetus illud ſacerdotium cum ſuis ſacrificijs, quod erat ſecundum ordinem Aaron, & nouum iſtud atq; æternum ſacerdotium ſuccederet ſecundum ordinem Melchiſedech, in Chriſto: Proinde, inquit, non eſt mihi voluntas in vobis Aaroniticis ſacerdotibus (illos enim his verbis compellat) Præcedit enim, Ad vos ô ſacerdotes, qui deſpicitis nomen meum: Quis in vobis qui claudat oſtia, & includat altare meum gratuito? Proinde, inquit, non eſt mihi voluntas in vobis perpetua, veſtroq; ſacerdotio, nec vltra ſuſcipiam munus aut ſacrificia de manibus veſtris, quoniam non tantum in vno hoc populo Iſrael, cui ſeruiebat ſacerdotium illud vetus, ſed in omnibus gentibus ab ortu ſolis vſque ad occaſum, magnum erit nomen meum, neque ex vna hac familia Aaron, ſed ex omnibus gentibus nouos mihi ſacerdotes deligã nouo ordine, veteri abrogato, nec vetera illa & in vno loco offerenda ſacrificia ſuſcipiam amplius de manu veſtra, ſed in omni orbis loco ſacrificabitur, & offeretur nomini meo oblatio munda. Oblatio autem hæc munda in omnium illarum veterum locum ſuccedens, quam inter gentes in omni orbis loco ſacrificandam & offerendam per prophetam dicit Dominus, non eſt ea qua Chriſtus ſemetipſum ſemel in cruce obtulit, cùm non inter gentes, nec in omni orbis loco, ſed in vna Iudæa vnico loco orbis Chriſtus in cruce ſe obtulerit: at ea de qua per prophetã, Sacrificatur in omni orbis loco: nec etiam eſſe poteſt ſacrificium cordis contriti & humiliati, ieiunia eleemoſynæ, orationes, & quicquid ex nobis Deo offerre poſſumus. Hæc enim non merentur dici oblatio ſimpliciter munda, quam ita magnificè celebrat propheta, maximè apud aduerſarios, qui docent vniuerſa opera noſtra immũda eſſe & polluta, omnesq; noſtras iuſtitias eſſe velut pannum ſordidæ mulieris menſtruatæ, imò peccata & planè damnabilia, ſi diſtricto Dei iudicio ad diuinę iuſtitię regulam exigerentur. Nec ſacrificia cordis contriti, & alia quæ diximus propriè ad legem pertinent Euangelicam, ſed communia ſunt Eccleſiæ veteri, in qua fideles illis ipſis ſacrificijs ſtudebant reconciliari & placere Deo. Neque ſacerdotibus ſunt propria, ſed communia fidelibus omnibus. At propheta de propria aliqua Chriſtianæ Eccleſiæ in vniuerſum orbem diffuſæ, oblatione loquitur, quæ veteribus omnibus ſacrificijs ſuccedit. Certè nec fingi poteſt alia hæc munda oblatio, quam ea quæ in Miſſa à ſacerdotibus in altari offertur, ſecundum ordinem Melchiſedech, cuius in pane & vino erat oblatio, corporis videlicet & ſanguinis Chriſti, vt docet Irenæus. Quid enim, vt Auguſtini verbis vtar, tam mundum pro mundãdis vitijs mortalium, quam ſine vlla contagione carnalis concupiſcentiæ caro nata in vtero & ex vtero virginali? Et quid tam gratè offerri à nobis, & ab illo ſuſcipi poſſet, quàm caro ſacrificij noſtri corpus effectũ ſacerdotis noſtri? Nullam imaginari eſt oblationem mundam aliam quę per Eccleſiam offeratur in omni orbis loco, quàm in Euchariſtiæ ſacramento, agni videlicet immaculati Ieſu Chriſti carnem & ſanguinem. Hoc ipſum ſacrificij genus obtulit & inſtituit, vt diximus ex Irenæo & Cypriano, quando in nouiſsima cœna ſub panis & vini ſpeciebus ſuum corpus & ſanguinem cum gratiarum actione Deo patri offerens, etiam diſcipulis ſumenda diſtribuit, atq; ita iam verè nouum illud ſacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech exercens, & ad eundem ritum nouos ſuos ſacerdotes inſtituens, ijſdem mãdauit, vt ad ſuum quoque exemplum ſuo tempore ſimiliter facerent. Et nouo inſtituto impleuit figuram Phaſe illius veteris, de quo ille catholicę Chriſti Eccleſiæ pontifex Leo in ſermone quodam Paſchali. Vt vmbræ, inquit, cederent corpori, & ceſſarent imagines: ſub pręſentia veritatis, antiqua obſeruantia nouo ſacramento tollitur, hoſtia in hoſtiam tranſit, ſanguis ſanguinem excludit, & legalis feſtiuitas dum mutatur, impletur. Certè vetus illud Paſcha fuiſſe etiam figuram nouæ huius cœnæ dominicæ, & agni illius immaculati, vt eſt in ſacramento Euchariſtiæ, ipſe Chriſtus apertè indicat, eam ipſam Paſcha appellans, dum ait, Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcũ antequam patiar: Hoc Paſcha, inquit, nouũ hoc & verũ, in quo vt in veritate terminatæ ſunt vmbræ & figuræ illius veteris, non illud vetus typicum & veruecinum, in quo nihil dignum erat tanto Chriſti deſiderio (quemadmodum aduerſus Marcionem Tertullianus diligenter annotauit) quòd cùm ijſdem diſcipulis iterum atque iterum manducauerat, vt de eo minimè locutum ipſum planè indubitatum ſit. Hinc & Apoſtolus Paulus, Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, diſcriminans Paſcha nouum à veteri, noſtrum hoc eſt Chriſtianorum, à Iudaico, clarè etiã docens Iudæorum Paſcha ſic ad Chriſtianum ſe habere quemadmodũ figurã ſe habet ad veritatem, & ad corpus vmbra. Quamobrem vt illorũ paſcha legalis agni ſacrificium fuit, ita noſtrũ, hoc eſt Chriſtianorum paſcha, veri agni eſt ſacrificium. Et quan-

Malac. 1.

Li. 4. de Trinit. cap. 14.

Sermone E.

Lib. 4.

quanquam is verus agnus pro nobis in cruce fuerat immolatus, non in cruce tamen edebatur, ſed in altari dũtaxat, in quo noſtrũ quoq; fit Paſcha. Et cùm de menſa Domini, *1.Cor.10.* & de menſa dæmoniorum loquatur Apoſtolus, eãdem rem ſatis inſinuat: *Ex defenſione Roffenſ.* Videte, inquit Iſrael ſecundum carnem, Nonne qui edunt hoſtias participes ſunt altaris? Quid ergo? Dico quòd idolis immolatũ ſit aliquid, aut quòd idolum ſit aliquid? Sed quæ immolant gentes, dæmonijs immolant, & non Deo: nolo autem vos ſeruos fieri dæmoniorũ: Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non poteſtis menſæ domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorũ. Eſt ergo ratiocinatio Pauli iſta, Sicut qui victimas iuxta legem veterem immolatas edebant, participes effecti ſunt altaris, & conſortium quoddam inibant cum eo cui ſacrificabantur ipſæ victimæ, ita fit et paſsim vbi tales victimæ cuiuis offeruntur ſiue Deo ſiue dæmonibus. Nam vt in menſa dæmoniorum dæmonibus oblationes fiunt, & quiſquis ex eis ederit, conſortium habet cum dęmonibus ita & in menſa Domini quod immolatur, immolatur Domino, & qui talibus oblatis veſcitur, communionem init cum Domino: Quamobrẽ omnino cauete ne guſtetis quicquam ex his quæ dæmonibus immolantur. Molitur enim his verbis Paulus, quod omnes qui in menſa Domini ſumimus Euchariſtiam, eius carni pariter & ſanguini communicamus. Nã proximè ſuperius admonuerat Cor. vt fugerent ab idolorũ culturã, ac mox rationem ſubdit, Quoniam Chriſto communicamus per victimam carnis & ſanguinis ſui, quibus in menſa veſcimur. Quod probat, Quoniam, inquit, vt carnales Iudæos victima q̃ offerebant ipſos fecit participes altaris, ita & victima quæ in mẽſa Domini vel dæmoniorum offertur, aut illius aut iſtorũ conſtituit participem. Dilucidum igitur eſt & ex hoc loco Pauli, corpus & ſanguinem Domini victimam eſſe, & ſacrificium oblatum in menſa Domini. Nec ſolum ex ſcripturis patres iſti Irenæus, Cypri. & Auguſt. docent in miſſa eſſe ſacrificium corporis & ſanguinis Domini, verum etiam vniuerſi ſcriptores catholici quos magno numero citat *In defenſione Aſſert.* Epiſco. Roffenſis, & Albertus Pighius in ſua *Regis contra* hierarchia: item pater Alfonſus de Caſtro *captiuitatẽ* circa primam hæreſim de miſſa. Nec aduer- *Babilonicã.* ſarij hanc patrum conſentientem ſententiã *Li.2. cap 5.* ignorant. Scribit enim Ioannes Caluinus in *Lib. de cœna domini.* hæc verba, Veteres cœnam ſacrificium vocaſſe notum eſt: neque poſſum veteris eccleſiæ conſuetudinem excuſare, quòd guſtu ac ritu ſuo ſpeciem quãdam ſacrificij figuraret, iiſdem ferè cæremonijs, quæ ſub veteri teſtamento in vſu erant, eo excepto quòd panis hoſtia animalis loco vtebantur: Quod cum nimis ad Iudaiſmum accedat, nec Domini inſtitutioni conſentaneum ſit, minimè pro- *Epiſt.3. quæ* bo. Quamuis aũt in ea obſeruatione aliquid *eſt de officio* offenderunt veteres, tamen impietas tanta *ſacerdotis.* non erat, quanta poſtea obrepſit. hactenus Caluinus. Nam inter veteres S. Clemens papa & martyr, diſcipulus & ſucceſſor B. Pe- *Eccleſiaſticæ* *Hierar. ca 3* tri, apertè dicit quòd in alijs locis ſacrifica- *Epiſtola ad* re, & miſſas celebrare non licet, niſi in qui- *Smirnenſes.* bus Epiſcopus proprius iuſſerit. Et B. Diony *Cano.14.* ſius ſcribit Pontificem rurſus ad altare ipsũ conſummandi ſacrificij cauſa remeare. Item S. Ignatius, Non licet, inquit, ſine Epiſcopo neq; offerre, neq; ſacrificiũ immolare. Rurſus, celeberrimum Concilium Nicenum, cuius autoritas habita eſt ſemper quaſi ſancti euangelij, Hoc neq; regula, inquit, neq; conſuetudo tradidit, vt hi qui offerendi ſacrificij non habent poteſtatem, his qui offerunt corpus Chriſti porrigant. Præterea Tertulliani, B. Chryſoſtomi, Hieronymi ad Hedibiam, Aug. & Ambroſij, aliorumq; ſententias, quas quiuis facilè inueniet apud ipſos authores ſuperius citatas. Et nomen miſſa quo à temporibus Apoſtolorum vſi ſunt ſcriptores Eccleſiaſtici, ſonat Hebraicè oblationẽ, ſecundum Ioannem Capnionem, qui referente epiſcopo Roffenſi, dicit hoc nomen neque Græcum eſſe neque Latinum, ſed Hebraicum: ſicut Paſcha neque Græcum eſt neque Latinum, ſed ab Hebræis mutuatum, & docet miſſam ſignificare oblationem ſpontaneam, Deutero.16. Hebraice legi miſſam, vbi noſter interpres vertit, oblationem ſpõ *In opuſculo* taneam manus tuæ, quam offeres iuxta bene *de ſacrificio* dictionem Dei tui. Omitto hic ſubtilem ar- *miſſa.* gumentationem qua Cardinalis Caietanus, & pater Alfonſus de Caſtro ex verbis Saluatoris, Hoc facite in meam cõmemorationẽ, &, Hoc eſt corpus meum, quod frangitur, & Hic eſt ſanguis meus qui effunditur, concludunt, verum eſſe ſacrificium in miſſa corporis & ſanguinis Domini. Omitto & deductionem patris Alfonſi ex vaticinio Danielis de ceſſatione iugis ſacrificij tempore Antichriſti, per tempora, tempus & medium temporis, hoc eſt tres annos cum dimidio. Cum igitur tam ſit concors ſuper hac veritate & ſemper fuerit patrum Eccleſiaſticorũ & Conciliorum generalium doctrina, & ex cõſequenti totius eccleſiæ catholicæ, quam Apoſt. prædicat eſſe columnam & firmamentum veritatis, intolerabilis eſt Caluini & aliorum arrogantia, qui populum ſeducentes contrarium ſcribere & promulgare audent. Ex his manifeſtum eſt in miſſa eſſe verum ſacrificium & oblationem corporis & ſanguinis Chriſti, ſub ſpeciebus panis & vini, ex diuina & Chriſti inſtitutione. Dixit *Malach.* namq; Dominus exercituum, In omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Et Dominus Ieſus Hoc facite in meam commemorationem: vbi noui teſtamenti, ſecundum Irenæum, nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis percipiens in vniuerſo mundo offert Deo. Sacra nãque Eucharistia primò ex Chriſti inſtitutione ſacramentum eſt corporis & ſanguinis Chriſti, deinde eſt & ſacrificium, in quo ſub ſpeciebus panis & vini corpus eius & ſanguis patri cœleſti offeruntur: & tertiò cibus

eſt &

& potus, quibus cor hominis Chriſtiani cõfirmatur. Nam ſubſtantia prior eſt eius vſu, & manducatio, quæ ex altari ac menſa domini diſpenſatur, poſterior eſt oblatione. Primum igitur eſt hic conſecratio & confectio ſacramenti, in qua, ſecundum B. Thomam, conſiſtit ſacrificatio: ſecundo eſt oblatio, deinde ſacrificatæ & oblatæ carnis manducatio. Sacrificij igitur oblatio primarius eſt ſacræ Euchariſtiæ vſus, & ideo in ordinatione ſacerdotis oblationis fit mentio non conſecrationis quæ fit ad oblationem, ſecundum definitionem Concilij Floren. Manifeſtum eſt etiam quòd Chriſtus in cœna non ſolũ ſacrificium vt offeratur inſtituit, ſed & ipſe ſacrificauit & obtulit corpus & ſanguinem ſuum ſub panis & vini ſpeciebus: imò fieri neq; quod verterit panem & vinum in corpus & ſanguinem ſuum, niſi etiã ſacrificaue rit: quamuis fieri poſsit, vt ſacrificium conſecratum non offeratur. Nam ex conſecratione Euchariſtiæ neceſſariò ſequitur ſacrificatio & ſacrificium. Sacrificare enim eſt facere ſacrũ, hoc eſt Deo, atq; ad eius reuerentiã aliquid dedicare & deputare: ſicut conſecrare virginem vel ſacerdotem, eſt eos Deo efferre & dedere. Et in Leuitico dicit ſcriptura, quòd Domino ſanctificatur quicquid ei vouemus. Chriſtus autem ſeipſum, hoc eſt corpus & ſanguinem ſuũ (conſecrando) patri exhibebat vt ſanctificaret, patriq; conſũgeret ſanctos Apoſtolos eſu & potu ſacræ Euchariſtiæ, ad patris gloriam ac reuerentiam. Nihil enim magis ad patris cultum & honorem fieri poteſt, quam quod ex patris mãdato & obedientia ſecundum corpus & ſanguinem velit contineri ſub vili tegumento ſpecierũ panis & vini, vt nos ſanctificet. Facere igitur ſe eſſe in ſacramento, iuxta B. Auguſtini & aliorum definitionem, eſt verè ſacrificare. Eadem quoq; ratione, quandocunque in miſſa fit conſecratio ſ. Euchariſtiæ fit ſacrificium. Agitur enim opus, vt ſancta ſocietate inhæreamus Deo, cum Euchariſtia ſit ſacramentum vnionis, inſtitutum vt cum Deo vnus ſimus ſpiritus. Nihil etenim magis conducit vt ſancta ſocietate, imò & vnione Deo inhæreamus, atq; in eum totaliter trãſformemur, quàm ſ. hæc Euchariſtia. Chriſtus igitur ſeipſum ſacrificauit & patri obtulit, vt menſæ aſsidens, & vt in ſacramento latebat, ad patris reuerẽtiam, in ſacrificiũ à ſuis etiam miniſtris vſq; ad ſeculi conſummationem offerẽdum, in precium redemptionis noſtræ, atq; in cibum & potum animarum fidelium. Totius namque vitæ ſuæ decurſu fecit quæ patri placita erant, ſe offerens in omnem eius voluntatem, & maximè quãdo in cœna nouiſsima ſacerdotio fungebatur ſecundum ordinẽ Melchiſedech. Hoc ſenſu interpretãtur Theophyl. & Euthym. verbũ Saluatoris, Pater ſanctifica eos in veritate, & pro eis ego ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate, hoc eſt, vt ipſi ſint ſacrificium tibi acceptum, & ideo ego ſanctifico meipſum, id eſt, me pro eis offero.

3. part. q. 82. arti. 4. ad primum & 10. & 80 articu 2. ad tertium.

Cap. vlt.

Ioan 17.

Scribunt enim victimam hoc loco dici ſanctificationem, vt immolationem ſub ſacramento inchoauerit, quam conſummauit in cruce, quamuis tota eius vita perpetua fuerit immolatio pro noſtris peccatis & ſalute impetranda. Per totam nanque vitam exhibuit patri in hoſtiam viuentem, ſanctam & Deo placentem, nõ ſolum corpus ſuum, ſed & animam, ac ſe totum. Sed vt dicit B. Bernardus de oblatione facta in templo, quando & ipſe ſe obtulit, quod ſatis delicata videtur, vbi tantũ ſiſtitur domino, redimitur auibus, & ilicò reportatur, ita & oblatio q̃ fit in ſacramento. Nec ſolum Chriſtus conſecrando ſe patri obtulit, ſed ſemper offert quàm diu ſub ſpeciebus panis & vini manebit. Cui ſententiæ ſubſcribunt B. Hierony. interpretans verſic. Pſal. Tu es ſacerdos in æternum & cæt. & in epiſt. ad Hedibiam: Euſebius Cæſarienſis: Venera. Beda & Rupertus, quorum ſententias & verba refert pater Alfonſus. Nec tantum in ſacra Euchariſtia vera eſt oblatio, ſed & verum ſacrificium propriè dictum, quod fit, quando id quod offertur intrinſecus afficitur aliqua qualitate, vel noua diſpoſitione. Nã in ſacra Euchariſtia nõ ſolũ panis & vinũ tanq̃ verũ ſacrificium tranſeunt in corpus & ſanguinẽ Chriſti, ſed & Chriſtus accipit ibi nouum eſſe ſacramentale, quale in cælis non habet, & fit ſecundum phraſim ſermonis B. Amb. quod prius erat panis & vinũ corpus & ſanguis Domini. Eſt igitur ex Chriſti inſtitutione (vt diximus) in Miſſa verum & propriè dictum ſacrificium, quod Deo patri offertur. Et quamuis Chriſtus expreſsè non meminerit oblationis ſacrificij, quia tamen non fit ſacrificium niſi ad hoc, vt Deo præſentetur & offeratur, ſicut ex eius inſtitutione ſacrificium habemus, ita & oblationem. Quomodo eccleſia catholica intelligit, quæ in ſacro canone poſt conſecrationem & verba Chriſti videlicet, Hæc quotieſcunq; feceritis, & cæt. ſtatim addit, Vnde & memores, & cæt. offerimus, & cæt. quamuis tamen ſi non eſſet ex Chriſti inſtitutione ſacrificij oblatio, nec Chriſtus ipſe obtuliſſet poſt conſecrationẽ, nos tamen ipsũ offerre poſſemus, quando ex Dei patris munificentia nobis donata in omnẽ vſum ſalutis noſtræ habemus præſens Chriſti corpus ac ſanguinem. Cũ enim res ipſa, hoc eſt Chriſtus Dominus, acceptiſſimus ſit Deo patri eiq; beneplacita hoſtia, quæ eſt agnus immaculatus tollens peccata mundi, quid prohibere poſſet, quo minus offeratur, & diuinæ maieſtatis oculis, vt noſtri miſeratur, præſentetur. Quid inquit B. Aug. tam gratè offerri à nobis, & ab illo ſuſcipi poſsit quàm immaculata caro nata ex vtero virginali? An impediat quod ex patris gratia ſeipſum ipſe nobis donat, & propterea eũdem ipſum Deo offerre nõ poſſumus? Sed ait rex Dauid, tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. An quia ſemel in cruce oblatus, à nobis offerri non poſsit, quando ita ſe dimittit, vt in manibus

Ser. de purificatione.

Lib. 1. demõſtrationum euangelic. c. 10. lib 2 cõmentar in Leuit. ca. 6.

noſtris ſub panis & vini ſpeciebus contineatur, quando ſemel oblatum nobis integrũ ſe reddit? Non alia eſt noſtra oblatio, quã victimę huius & oblationis imago, exemplar, atq; memoria, vt loquuntur Amb. Chryſoſ. Manifeſtum eſt etiam ex ſuperioribus, quod Miſſa eſt ex Chriſti inſtitutione quoad eius ſubſtantialia, quæ ſunt conſecratio ſub duabus ſpeciebus, oblatio, & oblati ſumptio: quamuis (vt diximus) omnino certum non ſit, quod hæc Chriſti inſtitutio vim & efficaciam habeat præceptiuam. Ordinem autem & modum ſacrificandi in Miſſa, ordinauerunt Apoſ. quem pontifices poſtea auxerunt ad cuſtodiam & lucrum fidei & charitatis, atq; promotionem deuotionis populi Chriſtiani, & ad ampliandam reuerentiam erga ſacramentum. Atque hac parte ordinata eſt Miſſa à præpoſitis eccleſiæ ex inſpiratione ſpiritus Chriſti. Ex quo ſequitur, quod celebrantes cœnam dominicam ſine oblatione, & cum ſola fidelium communione, Chriſti violant inſtitutionem, qui mandat vt hoc faciamus quod ipſe fecit, hoc eſt ſacrificem' & offeramus, iuxta Cypriani & ſanctorum interpretationem. Sequitur etiam quòd in Miſſa non tantum eſt commemoratio ſacrificij in cruce peracti, ſed verum ſacrificiũ, quod conſecratur & offertur in commemorationem mortis Chriſti domini, atque ita eſt ſacrificium commemoratiuum ſacrificij crucis, ſicut agnus Paſchalis & ſacrificia legis verè ſacrificia erant prænoſtica eiuſdem crucis ſacrificij: ſed & in commemorationem liberationis filiorũ Iſrahel à ſeruitute AEgyti conſtitutus erat agnus paſchalis. Vt autem intelligatur quomodo fiat ſacrę Euchariſtiæ oblatio, ad memoriam reuocandum eſt, quòd ſummus ſacerdos in feſto Expiationis cum ſanguine intrabat in ſancta ſanctorum, & ſanguinem vituli & hirci, qui prius immolati & occiſi erant in altari ſacrificij, ſepties aſpergebat contra propitiatorium. Quibus cæremonijs Apo. Pau. tanquam vmbris veritatem, applicat conſummationem victimæ crucis. Ait enim, quòd Chriſtus fuſo ſanguine in cruce per proprium ſanguinem ingreſſus eſt non in manufacta ſancta, ſed, in ipſum cœlum, vt appareat vultui Dei quaſi propitiatorio pro nobis, donec ſecundò ſine peccato appareat omnibus ſe expectantibus in ſalutem. Id quod latè proſequitur Orige. qui & interpretatur diem propitiationis nobis manere donec ſol occidat, id eſt vſq; quo mundus finem accipiat, quod Ap. dicit, Donec ſecũdò appareat omnibus, &c. Qua Apoſt. Pau. doctrina inſtructus B. Amb. Nunc, inquit, Chriſtus offertur, ſed offertur quaſi homo, quaſi recipiens paſsionẽ, ſed offert ſe ipſe quaſi ſacerdos, hic in imagine, ibi in veritate, vbi apud patrem pro nobis quaſi aduocatus interuenit: Hic aũt ſe offert etiam vt ſacramento exiſtens per ſuos miniſtros, in cœlis vero, per ſeipſum. Et beatus Chryſoſt. Nonne per ſingulos dies offerimus quidem, ſed ad recordationem facientes mortis eius. Et vna eſt hæc hoſtia, nõ multæ, quia ſemel oblata eſt in ſancta ſanctorum: noſtrum autem ſacrificium exemplar eſt illius, inquam, quod ipſe nunc in cœlis offert, hoc enim per nos præſentari & offerri iuſsit, ſicut in cœlis ſe pręſentat. Fungitur namque ſacerdotis officio vbicunque corporaliter adeſt. Sempiternum enim habet ſacerdotium ſemper viuens ad interpellandum pro nobis, etiam vbi ſub aliena ſpecie, ſicut in ſacramẽto occultus latet. In quo functionem ſacerdotij ſecundum ordinem Melchiſedech, quod ſempiternum ait Apoſtolus Paulus conſiſtere diximus ſecundum Theophylactum et OEcumenium.

Leuit. 16. *Heb. 9.* *Homil. 9. ſuper Leuit.* *Li. 1. officiorum cap. 10.* *Homil. 7. epiſt. ad Heb.*

Manifeſta eſt ex ſuperioribus ſecunda huius articuli pars, videlicet, quod ex Chriſti inſtitutione iſtud ſacrificium Miſſæ pro alijs offertur, & oblatum viuis prodeſt & defunctis. Cum enim iuſſerit Dominus ſacrificare & offerre, dum dixit, Hoc facite in meam cõmemorationem, iuxta B. Cypr. reliquorumq; patrum interpretationem: & hoc dixerit indefinitè ac ſimpliciter ſine vlla reſtrictione cauſæ ob quã, vel perſonarum pro quibus offeratur: & nec loci vel temporis imò nec communicantiũ, nec quod priuatim vel publicè offeratur faciat mentionem, omnia hæc libera reliquit Eccleſiæ ſuæ ſponſæ diſpenſationi, ſecundũ quod videret gloriæ patris ſui & fidelium ædificationi ac ſaluti conuenire, atq; miniſtrorum diſpenſationi, & arbitrio. Qua argumentatione vti diximus B. Aug. in ſimili materia ex verbo B. Pauli Apoſ. Cætera cùm venero diſponam. Offerri igitur poteſt ſacra Euchariſtia in omnem vſum & finem, ad quem ſacrificia offerri poſſunt, & ad quẽ legis ſacrificia diuinitus ſunt inſtituta. Succeſsit enim in locum omnium veterum ſacrificiorum. Nam docet. B. Auguſt. ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech quod Chriſtus exhibuit hic de corpore & ſanguine ſuo, ſucceſsiſſe omnibus ſacrificijs veteris teſtamenti, quæ immolabantur in vmbra futuri: Propter quod etiam vocem illam eiuſdem mediatoris per prophetam loquentis Pſal. 39. agnoſcimus, ſacrificium, inquit, & oblationem noluiſti, corpus autem perfeciſti mihi, quia pro omnibus illis ſacrificijs & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus miniſtratur. Perfectiſsimum namq; eſſe conueniebat ſacrificiũ quod ſecũdum ordinem Melchiſedech in lege ſua noua Chriſtus inſtitueret. Beatiſsim. Leo, Vt vmbræ, inquit, cederent corpori antiqua obſeruatio, nouo tollitur ſacramẽto, hoſtia in hoſtiam tranſit, tanto meliorem quanto agnus immaculatus, Chriſtus videlicet præſtat ſanguinem agni Paſchalis, & legalis feſtiuitas dum mutatur impletur. Eſt igitur ſ. Euchariſtia holocauſtum ſacrificium pacificum & propitiatorium ſiue pro peccatis: Et omnium horum vſum habet, veritatem & virtutem, imò in immenſum excedẽtem, vt et-

Li 17. de ciuit. dei c. 20. Et lib. 1. contra aduerſarium legis et prophetarũ cap 20. *Serm 6. de Paſchate.* *Lect. 35. e ſ. alphabe. 39. v. ca. 3. 4. 5.*

vt etiam docet Gabriel in canonem miſſæ poſt Ioannē Gerſonem. Cum ergo in Leuitico dicat Dominus, quòd oblato ſacrificio ab eo qui peccauerat, ſacerdote pro eo & peccato eius rogante dimittebatur ei, quis dubitare poteſt, quin hoc oblato ſacrificio in quo ſolo beneplacitum eſt patri, & orante ſacerdote peccata dimittantur? Et certè ſacerdotis officium eſt offerre dona & ſacrificia pro peccatis. *Heb. 5.* Certum eſt autem quod olim ad oblationem ſacrificij, & ſacerdotis oblationem, reatus peccatorum remittebatur poſt dimiſſam culpam remanēs, et propterea nihil dubitandum quin ad huiuſmodi peccatorum remiſsionem valeat: Sed an culpa mortalis & reatus pœnæ æternæ per noſtrum præcipuè ſacrificium remittantur, non eſt conſentiens ſcholaſticorum doctorum ſententia. Quidam enim interpretātur dicta ſanctorū docentium ſacrificia oblata ad remiſsionem criminum valere, de reliquijs eorum quæ in nobis remanent poſt culpæ indulgentiam. *Martinus Pereſius A. iala de diuinis & apoſ. traditionibus.* Verùm ſcripturis & patribus magis eſt conſentanea ſententia contraria. Nam Leuiticus dicit ſimpliciter quod oblato ſacrificio & orante ſacerdote peccata dimittebantur. Et Apoſtolus Paulus quod ſacerdotis eſt offerre ſacrificia pro peccatis: Peccata autem propriè vocātur culpę, & non earum reatus, niſi ſecundum tropum quo effectus ſignificatur nomine cauſæ. Et cū idem ſit ſacrificium altaris & victima crucis, idemq; Chriſtus patri offeratur in altari, qui in cœlis: ſicut oblatio quam ſancta ſanctorum ingreſſus vultui patris pro nobis apparens, operatur remiſsionem peccatorum mortalium, ita & ea quæ fit in altari. Ad omnia namque valere videtur ſacrificium altaris, & oblatio quam Chriſtus facit in cœlis, ad eandem ſcilicet, ad quæ valebat victima crucis. *Epiſt. ad oēs orthodoxos.* Atq; hæc videtur patrum ſententia. Nam Alexander quintus à B. Petro pontifex ſcribit, quòd crimina atq; peccata oblatis his dominò ſacrificijs delentur, quodq; talibus hoſtijs delectabitur & placabitur dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enim, inquit, in ſacrificijs maius eſſe poteſt, quàm corpus & ſanguis Chriſti, nec vlla oblatio hac potior eſt: eadem ſcribit Iulius primus. *Epiſt. ad epiſcopos per AEgyptum.* Et B. Cyprianus. dicit ſacram Euchariſtiam eſſe holocauſtum ad purgandum iniquitates. *lib 1 officiorum cap. 48* Idem quoq; habet Amb. & Chryſoſtomus, *lib. 6. de ſacerdotio.* Sacerdos, inquit, pro vniuerſo orbe legatus intercedit, eſtque apud Deum deprecator, vt omnium nō viuentium modò, ſed etiam mortuorum peccatis fiat propitius. *diſt. 12. q 2. art. 2. in ſolu 4. argum.* Modum autem quo mortalia peccata per ſacrificij noſtri oblationem remittuntur, declarat B. Thomas: Euchariſtia, inquit, non ſolum eſt ſacramentum, ſed etiam ſacrificium: In quantum autem ſacramentum eſt in ſolo viuente effectum habet. Requirit enim vitam præexiſtere, ſed in quantum eſt ſacrificium effectum habet etiam in alijs pro quibus offertur, in quibus non præexigit vitam ſpiritualem in actu, ſed in potentia tantū: & ideo ſi eos diſpoſitos inueniat, gratiam eis obtinet virtute illius veri ſacrificij, à quo omnis gratia in nos influxit, & per cōſequēs peccata mortalia in eis delet, non ſicut cauſa proxima, ſed in quantum gratiam contritionis impetrat: Proxima namque cauſa remiſsionis peccatorum, eſt baptiſmus & pœnitentia, ſaltem deſiderata: Quo modo peccata mortalia delet etiam oblatio ſacrificij crucis. Vnde manifeſtum fit quòd hoc ſacrificium non ſolum eſt Euchariſticū, ſed verè expiatorium & propitiatorium ſuper reatu peccatorum etiam mortalium: imò probabile eſt quod ſuper remiſsione culpæ mortalis, & reatus pœnæ æternæ. Non tamen definire auderem, quod quaſi ex opere operato ex Dei ordinatione ſemper peccata remittantur ei pro quo ſacra Euchariſtia offertur etiam ſi diſpoſitus ſit, ſicut per ſacramenta baptiſmi & pœnitentiæ remittuntur.

Certum eſt enim nulla peccata mortalia remitti ſine horum ſacramentorum deſiderio. *Homil 2 in Leuiticum.* Eſſe autem varios modos expiandi peccata mortalia tempore euangelij, docet Origenes ex ſcripturis. Videtur autem diſcrimen inter ſacrificium crucis & altaris, quod Chriſtus patri illud obtulit, vt ſolis electis eſſet efficax, his videlicet quos dederat ei pater. *Ioan. 4.* Ait enim, Meus cibus eſt vt faciam volūtatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius. Et, Quos dediſti mihi pater ego cuſtodiui, nemo ex eis perijt niſi filiꝰ perditionis. *Ioan. 7.* Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo quos dediſti mihi: Non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi, quia tui ſunt, & pro eis ego ſacrifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate. Item vt omne quod dediſti ei det eis vitam ęternam: Et ideo eis ſolis & omnibus ob victimam filij pater peccata remittit, & vitam largitur ęternam, atq; baptiſmum aliaque ſalutis remedia eis prouidet. Sacerdos autē cum patris neſciat volūtatem, promiſcuè pro omnibus offerre poteſt, pro his etiam quos pater cœleſtis filio ſuo non dedit. Quapropter non oportet vniuerſis pro quibus offert efficacem eſſe ſacerdotis oblationem. Oblatio enim altaris eſt cōſummatio, imago & memoria ex Chriſti inſtitutione victimæ & oblationis factæ in cruce: ſicut & ea quā in cœlis facit Chriſtus vultui patris pro nobis apparēs. Et ideo non latius ſe extendere poteſt eius efficacia, quàm Chriſti patientis erat voluntas, hoc eſt patris electio: & ad eadem valet ex oblationis efficacia, & quaſi ex opere operato: Ad temporalia vero obtinenda ſolum valet per modum interpretationis quæ per ſacrificium multum gratiæ & efficaciæ accipit apud patrem. Pro reatu pœnarum ſacrificium ipſum ſatisfacit per exhibitionē & ſolutionē æquiualentis. Vt autem ſ. Euchariſtia ſacramentum eſt, non propriè victimę crucis memoria eſt & imago, ex opere operato viuificat, confortat, & omnem effectum in ſpiritu operatur, quem in corpore cibus & potus corporalis: Ex merito tamen victimæ cru-

cis, ſicut baptiſmus regenerat, & pœnitentia lapſos reparat. Quod enim per ſacrificiũ Miſſæ, & ſacram Euchariſtiam, ſine reſpectu mortis Chriſti, impius poſt baptiſmum iuſtificetur, aut ei propitietur Deus, non eſt ſcripturis conſentaneum. Ait enim Apoſtolus Pau. quod pater poſuit Chriſtum propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius, qui traditus eſt propter delicta noſtra, Et, Iuſtificati in ſanguine eius, reconciliati per mortẽ eius, & lauit nos in ſanguine ſuo à peccatis noſtris. Et ideo improbabilis eſt opinio Ambroſij Catharini, quòd peccata ante baptiſmum admiſſa, dimittũtur per ſacrificiũ crucis: & poſt baptiſmum admiſſa, per ſacrificium altaris. Nec ſolum pro peccatis remittendis valet hoc ſacrificium, verùm etiam pro qualibet neceſsitate. Ait enim B. Chryſoſto. communes in ſacrificio preces effundimus pro non initiatis & infirmis, & pro terræ mariſq; , & vniuerſi orbis fructibus ſacrificamus. Et B. Auguſt. dicit per oblationem ſacrificij domum quandam liberatam eſſe à virtute noxia malignorum ſpirituum. Vir, inquir, tribunicius cùm afflictione animalium & ſeruorum ſuorum domum ſuam ſpirituum malignorum vim noxiam perpeti comperiſſet, rogauit noſtros me abſente presbyteros, vt aliquis eorum illo pergeret cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi ſacrificium corporis Chriſti, orans quãtum potuit, vt ceſſaret illa vexatio. Deoq; protinus miſerente, ceſſauit. Quod etiam ſacrificium offerri poſsit, pro defunctis, ex Apoſtolica quoq; traditione frequẽter docet in homilijs ad populum B. Chryſoſtomus. Ait enim ad populum Antiochenũ, Non temerè ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, vt in tremendis myſterijs defunctorũ agatur memoria. Sciebant enim multum illis fructum multamq; vtilitatem inde prouenire. Cùm enim totus conſtiterit populus extenſis manibus, & ſacerdotalis plenitudo, & tremendum proponitur ſacrificium, quomodo Deum pro his ſupplicantes non exorabimus? Idem prolixè docet in ritu Miſſæ à ſe edito, quem longè proſequitur Reuerendus pater Alfonſus de Caſtro, & B. Aug. In Machabæorum, inquit, libris legimus oblatum pro mortuis ſacrificium. Sed etſi nuſq̃ in ſcripturis veteribus omnino legeretur, non parua hac conſuetudine claret authoritas, vbi in precibus ſacerdotis, quæ domino Deo ad eius altare funduntur, locum ſuum habet commendatio etiam mortuorum. Item in Enchyrid. Neq; negandum eſt defunctorum animas pietate ſuorum viuentium releuari, cùm pro illis ſacrificiũ mediatoris offertur, vel eleemoſynæ in eccleſia pro eis fiunt. Et poſt pauca: Cùm ergo ſacrificia, ſiue altaris, ſiue quarumcunq; eleemoſynarum pro baptizatis defunctis omnib' offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones ſunt, pro non valde malis, propitiationes ſunt. Quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt: vt plena remiſsio, aut certè tolerabilior fiat ipſa damnatio. Rurſum libro Confeſsionum, matrem ſuam commendat, quod inſtante reſolutionis ſuæ die, non de ſepulchri honore, ſed de hoc vno ſolum eſſet ſollicita, vt frequens ipſius ad altare fieret memoria, in qua ſciret diſpenſari victimam illam ſanctam, qua deletum eſt peccati chyrographũ quod erat nobis cõtrarium. Ad precij enim noſtri ſacramentũ ligauerat animã ſuam vinculo fidei, hoc eſt ſacrificium altaris: Vbi modũ præſcribit, quo ſacrificium iſtud prodeſt mortuis, quia ſcilicet diſpenſatur eis & applicatur victima ſanctæ oblationis crucis. Et B. Aug. & ante eum Epiphanius, inter alia prophana dogmata Aerij hæretici & hóc ponũt, quod non oportet orare vel offerre pro mortuis oblationem, cum ſacrificia tempore legis pro mortuis fuerint oblata. Nam Iudas Machabæus facta collatione duodecim drachmas argenti miſit Hieroſolymã offerri pro peccatis mortuorum. Nihil ergo dubitandum eſt, quin nouæ legis ſacrificium pro iiſdem (cùm ſint eiuſdẽ corporis nobiſcum membra) offerri poſsit, quũ non deterior ſit modò eorum conditio, nec inferius, aut inefficacius noſtrum ſacrificium. Plurimas patrum ſententias, in quibus docent ſacræ Euchariſtiæ ſacrificiũ prodeſſe defunctis, citant Albertus Pighius, & pater Alfonſus de Caſtro: venerab. Ioannes Bunderus. Si contra dicta obijciatur, quòd ſacra Euchariſtia inſtituta eſt in eſum & potum, ergo non vt offeratur, ſed in gratiarum actionem, quum Dominus dicit, Hoc facite in meam commemorationem, hoc eſt, vt memores mortis meæ grati ſitis pro beneficio redemptionis veſtræ. Reſpondetur quòd primus finis inſtitutionis ſacræ euchariſtiæ, eſt, vt offeratur, ſicut declarauimus ex beato Cypriano & reliquis patribus. Et commemoratio mortis, ſacrificij & oblationis finis eſt, ſiue pro peccatis ſiue pro beneficijs impetrandis fiat oblatio, non autem de eius eſt ratione, nec materia vel cauſa ob quam ſacrificatur vel offertur. Eſt enim præſentatio mortis quam ante oculos eius exhibemus, & eum illius quaſi memorem facimus, vt rectè intelligi poſsit. Hoc facite in meam commemorationem non ſolum apud vos, ſed & apud patrem apud quem offerentes mortem meã annuncietis. Et ideo, vt diximus, conſecratio huius ſacrificij eiuſque oblatio magis eſt in commemorationẽ, quam ipſum ſacrificium, quod inſtitutum eſt in præſidium animarum noſtrarum, & in omnem vſum in quem ſacrificium offerri ſolet. Non igitur materia vel vſus ſpecificatur, ſed finis vel modus tantùm, cum ait Dominus, Hoc facite in meam commemorationem. Nam ſimpliciter & abſolutè dicit dominus, Hoc facite, id eſt, ſacrificate & offerte ſiue pro peccatis ſiue pro gratia & ſalute impetrãda, ſiue in gratiarum actionem, vel vt honor, & reuerẽtia Deo deferatur, ſiue pro viuis ſiue pro mortuis, ſemper tamẽ in mortis meæ commemorationẽ, quã patri offerẽ-

Rom. 3.
Roman. 5.
In comment epiſ. ad. Heb cap. 10.
Hom. 77. in Ioannem.
li. 22. de ciui Dei cap. 8.
Miſſa primitiua.
Hom 69. & homil 41. in primã epi. ad Cor.
Hæreſ. 3. de Miſſa.
De cura pro mortuis agẽda cap. 1.
Cap. 110.
Lib. 9 cap. & 13.
De hære. ca. 53.
2. Macha. 12
Lib. 5. Hæreſ. 3. de Miſſa.
In compendio ſuo.
Thom q. 20 art. 12 ad 4.

do

do præſentetis. Et ideo cùm dicit Dominus, Hoc facite in meam commemorationem, potius ipſum facere, quam quod factum eſt, in eius commemorationem eſt referẽdum. Ex quibus patet quòd ſacra Euchariſtia & pro peccatis eſt ſacrificium, eſt & euchariſticum ſimul & holocauſtum, dignitate & virtute includens, imò in infinitum ſuperans omnium generum cuiuſcũq; legis ſacrificia, quod & in omnes ſacrificiorum vſus ſemper in Miſſa offertur, pro ſpe ſcilicet ſalutis & incolumitatis, & animarum redemptionem. Tria autem hæc ſacrificiorum genera diligenter explicat beatus Thomas, qui etiam docet Chriſtum fuiſſe omnis generis ſacrificium, & peccatorũ expiationem, eumque tota vita ſua ſuo functum eſſe ſacerdotio. An autem Chriſti inſtitutio patiatur, vt offeratur tanquam holocauſtum tantum in gloriam ſcilicet & cultum Dei, ſine applicatione ad viuos vel mortuos, aut pro peccatis tantũ, vel ſolum in gratiarum actionem, hoc eſt, vt vel ſolum ſit holocauſtum, vel expiatorium pro peccatis tantùm, vel pacificum tantùm, non requirit præſens diſputatio. Nã propriè videtur eſſe holocauſtum, vt conſecratur, & ratione ſubſequentis oblationis induit omnium generum ſacrificij rationẽ. Quantum autem ſit diſcrimen ſi à nobis fiat oblatio corporis & ſanguinis Chriſti, quaſi in cœlo ſe vultui patris præſentantis, vel quaſi in cruce pendentis, vt in vnione mortis & paſsionis eius preces & opera noſtra patri offeramus, ab oblatione illa reali ſub ſacramento ſubſtantialiter præſentis, item quantum differat hac ipſa vt fit à populo circunſtante, & vna cum ſacerdote offerente, ab eadem, vt in miſſa fit ſacerdote conſecrante (ſi tamen diſtingui poſſunt) & oblatio Chriſti vt in cuſtodia ſeruatur, quid efficaciæ habeat. Itẽ Chriſti in templo præſentatio, & oblatio, quod inquam, & quantum inter iſtas oblationes ſit diſcrimen, articuli noſtri tractatio non requirit: item cũ noſtrum ſacrificium, vt in altari conſecratur & offertur, habeat gratiam apud patrem & valorem infinitũ, ſicut victima crucis & oblatio quã facit ingreſſus ſancta ſanctorum, cum victimæ crucis vtraq; oblatio, quæ ſit in altari, & quæ in cœlis, ſit conſummatio (ſicut docet poſt B. Thomã Cardinal. Caietanus) quomodo nõ tota pœna remittitur ei pro quo fit oblatio, ſicut per baptiſmum remittitur? Nam de gratia, & charitatis infuſione minor eſt difficultas, cũ infundantur ſecundum proportionem conatus noſtri ſiue præuiæ diſpoſitionis. Cui reſpondetur quod & oblatio ſacrificij ſimiliter operatur ſecundum deuotionem offerentium, ſicut docent B. Thom. & Caietanus. Vnicuique enim noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti, hoc eſt vt Chriſto dare libet, atque ſecundum eam menſuram. Quando autem dicunt Ioannes Eckius & Gabriel Biel, valorem miſſæ & oblationis quæ in ea fit eſſe finitum, conſiderant hãc olationem prout fit & à ſacerdote, & Chriſtum vt perſonam hic tantummodo oblatam, & non vt imaginem repræſentantem crucifixum: vel reſpectum habent ad noſtram diſpoſitionem ſiue deuotionem. An autem omnis fructus ſalutaris, temporalis & ſpiritualis, quem pater largitur, referri debeat ad mortem & paſsionem Chriſti, ſicut noſtra redemptio, an potius ad totam eius vitam, quam diximus fuiſſe perpetuam oblationem, tractat B. Thomas, Quæ omnia hic tractare prolixius eſſet.

1.2. quæ. 102 art. 3. ad 8. argum part 3 qu. 22. ar. 2. & 3. eiuſdem qu. art. 1.

Par. 3 q 67 art. cap. 5. In quotlib.

Epheſ. 4.

Circa lib à Cæſare Ratiſponæ oblatum.

Ex his igitur quę diximus manifeſtum eſt, quòd Chriſti inſtitutionem temerant, qui docent ſacram Euchariſtiam non poſſe alijs applicari, neq; pro alijs offerri. Tunc enim ſolum holocauſtum eſſet, non pacificum neque propitiatorium ſacrificium. Omnis nãque pontifex & ſacerdos pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Nec ſimile eſt de alijs ſacramentis, quæ ſolum ſacramenta ſunt, non ſacrificia: & ideò percipiens ſacram Euchariſtiam, cùm ea ſolum vt ſacramento vtatur, hoc eſt vt cibo & potu, ſumenti tantùm hæc perceptio prodeſt non alijs. Aduerſantur quoque & violant Chriſti inſtitutionem, qui illicitas atque abrogandas eſſe dicunt miſſas priuatas, hoc eſt, in quibus ſolus ſacerdos conſecrat & ſolus communicat. Has enim Miſſas vocant priuatas, etiam ſi mille adſint auditores. Iſti & huiuſmodi ſimiles errores proficiſcuntur ex peruerſo & erroneo verborum inſtitutionis huius ſacramenti intellectu, quòd videlicet facere, quod iuſsit Dominus dicens, Hoc facite in meam commemorationem, ſit manducare & bibere, non conſecrare, ſacrificare & offerre: quo tamen ſenſu B. Cypr. Irenæus, Chryſoſtomus, & alij ſcriptores Eccleſiaſtici, & canon Miſſæ ea interpretantur. Et ideo cum hic primarius eius vſus ſit, nec mandet Chriſtus, vt vel publicè, vel priuatim aut alijs ſimul comunicantibus hoc faciant, liberum Eccleſiæ iſtud reliquit. Cùm igitur ſacerdos Miſſam celebrans Deo ſacrificium offerat, & cum ſolo Deo agat cauſam totius Eccleſiæ & ſuam, atque hoc priuatim extra hominum turbam deuotius peragatur, magis ſecreta ſilentia in Miſſæ celebratione quærere conuenit, quàm in hominum frequentia loca publica, exemplo ſummi ſacerdotis legalis, qui in die expiationis abditiſsima loca, hoc eſt ſancta ſanctorum, ingrediebatur ſacrificium conſummaturus. Legitur namq; in Leuitico, Nullus homo ſit in tabernaculo, quando põtifex ſãctuariũ ingreditur, vt roget pro ſe & pro domo ſua, & pro vniuerſo cœtu Iſrael, donec egrediatur tabernaculum. Fortaſsis obijcietur quòd inter ea quæ fecit Ieſus, ſuis etiam diſtribuit corpus & calicem, ergo & nos idem facere oportet ex eius mandato, quando conſecramus & miſſam celebramus? Cui reſpondetur, quod hoc verbũ, Facite, dicit Chriſtus non fidelibus, ſed ſolis menſæ præpoſitis, vt illi

Part. 3. q. 68 artic. 1.

Hebr. 5.

Cap. 16.

illi diſpenſent vt diximus, ſecundum quod eis honori Domini & ſaluti populi Chriſtiani expedire videtur. Et præceptum hoc (ſit tamen præceptum eſt) eſt affirmatiuum, qualia non pro ſemper obligant. Et ſecundū ſanctorum patrum interpretationem Facere non complectitur diſtribuere, ſed ſolum conſecrare ex pane & vino corpus & ſanguinem Domini. De miſsis autem priuatis, & de earum vſu quod ſit antiquiſsimus, item earundem applicatione, docet in auctario Enchyrid. Ioannes Eckius: item in Apologia aduerſus Bucerum circa ſcripturam proteſtantium in Colloquio Ratiſponenſi. Et de ſacrificio miſſæ ſcribit tres libros, quibus exactiſsimè aduerſariorū dogmata conuincit, in quorum primo ex ſcripturis docet & probat in miſſa verum fieri ſacrificium: in ſecundo ex Patribus & concilijs: tertio eorum reſpondet argumentis. Virtutem quoque & efficaciā huius noſtri ſacrificij ex Patribus docet Albertus Pighius. Hi latiſsimè tractant quicquid adhuc de miſſæ ſacrificio deſiderari poſſet. Tempore beati. Aug. miſſas fuiſſe priuatas demonſtratur ex eo quod ſuperius ex ipſo citauimus, & quod Gregor. Nazian. inuentus eſt in paruo oratorio celebrare, quando communi Epiſcoporum conſenſu in Epiſcopum fuit aſſumptus: &, vt diximus, quia Chriſtus hic nihil ordinauit: niſi de faciendo, hoc eſt ſacrificando, & abſolutè dixit, Hoc facite & offerte, liberum reliquit vt vel priuatim, vel publicè iſtud faciamus cum aliorum communione, & etiam ſine ea, pro viuis vel mortuis, iuxta regulam B. Auguſt. cuius frequenter in ſuperioribus meminimus. Quod autem Deum honore & cultu debito priuant, qui in miſſa ei defertur, totamq́; Eccleſiam ac fidelium defunctorum animas multa vtilitate, fructu & præſidio fraudant, qui tanquam Chriſti inſtitutioni contrarias, miſſas priuatas abolendas docent, rectè declarat Ioannes Eckius, annota. circa librum oblatum. Et quidam ſanctorum dicit, quod quiſquis hoc ſacrificium ab Eccleſia tollere molitur, nihilominorem ei iacturam intentabit, quàm ſi mundo ſolem eripere ſtuduerit.

Controuer. 5

Li. 22. de ciu. Dei cap. 3.

Epiſt. ad Ianuarium.

In actis Concilij Ra.

Roffen. in defenſione Regiæ Aſſertionis.

Ex hac articuli declaratione & probatione non erit difficile aduerſariorum argumentis reſpondere. Falſa enim aſſumunt, vel ex erronea ſcripturarum argumētantur intelligentia. Quod primum oſtendamus de Ioan. Caluino, qui in Antidoto articulorū facultatis ſacrę Theologię Pariſiē. circa articulum 6. miſſæ ſacrificium impugnat, & ſuccinctè adducit, eaq; ei validiſsima viſa ſunt ad fidem noſtram euertendam. Relinquo eius inſtitutionem, quæ hac in re prolixa eſt, ſed argumenta Antidoti tantum proponemus. Ait enim.

Caluinus. *Inſtitutio Chriſti ſic habet, Accipite & manducate, non autem Offerte: Ergo ſacrificium miſſæ non ex inſtituto Chriſti eſt, ſed palā cū eo pugnat.*

Reſponſio. Quid, precor, apparentiæ habet hæc argumentatio, vt propter eam relinquamus conſentientem ſcriptorum Eccleſiaſticorum, & catholicæ fidei doctrinam de Miſſæ ſacrificio? Verè huic homini Deus ſpiritum compunctionis dedit: oculos vt non videat, & aures vt non audiat. Diximus enim non eſſe inſtitutionem ſacrificij, imò nec ſacræ Euchariſtię in his verbis, Accipite & manducate; Niſi enim addidiſſet, Hoc facite in meam cōmemorationē, nullum haberemus in Eccleſia ſacrificium, nullam Euchariſtiam, nullum corporis & ſanguinis Chriſti ſacramentum nec facultatem conſecrādi. Hoc autem facere, apertiſsimè (vt diximus) B. Cypri. Patres & Eccleſia catholica Græca & Latina, à temporibus Ambroſij & Chryſoſtomi in Canone Miſſæ, interpretantur ſacrificare & offerre. Quamuis igitur in his verbis, Accipite & manducate, non ſit inſtitutum ſacrificium, in eo tamen quod addit, Hoc facite in meam commemorationem, vera eſt & perpetua ſacrificij Miſſæ inſtitutio. Nihil igitur habet ſoliditatis, ſed merè ſophiſtica eſt hæc Caluini argumentatio.

Caluinus. *Præterea conſtat ex ſcripturis hoc peculiare & proprium fuiſſe Chriſti officium, ſeipſum offerre, ſicut dicit Apoſt. ipſum vna oblatione in perpetuum ſanctificaſſe ſuos: Item ſemel apparuiſſe per oblationem ſui. Nam & in hunc finem conſecratus fuit ſacerdos ſecūdū ordinē Melchiſedech ſine ſucceſſore vel ſocio. Sacerdotij itaq; honore ſpoliatur Chriſtus, cùm ius ipſum offerendi transfertur ad alios. Poſtremo nemo vſurpare debet hunc honorem, niſi à Deo vocatus, teſte Apoſtolo, Nemo autem præter Chriſtum vocatus legitur. Rurſum cùm promiſsio ad eos ſolos deſtinetur, qui ſacramēto communicaut, quo iure ad mortuos pertinebit?* *Heb. 9. 10*

Reſponſio. Eſt quidem officium Chriſto proprium & peculiare, ſeipſum pro mundo offerre in mortem, & animam ſuam dare in redemptionem pro multis, & per proprium ſanguinem poſt factam cruentam hanc oblationem in ara crucis, intrare ſancta ſanctorū, & vultui patris ſe præſētare, atq; pro nobis interpellare, nec cuiquam hoc officium communicat, ſe tamen ſancta ſanctorum ingreſſus offert & patri præſentat, non ſolum per ſe in ſua perſona, ſed etiam per noſtrum & ſacerdotum miniſterium, ſicut de Chriſto dicit Ioan. Bap. ex verbo Dei. Hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto, quaſi hoc ſit ei vt etiam verè eſt, peculiare. Apoſt. tamen & ſacerdotes ſuum baptizando præſtant miniſterium, & per eos in ſpiritu ipſe Chriſtus baptizat. Ita ſacrificando & offerendo ipſe ſe ſacrificat & offert ſacerdotum miniſterio: ſed & ſe patri præſentare vbicunq; eſt in ſacramento etiam velatus per miniſterium ſacerdotum. Non enim minus in ſacramento, quantumlibet tectus humillima & quaſi ſordida veſte, vultui patris pro nobis apparet, quia in cœlis ſedens ad dexteram eiuſdem patris, in hoc fungens ſacerdotio ſempiter- *Ioan. 1.* *Zacha. 3.*

no ſecundum ordinem Melchiſedech. Licet
Hebr.5. Chriſtus, inquit Oecum. non obtuleri t carentem ſanguine hoſtiam: ſiquidem corpus ſuum obtulit, attamen qui ab illo funguntur ſacerdotio, quorum Deus pontifex eſſe dignatus eſt, ſine ſanguine offerẽt. Nam hoc ſignificat, In æternum, Neq; enim de ea quæ ſemel à Deo facta eſt oblatio & hoſtia, dixiſ-
Hebr.5. ſet in æternum, ſed reſpiciens ad præſentes ſacrificos, per quos medios Chriſtus ſacrificat & ſacrificatur, qui etiam in myſtica cœna modum illis tradidit huiuſmodi ſacrificij. Et Theoph. explicans quomodo Chriſtus ſit ſacerdos in æternum ſecundum ordinem
Quomodo filius apud patrem intercedat, quid dicat. Melchiſedech; Manifeſtiſsimè igitur, inquit de Chriſto hoc dictum eſt. Solus enim ille pane & vino ſacrificium conſecrauit. Perinde ac Melchiſedech. Qui verò dixit in æternum? Quoniam etiámnum vna cùm corpore quod pro nobis immolauit, apud Deum & patrem intercedit, hoc eſt, quas pro nobis pertulit afflictiones, vt multum cõmoueat, proponit etiam ſine voce, reipſa nimirum patri loquẽs, Pro humana natura filius tuus ego ſuſtinui hęc: Miſerere igitur horum, pro quibus ego pati & mori ſuſtinui. Vel quia quæ in ſingulos dies fit & futura eſt in perpetuum oblatio per Dei miniſtros, ipſum habet pontificem & ſacerdotem Dominum, atq; adeo ipſam hoſtiã, qui ſeipſum pro nobis ſanctificat & frangitur, & diſtribuitur.
Lib.1. officiorum c. 84 Quoties enim hæc fiunt, mors Domini annunciatur. Et beatus Ambroſius, vt ſupra citauimus. Nunc Chriſtus, inquit, offert ſe ipſe quaſi ſacerdos, vt peccata noſtra dimittat, hic, videlicet in ſacramento, in imagine, ibi in veritate, vbi apud patrem quaſi aduocatus interuenit. Atque hæc eadem quæ veritati hic obijcit Ioannes Caluinus, proponit
Homil.7. in epiſtola ad Hebr. ſibi beatus Ioannes Chryſoſtomus, & diligenter explicat circa locum, per ſingulos annos iiſdem ipſis hoſtijs quas offerunt indeſinenter: Quid ergo nos, inquit, nónne per ſingulos dies offerimus? Offerimus quidem, ſed ad recordationem facientes mortis eius. Et vna eſt hæc hoſtia, non multæ. Quomodo vna eſt, & non multæ? Quia ſemel oblata eſt illa, oblata eſt in ſancta ſanctorum: Hoc autem ſacrificiũ exemplar eſt illius, id ipſum ſemper offerimus. Nec nunc quidem alium agnum, craſtina alium, ſed ſemper id ipſum. Proinde vnum eſt hoc ſacrificium, alioquin hac ratione, quoniam in multis locis offertur, multi Chriſti ſunt: Nequaquam, ſed vnius vbiq; eſt Chriſtus: Pontifex noſter hoſtiam mundantem nos obtulit, ipſam offerimus & nũc: hoc autem quod nos facimus, in commemorationem quidem fit eius quod factum eſt. Hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem. Non aliud ſacrificium, ſicut pontifex, ſed idipſum ſemper facimus, magis autem recordationem ſacrificij operamur. Mirum eſt quod Ioannes Caluinus & reliqui aduerſarij noſtri non videãt eaſdem has Pauli ſententias, nõ minus facere aduerſus oblationem quam Chriſtus in cælis facit

vultui patris ſemper pro nobis apparens (ad quam ſtabiliẽdam eas Paulus adducit) quam contra oblationem altaris. Et multa quæ Chriſto ſunt propria, ipſe in apoſtolos ſuoſque miniſtros transfundit. Tractãs enim beatus Chryſoſtomus verbum Domini, Quodcunque ſolueris, & quodcunque ligaueris ſuper terram, &c. Hæc, inquit, promittit ſe Petro daturum quæ ſunt propria Dei ſolius, *Math.16.* ſcilicet peccata ſoluere, & Eccleſiam immutabilem facere inter tot perſecutionum & tentationum procellas. Et beatus Hieronymus circa locum, Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Sicut ipſe lumen inquit Apoſtolis donauit, & lumen mundi appellaretur, cæteraq; ex Domino ſortiti ſunt vocabula, ita & Symoni qui credebat in patrem Chriſtum Petri largitus eſt nomen, ac ſecundum Metaphoram petræ, rectè dicitur ei, Aedificabo Eccleſiam meam ſuper te. Et vna quidem oblatione crucis in perpetuum ſuos ſanctificauit, vnde omnis noſtra ſanctificatio, & omnis peccatorum remiſsio deriuatur: ſed hæc oblatio in cruce facta cum ſanguinis effuſione perpetuò patri pręſentatur, & idem ipſe in ſancta ſanctorũ ingreſſus per proprium ſanguinem, ſe patri offert, ſua vulnera, ſuam paſsionem, eius vultui pro nobis apparens, & ſemper viuens ad interpellandum pro nobis. reipſa patri loquens, pro humana natura filius tuus ego ſuſtinui hæc: Mi- *Theophy. ad Hebr.5.* ſerere igitur horum pro quibus ego pati & mori ſuſtinui. Atque hanc duplicem, ſecundum modum, ſed re ipſa eandẽ oblationem ſanguinolentam in cruce & incruentam in cælis mirificè proſequitur Apoſtol. Paulus, *Heb.9.10.* vmbræ legis in die expiationis comparans veritatem, videlicet ingreſſum Chriſti in ſancta ſanctorum, Hæc autem oblatio quam in cælis facit, durabit quàm diu locum habebit expiatio, hoc eſt, vt interpretatur B. Paul. donec ſecundò appareat quaſi ex ſanctis ſanctorum rediens, omnibus expectantibus ſe in ſalutem. Non enim ſuorum ſanctificatio perficietur, donec tradiderit regnum Deo et patri. Et Chriſtus quidem à patre conſecratus eſt ſacerdos ſine ſocio, ſine ſucceſſore (Sacerdotium enim habet ſempiternum) nõ tamen vt in ſua tãtùm perſona ſacerdotio fungatur. Nam & ipſe vocauit Apoſtolos ſuos *Ioann.20.* quos mitteret ad eaſdem functiones ad quas ipſum miſerat pater. Sicut, inquit, me miſit pater, & ego mitto vos. Miniſtros itaque habet Chriſtus in hac ſui incruenta oblatione, quos vocauit ipſe, quamuis non ſucceſſorem, nec ſocium. Dei, inquit Apoſtolus, ad- *1.Cor.3.* iutores ſumus, & miniſtri eius cui crediſtis. Nec in hoc Chriſtus honore ſuo ſpoliatur, quando vt nos honoret, noſtra dignatur vti cooperatione. Et vſurpare poteſt hunc honorem, quem filius ad eum vocat, qui & duodecim Apoſtolos vocauit, ad hunc ſacerdotij honorem, ſicut ipſum vocauit pater. Ait enim Apoſtolis, Hoc facite in meam cõmemorationem quod feci ego: Maior eſt filij honor, maiorq; prædicatur eius poteſtas,

quando alijs ipſam communicat, & ſui ſacerdotij facit conſortes, ſicut dici ſolet de poteſtate miraculorum cõceſſa Apoſtolis. Maior enim eſt Chriſti gloria quòd miracula faciat per alios, quàm ſi ipſa per ſe ſolum operaretur. Idem obijciebat Nouatus Eccleſiæ catho. contra alteram ſacerdotij poteſtatem vt refert beatus Ambroſ. Aiunt ſe Domino, inquit, deferre reuerentiam, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſeruant, imò nulli maiorem iniuriam faciunt, quàm qui volunt mandata eius reſcindere. Nam cùm ipſe in Euangelio ſuo dixerit, Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis. Quis eſt qui magis honorat, vtrum qui in mandatis obtemperat, an qui reſiſtit? Hic autem eius etiam habemus mãdatum, Hoc facite in meã commemorationem. Et forma ordinationis ſacerdotum, ſecundũ Concil. Florentinum, ſolum oblationis meminit quæ eſt, Accipite poteſtatem offerendi ſacrificium in eccleſia pro viuis & mortuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Quare licet promiſſio & inſtitutio ſacerdotij non facta ſit mortuis, ſed ad ſolos pertineat ſacerdotes, nec ſacra Euchariſtia ad mortuos pertineat, vt ſacramentum eſt, ſiue vt eſt cibus, ac potus, non tamen excluſi ſunt à ſacrificio, quaſi pro eis offerri nõ poſsit. Nam Iudas Machabæus legis etiã ſacrificia offerri curauit pro mortuis. Et omnis Pontifex atque ſacerdos conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis non ſolùm viuorum, ſed & mortuorũ. Nec hoc loquitur Apoſtolus de ſolo ſacerdote legali, cum per hanc ſententiam oſtendat Chriſtum ſacerdotem à patre conſtitutum, habere aliquid quod patri offerat. Niſi à Deo derelict[9] eſſet Calui. & in reprobum ſenſum datus, nõ potuiſſet ob argumenta tam infirma, catholicã deſerere veritatem quam nõ ignorat à temporibus Apoſtolorum concorditer ſemper eſſe traditam, & doctrinam in ſancta Chriſti Eccleſia.

De pænitentia libr. 1. cap. 2.

2. Maca. 12.

Hebr. 5.

Expendamus etiam quid momenti habeant quæ adducit Confeſsio VVirtemb. & inueniemus æquè infirma eſſe. Ait enim.

Confeß. VVirtemb. *Cùm ſacrificij nomen latiſſimè pateat, ac generaliter ſignificet ſacrum cultum, libenter concedimus, verum & legitimum vſum Euchariſtiæ poſſe hoc modo ſacrifi. ium dici.*

Reſponſio. Probauimus ſacram Euchariſtiam eſſe ſacrificium, ſecundum definitiones B. Auguſt. Philippi, & Caluini, quas ſupra citauimus, ex quibus patet propriè eſſe ſacrificium, & non ſolùm generali ſignificatione, qua verũ & legitimum eius vſum, hoc eſt mãducationem corporis & potum ſanguinis Confeſsio dicit eſſe ſacrificium. Non enim ſacra Euchariſtia tantùm eſt quædam cæremonia, ſicut eius aliorumque ſacramentorum vſus & adminiſtratio, eò quod ad Dei cultum ordinãtur. Hoc enim cõmune eſt omnibus cæremonijs veteris & noui teſtamẽti. Sed hoc habet peculiare, quòd ſit ſacrificium, quòd deo exhibetur, omnibus ſacrificijs veteribus ſuccedens, ſicut docuimus ex B. Auguſt. & alijs vetuſtis ſcriptorib. Conſiſtit enim in eſſe permanente, cùm reliqua ſacramenta cum ipſa actione in qua conſiſtunt tranſeant. Diſtinguũtur namque cæremoniæ in ſacrificia, ſacramenta, ſacra, & obſeruantias, vt docet B. Thomas. Euchariſtia autem ſacramẽtum eſt, & vera ac propria ratione ſacrificium. Reliqua verò nouæ legis ſacramẽta tantùm ſunt ſacramenta.

1. 2. queſt. 10. art. vlt.

Confeß. *Etſi Euchariſtia iuxta inſtitutionẽ Chriſti ita celebratur, vt in ea annuncietur mors Chriſti, & diſpenſetur eccleſiæ ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, rectè vocatur applicatio meriti paſſionis Chriſti, his videlicet qui ſacramentũ ſumũt.*

Reſponſio. Sacra Euchariſtia iuxta inſtitutionẽ Chriſti celebratur, quãdo corpus & ſanguis Chriſti ſub panis & vini ſpeciebus conſecrantur, & patri offeruntur in memoriam mortis filij eius, ſicut ipſe in cælis ſe offert & præſentat, vt propterea rectè dicat B. Cyprianus, quia paſsionis eius mentionem in ſacrificijs omnibus facimus (paſsio eſt enim Domini ſacrificiũ quod offerimus) nihil aliud quàm quod ille fecit, facere debemus. Ipſe autem primus ſacrificium Deo obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit. Quem ſenſum verborum Chriſti, Hoc facite, &c. ſemper ſecuta eſt Eccleſia catholica tã Græca quàm Latina: poſt ea addens in Canone Miſſæ, Vnde & memores, &c. offerimus, &c. Et ſemper in eius conſecratione mors Chriſti annunciatur apud patrem cui fit oblatio, eique præſentatur, cuius mortis miniſtrum conſecrantem etiam memorem eſſe oportet. Nam mortis memoria propriè reſpicit facientem ſiue conſecrantem, fitque hæc annunciatio magis per ſacramentum corporis & ſanguinis, quàm lingua, vt docet B. Auguſtinus. Fallitur Confeſsio in eo quòd dicit: Iuxta inſtitutionem Chriſti ſacramentum corporis & ſanguinis diſpenſandum eſſe Eccleſiæ quandocunque celebratur. Hæc eſt enim radix multorũ errorum quos circa Euchariſtiam docet. Debebat aduertere, quòd Dominus dixit nulla facta reſtrictione, nulla mentione communicantium, ſed ſimpliciter, Hoc facite in meam commemorationem. Ex eadem radice dicit eam rectè vocari applicationem meriti paſsionis Chriſti his qui ſacramentum ſumunt, ſupponens ſolum ſacramentum eſſe, & non propriè dictum ſacrificium: intelligens nimirum, quòd, Hoc facite, ſit accipite, manducate, & bibite, & non, ſacrificate & offerte: quo tamen ſenſu oſtendimus vniuerſam Eccleſiam verba illa Chriſti ſemper intellexiſſe. Non igitur meritum paſsionis Chriſti ſolis ſumentibus applicatur, quomodo ſit eius applicatio in baptiſmo cæteriſq; ſacramentis, ſed & his pro quibus offertur. Hoc enim præ cæteris ſacramentis ei eſt peculiare, quòd ſit etiam ſacrificiũ. Ratio autem ſacrificij hoc habet quod profit & alijs. Omnis namque pontifex, inquit

Lib. 2. epiſtola 3.

Libr. 3. de Trin. cap. 4.

Hebr. 5.

quit Apoſtolus, pro hominibus cõſtituitur, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Offerre enim debet pro populo, ſicut ꝓ ſemetipſo pro peccatis.

Confeſ. *Nec damnandæ ſunt piæ lectiones, & precationes, quæ conſecrationem, vt vocant, & diſpenſationem Euchariſtiæ præcedere & ſequi ſolent. Sed interea non licet nobis errores, qui ad hoc ſacrum imperitia magis priuatorũ hominum, quàm legitimo conſenſu veræ Catholicæ Eccleſiæ, acceſſerunt, diſſimulare & approbare.*

Reſponſio. Quæ miſſæ acceſſerunt probat confeſsio, & damnat eius ſubſtantiam, nempe ſacrificium & oblationem, ſine quibus miſſa conſtare nõ poteſt. Et conſecrationem damnare videtur, cùm dicat, Quæ conſecrationem, vt vocant, &c. Sed quomodo ſub ſpeciebus incipit eſſe corpus & ſanguis Chriſti, ſi nõ fiat myſtica benedictio ſiue conſecratio? Clarè hic docet Euchariſtiæ oblationem miſſæ acceſsiſſe priuatorũ hominum imperitia, non autem legitimo veræ Eccleſiæ conſenſu, vbi B. Aug. & vniuerſos patres imperitiæ damnat, qui hanc oblationem teſtati ſunt & probauerunt. Et quæ, precor, eſt vera Eccleſia catholica, ſi non Latina & Græca, quæ vtraque ab hinc mille annis tradidit ſacram Euchariſtiam eſſe ſacrificiũ & oblationem? Et quis magis legitimus eſſe poſſet conſenſus, quam ex tam longa & diutina obſeruatione in ſolenni & publico miſſæ officio?

Confeſsio. *Vnus error eſt quòd ex cultu qui debet Eccleſiæ eſſe communis, fiat priuata vnius ſacrificuli actio, qui vt ſolus ſibi legit verba cœnæ Dominicæ, ita etiam ſolus panem & vinum ſumit.*

Reſponſio. Summus ſacerdos cũ ſanguine ſancta ſanctorum ingreſſus ſecretè omnia ſolus agebat coram propitiatorio, hoc eſt Deo propitiatorio inſidẽte, totius tamen populi cauſam agebat, atque propterea vt publica erat perſona in cauſa communi, publica etiam erat & actio, quãuis ſecreta ſine teſtibus perageretur. Diximus enim ex Apoſtolo, quòd ſacerdos pro hominibus cõſtituitur, vt offerat & deprecetur pro peccatis totius populi. Sacerdos, inquit B. Chryſoſtomus, pro vniuerſo orbe legatus intercedit, deprecatorq́; eſt apud Deum, vt omnium non viuentium modò, ſed & mortuorum peccatis fiat propitius. Nec mirum quòd ſacerdos ſolus verba cœnæ Dominicæ legit, cùm per ea in Chriſti perſona conſecret & tranſmutet panem & vinum in corpus & ſanguinem Domini. Hic enim primarius eſt horum verborum vſus, nõ intelligentia aſtantium, cùm populi cauſam cum ſolo Deo agat conſecrando & offerendo. Et ſolus ſacramentum ſumere poteſt, cùm Dominus nihil mandauerit, quòd alij ſimul communicare debeant. Magna ſanè fieret iactura in Eccleſia apud viuos & defunctos, ſi celebrare miſſam non poſſet ſine aliorum communicatione, imò nec liceret ei alijs ſacramentum miniſtrare, niſi præpoſitus fuerit familiæ Chriſti, vt ei in tempore diſpenſet, hoc eſt, curam habuerit paſtoralem.

Libr. 6. de ſacerdotio.

Confeſ. *Nam Chriſtus inſtituit Eccleſiam, nõ vt eſſet priuata vnius actio, ſed vt eſſet Eccleſiæ communio.*

Reſponſio. Chriſtus ſacram Euchariſtiam inſtituit, vt nomine Eccleſiæ ſacerdos patri corp᷒ & ſanguinem eius offerat in mortis apud eundem memoriam, quomodo ipſe in cælis ſe offert & ſiſtit, patri latus & vulnera oſtẽdens, hoc eſt, vt in nouo teſtamento nobis eſſet ſacrificium quod ſecundum B. Auguſtini & Leonis papæ ſententiam, omnibus veteribus ſacrificijs ſuccederet: hicque primarius eius eſſet vſus: & ſecundarius, vt ſit fidelibus cibus & potus, ſicut diximus inſtitutum fuiſſe agnum Paſchalem ad immolãdum, & ſecundo loco ad edendum. Inſtituit autem Chriſtus Euchariſtiam, non vt eſſet actio priuata, hoc eſt, quæ ſecreto fieret, nec vt publica, quæ multis fieret præſentibus. Neutrum enim ad eius pertinet inſtitutionem. Nam poteſt & publicè fieri, & etiam poteſt ſecretò, quia tamẽ fit à publica perſona, hoc eſt, à ſacerdote, qui Chriſti mediatoris Dei & hominum, id eſt, pontificis magni qui cælos penetrauit, gerit perſonam, & pro tota offert Eccleſia tam viuentibus quam mortuis, & ad hoc publica miſſus eſt autoritate, actio eius in his myſterijs celebrandis non priuata, ſed verè eſt publica ſiue authoritatẽ ſpectemus, ſiue cauſam ac finem actionis, ſiue eorum actio quæ in die expiationis ſummus ſacerdos operabatur in ſanctis ſanctorum. Niſi in primis religionis noſtræ principijs erraret hæc Confeſsio & alij omnes aduerſarij, tam abſurda tradere non poſſent, nec tam aliena à conſentiente patrum doctrina.

Confeſ. *Itaq; ad rectam Euchariſtiæ actionem requiruntur ad minus duo, videlicet miniſter Euchariſtiæ benedicens, & is cui Euchariſtiæ ſacramẽtum diſpenſetur. Cùm enim Chriſtus hoc ſacramentum inſtitueret, non ipſe ſolus veſcebatur, ſed diſpenſabat Eccleſiæ ſuæ quam tum præſentem habebat: Accipite, inquiens, manducate, &c. & bibite ex eo omnes.*

Reſponſio. Chriſtus duodecim Apoſtolis quos præſentes habebat, ſacram diſpenſabat Euchariſtiam, ex eius inuitatione ad eam ſuſcipiendam paratis: Ita & præfectus mẽſæ Dominicæ petentibus, & paratis eandem diſpenſare debet: inuitis & his qui eam non deſiderabant non obtruſit. Et ſpeciales fuiſſe cauſas ob quas abiturus corpus ſuum & ſanguinem diſcipulis miniſtrabat, diximus ſuperius. Cũ autem vnus non faciat eccleſiã, & conſecrari nõ poſsit ſacra Euchariſtia, niſi Eccleſiæ præſenti diſpentur, quare præter miniſtrum benedicentem nõ oportet adeſſe ſaltem duos, quibus diſpenſetur? Nam Chriſtus, vt habet Confeſsio, diſpenſabat Eccleſiæ ſuæ quam tum præſentem habebat. Nos igitur dicimus, quòd hoc Chriſti exemplum non obligabat ad imitandum, vt in Euchariſtiæ actione vel duodecim aliquibus ipſam diſpenſemus

ſemus. Nam primarius eius vſus, vt diximus, pendere non debet à fine ſecundario.

Confeſſ. *Hoc Chriſti inſtitutum, vetus & vera catholica Eccleſia tã ſeueriter ſeruauit, vt eos qui in hoc ſacro præſentes nõ communicarent, excommunicauerit.*

Reſponſio. Vetuſtior & primitiua Eccleſia non diſtribuit ſacram Euchariſtiam fidelib' vnà in cœtu congregatis, ſed panem ſacrum frangebat per domos: *Act. 2.* Nec vnquam Eccleſia vera tanquam Chriſti inſtitutum tranſgreſſos eos excommunicauit, qui in hoc ſacro præſentes non communicarent. Diximus enim frequenter Chriſtum nihil expreſsè de communione mandaſſe, ſed tantùm de ſacrificatione & oblatione in ſui memoriam. Non enim verba ſunt inſtitutionis, Accipite, Comedite & bibite: ſed paternæ inuitationis, & ad ſolos referuntur Apoſtolos. Et cum Chriſti præceptum eiusque inſtitutio ſit immutabilis, nulla conſuetudine aboleri poſſet, quòd præſentes in ſacra hac actione poſſent non communicare, ſi à Chriſto eſſet inſtitutum. Ait papa Anacletus.

Confeſſ. *Anacletus in 1. epiſt.* *Peracta conſecratione omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminib. Et addit, Sic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet Eccleſia.*

Reſponſio. Hunc morem tunc ſeruabat Eccleſia ex Apoſtolorum, vt dicit Anacletus papa, conſtitutione. Sed quia Chriſti non erat præceptũ, ex cauſa per præpoſitos, & per Eccleſiam cõtraria conſuetudine tolli & mutari poterat, ſicut mutatum eſt & abrogatũ ſolemne hoc apoſtolorum decretum de abſtinentia à ſuffocato & ſanguine quòd in Actis refert beatus Lucas. *Act. 15.* Et ſeries ſententiæ Anacleti inſinuat ipſum loqui, non de omnibus præſentibus in ſacra actione, ſed de miniſtris duntaxat altari aſſiſtentibus. Ait enim, In ſolemnioribus diebus epiſcopus Deo ſacrificans, aut ſeptem, aut quinque, aut tres diaconos & ſubdiaconos, atq; reliquos miniſtros ſecum habeat, qui ſacris induti veſtimentis in fronte & à tergo, & presbyteri è regione contrito corde & humiliato ſpiritu ac prono ſtent vultu, cuſtodientes eum à maleuolis hominibus, & conſenſum eius præbeant ſacrificio. Peracta autem conſecratione omnes communicent, hi videlicet miniſtri, non autem omnes qui miſſæ interſunt. Ex quo patet quòd nihil probant Concilium Antiochenum & B. Dionyſius, quæ citat Cõfeſsio. *Cap. 2.* *In Hierarc. Eccleſiaſt.* Referunt enim morem, qui eo tempore in Eccleſia obſeruabatur, non autem Chriſti inſtitutum vel mandatum.

Confeſſ. *Arbitramur igitur neceſſarium eſſe vt ad conſeruandam in celebratione Euchariſtiæ inſtitutionem Chriſti, & ad ſectandum veteris ac veræ catholicæ eccleſiæ exemplum abrogentur priuatæ ſacrificulorum miſſæ, & reſtituatur Eccleſiæ publica cœnæ Dominicæ communio.*

Reſponſio. Fallitur Cõfeſsio quòd credat ex Chriſti inſtitutione miſſam debere celebrari ſolum cum præſentium communione. Non enim inſtitutionis verba, Hoc facite in meam cõmemorationem, vllã communionis faciunt mentionem. Quare verbo Dei addit Confeſsio & maledictionem incurrit, dum addit, Hoc facite, quando adſunt communicantes. Exemplum autem veteris Eccleſiæ ſi tale fuerit quale proponit Confeſsio, quia ex Chriſti nõ erat inſtitutione, temporis progreſſu potuit mutari, ſicut mutata eſt cõſuetudo quotidie communicandi, quam in Eccleſia Romana fuiſſe docet B. Hieronymus. *Epiſt. ad Lucinum.* Et iniquiſsimum, atque pernicioſum eſt cõſilium, quo nec magis noxium Eccleſiæ dari poteſt, vt miſſæ priuatę penitus abrogentur. Maiorem namque per hoc eccleſia pateretur iacturam, quàm ſi mundo ſol tolleretur. Studet hæc confeſsio cum Antichriſti miniſtris etiam nobis iuge hoc ſacrificium auferre, quod iam in ſuis ciuitatibus ſuſtulerunt, de quo vaticinatus eſt Propheta Daniel, A tempore cum ablatum fuerit iuge ſacrificium, *Cap. 12.* dies mille ducẽti nonaginta, hoc tempus & tempora & dimidium temporis.

Confeſſio. *Alius error eſt quòd Euchariſtia ſit tale ſacrificium, quod debeat iugiter in Eccleſia, ad expianda peccata viuorum & mortuorum, & pro impetrandis alijs beneficijs tam corporalibus, quàm ſpiritualibus offerri.*

Reſponſio. Non eſſe errorem, ſed Catholicam & certiſsimæ fidei Chriſtianæ veritatem, ſacram Euchariſtiam eſſe tale ſacrificium quod, &c. à temporibus Apoſtolorum teſtati ſunt, & ex ſcripturis canonicis docuerunt vniuerſi ſcriptores Eccleſiaſtici, atque hoc eſſe iuge & perpetuũ ſacrificium, quod temporibus Antichriſti duntaxat intermittetur, ſecundum prophetiam Danielis prophetę, ipſumque eſſe propitiationem pro peccatis etiam mortuorum virtute & merito ſacrificij crucis, docuimus ex B. Auguſtino & B. Chryſoſtomo, & plurimis patribus quos antea citauimus. *In Euch. cap. 110. Homil. 69. ad populum Antiochenum.* Et Alexander primus palam docet crimina atque peccata oblatis his Domino ſacrificijs deleri: & cauſam addit, Idcircò & paſsio eius in his commemoranda eſt qua redempti ſumus, & ſæpius recitanda, atque hæc Domino offerenda. Talibus hoſtijs placabitur Dominus, & peccata dimittet ingẽtia. Omnis namque efficacia ſacræ Euchariſtiæ, eiuſque in altari oblationis, deriuatur à victima crucis quam patri repræſentamus, vt eius apud ipſum quaſi renouemus memoriam. Et apertiſsimè B. Chryſoſtomus docet nos pro infirmis, pro terrę, mariſque, & vniuerſi orbis fructibus ſacrificare, vt ſuprà prolixè declarauimus. Valet enim noſtrum ſacrificium ad vniuerſa impetrãda, & quidem incomparabiliter efficacius, quàm ab orbe condito vllum profuit ſacrificium. Omnibus namque vt frequenter diximus, veteribus ſucceſsit ſacrificijs, omniumque adducit fructum & vtilitatem. Magna igitur eſt cœcitas & arrogantia Cõfeſsionis, quòd veritatem hanc catholicam in Eccleſia Chriſti

ſemper

ſemper annunciatam, audeat vocare errorem, nullo allato ſcripturæ aut ratiōis teſtimonio.

Confeſſ. *Hic error manifeſtè pugnat cum Euangelio Chriſti, quòd teſtificatur Chriſtum vna oblatione ſemel tantum facta, conſummaſſe in ſempiternum ſanctificatos.*

Reſponſio. Hebr.10. Et nos confitemur atque docemus Chriſtum vna oblatione qua ſe in cruce ex patris obedientia in mortem pro nobis obtulit, ſemel tantùm facta, in ſempiternum conſummaſſe ſanctificatos: & hanc oblationem fontem eſſe, ex quo omnis noſtra iuſtitia & ſanctitas proficiſcitur, quam ſolam patri proponimus in noſtro ſacrificio & oblatione, cuius etiam figura eſt, imago & exemplar, ſicut oblatio quam Chriſtus in cęlis apud patrem facit: & hanc repræſentationem & apud patrem rememorationē facimus in ſacrificio quod Chriſtus ad hoc ipſum inſtituit. Nam ſicut agnus paſchalis eiuſque immolatio & realis oblatio, figura erat & vmbra agni pro totius mundi peccatis immolandi, ita Chriſtus in ſacramento verū eſt ſacrificium eiuſdem victimæ crucis recordatiuum, omnem ſuam efficaciam iuſtificandi & remittendi peccata ab eadem crucis victima ſuſcipiens, Epiſt. ad Cecilium. vt audeat dicere B. Cyprianus, quòd paſſio Domini ſacrificium eſt quod offerimus. Hūc enim præſentamus agnum qui tollit peccata mundi, paſſum, & crucifixum, patri exhibēdo, & in noſtro ſacrificio ſiſtendo, vt in faciē eius pro nobis crucifixi reſpiciat, noſtrique miſereatur, ac beneficia ſua conferat.

Confeſſ. *Et quia Chriſtus paſſione ac morte ſua impetrauit nobis remiſſionem peccatorum, quæ & nobis per euangelium in nouo teſtamento annunciatur, idcirco non licet amplius pro peccato ſacrificare.* Hebr.10. *Dicit enim epiſtola ad Hebræos, vbi eſt peccatorum remiſſio, iam non eſt oblatio pro peccato.*

Reſponſio. Hanc peccatorum remiſſionem ſolum aſſequimur, apud patrem pro ea ſupplicantes & pœnitētes: Et ſicut eam conſequimur per ſacrum baptiſma & ſacramentum pœnitentiæ, ita per ſacræ Euchariſtiæ oblationem: ſolius tamen victimæ crucis efficacia & virtute. Et quę apparentia quòd propterea non liceat amplius pro peccatis ſacrificare & offerre? Eadem namq; conſecutione, nec Chriſto cęlum ingreſſo ſe patris vultui pro nobis liceret præſentare, nec in veteri lege ſacrificia offerre, nec eius parentibus ipſum in tēplo Domino ſiſtere licuiſſet. Nā vbi eſt peccatorum remiſſio reuera, vel in cauſa ſufficiente, iam non eſt oblatio alia, cuius merito vel virtute propria, peccata remittantur: Sed poteſt eſſe oblatio, quæ præcipuam & vnicam hanc crucis victimam ſpectet, eiuſque faciat memoriam & recordationem, per quam quaſi canalem eius virtus in nos deriuetur.

Confeſſ. *Nam quod dicit Chriſtus, Hoc facite in mei commemorationem, non iubet corpus & ſanguinem ſuum in cœna Deo, ſed eccleſiæ offerre, vt eccleſia edendo corpus & bibendo ſanguinem Chriſti, ac prædicando beneficium mortis eius, admoneatur de ea corporis et ſanguinis Chriſti oblatione, quæ ſemel tantùm in cruce, in expiationem peccatorum noſtrorū facta eſt. Sic enim Paulus hoc dictum Chriſti interpretatur. Quotieſcunque, inquit, manducabitis (non ait obtuleritis) panem hunc, & bibetis calicem, mortem Domini prædicate, donec veniat.*

Hic Confeſsio peſtilentem fontem & originem aperit omnium ferè errorū ſuorum Reſponſio. quos circa ſacram Euchariſtiam proponit, quòd Chriſtus dicens. Hoc facite in mei cōmemorationem, non iubet corpus & ſanguinem in cœna Deo, ſed Eccleſiæ offerre. Quæ, obſecro, ſcriptura, quis doctor catholicus hoc ſenſu ſcripturam hanc eſt interpretatus, quòd Chriſtus dicens, Hoc facite in mei commemorationem, mandat non Deo offerri corpus ſuum & ſanguinem, ſed Eccleſiæ tantum, vt edat & bibat? Oportebat hunc intellectum certa & euidenti ſcriptura ſtabilire, quando non ignorat Confeſsio omnes ſcriptores Eccleſiaſticos concorditer hic docere, quod in ſacramento altaris Chriſtum patri offeramus in memoriā illius oblationis, quæ in cruce ſemel tantùm in peccatorum noſtrorum expiationem facta eſt, in qua omnem noſtrā ſpem collocamus, omnem ſalutem, omniumque peccatorum remiſsionem inde expectātes. Vnica enim hac oblatione in ſempiternum à mundo condito vſque ad eius conſummationem perfecit & conſummauit eos qui ſanctificātur. Eſt ſiquidem fons gratiarum perennis nunquam defiturus, qui vt in omne tempus efficax eſt & ſufficiens, ita & quoad perſonas omnes & peccata vniuerſa. Ex hoc fonte per ſacramenta, baptiſmum ſcilicet & pœnitentiam, & ſacræ Euchariſtiæ oblationem, in nos profluunt omnia dona, & gratiarum chariſmata. Fallitur Confeſsio credens Apoſtolum Paulum interpretari, Facere, eſſe manducare & bibere. Nam ſolum explicat ibi Apoſtolus quòd Dominus dixit, In meam commemorationem: Hoc enim interpretatur. In mortis meæ memoriam, dum ait, Mortem Domini annunciabitis, declarans nō totum quod intelligebat Dominus, ſed quod erat principale. Volebat enim dominus, quòd in totius vitæ ſuæ, omnium laborum & fatigationum, præcipuè tamen acerbæ mortis & paſsionis ſuæ memoriam faceremus, quod prior fecerat ipſe: & ſecundum interpretationem Eccleſiæ, volebat nos hoc ipſum facere in memoriam etiam reſurrectionis & aſcenſionis eius: Mortem Domini annunciabitis, inquit idem Apoſtolus, in qua conſummata eſt eius erga patrem obedientia: Sacramento tamen corporis & ſanguinis annunciabitis magis, quàm ſermone. Sicut enim verba Chriſti, quæ hic Apoſt. interpretatur, ad ſolos diriguntur Apoſtolos, ita & eorum interpretatio: Et ideo poſt interpretationē mutat perſonam, ſermonē dirigens ad ipſos Corin-

Corinthios. Et intelligit quòd mortem Domini annunciabunt, & non tam manducando & bibendo, quàm faciendo quod fecerat ipſe Chriſtus. Dixit enim Dominus. Hoc facite in meam commemorationem, quotieſcunque mãducabitis & bibetis. Et quamuis non ait Apoſtolis, Quotieſcunque obtuleritis, hoc tamen dicere intelligitur, cum eis iuſſerit, vt hoc facerent & offerrent quoties biberent. Et quia reipſa mors domini repręſentatur ex ſignificatione ſanguinis à corpore ſeparati, quotieſcunque manducamus & bibimus calicem domini, ſignis ipſis annunciamus mortem Domini.

Confeß. *Ac fatemur quidem quòd veteres Eccleſiaſtici ſcriptores vocauerint Euchariſtiam ſacrificium et oblationem, ſed ſe ipſi exponunt, quòd nomine ſacrificij intelligant memoriã, annunciationem, ſeu prædicationem ſacrificij, quod Chriſtus ſemel in cruce peregit: ſicut et memoriam Paſchæ & Penthecoſtes vocant Paſcha & Penthecoſten.*

Reſponſio. Lib. 4. c. 32. Apertior eſt & clarior veterum ſcriptorũ ſermo, quàm vt in alienum ſenſum torqueri poſsit. Dicit enim beatus Irenæus tractans verba cœnæ Dominicæ. Noui teſtamenti, inquit, nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis percipiens in vniuerſo mundo offert Deo. Et B. Auguſt. Sacerdos ille, inquit, mediator teſtamẽti noui exhibet ſecũdum ordinem Melchiſedech, de corpore & ſanguine ſuo ſacrificium quod ſucceſſit omnibus illis ſacrificijs veteris teſtamẽti. Quo ſenſu loquuntur vniuerſi patres, quorum ſentẽtias etiam ſuperius citauimus, adeò vt Ioãnes Caluinus liberè fateatur, quòd ad Iudaiſmum quendã deflexerunt, nec poſſint excuſari. Docẽt enim illi ſacram Euchariſtiam tanquam ſacrificium Deo exhiberi pro peccatis, ad eum propitiandum: atque etiam apertè tradũt verum eſſe ſacrificium, quod tamẽ memoria eſt eius ſacrificij quod Chriſtus ſemel in cruce peregit. Et quamuis dicat beatus Auguſtinus, quòd ſicut ſecundum quendam modum ſacramẽtum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt, & ſacramentum ſanguinis Chriſti, ſanguis Chriſti eſt, ſecundũ tropum ſcilicet quo ſacramenta earum rerum quarũ ſunt accipiũt nomina, ita Chriſtus, inquit, ſemel immolatus eſt in ſeipſo, & tamen in ſacramento non ſolùm per omnes Paſchæ ſolennitates, ſed omni die populis immolatur: Nec vtique mentitur qui interrogatus eum reſponderit immolari. Et ipſo die Dominico dicimus, hodie dominus reſurrexit, craſtino die erit Domini paſsio, cum ante multos annos paſſus ſit, & à mortuis reſurrexit. Hæc quidem eſt communis fidelium ſecundum tropum locutio, non tamen propterea nomine ſacrificij altaris ſcriptores Eccleſiaſtici eius intelligunt memoriam ſeu ſacrificij crucis prædicationẽ. Nam verba eorum plurimis in locis nullo modo hunc ſenſum patiuntur, ſicut iam ſtatim oſtendimus. Det igitur Confeſsio vna cum Ioanne Caluino gloriam Deo, & cõfiteatur patribus & eccleſiæ catholicæ ignotã fuiſſe ſuam doctrinam, imo eam dãnaſſe tanquam hæreſim peſtilentiſsimam. Latius reſpondet huic Confeſsioni Reuerendus pater Petrus à Soto, Cæſ. M. Confeſsionarius. Argumentis autem Ioannis Caluini, quibus in ſua Inſtitutione pernicioſiſsima impugnat ſacrificium miſſæ: item argumentis quibuſdam Lutheri doctè reſpondet venerabilis Alfonſus de Caſtro hæreſ. 2. de miſſa: Argumentis autem Confeſsionis Auguſtanæ eiuſque apologiæ Albertus Pighius: Et horum atque omnium hoſtium ſacrificij miſſæ obiectionibus, rationibus & ſcripturis abſolutiſsimè ſatisfacit clariſsimus doctor Ioannes Eckius libro 3. de ſacramentis, quæ hic prætерimus, quod omnia ferè eadem ſunt quæ propoſuimus ex Antidoto Caluini & Confeſsione VVirtembergenſi: & quia ex his quæ diximus non difficilè erit reſpondere omnibus quæ circa hanc materiam aduerſus veritatem catholicam obijci poterunt.

Libr. 7. de ciuit. Dei, cap. 10.

Epiſt. 23. ad Bonifacium.

Controuerſ. 5. & libr. 2. Hierarch. cap. 5.

Finis Articuli Decimi ſexti.

ARTICVLVS DECIMVS SEPTIMVS.

Solis Sacerdotibus ſecundum Eccleſiæ ritum ordinatis, data eſt à Chriſto poteſtas conſecrandi verum corpus Chriſti & ſanguinem.

EST hic ritus, quòd ab Epiſcopo ſimiliter conſecrato hanc poteſtatem accipiant, ſeruata materia & forma quibus Eccleſia vti conſueuit. Ordinis namque & ſacerdotij ſacramentum, ſicut alia ſacramenta, propriam requirit materiam, formam atq; miniſtrum, quemadmodum clariſsimè docet Concilium Florentinum, Epiſcopum autem eſſe eius miniſtrum apertè teſtantur ſcripturæ, quæ de Paulo & Barnaba narrant, quòd ordinati ſunt impoſitione manuũ eorum, qui maiores erant in eccleſia Antiochena, qui & ipſi per ſingulas eccleſias Epiſcopos conſtituebant. Et Tito mandat Apoſtolus Paulus, vt per ſingulas ciuitates conſtituat presbyteros, ſicut ei diſpoſuerat. Item ad Timotheum, Noli, inquit, negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi cum impoſitione manuum presbyteri, hoc eſt (vt alij vertunt) authoritate ſacerdotij. Et alio loco, Admoneo te vt reſuſcites gratiam quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum. Nam ad præpoſitum domus pertinet ordinare familiam, & vnumquemque in ſuo gradu atque officio conſtituere, ac præcipua domus officia cõferre: ſicut ſeculares dignitates, & functiones in ciuitatibus diſtribuuntur ab eo, qui poteſtate præcellit, ſiue à magiſtratu aut rege. Epiſcopus verò Eccleſiæ Dei præeſt, ſecundum

Act. 13.
Act. 14.
Ad Tit. 1.
1. Timot. 4.
2. Timot. 1.

cundum àpoſtolũ Paulum, ſicut domui ſuæ. Eſt enim primus Hierarcha & rector ſuæ ciuitatis, in qua facere poteſt quicquid ad gradum & officium pertinet Epiſcopale, hoc eſt, quicquid eſt rectoris & gubernatoris primarij: Et ideo dicit Beatus Hieronymus, Vbicunque fuerit Epiſcopus, ſiue Romæ, ſiue Eugubij, ſiue Conſtantinopoli, ſiue Rhegij, ſiue Alexandriæ, ſiue Tanis, eiuſdem meriti, eiuſdem eſt & ſacerdotij. Et B. Cyprian. Nemini, ſcilicet Epiſcoporum præſcribentes, quò minus vnuſquiſq; præpoſitus ſtatuat qđ putat & arbitratur, actus ſui rationem domino redditurus. Item B. Clemens, Cunctis fidelibus, inquit, & ſummopere omnibus presbyteris, & diaconis, & reliquis clericis, attendendum eſt, vt nihil abſq; licentia proprij epiſcopi agant, non vtiq; miſſas ſine eius iuſſu quiſquam presbyterorum in ſua parochia agat, non baptizet, nec quicquam ſine eius permiſſu faciat. In eandem ſententiã loquitur S. Ignatius. Et B. Hieron. Quid facit, inquit, excepta ordinatione epiſcop⁹, quod presbyter non faciat? inſinuans ordinationem ad ſolum pertinere epiſcopum. De his & toto hoc articulo eſt definitio generalis Concilij ſub Innocẽtio tertio, quod ait, Hoc vtiq; ſacramentũ corporis & ſanguinis nemo conficere poteſt niſi ſacerdos, qui ritè fuerit ordinatus ſecundum claues Eccleſiæ, quas ipſe conceſsit Apoſtolis eorumq; ſucceſſoribus Ieſus Chriſtus. Florentinum quoque Concilium definiuit, quòd ordinarius miniſter ſacramenti ordinis eſt Epiſcopus. Cùm enim hæc poteſtas non ſit humana, nec ciuilis, ſed omnem naturæ virtutem excedens, nemini confertur, niſi eorum miniſterio, quos familiæ ſuæ Chriſtus præpoſuit. Et ideo Apoſtolus Paulus ad maiores natu eccleſiæ Epheſinæ, Attendite, inquit, vobis & vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit epiſcopos regere Eccleſiam Dei. Et Chriſtus ipſe eſt qui dedit quoſdã paſtores, doctores, & ſacerdotes. Poteſtas namq; conſecrãdi ex pane & vino corpus & ſanguinẽ Domini, omnẽ ſuperat facultatem creatam.

Epiſt. ad Euagrium. *Epiſt. ad Magnum.* *Epiſt. 3.* *Epi ad Phyladelph* *Loco vt ſup.* *De ſumma Trin & fide cath. cap. Firmiter.* *Actor. 20.*

Hos autem ſolos & vniuerſos hanc habere poteſtatem ex eo probatur, quòd hoc ſacramentum tantæ eſt dignitatis, vt non conficiatur, niſi in perſona Chriſti. Quicunquè autem aliquid agit in perſona alterius, oportet hoc fieri per poteſtatem ab illo conceſſam. Sicut autem baptizato conceditur poteſtas ſumendi hoc ſacramẽtum, ita ſacerdoti cũ ordinatur, cõfertur poteſtas hoc ſacramẽtum conſecrãdi in perſona Chriſti. Per hoc enim ponitur in gradu eorũ quibus dictum eſt à domino, Hoc facite in meam cõmemorationem, quando eis in conſecratione dicitur, Accipite poteſtatem offerendi ſacrificiã in Eccleſia pro viuis & mortuis, in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Quod, vt diximus, definitum eſt in generali Cõcilio tẽpore Innocẽtij tertij. Et ideo B. Hierõ. Quid patitur menſarum & viduarum miniſter, vt ſuper eos tumidus ſe efferat, ad quorum preces Chriſti corpus & ſanguis conficitur? Et B. Chryſoſtomus. Qui non manducat carnem Domini, nec bibit eius ſanguinem, non habebit vitam æternam: quæ nullius alterius, quàm ſolis efficiuntur manibus ſacerdotum.

Thom 3 par. q. 08. art 1. *Ad Euagriũ* *Lib 3. de ſacerdotio. cap. 5.*

Item in Concilio Niceno dicitur, Diaconi non habent poteſtatem offerendi, ſed ſacerdotes ſoli. Item B. Hieronymus: Hilarius, cùm diaconus ab eccleſia receſſerit, neq; Euchariſtiam cõficere poteſt, epiſcopos & preſbyteros non habens, neq; baptiſma ſine Euchariſtia tradere: & cũ iam homo mortuus ſit, cum homine pariter interijt & ſecta, quia poſt ſe nullum clericum diaconus potuit ordinare: Eccleſia autem non eſt, quæ non habet ſacerdotem. Ex quibus manifeſtum eſt, quòd hæc poteſtas conſecrandi verum Chriſti corpus & ſanguinẽ, non conſequitur baptiſmum, nec omnibus Chriſtianis eſt cõmunis, ſed ijs ſolis cõpetit, quibus peculiariter eſt cõmiſſa. Nam priuſquam diceretur Apoſtolis, Hoc facite in meam cõmemorationẽ, hãc poteſtatẽ non habebant, neq; ante facultatem remittendi & retinẽdi peccata, quàm dictum eis fuit, Quorum remiſeritis peccata, &c. ſed tunc eam his ipſis verbis acceperunt: ſicut docet B. Chryſoſtomus de poteſtate conſecrandi: & Ioannes Damaſcenus, quorum ſententiãs citauimus articulo 13. Nam ſicut terra virtutem germinandi accipit, dicẽte Domino, Germinet terra, & producat herbam virẽtem: ita dicente Chriſto, Hoc facite in meam commemorationem, data eſt poteſtas menſam hanc præparandi & inſtruendi. De poteſtate autem remittendi peccata, & alijs quæ hunc articulum illuſtrant & explicant, diximus circa finem articuli 5. Eſt quidem ſacerdotiũ quoddam omnibus commune, de quo Apoſtolus Petrus, & Ioannes in Apocal. quod eſt ad offerendas hoſtias ſpirituales acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum, vt dicit B. Petrus: quales ſunt eleemoſynæ, orationes, ieiunia, cor putrum & contritum. Huiuſmodi namq; hoſtias quotidie vniuerſos Chriſtianos Deo offerre oportet, & corpora ſua exhibere hoſtiam viuam, Deo placentem: non autem ad conficiendum & miniſtrandum ſacramenta. Reges enim Chriſtus nos eſſe fecit in ſacro baptiſmate, ſicut ſacerdotes: Sed quemadmodum non reges qui temporali ſunt præditi poteſtate, ſed vt ſecundum Deum viuendo in iuſtitia, noſipſos regamus, quomodo dicit Apoſtolus Paulus, Non eſt regnum Dei eſca, & potus, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in ſpiritu ſancto. Qui enim in hoc ſeruit Chriſto, placet Deo, & probatus eſt hominibus, & verè rex eſt & ſerio regnat: ita nec propriè ſacerdotes, ſed vt Deum colamus fide, ſpe, & charitate, in quibus huius ſacerdotij functio conſiſtit, atq; in virtutum aliarum exercitio, quando ad Dei cultum referuntur. Opera autem virtutum cõmunia ſunt omnibus baptizatis, ſicut regnum Dei. Alterũ verò ſacerdotium, de quo articulus,

Cano. 18 ad uerſus Lucif. *Ser. de proditio. Iudæ* *li. 4. cap. 14.* *1. & 2. ca. 2. 5. & 20.* *Rom. 14.*

z conſiſtit

cōſiſtit in miniſterio ad aliorum ſalutem & ædificationem. Miniſtrationum autem ſecū-dum Apoſtolum Paulum, multa eſt diuiſio. Diuiſiones, inquit, miniſtrationum ſunt, idē autem Dominus: & diuiſiones operationum ſunt, idem verò De⁹, qui operatur omnia in omnibus.

1. Cor. 12.

Sicut igitur in corpore diuerſa mē bra diuerſa habent officia, nō autem idem omnia, ita fieri non poteſt, vt omnibus baptizatis commune ſit hoc ſacerdotium. Nūquid omnes Apoſtoli? ait Paulus, Nunquid omnes doctores? Nunquid omnes interpretantur? Ita nunquid omnes paſtores & doctores? Nunquid omnes ſacerdotes?

Rom. 12.

Diſtinguit autem hoc duplex ſacerdotium B. Hieron. aduerſus Luciferianos, qui laicum redeuntem ab hæreſi Arriana, docebant nō eſſe rebaptizandum, ſed per ſolam pœnitentiam recipiendum ad Eccleſiam: Epiſcopum autem & ſacerdotem reordinandos, nec ſuſcipi poſſe, niſi depoſito ſacerdotio. Ait enim Luciferianus. Recipio laicum qui erraſſe ſe cōfitetur, & Dominus mauult pœnitentiam peccatoris, quàm mortē. Et reſpondet Orthodoxus, Recipe ergo & epiſcopum qui erraſſe ſe confitetur, cur epiſcopus perſeuerat? Deponat ſacerdotium, concedo veniam pœnitenti. Orthodo. Reſpondeo tibi & ego ſermonibus tuis: Si laicus ſe erraſſe confitetur, quomodo laicus perſeuerat? deponat ſacerdotium laici, id eſt, baptiſma, & ego do veniam pœnitenti.

Sacerdotiū laici quid.

Scriptum eſt enim: Regnū quippe nos & ſacerdotes Deo patri ſuo fecit. Et iterum. Gentem ſanctam regale ſacerdotiū. Omne quod non licet Chriſtiano, commune eſt tam Epiſcopo, quàm laico, qui pœnitentiam agit, priora contemnit.

1.

Si non licet epiſcopo pœnitenti perſeuerare, quod fuerat: non licet & laico pœnitenti permanere in eo propter quod pœnitētiam confitetur. Sacerdotium autem quòd ſacramenta conſecrat & diſpenſat, conſiſtere in miniſterio, palam docet idem B. Hieronymus, cum dicit, Epiſcopus, presbyter, & diaconus non ſunt meritorum nomina, ſed officiorum. Et B. Aug. Neque enim Epiſcopi propter nos ſumus, ſed propter eos quibus verbum & ſacramentum dominicum miniſtramus.

Lib. 1. cōtra Iouinianū. Lib. 2. cōtra Creſcen. Grāmaticū c. 11.

Cùm igitur miniſteria nō ſint omnib⁹ Eccleſiæ membris communia, ſed vnicuique ſecundū menſuram fidei diuidantur, fieri non poteſt omnes fideles ſacerdotio hoc miniſteriali eſſe ſacerdotes.

Rom. 12.

Quòd verò ſacramētorum & ſacræ Euchariſtię diſpenſatio ſacerdoti ſit propria, ſicut eius conſecratio & oblatio: Item quòd miniſter malus, hęreticus, ſchiſmatic⁹, & degradatus, poteſtatem ſeruet conſecrandi, & verè conſecret, clarè docet B. Auguſt. & B. Tho.

Lib. 2. cōtra epiſ. Parme. part. 3. q. 82.

Ex quibus etiā manifeſtum eſt, quòd ij qui conſtituuntur à magiſtratu ſeculari in cura paſtorali, vel ſacramentorum adminiſtratione, vel presbyteratu, accedente etiam manuum impoſitione, aliorum qui non ſunt ſecundum Eccleſiæ ritum ordinati, nullam habent conſecrandi, diſpenſandi corpus & ſanguinem Domini, vel remittendi peccata potestatem, & quòd pernicioſè populum decipiunt eiuſmodi facultatem vendicātes. Credit enim corpus & ſanguinem Domini ſuſcipere, cùm merum panem accipiat & vinum. Proprium namque eſſe Apoſtolis & Epiſcopis ſcriptura docet per ciuitatem conſtituere Epiſcopos & presbyteros, Nam diuina eſt hæc poteſtas, quæ nullo modo pendet à magiſtratu politico, ſicut pendebat ſacerdotium Ethnicorum, de quo Ariſtoteles, qui inter partes ciuitatis politicæ ponit ſacerdotes qui occupentur in ſacrificijs, & cultu circa rem diuinam. Plurima namque diuina, aduerſarij & pręcipuè de ſacerdotio tractant ethnicè & gentiliter.

7. Politi. c. 8

Hoc tamen aduertendum, quòd electio epiſcoporum, & paſtorum, atque diaconorum, aliquando in Eccleſia facta eſt ſuffragio plebis. & B. Cyp. diuina traditione & Apoſtolica obſeruatione ſic eſſe obſeruandum docet: Ex diuina, ait, deſcendit authoritate, quòd ſacerdos, plebe pręſente, ſub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio ac teſtimonio comprobetur:

Epiſ. 3. li. 1.

Aliquando à clero ſolo: item ab vtriſque aliquādo. In ordinatione autem Pauli & Barnabæ, & quando per ciuitates iſti conſtituebant presbyteros, nulla fit plebis vel cleri mentio. In Actibus verò propter murmur Græcorum, multitudini delata fuit electio ſeptē diaconorum.

Cap. 6.

Sed quos conſtituamus, inquiunt Apoſtoli, ſuper hoc opus. Et ideo electos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes, eis impoſuerunt manus. Hoc modo permiſſa eſt aliquādo tēpore Adriani pontificis, Carolo Imperatori electio Romani pontificis, & diſpoſitio ſedis Apoſtolicæ, & permiſſa inueſtitio epiſcoporū.

Diſt. 63. ca. Hadrianus.

Conſtitutio tamen, ordinatio, & cōſecratio ſemper fuit apud ſolū epiſcopum: de quib⁹ multas ſentētias citat Gratianus in Decretis. Ait enim B. Leo, Vota ciuium, teſtimonia populorum, honoratorū arbitrium, electio clericorū, in ordinationib⁹ ſacerdotū conſtituatur. Et idem Leo papa, is inter duos electos præferatur, qui maioribus iuuatur ſtudijs & meritis, ita tamen vt nullis detur inuitis & non petentibus, ne plebs inuita epiſcopum non optatū contemnat aut odiat.

Diſtinct. 63. epiſt. 87.

De quo Albertus Pighius latiſſime tractat. Variè nāq; obſeruata eſt hæc paſtorū electio & aſſūptio.

Lib. 5. Hier. cap. 13.

Tēporibus enim B. Auguſt. Epiſcopus moriturus apud clerū & populum ſucceſſorē ſibi deſignabat. Ipſe enim in ſucceſſorem & coadiutorē populo acclamante aſſumpſit Eradium, & Valerius Epiſcopus Auguſtinū ſum pſit coepiſcopū ignoranter, cōtra Canones Niceni Concilij, quemadmodum citat idem ipſe B. Aug. actus publicos, qui habētur loco epiſt. 110.

Lib. 2. ca. 9. & cap. 9.

Nec huius rei cauſam tacet. Sciebant enim, inquit, per ambitioſos & contentioſos eccleſias ſolere perturbari. Et ſcribit factā eſſe turbationē poſt obitum Seueri epiſcopi Mileuitani, eò quòd apud ſolū clerum ſucceſſorem ſibi deſignauerat. Cùm enim in lege euāgelica nullum præſcripſerit

Chriſtus

Chriſtus certum modum aſſumendi prælatos eccleſiæ, liberum hoc reliquit prudenti diſpenſationi prępoſitorũ: Et variæ, vt diximus, fuerunt ſuper hoc conſuetudines pro diuerſitate & qualitate temporum, negotiorum, & perſonarum. Nec tamen à ſeculari magiſtratu vlla iuriſdictio vel adminiſtratio in eccleſiæ paſtores transfundi poteſt, cum hæc merè ſint ſpiritualia, ordinata ad ſalutem animarum tanquam finem ad quem referenda eſt tranquillitas & pax Reip. ciuilis, & ad quam tanquam ſcopum ſpectat gubernatio poteſtatis ſecularis: Sed ſequitur ipſum epiſcopatum, vel potius à capite Romano pontifice in ipſum promanat. Et docent ſacri canones, & Nicolaus papa & Leo pontifex. De hac autem diuerſitate conſtitutionis epiſcoporum & paſtorum eccleſiæ, ait Cãcellarius Pariſienſis Ioannes Gerſon, Pręlati eccleſiaſtici maiores & minores quãdoq; sũt inſtituti à toto populo & clero, quandoque à clero ſolùm, quãdoq; à ſolis canonicis cathedralis eccleſiæ, nouiſsimè crebrius per Romanũ pontificẽ. Ideo namq; ita variatũ eſt, quia nihil de hoc Chriſtus conſtituit.

Epiſt. ad Michaelem Imperatorẽ, epiſt. 67.

De poteſtate Eccleſiaſt. cõſiderat. 12. in fine.

Eſt autem hæc poteſtas data ſacerdotibus, inabdicabilis, & ab eis inauferibilis, ſicut Baptiſmus & Confirmatio. Imprimunt namque hæc ſacramenta characterem indelebilem, & ideo ſicut ſolis conuenit ſacerdotibus, ita & omnibus, eò quòd datur per conſecrationem, & non per nudam commiſsionem. Ait enim B. Aug. Nulla oſtenditur cauſa, cur ille ipſum baptiſma amittere non poteſt, ius dandi amittere poteſt. Vtrumq; enim ſacramentum eſt, & quadam conſecratione homini datur vtrumq; illud cum baptizatur, iſtud cum ordinatur: ideoq; in eccleſia catholica neutrum iterare licet. Item alio loco, Sacramentum Baptiſmi eſt, quod habet qui baptizatur: & ſacramentum dandi baptiſmi eſt, quod habet qui ordinatur. Sicut autem baptizatus, ſi ab vnitate receſſerit, ſacramentum baptiſmi non amittit: ſic etiã ordinatus ſi ab vnitate receſſerit, ſacramentum dandi baptiſmi non amittit. Nam ſicut redeuntes qui priuſquam recederent, baptizati ſunt, nõ rebaptizantur: ita redeuntes qui priuſquam recederẽt, ordinati ſunt, non vtique rurſus ordinantur. Et idem B. Hieronymus contra Luciferianos. Hęreticorum verò ordinationes, vt ſcribit Tertullianus, temerariæ ſunt, leues, & inconſtantes, nũc neophytos collocãt, nunc apoſtatas noſtros, vt gloria eos obligent, quia veritate non poſſunt. Nuſquam facilius proficitur, quàm in caſtris rebelliũ, vbi ipſum eſſe promereri eſt. Ideoq; alius hodie epiſcop⁹, cras alius: hodie diaconus, qui cras lector: hodie presbyter, qui cras laicus. Nã & laicis ſacerdotalia munera iungũt. Ex B. Auguſtini verbis patet ordinem, ſiue ſacerdotis ordinationem, verum eſſe ſacramẽtum eccleſiæ catholicæ. Vtrumq; enim baptiſmum & ordinem dicit ſacramentum eſſe, & quadam conſecratione conferri illud, cùm quis baptizatur, iſtud cum ordinatur. Ideoque in Eccleſia catholica neutrũ poſſe iterari. Eſt enim ſignũ ſenſibile ex materia viſibili & verbis conſiſtens, & gratiã confert, qua is qui ordinatur, idoneus fiat miniſter Chriſti in functione ſacerdotij, hoc eſt, in exercitio poteſtatis conſecrandi & offerẽdi corpus & ſanguinẽ Domini, & remittendi ac retinendi peccata. In hac enim poteſtate propriè conſiſtit ſacerdotium, nõ in authoritate verbum Dei, vel ſacramenta miniſtrandi. Sacramentorum nãq; adminiſtratio, & miniſterium verbi, ad Eccleſiarum paſtores magis pertinẽt, quam ad ſacerdotes. Cui enim diuinitus datur poteſtas, conferuntur & ea, ſine quibus vtiliter & dignè exercere non poteſt, & ſeruis ſuis Deus largitur talenta ſecundum negotiationem quam committit & mandat. Nam & in naturalibus hoc fieri videmus, quòd dantur inſtrumẽta & diſpoſitiones idoneæ, quibus opus eſt ad exercitium potentiæ acceptæ. Ad ſacramentorum verò adminiſtrationem neceſſaria eſt gratia, quemadmodum & ad eorum perceptionem: Sacerdotium autem facit eorum diſpenſatorem. Et ideo Apoſtolus requirit, vt epiſcopus imò & diaconus ſit ſine crimine: & qui vocatus eſt, vt inter Deum iratum & homines, medius ſit ad eum placãdum, gratus ei eſſe debet, cuius irã eſt placaturus. Cũ enim is qui diſplicet ad intercedẽdum mittitur, irati animus magis ad deteriora prouocatur. Omnis nãque ſacerdos à Deo conſtituitur, vt offerat dona & ſacrificia prò peccatis: &, Tanti regis miniſtros, inquit B. Auguſtinus, ſanctos eſſe oportet. Per hoc namque ſacramentum idoneos nos facit miniſtros noui teſtamenti. Hæc docet Auguſtinus tractans verba Domini, Accipite ſpiritũ ſanctum, quæ locutus eſt poſtquam inſufflauit ſuper Apoſtolos. Inſpiratio hæc, inquit, gratia quædam eſt, quæ per traditionem infunditur ordinatis, per quam commendatiores habeantur. Vnde Apoſtolus dicit ad Timoth. Noli negligere gratiam quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuũ presbyteri. Semel ergo fieri oportuit, vt de cætero traditio iſta non ſine dono ſpiritus ſancti eſſe crederetur, qua ratione viſibiliter apparuit ſpiritus ſanctus in baptiſmo Chriſti. Sicut enim in Saluatore forma data eſt viſibiliter, vt poſt baptiſmũ ſpiritus ſanctus credentibus de cętero inuiſibiliter dari non ambigeretur, ita & in ſuprà dicta cauſa forma data eſt in principio, vt ex eo traditioni eccleſiaſticæ ſpiritus ſanctus infuſus crederetur. Vbi aduertendũ eſt Auguſtinum intelligere gratiam, de qua Paulus. Noli negligere gratiã quæ eſt in te, nõ de gratia epiſcopatus, vel dignitatis paſtoralis, ſed de ea quę gratum facit, & Deo commendat. Paſtoralis namque dignitas & officium, pertinet ſecundum Apoſtolum ad miniſteria, & eſt magis onus ac ſarcina, quàm gratia: nec intelligitur nomine gratiarũ apud Apoſt. Ait enim: Honorificabo miniſterium meum: maximè autem quando hîc habemus verbum Saluatoris,

In epiſ. ſynodal. Concilij Florent.

Lib. 2. cõtra epiſt. Parme. cap. 13.

Lib. 1. de baptiſmo ca. 1.

De præſcript. hæreticorũ.

Cõtra epiſt. Parmẽ. c. 13. & li. 1. de baptiſmo cõtra Dona. cap. 1.

Grego. de paſtora. diſt. 49. in principio.

Li. qu. noui & veter. quæſt. 93.

Timot. 4.

Roman. 16.

uatoris, Accipite ſpiritũ ſanctum, & eius inſpirationem, quando poteſtatem ordinis cõtulit in remittendis peccatis: Et quia digniſsimum confertur miniſterium, quo maius eſſe non poteſt, vt videlicet legatione apud Deũ fungatur pro tota Eccleſia, in cauſa vitæ & mortis æternæ, & perſona Chriſti fungatur in conſecrando corpus & ſanguinem eius, & ſponſæ ipſius Eccleſiæ catholicæ, apud patrem offerendo filium, in quo beneplacitum eſt ei. Ait enim quidam ſanctorum, O ſacrificia mittentes incruenta ſacer-
Greg Nazia. in quodã carmine. dotes, O animarum cuſtodes glorioſi. O magni figmẽtum Dei veſtris in manibus ferentes: intelligenda eſt gratia gratum faciens in dictis verbis Apoſtoli. Commiſſum eſt præterea ſacerdotibus iudicium quod pater de-
De ſacerdot. li. 3 ca. 5. dit filio. Omne, inquit Chryſoſ. iudicium filio dedit pater: at hoc video totum eſſe in ſacerdotes trãsfuſum. Oportet igitur in hoc ſacramento non quamlibet conferri gratiam, ſed excellentem, & gratiæ augmentum,
1 quæſt. 1 c. Viliſsimus. vt ſicut is qui ordinatur gradu ſuper plebem conſtituitur, ita ſit & ſuperior merito ſanctitatis. Symmachus enim papa, Viliſsimus, inquit computandus eſt, niſi præcellat ſcientia & ſanctitate, qui eſt honore præſtantior. Nam ſicut ijs quos paſtores conſtituit, communicat charitatem, gratiam, patientiam, & alia dona, ſine quibus populum Dei commodè paſcere non poteſt, ita his quos facit ſacrificare & offerre, & remittere peccata, virtutes, puritatem & ſanctimoniam confert & dona, quæ conducunt ad tantæ rei exercitium. Sancti, inquit B. Diony. ſacerdotalibus virtutibus ita vti debent, vt ipſos miniſteriorum author diuinitus mouerit. Hæc definita ſunt in generali Conc. Florent. vbi dicitur ſextum ſacramentum eſſe ordinis, cuius materia eſt illud, per cuius traditionem ordo confertur, ſicut presbyteratus traditur per calicis cum vino & patenę, cum pane porrectionem: diaconatus verò per libri euangeliorum dationem: ſubdiaconatus per calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita traditionem. Et ſimiliter de alijs per rerum ad miniſteria ſua pertinentium aſsignationem. Forma ſacerdotij talis eſt. Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia pro viuis & mortuis, in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Ordinarius miniſter huius ſacramenti eſt epiſcopus, Effectus augmentum gratiæ, vt quis ſit idoneus miniſter. Nec mirum quòd nunc gratia conferatur in conſecratione ſacerdotum, quando tempore legis per vnctionem & manuũ impoſitionem datus eſt ſpiritus Regibus ad gubernationem populi, atq; ad perficienda mu-
1. Reg. 10. nera officij ſui. Nam de Saule legimus, quòd poſtquam vnctus eſt à Samuele, prophetauit & mutatus eſt in virum alterum. Et de Da-
1. Reg. 16. uide, quod idem Samuel eum vnxit in medio fratrum, & directus eſt ſpiritus Domini à die illo in Dauid, & deinceps. item ad Moyſen ait Dominus, pone manum tuam ſu-
Nume. 27. per Ioſue, & dabis ei partem gloriæ tuę. Quę aũt hęc pars fuerit, legitur in Deuteron. Repletus nãq; eſt Ioſue ſpiritu ſapiẽtię, vt ibi dicitur, quia Moyſes poſuit ſuper eũ manus ſuas. Et in genere oſtẽdit Dominus fructũ & *Cap. vlt.* efficaciã benedictionis ſacerdotalis, quãdo locutus eſt ad Moyſen, dicens, Loqueris filijs *Nume. 6.* Aarõ, & dices ad eos. Sic benedicetis filijs Iſrael, & dicetis eis, Benedicat tibi Domin^9, & cuſtodiat te. Oſtendat Domin^9 faciẽ ſuam tibi, & miſereatur tui: Cõuertat Domin^9 vultum ſuũ ad te, & det pacẽ tibi. Inuocabũt nomen meũ ſuper filios Iſrael, & ego benedicã eis. Vbi diſcimus ſacerdotalis muneris eſſe, benedicere populo, & inuocare nomẽ Domini ſuper eũ. Diſcimus præterea Deũ neq; hac parte deeſſe ſacerdotũ ſuorũ functioni, neq; inefficax, aut vanũ deſtituere ſacerdotiũ ſuum: quin potius, ſe teſte & ſponſore fideli ad ſacerdotalẽ benedictionẽ etiam diuinã benedictionẽ ſubſequi. Inuocabunt, inquit, nomen meũ ſuper filios Iſrael, & ego benedicã eis. Quãtò autẽ ſacerdotium noſtrũ excellentius eſt, tantò efficacior eſt & benedictio. *In ſent. q 1. art. vlt. in ſolutione. 2.* Hinc B. Thomas audet ſcribere, ꝙ in conſecratione virginũ, ſicut in vnctione regũ, in alijsq; huiuſmodi benedictionib. datur gratia, niſi ſit impedimentũ ex parte ſuſcipientis, & tamen ſacramẽta non dicũtur, quia nõ ſunt inſtituta ad curationẽ morbi peccati.

De materia autẽ & forma huius ſacramenti eadẽ eſt difficultas quę tractata eſt circa ſacramentum Confirmationis. Nam manuum impoſitione ordinauerunt Apoſtoli diaconos, ſacerdotes & apoſtolos, qua etiã baptizatos confirmabant, ſicut patet ex Actibus & epiſtolis ad Timoth. nec verbis vſi leguntur. *Act 6 et 13. 1 Timot. 4. et 2. Timo. 1.* Chriſtus hanc poteſtatem Apoſtolis dediſſe videtur exhibendo patenam & calicem cũ corpore & ſanguine ſuo. Nũc autẽ poſt Apoſtolorum tẽpora confertur exhibitione patenæ cum pane, & calicis cum vino, ſecundũ definitionem Concilij Florentini. Et declarant ſacri Canones, quòd manuũ impoſitio non eſt neceſſaria in ordinatione diaconi vel ſacerdotis. Aiunt enim, Presbyter & dia- *Ca. final. de ſacramẽt. nõ iterandis.* conus cùm ordinantur, manuum impoſitionem tactu corporali, ritu ab Apoſtolis introducto recipiunt: quod ſi omiſſum fuit, non eſt aliquatenus iterandũ, ſed ſtatuto tẽpore ad huiuſmodi ordines cõferẽdos cautè ſupplendũ quod per errorẽ extitit prætermiſſum: Nec ſola manuũ impoſitione ſacerdotium nunc cõferretur. Forma autẽ qua nũc eccleſia vtitur, maximè cõuenit cum verbis, quibus vtebatur Chriſtus, & ſimiliter, materia, in qua hoc eſt differẽtię, quòd Chriſtus patenam cũ corpore ſuo & calicem porrigebat cũ ſanguine: nunc aũt patenã cum pane & vino quaſi conſecrandis. Et verba Chriſti, Hoc facite in meã cõmemorationẽ, quoad ſententiam, eadẽ ſunt cum forma qua nunc vtimur, Accipe poteſtatẽ offerendi. &c. loco conſecrationis, quã ſignificat verbum, Facere, exprimens oblationem tanquam hęc in conſecratione & ordinatione ſacerdotis principaliter ſpectetur. In hac aũt forma & materia

conſiſtit

conſiſtit ſubſtantia ſacramenti ordinationis ſacerdotum, reliqua verò, vt benedictio, manuum impoſitio & vnctio, ad ſolennitatem tantũ, vel ad præparationem ordinandi pertinẽt. Ait enim B. Thomas quòd epiſcopus in collatione ordinum duo facit, Præparat enim ordinãdos ad ordinis ſuſceptionem, & ordinis poteſtatem tradit: Quæ quidẽ præparatio in tribus conſiſtit, ſcilicet benedictione, manus impoſitione, & vnctione per benedictionẽ diuinis obſequijs mãcipatur, & ideo benedictio omnibus datur: ſed per manus impoſitionem datur plenitudo gratiæ, per quam ad magna officia ſint idonei, & ita ſolis diaconis & ſacerdotibus fit manus impoſitio, quia eis competit diſpenſatio ſacramentorum, quamuis vni vt principali, & alteri ſicut miniſtro, ſed vnctione ad aliquod ſacramentũ tractandum conſecrantur: & ideo ſoli ſacerdotes, qui proprijs manibus corpus Chriſti tangunt, vnguntur ſicut & calix inungitur qui continet ſanguinem, & patena quæ continet corpus. Sed poteſtatis collatio fit per hoc quòd datur eis aliquid, quod ad propriũ ſacerdotij actum pertinet: & quia principalis actus ſacerdotis eſt conſecrare corpus & ſanguinem, ideo in ipſa datione calicis ſub forma verborum determinata, character ſacerdotalis imprimitur. Sequitur autem B. Thomam Richardus, hoc tamen annotans, quòd per manus impoſitionẽ magis ſignificatur gratia danda, quàm quæ per eam iam datur. Quæ doctrina confirmata eſt in generali Cõcilio Florentino, quòd inter ſubſtantialia huius ſacramenti nullius iſtorũ facit mẽtionem, nec illorum quidem rituũ, quos tradit B. Dionyſius in Hierarch. Eccleſiaſt. Factæ ſunt autem in forma & materia hæ mutationes ex Apoſtolica traditione & ſpirit' Chriſti ſuggeſtione. Sicut enim Apoſtoli ſine expreſſo in ſcripturis iuſſu Chriſti, imponebant baptizatis manus ad ſpiritum ſanctum accipiendum, eodemq; ritu presbyteros ordinabant. Ita eodem ſpiritu docente ritum quem nunc obſeruat eccleſia, maximè conſentiẽtem ritui quem ſeruauit Chriſtus, tradiderunt: niſi fortè dicatur hoc relictum fuiſſe Eccleſiæ, qua forma, quáve materia iſtud ſacramentũ conferretur, modò ſignificatio quæ in ſacramentis principaliter attenditur, qua ſcilicet ſignificetur quę poteſtas tradatur, ſeruetur. Nam in ſacramentis quorum materiam & formam Chriſtus non determinauit, hæc diſpoſitioni & arbitrio reliquit familiæ ſuæ præfectis, cuius exemplum habemus in pœnitentia & matrimonio: imò & forma baptiſmi, magnam admittit mutationem, modò ſeruetur eadem ſignificatio. Nam liberum Eccleſiæ relictum eſt, quod non eſt per Chriſtum determinatum.

Diſt. 14. in 4 q. 2. art. 4.

De ordinibus minoribus an ſint à Chriſto inſtituti, an ab Eccleſia, an ab Apoſtolis: Itẽ an ſint ſacramenta quę gratiã conferunt, quę faciat idoneos miniſtros ſuorum officiorũ, an magis ſint ſacramentalia tantùm, non cõuenit inter ſcholaſticos. Nam Durandus magis opinatur quòd ordo qui ſacramentũ eſt, ſolum ſit ſacerdotium, comprehendendo epiſcopatum, qui eſt ſacerdotium completum & perfectum: cæteri autem, inquit, non ſunt ſacramenta, ſed quædam ſacramentalia antecedentia ad ſacerdotium, de congruitate pro ſolemnitate cultus diuini, quemadmodum ſacramento baptiſmi adiuncti ſunt exorciſmus & catechiſmus. Hunc ſequitur Cardinalis Caietanus, qui addit quòd diaconi quorum meminit ſcriptura in Actis, miniſtri fuerunt menſarum tantum, & non altaris, nec in myſterijs diuinis: ſed alterius generis, altaris videlicet fuiſſe miniſtros, de quibus Apoſtolus Paulus loquitur in ſuis epiſtolis. Cuius ſententiæ etiam fuiſſe videtur Oecumenius in Scholijs, imò & B. Hieronymus, vocans diaconem viduarum & menſarum miniſtrum, & Concilium Conſtantinopolitanum 6. Idem ſenſiſſe videtur de ordinibus minoribus, imò & diaconatu Magiſter in ſententijs, dicens quòd leuitas, id eſt diaconos Apoſtoli ordinauerũt, quorũ maximus fuit B. Stephanus: ſubdiaconos verò & acolitos procedente tẽpore eccleſia ſibi cõſtituit. Similiter & Gratianus, imò & Cyprianus, Meminiſſe, inquit, diaconi debent, quoniã Apoſtolos, id eſt, epiſcopos & præpoſitos Dominus elegit, diaconos autẽ poſt aſcenſum Domini in cælos Apoſtoli ſibi cõſtituerunt epiſcopatus ſui & Eccleſiæ miniſtros. Beatus Thomas docet non ſolum diaconatum à Chriſto inſtitutum, quamuis per Apoſtolorum miniſterium, verum etiam omnes ordines inferiores: Item & eſſe ſacramenta ad ſacram Euchariſtiam & ſacerdotium ordinata. Sicut enim in ſcripturis nomine epiſcoporum intelliguntur principantes ſiue præſidentes, & ita etiam presbyteri, qui cum eis gubernare ſolebant Eccleſiã, ita nomine diaconorum omnes ordines miniſtrãtium. Ait enim B. Ambroſius, poſt epiſcopũ diaconatus ordinẽ ſubiecit, quia presbyteri & epiſcopi vna ordinatio eſt. Vterque enim ſacerdos eſt, ſed epiſcopus primus eſt, vt omnis epiſcopus presbyter ſit, nõ tamen omnis presbyter epiſcopus. Hic enim epiſcopus eſt, qui inter presbyteros primus eſt. Et quia nomen diaconus miniſterij nomen eſt, nihil mirandũ ſi diaconatus nomine vniuerſa intelligãtur miniſteria, quæ ad ſacram Euchariſtiam ordinantur, quãdo Apoſtolus Paulus dicit, Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, &c. eſſe oportet. Omnes namq; altaris miniſtros tales eſſe oportet propter ſublimitatem myſterij & ſanctitatem cui ſubſeruiunt. Sãcti, inquit ſcriptura, eſtote qui portatis etiam vaſa Domini. Et B. Dionyſius, Immundis nefas eſt vel ſacra tractare, vel tangere, ad quæ ſaltem diaconi & ſubdiaconi deputantur. Confertur igitur ſaltem eis gratia virtute ordinationis, iuxta ea quæ diximus, vt Deo grati ſiant, & miniſtri idonei officio ad quod vocantur: Nec enim ita diligenter Apoſt. diaconorum conditiones deſcripſi-

Diſt. 24. q. 1
In q. additis. 3 parti.
Actor. 6.
Epiſt. ad Euagrium.
Cap 16.
Diſtinct. 21.
Epiſt. 9 lib. 3.
In commẽt. 1. Timoth. 3.
1. Timoth. 3.
Leuit. 10.
Eccl. Hiera. cap. 1.

ſcripſiſſet,niſi cum diaconatu ex Chriſti eſ-
ſent inſtitutione:latè proſequitur hanc B.
Thomæ ſententiam Albertus Pighius in ſua
Li.2. ca.4. Hierarch.& approbata eſt in Concilio Flo-
rent.quod definiuit diaconatum & ſubdia-
conatum, & alios ordines conferre gra-
tiam, qua fit vt quis ſit idoneus miniſter.
De errore VValdenſiũ. Et ante hoc Concilium, imò ante annos du
centos in ſumma R. P. Guido epiſcopus,
de hæreſibus VValdenſium dicit, VValden-
ſes, qui ordines quinque negant damnan-
dos eſſe tanquã hæreticos. Argumentis Du-
diſt.24.4. ſentent. randi reſpondet Ioannes Capreolus, & Ca-
ietano Albertus Pighius. Gratiano autem &
Magiſtro reſpondetur,quòd ſacramẽtorum
inſtitutio, modo quodam, vt & ipſi docent,
fieri poteſt ab eccleſia & ab Apoſtolis, quo-
ad formæ videlicet & materiæ determina-
tionem, vt diximus circa articulũ primum
& 12. Et ideo ordines minores poſſunt vera
eſſe ſacramenta & gratiam conferre, quam-
uis Apoſtoli & Eccleſia leuitas,ſubdiaconos,
& alios procedente tempore ſibi conſtitue-
runt, eos in miniſterium prius inſtitutũ aſ-
ſumendo. Diaconus autẽ, de quibus in Actis
Epiſt. ad Trallianos. non ſolum fuiſſe menſæ miniſtros palã do-
cet B. Ignatius, qui de diaconis loquens di-
ſer. de S. Laurẽtio. cit, non in cibo & potu eos fuiſſe miniſtros,
ſed in miniſterio Eccleſiæ Dei. Et Leo papa,
Leuita Laurentius, non ſolum miniſterio ſa
cramentorum,ſed & diſpenſatione eccleſia-
ſticæ ſubſtantiæ præminebat. Et teſtatur ſcri-
ptura,quòd eorum officiũ erat etiam prædi-
care & baptizare. Prędicabãt enim & bapti-
zabant Stephanus & Philippus: & in menſis
fidelium eo tempore frangebatur & diſpen-
ſabatur panis ſacræ Euchariſtiæ: Præfecti ta-
men erant menſæ prophanæ,tanquam ſuper
intendẽtes,ad quos natæ difficultates refer-
rentur,de quo latè agit Albert⁹ Pighius. In-
telligit autem B. Cyprianus Apoſtolos ſibi
conſtituiſſe diaconos, qui ſolum diaconi eſ-
ſent,epiſcopatus ſui miniſtros,nõ ſua autho
ritate, ſed ex Chriſti inſtitutione & inſtin-
ctu:itẽ quòd Apoſtolos Dominus per ſe con-
ſtituit: diaconos verò per Apoſtolos. Ex di-
ctis manifeſtum eſt quòd ſacerdotium nouæ
legis à Chriſto inſtitutum eſt ad conſecran-
dum,offerendum,remittendum, ac retinen-
dum peccata. Ipſe enim dixit,Hoc facite in
meam commemorationem:& quorum remi
ſeritis peccata,&c. Et non ſolum ad miniſte-
rium verbi & ſacramentorũ,vt docẽt aduer-
ſarij,quorũ ſententiam cum validiſsimis ar-
gumentis,ſcripturis aduerſari, demonſtrent
Hierarc. eccle. li.4.c.4. Ioannes Epiſcopus Roff. libello de ſacerdo-
tio contra eã edito, & Albertus Pighius cõ-
trouerſia 5. Item Reuerend. Pater Alfonſus
de Caſtro,de ſacerdotio ſcribens, ſuperua-
cãneum eſſet nos hic eſſe prolixiores. Nõ eſt
tamen hoc ſacerdotium ſine miniſterio ver-
bi & ſacramentorũ (excepta confirmatione
& ordine)ſaltem in habitu & radice, vt ſola
vocatione, & iuriſdictione accedentibus
exercere poſsit,& his reuocatis exercere nõ
liceret. An verò vna & eadem ſit reipſa po-
teſtas conſecrandi,remittendi peccata,ſacra
menta omniumq́; ordinum minorum offi-
cia,& verbum Dei adminiſtrandi, variè ſen-
tiunt Doctores Scholaſtici, & quæſtio eſt fi-
dei impertinẽs. Sentit enim B.Thomas,quòd *In 4. diſt. 13. q.1. art. 1. et diſt.24.q.2. art.1.ad.3.*
ſacerdotium virtute omnia officia Eccle-
ſiaſtica comprehẽdit,quodq́ue propterea ea-
dem eſt poteſtas conſecrandi, offerendi, re-
mittendi peccata, omniaque ordinum offi-
cia exercendi. Non enim in ordinatione ſa-
cerdotis alia datur poteſtas quàm conſecran
di & offerendi ſacrificium in Eccleſia Dei: Et
poteſtas circa corpus Chriſti myſticum deri-
uatur, vel potius eadem eſt cum poteſtate
circa corpus Chriſti verum: Imo & poteſtas
conſecrandi ſanguinem Chriſti eſſe videtur
à poteſtate corpus conſecrandi. Nam Chri-
ſtus ſolùm dixiſſe legitur in euangelijs poſt
corporis conſecrationem, Hoc facite in me-
am commemorationem. Alij verò doctores *Lib.4.ſent. diſt.19.*
inter quos eſt Ioannes Scotus docent reali-
ter diſtinctos eſſe characteres, & poteſtates
conſecrandi corpus, & conſecrandi ſangui-
nem:item remittendi peccata, & retinendi:
aliam etiam poteſtatem ſuper peccatis acci-
piendi cognitionem, aliam ſententiam pro-
nunciandi, vt alia ſit reipſa clauis ſcientię &
poteſtatis, quodq́ue ſingulæ ab alijs ſepara-
ri poſſunt. Sed quia hæc ad finem non perti-
nent,omnia iſta hic prætermimus. Secundò ex
dictis manifeſtum eſt,quòd epiſcopus nõ ſo-
lum iuriſdictione, ſed gradu, dignitate, &
poteſtate ſuperior eſt presbytero. Annotat,
etiam B.Auguſt. inter hæreſes Arrij,quòd di *De hær. cap. 53.*
cebat presbyterũ ab epiſcopo nulla differen
tia debere diſcerni. Cùm enim eſſet presby-
ter, doluiſſe fertur, vt ſcribit, quòd epiſco-
pus non potuit ordinari, & ideo in Arriano-
rum hęreſim lapſus, propria dogmata addi-
dit. Idem B.Auguſt. ſcribit ad beatũ Hieron. *Epiſt. 19.*
Quanquam ſecundũ honorum vocabula,in-
quit,quæ iam Eccleſię vſus obtinuit, epiſco-
patus presbytero maior ſit: tamen in multis
rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt. De
quo latiſsime tractant doctores ſcholaſtici
diſtinctione 24. Sentent. ex ſcripturis demõ- *Lib. 4.*
ſtrantes, quòd in Eccleſia aliqua eſt poteſtas
ſuper ſacerdotium, quamuis tamen omnes
Epiſcopi pares ſint gradu & poteſtate: ſola
autẽ iuriſdictione & adminiſtratione diffe-
rant, vt docent Albertus Pighius, Item Al-
fonſus de Caſtro, ac Thomas VValden. quos *Lib.2. Hierarch. eccleſiaſt. ca. 9. & 10.*
ſtudioſus lector conſulere poterit.

Contra hunc Articulũ conformiter ſcri-
pturis in Eccleſia catholica à tempori-
bus Apoſtolorũ ſemper traditũ & ob-
ſeruatum,& in Concilijs OEcumenicis defi-
nitum,audet ſe opponere Ioannes Caluinus
in Antidoto articulorum Facultatis Pariſi-
enſis. Omiſsis autem argumentis Inſtitutio-
nis eius,expendemus ipſius Antidotũ quod
compendio complectitur totam Inſtitutio-
nis ſententiam, vbi ſic ſcribit.

Sacerdotes fatemur diſpenſatores eſſe myſterio- **Caluinus.**
rum Dei, ideoq́ue legitimos cœnæ adminiſtros,
ſed

ſed ordinatos Chriſti, & Apoſtolorum ritu, atq; etiam veteris eccleſiæ, in qua ſola manuum impoſitio vſitata erat ſine vnctione & alijs nugis.

Reſponſio. Sacerdotes non ſolum diſpenſatores ſunt myſteriorum Dei, hoc eſt, verbi ſancti Euangelij, ad quod propriè pertinent hæc myſteria, ſed & conſecratores in Chriſti perſona corporis & ſanguinis eius ſub ſpeciebus panis & vini. Non enim homo eſt qui propoſita de conſecratione menſæ Domini, corpus Chriſti facit & ſanguinē: ſacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute conſecrantur & gratia: quod ſuperius latè oſtendimus. Et *Chryſoſt. de prodit. Iuda* ideo non ſolum ſunt cœnæ adminiſtri, ſed etiam ipſi inſtruunt & parant, Chriſti tamen virtute & in eius perſona. Sunt & iudices à Chriſto conſtituti in remittendis & retinēdis peccatis. Quorū remiſeritis, inquit, peccata, remittuntur, &c. Nam in eos, vt inquit *De ſacerdotio li. 3. ca. 3.* Chryſ. omne iudiciū quod à patre accepit, transfudit. De quo in ſuperioribus, Artic. 4. imò & medios eos conſtituit inter homines & Deum, vt placent iram eius. Hoc enim ratio habet ſacerdotis, vt conſtituatur pro hominibus in his quæ ſunt ad Deum, & offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Ritus autem quo vſus eſt Chriſtus, alius erat, quàm quo *Fol. 191.* vſi ſunt Apoſtoli. Non enim manuum impoſitione Chriſtus Apoſtolos ſuos ordinauit ſacerdotes, qua ſolum Apoſtoli vſi legūtur, ſed ritu ferè ſimili, quo nunc vtitur Eccleſia, & vſa eſt ab Apoſtolorum temporibus. Ipſe porrigendo calicem cum ſanguine ſuo, & patinam cum corpore dicens, Hoc facite in meam commemorationem, & poſtquam inſufflauit dicendo, Accipite ſpiritum ſanctum: Quorum remiſeritis peccata, &c. Apoſtolos ſuos conſecrauit ſacerdotes. Nunc igitur eccleſia catholica magis accedit ad ritū quem Chriſtus ſeruauit, quàm Apoſtoli, qui ſola manuum impoſitione presbyteros ordinaſſe leguntur. Hinc autem diſcimus ob varium hunc ritum à Chriſto & Apoſtolis ſeruatum, non tam cæremoniam & verba in ſacramentis attendi, quàm ſignificationem, ex qua ſuam habent virtutem & efficaciam. Nec tamen manuum impoſitio in ordinatione ſacerdotis negligitur, quamuis eam nó habeamus neceſſariam, quando alia adſunt ſigna, quibus euidentius huius ſacramenti effect⁹ ſignificatur: quomodo etiam vtimur vnctione chriſmatis, quam etſi nugas vocet Ioannes Caluinus omnium contemptor & irriſor, quæ eius non placent palato, magnificè tamen ipſam vnà cum ſacro chriſmate celebrant ſcriptores Eccleſiaſtici, Chriſtiq; *Eccleſ. Hierca 4. par. 2 idem par. 3. cap 3.* diſcipuli. Ait enim D. Dionyſius Epiſcopum vti vnguento ad omnem fermè ſacerdotalis officij functionem. Quod præterea diuinius eſt ad omnis ſacræ rei conſecrationem, vtitur vnguento diuino, idcirco ſacræ regene- *Epiſt. 2. ad oēs orientales epiſcopos.* rationis perficiens donum, & gratia vnguēti ſacratiſsima conſummatione perficitur. Item diuini quoq; altaris conſecrationē ſanctorum myſteriorū lex, ſacratiſsimi vnguēti caſtiſsimis infuſionib. perficit. Et Fabianus papa & martyr, ante annos mille trecentos, ſcribit quòd ex iuſſu Chriſti & eo docēte chriſma conficiendum eſt in cœna Domini, & præceſſores ſuos hoc accepiſſe à ſanctis Apoſtolis. Item Cyprianus, Ceſſantib⁹ *De vnctione chriſmatis.* his, inquit, quæ ritu antiquo veteris teſtamēti inoleuerant, religionem Chriſtianam vnctionis myſterium non contempſiſſe, ſed cęteris generali ſanctorum conſenſu damnatis non ſolum in regibus & ſacerdotibus vnctionis honorem permāſiſſe, ſed in omni populo catholico. Et addit, virtutem diuinam in hac vnctione potentius operari: de *Lib. 2. Hier. cap. 6. Inſtit. de Sacram. Confirmationis* qua Albertus Pighius & Antididagma Eccleſię Colonien. Hanc igitur ſacratiſsimam vnctionem quam Apoſtoli à Chriſto, & ab Apoſtolis Eccleſia accepit, Ioannes Caluinus non veretur contemptim vocare nugas, Væ, *Eſaiæ 33.* inquit propheta qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris?

Caluinus. *Quanquam in ordinatione finis potiſſimum ſpectandus eſt, atq; officium cui deſtinantur ſacerdotes: Conſtitui porrò ex Dei mandato & regula ſcripturæ debent, non ad immolandum, ſed ad regendam Eccleſiam, paſcendumq; gregem verbo Domini, & ſacramenta adminiſtranda.*

Reſponſio. Quid igitur tanti æſtimat ritum & cæremoniam ordinationis, quādo finis eſt quem potiſsimum in ordinatione ſpectare oportet? in quo fine grauiter errat Caluinus: qui promiſcuè etiam loquitur de ſacerdotibus & Eccleſiæ præpoſitis ac Epiſcopis. Hi nāq; ſoli conſtituuntur ad regendam Eccleſiam, & paſcendam verbo Dei & ſacramentorum adminiſtratione: quamuis ſacramentorum miniſterium magis pertineat ad paſtores inferiores. Teſtatur enim B. Paulus, quòd ipſe *1. Cor. 1.* paucos baptizauerit, quodq; Chriſtus eum miſerit non baptizare, ſed euangelizare. Bene habet quòd Caluinus per ſcripturā conuictus, hic dicat præpoſitos Eccleſiæ non ſo- *Actor. 20.* lum eſſe miniſtros verbi & ſacramentorum, verùm etiam regere Eccleſiam, vt præcipere poſsint, ſtatuere & excōmunicare, quibus propterea debeatur obediētia iuxta doctrinam & mandatum Apoſtoli, Obedite præpoſitis veſtris & ſubiacete eis. Quòd autem ſacerdotes ex Dei mandato & regula ſcripturæ ad immolandum, hoc eſt, ad offerendum conſtituuntur, ex ſcripturis oſtendimus. Vtiq; ille ſacerdos, inquit B. Cyprianus, vice *Lib. 2. epi. 3.* Chriſti verè fungitur, qui id quod Chriſtus fecit imitatur, & ſacrificium verum & plenū tunc offert in Eccleſia Deo patri, ſi ſic incipiat offerrre, ſecundum quod ipſum Chriſtum videt obtuliſſe. Et B. Dionyſius Apoſtolorum diſcipulus interpretatur facere, *Ca. 3. par. 3.* dum dicit Dominus, Hoc facite, &c ſalutarem hoſtiam litare.

Caluinus. *De abſoluendi poteſtate ſic habendum eſt, datum quidem miniſterium reconciliationis veris paſtoribus, vt ſua doctrina, hoc eſt euangelij prædicatio-*

dicatione, homines reducendo cum Deo in gratiā, à peccatis abſoluant.

Reſponſio. Oſtendimus circa Articulum quartum quod iudiciaria eſt hæc poteſtas, ſicut & nomina ipſa ſonant, abſoluere, remittere, retinere, & ligare: pro quo etiam concordes patrum citauimus ſententias. Ideo euangelio aduerſatur quòd hæc abſolutio per ſolam fiat euangelij prædicationem, & in ea conſiſtat. Docet enim euangelium, Dominum dixiſſe Apoſtolis, Quorum remiſeritis peccata, &c. & Beato Petro, Quodcunque ligaueris ſuper terram, &c. Nec priuilegium eſſet Eccleſiæ ſuper Petrum fundatæ, quòd acceperit claues regni cœlorum, cum omni legi communis ſit euangelij prædicatio, ſed huic Eccleſiæ propriæ ſunt claues regni cælorum.

Caluinus. Ioan. 21. De ſimplici. prælatorū homi 30. et 124 In Ioan. Item de doc. Chriſt. lib. 1. cap. 18. *Hoc tamen non alligatum eſſe perſonis, ſed verbo, adeoq; verbo potius quàm hominibus eſſe datū, vt à quocunq; proferatur gratiæ remiſſio, certam abſolutionem in foro conſcientiæ adſerat. Tametſi etiam peculiariter Apoſtolis dicitur, Quorum remiſeritis peccata, remittentur: tamen claues vniuerſæ Eccleſiæ datas eſſe agnoſcunt ſancti patres, nominatim Cyprianus & Auguſtinus, quibus alij aſſentiuntur. Nam remiſſio peccatorum in Chriſto, per quemcunque annuncietur, vera eſt abſolutio.*

Reſponſio. Solos ſacerdotes poteſtatem conſecrandi, offerendi, & peccata remittendi habere, clariſsimè teſtatur euangelium, in quo ſolis Apoſtolis dictum eſſe legitur, Hoc facite, &c. &, Quorum remiſeritis peccata, &c. ſicut ſupra præſenti articulo, & 4. ſatis oſtendimus. Illis itaq; perſonis, quibus hæc poteſtas à Chriſto collata eſt, alligatur & conuenit. Et abſurdiſsimum eſt quòd claues regni cælorum, & poteſtatem abſoluendi à peccatis omnes hi homines habeāt, à quibus profertur gratiæ remiſsio. Haberent enim pueri & mulieres claues Eccleſiæ, & poteſtatem à peccatis abſoluendi, & eſſent iudices à Chriſto conſtituti. Et quando agnoſcit Caluinus peculiariter dictum eſſe Apoſtolis, Quorum remiſeritis peccata, &c. quomodo omni homini à quocunque profertur gratię remiſsio, clauium iſtarum & abſoluendi conuenit poteſtas? Dicunt patres, & in primis B. Auguſt. claues datas Eccleſiæ, ſed in Apoſtolis, & ſacerdotibus quibus Chriſtus loquutus eſt, non in quolibet eccleſiæ membro. Abſurdiſsima eſt ſententia, quòd remiſſio peccatorum in Chriſto, per quemcunq; annūcietur, vera eſt abſolutio. Attendat hic lector & iudicet, quàm parum ſoliditatis habeant argumenta Caluini, propter quæ concordem Eccleſiæ catholicæ ſententiam deſerit.

Finis Articuli Decimi Septimi.

ARTICVLVS DECIMVS OCTAVVS.

Matrimonium contractum & conſummatum inter Chriſtianos, eſt indiſſolubile, qualiſcunque ſiat alter coniugum, ſiue adulter, ſiue ſterilis, ſiue hæreticus.

Matrimonium ſolui non poſſe demonſtrat Dominus Saluator in Euangelio ex eius inſtitutione. Quærentibus enim Phariſæis, Si licet homini dimittere vxorem ſuā quacunque ex cauſa? Reſpondit nulla ex cauſa licere. Non legiſtis, inquit, quia qui fecit ab initio maſculum & fœminam fecit eos? & dixit, Propter hoc dimittet homo patrem & matrem & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Et ſubſumit, itaq; iam non ſunt duo, ſed vna caro. Ex quib. inſtitutionis matrimonij verbis & propoſitione ſubſumpta, concludit, Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet. Efficax enim eſt ſermo Dei, & ſtatim ſequitur quod dicit: Dicit autem quòd erunt duo in carne vna. Inſinuat enim non ſine cauſa, de ſolo homine dictum eſſe, quòd maſculum & fœminam creauit eos, cùm & in alijs animalibus maſculum & fœminam ea creauerit, in quibus tamē hoc ſcriptura non expreſsit. Significat itaq; ſcriptura Deum his verbis inſtituiſſe coniugiū, quod in ſolo homine locum habet. Propter quod, quia ſcilicet maſculum & fœminam creauit eos, hoc eſt, propter coniugium dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit ſimpliciter, & in omne tempus vſque ad mortem vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna ſimpliciter, vt vtriuſque caro alteri ſit communis. Quod ergo Deus coniunxit, nexum videlicet cōiugalem, nec homo, nec vlla creatura ſeparare aut diſſoluere poteſt. Hunc ſenſum intelligentes Phariſæi, quòd videlicet Chriſtus diceret cōiugium ex Dei inſtitutione, ac proinde omne cōiugium eſſe indiſſolubile, obijciunt, Quid ergo Moyſes mādauit dare libellum repudij & dimittere? Reſpondet Chriſtus, Moyſes hoc fecit malitia veſtra coactus: ſed alia erat coniugij in paradiſo ratio, & alia Dei inſtitutio, quæ ſemper ſalua & integra manet: Super eius autem vſu & exercitio ob veſtram duritiam eſt diſsimulatum, cuius exemplum habemus in ſacris canonibus, quod multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in iudicium exigente iuſtitia non deberent tolerari. Atque hic modus probandi inſeparabilitatem matrimonij ex eius inſtitutione certiſsimus eſt & ſecuriſsimus quē ſequitur Bonifacius 8. Matrimonij, inquit, vinculum ab ipſo Eccleſię capite rerum omnium conditore, ipſum in paradiſo & in ſtatu innocentiæ inſtituente, vnionem & indiſſolubilitatem accepit. Vbi loqui videtur de ma-

Matth. 19.

Ex inſtitutione matrimonium eſt indiſſolubile.

Ca. cum iam dudum de præbendis & dig.

de matrimonio etiam non conſummato. Et Innocent. 3. hanc ſpectaſſe videtur, dum ait, Etſi poſsit, inquit, nõ incõſultè videri quòd ex quo matrimonium inter legittimas perſonas per verba de præſenti contrahitur, illis viuentibus in nullo caſu poſsit diſſolui, vt viuente reliquo alter ad ſecũda vota trãſmigret: etiã ſi vnus fidelium, inter quos eſt ratum coniugium, fieret hæreticus &c. Et alio Canone: videtur autem hæc Dei inſtitutio aliquid roboris & firmitatis addere coniugio, ſupra eam quam habet ex natura aut fine contractus, ſiue ex ſolo iure naturæ. Refert enim ſaluator matrimonij inſeparabilitatem ad verbum Dei, & ad hoc quia ipſe cõiunxit, quaſi per ſe, mediante tamen contractu, ius naturę magis ſtabiliens & perficiens. Nec mirum videri debet, quòd matrimonio perfectio aliqua, poſitiua Dei inſtitutione, ſupra eius naturam acceſſerit, quæ naturam ipſam perficit, quando conſideratur quod homo inſtitutus eſt in iuſtitia originali, quę naturæ perfectio eſt, nec eius principia ſequitur. Inſtituit namq; Deus omnia in ſua perfectione. Contractui autem coniugali eiuſq; fini cõſentanea eſt omnimoda inſeparabilitas, adeo vt doctores plurimi doceant neceſſariò eã concludi ex fine & ratione cõtractus coniugalis: Supplet autem hic inſtitutio in quo deficit natura. Aug. eandẽ hãc inſeparabilitatem probat ex ratione ſacramenti, hoc eſt ob ſacratioris rei huic copulæ diuinitus inditam ſignificationẽ. Ait enim, Quẽ non faciat intentũ quid ſibi velit tanta firmitas vinculi cõiugalis, vt ſcilicet nec cauſa fornicationis, nec procreãdæ prolis ſolui poſsit? cũ cauſa procreandi colligetur, quod nequaquam puto tantum valere potuiſſe, niſi alicuius rei maioris ex hac infirma mortalitate hominum quoddam ſacramentum adhiberetur, quòd deſerẽtibus hominibus, atq; id diſſoluere cupientibus inconcuſſum illis maneat ad pœnam. Siquidem interueniente diuortio, nõ aboletur illa confœderatio nuptialis, ita vt ſibi cõiuges ſint etiam ſeparati, cum illis autem adulterium cõmittant, quibus fuerint etiã poſt ſuum repudiũ copulati, vel illa viro, vel ille mulieri. Nec tamen niſi in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius, talis eſt cauſa cum vxore. Et vſq; adeo fœdus illud nuptiale initum dicit rem eſſe cuiuſdam ſacramẽti, vt nec ipſa ſeparatione irritũ fiat: Item ſemel initũ connubiũ in ciuitate Dei noſtri, vbi etiã ex prima duorum hominũ copula quoddam ſacramentũ nuptiæ gerũt, nullo modo poteſt, niſi alicuius eorũ morte, diſſolui. Manet enim vinculum nuptiale, etiam ſi proles, cuius cauſa initũ eſt, manifeſta ſterilitate non ſubſequitur, ita vt iam ſcientibus coniugibus nõ ſe filios habituros, ſeparare ſe tamen vel ipſa cauſa filiorum, atq; alijs copulare non liceat. Nec cauſa ergo numeroſioris prolis fecerunt patres noſtri, quod Cato dicitur feciſſe Romanis, vt traderet viuus vxorem, etiã alterius domum filijs impleturam. In noſtrarũ quippe nuptijs plus valet ſanctitas ſacramenti, quàm fœcunditas vteri. Item, Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atq; omnes homines in cauſa generandi eſt, & in fide caſtitatis. Quòd autẽ ad populum Dei pertinet, etiam in ſanctitate ſacramenti, per quã nephas eſt etiam repudio intercedente, alteri nubere dum vir eius viuit, nec ſaltẽ ipſa cauſa pariendi, quæ cũ ſola ſit qua nuptiæ fiunt, nec ea re nõ ſubſequente propter quã fiunt, non ſoluitur vinculum nuptiale niſi coniugis morte: quemadmodum ſi fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiam ſi plebis congregatio non ſubſequatur, manet tamen in illis ordinatis ſacramentum ordinationis. Et ſi aliqua culpa quiſquam ab officio remoueatur, ſacramento Domini ſemel impoſito non carebit, quamuis ad iudicium permanente. Generationis itaq; cauſa fieri nuptias Apoſtolus ita teſtis eſt, Volo, inquit, iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias eſſe. Ad fidem aũt caſtitatis illud pertinet. Vxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir: vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier: Ad ſacramenti ſanctitatẽ illud, Vxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit manere innuptã, aut viro ſuo reconciliari, & vir vxorem ſuam nõ dimittat. Hæc omnia bona ſunt propter quæ nuptiæ bonæ ſunt, proles, fides, ſacramentum. Idem de fide & operibus. In ciuitate Domini in monte ſancto eius, hoc eſt in Eccleſia, vbi nuptiarum nõ ſolum vinculum, verùm etiam ſacramentum ita cõmendatur, vt non liceat viro vxorẽ ſuam alteri tradere: quod in Repub. tunc Romæ non ſolùm minimè culpabiliter, verùm etiam laudabiliter Cato feciſſe perhibetur. Cuius autem rei ſacramentum intelligat eſſe coniugium, explicat in lib. de nuptijs & concupiſcent. Quoniã, inquit, non tantum fœcunditas, nec tantũ pudicitia, cuius vinculũ eſt fides, verum etiam quoddam ſacramentum nuptiarũ commendatur fidelibus coniugatis, vnde dicit Apoſtolus, Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiã, hui' proculdubiò ſacramenti res eſt, hoc eſt, effectus, vt mas & fœmina cõnubio copulati, quàm diu viuũt, inſeparabiliter perſeuerẽt, nec liceat (excepta cauſa fornicationis) à coniuge coniugẽ dirimi. Hoc enim cuſtoditur in Chriſto & Eccleſia, vt viuens à viuente in æternũ nullo diuortio ſeparetur: cuius ſacramenti tanta obſeruatio eſt in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius, hoc eſt in Eccleſia Chriſti, quibuſq; fidelibus coniugatis, qui ſine dubio membra ſunt Chriſti, vt cùm filiorũ procreandorum cauſa vel nubant fœminæ, vel ducantur vxores, nec ſterilem coniugem fas ſit relinquere, vt alia fœcunda ducatur: Quod ſi quiſquam fecerit, nõ lege huius ſeculi, vbi interueniẽte repudio ſine crimine conceditur cum alijs alia copulare connubia, quod etiam ſanctum Moyſen Dominus propter duritiam cordis illorum Iſraelitis permiſiſſe teſtatur, ſed lege euãgelij reus eſt adulte-

Li. 6. de voto et voti redem. cap. vnico.

cap. Ex part. tua de conuer. cõiugat.

c. Gaudem' de diuort.

D. Tho. in 4.

Ex ratione ſacramenti Auguſtinus probat matrimonij inſolubilitatem.

De bono coniugali cap. 7.

In ciuit. Dei habetur ratio ſacramẽti cõiugalis.

De bono coniugali ca. 15.

Cap. 18.

Cap. 24.

Sanctitas ſacramenti eſt in ſolo populo Dei.

Ordinatio cleri ſacramentum eſt.

1. Timot. 5.

Cap 7.

Cap. 10.

Epheſ. 5.

adulterij, ſicut etiam illa ſi alteri nupſerit: Et poſt pauca, Ita inter viuẽtes manet quoddam vinculum coniugale, quod nec ſeparatio, nec cũ altero copulatio poſsit auferre, manet autem ad noxam criminis, nõ ad vinculum fœderis, ſicut apoſtatæ anima velut de cõiugio Chriſti recedens, etiam fide perdita, ſacramentum fidei non amittit, quod lauacro regenerationis accepit. Redderetur enim proculdubio redeũti, ſi amiſiſſet abſcedens. Eſt igitur matrimonium ſecundum Beati Auguſtini ſententiam, ſimpliciter indiſſolubile ex ſignificatione Chriſti cum Eccleſia, vt ſicut Chriſtus viuens ab eccleſia viuente nullo diuortio in ęternum ſeparatur, ita & mas & fœmina connubio copulati, quàm diu viuunt, inſeparabiliter perſeuerant. Et hæc ratio eſt ſacramenti, cui tribuit Auguſtinus matrimonij indiſſolubilitatẽ. per quam occaſionem videamus an ex eadẽ ſignificatione matrimonium ſit ſacramentum, nouæ legis gratiam conferens ex opere operato. Ipſum enim nouæ legis eſſe ſacramentum, & gratiam conferre, apertè definiunt œcumenica Concilia, & patrum ſacri canones: ſed ita manifeſtum eſt qua ſignificatione. Nam Concilium Florentinum pręſentibus & approbantibus Armenis (qui tamen priùs aliter crediderãt) tanquã dogma fidei matrimonium numerat inter ſeptẽ nouę legis ſacramenta, quę gratiam continent, quã dignè ſuſcipientibus conferunt: & eandem dicit eſſe eius ſignificationem, ob quã Beatus Auguſtinus dicit coniugium eſſe inſeparabile. Ait enim, Septimum eſt ſacramẽtum matrimonij, quod eſt ſignum coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ, ſecundum Apoſtolum dicentem, Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. *Epheſ. 5.* Et paucis interiectis, Tertium bonum matrimonij, eſt eius indiuiſibilitas ꝓpter hoc, quod ſignificat indiuiſibilem coniunctionẽ Chriſti & Eccleſiæ. Item habet Concilium Tridentinum, *De ſacramẽ. in genere c. 1* Si quis dixerit ſacramenta nouæ legis eſſe plura vel pauciora quàm ſeptẽ, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem & Matrimonium, aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe verè & propriè ſacramẽtum, anathema ſit. *Can. 7. et 8.* Item: Si quis dixerit non dari gratiam per huiuſmodi ſacramenta ſemper & omnibus, quantum eſt ex parte Dei etiam ſi ritè ea ſuſcipiat, ſed aliquando & aliquibus, anathema ſit. Item: Si quis dixerit eadem ſacramenta gratiam ex opere operato non conferre, anathema ſit. Conſtantienſe quoq; Concilium dicit ſeptẽ *Seſſ. 15 ar 8. Ioan. Hus.* eſſe ſacramenta. Et Lucius papa Matrimonium etiam numerat inter eccleſiæ ſacramenta. *cap Ad abolendum de hæreticis.* Firma igitur fide credẽdum eſt matrimonium eſſe ſacramentum nouæ legis gratiam conferens ex opere operato. Nam ſi in terris vſquam veritas reperiatur, illam eſt inuenire in eccleſia catholica, quã Apoſtolus Paulus prædicat eſſe columnam & fundamentũ veritatis. Pro horum intelligentia obſeruãdum eſt quòd Apoſtolus ad Epheſios ſcribens, *Cap. 5.* dicit matrimonium in Chriſto tranſlatum eſſe in ordinẽ ſpiritualium & myſteriorum. Nam de coniugio loquens, Sacramentum hoc magnum eſt, inquit, ego autem dico in Chriſto & eccleſia: Nec tantùm ſignificando magnum eſt myſterium, ſed ipſum etiam in ſe magnum eſt, & multis ſacris ſecretis, quæ in ſe continet, fœcundum: ex ſignificatione tamen Chriſti & eccleſiæ. Magnum namque myſterium eſt coniugium, quod ſi coniunctio mutua ad prolem Chriſto generandam, educandam, Chriſtoq; Domino conſtituendam, hoc eſt in fide & religione eius, quòd coniuges item ſimul Chriſtianè viuant, copulaque carnali Chriſtianè vtantur, & vxor ſubiecta ſit marito, nõ vt marito tantùm, ſecundum legem naturalem, quam in Politicis tradit Ariſtoteles, ſed vt Chriſto Domino, hoc eſt, quaſi typo & figuræ eius id eſt Chriſto in marito. Nam coniunctio iſta coniugalis & coniugij officium ex inſtitutione ſunt vera imago, & expreſſa repręſentatio officij & coniunctionis Chriſti cum ſua eccleſia, quæ violatur, imò & iniuriam patitur, per adulterium, aut alium aliquem abuſum. Maritus typus eſt Chriſti, vxor eccleſiæ. Ait enim Apoſtolus Paulus *Epheſ. 5.* quòd vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eccleſiæ: & ideo ſicut eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus. Viri diligite, inquit, vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit eccleſiam. Obligantur igitur coniuges Chriſtiani ex coniugio, ad multò ſublimiora (imò & ad diuina officia) quàm coniuges ethnici ſiue infideles. Vxor namque Chriſtiana ex coniugij qualitate & dignitate, marito ſubeſſe debet, vt Chriſto Eccleſia ſubeſt, & maritus diligere vxorem, non ſolum amore naturali, ſed ſicut Chriſtus eccleſiam, vt ſeipſum etiam tradat pro ſua vxore. Vult enim Apoſtolus Paulus quòd hîc omnia ſibi mutuò reſpondeant, non ſolum per accommodationem, ſed ex inſtitutione, vir Chriſto, vxor eccleſiæ, copula copulæ, quemadmodum & origo mulieris eſt ex viro, & eccleſiæ ex Chriſto, ex oſsibus & carne eius. Et ideo nõ ſufficit Beato Paulo qualiſcunque dilectio *1. Corint. 7.* viri ad mulierem, ſed requirit ſpiritualem & gratuitum amorẽ, quo Chriſtus proſecutus eſt eccleſiam. Sacramentum igitur matrimonij hæc omnia operatur per gratiam quam confert. Non enim deſtituit Chriſtus coniuges fideles gratia qua indigent, vt in Chriſto ſua præſtent officia. Vnuſquiſq; inquit Paulus, proprium donũ habet ex Deo, alius quidem ſic, alius verò ſic: loquẽns etiã de coniugatis. Ex hoc igitur quòd matrimonium tale myſterium eſt: quale declarat eſſe Apoſtolus Paulus, ſequitur quòd inducit obligationem ad officiũ quod naturæ vires excedit, & proinde gratiam requirit: ſequitur etiam quòd verum eſt ſacramentum gratiam conferens. Nam vnuſquiſq; applicatus & ſtudens propagationi in Repu. propagare & con-

& conſeruare debet ciuitatem in qua agit. Cùm autem coniunx Chriſtianus in cœleſti & Chriſtianæ viuat ciuitate, & non ſolùm Politica, illam conſeruare ex coniugio ſuo obligatur, ad quod præcipuè & primariò ſacramentum matrimonij ordinatur. Et ideo verba conſenſum exprimentia ſecundum propriam ſignificationem habēt obligationem ſolum naturalem: ex inſtitutione autē eam ſignificāt, vt ſacrantē & ſanctificantem, diſpoſitiuè tamen ad officia coniugij Chriſtiani, vt docēt doctores catholici. Hęc enim obligatio iungit mulierem viro, vt Eccleſiam vel partem Eccleſiæ Chriſto, & ad actum generandi atq; educādi prolem Chriſtianè, vt cum marito Chriſtianè viuat, & vas ſuum poſsideat in honore & ſanctificatione, non in paſsione deſiderij. Officium enim ad quod ordinatur ſacramentum matrimonij, ſe habet ad actū matrimonialem, vt eſt officium naturæ, ſicut actus temperantiæ, quæ virtus eſt infuſa, ſe habet ad actum temperantiæ moralis, & amor charitatis ad naturalem vel politicum. Cùm enim in nouo teſtamento eleuatum ſit matrimonium in ordinem ſpiritualium & myſteriorum, officium eius quod erat naturæ, nunc factum eſt gratiæ & ordinis gratuiti ex genere & natura ſua: Quæ autem ordinātur ad actum qui exerceri nō poteſt ex naturalibus, non committuntur niſi ſimul gratia conferatur, per quam exerceantur ſecundum eam dignitatē quam requirunt. Si obijciatur quòd hac ratione tempore legis, imò à tempore inſtitutionis matrimonium fuiſſet ſacramentum, & gratiam contuliſſet, cùm tunc etiam fuerit ad prolem religioſè in fide Chriſti venturi educandam, & ideo de genere & ordine gratuitorum & ſupernaturalium. Ad hoc doctores plurimi reſpondent, admittendo matrimonium ſemper à ſua in paradiſo inſtitutione verè ſacramentum fuiſſe, & gratiā contuliſſe, cùm ex hac inſtitutione ſemper obligati fuerint cōiuges fideles ad ea quę ſunt ſuper naturam, videlicet generare atq; educare prolem ad Dei cultū, in fide vnius Dei & mediatoris Ieſu Chriſti, ipſumq́; coniugium ab initio fuiſſe ſacramentum futuræ coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, & in ordine myſteriorum, intelligentes benedictionem, de qua Gen. 1. & 9. Benedixit eis Deus dicens, Creſcite & multiplicamini, eſſe collationem gratiæ ad viuendum religioſè in ſtatu coniugali: quam tamen benedictionē probabilius alij doctores referunt ad vim generatiuam homini collatam. Nam auibus & piſcibus ſimiliter benedixit & ait, Creſcite & multiplicamini: & apud Tobiam angelus ita eā intelligere videtur, dum dicit, Tertia autem nocte benedictionem cōſequeris, vt filij ex vobis procreentur. Et B. Auguſtinus, Ecce, inquit, quid eſt hoc, & quale myſterium? ecce benedicis homines vt creſcant & multiplicentur, & impleāt terram. Dicerem te hoc donū benedictionis homini propriè voluiſſe largiri, niſi hoc modo benedi-

Poſt. B. Thomā Ioan. Capreolus in ſolut. 1. argū. Durād diſt. 29. li. 4. ſent.

Ioā. Roffen. Rex. Ang. in Aſſert. 7. ſacramentorū. Alber. Pigh Alfonſus.

Cap. 6.

li. 13. Cōfeſſ. cap. 24.

xiſſes piſces & cetos, vt creſcerent & multiplicarentur, & implerent terras. Similiter eam interpretatur B. Thomas, qui etiam ſcribit matrimonium fuiſſe quidem in veteri lege, prout erat in officium naturæ, non autem vt eſt ſacramentum Chriſti & Eccleſiæ, quæ nōdum erat facta: Vnde & in veteri, inquit, lege dabatur libellus repudij, quod eſt contra ſacramenti rationem. Certum eſt autem quòd non ſignificabat hanc coniunctionem quaſi præſentem: ſed diſputatur apud doctores an eam repræſentabat quaſi futuram, an potius per abſtractionem à tempore, quemadmodum doctores quidam ſentire videntur, & verba Geneſ. & Apoſt. Pauli ad Epheſios pro ſe citant.

Part. 1 q. 72 ad 4. Et in 4 diſt. 26. q. 2. art. 3.

Alexand. de Hales par. 4 quaeſt. 2. Bonauētura diſ 16. 4. ſent.

Sed aduerſatur Apoſtolus Paulus, qui dicit hoc ſacramentū magnum eſſe in Chriſto & Eccleſia, non autem fuiſſe magnum: & in Chriſto Eccleſiæ iam coniuncto, atq; in eis realiter coniunctis ſecundum influentiam capitis in mēbra, & non fide ſola. Nam Chriſtus propriè caput eſt Eccleſiæ realiter & nō ſolum per fidem influendo, hoc eſt, poſtquā ex Maria eſt conceptus. Et Adam videbat matrimonium tempore aduentus Chriſti futurum ſignum huiuſmodi coniunctionis, non autem eſſe, nec antea fore. Ego autem dico, inquit Apoſtolus Paulus, in Chriſto & eccleſia, non ſolum ſignificatis, ſed realiter coniunctis tanquam capite cum ſuis membris: Nec ſolum in Eccleſia ſecundum ſe totam, verùm etiam ſecundum eius membra, quæ vniuntur per hoc ſacramentum ſecundum dilectionem capiti Chriſto. Ea enim dilectio facit Chriſtum in marito diligi quaſi ſua imagine, & Chriſti dilectionem extendit & auget. Nec conſequens eſt, quòd tempore legis & antea, apud fideles matrimonium fuerit ſacramentum, ex eo quod erat ad prolem in fide Chriſti religioſè educādam, quia hic finis erat extraneus matrimonio legali, ſed intrinſecus & per ſe finis eſt matrimonij Chriſtiani, quod eſt magnum myſterium in Chriſto & Eccleſia. Nam tempore legis cultus Dei ſiue religio, erat extra rationem matrimonij, ad quam referebatur, ſicut actus temperantiæ ad charitatem. Eſt autem intra rationem & definitionē, matrimonij Chriſtiani & Euāgelici, Diſtinguit Innocentius tertius duplicem matrimonij ſignificationem, duplicemq́; coniunctionem, Dei videlicet cum anima iuſta, & Chriſti cum Eccleſia, & vtriuſq; ſacramentum dicit eſſe matrimonium. Ait enim, Cùm duo ſint in coniugio, videlicet conſenſus animorum, & cōmixtio corporum, quorum alterum ſignificat charitatem quæ conſiſtit in ſpiritu inter Deum & iuſtam animam, ad quod pertinet illud quod dicit Apoſtolus, Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo: reliquum verò deſignat conformitatem quæ conſiſtit in carne inter Chriſtū & Eccleſiam, ad quod pertinet illud quod euāgeliſta teſtatur. Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, profectò coniugiū illud quod non eſt commixti-

ca. Debitum de bigamis.

1. Corint. 6.

Ioan. 1.

mixtione corporum conſummatū, non pertinet ad illud coniugium deſignandū, quod inter Chriſtum & Eccleſiam per incarnationis myſterium eſt contractum: Iuxta quod Paulus exponens illud quod dixerat protoplaſtus, Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea. Et propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna: ſtatim ſubiungit, Hoc autem dico magnum ſacramentum in Chriſto & eccleſia. Ex quo concludit: Cū ergo propter ſacramenti defectum inhibitum ſit, ne bigamus, aut maritus viduæ præſumat, ad ſacros ordines promoueri, quoniam nec illa eſt vnica vnici, nec iſte vnus vnius, profectò vbi deficit inter huiuſmodi cōiuges commixtio corporum, non deeſt huiuſmodi ſignaculum ſacramenti. Sicut itaq; ex primæ ſignificationis defectu, non contrahitur bigamia, ſed ex ſecundæ duntaxat: ita nec ex prima ſignificatione eſt matrimonij inſolubilitas, ſed ex ſecunda, vt nec diuinitus quidem diſpenſari poſsit ſuper matrimonij ſolutione, vel vxorum pluralitate, ſignificatione permanente. Non enim ſine grandi ſacrilegio huius myſterij fieret violatio. Concilium verò Florentinum aliter loquitur, & dicit poſt Magiſtrum Sententiarum ſacramentum matrimonij eſſe ſignum coniunctionis Chriſti cum eccleſia: eccleſia, inquam, in genere, nihil diſtinguens, imò nec mentionem faciens ſignificationis qua matrimonium ſignificat cōiunctionem Dei cum anima iuſta, quemadmodum diſtinguit Innocentius, qui reſpiciens ad ea quæ per ſe pertinebāt ad quæſtionem ſibi proroſitam, intelligit quamlibet animam iuſtam ſigillatim, vt locum habeat eius reſponſio quòd hæc ſignificatio non violatur in bigamo. Nā reuerà primo loco coniunctio quæ eſt per charitatem, eſt inter Deum & eccleſiam totam, quæ vnica Deo vnicè & inſeparabiliter per amorem adhæret, tametſi quælibet eius pars ſeparari poſsit. Ait enim Dominus, Nō te deſeram, neq; derelinquam. Huius autem ſignificationis cōſideratione myſterium ſiue ſacramētum in bigamo violaretur: hacq; contemplatione dicit Magiſter in Sentent. Bigamum eſſe, vt verè eſt, qui duas habuit vxores, quamuis alteram incognitam. (Nam Maria dicitur in euāgelio vxor Ioſeph) quia ſecundum contrahit matrimonium primo cōſummato, & impediri à ſacris ordinibus: qui hoc fallitur quòd credat quamlibet bigamiam ſiue ſacramenti defectum prohibere à ſacris ordinibus. Nam Innocentius tertius declarat ſacros canones ſolum attendiſſe coniunctionem ſiue coniugium, quod inter Chriſtum & eccleſiam per incarnationis myſterium eſt cōtractum, atq; ob huius ſignificationis defectum prohibuiſſe bigamos à ſacris, non autem an hæc coniugij facerent inſeparabilitatem: quanuis reuerà ex priori ſignificatione, cuius meminit Innocentius, matrimonium non habeat inſeparabilitatem, ſed ex ſecunda. An verò ex hac ſola, videlicet quæ eſt per incarnationem, an etiā ex alia parte, quæ eſt ſecundum charitatem inter eccleſiam & Deum, vel etiam Chriſtū caput eccleſiæ, iſta matrimonij indiſſolubilitas naſcatur, non pertinebat ad quæſtionē Innocentio propoſitam. Florentinum Conciliū propriè explicat ſignificationem quā habet matrimonium, vt eſt ſacramentum eccleſię. Hac enim ratione dicit ipſum abſolutè & indeterminatè ſignificare cōiunctionem Chriſti cum eccleſia, primo ſecūdum ſe totam (Ait enim B. Ioannes, Vidi ſanctam ciuitatem Hieruſalem nouam deſcendentē de cœlo, à Deo paratam ſicut ſponſam viro ſuo) deinde ſecundum quamlibet particularem Eccleſiam conſiderata, Deſpōdi enim vos vni viro, inquit Apoſtolus, virginem caſtam exhibere Chriſto: & tertiò quoad quamlibet animam iuſtam: atque huius ſolius meminit Innocentius 3. eiusq; coniugij, quod eſt ſecundum carnis cōformitatē, cùm hanc coniunctionem ſolum ſpectauerint ſacri Canones, dum prohibēt Bigamos à miniſterio eccleſiaſtico. Complectitur etiam hæc indeterminata coniunctio vnionē hypoſtaticam verbi cum natura humana, à qua propriè eſt matrimonij inſeparabilitas, quamuis ſit etiam quodam modo ab ea quæ eſt ſecundum charitatem Dei & eccleſiæ: & ſi interim ſacramentorum ſignificatio Chriſtum hominem magis reſpiciat. Eſt & ab ea quoque vnione quæ eſt inter Chriſtum & eccleſiam ſecundum charitatem inſeparabilis, hoc eſt à coniunctione membrorum & capitis ad inuicem: Supereminet, inquit Apoſtolus, ſcientię charitas Chriſti erga eccleſiam. Item, Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Matrimonium autem, id eſt contractus coniugalis in quo ſacramentum conſiſtit, cùm in genere ſignificet cōiunctionem Chriſti & eccleſiæ (iuxta Florentinum concilium) quæ eſt inſeparabilis, oportet quoque ipſum eſſe inſeparabile, etiam nondum conſummatum. Sacri tamen Canones de Bigamis loquentes, quoad effectum impedimenti miniſterij Eccleſiæ, reſpiciunt ſolum (vt diximus) coniunctionem Chriſti cum natura humana, quam non primo ſignificat contractus coniugalis, qui ſacramentum eſt vnum ex ſeptem, ſed primò ſignificat conſenſum animorum, per quem vir accepit poteſtatem corporis mulieris, & è diuerſo mulier viri corporis poteſtatem: & ex Chriſti inſtitutione ſignificat conſenſum Chriſti, quo ſponte & ex ſumma charitate hypoſtaticè ſe coniungere dignatus eſt naturæ humanæ: & initum eſt coniugiū inſeparabile cum natura aſſumpta, per quam Chriſtus factus eſt noſter totus, & nos Chriſti. Item & illud quod eſt ſecundum charitatem cum eccleſia tota, & cum ſingulis electis. Nam conſenſus coniugalis propriè loquendo, non ſignificat coniunctionem Chriſti & eccleſiæ, ſed voluntatem eius qua factum eſt, vt eccleſiæ coniungeretur. Significat igitur matrimonium nondum conſummatum inſeparabile

Geneſ 1. Ephef. 5. Heb. 13. Li. 3. diſt. 27 Matth. 1. Apoc. 21. 1. Corint. 11. Ephef. 3. Roman. 8.

ſeparabile myſterium, Chriſti videlicet coniunctionem cum Eccleſia in genere, atq; ita indiſſolubile eſt ex hac etiam ſignificatione vt dicere videtur Concilium Florentinum. Sed vt docet B. Auguſtinus locis iam ſtatim citatis, ſolùm in ciuitate Dei, & in monte ſancto eius, in quo ſolo oſtendit eſſe bonum ſacramenti, atque iſtam ſignificationem: & ideo non impedit ſolutionem matrimonij inter Ethnicos contracti, vbi non eſt hoc ſacramentum, nec violatur in profeſsione religionis, cũ ibi non tam diſſoluatur quàm in melius commutatur, in coniunctionem nimirum diuiniorem atque myſterium ordinis ſuperioris, hoc eſt, mutatur vinculum minus ſpirituale in aliud magis ſpirituale. Contractus itaque coniugalis, qui eſt ſacramentum matrimonij, primo ſignificat conſenſum animorum quo coniuges coniunguntur: deinde ſignificat vinculum permanens inter ipſos coniuges, atque per hoc vnionem inter Deum & animam, item inter Chriſtum & Eccleſiã: ſed ſolum in cauſa, & quemadmodum cauſa ſuum ſignificat effectum: & Apoſt. Paulus dicens, Sacramentũ hôc magnum eſt, intelligit vinculum iſtud quod ſecutum eſt coniugalem contractum, id quod vna caro eſt in coniugibus, nõ quod ipſi fiunt vna caro.

4 Cõtra Gẽtiles. ca. 78. Eſt ergo matrimonium ſacramentum nouæ legis gratiam conferens, per quam fit coniunctio animæ cum Deo, quam ſecundũ Innocentium papam ipſum coniugium ſignificat, vt coniuges non ſolum naturali, ſed diuino effectu, quo modo Chriſtus ſuam diligit Eccleſiam, & hæc viciſsim Chriſtum, ſe mutuo complectantur. Facit enim huius ſacramenti gratia cõiuges ſeſe mutuo diuino amore in Chriſto complecti. Vnde beatus Thomas, Nubentibus, inquit, per iſtud ſacramentum gratia confertur, per quam ad vnionem Chriſti & Eccleſiæ pertineant, quod eis maximè neceſſarium eſt, vt ſic carnalibus & terrenis intendant, vt à Chriſto & Eccleſia nõ diſiunganrur. Cõiunctionem autem Chriſti & Eccleſiæ ſecundum naturæ conformitatem, matrimonium non facit, ſed ſemel factæ, ſacramentum eſt. Solam enim facit coniunctionem, quæ eſt ſecũdum charitatem. Porrò ſicut vinculum iſtud coniugale diuinum eſt in Chriſtianis, ita & contractus vt ſacramentum eſt, Dei eſt inſtrumentum, quo coniuges coniungit vinculo diuino & fortiori quàm contractus cõiugalis ex ſua natura inducere poſſet. Ex quibus patet, quòd matrimonium ratum & non cõſummatum, per papam nulla ex cauſa diſſolui poteſt per diſpenſationem, tum ob Dei in paradiſo inſtitutionem, tum ob rationem ſacramenti Chriſti & Eccleſiæ, quorum vnio quæ per charitatem eſt, ſolui non poteſt: In charitate dilexi te, ideo attraxi te miſerans, ait Dominus. Pro quo facere videtur aperta ſententia in cap. Vnico & cap. Ex publico, ſuperius citatis. Et Concilium Florentinum tribuit matrimonij inſeparabilitatem contractui coniugali. Quæ ſi diligenter expendiſſet Cardinalis Caietanus, non ita contra cõmunem theologorum & B. Thomæ ſententiam ſcripſiſſet, quòd videlicet ſummus pontifex diſpenſare poteſt ſuper matrimonio rato, ſed nondum conſummato.

Hier 31.
De voto & voti redẽp. lib. 6.
De cõuerſ. coniug. quæ quoil.

Vehementer dolendum eſt, quòd tantus doctor circa materiam matrimonij in hunc & alios varios inciderit errores, de quibus alias latius. Eius argumentis facilè reſpõderi poteſt ex his quæ diximus, atque eis reſpõdet Magiſter Iacobus Almain doctor Parien. in libello qui inſcribitur, Concertatio acutiſsima, &c. Cap. 3.

Ex lege Chriſti poſitiua et euãgelica eſt matrimonij indiſſolubilitas.

Probat etiam beatus Auguſtinus in libris poſterioribus, his maximè quos ſcribit ad Pollentium, matrimonium eſſe inſeparabile ex ſpeciali & poſitiua lege, quam Chriſtus in ſua familia obſeruãdam diſpoſuit, & per quam conſtituit matrimonij inſeparabilitatem, atque vxorum excludit pluralitatem, Ait enim, Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eã mœchari, & qui dimiſſam duxerit, adulterat. Item Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam: & ſi vxor dimiſerit virũ ſuum, & alij nupſerit mœchatur. Rurſus, Præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere, quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. De quibus dicemus articulo ſequente, ad quem propriè pertinent. Matth. 5. Matth. 10. 2. Cor. 7.

Ex natura & fine contractus cõiugalis eſt eius indiſſolubilitas.

Præterea probant etiam doctores ſcholaſtici indiſſolubile eſſe matrimoniũ ex fine & natura contractus: ex fine inquam, ſecundario, vt videlicet parẽtes filijs theſaurizẽt, & per hęreditatis & bonorum dimiſsionem prouideant, quod facere nequeunt, niſi ad mortem vſque ſimul permaneant: quemadmodum docet ſanctus Thomas. Nam finis matrimonij principalis plerunque magis requirit ſeparationem, vt ſi ſterilis ſit vxor, vel ex viro concipere non poſsit, adeo vt nulla ſit ſpes prolis naſciturę (ex quo fine, Philoſophi apparens ſumpſerunt argumentum pro matrimonij ſolutione, & vxorum pluralitate) Cùm enim matrimonium principaliter ordinetur ad bonum prolis, quando inſolubilitas matrimonij prolis generationem impedit, vt ſi vir aliquis ex aliqua fœmina non poſsit prolem ſuſcipere, qui tamen alia poſſet eam ſuſcitare, & fœmina ex alio viro cõcipere, matronij huiuſmodi indiſſolubilitas magis eſſe videtur contra legem naturæ, & finem contractus, quàm ei conſentanea. Hinc inſignes quidam Philoſophi vxores ſuas reliquerunt, alij plures duxerunt vxores, ſicut diximus ex Beato Auguſtino de Catone Romano. Et Beatus Hieronymus contra Iouinianum ſcribit Ciceronem reliquiſſe Terentiam vxorem, & hanc poſt repudium nupſiſſe Saluſtio Ciceronis inimico, vt ei panderet Ciceronis arcana. Et Socrates Xantippem

In 4. diſtinct. 33. q. 2. ar. 1. et 2. Item 4. contra gentiles ca. 123.

Lib. 1.

Et Durand eadem diſt qu.1. in ſolu. 1 arg. Scotus diſt 26. q.1. Heb. 2.

tem in alium transferre. Alij contrariam ſequuntur ſententiam, quòd non requiritur ſpecialis Dei conceſsio, cum ſine ea homo poſsit ſe vēdere & ſeruum facere, ac res ſuas commutare.

Tertia propoſitio.

Varia eſt coniunctio Chriſti cum Eccleſia, ſed alia eſt Dei coniunctio cum Eccleſia vel cum anima fideli: Quæ autem eſt cum Eccleſia in genere, complectitur eam quæ eſt ſecundum charitatem, & eam quæ eſt ſecundum naturæ conformitatem, item & quæ eſt cum parte Eccleſiæ: & alia eſt coniunctio Chriſti hypoſtatica cum natura aſſumpta, ratione cuius cum Eccleſia coniungitur ſecundum naturæ conformitatem, ſecundum quā nos vocat fratres, & ſicut cōmunicamus carni & ſanguini, ipſe ſimiliter participat iiſdem.

Quarta propoſitio.

Omnium harum coniunctionum ſacramentum eſt coniugium Chriſtianum, quod ſecundum earum diuerſitatem varios etiam parit effectus. Quia autem hæreſis, adulteriū & ſterilitas non variant Dei inſtitutionem, nec ſacramenti ſignificationem, nec Chriſti legem, facere nō poſſunt, vt matrimonium, quod omnibus his rationibus ſemper eſt indiſſolubile, ſolui poſsit. Et quod Auguſtin⁹ ſuperius dixit de hæreſi & ſterilitate: itē & de adulterio, clariſsimè ꝓbat in libris quos ad Pollentium ſcribit: de quo dicemus articulo ſequenti. De hæreſi aperta eſt ſententia ſedis Apoſtolicę, de qua hoc interim dicim⁹, quod ipſa & adulterium legitimæ ſunt cauſæ, ob quas quoad thorum fiat inter coniugatos ſeparatio.

cap Quanto de diuor.

CVM ex dictis ſit manifeſtū, matrimoniū ex ſuo genere eſſe indiſſolubile, ſaltē ex Dei inſtitutione, quæ omni nationi communis eſt, & ex poſitiua Chriſti lege (quamuis in ſola eius familia ſeruetur: nam Innocētius tertius ex hac lege improbat vxorum pluralitatem) quare articulus reſtrictè loquitur de matrimonio cōtracto & cōſummato inter Chriſtianos, quaſi inter ethnicos conſummatum ſolui poſsit, vel etiam inter fideles contractum.

c. Gaudem⁹ de diuor.

Lib 2 de pœnitent. ca 2.

Cui reſpondendū, quòd reuera ſolui poteſt, & aliquādo ſoluitur matrimonium inter ethnicos conſummatum, quamuis ex ſua natura ſit indiſſolubile: Soluitur etiā quandoque inter Chriſtianos contractum. Et locum hic habet quod dicit Beatus Ambroſius, Naaman Syrus lepram mundari per aquam poſſe non credidit, ſed quod impoſsibile erat, fecit Deus poſsibile eſſe, qui tantam nobis donauit gratiam. Similiter impoſsibile videbatur per pœnitentiā peccata dimitti, conceſsit hoc Chriſtus Apoſtolis ſuis, quod ab Apoſtolis ad ſacerdotū officia tranſmiſſum eſt. Factum eſt igitur poſsibile quod impoſsibile videbatur. Et Beatus Auguſtinus ex Platone oſtendit quòd Deus facit impoſsibilia. Nam Deos ponit factos à Deo ſummo immortales, & tamen natura tales eſſe nō poſſunt, vt idem Plato fatetur Sic, inquit, reſurrectionē carnis impoſsibilem, credant poſsibilem factam, Deo promittente. Omne quidem matrimonium naturæ inſtitutione & Chriſti lege, eſt indiſſolubile, eſtque vnius cum vna: factum eſt tamen Dei indulgentia, vt patres tempore legis & ante legem irreprehenſibiliter plures habuerint vxores, & ſolueretur matrimonium, quando vxor dimiſſa cum libello repudij alteri viro nubebat, vt docent plurimi doctores. Ac tempore Euangelij matrimonium inter ethnicos contractum ſoluitur, vno facto fideli aut baptizato, nolēte altero eidē cohabitare ſine creatoris contumelia: item altero coniuge ante conſummationem profitente religionem. Factum eſt igitur apud Deum poſsibile, atque etiam ſolubile, quod prius erat impoſsibile & inſolubile. An autem hoc fiat diſpenſatione eius cuius eſt inſtitutio & poſitiua ordinatio de matrimonij indiſſolubilitate, quique naturæ eſt author: an potius ex rerum natura & qualitate, vt non tam diſſoluatur matrimonium, quàm transferatur & commutetur in melius, Deoque gratius coniugium, nempe matrimonium ethnicum & prophanū in Chriſtianum & ſpiritnale, & huius ſeculi matrimonium in alterum cum domino authore coniugium, ſicut vota omnia commutantur in votum religionis, tametſi tertij magnum concurrat præiudicium, dubium eſt de quo omnino certò conſtare non poteſt. Nam Apoſtolus Paulus nullius meminit diſpenſationis, ſed legis communis, In pace, inquit, vocauit eos Deus, & ideo ſi fidelis diſcedit, diſcedat. Non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater aut ſoror in huiuſmodi. Nec Innocentius tertius qui potius reuelationem ſpecialem & diſpenſationem diuinam reijcit, & ſecundum legem communem conſultationi reſpondet, prædeceſſorum ſuorum veſtigia eſſe ſequenda: Neque item beatus Thomas, neque veteres doctores ſcholaſtici hanc facultatem tranſeundi ad religionem referunt ad Dei diſpenſationem, quemadmodum paſsim neoterici, ſed ad naturam matrimonij non conſummati, & naturam ſolennis profeſsionis in ſancta religione. Inſinuant enim ſacri canones obſcurum eſſe hunc caſum ſecundum ſcripturas, atque ex ſanctorum vita hic colligendam eſſe veram ſcripturarum intelligentiam, ſicut ait Beatus Auguſtinus, quòd pleraq; in verbis ſcripturarum intelligere non valentes, in factis ſanctorum colligimus quemadmodū oporteat accipi, quod facile in aliam partem duceretur, niſi exemplo reuocaremur. Item B. Gregorius, Rotæ, inquit, animalia ſequuntur, quia in ſanctorum patrum vita cognoſcimus, quid in ſacræ ſcripturæ volumine intelligere debeamus. Illorum quippe actio nobis apperit hoc quod in ſuis prædicationibus pagina teſtamentorum dicit. Per modū igitur commutationis ſiue tranſitus vnius ſocietatis in aliam meliorem, ſoluitur matrimonium

li 22. de ciu Dei ca. 26.

1. Cor. 7.

cap ex parte 2. de cōuerſ. coniugat.

De mēdacio ad Cōſentiū cap 15

Homli. 10 ſuper Ezech.

trimoniū, infidelium: Item per ꝑfectionem religionis, ſine qua ſolui non poteſt matrimonium, videlicet Chriſtianorum, ſine actuali profeſsione, & infideliū coniugium ſine contractu Chriſtiani matrimonij. An verò pari voto religionem profiteri poſsint & manere coniuges, cùm ſolùm in ipſorum fauorem vinculum ſoluatur, quādo hoc eis placet, propoſito noſtro eſt impertinens. Sicuti enim in voto religionis diſſolutionis priorum votorū cauſa eſt religio: ita & hic, vel Chriſtianum coniugium. Nō enim poſſunt ſibi remittere, nec per alterum matrimonium etiam cōſummatum ſoluere priùs contractū, ſed quemadmodum in voto cauſam rationabilem adeſſe oportet, ita & hic cauſam religionis, vel coniugij Chriſtiani. Vtcunque tamen iſta ſe habeant, certum eſt & indubitatum quòd iſtis duobus modis, & nullis alijs, ſolui poteſt matrimonium ſemel contractum: Et quòd per religionis ingreſſum matrimonium non conſummatum ſoluitur, vt remanenti in ſeculo liceat alterum inire cōiugium, magis ex maiorum habetur traditione, & ſedis Apoſtolicæ doctrina, quàm expreſsis ſcripturis, vt dicit Innocentius papa, qui interrogatus ſuper hoc caſu reſpondet, *Cap. ex parte de cōuerſ. coniugat.* Etſi poſsit non inconſultè videri quòd ex quo matrimonium inter legitimas perſonas per verba de præſenti contrahitur illis viuentibus, id nullo caſu poſſit diſſolui, vt viuente reliquo, alter ad ſecunda vota tranſmigret, niſi fortè ſecùs fieret ex reuelatione diuina, quæ ſuperat omnem legem, ſicut à quibuſdam ſanctis legitur eſſe factum: Nos tamen nolentes à prædeceſſorum noſtrorum veſtigijs declinare, qui reſponderunt conſulti, antequam matrimonium ſit per carnalem copulam conſummatum, licere alteri coniugum reliquo inconſulto ad religionem trāſire, ita quòd reliquus ex tunc legittimè poterit alteri copulari, Hoc ipſum conſulimus & tibi obſeruandum. *cap. Verū de conuer. cōiu.* Et Alexander 3. clariſsimè idē docet & definit, Poſt conſenſum, inquit, de præſenti licitum eſt alteri, altero etiam repugnante, eligere monaſterium, ſicut ſancti quidam de nuptijs vocati fuerunt, dummodò carnalis commixtio non interuenerit inter eos, & alteri remanenti (ſi commonitus continentiam ſeruare noluerit) licitum eſt ad ſecunda vota tranſire, quia cum non fuiſſent vna caro ſimul effectis, ſatis poteſt vnus ad Deum tranſire, & alter in ſeculo remanere. Et retractari mandat tanquam iniquam ſententiam Epiſcopi Veronen. qua mulieri M. præcepit vt virum A. rediēs exhiberet eidem coniugalem affectum, *C. ex publico de cōuer. cō.* & renuentē parere excommunicauit. Mandamus, inquit, quatenus ſi prædictus vir ipſam carnaliter non cognouerit, & eandem ad religionem tranſire voluerit, recepta ab ea ſufficiente cautione, quod vel ad religionem tranſire, vel ad virum ſuum redire infra duorum mēſium ſpacium debeat, ipſam à ſententia qua tenetur, abſoluas, &cæt. Et addit, Sanè quod Dominus in euangelio dicit non licere viro niſi ob cauſam fornicationis, vxorem ſuam dimittere, *Matth. 5.* intelligendum eſt, ſecundum interpretationem ſacri eloquij, de his quorum matrimonium carnali copula eſt conſummatum, ſine qua confirmari non poteſt. Intelligit autem interpretationem, quæ ex alijs ſcripturæ locis, quæ de coniugibus loquuntur, quando ſunt facti vna caro, colligitur. Qui enim cognoſcit, ſiue adhæret meretrici, vna efficitur caro, vnū corpus cum ea. Fiunt igitur vna caro per copulam carnalē. Nam & alij ſacri canones clariſsimè teſtātur virum & mulierem fieri vnam carnem ſolū per carnalem ſeminationem ac commixtionem. Atque hoc ſenſu accipienda eſt Domini ſententia, vt vera ſit vniuerſaliter. Sed diligenter inquirunt doctores ſcholaſtici huius veritatis (de qua dubitare non licet) cùm ſit à ſuis principijs remotiſsima, veram & germanam rationem. Nam Durandus improbatis opinionib. tribus, ſequitur B. Thomam, Bonauenturam, & alios veteres. *Cap. Verū de conuerſ. con. &c. Martinus de cog. ſpi.* Ante carnalem copulam inquit B. Thomas, eſt inter coniuges tantùm ſpirituale vinculum, hoc eſt ſolo animorum conſenſu contractū, quamuis ad actum carnalem: ſed poſt eſt inter eos etiam vinculum carnale, & ideo ſicut poſt carnalem copulam matrimonium ſoluitur per mortem carnalem, ita per ingreſſū religionis ante carnalem copulam ſoluitur, quia religio eſt mors quædā ſpiritualis, qua quis ſeculo moriens, viuit Deo, & moritur politiæ ciuili, ad quam ſolum pertinet coniugium: ſicut ſi ſine morte transferretur in vitam cæleſtem, Matrimoniū ſolueretur, & transferens ſe ad familiā Chriſti eiq; incorporatus non amplius obligabatur, ſecundū argumētationem Apoſt. Pauli legib. Moyſi: Nec enim obligamur legibus ciuitatis quā reliquimus. Vinculum namq; matrimonij etiam non conſummati, aduerſatur vitæ religionis, & morti ciuili, in qua ſit renunciatio officij coniugalis, & ad caſtitatem obligatio. Propter mutationem igitur ſtatus in eum ſtatū qui matrimonio repugnat, & vitę ciuili ſecundum ſui exercitium & vſum matrimonium rumpitur ex conditione & qualitate operis: ſicuti mutatio ſtatus infidelitatis in Chriſtianiſmum, ſi alter cohabitare nolit ſine contumelia creatoris, &c. quæ repugnāt vitæ Chriſtianæ, ſoluit matrimoniū etiam conſummatum. Domino namq; vocāte ad religionem vel Chriſtianiſmum, hoc *diſt. 31. li. 4. Sentent.* eſt ſuum ſeruitium, rumpuntur omnia quæ impediunt. Et quamuis non ſit repugnantia ſecundum matrimonij eſſentiam, ſed vſum duntaxat, ſine quo cum fruſtra maneret vinculum, imò & cum alterius præiudicio, æquū eſt quod ipſum ſoluatur. Nec ſimile eſt de matrimonio conſummato cum ſecunda coniuge, quod priori repugnat, & tamen nō ſoluit, quia hic contrahitur & conſummatur non domino vocante, ſed cum peccato: Et eiuſdem eſt rationis matrimonium primò & ſecundò contractum, nec poſterius

adderet

adderet aliud vinculum, ſed prioris ſolam cõſummationem. Scotus verò recitatis opinionibus Alexandri de Hales, & Henrici de Gandauo circa rationem huius veritatis, In matrimonio, inquit, rato, etiam ſi contrahens intendat non conſentire in carnalé copulam, ſed ſtatim ad religionem auolare, ante conſummationem nõ eſt accommodatio, ſed permutatio poteſtatis, non ad tempus, ſed pro vſu perpetuo, alioquin nõ eſſet verè matrimonium nouæ legis: Et ex datione iſta oritur vinculũ indiſſolubile, niſi per mortẽ naturalem alterius cõiugum, vel per reuocationem ſeu relaxationẽ illius qui ſtatuit hoc eſſe ſic indiſſolubile. Chriſtus autẽ qui iſtam indiſſolubilitatem induxit Matthæi 19. reprobans pro lege ſua repudiũ Moſaicum, ipſe relaxauit iſtam indiſſolubilitatẽ, quando alter coniugum cõuertitur ad religionem: & iuſta ratione, quia rationabile eſt obligationem ad minus bonum commutari in obligationem ad maius bonum, ab eo qui habet authoritatem commutandi: Profeſſio autem in religione, eſt obligatio ad maius bonum. Verùm ſecundum nunc dicta, nõ eſt hic opus ſpeciali authoritate Chriſti, ſed obligationũ habita ratione, minor tranſire poteſt in maiorem, ſicut propria cuiuſq; authoritate omnia vota commutantur in votum religionis. Reus enim fracti voti aliquatenus non habetur, inquit Alexander 3. qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur religionis obſeruantiam commutare. Nam præmium in præſenti quidem centuplum, in futuro autẽ vitam ſempiternã pollicetur Domin⁹ relinquenti vxorem, quam propterea laudabiliter relinquere cõtingit, ſed in altero horum caſuum duntaxàt, ante cõſummationem videlicet altero religionẽ amplectente, vel infideli nolente ad fidem conuerti. In huiuſmodi enim quæſtionibus obſcuris recurrere oportet ad ſententiã ſedis Apoſtolicę, cui Petro permiſſa eſt in officio aſsiſtentia, ne fallatur, quãdo Chriſti vicarius ex animo quærit veritatẽ. Ego, inquit, pro te rogaui Petre, vt nõ deficiat fides tua: Et tu aliquãdo conuerſus, confirma fratres tuos, confirma fratres nutantes, doce dubitantes, fungere tu officio tuo, ego pro te rogaui, non deficies in alicuius muneris tui functione.

De voto & voti redẽp. ca. Scripturæ.

Lucæ 22.

Multum lucis accedit huius veritatis declarationi ex Apoſtolo Paulo, qui docet cauſa religionis Chriſtianę ſolui matrimoniũ conſummatũ altero infidelium ad fidem cõuerſo. Ex ſanctorum quoque exẽplis, de quibus Gratianus & Magiſter ex B. Hierony. ſcribunt. Et quia ſanctus Macharius & Alexius quorum meminerunt, nõ leguntur profeſsi vitam religionis, ſed hæremiticam, per quã renunciatur huic ſeculo, ſicut per religionem, B. Thom. Bonauent. Petrus de Palude, & plures alij docent matrimonium non conſummatũ ſolui per vitæ hæremiticæ profeſſionem: ſed moderni Canones declarant ſolam profeſsionem religionis ſecundum regulam approbatã ſoluere huiuſmodi matrimoniũ. Et quãuis alij viri ſancti reliquerint vxores etiã carnaliter cognitas, ſicut Theonas religionis cauſa cognitam ſuam vxorem dimiſit. Et Paulus Simplex vxorem videns adulterantem ſine eccleſiæ iudicio, eam reliquit, ambo hæremũ ingreſsi: horũ tamen exempla nunquam ſequenda eſſe, Eccleſia docuit, ſed vel dãnauit, vel priuata lege eos ductos eſſe credidit. Quiſquis autẽ priuata lege ducitur, nulla ratio exigit (quemadmodum ſcribit Vrbanus papa) vt lege publica conſtringatur. Dignior eſt enim lex priuata quã publica. Item Imperator Theodoſius religionis cauſa matrimonia conſummata ſolui cõſtituit, imò & Romani quidã pontifices matrimonia nõ conſummata tolli crediderunt per ſequens conſummatũ. Omnia tamen iſta ſemper improbauit Eccleſia, & eorum duntaxat qui ſeculo renunciauerunt, exempla probauit, atque ſcripturis docet eſſe conſentanea.

1. Corint. 7.

dist 27 q. 2. ca. Scribit

diſt. 27. li. 4.

ca Ex Parte

ca Ex publico de conuerſion. coniuga.

cap. vnico de voto & voti redemp.

Ioann Caſsianus collat. 21 ca. 9. et 10.

19 qu. 2. ca. Due ſunt.

ca. Licet de ſponſa duorũ

diſt. 10 c lege Imperator.

Ex quibus manifeſtè ſequitur, quòd nõ ſtatim poſt contractum matrimonium coniuges debitum reddere obligantur, ſi meditantur de religionis ingreſſu. An tamen ſit ſimpliciter tranſlata poteſtas corporum cum facultate excipiendi cõtra exigentem, ad certum tempus, quod Canones dicunt eſſe duorum menſium, an ſolum tranſlata ſit ſub modo & conditione, quaſi in ipſo contractu cõtentis atque intellectis, manente ſcilicet ſtatu ciuili, vt docent B. Thomas & Bonauentura, non multum in ipſa re adfert differentiæ. Quòd autem matrimonium huiuſmodi non ſaluatur per ſuſceptionẽ ordinis ſacri, quamuis annexum habeat votũ cõtinẽtię, ſicut ſoluitur per profeſsionẽ religionis approbatæ, declarauit Ioannes, 22. in extrauagante, Antiquæ concertationi.

27. q 2. ca. Sunt qui dicunt & ca. Agatoſa.

cap. Ex publico de conuerſio. cõiug.

de voto & voti redẽp.

QVòd matrimonium inter infideles, hoc eſt non baptizatos cõtractum ſoluitur, vno ad fidem cõuerſo, ſi alter nolit cohabitare, vel non ſine contumelia creatoris, docet Apoſtol⁹ Paulus, Si quis frater, inquit, habet vxorem infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, nõ dimittat illã: Et ſi qua mulier habet virũ infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat illum, Quòd ſi infidelis diſcedit, nolens ſcilicet cohabitare, vt oportet (Nã opponitur ei quod dixit prius, Et hic conſentit habitare cum illa) diſcedat, non moueas ei litem ad retinendum, quamuis iure hoc facere poſsis. Nam in pace vos vocauit dominus, non ad litem. Nõ enim ſeruituti ſubiectus eſt frater aut ſoror in eiuſmodi, ſupple, euentu. Intelligit autẽ Apoſtolus cum fidelem qui baptizatus eſt ve fidelis dicatur à fidei ſacramento, non à fide catholica: & infidelem eum vocat, qui baptizatus non eſt, quamuis inſtructus plenè ſit fidelis & credat. Nam matrimonium inter catechumenos contractum ſi alter baptizetur, & alter nolit cohabitare, matrimonium diſſoluitur, vt indicat cap. Quanto, de diuortijs: Sed contractum inter hæreti-

1. Corint. 7.

cos altero ad fidem conuerſo, ſolui non poteſt. Propter quod maior hic reſpectus habetur baptiſmi, quàm propriè infidelitatis: & ideo dicit Innocentius 3. Et ſi matrimonium verum inter fideles exiſtat, non tamen eſt ratum: inter fideles autem verum & ratum exiſtit, quia ſacramentũ fidei quod ſemel eſt admiſſum nunquam amittitur, ſed ratum efficit coniugij ſacramentum, & ipſum in coniugibus illo durante perducet. Quando autem ſoluatur hoc matrimonium, an tunc primum quando ſecundum initur coniugium quod eſt veriſimilius, an antea, in vtramque partem diſputant doctores ſcholaſtici. Hoc ſenſu interpretatur Apoſtolum Paulũ B. Ambroſius: Si infidelis, inquit, odio Dei diſcedit, fidelis non erit reus diſſoluti matrimonij. Maior enim cauſa Dei eſt quàm matrimonij. Non debetur reuerentia coniugij ei qui horret authorem coniugij. Non enim ratum eſt matrimonium, quod ſine Dei deuotione eſt, ac per hoc non eſt peccatum ei, qui dimittitur propter Deum ſi alij ſe nupſerit. Contumelia enim creatoris, ſoluit ius matrimonij circa eũ qui relinquitur, ne accuſetur alij copulatus. Nam ſi Eſdra dimitti fecit vxores aut viros infideles, vt propitius fieret Deus nec iratus ſi alias ex genere ſuo acciperent. (Nõ enim ita præceptum his eſt, vt remiſſis iſtis aliaſ minimè ducerent) quãtò magis ſi infidelis diſceſſerit, liberum habebit arbitrium ſi voluerit nubere legis ſuæ viro. Tractant hanc ſententiam Magiſter Sent. & Gratianus. Qui autem dicunt ex verbis Pauli non clarè haberi hunc ſenſum, videlicet quod ad fidem conuerſo aliam vxorem ducere liceat dimiſſa priori infideli, nõ ſatis penetrare videntur deductionẽ & collationem ſententiæ eius cum præcedentibus. Præmittit enim ſe hęc dicere cõſulendo, non per dominum pręcipiẽdo, cùm ait, Cęteris ego dico non dominus, vt vxor maneat apud infidelem volentem cohabitare quod ſi diſceſſerit nolens cohabitare, iam non dicit, Maneat innupta, ſed quòd ſoror non eſt ſubiecta ſeruituti, illi nimium quæ relatiuè reſpicit poteſtatem, de qua ſuperius dixerat. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet. Si enim intelligeretur de ſeruitute ſequẽdi virum, ei cohabitandi, vel officia coniugalia præſtandi, hac etiam non obligatur viro infideli cohabitare volenti, quia dominus hoc non præcipit, ſed Apoſtolus duntaxat conſulit. Intelligitur igitur ſeruitus vinculi coniugalis, qua corpus ſuum viro communicare tenetur. Nulla itaque tenetur ſeruitute, nullo vinculo, quod rumpere non poſſit, ſi matrimonium cum Chriſtiano contrahere velit. Aequiualent enim, Nulli ſeruituti ſubiecta eſt, &, Non eſt ſubiecta ſeruituti. Nec dubitatio aliqua, vel ſcrupulus haberi debet de hac intelligentia verborum Apoſtoli, quãdo hæc ipſa in ſacris canonibus eſt approbata & confirmata. Dicit enim Innocentius 3. Qui ſecundũ ritum ſuum legitimam repudiauit vxorem, cùm tale repudiũ veritas in Euangelio reprobauerit, nunquam ea viuente licitè poterit aliam etiam ad fidem Chriſti conuerſus habere, niſi poſt conuerſionem ipſius illa renuat habitare cũ ij ſi, aut etiam ſi conſentiat, non tamen abſque contumelia creatoris, vel vt eum pertrahat ad mortale peccatum. In quo caſu reſtitutionem petenti, quamuis de iniuſta ſpoliatione conſtaret, reſtitutio negaretur, quia ſecundum Apoſtolum frater aut ſoror non eſt in huiuſmodi ſubiectus ſeruituti. Ex quibus & ex Apoſtoli Pauli deductione patet, quòd ſoluitur matrimoniũ, quando aliquis fideliũ baptizatus aliud cõtrahit cum Chriſtiana, cùm coniunx infidelis cohabitare recuſat, prophano matrimonio tranſeunte in Chriſtianum, quod eſt ſacramentum ac typus coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ. Si autem cohabitare velit quemadmodum oportet, quamuis baptizari vel Chriſti fidem ſuſcipere nolit, cum alio cõtrahere non poteſt: nec tamen cohabitare obligatur, quia de eo non eſt præceptum Domini ſed tantùm conſilium Apoſtoli Pauli, quemadmodũ docet Auguſtinus circa ſerm. domini in monte, & in lib. ad Pollentium, & concorditer beatus Thomas cum doctoribus ſcholaſticis. Et ſi quis eſſet de hac Apoſtoli intelligentia ſcrupulus, cum eximunt ſacri Canones, qui hoc ſenſu eadem hac Apoſtoli ſententia vtuntur.

Margin notes (left): Ca. Quanto de diuortiis. — Diſt 19. l. 4. ſenten. — In cõment. 1. Corint. 7. — Diſt. 39. li 4 — 2?. qu 2. — Caietanus et Caſpar minorita.

Margin notes (right): Lib. 1. — Li 1. ca. 13 & 18 & 20. diſtin. 36.

Aduerſus hunc articulum multa obijciunt aduerſarij, & inter eos Ioannes Caluinus probare conatur matrimonium non eſſe ſacramentum contrahentibus gratiam conferens. Ait enim. *(In inſtitutio. ca. 19 para. 39.)*

Caluinus. *Poſtremum eſt matrimonium (quod inter ſacramenta noua legis numerant) quod vt à Deo inſtitutum fatentur omnes, ita pro ſacramento datum nemo vſque ad Gregorij tempora viderat. Et cui vnquam ſobrio in mentem veniſſet? Ordinatio Dei bona eſt & ſancta. Et agricultura architectura, tonſtrina. ſutrina, ordinationes ſunt Dei legitima, nec tamen ſacramenta ſunt: Id enim non tantùm in ſacramento quæritur, vt Dei ſit opus, ſed vt ſit cæremonia exterior, à Deo poſita ad confirmandam promiſſionem. Nihil tale eſſe in matrimonio, pueri quoque iudicabunt.*

Reſponſio. Matrimonium & coniunctionem Adæ & Euæ, id eſt, viri & mulieris, inſtitutam eſſe, vt tempore nouæ legis eſſet ſacramentũ magnum, docet Apoſtolus Paulus ex verbis Geneſios, ac propterea vxorem debere viro ſuo ſubiectam eſſe quaſi Chriſto, viros autem diligere vxores ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, vt verus typus Eccleſiæ ſit vxor, & Chriſti maritus, ſicuti eorum coniugium magnum eſt myſterium, magnuſque typus coniunctionis Chriſti cũ Eccleſia: Nec Chriſtianis ſufficit ſubiectio aut amor coniugalis, qualis eſt apud ethnicos. Et ante tempora Beati Gregorij ducentis annis, multa ſcripſit Beatus Auguſtinus ex verbis Apoſtoli Pauli de ſacramẽto quod eſt in matrimonio: *(Ephes. 5. Gen. 2. — de bono coniug. cap. 7.)*

Quem,

Quem, inquit, non faciat intentum quid ſibi velit tanta firmitas vinculi coniugalis, vt nec cauſa fornicationis, nec procreandi ſolui poſsit, niſi quoddam ſacramentum adhiberetur? Super quo plures eius ſententias ſupra citauimus ex libro de bono coniuga. & de nupt. & concupiſ. Hoc autem ſacramentum de quo Apoſtolus Paul. & B. Aug. multa ſcribunt, & ſi propriè non ſit vnum ex ſeptem ſacramentis quæ gratiam conferunt, ſed vinculum ſiue coniunctio maritalis quę contractum ſequitur coniugalem, qui eſt vnum ex ſeptem ſacramentis gratiā conferentibus, quia tamen ex hoc contractu naſcitur hæc obligatio, vinculum & coniunctio coniugalis quę eſt ſacramentū magnum in Chriſto & Eccleſia, ideo hunc contractum eſſe oportet ex Chriſti inſtitutione ſacramentum gratiam conferens, cùm obligationem inducat ad ea quæ ſunt ſupra naturam, & magnū iſtud myſterium efficiat: Quemadmodum autem efficit cōiunctionem maritalem, quę ſignificat coniunctionem Chriſti cum Eccleſia ſecundum affectum, quamdiu non eſt cōſummatum, ita accedente copula efficit coniugium, quod ſignificat coniunctionem Chriſti cum natura hypoſtaticè aſſumpta. De hoc ſacramento cum multa ſcripſerit B. Auguſt. & Apoſt. Paulus, nec dubium quin & ſobrij: mirandum quòd Caluinus dicat nulli ſobrio vnquam in mentem veniſſe matrimonium datum eſſe pro ſacramento. Omnes enim veteres interpretantur ſacramentum hoc magnum, de quo Apoſtolus, eſſe coniunctionem maritalem viri & vxoris. Ex quo oſtendimus neceſſariò ſequi contractum coniugalem verè eſſe ſacramentum nouæ legis conferens gratiam. Nec matrimonium, vt cauillatur Caluinus, ſolum eſt ordinatio Dei bona & ſancta, ſicut agricultura, ſutrina, & tonſtrina Dei ſunt ordinationes legitimæ, ſed peculiarem habet inſtitutionem, vt eſſet, non ſolum in officium prolis multiplicandæ, de quo, Creſcite & multiplicamini: &, Non eſt bonum hominem eſſe ſolum: verùm vt aliquando eſſet
Gene 2. myſterium magnum, de quo Adam ſecundum Apoſt. Paulum prophetauit, Hoc nunc os ex oſsibus meis, &c. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit
1. Corint. 7. vxori ſuæ, vt ſint duo in carne vna. quod Apoſtolus interpretatur nō ſolum ſacramentum eſſe, ſed magnū eſſe in Chriſto ſacramētum & Eccleſia. Quid tale ſcriptura dicit de tonſtrina, vel ſutrina? Non videtur Caluinus agnoſcere aliud matrimonium, quàm ethnicum, quod eſt in naturæ officiū. Agricultura & tonſtrina facultates ſunt, non officia quæ obligationem ex Dei inſtitutione ad obſequia diuina ac myſtica adducunt, ſicut contractus coniugalis ad proles Chriſtianè educandas, Chriſtianoque affectu ſe complectendos. Abſurdum igitur eſſet ſi illa dicerentur eſſe ſacramenta. Scripturis autem maximè eſt conſentaneum matrimonium eſſe ſacramentum, cùm ſit officiū naturæ ſublimatum, vt iam magnum ſit ſacramentum, ex quo conſequenter factum eſt, vt ſimul ſit etiam cęremonia exterior, quum cæremonia ſit quicquid ad Dei cultum pertinet. Eſt ergo contractus matrimonialis inter Chriſtianos celebratus, cæremonia exterior a Deo inſtituta ad obligandum coniuges, vt Chriſti ciuitatem eiuſq; rempub. conſeruent & propagent, prolemque ſoli Chriſto generent atq; inſtituant: Quo quidem contractu eorum animi inter ſeſe iunguntur, non tantum affectu maritali, ſed diuino, vt in viro ſubiecta ſit mulier Chriſto, & in Chriſto amet maritus vxorem, & ſic ſint vna caro, vnus homo, cor vnum & caro vna in Chriſto Domino. Eſt igitur verè ſacramentum vnum ex ſeptem quæ gratiam conferunt. Repetit hic ſuum errorem Caluinus, quòd ſacramenta ſunt ad confirmandam promiſsionem, cùm ſint potius ad præſtandam gratiam ea ipſa ſuſcipientibus promiſſam. De quo errore multa diximus articulo primo, & alibi.

Caluinus. *Sed ſignum eſt, inquiunt, ſacræ rei, hoc eſt, ſpiritualis coniunctionis Chriſti cum Eccleſia. Si verbo Signi ſymbolum intelligunt à Deo nobis in hoc propoſitum, vt fidei noſtræ certitudinem erigat, longè à ſcopo aberrant. Si Signum ſimpliciter accipiunt, quòd in ſimilitudinem adductum ſit, oſtendam quàm acutè ratiocinentur. Paulus ait, Sicut ſtella à ſtella differt in claritate, ſic erit reſurrectio mortuorum: En vnum ſacramentum. Chriſtus ait, Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis: En alterum.*

Reſponſio. Non ſophiſtæ vt ait Caluinus, hoc dicunt, ſed Apoſtolus Paulus dicit matrimoniū eſſe ſignum ſacræ rei, imò & magnum ſignum magnumq; ſacramentum: nec ſolum ſpiritualis, verùm etiam carnalis ſiue corporalis coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, de qua Ioānes Apoſtolus, Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Nam plenitudo diuinitatis corporaliter ipſum inhabitat, eſtque verum ſymbolum & ſacramentum, in hoc à Chriſto propoſitum, vt erigat fidei noſtræ certitudinem de cōiunctione Chriſti & Eccleſiæ per amorem inexplicabilem & naturæ cōformitatem. Fidem quoq; erigit, quòd ſancto & ſyncero amore per gratiam huius ſacramenti coniuges inter ſe vinciuntur & colligantur, ſicut naturali amore per cōtractum coniugum naturalem. Et quia eſt ſacramentum magnum, & contractus eſt à Chriſto inſtitutus, vt hoc ipſum repręſentaret, & amore Chriſtiano coniugum animos cōiungeret, nihil cum eo ſimile habent, quorum hic meminit Caluinus, quæ in ſimilitudinē & ſecundum tropum in ſcripturis dicuntur. Nec ſacramenta appellari poſſunt quæ ex ſua inſtitutione gratiam non conferunt, vt in Chriſto ſanctè viuamus. Coniugibus autem Dominus talentum largitur, quo vas ſuum in honore & ſanctificatione poſſideant, & nuptiæ ſint honorabiles, ac thorus immaculatus. Alia eſt ſignificatio parabolarum

Cap. 1. (margin, beside "diuinitatis corporaliter")

cap de mul titudine ſen ſuum ſcriptu ra ſacra. larum & ſimilitudinum quibus ſcriptura vtitur, quam matrimonij atq; baptiſmatis, reliquorumq; ſacramentorum. De quo M.N. Ioannes Driedo prolixè agit, lib. de Eccleſiaſt. dogmat.

Caluinus. *Verba tamen Pauli obtrudunt, quibus ſacramenti nomen matrimonio attribui dicunt, magnum hoc myſteriũ. Sed ne quis Amphibologia falleretur, exprimit ſe non de carnali viri & mulieris coniunctione loqui, ſed de ſpirituali Chriſti & Eccleſiæ coniugio. Et ſanè verè magnum myſterium, quòd ſibi Chriſtus coſtam detrahi paſſus eſt, vnde formaremur, hoc eſt, cùm fortis eſſet, debilis eſſe voluit, quo ſua fortitudine roboraremur.*

Reſponſio. Torquet hic Caluinus Apoſtolum Paulũ, vt verba, Sacramentum hoc magnum eſt, referantur ad ea quæ ſequuntur contra omnium veterum interpretationem, B. Hieronymi, Nazianzeni, Chryſoſtomi, Oecumenij & Theophylacti, Græcorum pariter & Latinorum, qui concorditer interpretantur magnum eſſe ſacramentum in eo, quòd maritus relictis parentibus perpetua conſuetudine domeſtica ſic agglutinetur vxori ſuæ, vt ſint duo in carne vna, & duo fiant quaſi vnus homo, tum propter animorum cõcordantiam, tum propter corporum commixtionem. *In commẽt. ad Epheſ.* Hoc interpretatur D. Paulus magnum eſſe ſacramentum coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ, huiusque fuiſſe prophetiam. Nam eundem hunc locum interpretans Theophylactus, Hoc eſſe, inquit, magnum quiddam & admirandum D. Moyſes indicauit. Reuerà enim myſterium eſt, vt eos qui ipſum genuerint, qui ob ipſum multas erumnas paſsi fuerint, quiq; in ipſum innumera beneficia contulerint, deſerat quiſpiam, & agglutinetur ei, quam nunquam antea cõſpexerit, neque quicquam boni antea ſit orſa, vel in ipſum contulerit. Ingens enim reuerà hoc myſterium eſt, interim tamen ad Chriſtum, inquit, ego hoc refero, quippe quod prophetico ſpiritu de eo dictum ſit. Etenim & ipſe dimiſit patrem, non locali tranſitu, ſed condeſcenſu ad carnem, venitq; ad puellam, ad ſponſam quæ ipſum nunquam agnouerat, factusq; eſt cum ipſa vnus ſpiritus. Qua igitur ratione matrimoniũ culpatur, vbi Paulus ipſum ad myſterij Chriſtum concernentis exemplum producit, ipſum etiam myſterium vel ſacramentum nominans? Quòd B. Auguſtinus ſacramentũ hoc magnum dicit eſſe matrimonium, ex locis iam ſupra citatis eſt manifeſtum. Peruertit igitur Ioannes Caluinus ſententiam Pauli, quando dicit eũ loqui de ſpirituali Chriſti & Eccleſiæ coniugio, ipſumq; demonſtrare cùm dicit Sacramentum hoc magnum eſt, & non quod præcedit ex Geneſi ſiue carnalem viri & mulieris coniunctionem.

Caluinus. *Matrimonium ſacramenti titulo commendatum, immunditiem poſtea & pollutionem, & carnales ſordes vocare, quàm vertiginoſa eſt leuitas. Quam abſurdum eſt arcere à ſacramento ſacerdotes. Si à ſacramento ſe arcere negent, ſed à coitus tantùm libidine, non ita mihi elabuntur. Nam & coitum ipſum partem eſſe ſacramenti tradunt, eoq; demum figurari vnionem quæ nobis eſt cum Chriſto, in naturæ conformitate, quia vir & mulier non niſi carnali copula vna caro fiunt.*

Non matrimonium nec eius ſacramentũ, immunditiem vel carnales ſordes vocamus. *Reſponſio.* Non enim ſacramentũ eſſe poteſt, quod pollutum eſt, quodq; ſanctum non eſt: ſed ſequendo ſcripturas actum venereum immunditiem, pollutionem, & carnales ſordes vocamus, propter admixtam libidinem, quæ rationem abſorbet. Ait enim B. Auguſtinus, *Li. 1. Soliloquiorũ c. 10.* Non eſſe ſentio quod magis ex arce deijciat animum virilem, quàm blandimenta fœminæ, & cõtactus ille corporum. Et de ciuitate Dei, *Li. 14. c. 16.* Ea, inquit, ſequitur voluptas, quãdo partes corporis excitãtur, qua maior in corporis voluptate nulla eſt, ita vt momento ipſo tẽporis, quo ad eius peruenitur extremũ, penè omnis acies & quaſi vigilia cogitationis obruatur. Et Ariſtoteles dicit in actu venereo *6. Ethico.* tantam eſſe delectationẽ, quæ rationem ita abſorbeat, vt impoſsibile ſit in ea aliquid intelligere: Quod ipſum vt docet B. Auguſt. pœna eſt peccati, non culpa. Et immunditiem eſſe actum venereum etiam in cõiugatis probat B. Hieronymus, Ad Dauid, inquit, fugientem ab Achimelec ſacerdote *Li. 1 aduerſus Iouinia.* dictum eſt, Si mũdi ſunt pueri ab vxoribus: & ille reſpondit, Ab heri & nudiuſtertius. *1. Reg. 21.* Panes enim propoſitionis quaſi corpus Chriſti, de vxorum cubilibus cõſurgentes edere non poterant. Et nobis in tranſitu, inquit, eſt contemplandum quod dixit, Si mundi ſunt pueri ab vxoribus, videlicet quòd ad munditias corporis Chriſti omnis coitus immũdus ſit. Item Auguſtinus explicans locum Apoſtoli, Quæ inhoneſta ſunt noſtra. Abſit, inquit, vt inſit membris ſanctorum etiam genitalibus aliqua turpitudo: Dicũtur quidem inhoneſta, propter legem in membris repugnantem legi mentis quæ de peccato accidit, non de prima noſtræ inſtitutione naturæ. Illicitus itaque & temperantiæ legibus non ſubiectus membrorum illorum vſus eſt turpis, non ipſa membra. Hinc & Apoſtolus Paulus, Virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt *1. Corint 12.* ſit ſancta corpore & ſpiritu. Et in Leuit. a- *Lib. 29 contra Fauſtum c. 4. Et 2. retractationũ. cap. 7.* ctum venereum vocat ſcriptura turpitudinem eiusq; organum, quando dicit, Turpitudinem materteræ & amitæ tuæ non diſcooperies. Omnis nãq; inordinatio & immoderatio actus venerei eius eſt turpitudo. *1. Corint. 7. ca. 18. et 20.* A matrimonio itaq; arcentur ſacerdotes, vt ſine impedimẽto Dominum obſecrare poſsint, & abſque ſollicitudine eorum quæ mundi ſunt, liberi viuant & placeant ſoli Deo. Ait enim B. Apoſtol. Paul. Volo vos ſine ſollicitudine eſſe: Qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt quæ domini ſunt, quomodo placeat Deo. Ad id quod honeſtum eſt vos ꝓuoco, & quod facultatem prębet ſine impedimẽto Dominũ

obſecrandi

Li. 1 aduerſus Iouinia. obſecrandi. Vnde B. Hieron. Si laicus & quicunq; fidelis orare nõ poteſt, niſi careat officio cõiugali, ſacerdoti cui ſemper pro populo offerẽda ſunt ſacrificia, ſemper orãdũ eſt: Si ſemper orãdum eſt, ergo ſemper carendũ matrimonio. Nam & in veteri lege, qui pro populo hoſtias offerebant, non ſolum in domibus ſuis nõ erant, ſed purificabãtur ad tẽpus ab vxoribus ſeparati. Et B. Ambroſius, *In commẽt. ad Timot.* Si plebis hominib. inquit, orationis cauſa abſtinere ſe præcipit, vt vacent orationi, quãtò magis Leuitis, aut Sacerdotibus, quos die noctuq; pro plebe ſibi cõmiſſa oportet orare. *Clemẽt. pri. de conſan. et affinit.* Mundiores ergo eſſe debent cæteris, quia actores Dei ſunt. Propter quæ non ſolum à coitus libidine, ſed à ſacramento ipſo matrimonij arcentur ſacerdotes, vt non liceat eis contrahere: & contrahentes quamuis nulliter, excõmunicantur. Et quid, obſecro, incõmodi quod coitus pars ſacramenti, & ſine eo nõ ſit perfecta ſignificatio? Hoc enim clariſsimè docet Sanctiſsimus Leo Põtifex, *Epiſt 70. ad Ruſticũ Narbonen. epiſc.* Cũ ſocietas nuptiarum ita à principio ſit inſtituta, vt præter cõmixtionem ſexuum nõ habeat in ſe Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum, non dubiũ eſt illam mulierem non pertinere ad matrimoniũ, in qua docetur nõ fuiſſe nuptiale myſterium. Citant & alias patrum ſententias Magiſter Sentent. & Gratianus pro hac ſententia. Et cùm opere perficiatur in ſexuum cõmixtione ſocietas coniugalis *Diſt. 17. li. 4. 27. quaſt. 2.* carnali copula, qui prius cõiuncti erant, perfectius ſunt vnũ, & quaſi vna caro. Ita enim vnam carnem coniuges fieri interpretantur ſacri canones.

Caluinus. *Quanquam duo ſacramenta quidam eorum hic repererunt, alterum Dei & animæ in ſponſo & ſponſa, alterum Chriſti & Eccleſiæ, in marito & vxore: Vtcunque, coitus tamen ſacramentum eſt, à quo vllum Chriſtianum arceri nefas fuit. Niſi fortè Chriſtianorum ſacramenta adeo malè conueniunt, ſtare vt ſimul non poſſint. Eſt & altera in eorum dogmatibus abſurditas, in ſacramento conferri gratiam ſpiritus ſancti affirmant: coitum tradunt eſſe ſacramẽtum, in coitu negant vnquam ſpiritum ſanctum adeſſe.*

Reſponſio. Non tam duo dicimus hic eſſe ſacramenta, quàm idem ſacramentum cõſummatum. Et cùm in Eccleſia miniſteriorum magna ſit diuiſio, & vnum aliud impedire poſsit, dicente Apoſtolo Petro, *Actor. 6.* Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare mẽſis, & ſacramentum matrimonij obligationem inducat ad cogitandum quæ ſunt mundi, de quibus facit maritum ſollicitum, atq; in ſeipſo diuiſum, nõ conuenit ſacerdotib. qui inter Deum & homines ſunt conſtituti, vt offerant dona & ſacrificia pro peccatis, orentq; perpetuo pro populo. Nec vlla eſt abſurditas in eo quòd docemus gratiam Spiritus ſancti conferre in ſacramento matrimonij, hoc eſt, in contractu coniugali. Ea enim neceſſaria eſt, vt coniuges legitimè ſuo fungantur officio, & ſeſe mutuo in Chriſto ament. Fallitur hic Caluinus, quòd coitum credat eſſe ſacramentum, in quo ſpiritus ſancti gratia confertur. Diximus enim ſacramẽtum matrimonij eſſe contractum coniugalem, nõ coitum nec vinculũ: quemadmodũ etiam ſacramentum baptiſmi conſiſtit in lotione cum verbis Euangelicis: ſic matrimonij ſacramentum in ipſo coniugũ cõtractu, hoc eſt, in verbis, quibus ſuo conſenſu tranſferunt mutuam corporum poteſtatẽ ad prolis generationem. Nec nos primi negamus ſpiritum ſanctum in coitu conferri, ſed ante nos Origenes & reliqui patres. Et quid mirum quòd tunc nõ conferatur gratia, quando ratio hominis omnino eſt abſorpta? *Hom. 6. ſuper Nume.* Odioſe tamen refert Origenis ſententiã Caluinus, qui non negat in coitu ſpiritum ſanctum adeſſe, ſed negat eũ dari. Ait enim, *Loco vt ſup.* Cõnubia quidem legittima carent quidem peccato, nec tamen tempore illo quo coniugales actus geruntur, præſentia ſancti ſpiritus dabitur, etiam ſi propheta eſſe videatur, qui officio generationis obſequitur. Adeſt enim ſpiritus ſanctus coniugibus, quãdo ſola ſpe prolis conueniunt.

Caluinus. *Dum ex matrimonio ſacramentum fecerunt, nihil aliud quàm abominationum latebram quæſierunt. Vbi enim id ſemel obtinuere, coniugalium cauſarum cognitionem ad ſe traxerũt, quippe res ſpiritualis erat prophanis iudicibus non attrectanda. Tum leges ſanxerunt, quibus tyrannidem ſuã firmarunt, ſed partim in Deum manifeſtè impias, partim in homines iniquiſsimas: quales ſunt, vt coniugia inter adoleſcentulos parentum iniuſſu contracta, firma rataq; maneant: ne inter cognatos ad ſeptimũ vſq; gradum legittima ſint matrimonia, & quæ contracta ſunt diſſoluantur.*

Reſponſio. Docet Origenes ſuo tempore ad Epiſcopos pertinuiſſe cognitionem in cauſa matrimonij. Scio enim, inquit, quoſdam qui præſunt Eccleſijs, extra ſcripturam permiſiſſe aliquam nubere, viro priore viuente: Et contra ſcripturam quidem fecerunt, dicentem, Mulier ligata eſt quanto tempore viuit vir eius. Et ſecularem poteſtatem haberi cognitionem in cauſa ſacramẽti & myſterij regni cælorum, aut Chriſti & Eccleſię, omnino abſurdũ eſt. Naturalis namq; eſt eius poteſtas & iuriſdictio: & ideo ſe extendere non poteſt ad cauſas quæ naturam eiuſq; facultatẽ ſuperant. Quid tamen in cauſa matrimoniali facultas ſecularis poſsit, tractat B. Thomas *Diſt. 34. q. 1. art. 1. ad 4. argumentũ. Et diſt. 30 q. 1 art. 2. ad 3. lib. 4. c. 79.* lib. 4. Sentent. & lib. 4. contra Gentiles, vbi ait, Conſiderandum eſt quòd quãdo aliquid ad diuerſos fines ordinatur, indiget habere diuerſa dirigẽtia in finem, quia finis eſt proportionatus agenti: Generatio autem humana ad multa ordinatur, ſcilicet ad perpetuitatem ſpeciei, & ad perpetuitatem alicuius boni politici, puta populi in aliqua ciuitate: ordinatur etiã ad perpetuitatem Eccleſiæ, quæ in fideliũ collectione cõſiſtit. Vnde oportet quòd huiuſmodi generatio à diuerſis dirigatur. In quantum igitur ordinatur ad bo-

ad bonum naturæ, quod eſt perpetuitas ſpeciei, dirigitur in finem à natura inclinãte in hunc finem, & ſic dicitur eſſe naturæ officium. In quantum verò ordinatur ad bonum politicum, ſubiacet ordinationi ciuilis legis: In quantum autem ordinatur ad bonum eccleſiæ, oportet quod ſubiaceat regimini Eccleſiaſtico. Ex quibus patet quatenus coniugalium cauſarum cognitio ad iudicium pertineat Eccleſiaſticum, & quatenus ad poteſtatem ſecularem. Nam Honorius tertius definiuit natalium cognitionem ad forum Eccleſiaſticum pertinere. Leges autem quas Caluinus hic dicit eſſe impias, imò & tyrannides, oſtendemus circa artic. 20. ſcripturis maximè eſſe conſentaneas.

De ordine cognitionum c.Tuam.

In commēt. Euangelij ſecundū Matt. cap.19.

Contra matrimonij indiſſolubilitatem multa ſcribit Martinus Bucerus, docẽs matrimonium per magiſtratum ſecularem ſolui poſſe, quandocunq; vir nõ vult ſe commodum præſtare maritum, vel mulier commodam ſe exhibere vxorem: ſi ad hoc induci non poſſunt, hoc eſt, quacunque ex cauſa vxor diſplicet marito, vel contra vxori maritus, nec poſſunt conciliari, legemque diuortij quam tulit Moyſes, tempore euangelij eſſe obſeruandam, & ſolui matrimonium. Et hæc docet nulla habita ratione ſacramenti nec inſtitutionis Dei, nec præcepti euangelici, quod ſuæ familiæ præſcripſit Chriſtus, vt eius ſententia facilius reſcindantur matrimonia quàm contractus ciuiles, qui ſolum ob iuſtam cauſam reſcindi poſſunt: matrimonia autem ob ſolam malitiam & intractabilitatem mariti vel vxoris. Ait enim.

Bucerus.

Ex eo quod Moyſes iuſsit dare libellum repudij, non colligitur, vxorem licere repudiare, ſed ſi quis ob duritiem cordis nolit illi commodum maritum exhibere, iuſsit vt dato libello repudij eũ dimittat, quo illa poſsit nubere alij, ne ſcilicet duplici iniuria miſeram afficiat, & ipſe officium mariti illi negans, & prohibens ſimul ne ab alio ipſum percipere poſsit.

Reſponſio. Cap.24.

In Deuteronomio legitur, Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eã de domo ſua. Moyſes hic requirit in vxori fœditatem, quam Hebræi interpretantur turpitudinem, de qua in Leuitico, quando agit de adulterino & incœſtuoſo coitu, quomodò etiam in cauſa repudij Dominus eam interpretatur in Euãgelijs: Ex quo infert Paulus Burgenſis, quòd nullo modo licebat repudiare vxorem, niſi propter huiuſmodi turpitudinem, quæ fornicationem includit, Thalmudici vero ait, qui Phariſaicam doctrinam ſectantes, ſæpe irritabant mãdata Dei propter traditiones ſuas, in tantum deuiauerunt à veritate in hoc loco, vt docerent quòd pro ſolo libitu voluntatis vir poſſet repudiare vxorẽ, & ſic, inquit inoleuit vſus vel abuſus

In additionibus cap. 24.

Deuterono. Matth 5.

pernicioſus inter eos vſq; ad diem hodiernum, quod conſtat manifeſtè eſſe cõtra diuinam legem. Bucerus autem horum ſequitur doctrinam, & eam docet ſeruandam tempore etiam Euangelij, & ad vxores extendit. Si tamen aliæ fuerint tempore legis cauſæ repudij, Chriſtus eas ad ſolam reduxit fornicationem. Ait enim, Dictũ eſt autem, Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, det ei libellum repudij: Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiſerit vxorẽ ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eã mœchari, & qui dimiſsã duxerit, adulterat. Hinc B. Auguſtin. Multæ erant, inquit, in lege cauſæ dimittendi vxorem, Chriſtus ſolam fornicationis cauſam excipit, cæteras moleſtias iubet pro fide & caſtitate coniugij ſuſtineri. Tam abſurda, imò & impia eſt hæc Buceri ſententia, vt alij ſectarij ei cõcorditer aduerſentur. Nam Ioannes Brentius tractãs verba Domini, Quiſquis dimittit vxorem ſuam, & alteram ducit, adulterium committit, & qui dimiſſam à viro ducit, adulteriũ committit. Lex, inquit, Dei eſt, Non committas adulterium, quam Phariſæi ita intelligebant, vt ſentirent eum tantùm contra hanc legem peccare, qui deſignaret externum adulterium cum alterius vxore nondum repudiata: Qui autem eam, quæ propter aliam quàm adulterij cauſam repudiata erat, in vxorẽ ducebat, ſentiebant hunc nõ deſignare adulterium. Chriſtus aũt ferre non poteſt, vt lex Dei tenebris humanarum opinionũ obſcuretur, quare exponit hanc legem de adulterio, & docet per eam prohiberi, ne quis quauis cauſa vxorẽ ſuam repudiet, nec eam quę ob aliam quàm adulterij cauſam repudiata eſt, in vxorem ducat, quia & hoc eſt adulteriũ lege domini prohibitum. Quid ergo (inquiũt phariſæi) Moyſes iuſsit dari libellũ repudij, & dimittere eam? Hãc legem Moyſi Chriſtus diſertè exponit ac reuocat atq; reducit ad rectam legis naturæ ſententiam, dicẽs, Moyſes ad duritiẽ cordis veſtri permiſit vobis repudiare vxores veſtras, cæterum ab initio nõ erat ſic: hoc eſt Moyſes cùm permiſit, vt non ſolum adulterij, ſed etiam quauis alia cauſa liceat vobis in Rep. veſtra vxores repudiare, paululum receſsit à naturali iuſtitia vinculi cõiugalis propter veſtram duritiem. Nam cum videret mutua veſtra odia in coniugio inuicta eſſe, maluit prudẽtiſsimus legiſlator indulgentia ſua vnum & alterum malum ordinarium permittere, quàm ſeueritate ſua innumeris, adeoq; crudeliſsimis quibuſq; ſceleribus occaſionẽ præbere. Hæc enim eſt vera, naturalis & diuina matrimonij iuſtitia, vt vinculũ eius perpetuò, dũ coniuges nõ committunt adulteriũ & viuunt, cõſtet. Is enim, inquit, qui fecit ab initio, maſculũ & fœminam fecit eos: & dixit, Propterea deſeret homo patrẽ & matrem, & adhęrebit vxori ſuę, & erunt duo in carnem vnam: Itaq; iam nõ ſunt duo, ſed vna caro. Quod ergo Deus copulauit, homo nõ ſeparet. Vides naturalem eſſe legem diuinitùs ordinatam, vt cõiuges, quamdiu

Matth.5.

Lib.1.de ſer. dom.in mõte

In commẽt. ſuper Lucã cap.16.

quamdiu ſunt vna caro (hoc eſt, quãdiu non ſoluuntur adulterio vel morte) non ſeparentur nec diuertant: quare cũ hæc lex, Non cõmittas adulterium, ſit lex naturæ, perſpicuum eſt, quòd in ea non prohibeatur tantũ externum adulterium, quod fit cum vxore alterius nõdum repudiata, ſed prohibeatur etiam, ne quis etiam ſuam vxorem, niſi adulterij cauſa, repudiet, neq; repudiatam in vxorem ducat. Hactenus Brentius. Ex quibus verbis manifeſtũ eſt, quòd ipſe & alij ſectarij in omnibus comprobant articulum de omnimoda inſolubilitate matrimonij, excepta cauſa adulterij, de qua circa articulũ ſequentem dicemus. Et clariſsimè eam probãt ex naturali iuſtitia & diuina ordinatione. Viderunt enim errorem Buceri in matrimonium impium eſſe, ac cõtra naturalem iuſtitiam, Deiq; in paradiſo inſtitutionem. Atq; propterea docẽt ob ſolam cauſam adulterij ipſum ſolui, vt aliud contrahere liceat. Clariſsimam enim eſſe hanc Domini Saluatoris ſentẽtiã aduerterunt, Omnis qui dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, mœchatur: &, Omnis qui dimiſſam duxerit, mœchatur. Adulterij autem exceptionem colligunt ex Apoſtolo Matthæo, ſed quòd non rectè, declarabimus articulo ſequente. *Cap 5.*

Bucerus. *Hinc ſatis patet apud pios nihil loci eſſe diuortio, cum & maritus vxorem tanquam carnem ſuam diligit, & vxor vt caput ſuum maritum obſeruat, vt neque ille velit, neque hæc mereatur repudium. At vbi impij ſunt, vt aqua eſt hodie cordiũ eorum duritia, ita non minus miſeris vxoribus per magiſtratum oportebat conſuli, quàm olim. Neque enim minore quàm Moyſes poteſtate, hac quidem in re fungitur magiſtratus quilibet.*

Reſponſio. Matth. 5. Hanc Moyſi permiſsionem Saluator interpretatur de ſola cauſa fornicationis eſſe intelligendam: vel ſi generalius Moyſes permiſerit, Chriſtus reduxit, & reuocauit ad rectam legis naturæ regulam, primæuamq; inſtitutionem, dum ait: Dictũ eſt autem, Quicunq; dimiſerit vxorem ſuam, det ei libellũ repudij: Ego aũt dico vobis, quia omnis qui dimiſerit vxorem, excepta cauſa fornicationis, facit eã mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat, dato etiam libello repudij. Quamuis igitur licuiſſet ex alia quàm fornicationis cauſa vxorem dimittere, & dimiſſam alteri nubere, ob Chriſti tamen diſpoſitionem, qua ad naturalem iuſtitiam reuocat matrimonium, illicitum eſt, & mœchatur tã ipſa dimiſſa, quàm ipſe qui eam ducit. At ſecundum Bucerum, ſed contra Chriſti interpretationem, quicunq; ob cordis duritiem noli ſe commodum exhibere maritum, dato libello dimittere vxorem, & priori contractu per magiſtratum reſciſſo, alteram ducere licebit, & patrocinabitur ei ſua malitia, vt dimiſſa ea quam habet, ducat ſecundã, ducat & tertiam, imò quotquot velit: & legitimum vtrunq; conſtabit matrimonium cũ poſteriori. Nec ſolùm hoc permittit marito, ſed & mulieri, ſi non commodam velit ſe exhibere vxorem. Quis hanc abſurdiſsimam inſaniam, qua ius naturæ violatur, non deteſtetur? Non conſulendum eſt vxoribus miſeris contra dominum eiuſque mandatum, qui generaliter ait, Qui dimiſſam duxerit adulterat: quod fieri nequit, niſi & ipſa ſit adultera. *Matth. 5. Hebr. 3.* Moyſes fidelis erat in tota domo Dei, tanquam famulus in teſtimonium eorum quæ dicenda erant, nec tulit leges aut iudicia, niſi ex Dei præſcripto & conſilio, & quia vtraque in eo erat poteſtas, ſpiritualis ſcilicet & politica. Erat enim iudex, & dux populi Dei, cui Ioſue ſucceſſit, erat & ſacerdos. Nam Moyſes, inquit propheta, & Samuel in ſacerdotibus eius. Minore igitur poteſtate hac etiam in re fungitur magiſtratus, quàm Moyſes. Eſt præterea matrimonium nunc ſacramentum: Sacramentorum autem & myſteriorum cognitionem non habet poteſtas ſecularis: poteſt tamen & Eccleſiaſtica & ſecularis poteſtas intendendo communi vtilitati, ſtatuere & ordinare, ex quibus per occaſionem quorũdam foueantur peccata, modò hoc conducat ad pacificum ſubditorum conuictum, vt docet Sanctiſſ. Adrianus ſextus. *Quæſ. quotl. 6. artic. 3.*

Bucerus. *Vtcunque enim propter duritiem cordium malorum lex repudij data fuit Iudæis, ſalutaris tamen hactenus extitit, quod ea periclitantibus alias grauius vxoribus ſubueniebatur, quare cum gratia Dei ea hodie & magiſtratus & poſſet & deberet vti.*

Reſponſio. Matth. 5. Manifeſtè reclamat Chriſtus, Dictum eſt inquit, Quicunq; dimiſerit vxorem ſuam, &c. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiſerit vxorem excepta fornicationis cauſa, &c.

Bucerus. *Neque eò peccaret contra hoc Chriſti dictum, Quos Deus coniunxit, homo ne ſeparet, quod non ipſe, ſed Deus per dictam legem illos ſepararet. Ad hoc iſtud, Homo ne ſeparet, cõtra repudiantes ſuas vxores dictum, non magiſtratum, qui non tã ſeparat quàm animo iam ſeparatam grauiori periculo eximit.*

Reſponſio. Quòd non Deus coniugium per legem diuortij ſeparat, reſpondet & declarat ipſe Chriſtus. Nam eum interrogabant Phariſæi, Si licet homini dimittere vxorem ſuã quacunq; ex cauſa? quibus reſpondet hoc non licere, eò quòd eſſet contra Dei inſtitutum, Moyſen autem permiſiſſe vt vxores dimitteret ob cordis Iudæorũ duritiem. Quæ Chriſti reſponſio locum non haberet, ſi per legẽ diuortij Deus ſepararet quod prius coniunxerat. Et animo ſeparatam coniugem & vxorem grauiori periculo eximere debet magiſtratus legum ſuarum ſeueritate, ſed non matrimonij ſolutione, quod Chriſtus voluit, & initio Deus inſtituit, vt eſſet perpetuò inſolubile.

Bucerus. *Certè magiſtratus eſt curare, vt commodè & tranquillè viuatur. Si iam aliquorum obſtat cordis duritia, quo minus coniunctis in matrimonio*

id li-

id liceat, non debet indignum ſe ducere vti remedijs quæ Deus ipſe inſtituit.

Reſponſio. Magiſtratus Chriſtianus ob politię & populi diuerſitatem, vti non poteſt remedijs quibus Dei famulus vſus eſt Moyſes, eademque permittere, quæ ille ob cordis Iudæorũ duritiem permiſit: Etſi permittere cogitur, ne contingant deteriora, nô excuſantur, qui côtra Domini ſui pręceptum, remedijs iſtis iſtaq; permiſsione vtuntur, coniuge ſuperſtite ſecundas nuptias contrahendo.

Bucerus. *Neque credendum eſt quòd Chriſtus quicquam damnarit eorum quæ pater præcepit. Iam duris corde ille præcepit ſi nollēt maritali æquitate vxores tractare, vt libertatem illis facerēt libello repudij nubendi alijs: quanquam iſtam illorum cordis duritiam nunquā non damnauerit, qui ante omnia ſemper exigit dilectionem mutuam.*

Reſponſio. Præcepit Deus Abrahæ & populo Iſrael circunciſionem, præcepit agnum paſchalem decimaquarta luna ad veſperam immolari, ac varia ſacrificia, agnos & vitulos offerri. An non Chriſtus hæc omnia damnauit, quæ pater aliquando præcepit? Clamat Apoſtolus Paulus, Nolite iterum iugo ſeruitutis contineri. *Galat. 5.* Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam ſi circuncidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. *Eſaia 5.* Nolo, inquit Deus, holocauſtomata, abominatio ſunt mihi. Et ſi illud *Hebr. 8.* prius teſtamentum culpa vacaſſet, non vtique ſecundi locus inquireretur. Vituperans enim eis dicit, &cæt. Et ingrediens mundum dicit, Hoſtiam & oblationem noluiſti, holocauſtomata & pro peccato non tibi placuerunt. Nihil enim ad perfectum adduxit lex. Cum eſſemus paruuli, inquit Paulus, ſub elementis mundi huius eramus ſeruientes. *Hebr. 7. Galat. 4. Epiſt. 2.* De quibus multa diſſerit Beatus Auguſtinus in epiſtola ad Voluſianum. Dimittere autem vxorem qualibet ex cauſa ob quam marito diſplicet, manifeſtè per Chriſtum prohibitum eſt. Et ſi legem repudij Moſaici in caſu implacabilis odij Dominus non reuocauerit, damnauit tamen ſecundas nuptias vxoris dimiſſæ qualibet ex cauſa, item & ob ſolum mariti aduerſus eam odium: ac vniuerſaliter extra caſum fornicationis, in quo, vt diximus, aduerſarij nobiſcũ ſentiunt, & docent contra Martinum Bucerum, non ſolui matrimonium extra cauſam fornicationis.

Bucerus. *Cùm itaque in duris corde ſeparatio in potiore parte facta eſt, ſimulatq; odire & execrari vxores cœperunt, nempe in corde, magiſtratus eximens odio & ſæuitiæ mariti mali vxorem innocentem, permittens illi diuortium, non ſanè ſeparat à Deo coniunctos, ſed animo iam repudiatam & ſeparatam ſeruat à periculo grauiori, conceditq; vt verè iungatur cui Dominus iunctā voluit. Interim autem adulterij reus eſt qui animo ſuo illam ob duritiam cordis ſui abiecit.*

Reſponſio. Quamuis officiũ magiſtratus ſit ſeruare à grauiori periculo per diſciplinæ coertionē, non tamen vxori concedere poteſt, vt contra expreſſam domini ſui prohibitionem alteri nubat, nec viro vt dimiſſam ducens non admittat adulterium.

Bucerus. *Huic nequaquam aduerſatur quod poſtea Dominus inquit, Et qui repudiatam duxerit, adulterium committit. Nam non niſi de eo qui in fraudem prioris matrimonij repudiatam duxerit, hoc intelligendum eſt. Etenim ſi ob alias quā ſtuprum cauſas diſsidium inter coniuges oriatur, vt vel ableget vxorē maritus, vel diuertat vxor, debent omnia tentari, quo reconcilientur. Et hac quidem cauſa Paulus innuptam manere vult vxorem quæ à viro diſceſſerit, indubiè non repulſam ex legitima cauſa.*

Reſponſio. Verba Saluatoris manifeſtè reluctantur, nec ſe ad hanc reſtrictionem detorqueri ſinunt. Nam in domo iterum diſcipuli eius de eodem interrogauerunt eum, vt refert Marcus Euāgeliſta, *Cap. 10.* quibus ait, Quicunq; inquit, dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam, & ſi vxor dimiſerit virum ſuum, & alij nupſerit, mœchatur. Non aliquis, inquit B. Auguſt. qui vxorem ſuam dimiſerit, & aliā duxerit, adulterium committit, & aliquis qui dimiſerit, & aliam duxerit, adulterium non committit: ſed quicunque, ait Saluator, dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam. De quo latiùs articulo ſequente.

Hic aduertens Martinum Bucerum extendere ad vxorem ea quę ante dixit de marito, videlicet, Si nolit ſe commodam exhibere vxorē, vel odio ac diſplicentia mariti diuertit ab eo, ſine cauſa fornicationis, ſi placari nequeat, quòd tũ ſolui poterit matrimoniũ per magiſtratum, vt alteri nubat ſecundo & tertio marito, quoties libuerit. Diſcim' hic à Bucero, verum eſſe quod docet Tertullianus, *Lib de præſcriptionibus hæreticorũ.* nô eſſe ex ſcripturis diſputandum cum hæreticis. Nihil, inquit, proficies congreſſu ſcripturarum, quas adiectionibus & detractationibus ad diſpoſitionem inſtituti ſui interuertunt, & diuerſas expoſitiones commenti eas peruertunt.

Bucerus. *Cum Dominus marem & fœminam condiderit hominem, neque ſeorſim virum, ſeorſim mulierem viuere voluerit, ſed dixerit, Non eſt bonum homini eſſe ſoli, ex quo Paulus ſtatuit vnũquemq; debere ſuam vxorem, & vnamquamq; ſuũ maritum habere propter vitandam fornicationē, nemo pius inſiciari poteſt, quin ſemper Deo gratũ, & nunquā peccatũ habeatur, vt quilibet ſuā, & qualibet habeat ſuũ. Si ergo qui aut quæ exiſtat cui nullus ſit coniunx, coniugē illi côcedere oportet.* *1. Corinth. 7.* *Siquidē effici poſſit, vt quiſq; eam quā ſemel duxit, retineat, aut ſi facta diſceſſio ſit recipiat, & qualibet ei, cui primũ nupſit, adhæreat, aut facto diſsidio ad ipſum redeat, cõmendabilius eſt, debentq; ad id conari pij. Si aũt alterius obſtiterit cordis duritia, et obſtinato animo recõciliationem nolit admittere, non poterit ob id infringi verbum Domini, Vnuſquiſq; ſuam, & vnaquæq; habeat ſuum.*

Prodit

Reſponſio. Prodit Bucerus hic fontem ex quo profi-ciſcitur impura, impia & Epicurea hæc doctrina, nempe ex ſchola Epicuri voluptatū corporis magiſtri. Damnat enim cœlibatū & virginitatem, docens Paulum ſtatuere, vnumquemq; debere ſuam vxorem, & vnamquamq; ſuum maritum habere: cum circunſtantia huius ſcripturæ apud Apoſtolū Paulum (ſicut demonſtrat Beatus Hieronymus) requirat, vt intelligatur de coniugibus, de quibus dicit, Bonum eſt homini mulierem non tangere, propter fornicationem tamen eam tangat & vtatur, atque ita ſecundum vſum habeat: non autem de vxore ducenda. *1. Corint. 7.* Nam vertit Eraſmus, Bonum eſt homini vxorem non tangere. Et Paulus, Dico autem, inquit, non nuptis & viduis, bonum eſt illis ſi ſic permanſerint, ſicut & ego. Item, De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, &cæt. Et de vidua, Beatior, inquit, erit, ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium. Apertiſsimè igitur peruertit Bucerus ſententiam Apoſtoli Pauli, contra ipſa eius verba & mentem quam eodem capite clarè explicat. Peruertit & ſententiam Domini quā citat ex Geneſi, Non eſt bonum homini eſſe ſoli, quaſi ibi pręcipiatur habere vxorem, *Li 21. in Geneſim, ca 32.* cum teſte Apoſtolo Paulo, Bonum eſt homini mulierem non tangere. Verus autem & germanus illius dicti ſenſus eſt, Non eſt vtile, non conducit ad propoſitum noſtrum hominem eſſe ſolum, vt interpretatur Rupertus Abbas Tuitienſ. Propoſuimus enim, inquit, præſcitos & prædeſtinatos de primo homine propagare, ſanctos imagini ac ſimilitudini noſtræ conformes futuros: Ergo vt propoſitum iſtud impleatur, faciamus ei adiutoriū ſimile ſui, ad multiplicandam prædeſtinatam progeniem ſanctorum.

Bucerus. *Omnino itaque ei qui æquiorem cauſam habet, ſecundæ nuptiæ concedendæ ſunt, neque admittit adulterium, qui repulſam duxerit, poſtquam impetrari reconciliatio nequiuerit. Non enim ducit eam in fraudem prioris connubij, ſed ſuſcipit derelictam. Certum eſt Chriſtum nulli neceſſarias atq; laudatas diuinitus nuptias voluiſſe negare, quia ſtat firmum Dei verbum, Non eſt bonum homini eſſe ſoli. Lex denique charitatis, qua omnia metienda & diſpenſanda ſunt, qui ferat innocenti ob improbitatem alterius neceßitatem inijci peccati? Iam non eſt datum omnibus vt viuant cœlibes.*

Reſponſio. *1. Corint. 7.* Firmiſsimum ſtat Dei verbum, Bonum eſt homini mulierem non tangere. Item, De virginibus præceptum Domini non habeo. Et, Qui poteſt capere capiat. Et ſi maritus multo tempore vel vita tota captiuus detineatur, vel impotens factus ſit ad reddendū vxori debitum, an neceſsitas peccati ei inijciatur, ſi non alteri viro nubat, priore adhuc viuente? De eo prolixius articulo ſequēte, & alticulo vltimo, vbi agetur de voto caſtitatis. Alia multa abſurda in ſuis commentarijs docet Martinus Bucerus, vt quòd non minus matrimonium contrahitur per verba de futuro, quàm per verba de præſenti, imò quòd per ſolam carnalem, in qua fiunt vna caro, firmum eſt matrimonium, item quòd expediret ordinatum eſſe per magiſtratus, vt pacta nuptialia vſq; ad copulam coniuges ſibi mutuò remittere poſsint.

Sed hæc præterimus tanquam propoſito noſtro impertinentia.

Finis Articuli Decimioctaui.

ARTICVLVS DECIMVS NONVS.

Nunquam licet Chriſtiano poſt diuortium contrahere matrimonium, viuente eo cum quo prius legitimè contraxerat.

ARTICVLVS iſte præſupponit, quòd aliqua ex cauſa liceat vxorem dimittere, id quod manifeſtum eſt licere ob eius fornicationē. Ait enim Saluator, Ego au- *Matth. 5.* tem dico vobis, quia omnis qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari: & plurimorum ſanctorum ſententia, maritus vxorem fornicantem dimittere obligatur. Sicut, inquit Chryſoſt. crudelis & iniquus eſt, qui caſtā dimittit: ſic fatuus eſt & iniuſtus, qui retinet meretricem. Patronus enim turpitudinis eius eſt, qui celat crimen vxoris. *Homil. 31. in Matth in opere imperfecto.* Et Beatus Hieronymus, Cùm mulier vnam carnem in aliam diuiſerit, & ſe fornicatione à marito ſeparauerit, non debet teneri, ne virum quoque ſub maledicto faciat, dicente ſcriptura, Qui tenet adulteram ſtultus eſt & inſipiens. *In comment. Matth. c. 19. diſt. 35. li. 4. Prouerb. 18.* Quę Magiſter in Sententijs intelligenda eſſe dicit, de illa quæ ab adulterio recedere noluit. *de adulteri. cōiugijs li 2. cap 9.* Nam ſecundum ſententiam Beati Auguſtini, non erit turpis nec difficilis etiam poſt patrata & purgata adulteria reconciliatio coniugij, vbi per claues regni cælorum non dubitatur fieri remiſsio peccatorum. *32. q 1 cap. Sicut crudelis. Ca. Quē admodum de iureiurando.* De quo etiam latè tractat Gratianus. Et veriſimile eſt quòd non ex euangelio ſolum, ſed & ex iuris naturæ conceſsione eſt hęc facultas fornicariam dimittendi, iuxta reſpōſionem Innocentij tertij ad Archiepiſcopū Genuenſem. Quemadmodum, inquit, ſi vir mulieri iuraſſet, quando contraxit cum illa, quòd eam ſemper pro legittima vxore teneret, pro fornicatione quam mulier antea commiſiſſet, non poſſet eam dimittere, ſed pro fornicatione quam poſtea perpetraret, eam dimittere poſſet, non obſtante huiuſmodi iuramento, quoniam in eo talis erat ſubintelligenda conditio, ſi videlicet illa in legem coniugij non peccaret, & cæt. quæ ſequuntur. Et alio loco, Iuramentum

viri, vt non ſit adultera, ſi fuerit cum alio
viro. Vbi beatus Ambroſius: Hęc lex, inquit
de Euangelio eſt, nō ex Moyſe, neque ex iu-
ſtitia terrena. Item, Mulier alligata eſt legi
Cor. 7. quanto tempore vir eius viuit: quòd ſi dor-
mierit vir eius, liberata eſt à lege, cui autem
vult, nubat, tantùm in Domino: beatior au-
tem erit, ſi ſic permanſerit ſecundum meum
conſilium. Cū autem Paulus Apoſtolus qui
euangelium ſuū didicit non ab hominibus
ſed per reuelationem Ieſu Chriſti, Euange-
licum Domini præceptum clariſsimè expli-
cet, quis illud in alio ſenſu interpretari au-
debit, maximè cum non obſcura ſint Domi-
Mar. 10. ni verba, quæ domi interrogatus ſuper ſenſu
Cap. 16. ſermonis quem ad Phariſæos habuerat, reſ-
Li. 1. ad Pol- pondit, Quicunque dimiſerit vxorem ſuam
lentiū c. 9. & aliam duxerit, mœchatur: Et ſi vxor di-
miſerit virum ſuum, & alium duxerit, mœ-
chatur: Item apud Lucam: Omnis qui di-
mittit vxorem ſuam & alteram ducit, mœ-
Li. ad Pol- chatur: & qui dimiſſam à viro ducit, mœ-
lentium. chatur. Qui ergo nos ſumus vt dicamus in-
quit Auguſt. Eſt qui mœchatur, vxore ſua
dimiſſa, alteram ducens, & eſt qui hoc faci-
ens non mœchatur, cum Euangelium dicat
omnem mœchari qui hoc facit. Proinde ſi
quicunque hoc fecerit, vt vxore ſua dimiſſa
alterā ducat, mœchatur, ſine dubio ibi ſunt
ambo, & qui præter, & qui propter cau-
ſam fornicationis dimittit vxorem, hoc eſt
enim, quicunque dimiſerit, hoc eſt, omnis
qui dimittit. Quod & repetit capit. vigeſi-
mo ſecundo ad eundem. Hinc idem tra-
ctans verba Apoſtol. ad Romam. 7. Quæ
ſub viro eſt mulier, &cæt. Hæc verba Apo-
ſtoli, inquit, toties repetita, toties incul-
cata, vera ſunt, viua ſunt, ſana ſunt, pla-
na ſunt, nullius viri poſterioris mulier eſ-
ſe incipit, niſi prioris eſſe deſierit: eſſe
autem prioris deſinet, ſi moriatur vir e-
ius, non ſi fornicetur. Licitè itaque di-
mittitur coniunx ob cauſam fornicationis,
ſed manet vinculum prioris, propter quod
fit reus adulterij, qui dimiſſam duxerit et-
iam ob cauſam fornicationis. Quem ſen-
ſum verborum Chriſti & Apoſtoli concor-
diter explicant & ſequuntur à temporibus
Apoſtolorum doctores Eccleſiaſtici, ſacri
Canones, & Eccleſiæ Concilia generalia. Et
quāuis propter verba B. Matthæi, quæ exce-
Cap. 6. ptionē fornicationis facere videntur, dū ait:
Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob
fornicationē, & aliam duxerit: obſcura ali-
quando & perplexa quibuſdam viſa fuerit
hæc quæſtio, quemadmodū fatetur Auguſti-
nus, ſemper tamē præualuit ſententia, quòd
mœchatur qui aliam duxerit, & qui duxerit
Cap. 7. dimiſsā. Dicit enim de bono cōiugali, quod
ſcriptura ſacra de hac re facit nodum diffici-
lem: & alibi dicit in diuinis ſcripturis obſcu-
ram eſſe quæſtionē, an adulter ſit, qui dimiſ-
De fide & - ſa adultera, aliā duxerit: Vt arbitror, inquit,
oper c. 16. venialiter ibi quiſq; fallitur: & videtur du-
In fine c. 25. bitare, an ſit ad baptiſmum admittēdus, qui
priore vxore fornicaria viuente, nō abiecit

ſecundam quā ſuperinduxit. Ac lib. 1. ad Pol-
lentium dicit quæſtionem iſtā eſſe perple-
xiſsimam & obſcuriſsimam, nec audet pro-
fiteri quòd omnes eius ſinus explicuerit. Et *Homil. 7. in*
Origenes, Scio, inquit, quoſdā qui præſunt *Matth.*
Eccleſiæ, extra ſcripturam permiſiſſe aliquā
nubere, viuente viro, & contra ſcripturam
quidam fecerunt: mulier ligata eſt quanto
tempore viuit vir eius. Item, Viuente viro *Rom. 7.*
adultera vocabitur, ſi facta fuerit alteri viro.
Qua enim ratione adultera eſt mulier, quā-
uis legitime nubere videatur viro viuente,
eadem ratione & vir, quāuis legitimè acci-
pere videatur dimiſſam ab aliquo viro, non
accipit legitimè ſecūdum ſententiā Chriſti,
ſed magis mœchatur quaſi alienam accipiēs.
Hanc, vt diximus, ſententiam diligenter ex-
cuſſam ab Auguſtino in libris poſterioribus
quos ſcripſit ad Pollentiū, qui cōtrariæ fuit
opinionis, concorditer ſequuntur orthodo-
xi & Eccleſiaſtici doctores, & tanquā doctri
nam indubitatā, certam, & in Eccleſia Chri-
ſti vſitatam palam tradunt. Nam ait B. Augu-
ſtinus, Hæc verba Apoſtoli toties repetita,
toties inculcata vera ſunt, viua ſunt, ſana
ſunt, plana ſunt. Et B. Hieronymus in epita-
phio Fabiolæ quę reliquerat virum ſuum, & *Ad Oceanū.*
alteri eo viuente nupſerat, propterea quòd
varijs vitijs eſſet obnoxius: Tāta, inquit, pri-
or mari⁹ vitia habuiſſe narratur, vt ne ſcor-
tum quidem & vile mancipium ea ſuſtinere
poſſet: Hanc quam laudādam ſuſceperat, ex-
cuſare nō poteſt, niſi per ignorantiā vigoris
euangelici. Igitur, inquit, & Fabiola quia
perſuaſerat ſibi, & putabat a ſe virum iure
dimiſſum, nec Euangelij vigorem nouerat,
in quo nubendi vniuerſa cauſatio viuenti-
bus viris fœminis amputatur, dū multa dia-
boli vitat vulnera, vnū incauta vulnus acce-
pit. Sed quid in abolitis & antiquis moror,
quærens excuſare culpam, cuius pœnitentiā
ipſa confeſſa eſt, & hanc publicam, mortuo
ſecundo eius marito ſaccum induens, vt er-
rorem publicè fateretur. Idem interrogatus,
vtrum mulier relicto viro adultero & Zo- *In epiſt. ad*
domita, & alio per vim accepto, poſsit abſq; *Amandū.*
pœnitentia cōmunicare Eccleſiæ, eo adhuc
viuente quem prius reliquerat. Reſpondet,
Non noſtra, ſed Apoſtoli ſententia eſt. An ig
noratis fratres quoniā lex dominatur homi-
ni quanto tempore viuit? Mulier enim quæ
ſub viro eſt, viuente viro aſtricta eſt legi:
Quòd ſi mortuus fuerit vir eius, liberata
eſt a lege viri: Ergo viuente viro adultera e-
rit, ſi duxerit alterum virum. Et alio loco,
Mulier allegata eſt, quāto tempore viuit vir
eius: Si autem dormierit vir eius, liberata
eſt, cui vult nubat, tantùm in domino. Om-
nes igitur cauſationes Apoſt. amputans aper
tiſsimè definiuit, viuente viro adulterā eſſe
mulierem, ſi alteri nupſerit. Nolo mihi pro-
feras raptoris violentiā, matris perſuaſionē,
patris authoritatem, propinquorum cater-
uam, ſeruorum inſidias atq; cōtemptū, dam-
na rei familiaris: quamdiu viuit vir, licet a-
dulter ſit, Licet Zodomita, licet flagitijs o-

mnibus coopertus, & ab vxore propter hęc ſcelera derelictus, maritus eius reputatur, cui alterum virum accipere non licet. Nec Apoſtol. hęc propria authoritate decernit, ſed Chriſto in ſe loquente, Chriſti verba ſequutus eſt, qui ait in Euangelio, Qui dimittit vxorem ſuam, excepta cauſa fornicationis, facit eā mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulter eſt. Animaduerte, inquit, quid dicat, Qui dimiſſam acceperit, adulter eſt: ſiue ipſa dimiſerit virum, ſiue à viro dimiſſa ſit, adulter eſt qui eam accipit. Vnde & Apoſtoli grauem coniugij ſarcinā intelligentes, Si ita eſt, inquiunt, non expedit homini vxorem accipere. [Cap. 19.] Et in Cōment. Matt. Quia poterat, ait, accidere, vt aliquis calumniam faceret innocenti, & ob ſecundam copulam nuptiarū veteri crimen impingeret, ſic priorem dimittere iubetur vxorē, vt ſecundā prima viuente nō habeat. Itē Chryſoſt. [Hom. 17. ſuper Matth.] Ille quidem, inquit, ſi alterā duxerit, ſe cōſtituit criminis reum, qui adulteram fecit ex coniuge: hic verò accipiendo alienam, adulter effectus eſt. Nequaquam mihi referas, quia illam alter eiecit. Nam expulſa quoq; vxor eſſe eius qui eam expulit perſeuerat. Et citauimus Origenem, iudicare Epiſcopos contra ſcripturam feciſſe, qui poſt repudium aliquā nubere permittebāt viro priore viuēte. Atq; Tertullianus Eccleſiæ doctor antiquiſsimus dicit dominum conditionaliter, ſcilicet ne alia vxor ducatur, permiſiſſe diuortium. [Aduerſus Marchionem lib. 4.] Ex quibus manifeſtum eſt verum non eſſe quod Ambroſius Catharinus agnoſcens doctores eccleſiaſticos in hac ſententia eſſe cōcordes, dicit eos ſecutos eſſe B. Auguſtinum, ex annotationibus Eraſmi ſeductus, [In annotationi circa 7. ca 1. epiſt. ad Corinth.] qui Eraſm. videlicet noſtro hoc ſeculo primus hunc ſcrupulum mouit, & argumentis probabilibus perſuadere conatus eſt, quòd innocenti, dimiſſa adultera, ſecundam ducere licet: Quam eius doctrinam, in qua tamē ipſe ſe ſedis Apoſtolicæ iudicio ſubmittit, Martinus Lutherus, & vniuerſi noſtræ tempeſtatis hæretici tanquam certam ſententiā amplectuntur, ita vt Cardinalis Caietanus theologus multum exercitatus, eandē ſequi videatur. Manifeſtum eſt, inquam, verū non eſſe quòd doctores veteres ſecuti ſunt B. Auguſtinum, & ab illo hanc ſententiam cœpiſſe habere vires. [In principio epiſt. 2] Certè ipſe Auguſtinus eam validiſsimis ſcripturis in libro ad Pollentiū confirmauit, ſed ante eum eandem docuerunt B. Hieronymus, Origenes, imò & Euariſtus Papa, & Clemens Alexandrinus, [Lib. 2. Stromatum.] [Epiſt. ad Exuperiū Tholoſ. Epiſ. c. 6] quos citat R.P. Alfonſus de Caſtro, Item Innocentius primus ſuper hac quæſtione interrogatus. De his, inquit requiſiuit dilectio tua, q interueniente repudio alij ſe matrimonio copularunt, quos in vtraq; parte adulteros eſſe manifeſtum eſt. Qui verò vel vxore viuente, quamuis diſſociatū videatur eſſe coniugium, ad aliam copulam feſtinarunt, neq; poſſunt adulteri non videri, in tantū vt etiā hæ perſonæ quibus tales coniuncti ſunt, etiam ipſæ adulterium commiſiſſe videantur ſecundum illud quod legimus in Euāgelio, Qui dimiſerit vxorem ſuam & duxerit aliā, mœchatur. Similiter Innocentius tertius: item & Alexander tertius clariſsimè hāc ſententiam definiuit. [Cap Gaudemus de diuertijs.] Quia nemini, inquit, licet vxorem ſuam ſine manifeſta cauſa fornicationis dimittere, & tunc eam ſibi reconciliare debet, aut ipſa viuente continere, mandamus, quatenus eundē vt ſuperinducta dimiſſa, ad vxorem ſuam redeat, & eam maritali affectione pertractet, monitione præmiſſa, per Eccleſiaſticam cenſuram cogatis. [Cap. Ex parte de ſponſal. & matrimonijs.] Eſt & apertiſsima definitio Concilij Mileuitani, quod confirmauit Innocentius primus. Placuit, inquit, vt ſecundū Euangelicam & Apoſtolicā diſciplinam, neq; dimiſſus ab vxore, neq; dimiſſa à marito, alteri cōiungatur, ſed ita maneāt, aut ſibimet recōcilientur: quod ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur: in qua cauſa legē imperialem petendā promulgari: qui canon confirmatus eſt eodem prorſus ordine in Concil. Aphricano. Eſt & canon Apoſtolorum 48. [Cap. 17.] Et in œcumenico Conc. Florent. his verbis definitur, Aſſignatur autem triplex bonum matrimonij, primum eſt proles ſuſcipienda & educanda ad cultum Dei, ſecundum eſt fides quā vnus coniugum alteri ſeruare debet, tertium indiuiſibilitas matrimonij, propter hoc quod ſignificat indiuiſibilem coniunctionē Chriſti & Eccleſiæ, quamuis autem ex cauſa fornicationis liceat thori ſeparationē facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas eſt, cum matrimonium legittimè contractum, perpetuū ſit. Cùm igitur de toto iſto articulo concors ſit patrum ſententia, item & definitio ſedis Apoſtolicæ atq; vniuerſalis Eccleſiæ Concilij certa determinatio, firma & certa fide ſuſcipiēdus eſt, [Cap. 69.] ac hæreticus cenſendus, qui ſuper iſtis informatus aliter ſentit vel docet. Mirādum itaq; eſt Eraſmū, Cardinal. Caietanum & Ambroſium Catharinum, qui tamen ſe in omnibus ſubijciunt iudicio Eccleſiæ, ſententiæ cōtrariæ tantopere fauere, vt vel ad minimum de ea dubitare videantur, cùm ignorare nō potuerint has ſedis Apoſtolicæ & Conciliorum definitiones. Quis hęreticorū libros ſecurè legere poterit, quando columnę iſtæ, Caietanus videlicet & Catharinus, ex diſputatione Eraſmi in annotationibus, & hæreticorū librorum lectione, in clariſsima hac veritatis luce vacillare cœperunt, imò & in errorē ſunt lapſi? Quando autem hæc dimiſsio fieri poteſt ſine iudicio Eccleſiæ, & quatenus eſt neceſſarium, tractant doctores ſcholaſtici diſtinct. 35. lib. 4. Sentent.

EX dictis etiam manifeſtum eſt, quale ſit diuortium aut repudium Euangelicum ex cauſa fornicationis conceſſum, quod ſcilicet ſolum eſt ſeparatio quoad thorum, cohabitationem, & mutuam ſeruitutem domeſticam, vinculo fœderis coniugalis manente: propter quod neuter coniugum poſt ſeparationem etiam iudicio Eccleſię factā, aliud coniugium inire poteſt. Tale namque

eſſe

Marci. 10. *Luca 16.* eſſe iſtud repudium clariſsimè teſtatur Dominus Saluator quando dicit. Quicunq; dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, mœchatur. Item Apoſtolus Paulus, His qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, vxorē à viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari: Intelligit autē Apoſtolus ſi diſceſſerit ea de cauſa qua diſcedere licitum eſt, hoc eſt, ob fornicationem. Nam ſi diſceſſerit ſine cauſa, non relinquitur arbitrio eius manere innuptam, vel viro ſuo reconciliari, ſed neceſſariū eſt ad eum reuerti, & in eius gratiam redire. Et de Fabiola dicit B. Hieron. quòd ignara vigoris Euangelici, dimiſſo viro adultero alteri nupſit: Item Tertullianus dicit Dominum conditionaliter diuortium permiſiſſe, hac videlicet conditione, ne alia vxor ducatur. Peruerſam igitur & erroneam doctrinam tradunt qui dicunt diuortium, quod modò in Eccleſia celebratur, ignotum fuiſſe maioribus noſtris, cùm Eccleſia Chriſti catholica nullum aliud repudium vnquam agnouerit, quemadmodum ex his quæ hactenus diximus, cuiuis ad oculum patet. Sed obijcit Eraſmus, (quem Bucerus & ſcholæ hæreticorum huius noſtri temporis ſequuntur) Phariſęi quibus reſpōdebat Dominus, non aliud nouerunt diuortium, niſi quod adimeret ius repetēdi dimiſſam, & faceret facultatē nubendi alteri viro. Sed errabant in hac parte Phariſæi circa legis præceptum, de ſcribendo libello repudij, & dimittendo vxorem, eorumque errorem in Euangelijs corrigit Saluator, docens quòd erat tātum permiſsio ob duritiem cordis Iudæorum: & interpretatus eſt legē repudij, quòd intelligeretur exiſtente cauſa fornicationis. Problematicè diſputatur apud doctores, an ſoluebatur tempore legis vinculum fœderis coniugalis in repudio, quod fiebat ex cauſa fornicationis: ſed vtcūque hoc ſe habeat, Chriſtus nouum diuortij genus in Euangelijs docet, & vetus irritat. Ab initio, inquit, non fuit ſic. Multa noua & Phariſæis inaudita docebat Chriſtus, qui etiam dixit ſe noua facere omnia: tunc primū audierunt, Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendā eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo: tunc primum audiebant, Ego autem dico vobis non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: primū tunc audiebant, Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos. Nihil ad perfectum adduxit Moyſes, Chriſti enim erat officium, vt euangelicam atque perfectam traderet iuſtitiam, Phariſaicam autem aboleret. Iudaica namque & ethnica diuortia, poſt quæ admittebantur noua coniugia, quando in Eccleſia tentata ſunt, nunquā obtinuerunt, ſed vel prohibita ſunt, vel docta eſſe illicita, vt ſatis patet ex Origene de permiſsione quorundam epiſcoporum, ex Hieronymo de Fabiola, & Auguſtino de Pollētio: quāmuis Origenes excuſare videatur epiſcopos. Quod forſitan, inquit, propter infirmitatem hominum huiuſmodi incontinentium, peiorum comparatione, quæ mala ſunt admiſerunt aduerſus ea quæ fuerūt ſcripta. Quēadmodum Gregorius ſecundus ſcribit Bonifacio Epiſcopo. Quod propoſuiſti, ſi mulier infirmitate correpta, non valuerit viro debitum reddere, quid eius faciet coniugalis, bonum eſſet ſi ſic permaneret, & abſtinentię vacaret: ſed quia hoc magnorum eſt, ille qui ſe non poterit continere, nubat magis, non tamen ei ſubſidij opem ſubtrahat. Nam vt dicit Antonius in vita Gregorij ſecundi iſtud permiſit Germanis, tunc primū ad fidem conuerſis, ex prædicatione Bonifacij epiſcopi, quem ad eorum conuerſionem miſerat: quamuis Gratianus dicat quòd hoc aduerſatur ſacris canonibus, & euangelicæ atque Apoſtolicæ doctrinæ.

Aug. li. 2 de adul. coniug. cap. 21. — *In Epitaphio Fabiolæ ad Oceanum.* — *Eraſmus in annota circa ca. 7. epiſt 1. ad Corint.* — *Matth. 5.* — *Matth. 5.* — *32 quæ. 7. c. Quod propoſuiſti.*

OBſcuritatem in hac veritatis luce facere videntur verba Domini Saluatoris apud Matthæum, Dico autem vobis, quicunque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur. Ex quibus propter exceptionē ſequi videtur, quod qui dimiſerit ob fornicationē, & aliam duxerit, non mœchatur, nec is qui duxerit dimiſſam. Hæc enim exceptio multis fuit occaſio erroris, qui eandem ſubintelligi volunt apud Marcum & Lucam, quando vniuerſaliter loquuntur. Quicunque dimiſerit vxorē ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam: item & in ſententijs Apoſtoli Pauli.

Cui obiectioni reſpondet B. Auguſtinus: Cur, inquit, interpoſuit Dominus cauſam fornicationis, & non potius generaliter ait, Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, & aliā duxerit, mœchatur: ſi & ille mœchus eſt qui dimiſſa fornicante muliere alteram ducit? Credo, inquit, quia illud quod maius eſt, hoc Domin⁹ commemorare voluit. Maius enim adulterium eſſe quis negat vxore non fornicante dimiſſa alteram ducere, quàm ſi fornicantem quiſque dimiſerit, & tunc alteram duxerit: non quia illud adulterium non eſt, ſed quia minus eſt, vbi fornicante dimiſſa, altera ducitur. Nā ſimili locutione vſus etiā Apoſtolus Iacobus ait, Scienti ergo bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi. Nūquid ideo non peccatum eſt illi, qui neſcit bonum facere, & ideo non facit? Vtique peccatum eſt, ſed hoc grauius, ſi etiam ſciat & non faciat, nec ideo illud nullum, quia minus. Vt ergo eodem modo vtrumque dicamus, ſicut quicunque dimiſerit vxorem, excepta fornicationis cauſa, & aliam duxerit, mœchatur: ita quicunque ſcit bonum, & non facit, peccat: ſed quemadmodum hic rectè dici non poteſt: Ergo ſi neſcit non peccat. Sunt enim etiam peccata ignorantium, quāuis minora quàm ſcientium, ita nec illis rectè dici poteſt: Ergo ſi cauſa fornicationis dimiſerit, & aliam duxerit, non mœchatur. Eſt enim mœchatio etiam eorum qui alias

li 1. de adul. cōiugib. ad Pollētium. Cap. 9. — *Cap. 4.*

ducũt,relictis propter fornicationem prioribus,ſed vtique minor quàm eorũ, qui non propter fornicationẽ dimittunt, & alteras ducũt.Et paucis interiectis.Profectò inquit, quando de vno eorũ legimus,nõ ita intelligere debem⁹, quaſi ex hoc alter mœchus negatus ſit, quòd alter expreſſus ſit, ſed ſi hoc Euangeliſta Matthęus,quia expreſſa vna ſpecie,alteram tacuit, facit ad intelligendum difficile, nunquid non alij generaliter idipſum ita complexi ſunt, vt de vtroque poſsit intelligi? Nam ſecundum Marcum ſic ſcriptum eſt,Quicũque dimiſerit vxorem ſuam,
Cap.10. & alteram duxerit, adulterium committit ſuper eam:Et ſi vxor dimiſerit virum ſuum, & alij nupſerit, mœchatur. Secundum Lucam ſic, Omnis qui dimittit vxorem ſuam, & alteram ducit,męchatur: & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur. Qui ergo nos ſumus vt dicamus, Eſt qui mœchatur vxore ſua dimiſſa, alteram ducens, & eſt qui hoc faciens non mœchatur,cum Euangelium dicat omnem mœchari qui hoc facit. Vbi ſine dubio compræhenduntur ambo, & qui præter, & qui propter cauſam fornicationis v-
Cap.16. xorem dimittit. Hoc eſt enim, Quicunq; dimiſerit, hoc eſt, omnis qui dimittit. Ex quibus patet,quòd B.Auguſt. intelligit particulam niſi ob fornicationẽ dici negatiuè, hoc eſt,Si nõ ex cauſa fornicationis(de qua iam non agimus)non exceptiuè. Dicit enim, Si-
Iacob.4. cut dictum eſt, Scienti bonum, & nõ facienti,peccatum eſt illi: eodem modo & iſtud dici,Dimittenti vxorem ſine cauſa fornicationis,& aliam ducẽti,mœchatio eſt illi. Et rectè ſic intelligit. Nam exceptiuè accipi non poteſt,vt faciat propoſitionem exceptiuam, (quomodo aduerſarij intelligunt, vt ſententiam ſuam erroneam ſtabiliant) cum inter partes ſubiecti includatur, & ideo nec ad copulam, nec ad prædicatum propoſitionis,vt ab eo exceptionem faciat, referri aut extendi poteſt. Ait namque Saluator, Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Quis hic ſenſus haberi poteſt niſi iſte, Quicunque dimiſerit vxorem ſuam extra caſum fornicationis,& aliam duxerit, mœchatur. An verò etiam mœchetur, qui cauſa fornicationis vxorem ſuam demiſerit & aliam duxerit,nihil hic expreſſe definitur. Et ſi diligenter expendamus totam Saluatoris reſpõſionem ad quæſtionem à Phariſæis propoſitam, inueniemus eam ex generalibus procedere ſententijs ſine vlla exceptione aut reſtrictione.Nulla igitur opus erat in concluſione atque ſententia Domini reſtrictione, ſpectando propoſitiones aſſumptas: & poterat generalem pronunciare ſententiam apud Beatum Matthæum, qualem apud Marcum & Lucam expreſsit, niſi cauſam habuiſ-
Math.19. ſet ſuper caſu fornicationis diſsimulandi. Nam ſuper eadem quæſtione atq; ſua ad eam reſpõſione domi interrogatus à diſcipulis, vniuerſaliter ſine exceptione dixit, Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, adulteriũ cõmittit ſuper eam.Tunc enim liberè, vtiliter, ac ſine offenſione integram veritatem dicere poterat. Nã quia generalis erat Phariſæorũ interrogatio,Si licet homini dimittere vxorẽ ſuam quacunq; ex cauſa? ſatis erat reſpondere, quòd non qualibet ex cauſa licitũ erat.Et quia cauſa fornicationis ſpecialem habebat difficultatem, ob quã ſolam in ſermone quã in monte habuit,dixerat poſſe vxorẽ dimitti, ideo opus non erat, nec requirebat propoſita quæſtio,quid liceret in cauſa fornicationis,quod tamen alio tẽpore & loco planè docuit & explicuit, ſed ex hac ſententia apud Euangeliſtã Matthæum apertè haberi non poteſt. Nihil hic enim dicit de eo qui dimittit vxorem propter fornicationem,ob quam ſolùm ipſam dimittere licet:quamuis ex præmiſsis ſententijs generalibus neceſſariò hoc ſequatur.

Quare Beatus Auguſtinus, Verba, inquit ad Pollentium, quæ ipſe poſuiſti, vnde tibi *Li.1.cap.11.* viſum eſt non mœchari eum, qui propter cauſam fornicationis vxorem dimittit, & aliam ducit, obſcurè quidem poſita ſunt, vnde non miror in eis intelligendis laborare lectorem : ſed quod minus intelligitur apud Matthæum , apud alios euangeliſtas intelligi poteſt . Quapropter cùm legerimus in euangelio apud Matthæum Quicunque dimiſerit vxorem, niſi ob fornicationem, vel hoc quod magis in Græco legitur, præter cauſam fornicationis, & aliam duxerit,mœchatur,non debemus continuò putare illũ non mœchari, qui propter cauſã fornicationis dimiſerit, & aliã duxerit,ſed adhuc ambigere donec euãgelium ſecũdum alios euãgeliſtas à quibus hoc narratum eſt, cõſulamus.Quid ſi ſecundũ Matthęum, non quidem quod ad hanc rem pertinet dictũ eſt totũ,ſed ita dictũ eſt,vt intelligeretur à parte totum,quod tanquã explanãtes Marcus & Lucas vt clareret plena ſententia, totum dicere maluerunt.Cùm itaq; primũ non dubitãtes verũ eſſe quod apud Matthæũ legitur, Quicunq; dimiſerit vxorem ſuã,præter cauſam fornicatiõis,& aliã duxerit,mœchatur, quærimus,vtrũ tantùm iſte mœchetur ducendo alterã vxorem,qui pręter cauſam fornicationis priorem dimiſerit, an omnis qui dimiſſa vxore alteram duxerit,vt ibi ſit etiã ille qui fornicantẽ dimiſit. Nonne ſecundũ Marcũ reſpõdebitur nobis, Quid quæritur vtrũ ille ſit mœchus,& ille non ſit? Quicunque dimiſerit vxorẽ ſuam,& aliam duxerit, adulterium committit.Nonne etiã ſecundũ Lucam dicetur nobis. Quid ambigitis, vtrũ ille qui propter cauſam fornicationis vxorem dimiſerit,& aliam duxerit, nõ mœchatur? Omnis qui dimittit vxorem ſuam & ducit alteram,męchatur.Ac per hoc quoniã fas non eſt,vt euangeliſtas, quamuis diuerſis verbis de vna re loquentes, ab vno ſenſu eademq; ſententia diſſentire dicamus : reſtat vt Matthæum intelligamus à parte totũ ſignificare voluiſſe, eandem tamen tenuiſſe ſententiam,non dimittens vxorẽ & alteram ducens

ducens quidam mœchetur, id eſt, qui præter fornicationem dimiſit, quidã verò non mœchetur, id eſt, qui propter fornicationem dimiſit, ſed omnis qui dimittit vxorem ſuam, & ducit alteram, mœchari minimè dubitetur. Hactenus Auguſtinus. Eſt autem cauſa cur apud Matthæum interiecta dicta exceptione, Dominus veluti ſtudio obſcuram fecerit ſuam ſententiam. Nam Phariſæi inſidiabantur illi, ſperantes in verbis atq; reſponſione eius ſe inuenturos, quod apud populũ poſſent in eo calumniari, memores (vt videtur) eorum quæ in monte eadem de re antea docuerat, & aduerſus ea efficacem atq; irrefragabilem ex verbis legis ſe putantes habere obiectionem & calumniam, id quod euangeliſta nobis innuit, dicens, quod acceſſerunt ad eum tentãtes ipſum. Hac igitur de cauſa nec apertis verbis damnauit Polygamiam, tam ante legem, quàm ſub lege patribus vſitatam, nec iuſta de cauſa dimittendi vxorem, dicit non licere alteram ducere. Vtrunq; enim expoſitum fuiſſet graui columniæ apud populum, vt quòd præſumeret, nouas ipſe leges condere, & Moſaicæ legis qualis ſecundum literam videbatur, arctare, ſiue reuocare potius licentiã: veruntamen vt verbis illis ſuis efficaciter, quãuis paulò obſcuri* ob inſidiatores illos innuit, ita diſcipulis ſuis de eodẽ iterum domi percunctantibus, apertiorib. verbis & liberius expreſsit, nec minus nobis per ſuum Apoſtolum. Non igitur Marci, Lucæ, & Pauli ſententiæ reſtringi debent ſecundum particulam, Niſi ob fornicationem, ſed intelligi vniuerſaliter, quæ totã explicent veritatem, cuius ſolum partẽ expreſsit Matthæus. Nec ex Euangelijs clarè conſtaret, an mœchetur, is qui ob fornicationem vxorem dimittit & aliam ducit, cum particula illa non ſit exceptiua, ſed reſtrictiua duntaxat dimiſsionis, ſecundum interpretationem Domini de libello repudij factam Matthæi 5. cap. cum dicitur: Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiſerit vxorẽ ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit, adulterat: extra quam cauſam non loquitur apud phariſęos Saluator, quamuis (vt diximus) ex ſua argumẽtatione & eius principijs vniuerſaliter pręcipere poterãt, & ſtatuere de omni dimittente vxorem, & aliam ducente. Quod clariſsimè docet Apoſtolus Paulus, dum ait, His qui matrimonio iuncti ſunt præcipio, non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Hic, inquit Auguſtinus, quęſtio tua eſt, verum Apoſtolus intelligatur eam prohibuiſſe nubere quæ ſine cauſa fornicationis diſceſsit à viro (Id enim tu ſentis) an ſicut ego ſenſi in ijs libris quos ante plurimos annos de ſermone euangelico ſcripſi, quem ſecundum Matthæum habuit Dominus Saluator in monte, illas innuptas manere præceperit, quæ à viris ſuis ea cauſa receſſerint q̃ ſola permiſſa eſt, id eſt fornicationis. Videtur enim tibi tunc à viro diſcedentẽ fœminam nubere non debere, ſi nulla viri fornicatione compulſa diſceſſerit, nec attendis ſi nullã vir eius causã fornicationis habuerit, non eam diſcedentẽ manere innuptam, ſed omnino diſcedere nõ debere. Nam vtiq; cui præcipitur, vt ſi à viro diſceſſerit, innupta permaneat, non diſcedendi aufertur licẽtia, ſed nubendi. Quod ſi ita eſt, datur ergò licẽtia fœminis quæ cõtinentes eſſe voluerint, nullum maritorum expectare cõſenſum, vt quod dictum eſt, mulierem à viro non diſcedere, eis præceptum eſſe videatur, qui poſſent eligere non continentiã, ſed tale diuortium quo liceret eis in aliorum nuptias cõuenire. Proinde quę dilexerint nullum deſiderare cõcubitum, nullum ferre connubiũ, licebit eis viros etiã ſine vlla fornicationis cauſa relinquere, & innuptas ſecundũ Apoſtolum permanere, & viri ſimiliter: quoniã par forma eſt in vtriſq; ſi cõtinentes eſſe voluerint, etiam vxoribus nõ cõſentientibus, deſerẽt eas, & ſine vllis nuptijs permanebũt. Tunc enim eis, vt putas, alia cõiugia liceret inquirere, ſi cauſa fornicationis diuortium naſceretur. Cùm verò iſta cauſa non eſt, ſupereſt ſecundum id quod exiſtimas, vt aut coniunx nõ diſcedat à coniuge, aut ſi diſceſſerit, ſine cõiugio maneat, aut ad priſtinum coniugium reuertatur. Nulla ergo exiſtente cauſa fornicationis cuilibet coniugi licebit vnum de tribus eligere, aut non diſcedere à coniuge, aut ſi diſceſſerit ſic manere: aut ſi non ſic manſerit, non alterum quærere, ſed priori ſe reddere. At vbi eſt quod idem Apoſtolus nec ad tempus, vt vacetur orationi, niſi ex conſenſu, voluit cõiuges carnali fraudare debito inuicem, quomodo ſaluum erit quod ait, Propter fornicationes autem vnuſquiſq; ſuam habeat, vnaquæq; ſuum virum habeat: vxori vir debitum reddat, ſimiliter autem & vxor viro: vxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir: ſimiliter & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier, hoc quomodò verum erit niſi quia volente coniuge, nõn licet coniugi continere? Nam ſi licet mulieri ſic dimittere virũ, vt maneat innupta, non vir habet, ſed ipſa ſui corporis poteſtatem, quod etiam de viro dictum intelligitur. Deinde cùm dictum eſt, Quicunque dimiſerit vxorem ſuam excepta cauſa fornicationis, facit eam mœchari, quomodo dictum intellecturi ſumus, niſi prohibitum eſſe homini dimittere vxorem, ſi nulla cauſa fornicationis extiterit? Et dictum eſt quare, ne ſcilicet faciat eã mœchari: Vtiq; ideo, quia etiam ſi nõ ipſa dimiſerit, ſed dimiſſa fuerit, erit mœcha, ſi nupſerit. Cùm ergo non licet vxori diſcedere, niſi ob cauſam fornicationis, eam intelligit quæ ob hanc cauſam diſcedit (ob quam ſolùm diſcedere licet) debere manere innuptam. Quando igitur dicit Marcus & Lucas, Et ſi vxor dimiſerit virum ſuum, & alij nupſerit, mœchatur, non poteſt intelligi, niſi ob fornicationem dimiſerit, cùm Apoſtolus eã iubeat

Albertus pighius de diuortio. *Matth. 19.* *1. Cor. 7.* *Ad Pollent. li. 1. c. 1. et 2.* *Li. 2. ad Pollentium c. 1.* *Cap. 10.* *Cap. 16.*

manere innuptam: & ex conſequenti intelligi non poteſt hæc exceptio, quando de viro dicit. Quicunq; dimiſerit vxorem ſuã & aliam duxerit, adulterium cõmittit ſuper eam. Nec ſatis facit ſuaſio Eraſmi, quòd nõ eſt par conditio & poteſtas vxori dimittendi virum, quę viro dimittẽdi vxorem: quod tametſi fortiter & conſtanter (vt ipſe refert) Auguſtinus aſſeueret, non eſt, quò hoc certum doceat. Citat pro ſe B. Ambroſium circa locum, Et virum vxorem nõ dimittere, dicentem, Apoſtolus iubet virum vxorem nõ dimittere, ſubauditur autem, excepta fornicationis cauſa: & ideo non ſubiecit, dicens ſicut de muliere, quòd ſi diſceſſerit, manere ſic, quia viro licet ducere vxorem, ſi dimiſerit vxorem peccantem, quia non ita lege cõſtringitur, ſicut mulier. Caput .n. mulieris vir eſt. Item paulò ſuperius, Quod ſi ſe, inquit, continere non poteſt, quia pugnare nõ vult contra carnem, viro recõcilietur. Non enim permittitur mulieri vt nubat, ſi virũ ſuum cauſa fornicationis dimiſerit, aut Apoſtaſię, aut ſi illicitè impellẽte laſciuia, vſum quærit vxoris: quia inferior nõ omnino hac lege vtitur qua potior. Si tamẽ apoſtatet vir, & vſum quærit vxoris inuertere, nec alij poteſt nubere mulier, nec reuerti ad illũ. Hic cum ait, quia inferior non omnino hac lege vtitur qua potior, videtur tacitè tribuere marito ius ducendi alteram. Hæc Eraſmus. Sed oſtendimus in ſuperioribus non ſolùm hic reclamare B. Auguſt. ſed & alios patres eccleſiaſticos, & ſacros Canones, qui concorditer docent parem eſſe poteſtatem coniugibus in dimittendo ob fornicationem: ſed & Apoſtolum Paulum, quemadmodum planè docet ipſe Auguſtinus locis ſuprà citatis, & cap.8.li.1.ad Pollentium, Et Magiſter Sententiarum hanc Ambroſij ſententiam citãs, ſimiliter & Gratianus, dicunt eam à falſarijs inſertam atq; admixtam eſſe commentarijs B. Ambroſij, cuius rei multæ ſunt coniecturæ, inter quas prima eſt, quod B. Auguſt. qui ſcriptorum Ambroſij fuit obſeruator diligentiſsimus, eam non præterijſſet, & eam citaſſet Pollentius, ſi eo tempore fuiſſet in B. Ambroſio, ſicut in alijs locis libenter eius ſententiam allegat B. Auguſtinus, ſiue pro, ſiue contra ſe faciat. Et quemadmodum Pollentius hic non prętermittit opinionem Cypriani de contrahentibus in diſpari cultu, quòd iure diuino prohibitum eſt huiuſmodi matrimonium & inualidum, ſine dubio citaſſet & Ambroſium ad roborandum ſuã opinionem, ſi hanc ſententiam in eius commentarijs legiſſet. Eſt & alia coniectura, quod in libris alijs planè doceat cõtrarium. Nam in Commentarijs in Lucam circa locũ, Omnis qui dimiſerit vxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur. Audi, inquit, legem Domini, cui obſequuntur etiam qui leges ferunt, Quæ Deus coniunxit, homo non ſeparet: Non ſolum hic cœleſte præceptum, ſed quoddam etiam opus Dei ſoluitur. Pateriſne, oro, liberos tuos viuente te eſſe ſub vitrico, aut incolumi matre eſſe ſub nouerca? Ponè ſi nubat, neceſsitas illius tuum crimẽ eſt, & coniugium tuum quod putas adulterium eſt. Dimittis ergo vxorem quaſi iure ſine crimine, & putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet, ſed prohibet diuina? Vbi ſecundum vniuerſales ſententias Saluatoris, nihil diſcriminis inter virum & vxorem intelligit Ambroſius, Et tractans locum Apoſtoli, quæ ſub viro eſt mulier. Hæc lex, inquit, de euangelio eſt, non ex Moyſe, neq; ex iuſtitia terrena. Aliquid ergo duce natura, aliquid ex lege Moyſi diſcentes, perfecti ſunt per Euangelium Chriſti. Ac de lege ciuili, Horum verborum occaſione, quidam intelligunt ſententiam hanc ex comment. B. Ambroſij citatã, vt ſic accipiatur, quia vir non ita lege cõſtringitur ſicut mulier: lege, inquam, ciuili & antea Moſaica: & quòd ideo Paulus taceat hoc de viro, ne palam Corinthijs (qui Imperatori ſubiecti erant, & ſecundum eius leges viuere cogebantur) ſcriberet ea quæ erant cóntra leges Imperiales, ſecundum quas licebat viro vxorem dimittere, nõ ediuerſo. Atqui alio loco apertè docet pares eſſe virum & vxorem in coniugio. Nemo, inquit, ſibi blandiatur de legibus hominum. Omne ſtuprum adulterium eſt, nec viro licet, ꝙ mulieri non licet. Quòd ſi ſolutio Magiſtri ſententiarum nõ placet, fateri tamen oportet, tria teſtimonia plus habere ponderis, quam hoc vnicum, vt potius credatur illud ſenſiſſe quod tribus diſtinctis in locis diſſerit, quàm quod vnico loco apparenter colligit, non eſſe apertè illicitum ex ſententia quam Apoſt. ibi tractat. Et ſi fortaſsis tria illa loca non ſatis conuincunt eum aliter ſenſiſſe, reſpõderi poteſt, quod tempore B. Ambroſij quæſtio iſta obſcura erat, ꝑpter hanc Apoſtoli ſententiam & exceptionem quam Dominus inſerit apud Matthæum: & antequam liquidè explanaretur veritas, venialiter peccabant Epiſcopi circa eam errantes, vt dicit B. Auguſt. lib. de fide & operibus, Quando autẽ iam eliquata eſt veritas, & acceſsit definitio non ſolum ſedis Apoſtolicę, ſed etiam Concilij plenarij & Oecumenici, inexcuſabilis eſt error, & pertinax, non cedens definitioni Eccleſiæ, dicente Domino, Si quis non obedierit ſacerdotis imperio, morte moriatur: prout hoc docet B. Aug. de errore rebaptizantium eos qui fuerant ab hæreticis baptizati. Fieri itaq; poterat, quòd B. Ambroſius in hac quæſtione errauerit, ſicut & B. Cyprianus circa quæſtionem de rebaptizando, quando nondum erat manifeſtata veritas, nec definitio Concilij plenarij pronunciata.

In comment. 7. cap. ad Corinth. — *diſ. 73.33. 2. q. li. 1 ca. 4 & ſequent. de gratia Chriſti.* — *Cap. 16.* — *Rom. 7.* — *Li. 1. de Abraham. c. 4* — *Cap. 19.* — *De baptiſmo contra Donatiſtas li. 5. c. 4. & lib. 7. cap 53.*

Eraſmi obiectio.

Contra hunc intellectum ſententię Apoſtoli obijcit Eraſmus: Redeũt, inquit, in gratiam, quos offenſa aliqua humana diremit, & recõciliatur quæ offendit, nõ quæ offenſa eſt: Quòd ſi iure diſceſsit, cur iubet eam reconciliari, quæ magis erat placanda? Cui reſpondetur, quòd recõciliari, ſecundũ Grammaticos, eſt in gratiã redire, vt teſtatur Laurentius

rentius Valla. Quoties enim amici interpoſita aliqua offenſa aliquãdiu fuerunt inimici, quando in priſtinam redeunt beneuolentiam ac familiaritatẽ, vtriq; alter recõciliatur, ac proinde nõ ſolum recõciliatur qui offendit, ſed etiam qui offenſus eſt: vnde ſcriptura, Exaudiat, inquit, Deus orationes veſtras, & recõcilietur vobis: Et iterum, Dominus modicũ iratus eſt, ſed iterum recõciliabitur ſeruis ſuis. Rurſum, In recõciliatione mea, dicit Dominus, miſertus ſum tui. Et B. Chryſoſt. circa locum, Si offers munus tuũ, &c. Prius reconciliare fratri tuo ſiue iuſtè, inquit, ſiue iniuſtè aliquid aduerſum te habeat. Et videtur quidem ſuper eo qui contriſtauerit eſſe ſermo, totum verò de contriſtato potiùs dicitur. Similiter exponũt Hiero. & Theophyl. Reconciliatur igitur & qui offendit, & qui offenſus eſt. Ideo ergo iubet Apoſt. vxorem reconciliari ſi iure diſceſſerit, quia vult placatam in viri gratiam redire, ſi continere nolit. Obijcit etiam Pollentius b. Auguſt. argumentum, in quo Eraſ. catholicæq; veritatis aduerſarij plurimum fidunt. Sed reſpondens, inquit Auguſt. mihi, Continenter viuere paucorum eſt, & ideo qui fornicantes coniuges dimiſerunt, quoniam nõ poſſunt reconciliari, tantum ſe vident periclitari, vt legem Chriſti non humanam, ſed feralem pronuncient. O frater quantum ad incontinentes pertinet, multas querelas habere poſſunt, quibus (vt dicis) legem feralẽ pronuncient, non humanam, & tamen non propter illos legem Chriſti peruertere vel mutare debemus. Te quippe ſola eorũ querela permouet, qui coniuges, cauſa fornicationis intercedente dimittunt, ſi alias ducere non ſinantur, quoniam continere paucorum eſt, atq; ad id debẽt laude cohortari, nõ lege compelli. Itaq; ſi dimiſſa adultera non ducitur altera, iuſtam querelam, ſicut putas, habebit hominum incontinentia. Sed attende, Quàm plura ſunt, vbi ſi querelas incontinentiũ velimus admittere, neceſſe erit nobis adulteria facienda permittere. Quid enim ſi aliquo diuturno & inſanabili morbo corporis teneatur coniunx, quo concubitus impeditur: quid ſi captiuitas vel vis aliqua ſeparet, ita vt ſciat viuere maritus vxorem, cui ſibi copia denegatur? Cenſes ne admittenda incontinentium murmura, & permittenda adulteria? Quid in hoc ipſo vnde interrogatus eſt Dominus, reſpõditq; fieri nõ debere, ſed ad duritiem cordis illorum Moyſen permiſiſſe dari libellum repudij, & quacunq; cauſa dimittere coniugem, nonne lex Chriſti incontinentibus diſplicet, qui vxores litigioſas, iniurioſas, imperioſas, faſtidioſas, & ad reddendum debitum coniugale difficillimas, repudio interpoſito abijcere volunt, & alteras ducere. Iam verò quia iſtorum incontinentia legem Chriſti horruit, ad eorum arbitrium lex Chriſti commutanda eſt? Et ſi maritum relinquat vxor, vel maritus vxorem, nõ cauſa fornicationis ſed potius continentiæ, ſitq; incõtinens cui repudium propter hoc datur, quæro, vtrum non erit adulter vel adultera, ſi alteri copuletur? Si non erit, dicitur, Domino contradicitur, cuius hæc verba ſunt, Quicunq; dimiſerit vxorẽ, excepta cauſa fornicationis, facit eã mœchari, & qui dimiſſam ducit, adulterat: Ecce dimiſſa eſt, nõ dimiſit: & quia continere paucorum eſt, incontinentiæ ceſſit & nupſit, & tamen adulter adulteram duxit, ambo rei, ambo damnandi ſunt, & quæ nupſit viuo marito, & qui duxit eam cuius viuit maritus. Nunquid hic legem Chriſti dicimus inhumanam, qua conſtituitur rea tanti criminis, atq; punitur, quam vir nulla præcedente fornicatione dimiſit? Nam quia paucorum eſt cõtinere, dimittendo cõpulit nubere. Sed nunc de querelis incontinentiũ diſputamus. Quid enim videtur iuſtius hui⁹ mulieris querela quæ dicit, Dimiſſa ſum, nõ dimiſi, & quoniam cõtinere paucorũ eſt, nõ me cõtinui, ne mœcharer nupſi, & dicor mechata quia nupſi? Nũquid ꝓpter huius quaſi iuſtam querelam, legem diuinam cenſebimus eſſe immutandã, vt iſtam nõ iudicemus adulteram? Abſit, ſed reſpondebis non eam debuiſſe dimitti, quia fornicationis nulla cauſa præceſſerat. Verum dicis, Nam peccatũ mariti eius Dominus expreſſit, vbi ait, Qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta cauſa fornicationis, facit eam mœchari. Sed nunquid ideo iſta nubendo poſtea non peccauit, quia prius dimittẽdo ille peccauit? Et cap. 19. Hos igitur alloquor, inquit, vt quod facere deberent, ſi haberent cõiuges diuturno languore marceſcentes, vel loco ſibi inacceſſibili abſentes, vel animoſitate illicita continentes, hoc faciant ſi habuerint cõiuges adulterina inquinatione ſordentes, & propter hoc à ſuo conſortio diuortiantes, non alia quærant coniugia, quia non erunt coniugia, ſed adulteria. Cum enim par forma ſit in hoc vinculo viri & vxoris, ſicut vxor viuẽte viro vocabitur adultera, ſi fuerit cũ alio viro: ita & vir viuẽte vxore vocabitur adulter, ſi fuerit cũ altera muliere. Nõ eos terreat ſarcina cõtinentiæ, leuis erit, ſi Chriſti erit: Chriſti erit, ſi fides aderit, quę impetrat a iubente ꝙ iuſſerit: non eos frangat quòd videtur eorũ continentia neceſſitatis eſſe, non voluntatis, quia & illi qui eã voluntate delegerunt, fecerunt eam eſſe neceſſitatis, quoniã vani ſine damnatione ab illa deuiare nõ poſſunt, & qui in eam neceſſitatem contruſi ſunt, faciunt eam eſſe volũtatis, ſi non de ſeipſis, ſed de illo à quo eſt omne bonũ, confidunt. Hæc latius proſequitur in ſequentibus.

2. Machab. 7. Eſai. 60. Matth. 5.

de adult. cõiug. li. 2. c. 11

Coniuges frequenter continere tenentur ſine ſua culpa.

EX eadem matrimonij inſtitutione in paradyſo facta, & per Chriſtum reſtituta eiuſq; præcepto, docent doctores ſancti illicitam eſſe, & à Domino damnatam vxorum pluralitatem. Nam B. Hieronymus, Dicendo, inquit, maſculum & fœminam, in Geneſi, oſtendit ſecunda vitanda coniugia. Non enim ait maſculum & fœminas, quod ex priorum repudio quærebatur, ſed maſculum & fœminam, vt vnius coniugis con-

In commẽt. Matt. 19.

ſortia

ſortia nectererentur: Et dixit, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ: nō ait vxoribus ſuis. Et erunt duo in carne vna, præmium nuptiarum è duobus vnam carnem fieri. Eandem tradit ſententiam contra Iouinianū. Vna coſta, inquit, in principio in vnam mulierem verſa eſt: & erunt, inquit, duo in carne vna, non dixit tres neq; quatuor, alioquin non duo, ſed plures. Primus Lamech ſanguinarius & homicida, vnam carnē in duas diuiſit vxores, fratricidium, & bigamiam eandem cataclyſmi pœna deleuit. Et ſimiliter verba hæc Geneſios interpretatur Beatus Chryſoſtomus, qui ait, Conſiderandum eſt, quia non authoritate ſolum ſcripturæ, verùm etiam rerum dignitate ſententiam ſuam corroborat. Nō enim dixit, quia virum & mulierem, ſolummodo fecit, verum etiam quia iuſſit, vt vnus vni coniungatur. Nam ſi voluiſſet alteram etiam conduci vxorem, vni viro creato multas conformaſſet vxores: nunc verò vt creationis & ſanctionis modo vnam vni perpetuò coniungi, & nunquam reſcindi oportere docuit. Audi quomodo dicit, Qui fecit à principio maſculum & fœminam fecit eos, ex vna radice germinarunt, & in vnum corpus conuenerunt. Erunt enim duo in carne vna. Et eadem verba tractans Theophy. Oſtendit, inquit, opus & legiſlationē eius qui nos à principio formauit, eſſe monogamiā. Ab initio enim vnum coniunxit Deus vni, atq; ita non oportet vnum virum coniungi multis, neque mulierem vnam viris multis, ſed eos ſicut ab initio coniuncti fuerunt, manere, neque abſque cauſa cohabitationem diuellere.

Lib. 1. *Hom. 63 ſuper Matth.* *In commēt. Matth. 19.*

Quibus acceſsit reſponſio ſedis Apoſtolicæ tempore Innocentij tertij, qui interrogatus, an infidelis habens plures vxores eas retinere poſsit ad fidem conuerſus, vel quā ex eis: Reſpondit quòd vxorem attinentem ſibi in ſecūdo aut tertio, vel vlteriori gradu retinere debet, cùm ſacramentum coniugij apud fideles & infideles exiſtat, nec conſtitutionibus canonicis arctetur. Verùm abſonum hoc videtur & inimicum fidei Chriſtianæ, cùm ab initio vna coſta in vnam fœminam ſit cōuerſa, & ſcriptura diuina teſtetur quòd propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna: non dixit tres vel plures, ſed duo: nec dixit, vxoribus, ſed vxori. Et infrà, Nec illi vnquam licuit inſimul plures vxores habere, niſi cui fuit diuina reuelatione conceſſum, qui mos quandoq;, interdum etiam fas cēſetur, per quā ſicut Iacob à mendacio, Iſraelitæ à furto, & Sampſon ab homicidio: ſic & patriarchæ, & alij viri iuſti, qui plures leguntur ſimul habuiſſe vxores, ab adulterio excuſantur. Sanè veridica hæc ſententia probatur etiam de teſtimonio veritatis teſtantis in Euangelio, Quicunq; dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Si ergo vxore dimiſſa duci alia de iure non poteſt, fortius & ipſa retenta: per quod euidēter apparet pluralitatem in vtroque ſexu (cùm non ad imparia iudicētur) circa matrimonium reprobandam. Quapropter antiqui Canones, eos qui præſumpſerunt binas vxores ducere, Anathemate notauerunt. Quōdam etiam Archiepiſcopi duo, Teugennaldus Treuirenſis & Gontarius Colonienſis, quòd Lothario imperatori conſenſerant, vt duas ſimul vxores haberet Thebergā & Gualradam, ab Archiepiſcopali dignitate poſiti fuerunt. Nec ſatisfacit quorundam reſponſio ad primam probationem Innocentij, qui dicunt, quòd natura humana fuit primitus inſtituta, non ſolùm quantum ad ea quæ ſunt neceſsitatis, ſed etiam quantum ad illa quæ ſunt perfectionis: & ſic matrimonium inſtitutum fuit ſecundum ſtatum ſuum optimum, à quo tamen ſi deficeret, non propter hoc eſſet malū & illicitum. Non enim cōtinuò malum eſt, quod ab optimo deficit. Nam in bonis eſt dare bonum & melius. Optimus ergo ſtatus matrimonij eſt vnius cum vna, ſed nō eſt malus quando eſt vnius cum pluribus, ſi ſubſit cauſa. Non eſſet ergo, vt dicunt quidam, omnino cōtra rationem, ſi quis diceret quòd ſicut papa diſpēſat in ſolēni voto continentiæ propter bonum commune, ſic diſpēſare poſſet, vt Princeps habens vxorem ſterilem de qua nō poſſet ſuſcipere prolem, ea viuēte & conſentiente acciperet aliam, niſi impediret poſitiua Chriſti ordinatio. Sed falluntur iſti non aduertentes quęſtionē Chriſto propoſitam eiusq; reſponſionem. Interrogant enim Pharisæi, Si licet homini dimittere vxorem ſuam quacunq; ex cauſa? Ipſe autem reſpondit ex verbis inſtitutionis nō licere. Oportet igitur inſtitutionem adducere neceſsitatem & præceptum, quod ſine peccato non violatur.

cap. Gaudemus de diuortijs. *Geneſ. 2.* *11. quæſt. 3 c. Teugualdū 24. diſt. 3. cap. An non diſtricta.* *Durand. diſt. 53. li. 4 ſen. qu. 1 & Tho ſtatim abunen.* *1 Reg. 3 q. 28. & 143.* *Matth. 19.*

Secundæ quoque argumentationi Innocentij non ſatisfaciunt, dicendo non valere conſequentiam. vxore dimiſſa, alteram ducere non licet, ergo fortiori ratione nec vxore retenta: quia inquiunt, quę ducitur vxore dimiſſa, ducitur ſine conſenſu vxoris legitimę & in eius præiudicium: nō ſic illa quę ducitur de conſenſu vxoris retentæ. Sed reuerà eſt argumētum validum à Minore, quia plurium vxorum cohabitatio aduerſatur communicationi operum, quæ neceſſaria ſunt in vita humana, aduerſatur etiam paci & trāquillitati familiæ. Et quia ſuſpenſa eſt obligatio coniugalis in marito erga coniugem fornicariam, nullus eius neceſſarius eſt conſenſus, & generalis eſt ſentētia Saluatoris, Quicunq; dimiſerit vxorem ſuam & aliā duxerit, mœchatur: & qui dimiſſam duxerit, mœchatur. Etſi liceret vxorum pluralitas, qui ſine cauſa fornicationis vxorem dimitteret, faceret eam mœchari, iuxta Domini ſententiā, non ipſe mœcharetur. An verò vxorū pluralitas ſit contra ius naturæ, quod ſumitur a fine operis, qui primarius hic eſt generatio & educatio prolis: ſecūdarius autem communicatio operum vitæ, & pax, ac tranquil-

diſt.33.lib.1. ſententiarū *De reg mo ra lib ca de matrimonio.* *1. Reg.8.* *Quæſt.48.et 14. de bono coniug.c.vl. ca.3. & 17.*

tranquillitas domus: An propter inæqualē eorum, quæ commutantur. Nam corpus viri quoad prolis procreationē maioris valoris eſſe videtur, quā corpus mulieris, cū pro eodem tempore idē vir plures fœcundare poſſit, quàm eadem mulier à pluribus viris poſſet concipere, obſcura eſt quæſtio, circa quā variæ ſunt doctorum ſcholaſticorū opiniones. Nam Durandus, Ioan. Gerſon, & Thoſtatus Abulenſis docent non eſſe contra ius naturæ, eò, quòd ad prolis multiplicationem conducat, propter quam matrimonium cōtrahitur. Quibus fauere videntur ſententię B. Auguſt. & B. Ambr. quas citat Magiſter ſententiarū, diſtinct. 33. Ait enim ille, Antiquis iuſtis non fuit peccatum, quòd pluribus fœminis vtebantur, nec contra naturā hoc faciebant, cùm non laſciuiendi cauſa, ſed gignendi hoc facerent: nec contra morem, quia eo tempore illa fiebant: nec contra præceptum, quia nulla lege erat prohibitū: quamuis tamen ſecundū eum contra naturā ſit, vt vna mulier plures habeat maritos: quia, inquit, maritus habet principari, mulier ſubijci. Et B. Ambr. Dixit, inquit, Sara ad Abrahā, Ecce concluſit me Dominus, vt non pariam, intra ergò ad ancillā meam, vt filium facias: & ita factum eſt. Conſidera primū, quod Abrahā ante legem Moyſi, & ante Euangeliū fuit: Non ergo in legem peccauit, nec in Euangelium, ſed verū q; præuenit, &c. Imò quidam addunt, quòd nec virorū pluralitas in omni caſu prohibita eſt in iure naturæ, vt ſi quæ ex viro ſuo concipere non poſſit, ſicut ſecundum B. Auguſti. Cato Romanus vxorē ſuam tradidit alterius etiam domum impleturam. Et dicit Durandus, quòd pacificum conuictum familiæ non ita impedit vxorū pluralitas, quàm earū vel vnius malitia vel proteruia. Addunt præterea, quando finis ſecundarius præiudicat principali, negligendus eſt ſecundarius. Thomas autem duplicē diſtinguit matrimonij finem, prolis ſcilicet procreationem, & cōmunicationem operū vitæ, & docet eſſe contra ius naturæ, quod ſumitur a fine ſecundario, non quod à fine principali. Hæc res, quia difficilis eſt atque perplexa, quā diligenter tractant doctores ſcholaſtici, ſatis nobis hic fuerit, ſecundum declarationē Innocentij tertij, quod vxorū pluralitas eſt contra Dei inſtitutionem, & poſitiuum Chriſti præceptum, quod ipſe cōformiter inſtitutioni ſtatuit. Quicunq;, inquiens, vxorem ſuam dimiſerit, & aliā duxerit, mœchatur: & qui dimiſſam duxerit, mœchatur, & contra rationem ſacramenti. Quæ tria, quoniam naturalem ſuperant cognitionem, excuſari potuerunt Socrates, alijq; Philoſophi & Ethnici, de quibus B. Hieronymus, qui duas habuerūt vxores, immò & ſic excuſari poteſt Cato Romanus, qui vxorem ſuam alteri tradidit.

lib. 1. de Abraha. ca.4.

De bono cōiugali.c.18.

lib.1. contra Iouinianū.

In captiu.Babylo. de matrimonio.

Contra præſentem articulum occaſione data per Annotationes Eraſmi (qui tamen ſua dicta iudicio ſedis Apoſtolicæ ſubijcere, & magis veritatis inquirendæ quā eam aſſerendę cauſa de hac re agere fatetur) cōcorditer pugnāt noſtri temporis ſectarij, & in primis Martin. Luth. qui ita ait.

Lutherus.

De diuortio etiam verſatur quæſtio, an licitum ſit, ego quidem ita deteſtor diuortium, vt bigamiam malim, quàm diuortium, ſed an liceat, ipſe non audeo definire. Chriſtus ipſe princeps paſtorum, Matth.5. dicit, Si quis dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam adulterari, Et qui dimiſſam duxerit, adulterat.

Reſponſio.

Intelligit diuortium Martinus, in quo vxor dimittitur, & ducitur alia: & bigamiam quando plures habentur vxores ſimul: Id enim bigamiā ſignificare dicit. Mauult igitur quòd quis ſecundam ducat vxorem, hoc eſt, ſimul plures habeat, quàm priori dimiſſa ducat aliam. Vtrunq; malum eſt, & adulteriū cum ſecunda. Si fornicariam dimittit, minus malum eſt ſecundam ducere: Si verò extra cauſam fornicationis dimittit, dupliciter peccat. Nam facit vxorem mœchari ſine cauſa fornicationis eā dimittēs, & ipſe mœchatur, alteram ducens. Cęteris paribus, maius peccatum eſt, duas habere vxores quibus cohabites, quàm altera dimiſſa vnicam habere quam ſuper ducis: quum pluralitas vxorum cohabitantium ſit contra pacem & tranquillitatem familiæ.

Lutherus.

Concedit ergo Chriſtus diuortium in cauſa fornicationis duntaxat. Quare errare Papam neceſſe eſt, quoties diuortium facit alijs cauſis, nec ſtatim ſe tutum arbitrari debet vllus, qui Pontificia illa temeritate verius, quā poteſtate diſpenſationem obtinuerit.

Reſponſio.

Chriſtus loquitur de dimittente ſolū, nec aliam ducente, quæ alijs in locis tanquam diſtincta coniungit, dum ait, Quicunq; dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, &c. clariſsimè inter hæc duo diſtinguēs: & ideò hic dicit. Si quis dimiſerit vxorem ſuam, excepta cauſa fornicationis, facit eam adulterare, nō dicit, quod adulterat, ſicut dicit de ducente dimiſſam ꝙ adulterat. Si dimittere complecteretur vtrunq;, iam dimittens extra cauſam fornicationis ipſe mœcharetur, & vxorē mœchari faceret. Malè ergò Martinus cōcludit ex hac ſententia Saluatoris, ꝙ concedit diuortium in cauſa fornicationis, hoc eſt, vt dimittatur fornicaria, & ducatur altera: cū ſecundum Saluatorem dimittere diſtinguatur à ducere aliam. Nec Papa alijs ex cauſis facit diuortiū, hoc eſt, ſeparationē coniugij ſecundum thorū & domeſticam cōuerſationem, niſi ad tempus, vt ob infidelitatem, quando periculū eſt ſeductionis vel vitæ, vt ſi maritus tyrannicè tractat ſuam vxorem. In quib. omnib. priorē culpā purgat pęnitentia, & vxor maritū recipere obligatur.

Tho. diſ. 35. art.1.ad 3.

Fornicatio verò vnica cauſa eſt per ſe diuortij perpetui. Nam directè eſt cōtra bona matrimonij, quia tollitur per eā certitudo prolis & fides frangitur, & ſignificatio non ſeruatur, dum vnus coniugū pluribus carnē ſuam diuidat, & ideò alia crimina quamuis

uis fortè ſint maiora fornicatione, non cauſant diuortiū. Sed quia infidelitas, quæ dicitur ſpiritualis fornicatio, etiā eſt contra bonum matrimonij, quod eſt proles educanda ad cultū Dei, etiā ipſa facit diuortiū, ſed tamen aliter quā corporalis fornicatio, quia propter vnum actū fonicationis carnalis poteſt procedi ad diuortium, non autem propter vnum actum infidelitatis, ſed propter conſuetudinē, quæ pertinaciam oſtendit, in qua infidelitas perficitur. Hæc dicit B.Tho. reſpondens ad argumentum, quod propoſuerat. Fornicatio ſpiritualis & quædā alia peccata ſūt grauiora, ꝙ fornicatio carnalis: ſed propter illa non poteſt fieri ſeparatio à thoro, Ergo nec propter fornicationem carnalem. Quæ omnia confirmantur per ſacros canones, Alexand.3. Vrbani 3. & Gregorij 9.

cap. Quæſiuit cap. de illa. de diuortijs. ca. Multer de conuerſ. con. Matth. 23. Luca 22.

Et reuera tutus eſt, qui ſequitur paſtoris ſui iudicium & directionem. Nam Domini mādatum eſt, Omnia quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite. Item, Non declines ad dexteram neque ad ſiniſtram. Et Petro dixit idem Dominus, Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.

Lutherus.

Sed hoc admiror magis, quòd cœlibem eſſe cogant hominem, qui diuortio ſeparatus eſt à coniuge ſua, nec aliam ducere permittant. Si enim Chriſtus diuortium concedit in cauſa fornicationis, & neminem cogit eſſe cœlibem: & Paulus nos magis vult nubere quàm vri, videtur omnino admittere, vt in locum repudiatæ aliam ducat. Quæ res vtinam plane diſcuſſa & certa eſſet vt poſſet conſuli infinitis periculis eorum qui ſine culpa ſua hodie cœlebes eſſe coguntur, hoc eſt, quorum vxores vel mariti aufugiunt & coniugē relinquunt, decennio vel nunquam reuerſuri. Vrget me & male habet hic caſus quotidianis exemplis, ſiue id ſingulari nequitia Sathanæ, ſiue neglectu verbi Dei contingit.

Reſponſio. Marc. 10. Luca 19.

Domini ſententia eſt, Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium cōmittit ſuper eam. Et ſi vxor dimiſerit virum ſuum & alij nupſerit, mœchatur. Qui ſumus nos, inquit Auguſti. vt dicamus, Eſt qui dimittit vxorē, & aliam ducens mœchatur: eſt & alius qui dimittit & aliā ducit & non mœchatur, cùm Dominus dixerit, Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, & aliā duxerit, mœchatur. Domini igitur ſententia cogit cœlibem manere hominem, qui diuortio ſeparatus eſt à coniuge ſua, quia ſi aliā duxerit mœchatur. Item Apoſt. Paul. dicit Dominum iubere, vt vxor maneat innupta, aut viro reconcilietur, à quo ob fornicationem diſceſsit. Et ſuperius ex B. Auguſtino docuimus, quòd multis modis coniuges coguntur manere cœlibes, etiā ſine ſua culpa, vt ſi diuturna peregrinatione vel morbo laborat alter coniunx. Quod & ipſe Lutherus docet in ſermone quodam de matrimonio: Qui, inquit, ex alijs cauſis ſunt ſeparati, vt quia nō poſſunt ſimul pacificè viuere, vel ob morbū alterius nō poteſt exerceri actus coniugalis, debent manere innupti, & Dominus dabit continere: & mentiuntur, qui dicunt ſe continere non poſſe. Sed fallitur hic Lutherus & omnes eius ſequaces, quòd nomine diuortij intelligant ſeparationem ſiue ſolutionem vinculi coniugalis, cū Dominus ſolū loquatur de dimiſsione cōiugis, quā diſtinguit cōtra ducere aliam, vt ſtatim diximus: Et Paulus magis vult nos nubere, quàm vri, ſi liberi ſumus. Nam & ipſemet Luth. alibi prohibet nubere, quādo ob morbum alterius non poteſt exerceri actus coniugalis: qui quod hic definire nō audet, ſed magis diſcuti atque examinari deſiderat, ab undè diſcuſſum eſt in libris B. Auguſtin. ad Pollentium, & poſt multam examinationē in Concilijs œcumenicis definitum. Verè impius eſt & ſacrilegus, qui poſt Eccleſiæ & tot ſacerdotum ſententiam, ſuæ opinioni aliquid tractandum relinquit, & ſemel iudicata & rectè diſpoſita reuoluit. Quod autem Lutherus hic definire non audet, quòd ſcilicet licet fornicariam dimittere, & ducere aliam, omnes ſectæ noſtri temporis pertinaciter & concorditer docent, imò & ipſe Luthe. in comment. 1. epiſt. ad Corinth. & ſermone de matrimonio, cōtra Conciliorum definitiones, item cōtra apertas Chriſti & Apoſtolorum ſententias hoc ipſum aſſerit.

1.Cor.7. Lib.2.ad Pollentium ca.6.& 19. Edictā Marciani Imperatoris. Cap. 7.

Lutherus.

Ego ſanè qui ſolus contra omnes ſtatuere in hac re nihil poſſum, vehementer optarem ſaltem illud 1. ad Corinth. 7. huc aptari, Quòd ſi infidelis diſcedat, Non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater aut ſoror in eiuſmodi. Hic Apoſtolus diſcedentem infidelem concedit dimitti, & fideli liberum facit alterum accipere. Cur non idem valeat ſi fidelis, hoc eſt, nomine fidelis, reipſa æquè infidelis coniugem deſerat, præſertim nunquam reuerſurus? Ego ſane nihil diſcriminis vtrinque deprehendere poſſum, Credo autem ſi Apoſtoli tempore diſceſſor infidelis reuerſus denuo, at fidelis factus, aut fideli cohabitare pollicitus fuiſſet, admiſſus non fuiſſet, ſed & ipſi alteram ducendi poteſtas facta fuiſſet.

Reſponſio.

Non eſſet per peſtilentem Lutheri doctrinam ita varijs errorib. corrupta Germania, ſi intra hos modeſtię limites ipſe ſe cōtinuiſſet. Verùm eos multis modis alibi exceſsit, multa tradens dogmata, quæ nouit contra omnes ſe ſtatuere, & in Eccleſia catholica ſemper fuiſſe dānata. Atq; etiam magna cum arrogantia eadem illa ſtatuit & definiuit in libris poſteriorib. de quibus hoc loco dicit ſe nō audere definire, nec ſolum ſe cōtra omnes ſtatuere. Nam in exegeſi ſua firmiter ſtatuit & definit tres eſſe cauſas diuortij (poſt ꝙ maximè authoritate magiſtratus celebratū, aliam vxorem ducere licet) quarum primā dicit eſſe impotentiam naturalē procreandi & multiplicandi genus, hoc eſt, ſterilitatem. Quo caſu dicit matrimonium initio fuiſſe nullum, quod verū non eſt, niſi

in 7. cap. ad Corint.

ſimul

ſimul ſit impotentia commiſcendi ſiue ſemi nandi. Secundam ponit cauſam, adulteriũ. Tertiam, quãdo negatur debitum legittimi conuictus, longè aufugiẽdo, vel vxorem relinquendo, vel negatur debita coniugij beneuolentia. Et hanc cauſam dicit latiſsimè ſe extendere. Nam quacunq; ratione à ſe inuicem diſcedunt, ſiue fidei, ſiue religionis, vel ex ira atq; diſsidio, ſiue ob quodcunq; aliud iniucundum, author, inquit, diſceſsionis debet ſe reconciliare, vel cœlebs viuere & permanere, & inſons ſtatim ius habet ſtatum permutandi, ſi alter placari nolit. Culpabilis verò non poteſt primus matrimoniũ contrahere, imò ſi coniunx etiam velit cohabitare: ſed non vt oportet, verùm ad furtum & quoduis aliud flagitiũ aduerſus Deũ inſtruendo & compellendo, licet dimittere & aliam ducere. Nam is quanquam nomine ſit fidelis, re tamen eſt infidelis: & hunc infidelem intelligit Apoſtolus Paulus, quando dicit, Si non conſentit cohabitare & diſcedat, diſcedat: Non enim ſeruituti ſubiectus, &c. Cùm enim ex contractu cõiugali ait, teneantur coniuges ſibi mutuò reddere debitum, & nulli alteri carnem ſuam cõmunicare, & primum violetur, ſi alter cohabitare vt oportet vel reddere debitum recuſat, & alterum à fornicante, vtroq; modo frãgitur fides coniugalis: & frãgenti, inquit, in ijſdẽ pactis non eſt fides ſeruanda. Igitur ſecundũ duplex pactum quod matrimonium cõplectitur, vt videlicet nemini alteri ſe communicet, & vt ei petenti ſe exhibeat, tres aſſignat cauſas diuortij, quarum prima ab eo ſumitur quòd poteſtatem generandi cõmunicare non poteſt is qui impotens eſt ad generandum, cùm eam non habeat. Idem quærit in Exegeſi, Si ſecundus quoque coniunx ſimiliter faceret, hoc eſt, ſi vrgeret contra fidem Chriſtianam, aut diſcederet, ſimiliter ſi tertius & quartus, & vlterius, Nunquid ſic poſſet vir vnus habere decem, aut plures vxores adhuc viuentes, quæ ab eo diſceſſerint, & contra, mulier vna decem aut plures maritos qui ab ea diſceſſerunt? Reſpondeo, inquit, nos ſancto Paulo non poſſumus os obſtruere, neq; poſſumus eos prohibere, qui eius doctrina vti volũt quotieſcunq; volũt. Verba eius clarè ſtant hic, quòd liber & ſolutus ſit frater aut ſoror, ſi coniunx eius ab eo diſceſſerit, & cum eo cohabitare noluerit, & non dicit vt ſemel tantùm fiat. Vbi licet videre quantũ in impietate & arrogantia promouerit Martinus Lutherus, vt dicere auſit verba Apoſtoli clarè ſtare pro hac ſua ſentẽtia, quæ multò clarius ſtant pro cõtraria. Nã poſtquam de Chriſtianis, hoc eſt, fratre & ſorore locutus eſt, addit, Nam cęteris ego dico, non Dominus: Quibus cæteris? quærit Auguſtinus, niſi quia ſuperius eis loquebatur, qui ſic copulati erant, vt pariter in fide Chriſti eſſent: cæteris autem nunc dicit, id eſt, eis qui ſic copulati ſunt, vt nõ ambo fideles ſint. Malè memor eſt hic Lutherus, quòd paulò ſuperius dixit, Papam errare quoties diuortium facit alijs ex cauſis quam fornicationis & quòd Chriſtus cõcedit diuortium in cauſa fornicationis duntaxat, Ait enim (vt ipſe Martinus citat) Quicunq; dimiſerit vxorem ſuam, excepta cauſa fornicationis, facit eam adulterare: Ipſe autem hic admittit diuortium in multis caſibus extra cauſam fornicationis. Cur autem nõ idem valeat, quod interrogat Lutherus, Si fidelis nomine, ſed reipſa ęquè infidelis cõiugẽ deſerat. Ego ſanè, inquit, vtrinq; nihil diſcriminis deprehendere poſſum: Hoc quidem ab Apoſtolo quærendum erat, qui ea myſteria, quæ cõſcripſit ſpiritu Chriſti, plenè intellexit, ipſe ſe interpretatur, quòd hoc de baptizatis ſiue Chriſtianis locutus non eſt. Et Innocent. 3. magnum inter iſta duo diſcrimen ponit. Nã & ſi matrimonium, inquit, verum inter infideles exiſtat, nõ tamen eſt ratum: inter fideles autem, verum & ratum exiſtit: quia ſacramentum fidei quod ſemel eſt admiſſum, nũquam admittitur, ſed ratum efficit coniugij ſacramentum, vt ipſum in coniugibus illo durante, perduret. Nec obſtat, inquit, quod à quibuſdã forſitan obijcitur, quòd fidelis relictus, nõ debeat iure ſuo ſine culpa priuari, cùm in multis caſibus hoc contingat, vt ſi alter coniugum incidatur, &c. Multum igitur diſcriminis eſt inter matrimonium fideliũ & infidelium, quia in fidelibus matrimonium eſt ſacramentum coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, & in eis, Chriſtiq; familia pręcipuè locum habet mandatum & ordinatio Chriſti. Atqui ipſimet Apoſtoli diſceſſori infideli, hoc eſt non baptizato, & alteri ſecũdum vitam tantùm infideli ſiue hæretico, id ipſum conſuluiſſent de matrimonio poſt baptiſma contracto, vel poſt baptiſma manente, quod nunc docet Eccleſia catholica, & in Concilijs generalib. definiuit. Multum etiam eſt diſcriminis inter coniugem adulterantem, & negantem debitam coniugij beneuolentiam, quamuis in vtroq; fides cõiugalis ſiue pactum violetur & frangatur: propter quod nec fides ab alia parte ſeruãda eſſe videretur. Nam fornicatio carnem vnam in aliam diuidit, & violat ſacramentum, & ſignificationem coniunctionis Chriſti vnius, cum vna Eccleſia, negans autem officium ſolum negatiuè ſe habet: Et ſolã fornicationẽ excipit Saluator, nõ autem fidei coniugalis aliam violationem. Sed hæc omnia nihil ad articulum noſtrum pertinẽt, qui docet poſt diuortium matrimonij legittimè contracti, nullo caſu aliud inire poſſe connubium. cui quo caſu poſsit fieri ſeparatio, eſt impertinens. Nec comprobari poteſt deſideriũ, quo optat Martinus Lutherus, quòd ſententia Apoſtoli ad ſenſum ſuũ aptetur, cùm ipſe magis ſuum ſenſum accommodare deberet ipſi ſcripturæ. Hinc enim hæreſes naſcuntur, quòd noſtrum adferimus ſenſum ſcripturis, & non potius ex ipſis noſtram intelligentiã referamus. Sunt, inquit Beatus Clemens, multa verba in ſcripturis diuinis, quæ poſſunt trahi ad eum ſenſum, quem ſibi vnuſquiſq;

1. Corint. 7.

Lib. 1 de ſer. Domini in monte.

cap. Quanto de diuortijs.

Epiſt. 4.

quiſque præſumpſit, ſed fieri non oportet. Non enim ſenſum extrinſecus ab alteris alienum & extraneum debetis quærere, aut quomodo ipſum ſcripturarum authoritate confirmetis, ſed ex ſcripturis ſenſum capere veritatis.

In ſermo. de matrimonio. impreſſo Argentorati, anno 25.

Hic prætereundū non eſt, quòd Martinus Lutherus extra hos tres caſus, qui aduerſantur contractui coniugali, docet nunquam licere ſecundum contrahere matrimonium. Ait enim, Præter has tres, alia adhuc diuortij cauſa reſtat, ſic tamen vt vterq; perpetuò abſq; matrimonio remaneat, aut mutuò reconcilietur, vt cùm non debitę rei cauſa, ſed ob alias res vnanimes eſſē non poſſunt coniugati. De hac re eſt apud Apoſtol. Paul. 1. ad Corinth. 7. Coniugatis autem præcipio, non ego, ſed Dominus, vxor à marito ne ſeparetur: quòd ſi ſeparata fuerit, maneat innupta, aut marito reconcilietur, & maritus vxorē ne dimittat. Nam tolerantiæ malorum obligatus eſt, à qua niſi Deo duce auelli nō poteſt, cùm debita coniugij beneuolentia non denegatur ei. Commune huc verbum pertinet: qui ignem habere vult, fumum etiam perferat neceſſe eſt. Quid verò ſi alter coniugatorum morbo degrauatus ſit, adeo vt eius ad rem nullus poſsit vſus eſſe, num aliā ſibi is matrimonij lege copulare poteſt? Nullo pacto, ni ſalutis tuæ nullam rationem habere velis. Cæterùm hic Deo in ægroto illo inſeruias, eiusq́; curam gerens, cogita Deum per hunc ædibus tuis ſancta immiſiſſe, quibus cœlum tibi comparandum ſit. Perbeatus es ſi tale donum, & tantam gratiam agnoſcens, ægro Dei nomine libēter obſequaris. Si verò te continere non poſſe improperes, te planè mentiri reſpondebo. Vbi enim ex animo, ægro tuo coniugato inſeruieris, tibiq́; à Deo id afflictionis adrogatum agnoueris cum gratiarum actione, tum illi relinque curam. Nam haud dubiè tibi robur impartiet, vt quàm vires tuæ poſſunt non plus toleres. Fidelior eſt Deus, quàm vt tuo coniugij te compare per ægritudinem priuet, nec rurſus carnis tuæ laſciuiam eripiet, ſi modò fidam operam languenti præſtiteris. Bene & catholicè hęc docet Martinus Lutherus, in eiuſdem tamen ſermonis prima parte, quaſi homine exutus, nec vllum habens ſenſum humanum, ſed tanquam merum libidinis mancipium dicit, quod mari & fœminæ cōditis Deus benedixit, inquiēs, Creſcite & multiplicamini: ex qua ſententia, inquit, certi ſumus oportere coadunari maritum & vxorem, vt ſeſe multiplicēt. Quocirca vt non eſt in meis viribus ſitum, vt vir nō ſim, tam non eſt etiam mei iuris, vt abſq; muliere ſim. Rurſum, vt in tua manu non eſt, vt fœmina non ſis, ſic nec in te, vt abſq; viro degas. Verbum enim hoc quo Deus ait, Creſcite, & multiplicamini, non eſt præceptum, ſed plus quàm præceptum, diuinum puta opus, quod non eſt noſtrarum virium, vel vt impediatur, vel vt omittatur, ſed tam eſt neceſſarium, quàm vt maſculus ſim, magisq́; neceſſarium quàm edere, bibere, purgare, mucum emungere, ſomno & excubijs intentum eſſe. Hæc omnia verum libidinis mancipium Martinus Luth. veritus non eſt in publica concione populo prædicare.

Gene. 2.

Lutherus.

Tamen in his nihil defınio, vt dixi, quanquam nihil magis optem eſſe definitum, cùm nihil me magis & multos mecum vexet hodie. Sola authoritate papæ aut epiſcoporum hic definiri nihil volo, ſed ſi duo eruditi & boni viri in nomine Chriſti conſentirent, & in ſpiritu Chriſti pronunciarent, eorum ego iudicium præferrem etiam Concilijs, qualia nunc ſolent cogi tantum numero & authoritate citra eruditionem & ſanctimoniam iactata.

Reſponſio.

Bene habet quòd hic nihil definiat Lutherus, ſed vt diximus, arrogantior factus, & in impietate proficiens, omnia hæc auſus eſt alibi definire, & ſolus contra omnes, dogmata hæc ſua ſtatuere, de diuortio videlicet & intellectu huius ſententiæ Apoſtol. Quòd ſi infidelis diſcedit, diſcedat. Et nimis ſuperba eſt iactātio eius, nimisq́ue arrogans, quòd definitioni Papæ & Epiſcoporum ſtare nolit, ſed ſi duo eruditi & boni viri in nomine Chriſti cōſentirent, eòrum ſententiam præferret etiam Concilijs. Nam quæſtiones fidei ad ſedem Apoſtolicam ſemper referri ſolent, vt docet Innocentius papa, ſcribens ad patres Mileuitani Concilij. Et Beatus Bernardus ad Innocentium ſecundum: Oportet, inquit, ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque & ſcandala emergentia in regno Dei, ea pręſertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſsimum reſarciri damna fidei, vbi non poſsit fides ſentire defectum. Item Beatus Cyprianus reſpondet hæreticis qui ſibi accommodabant verbum Domini. Vbicunque fuerint duo vel tres collecti in nomine meo, ego cū eis ſum. Quomodo, inquit, poſſunt duo vel tres in nomine Chriſti colligi, quos cōſtat à Chriſto, & eius Euangelio ſeparari? An eſſe ſibi cum Chriſto videtur, inquit, qui aduerſus Chriſti ſacerdotes facit, qui ſe à cleri eius vel plebis ſocietate ſecernit?

1. Corint. 7.

Epiſt. 93. inter epiſtolas B. Auguſtini. epiſt. 190.

De ſimplicit. prælatorum.

Nihilo plus momēti vel roboris habēt quę adfert Philippus Melanch. ad probandum quòd poſt diuortiū ob fornicationem celebratum, nouū liceat contrahere matrimonium. Ait enim.

Melanchthō

Diuortium magis eſſe nomine quàm re videtur, vbi ſegregatur vir & mulier, ita vt neutri liceat alij connubio ſe obſtringere. ideo ius eſt dimittēti viro aliam ducere, aut dimiſſæ mulieri alij nubere, niſi ille arceatur qui in culpa fuerit quòd prius matrimonium ſolutum eſt. Verum nec id fieri debere opinor, nulli planè pœna impoſsibilis iniungenda eſt, qualis eſſet cœlibatus in illo qui non poſſet capere verbum iſtud.

In not. ſuper Matth. 5.

Reſponſio.

Tale diuortium oſtendimus à Chriſto & Apoſtolo Paulo eſſe prohibitum, nec vnquā legitur vir aliquis vitæ probatæ hoc diuortium tentaſſe, & habuiſſe ſucceſſum. Quàuis

Socrat. et in hiſtori. tripar. li. 8 c. 11 autem Valentinianus Imperator Arrianus legem tulerit, vt duas liceret habere vxores, ſuo magis affectui & libidini ſeruiēs, quàm ſaluti publicæ, & lege lata poſt Seueram quā habebat vxorem, duxerit Iuſtinā, ex qua genuit Valentinianum iuniorem, qui patri in imperio ſucceſcit, & ex Seuera Gratianum: non diu tamen hæc eius lex ſubſtitit, ſed ſtatim ſublata eſt aliorum Imperatorum legibus, quæ prohibent binas habere vxores ſimul: Et ſemper diſſolutum eſt ſecūdum matrimonium, vel ei contradictum, quando in Eccleſia eſt tentatū, vt oſtendimus ex Origene, Hieronymo & Auguſtino. Ac nomen ipſum diuortij ſolùm ſeparationem ſignificat, nō cum alio, vt præſupponit Philippus, coniunctionem: Nec ſolum nomine fit diuortium, quando neutri licet alij connubio ſe obſtringere, vt prætendit Philippus, ſed reuera. Poteſt enim celebrato diuortio coniunx inſons tam alienum ſe gerere erga nocentem atq; fornicarium, ac ſi eum nunquā nouiſſet, neq; pactū vllum aut fœdus inter ſe inijſſent. Nam poteſt religionem profiteri, poteſt etiam ſuſcipere ſacros ordines, itē habitare ac peregrinari quo velit pro ſuo arbitrio, cùm ita liber ſit, ac ſi ei fidem nunquā dediſſet, vinculo coniugali ab omni ſuo effectu impedito, quod tamen quia perpetuū manet, aliud matrimonium contrahere ipſa viuente non poteſt. Nec vtuntur Chriſtus & Apoſtolus nomine diuortij, in quo tamē ſolo fundatur argumentatio Philippi, ſed nominib. dimiſsionis & receſſus, quæ nihil reſpiciunt, aut cōmune habent cum alia coniunctione. Atq; hanc dimiſsionem ipſi explicant eſſe quoad cohabitationem & thorū dūtaxat. Quòd ſi diſceſſerit vxor, inquit Apoſt. Dominus præcipit manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Diſceſſerit, ait Auguſtinus, ex cauſa fornicationis, ob quā ſolā ei diſcedere licet. Ineptiſsima igitur eſt Philippi ratiocinatio, qua ex eo vocabulo, quo nec Chriſtus nec Apoſtolus vtuntur, colligitur quòd dimittenti cōiugem liceat cum alio contrahere. Falſum eſt præterea quod aſſumit, cùm poſt diuortium ita ſint coniuges ſeparati, quaſi nunquam ſe mutuo cognouiſſent. Nec arceri poſſet ob culpā præcedentem iuuencula incontinens à cōiugio, ſi ruptum eſſet prius vinculum, & ſui corporis recepiſſet poteſtatem, ſed nubere permitteretur iuxta verba Apoſtoli, Quòd ſi nō ſe *1. Corint. 7.* continent, nubant: Melius eſt nubere, quàm *1. Timot. 5.* vri. Idem, Volo iuniores nubere, filios procreare. Nunc autem ex lege Euangelica continere obligantur vel viro reconciliari. Ex quibus patet quàm parum habeat ſoliditatis probatio Philippi Mel. ex qua tamen nouum hoc paradoxum ſtatuere, & toti orbi publicare audet, contra ipſas ſcripturas, & contra concordem patrum atq; Conciliorum definitionem, quam & ipſum non pudet tanquā *Inter lapſus & errata cō ciliorum.* erroneam reprehendere. Nam lib. de Eccleſia, inter lapſus & errata Conciliorum, De diuortio, inquit, ſanxit Synodus Mileuitana, cui interfuit B. Auguſtin. ne perſona innocens rurſus contrahat matrimonium: & addit petendum eſſe, vt Imperator legem in eam ſententiam ferat, id quoq; durius. Nam Romæ Fabiola contraxit aliud connubium, quemadmodum teſtatur Hieron. Quid ſibi vendicat homo puluis & cinis ſupra Conciliorum & Eccleſiæ authoritatem ſe erigens, nec veritus eſt eius doctrinam de errore notare? Rectè ſcriptum eſt, Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.

NEc plus ponderis aut momenti habent ea quæ in hac materia adducit Confeſsio VVittembergen. quæ ita habet.

Speramus etiam futurum, vt optimi quique Epiſcopi & principes permittant ijs qui ab adulteris ſuis coniugibus legitimo diuortio ſeparati ſunt, ea contrahendi iterum in domino coniugij libertate vti, quam conceſſit eis filius Dei dominus noſter Ieſus Chriſtus, Matth. 5. & 19. *Confeſsio. In fine tract. de coniugio.*

Optimi Epiſcopi & principales catholici maiorum ſuorum ſequuntur veſtigia, nec recedent à doctrina quæ perpetuò tradita eſt in Eccleſia catholica, & in Conciliorum definitionibus. Clariſsima namq; ſuper hac veritate eſt definitio Concil. Florent. quod docet, quāuis ex cauſa fornicationis liceat thori ſeparationem facere, non tamē aliud matrimonium contrahere fas eſt, cùm matrimonij vinculū legitimè contractum, perpetuū ſit. Quam doctrinam Auguſt. & Hieron. docent meram eſſe veritatem euangelicam. Et Epiſcopos quoſdam qui permiſerūt id quod hæc Confeſsio futurū ſperat, arguit Origenes, quòd fecerint contra Dei mandatū: atq; Fabiolam nobilem matronā Romanam reprehendit Hieron. quòd relicto viro adultero nupſiſſet alteri, quam in hoc peccaſſe dicit ex ignoratione vigoris Euangelici. Oſtendimus autem ſuprà falſum eſſe quod dicit Confeſsio, filium Dei Dominum noſtrū Ieſum Chriſtum cōceſsiſſe libertatem, poſt legitimum diuortium cum alio contrahendi: nec hoc probari poterit ex iſta ſententia Saluatoris quā citat, Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiſerit vxorem, excepta cauſa fornicationis, facit eam mœchari, cum non meminerit de ducendo alteram, ſed tātùm de dimittendo fornicariam: & ideo nō dicit maritum extra cauſam fornicationis vxorem ſuam dimittentem non mœchari, ſed quòd eam mœchari facit, eum autē mœchari qui dimiſſam duxerit. Et ſi expēdamus hanc Domini Saluatoris ſententiam, nihil aliud inde ſequitur, quàm quòd ſi dimiſerit ex cauſa fornicationis, ei imputari nōn poteſt, ſi dimiſſa turpiter viuat, cum dimittendo iure ſuo vtatur, & faciat quod iure etiam Euangelico ei permittitur: nō autem ſequitur quòd aliam ducere liceat, fornicaria dimiſſa. Secunda ſententia quam citat Confeſſio, dicit dimittentem vxorem ſuam extra cauſam fornicationis, ſi aliam ducat, mœchari: An verò mœchetur, ſi ex cauſa forni-

Reſponſio.

cationis eam dimittit, an non, nihil ibi definit Saluator: ſed alibi clarè hoc docet quando ait, quicunq; dimiſerit vxorem ſuam quacunq; ex cauſa,& aliam duxerit,adulterium committit ſuper eam. Et Apoſtolus Paulus dicit Dominum iubere vxori, vt innupta maneat, ſi à viro ob fornicationem diſceſſerit. Nihil ergo efficaciæ habet doctrina aduerſariorum docentium licitum eſſe poſt dimiſſam fornicariam aliam ducere, imo ſcripturæ ſacræ ſimul & Patrum Eccleſiaſticorum teſtimonijs aduerſatur. Quare erronea & hæretica eſt.

Finis Articuli Deciminoni.

ARTICVLVS VIGESIMVS.

Matrimonia contracta contra Canones ipſa dirimentes, ſimpliciter ſunt irrita & nulla.

ALIQVA eſſe impedimenta matrimonium dirimentia, non quidem vinculum quod ſemel natum perpetuò indiſſolubile manet, ſoluendo ſed prohibendo ne naſcatur, teſtantur ſcripturæ de conſanguinitate & affinitate in Leuitico, vbi dicitur, Omnis homo ad proximã ſanguinis ſui non accedat, vt reuelet turpitudinem eius. Quod ibi proſequitur ſcriptura de gradibus varijs affinitatis & cõſanguinitatis. Item in Deuteronomio de cultus diſparitate, ait, Non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis earum, neque ſociabis cum ijs connubia. Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo, quia ſeducet filium tuum ne ſequatur me. Quod ſpiritu prophetico Eſdras interpretatur eſſe prohibitionis irritantis. Nam reprehenſi filij Iſrael de huius mandati transgreſsione dixerunt, Nos præuaricati ſumus in Deum noſtrum, & duximus vxores alienigenas de populis terræ: & nunc ſi eſt pœnitentia in Iſrael, percutiamus fœdus cum Domino Deo noſtro, vt proijciamus vniuerſas vxores, & eos qui de his nati ſunt, iuxta voluntatem Domini, & eorum qui tenent præceptum Domini Dei noſtri, & ſecundum legem fiat. Surrexit ergo Eſdras, & adiurauit principes ſacerdotum & Leuitarum, & omnem Iſrahel, vt facerent ſecundum verbum hoc, & dederunt manus ſuas vt eijcerent vxores ſuas, & pro delicto ſuo, arietem de ouibus offerrent. Vnde omnino veriſimile eſt prohibitiones iſtas Leuitici de gradibus conſanguinitatis & affinitatis matrimonium etiam irritaſſe. Docet præterea ſcriptura impedimenta quædam matrimonium prohibuiſſe ſolum, non autem inualidaſſe. Nam Eſau peccauit ducendo vxores de filiabus Chanaan contra parentum Iſaac & Rebeccæ voluntatem. Dixit namque Rebecca ad Iſaac, Tædet me vitæ meæ propter filias Heth. Si acceperit Iacob vxorem de ſtirpe huius terræ, nolo viuere. Vocauit itaque Iſaac Iacob, præcepitque ei dicens, Noli accipere coniugem de genere Chanaan. Nam Eſau quadragenarius duxit vxores duas de gente Hethæorum ſiue Chananæorum, quæ ambæ offenderant animum Iſaac & Rebeccæ. Prohibuerat quoque Abraham filio ſuo Iſaac vxorẽ dari de filiab. Chanaan. Cum autem verum fuerit matrimoniũ inter Eſau & filias quas ex Chanaan duxerat, parentum voluntas & religionis diſparitas non faciebant matrimonium nullum aut inualidum. Sicut igitur ante legem & ſub lege huiuſmodi fuerunt circa matrimonium impedimenta & leges, neceſſarium eſt in republica bene ordinata tempore Euangelij, pro quo abolitæ ſunt leges Moyſi, ſacros canones, legesque Imperiales de iiſdem ferre ac ſtatuere, ne perpetua ſint hic diſsidia aut contentiones. A contractu namque matrimoniali, hæreditatis pendet ſucceſsio, atque hæredis inſtitutio, de quibus etiam diſponebat lex Moyſi. Hæc autem impedimenta cauſæ ſunt, ob quas ſacri canones quędam matrimonia ſolum vetant, quędam etiam irritant. Nam niſi iuſta cauſa nõ poteſt contractus alioqui validus quacunque poteſtate inualidari aut vetari. Illa autem ſub exiſtente, pro pace, tranquillitate ac ſalute reipublicæ, vtrumque à magiſtratu fieri poteſt: ſed maior requiritur cauſa ad irritandum, quàm ad prohibendum, & ideo ſubeſt plerunque prohibendi cauſa quę non ſufficit ad irritandum. Definire autem vniuerſaliter quando contractus contra legem aut canonem celebratus validus eſt, quando autem irritus & nullus, non pertinet ad pręſentem articulum, & tractatur circa regulã iuris, Quæ contra ius fiunt debent vtique pro infectis haberi: & Sanctiſsimus Adrianus de eadem re agit in 4. & in Quotlibet. Cauſam legitimam ob quam matrimonium irritetur, certum eſt eſſe imparem cultum, de quo dicit Beatus Ambroſius, & idem habet Cõcilium Carthaginen. 6. Caue Chriſtiane, inquit, gentili aut Iudæo filiam tuam tradere, caue gentilem vel Iudæum, atque alienigenam, hoc eſt, omnem hęreticam & alienam à fide tua accipere tibi vxorem. Nam an lege Euangelica nullum ſit huiuſmodi matrimonium, nõ conſentiunt patres, vt docet beatus Auguſtin. lib. 1. ad Pollent. capite vigeſimoquinto, & ideo oportuit quòd per ſacros Canones irritaretur, ſicut irritatum erat per legem Moyſi contractum cum Chananæis. Sunt deinde cauſæ legitimæ, quæ matrimonium reddant nullum, ipſa impotentia ſeminandi, error perſonæ, vis ſiue coactus conſenſus, ſacer ordo, ligamen cum alia, & huiuſmodi, ob quæ impedimenta Canones decernunt nullum ſequi matrimonium, tametſi adſit conſenſus, & verba conſenſum teſtantia pronuncientur: Prohi-

Cap. 18.
Cap. 7.
Exod. 34.
1. Eſd. 9. & 10. 2. Eſd. 13
Malach 2.
Gen. 27. & 26.
Geneſ. 24.
Queſt de ludo alea. quotlibet. 6.

Prohibent autem duntaxat ne clandeſtinè contrahatur, vel ante bannorum proclamationem, ne fortaſsis impedimentum ſit inter eos, qui matrimonium inire deſiderant, & propterea cum ſacramenti irreuerentia nulliter contrahant. Secundum duplex igitur impedimentorum genus, duplices etiam ſunt canones, quidam dirimentes, alij verò tantùm prohibentes. Dirimere autem dicuntur matrimonium impropriè, dum ne naſcatur prohibent. Non enim quod non coijt, nec coniunctum eſt, dirimi poteſt. De his impedimentis ſcholaſtici doctores poſt Magiſtrum latè tractant in quarto lib. Sent. Omnis namq; res conſtans ex aliquib. cauſis quæ impediri poſſunt, habet impedimenta. Cauſa autem matrimonij efficiens, eſt mutuus conſenſus, qui impeditur per errorem & coactionem: & cauſa finalis, generatio prolis ad cultum Dei, per coeundi impotentiam impeditur: item perſonæ ipſæ impediuntur per conſanguinitatem & affinitatem, per ſacrum ordinem, per votum ſolenne & ligamen alterius matrimonij: Et B. Thom. In matrimonio ſunt quędam, inquit, quæ ſunt de eſſentia ipſius, & quædam quæ ſunt de eius ſolemnitate, ſicut & in alijs ſacramentis. Et quia remotis his quæ nō ſunt de neceſsitate ſacramenti, adhuc manet verum ſacramentum, ideo impedimenta quæ contrariantur ijs quæ ſunt de ſolemnitate ſacramenti, non efficiunt quin ſit verum matrimonium, & talia dicuntur impedire contrahendum, ſed non dirimunt contractum, ſicut prohibitio Eccleſiæ, & tempus feriatū. Vnde verſus:

Ex Richardo de media villa.

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Impedimenta autem quæ cōtrariantur his quæ ſunt de eſſentia matrimonij, faciunt vt non ſit verum matrimonium: & ideo dicuntur non ſolum impedire matrimonium contrahendum, ſed dirimere contractum, quæ his verſibus continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas.
Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis.
Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

Quæ omnia latiſsimè Thomas declarat. Eſt autem ſacramento matrimonij præ cęteris hoc peculiare quod habeat impedimenta, eò quòd conſiſtat in contractu, mutua videlicet poteſtatis corporum ad prolis generationem donatione ac permutatione, quæ maris & fœminæ ſpontaneum requirit conſenſum. Cōtractus enim eſt vltrò citroq; obligatio ex voluntate & pacto partium ſurgens: Propter quod varijs, vt diximus, ex cauſis impediri poteſt, & pluribus quàm alia ſacramenta, quæ tamen ſuis quoq; impedimētis non carent. De contractibus aūt ciuium, magiſtratus poteſtatē habet ordinandi, ꝓhibendi & irritādi, pro ſalute, trāquillitate, & bono reipublicæ, ſicut & de actibus virtutū, & vniuerſis quæ ad pacem & bonū ciuitatis conducunt leges ferendi, vt docet Ariſtoteles in Ethic. Ipſa, inquit, leges de omnib. dictant, coniectantes cōmunem omnium vtilitatem. Præcipit enim lex & ea agere quę pertinent ad fortem, & quæ ad temperantem, & ea etiam quæ ſunt manſueti, & in cęteris itidem virtutibus atq; vitijs, alia iubēs, alia vetans. Rectè quidē ea quæ rectè poſita eſt, deterius autem ea, quæ inconſultè eſt exarata. Et in ſequentibus diſtinguit ius ciuile ſiue legittimum à naturali. Facultatem autē legiſlatiuam eſſe apud Regem & Magiſtratū, non ſolùm concorditer docent philoſophi, ſed & ſcriptura ſacra, quæ ait, Per me reges regnant, & legum cōditores iuſta decernūt: Et alio loco, Væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes, iniuſtitias ſcripſerunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent cauſę humilium populi mei. Sunt enim miniſtri Dei, & miniſtri regni eius. Quicquid igitur ad ſalutem publicam attinet, diſponere poteſt Magiſtratus, non tantùm ſecularis, ſed & Eccleſiaſticus, in ordine quiſque ad finem & ſcopum ſui regiminis. Vtrique namq; communis eſt facultas gubernādi & regendi communitatem ſibi ſubditam. Hanc autem ſequitur poteſtas leges ferendi. Eſt enim regere, media commoda ex authoritate præſcribere, quibus ſubditi iuſtè & honeſtè viuant, & ad fœlicitatem perducātur. Nam Epiſcopis dicit Apoſtol. Paulus, quòd Spiritus ſanctus eos poſuit regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit Chriſtus ſanguine ſuo: Item Petro dixit Chriſtus, Paſce oues meas: atq; hic etiā mandauit cōſenioribus, Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, quod interpretatur B. Hieronymus, Regite & gubernate. Rurſum ſubditos monet ſcriptura, Obedite Præpoſitis veſtris & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri. Nam generale pactum eſt ſocietatis humanæ obedire regibus ſuis, ſicut in poteſtatibus ſocietatis humanæ maior poteſtas minori ad obediendum præponitur. Si quid enim ipſe Proconſul iubeat, & aliud iubeat Imperator, nunquid dubitatur illo contempto, iſti eſſe ſeruiendum? Quemadmodum igitur apud ſecularem poteſtatem facultas eſt contractus quoſdam ciuiles prohibendi, & alios irritandi, quales ſunt contractus minorennium: & apud patresfamiliàs, vota & iuramenta proliū ſuarum irritandi, ita apud poteſtatem eccleſiaſticam facultas eſt, in ordine ad finem cæleſtis patriæ, & pacem ac honeſtatem domeſticorum familiæ Chriſti, ordinandi de coniugio tanquam propriæ familiæ Chriſti, officio, & quædam propter honeſtatem & bonū Eccleſiæ irritandi. Cùm enim, vt diximus, lex Moyſi ſit abrogata, erat enim pędagogus noſter in Chriſto: at vbi venit fides & Chriſtus, iam non ſumus ſub pædagogo. Item, Mortificati eſtis legi per corpus Chriſti, vt ſitis alterius: & translato ſacerdotio, neceſſe erat, vt legis quoq; translatio fieret, quæ nō

Lib.5.cap.1. *Ca.2 tract.1* *Prouerb 8.* *Iſaia 10.* *Rom 13.* *Sapient. 6.* *Actor. 20.* *Ioan. 21.* *1. Petr. 5.* *Hebr. 13.* *Aug.3.li.cōfeſſ.cap.8.* *Sermo 6. de verbis Domini ſecundum Matth.* *Numer. 30.* *Galat. 3.*

fuit data gentibus, ſed Iudæis tantùm, quos ſolos propterea obligabat. Cùm igitur abrogatæ ſint vniuerſæ Moyſi leges de gradibus cōſanguinitatis & affinitatis, de quibus in Leuitico, nec vlla de eis habeamus Dei præcepta, & ius naturale propter ſuam generalitatem & ambiguitatem, non ſufficiat ad *Rom. 7.* populi Chriſtiani gubernationē, nec in moribus, nec in ſeruanda honeſtate nuptiarum, neceſſarium fuit, & magiſtratus conſtitui, tam politicos quàm eccleſiaſticos, item loges ac Canones ſtatui, quibus determinaren*Cap. 18.*tur & explicarentur generalia diuini & naturalis iuris præcepta de actibus virtutū, de contractibus, gradibus conſanguinitatis & affinitatis, de matrimonij impedimentis, hæredū ſucceſsione, & inſtitutione, & alijs quę in republica ſeculari & eccleſiaſtica agenda occurrunt. Et quoad matrimonia contrahēda de quibuſdam gradibus cōſanguinitatis & affinitatis ambiguū eſt, an impediant vinculum naſci, an ſolum prohibeant contrahi, ex iure naturæ & diuino. Nam ſcriptura *Leuit. 18.* generaliter dicit, Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedat, vt reuelet turpitudinem eius. Et quidem indecens eſt, & contra honeſtatē (niſi aliud requirat cauſa aliqua legittima) cum ea matrimonium contrahere, non tamen nullum eſt lege quidem Moyſi, niſi in caſibus quorum meminit Leuiticus. Neceſſe igitur eſt, vt diximus, pro ſalute & honeſta vita populi Chriſtiani, horum omnium fieri determinationem, in quibus gradibus prohibeatur ſolum, & in quibus nulliter contrahatur. De quibus tamen cùm non poſsint conſtitui regulæ immutabiles, propter mutabilem conditionem & qualitatem temporum populiq; Chriſtiani: ideo per Chriſtum hæc diſponi non conueniebat, cuius ordinationes & præcepta immobilia ſunt & indiſpenſabilia per regni eius miniſtros. In his autem matrimonij impedimentis conſanguinitatis, & affinitatis, bonum cōmune & pax publica ſæpe diſpenſationem requirunt. Et quemadmodum libertati populi Chriſtiani non prǫiudicatur, quòd contractus eius ciuiles irritantur, ita nec ei derogatur, quòd ob bonum publicū ex iuſta cauſa inualidantur coniugia. In ſalutem namq; publicam omnes ſubſunt magiſtratui ſecundum ſuas perſonas, contract° & facultates. Nam pars naturaliter eſt propter totum, & iacturam ac detrimentū ferre debet ob ſalutem totius, pro qua etiam ſe to*Rom 18.* *1. Cor. 6.* tam periculo ex iure naturæ exponit. Non debemus nobis placere, inquit Apoſt. ſed vnuſquiſq; proximo ſuo placeat in bono. Et alibi. Non eſtis veſtri: empti enim eſtis precio magno. Nihil itaq; mirandum, quòd pro Chriſti honore eiuſq; familiæ ſalute, tranquillitate & honeſtate, diſponatur circa vitam & mores, atq; coniugia domeſticorum, præſertim vbi Chriſtus nihil diſpoſuit, ſed ea reliquit conſtituenda pro temporum locorum, & hominū fidelium diuerſitate, per eos quos poſt ſe & ſuo loco ſuper familiam ſuam diſpenſatores collocauit. Nam de con*Bonifacius 8. in ca. Statutum de reſcriptis.*tractibus & officijs Eccleſię ſecundum quod ſpiritualia ſunt, & ad ſalutē fideliū ordinantur, ad ſolos eccleſię prępoſitos pertinet diſponere & ordinare, ſicut officia & cōtractus ciuiles per leges Imperiales ordinātur: imò & cōtractus ciuiles perſonarum eccleſiaſticarum per Eccleſiæ prælatos irritantur. De *Innocent. 4. li. 6. ca. Exigit de cenſibus & exactio.* iudicib. enim delegatis munus aliquod ſuſcipientibus vltra eſculentum vel poculentum diſponit Pontifex, quòd teneantur ad reſtitutionem integram eius, quod receperint, nulla eorum quibus reſtitutio faciēda fuerit, remiſsione vllatenus profutura eiſdem. Item viſitatoribus Eccleſiarum mandat alius pōtifex, vt ratione viſitationis nullam accipiant pecuniam, nulla in hoc eius dantium remiſsione liberalitate ſeu gratia valitura. Et de inquiſitoribus extorquentibus pecuniam diſponit Clemens quintus, quòd nulla priuilegia, pacta aut remiſsiones ſuper hoc ſint valitura. *Clemēs 5. in Con. Viennē. ca. Nolentes de heret.*

In his igitur caſibus ob irritationem Eccleſiæ, Dominus etiam laicus rem ſuam in alium transferre non poteſt, cū tamen nihil tam naturale ſit quàm voluntas Domini, volentis rem ſuam in alium transferre, &c. Neceſſariū eſt ergo quòd contractus cōiugalis, *Inſtit parag. per traditionem.* qui ſacramentū eſt & officium Eccleſiæ propagandæ, ſubſit ordinationi & irritationi magiſtratus Eccleſiaſtici in ordine ad pacem Eccleſiæ & fidelium ſalutem, quāuis ſimūl etiam ſubſit ordinationibus & legibus poteſtatis ciuilis, ſecundum quod refertur ad pacem & honeſtatem ac bonum reipu. Nam vt rectè dicit B. Thomas, ſtatutū principum *Diſt. 39. art. 1. ad 3. arg.* infidelium, matrimoniū irritare poteſt contractum à ſubditis infidelibus: imò & alibi dicit, Matrimonium inquantum eſt in officium naturæ, ſtatuitur lege naturæ: in quantum eſt ſacramentum, ſtatuitur iure diuino: & inquantum eſt in communitatis officium, ſtatuitur lege ciuili: & ideo ex qualibet dictarum legū poteſt aliqua perſona effici ad matrimonium illegittima. Et quia lex naturalis ſecundum diuerſos ſtatus recipit determinationes diuerſas, & ius poſitiuum etiam variatur ſecundum diuerſas hominum conditiones, ideo Magiſter ponit in diuerſis temporibus diuerſas perſonas illegittimas fuiſſe. Atque eandem hanc ſententiam ſequitur gloſa decreti. Nam Iulius Papa inter*29. queſt. 1. cap. Si quis.*rogatus an legittimæ ſint nuptiæ, ſi quis ancillam ſuam in matrimonium ſociauerit libertate tamen prius donatam: Reſpondet legittima eſſe huiuſmodi connubia, quia nihil impium, nec legibus contrarium in ea copulatione inuenitur: Vbi gloſa, Et ita ſi leges contradicerent, & illis legibus canon nō obuiet, nō tenet matrimonium. Nam quòd leges habeant locū in matrimonio, videtur, licet H. contradicat argument. 35. ca. Sedem. Vnde dicūt quidam, quòd cùm lex hic dicat non eſſe matrimonium cum ancilla, & canō non excipiat, niſi cum ſcienter ducit, quod vbi etiam cum libera contrahit credens

ſe contrahete cũ ſerua, non tenet matrimonium: circa quã gloſ. ſcribit Archidiaconus, Circa hanc materiã, inquit, tali vtor diſtinctione, Si lex prohibet matrimonium propter honeſtatem, prohibitũ eſt, quantum ad Eccleſiam 30. quæſt. 3. cap. 1. ff. de ritu nuptiarum. Per totum: Vbi verò propter priuatam vtilitatem prohibet lex contrahi, matrimonium non eſt propter hoc prohibitum, quãtum ad Eccleſiam. De quo latè agit Philippus Francus de hæretic. cap. Statutum 1. vbi quæſtionem mouet, An ſtatutum laicorum diſponens, quod contrahens matrimonium cum filia ſine conſenſu patris, incurrat pœnam ſtatuti. Et, An iudici pœnam exigenti inhibitio fieri poſsit per iudicem Eccleſiaſticum. Nam hoc iure prohibendi & irritandi matrimonia, vt ſunt in naturæ & propagationis officium & in pacem ac honeſtatem Reipub. ſemper vſa eſt poteſtas imperialis: vt patet in titul. de nupt in. ff. & Codic. & per Iuſtinianũ in Inſtit. vbi prohibitis multis conſanguinitatis & affinitatis gradibus addit, Si aduerſus ea, quę diximus aliqui coierint & cõiuncti fuerint, nec vir, nec vxor, nec nuptiæ, nec matrimoniũ, nec dos intelligitur: Et nati ex copulatis cõtra leges, ſpurij appellantur. Nec huiuſmodi leges quæ iuſta cõſtant ratione improbantur à ſanctis doctoribus, imò nec à ſacris canonibus, ſed magis cõmendantur. Nã de conſobrinis matrimonio copulandis ſcribit B. Auguſt.

Lib. 50.

De Ciuitate Dei lib. 15. cap. 16.

Experti ſumus, inquit, in connubijs conſobrinarum etiam noſtris temporib. propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quã rarò per mores fiebat, quod fieri per leges licebat, quia id, nec diuina prohibuit, & nondũ prohibuerat lex humana. Veruntamen factũ etiam licitum propter vicinitatem horrebat illiciti, & quod fiebat cũ cõſobrina, penè cum ſorore fieri videbatur, quia & ipſi inter ſe, propter tam propinquã conſanguinitatem fratres vocantur, & penè germani ſunt. Veruntamen quis dubitet honeſtius hoc tempore etiam conſobrinarum prohibita eſſe coniugia, non ſolùm ſecundum ea, quæ diſputauimus propter multiplicandas affinitates, ne habeat duas neceſſitudines vna perſona, cũ duæ poſsint eas habere, & numerus propinquitatis augeri, ſed etiam quia neſcio quomodo ineſt humanę verecundię quiddam naturale atq; laudabile, vt cui debet cauſa propinquitatis verecũdum honorem, ab ea contineat, quamuis generatricem tamen libidinem, de qua erubeſcere videmus & ipſam pudicitiam coniugalem? Copulatio igitur maris & fœminæ, quãtum attinet ad genus mortalium, quoddam ſeminarium eſt ciuitatis, ſed terrena ciuitas generatione tantummodò, cœleſtis autem etiam regeneratione opus habet, vt noxam generationis euadat. Vbi ſatis inſinuatur qua ratione coniugium ſubſit magiſtratui ſeculari, & qua ratione prælatis Eccleſiæ. De ijſdem conſobrinarum nuptijs ſcribit Beatus Ambroſius, quòd Theodoſius Imperator etiam patrueles fratres & conſobrinos vetuit inter coniugij nomine conuenire, qui ſeueriſsimam pœnam ſtatuit, ſi quis temerare auſit fratrũ pia pignora. Ex quibus patet, quòd ratio ſacramenti, quæ eſt in matrimonio Chriſtiano, non impedit, quò minus poteſtas ſecularis de eo, vt eſt officium Republic. ſtatuere poſsit.

Epiſt. 66. quæ ad Paternum.

Poteſtas tamen Eccleſiaſtica quæ architectonica eſt, & altiori ratione atque fine ipſum conſiderat, derogare, reuocare, & irritare poteſt eius conſtitutiones, ſi religioni & ſcopo regiminis Eccleſiaſtici aduerſentur, vel non cõueniant: Quod & facit circa ordinationẽ legalem, qua olim prohibebatur ne mulier intra tempus luctus, hoc eſt, vnius anni ſpacium ſine infamia nubere poſsit. Ait enim Innocentius tertius. Cùm ſecundum Apoſtolum mulier mortuo viro, ab eius ſit lege ſoluta, & nubendi cui vult habeat facultatem, non debet legalis infamiæ ſuſtinere iacturã, quæ conceſſa ſibi ab Apoſt. Pau. vtitur poteſtate, cũ in his pręſertim ſeculares leges non dedignentur ſacros Canones imitari, Idem etiã in Concilio generali: Synodali, inquit, iudicio definimus, vt nulla valeat, abſq. bona fide præſcriptio, tã canonica, quã ciuilis, cùm generaliter ſit omni conſtitutioni atque conſuetudini derogandum, quæ abſq; mortali peccato non poteſt obſeruari.

De 2 nuptijs ca. Cùm ſecundum Apoſtolum.

Quæ autem ſit cauſa iuſta prohibendi & irritandi coniugia ratione conſanguinitatis & affinitatis, quodq́; varia fuit graduum obſeruatio, docet B. Auguſtinus. Cùm genus humanum, inquit, poſt primã copulam viri facti ex puluere, & coniugis eius ex viri latere, marium fœminarumq́; coniũctione opus haberet, vt gignendo multiplicaretur, nec eſſent vlli homines, niſi qui ex illis duobus nati fuiſſent, viri ſorores ſuas coniuges acceperunt: Quod profectò, quanto eſt antiquius cõpellente neceſsitate, tantò poſtea factum eſt damnabilius religione prohibente. Habita eſt enim ratio rectiſsima charitatis, vt homines, quib. eſſet vtilis atq; honeſta concordia, diuerſarum neceſsitudinum vinculis necterentur, nec vnus in vna multas haberet, ſed ſingulæ ſpargerentur in ſingulos, ac ſic ad ſocialem vitã diligentius colligandam plurimæ plurimos obtinerent. Pater quippe & ſocer duarum ſunt neceſsitudinum nomina. Vt ergò alium quiſq; habeat patrem, alium ſocerum, numeroſius ſe charitas porrigit: Vtrumq; autem vnus Adã eſſe cogebatur, & filijs, & filiabus ſuis, quando fratres ſororeſq́; cõnubio iungebantur. Et quibuſdam interpoſitis, Humano, inquit, genere creſcente & multiplicato, etiam inter impios deorum multorum, falſorumq́; cultores ſic obſeruari cernimus, vt etiam ſi peruerſis legibus permittantur fraterna cõiugia, melior tamen conſuetudo ipſam malit exhorrere licentiam: & cum ſorores accipere in matrimonium primis humano generi temporib. licuerit, ſi aduerſetur quaſi nunquam licere potuerit. Ad humanum

De ciui. lib. 15. cap. 16.

enim ſenſum vel alliciendum vel offendendum mos valet plurimum. Si enim iniquum eſt auiditate poſsidendi tranſgredi limitem agrorum, quantò eſt iniquius libidine concumbendi ſubuertere limitem morum. Et quia lex Theodoſij, quòd non copulentur coniugio conſobrini, reuocata eſt per Iuſtinianum, qui huiuſmodi nuptias permittit. Duorum, inquit, fratrum vel ſororum liberi, vel fratris & ſororis coniũgi poſſunt, licita eſſent huiuſmodi connubia, niſi vetarẽtur, atq; etiam irritarentur ſacris canonib. per quos ſemper ordinata ſunt Chriſtianorum coniugia. Et ex antiquo cautum, vt vſq; ad ſeptimum conſanguinitatis & affinitatis gradum matrimonia non contraherentur.

Inſti de nuptijs.

Nam B. Gregorius, Progeniem ſuam vnumquemq;, inquit, vſque ad ſeptimam decernimus obſeruare generationem, & quãdiu ſe agnoſcant affinitate propinquos, ad coniugalem copulã accedere denegamus: quod ſi fecerint ſeparentur. Qui etiam requiſitus à Felice Meſſanæ Ciciliæ ciuitatis præſule, vtrum Auguſtino ſcripſerit, vt Anglorum in quarta generatione contracta matrimonia minimè ſoluerentur: Inter cætera talem reſponſionem reddidit, Quod ſcripſit Auguſtino Anglorum gentis Epiſcopo, ipſe etiam Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, ne à bono, quod cœperat metuendo auſterior recederet, ſpecialiter & nõ generaliter me certiſsimè ſcripſiſſe cognoſcas, vnde & mihi omnis Romana ciuitas extitit teſtis: nec ea intentione hæc ei ſcripſi mandata, vt poſtquã firma ratione in fide fuerint ſolidati, ſi infra propriã conſanguinitatem inuenti fuerint, non ſeparentur, aut infra affinitatis lineam, id eſt, vſq; ad ſeptimam generationem iungantur: Sed quod adhuc illis neophytis exiſtentibus eis primum illicita conſentire, & eos verbo ac exemplis inſtruere oportet. Nam iuxta Apoſt. Paul. qui ait, Lac dedi vobis in potum, non eſcam, illis modò, non poſteris temporib. tenenda indulſimus, ne bonum quod infirma radice plantatum erat erueretur, ſed aliquãtulum firmaretur, & vſque ad perfectionem cuſtodiretur. Scripſerat enim beatus Gregorius ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum. Quædam, inquiẽs, lex Romana permittit, vt ſiue fratris, ſiue ſororis, ſeu duorum fratrum germanorum, ſeu duarum ſororum filius & filia miſceantur: ſed experimento didicimus ex tali coniugio ſobolem non poſſe ſuccreſcere, vnde neceſſe vt in quarta vel quinta generatione fidelium licenter ſibi coniungantur.

Epiſt. 32. li. 12 ad Fælicẽ Epiſcopum.

Loco vt ſup.

Gratianus 35 quæſt. 3. cap. 6. Quædam ex Romana.

c. 6. ad interrogationes. Auguſt. Cãtuarienſ.

Citãt & alios Canones antiquos Gratianus & Magiſter Senten. quib. cauetur, ne in ſeptimo gradu & inferiorib. matrimonia contrahantur: hi ſeruati ſunt vſq; ad tempora Innocen. tertij, qui eos in Concilio generali reduxit ad gradum quartum, per experientiam doctus, quòd ad remotiores conſanguineos, quaſi nullũ fœdus maioris amicitiæ, quã ad extraneos haberetur, charitate videlicet in multorum cordibus refrigeſcente, atq; propterea ceſſante iam cauſa, inutilis viſa eſt Concilio vſque ad ſeptimum gradum prohibitio. Nam vt ait beatus Auguſt. fuit antiquis patribus religioſè curæ, ne ipſa propinquitas ſe paulatim propaginũ ordinib. dirimens lõgius abiret, & propinquitas eſſe deſiſteret, eam nõdum longè poſitam rurſus matrimonij vinculo colligare, & quodãmodo reuocare fugientem. Sunt & verba Concilij, Non debet reprehenſibile iudicari, ſi ſecundum varietatem temporum ſtatuta quandoq; varientur humana; præſertim cũ vrgens neceſsitas, vel euidens vtilitas id expoſcit, quoniam ipſe Deus ex his, quæ in Veteri Teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutauit in Nouo. Cùm ergò prohibitiones de coniugio in ſecundo & tertio affinitatis genere minimè contrahendo, & de ſobole ſuſcepta ex ſecundis nuptijs cognationi viri non copulanda prioris, & difficultatem frequenter inducant, & aliquando periculum pariãt animarũ, cum ceſſante prohibitione ceſſet effectus, conſtitutiones ſuper hoc æditas ſacri approbatione Concilij, reuocantes præſenti cõſtitutione decernimus, vt ſic contrahentes de cætero liberè copulentur: Prohibitio quoq; copulæ coniugalis quartum conſanguinitatis & affinitatis gradũ de cætero non excedat, quoniam in vlterioribus gradibus iam non poteſt abſq; graui diſpendio huiuſmodi prohibitio generaliter obſeruari, concludens, Cùm ergò iam vſq; ad quartum gradum prohibitio coniugalis copulæ ſit reſtricta, eam ita volumus eſſe perpetuã, vt ſi quis cõtra prohibitionem huiuſmodi præſumpſerit copulari, nulla longinquitate defendatur annorũ, cùm diuturnitas temporum non minuit peccatum, ſed auget, tantoq; ſunt grauiora crimina, quantò diutius infelicem animam detinent alligatam. Et ſicut ceſſante cauſa ablatũ eſt impedimentũ conſanguinitatis & affinitatis: quod multis ſeculis in quinto, ſexto, & ſeptimo gradibus matrimonium diremerat, & vſq; ad gradum quartum facta eſt reductio: ita fieri poſſet, immò & deberet de alijs impedimentis, ſi iam ceſſent, vel aliquando ceſſauerint cauſæ, ob quas matrimonium dirimebant. Quid aũt dicendum ſit in foro conſcientiæ ante Eccleſię reuocationem, vel declarationem: quando tamen reuera ceſſant cauſæ prohibitionis, & propter temporum ac ſtatus hominum mutationem inutiles facti eſſent iſti canones, non ſolùm in particularibus caſibus, ſed regulariter, difficilè & periculoſum eſt definire. Nam de canonibus morum, hoc eſt, qui de agendis & vitandis diſponunt, certum eſt, quod non obligant, quãdo cauſa, ob quam ſunt lati generaliter ceſſat, cùm ratio ſit anima legis. Si ita eſſet de Canone irritante matrimonia, plurimæ naſcerentur perplexitates, cùm iudices Eccleſiaſtici ſecundum eos iudicare debeant, vel probando, vel improbando matrimonia, quamdiu non ſunt per Eccleſiam reuocati. Videtur ex his, quę ſuperius diximus,

35. quæſt. 3. ca diſt. 40. & 41.

Lib. 15 de ciuit. ca. 16.

De conſang. & affinita. ca. Nõ debet.

quòd

quòd efficaces non ſint, nec virtutē irritandi habeant, vniuerſaliter ceſſante cauſa, & maximè ſi magis obſint obſeruati quā proſint. Quæ autem ſint impedimenta per Canones inducta, quę videlicet eis ſublatis, nō impedirent nec dirimerent, hoc eſt, ſuper quibus Pontifex Chriſti vicarius diſpenſare poteſt, vtilis eſſet tractatio. Nam certum eſt de quibuſdā impedimentis, quòd inducta ſunt per ſacros Canones: & de alijs quibuſdam, quòd ſunt ex iure naturali & diuino: item quædam eſſe, de quibus ambiguum eſt, an ſacri Canones ea inducant, an declarent ſolū id quod iuris eſt. De quibus copioſè agunt doctores Scholaſtici 4. Senten. quemadmodum videre eſt. Eſt præterea diſputatio magna de gradibus conſanguinitatis & affinitatis, quos ponit Leuiticus, an ex iure diuino, vel potius naturali matrimonium nunc dirimant. Nam quòd ipſum impediant ob rationem, cuius meminit ſcriptura in Leuitico, hoc eſt, ex naturali verecundia & pudore, ſatis certum eſt. Hoc enim docet Beatus Auguſtinus de coniunctione conſobrinorum. Nam legis naturæ præceptum generale eſt: Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedat, vt reuelet turpitudinem eius. De ſecundo, tertio, & vlteriore gradu definiuit Innocētius tertius, quòd ſolo iure Canonico matrimonium dirimāt, quodq́; propterea pagani vxores accipientes in ſecundo vel tertio, vel vlteriore gradu ſibi coniunctas, poſt baptiſmum eas retinere poſsint. Quæ quidem vtiliſsima eſſet tractatio propter diſpenſationes, quæ fiunt, & factæ ſunt per ſedem Apoſtolicam. Sed diligenter hæc quæſtio diſcutitur atq; examinatur apud Cardinalem Caietanum, circa ſummam Beati Thomæ: Item in Commenta. in Leuitic. cuius ſententia eſt, quòd ſoli parentes & filij prohibentur iure naturali contractum irritāte, matrimonium inire: quodq́ue prohibitiones Leuitici abolitę ſunt cū reliquis legalibus per mortem Chriſti, ac propterea ex cauſa legittima in omnibus affinitatis & conſanguinitatis gradibus, exceptis parentibus, Papa diſpenſare poteſt.

Cap. 18.

Cap. Gaudemus de diuortijs. & c. vlt. Qui filij ſunt legitimi.

2. 2. q. 158. art. 9.

Cap. 18.

Ex quibus manifeſtum eſt, certa fide tenēdum eſſe matrimonia contra canones ipſa dirimentes inita atq; contracta, ſimpliciter irrita eſſe & nulla: quemadmodum certa fide credendum eſt prælatis Eccleſiaſticis, hoc eſt, Eccleſiæ paſtoribus, impoſitum eſſe onus regendi & dirigendi oues Chriſti, ac proinde eis competere facultatem vetandi noxia atque ab incommodis & indecentijs, quib. Chriſti familia dehoneſtaretur arcēdi. Præceptum namq; Apoſtolicum eſt, omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant in vobis. De hac poteſtate mandandi & leges ferendi dicemus articulo 26. qui peculiariter agit de Eccleſiaſticis conſtitutionibus. Et tam clara eſt huius præſentis articuli veritas, vt nō inueniatur aliquis Catholicorū, qui ei ſit aduerſatus, quamuis ſint, qui contra ſacros Canones audent docere, quòd quædam matrimonia nulla ſunt & inualida, quæ tamē per eoſdem tanquam valida & rata approbantur, inter quos primarius eſt Eraſmus, qui contra ſacros Canones, & euidentē rerum veritatē, docet coniugiū à filiofamil. cōtractum, ſine parentū conſenſu, nullū atq; irritum eſſe, & ſimiliter profeſsionē religionis. Nam clariſsimi hic ſunt ſacri Canones, & patrum Eccleſiaſticorū ſententiæ, imò & ipſa rerum natura hoc docet, quòd conſenſus liber eorum, qui copulantur, ad matrimoniū ſufficiat, & ſpontanea voluntas ad religionis profeſsionē. De priori namq; dicit Nico. Papa, Sufficiat ſolus ſecundū leges conſenſus, de quorū, quarumq́; conſenſu & coniūctionibus agitur, qui ſolus, ſi defuerit, cætera etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur. Cùm ergo inter iſtos conſenſus interceſſerit, qui ſolus matrimoniū facit, patet hos coniuges fuiſſe. Et Innocent. tertius, Cū prohibitorium, inquit, ſit edictū de matrimonio contrahendo, vt quicunq; prohibetur, per conſequentiam admittatur, & ſufficiat ad matrimonium ſolus conſenſus illorum, de quorum quarumq́; coniunctionib. agitur, &c. Et idem, Matrimonium in veritate contrahitur per legittimū viri & mulieris conſenſum, ſed neceſſaria ſunt, quantum ad Eccleſiam, verba conſenſum exprimentia de præſenti. Item cap. Tua ſequenti, Sine conſenſu cætera nequeunt fœdus perficere coniugale. Rurſum Alexan. tertius, Papienſi Epiſcopo, Cùm locum non habeat cōſenſus, inquit, vbi metus vel coactio intercedit, neceſſe eſt, vt vbi aſſenſus cuiuſquam requiritur, coactionis materia repellatur: matrimoniū aūt ſolo cōſenſu contrahitur. Et vbi de ipſo quæritur, plena debet ſecuritate ille gaudere, cuius eſt animus indagandus, ne per timorem dicat ſibi placere quod odit, & ſequatur exitus, qui de inuitis ſolet nuptijs prouenire. Quocirca mandamus, quatenus puellā de cuius matrimonio quæſtio ventilatur, in domo, in qua nihil eam timere oporteat, facias honeſtè teneri, donec prædicta cauſa determinata fuerit. Cùm autem ſacri Canones abſolutè loquantur de conſenſu eorū, qui cōiunguntur, nec parentū conſenſus vlla fiat mentio in reſponſione ſedis Apoſtolicæ, generaliter ſunt intelligendi, nec reſtringi debent ad eos, qui nō ſunt filijfamilias. Indecens tamen eſt, & cōtra reuerentiam parentib. debitam, quòd filius vel filiafamilias matrimonium ſine parentū conſilio & voluntate contrahat, quāuis contractum validū ſit & ratū, atq; adeò coniungantur, vt ſeparari non poſsint: quēadmodum docet B. Ambro. agens de coniugio filijfamilias ſine patris ſcitu & conſenſu contracto. Quòd filio noſtro, inquit, remiſiſti meo rogatu, quia te inconſulto vxorem acceperat, pietati magis tribuo, quàm noſtro amori. Impetrauit igitur natura, impetrauit filius. Pulchrè atque geſtum, vt te patrem recognoſceres, ſimul quia iuſta indignatio

1. Cor. 14.

Eraſmus in colloquijs.

27. quæ. 2. c. Sufficiat.

De ſponſa et matrimo ca. Cùm apud.

Cap. Tua.

Ca. cū locū eod. titul.

Epiſt. 43. ad ſiſignium.

gnatio fuit. Malo enim culpã fateri, vt plus laudetur paterna indulgentia, ſed & ipſa paterna offenſio fuit, quoniã vẽturam in locũ filiæ tuæ debuiſti eligere iudicio, cui fieres pater: nãq; aut natura filios ſuſcepimus, aut electione. In natura caſus eſt, in electione iudiciũ, magiſq; in adoptatis offendimur quã in genitalibus filijs, quia genitales filios eſſe degeneres, ad naturã refertur: aſcitos vel adoptione, vel copula dedecores eſſe, nõ niſi errori adſcribitur. Fuit ergò quod ſuccenſeres filio, ſed fuit etiam quod remitteres, quia ſibi vxorẽ elegit. Et paucis interpoſitis. Maturiore quidem cõſilio puella filio à patre traditur, ſed maiore obſequij propoſito à filio ad patrẽ ducitur, & à viro lecta ingreditur ſoceri domũ, nõ metuit & filijs diſplicere iudicium ſuum, & nurus miniſterium: illam paternæ electionis prærogatiua attollit atq; erigit, iſtã offenſionis humiliat metus, inclinat verecundia. Vbi veram tradit B. Ambr. doctrinam, quid ſentiendũ ſit de matrimonio patre inconſulto cõtracto, videlicet, quòd peccata in patrẽ ſuum filius, ac iuſta ſit patri indignationis cauſa, veruntamẽ cõſtat ratum matrimoniũ. Et quãuis inuitis parentib. contrahere, & cõtrahere clandeſtinè, cõmuniter confundatur, magnũ tamẽ inter ea eſt diſcrimen. Contingit enim clandeſtinè contrahere ex parentũ conſenſu, & eis diſſentientibus publicè ac ſolenniter, cũ bonorum etiam proclamatione matrimonium inire: vtroq; autem modo contractum validum eſt. Nam de deſponſatione impuberum ſpecialis eſt titulus in Antiquis, & libr. 6 Ex ſcripturis quoque conſtat, quòd

Tho. 7.

Thobias iunior, quamuis filiusfamilias inſcio & inconſulto patre, ex ſancti angeli cõſilio, vxorẽ duxit Saram. De Eſau etiã teſtantur, quòd contra parentum voluntatem vxores duxit de genere Hethæorum. Et ſolam pubertatẽ requirunt Canones in contrahentibus. Et ſicut alij contractus, vota, & iuramenta nullis adhibitis teſtibus facta, verè obligant in conſcientia, ita & validus eſt cõtractus coniugalis clandeſtinus & præiudicat atq; etiam dirimit matrimonium cõſummatum quod ſequitur, vt dicit Alexan. tertius.

Cap. Licet. de ſponſa duorum.

Si, inquit, inter virum & mulierem legitimus conſenſus interuenerit de præſenti, ita quidem, quòd vnus alterũ in ſuo mutuo conſenſu verbis cõſuetis expreſsè recipiat, vtroq; dicente, Ego te accipio in meã: &, Ego accipio te in meum: ſiue ſit iuramentum interpoſitum, ſiue non, non licet mulieri alij nubere, & ſi nupſerit, etiam ſi carnalis copula ſit ſecuta, ab eo ſeparari debet, & vt ad primũ redeat, Eccleſiaſtica diſtrictione compelli. Nec valet contraria conſuetudo, vt ſcribit Innocent. tertius Mutinẽſi Epiſcopo.

Cap. Tuas, eodem titulo.

Poſtquam, inquit, inter legitimas perſonas conſenſus legittimus interuenerit de præſenti, qui ſufficit in talibus, iuxta canonicas ſanctiones, & ſi ſolus defuerit, cætera etiã cũ ipſo coitu celebrata fruſtrantur. Si perſonæ iunctæ legittimæ cum alijs poſtea de facto contrahant, quod prius de iure factum fuerat, nõ poterit irritari. Item Alex. tertius Beluacenſi Epiſcopo ſcribit,

Cap. Quod nobis, de clãdeſti. deſpõ. tit. 3.

Si matrimonia ita occultè contrahuntur, quòd ex inde legittima probatio nõ appareat, hi qui ea cõtrahunt, ab Eccleſia non ſunt aliquatenus compellendi. Verùm ſi perſonæ contrahentium hæc voluerint publicare (niſi rationabilis cauſa præpediat) ab Eccleſia recipienda ſunt & comprobanda, tanquã à principio in Eccleſiæ cõſpectu contracta. An verò irritari poſsit generaliter contractus matrimonij clandeſtinus, ob pericula multa & ſcandala, q̃ ex eo proueniũt, ſicut per ſacros Canones eſt prohibitus: & ſimiliter contractus coniugalis, qui ſine parentum conſenſu initur, ob filij erga parentes irreuerentiã & neglectum, difficiles ſunt quæſtiones. Arbitrantur quidam, quòd iam diu irritati eſſent, ſi cauſa eſſet legittima. Occurriſſet enim atq; etiam impedire debuiſſet Eccleſia mala huiuſmodi, cõtractus ipſos irritando. Nec videtur magis legittima eſſe cauſa clandeſtinos iſtos contractus irritandi, quàm, vt diximus, contractus ciuiles, vota & iuramẽta. Et quia ſolùm doli & ſcandalorum præſumptione niteretur huiuſmodi irritatio, hæc nõ ſubſiſteret, quãdo præſumptioni nõ ſubeſſet veritas, nec in conſcientia locũ haberet veritas, vt docet Sanctiſs. Adrianus in Quotlibet. Poſt Panormitanũ de immunitate eccl. atq; ita multi naſcerentur ſcrupuli & perplexitates, cùm matrimonium ſemel contractum reſcindi non poſsit. Erga parentes irreuerentia nõ eſt cauſa matrimonium irritandi. Quas difficultates alio loco tractandas hic relinquimus.

Quotlibet 6. art. 1.

PRofeſsionem ſacræ religionis validam eſſe, & facere monachũ & monachã, quãuis contradicant parentes, ex ſcripturis ſacris & patrũ canonibus atq; doctrinis certiſsimũ eſt, quemadmodũ docet Gratianus in Decret. vbi ex Synodo 9. citat, quòd firma tunc erit profeſsio virginitatis, ex quo adulta iam ætas eſſe cœperit, & quæ ſolet apta nuptijs deputari, ac perfecta.

20. quæſt. 1.

Si virginitatis profeſsio tũc incipit eſſe firma, cùm ætas cœperit eſſe adulta, & religionis profeſsio tũc demumq; debet eſſe firma, cũ ad adultam ætatem peruentum fuerit. Et Innocent. tertius in cap. Poſtulaſti, atq; alijs Canonibus plurimis, docet profeſsionem factam ab eo, qui exceſsit annum 14. eſſe validam: Idem docet Clemens quintus in Cõcilio Viennenſi. Et aperta eſt ſententia B. Hierony.

De regulari. & tranſeuntibus ad rel.

Licet paruulus, inquit, ex collo pẽdeat nepos, licet ſparſo crine & ſciſsis veſtib. verba, quibus te nutrierat mater, oſtendat, licet in limine pater iaceat, percalcatũ perge patrem, ſiccis oculis ad vexillũ crucis euola: ſolũ pietatis genus eſt, in hac te eſſe crudelẽ. Et poſt pauca, Facilè rumpit hæc vincula amor Dei, & gehennæ timor. At contrà: ſcriptura præcipit parẽtib. obſequendum, ſed quicunq; eos ſuper Chriſtum amat, perdit animam ſuam: gladium tenet hoſtis, vt me perimat, & ego de matris

Cap. vlt. epiſt. ad Heliodorum.

matris lachrymis cogitabo? Propter patrē militiam Chriſti deſeram, cui ſepulturam Chriſti cauſa non debeo, quam etiam omnibus eius cauſa debeo? & cæt. Nec opus eſt hic canonum vel patrum authoritate, quando Domini Saluatoris ſententiam in promptu habemus, qui diſcipulo roganti, Permitte me primum ire, & ſepelire patrem meum: reſpondit, Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Et apud Lucam ait alter, Sequar te Domine, ſed permitte mihi primum renunciare his, qui domi ſunt: Cui ait Dominus, Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei. Rurſus adoleſcenti dixit, Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me. Item ad Apoſtolos, Omnis qui reliquerit domū, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſsidebit. Venit enim Dominus ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filium aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam, Et inimici hominis domeſtici eius. Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus: Immò ſi quis venit ad me, & non odit patrem, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Quæ omnia declarat B. Thomas in 2.2. Dominum namq; vocantem, qui pater eſt ſpirituum, & vniuerſorum Dominus, ſtatim abiectis impedimentis quæ remorātur, etiam patre carnis reclamante & contradicente, ſequi atq; obedire oportet. Eſt igitur hæc differentia inter contractum matrimonij, & religionis profeſsionem, inuitis parentibus, quòd laudabiliter contra eorum voluntatem, iiſque inconſultis filiusfamilias annos pubertatis ingreſſus, religionem profitetur. Nam magnū hoc, teſte B. Hieronymo, pietatis genus eſt, & Domini cōſilium, vt patrem & matrē odiat. Matrimonium verò contrahere eis inconſultis & repugnantibus, peccatum eſt contra reuerentiam ipſis debitam, non autē propriè contra obedientiam vel patriam poteſtatem, quæ matrimonij contractum non complectitur. Non enim patri ſubiectus eſt filius in contrahendo matrimonium, nec eius contradictione impediri poteſt. Ait enim B. Thomas, Ex quo homo venit ad annos pubertatis, ſi ſit liberæ conditionis, eſt ſuæ poteſtatis, quantum ad ea, quæ pertinēt ad ſuam perſonā, puta quod obliget ſe religioni per votum, vel quod matrimonium contrahat, non autem eſt ſuæ poteſtatis, quā tum ad diſpenſationem domeſticam: vnde circa hoc nō poteſt aliquid vouere, quod ſit ratum ſine cōſenſu patris. Seruus autē quia eſt in poteſtate Domini, etiam quantum ad perſonales operationes, non poteſt ſe voto obligare ad religionē, per quā ab obſequio domini ſui abſtraheretur. Eſt præterea aliud

Matt. 8. *Luc. 9.* *Matth. 19.* *Math. 10.* *quæ. 88. art. 9. & q. 189. art. 5. 6.* *De deſponſ. impub. c. De illis.*

inter ea diſcrimen, quod in matrimonio malitia, hoc eſt, potentia ſeminandi ſupplet ætatem, vt docet Alexan. tertius, qui inconſultus de illis, qui in minori ætate deſpōſantur, reſpondet, Quòd ſi ita fuerint ætati proximi, vt potuerint copula carnali coniungi, minoris ætatis intuitu ſeparari nō debent, cū in eis ætatē ſuppleuiſſe malitia videtur. Idem Innocen. tertius. Religionis verò profeſsio vt ſolennis ſit, requirit ingreſſum pubertatis, vt idem Innocen. dicit in cap. Poſtulaſti, de regularib. & transeuntibus ad religio. & poſt gloſam Panorm. Nec poteſt hic prudentia vel plenior rationis vſus ætatem ſupplere, propter quod proximus anno decimoquinto matrimoniū cōtrahere poteſt, ſed non poteſt validè profiteri religionem, quamuis etiam pleniorem vſum rationis habeat, quàm alius, qui eſt annorū octodecim vel viginti: ſicuti nec plenior rationis vſus ſupplere poteſt ætatem, ſi adeſt adhuc ſeminandi impotentia. De quo clariſsimè tractat B. Thomas in quæſt. qua quærit, an pueri ſint recipiendi in religione, & Angelus in ſumma, & Syluester. Hic tamen aduertendum, quòd vſq; ad pubertatem proles ſunt in pleno iure patris, & irritari poſſunt omnia eorum vota, iuramenta & promiſsiones, nulla ſubexiſtente cauſa, iuxta ſententiam Domini, Nume. 30. quam Beatus Auguſtinus dicit eſſe iuris naturæ, & locum habere tempore Euāgelij, eò, quòd fundetur in naturali ſubiectione vxoris ſub marito, & liberorum ſub patre. Sunt enim pueri vel puellæ infra pubertatis annos naturaliter in poteſtate patris, quantum ad totam diſpoſitionem ſuæ vitæ: & ideò poterit pater vota eorum reuocare vel acceptare, ſi ei placuerit. Si igitur puer ante annos pubertatis, ait B. Thomas, ſimplex votum emittat antequam habeat plenum vſum rationis, non obligatur ex voto: Si autem habeat vſum rationis ante annos pubertatis, obligatur quidem quantum in ipſo eſt, ex ſuo voto: poteſt tamen obligatio remoueri per authoritatem patris, ſub cuius poteſtate adhuc exiſtit, quia ordinatio legis, qua vnus homo ſubditur alteri, reſpicit id, quod in plurib. accidit. Si verò annos pubertatis excedat, non poteſt reuocari authoritate parentū: ſi tamen non haberet plenum vſum rationis, non obligaretur, quoad Deum. Aliud verò, inquit, eſt de voto ſolenni, quod facit monachum, & ſubditur ordinationi Eccleſiæ, propter annexam ſolennitatem. Quia enim Eccleſia reſpicit id, quod in plurib. eſt, profeſsio ante tempus pubertatis facta, quantumcunq; aliquis habeat vſum rationis plenum, vel ſit doli capax, non habet ſuū effectum, vt faciat profitentē iam eſſe religioſum. Hæc omnia B. Thom. qui in alia quæſtione, an pueri infidelium inuitis parentibus ſint baptizandi. De iure naturali eſt, inquit, quòd filius antequam habeat vſum rationis, ſit ſub cura patris, vnde contra iuſtitiam naturalem eſſet, ſi puer antequā habeat vſum rationis, à cura parentum ſubſtra-

Ca. Tua. eo. tit. & cap. Finali, de ſponſa. & matr. *2.2. q. 189. art. 5. & 6.* *In verbo impedimentum 16.* *In verbo matrim. 5.* *Quæ. 95. ſu per Nume.* *Ex Tho ar. 5* *Quæ. 10. arti 12.*

ſubſtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur in uitis parentib. Poſtquam autem incipit habere vſum liberi arbitrij, iā incipit eſſe ſuus, & poteſt, quantum ad ea, quæ ſunt iuris diuini vel naturalis, ſibi ipſi prouidere, & tūc eſt inducendus ad fidem, non coactione, ſed perſuaſione, & poteſt etiam inuitis parentibus conſentire fidei, & baptizari, non autē antequam habeat vſum rationis.

QVoniam aūt cum Eraſmo & aduerſarijs reliquis præcipua diſputatio eſt de matrimonio ſine parentū cōnſenſu cō tracto, pro eius difficultatis intellectu conſiderandū eſt, quòd pater non poteſt filio da re vxorē, nec filiam nuptui tradere, ſine eorum cōſenſu. Nam poſt tractationē cum parentib. Rebeccæ ſuper cōiugio eius cū Iſaac filio Abrahæ, dixerunt, Vocemus puellam, & quæramus ipſius voluntatē, quæ cū vocata veniſſet, ſciſcitati ſunt, Vis ire cū homine iſto? Et reſpondit, Vadam. Dimiſerunt ergo eam & Delborā nutricem illius. Nam ſi ſolus conſenſus, inquiunt Canones, defuerit, cætera etiā cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur. Et Bonifacius octauus. Ex ſponſalibus quæ parentes pro filijs puberib. vel impuberibus plerunq; contrahunt, ipſi filij ſi expreſsè conſenſerint vel tacitè, vt ſi præſentes fuerint, nec contradixerint, obligantur, & ex eis oritur iuſtitia publicæ honeſtatis. Et eſt idem, ſi filij tempore ſponſaliorū abſentes, & etiam ignorantes, eadem ſpōſalia pòſt ſcientes ratificauerint tacitè vel expreſ sè: aliàs ex ſponſalib. contractis à parentib. pro filijs, nec ipſi filij obligantur, nec publicæ honeſtatis iuſtitia inde ſurgit. Quare improbabile eſt Eraſmi paradoxum, humanū eſſe decretum, ſolo cōſenſu coire matrimonium, vt qui legem pro ratione temporum ſtatuit, eandē pro temporum ratione, vel abrogare, vel moderari poſsit. Pēdet igitur cōtractus coniugalis à voluntate eorum, qui coniugio copulantur, ſine qua irrita ſunt, quæcunq; pro eis facit pater: Si ergo debeat ſimul adeſſe patris conſenſus, debitū eſt honeſtatis & præcepti, ſed non tale, vt ſine eo irritum ſit, quod liberorum voluntate contrahitur, maximè ſi circūſpectè & prudenter agant ex conſilio viri docti & ſapientis, aut matris, aui, & amicorū, patre prætērito, qui minus prudens eſt, quiq; fortaſsis agit, vt coniugiū ineatur cum altero coniuge ingrato, & diſplicēte. Feri etiam poteſt, quòd ex paſtoris ſui iudicio matrimoniū contrahatur. Cùm igitur ex maturo conſilio initū connubium, validum ſit, nullā facit patri iniuriam, ſi ſine eius cōſenſu filius contrahat, nec ſibi quod patris eſt, vendicat. Naturalis namq; eſt poteſtas contrahendi, qua vti poteſt etiam ſeruus domino inuito & contradicente. Nam iuxta verbum Apoſtoli Pauli dicit Canon, Sicut in Chriſto Ieſu, neq; liber, neq; ſeruus eſt à ſacramentis Eccleſiæ re mouendus, ita nec inter ſeruos matrimonia debent vllatenus prohiberi: & ſi contradicentib. dominis & inuitis cōtracta fuerint, nulla ratione ſunt propter hoc diſſoluēda, debita tamen & conſueta ſeruitia, non minus debent proprijs dominis exhiberi. Quēadmodum enim in his, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo nō tenetur homini obedire, ſed ſolū Deo. Tenetur autē homo homini obedire in his, quæ exterius per corpus ſunt agenda, in quibus tamē vt dicit B. Thomas, ſecundum ea, quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, quia omnes homines natura ſunt pares, puta in his, quæ pertinent ad corporis ſuſtentationem, & prolis generationem. Ita non tenentur nec ſerui dominis, nec filij parentibus obedire de matrimonio contrahendo, aut virginitate ſeruanda, aut aliquo alio huiuſmodi, ſed tantum in his, quæ pertinent ad diſpoſitionem actuū, & rerum humanarum, tenetur ſubditus ſuo ſuperiori obedire, ſecundum rationem ſuperioritatis, ſicut miles duci exercitus in his, quæ pertinent ad bellū: ſeruus domino in ſeruilib. operibus: filius patri in his, quæ pertinent ad diſciplinam vitæ, aut curā domeſticam. Et ſecundum textum Nume. filius obligatur, & ſimiliter vxor voto abſtinētię, quouſq; ei non fuerit contradictum. Nam ſi audiens vir (inquit ſcriptura) tacuerit, & in alteram diem diſtulerit ſententiā, quicquid vouerat atq; promiſerat, reddat, quia ſtatim vt audiuit, tacuit. Si autem contradixerit poſtquam reſciuit, portabit ipſe iniquitatē eius. Multò igitur magis validus eſt contractus matrimonij, in quo quiſque natura ſua liber eſt. Nam ſecundum ſententiam Beati Auguſtini, voto continentiæ vxoris, maritus nec cōtradicere, nec ipſum reuocare poteſt, ſicut votum abſtinentiæ, eò quòd pares ſunt in illa. Item ſi non eſſet validum coniugium, hoc eſſet vel propter defectum libertatis conſenſus, vel defectum prudentię, vel poteſtatis contrahendi & conſentiendi. Non propter primum, quia tunc non eſſet matrimonium cum parentum etiam conſenſu: Nec propter tertium, quia diſsimilante ac tacēte patre, matre autem reliquiſque amicis conſulentibus contra patris tamen conſilium, validè contraheretur. Nam propter defectum prudentiæ, nullum eſt matrimonium, quia filius ſub patris authoritate adhuc cōſtitutus plus prudētiæ habere poteſt, quā alius qui eſt extra patriā poteſtatē, & filiusfamil. eſſe & manere poteſt in maiori etiā ætate, vt 24. & plurium annorum: poteſt etiā alterius viri prudentis conſilio vti, Et poteſtas patria non eſt in filium ſpurium vel naturalem, & apud ſolos Roma. inuenitur ex legū diſpoſitione. Et quia ex iure poſitiuo eſt emancipatio & patria poteſtas, nec iuri naturali nec diuino præiudicare poteſt. Non igitur ex patria poteſtate ſpurius contrahere matrimoniū prohibetur. Validum eſt igitur matrimonium intra limites iuris naturalis & diuini ſiſtendo, quòd à filiofamilias inconſulto & inuito patre contrahitur: Nec refert, ſicut nec in alijs contractibus pruden-

Gen. 24. *De ſponſa duorum c. Tua.* *De deſpōſa. impub. li. 6.* *De coniug. ſeruorum, c. 1.* *2.2. q. 104. art. 5.* *Nume. 30.* *Inſti. de patria poteſtate.*

prudenter ne an imprudenter contrahatur, quantum ad contractus viliditatem. Nam dominium in alium transfert, qui rem ſuam imprudenter vendit: & poſſet imprudenter quoq; contrahere etiam cum parentum conſenſu. Nec obſtat quod ſcribit Euariſtus papa ad Epiſcopos Aphricanos. *30.quæ. 5.c. Aliter.* Aliter, inquit, legittimum non fit coniugium, niſi ab his qui ſuper ipſam fœminam dominationem habere videntur, & quibus cuſtoditur, vxor petatur, & à parentibus & propinquioribus ſponſetur, & legibus dotetur, & ſuo tempore ſacerdotaliter, vt mos eſt, cũ precibus & oblationibus à ſacerdote benedicatur, & à paranymphis cuſtodita & conſociata, à proximis congruo tempore petita à legibus dotetur, ac ſolemniter accipiatur, & biduo vel triduo orationibus vacent, & caſtitatem cuſtodiant. Ita peracta, legittima ſcitote eſſe cõnubia: aliter verò præſumpta, non cõiugia, ſed adulteria, vel contubernia, vel ſtupra, aut fornicationes potiùs, quàm legittima cõnubia eſſe non dubitantur, niſi voluntas própria ſuffragauerit, & vota ſuccurrerint legittima. Intelligunt enim Gratianus & Magiſter Sentent. hanc Euariſti Decretalem vt prohibeat ſolum clandeſtinum contractũ, per has ſolẽnitates quas requirit, & non agat peculiariter de matrimonio ſine parentum conſenſu cõtracto, niſi quatenus eſt clandeſtinum: & eam, prohibitionẽ ſolùm continere, non inualidationem. *30. quæſt. 5,* Ait enim Gratianus, Multa ſunt quę prohibẽtur, quæ ſi fiant ex pòſt facto conualeſcunt: Prohibentur vouentes matrimonia cõtrahere, quæ tamen ſi contraxerint, inuiolata permanere oportet, ſic & clandeſtina coniugia cõtra leges quidem fiunt, tamen contracta diſſolui non poſſunt, quia ex legittimo voto ſubſequente corroborantur. Vnde Euariſtus cum dixiſſet, Aliter pręſumpta non ſunt cõiugia, ſed adulteria: addit, Niſi volũtas propria ſuffragauerit, & vota ſuccurrerint legittima. Non igitur coniugia quę clam contrahuntur, negantur eſſe coniugia, nec iubẽtur diſſolui, ſi vtriuſq; confeſsione probari potuerunt: veruntamẽ prohibentur, quia mutata voluntate alterius eorum, alterius confeſsione fides iudici fieri nõ poteſt, vnde publicè cum alterius vota in alteram partem ſe tranſtulerint pro priori coniugio, quod iudici incertum eſt, ſententia ferri nõ poterit. Propter quod habentur & pręſumuntur eſſe adulteria vel fornicationes. Intelligit itaq; Gratianus aliter quàm diſponit Euariſtus, præſumpta non eſſe coniugia, hoc eſt, ſi *Diſt. 28. li. 4* ſecretò & clandeſtinè contrahantur. Magiſter quoq; in Sententijs. Sentẽtia, inquit, Euariſti non ita intelligenda eſt tanquam ſine enumeratis non poſſet eſſe legittimum cõiugium, ſed quia ſine illis non habet decorẽ & honeſtatem debitam. In huius enim ſacramenti celebratione, ſicut in alijs quædã ſunt pertinentia ad ſubſtantiam ſacramenti, vt conſenſus de præſenti, qui ſolus ſufficit ad contrahẽdum matrimonium: quædam verò pertinentia ad decorem & ſolemnitatem ſacramenti, vt eſt parentum traditio & ſacerdotum benedictio, & huiuſmodi, ſine quib⁹ legittimè fit coniugium quantum ad virtutem, non quantum ad honeſtatem ſacramenti. Sine his ergo non quaſi legittimi coniuges, ſed quaſi adulteri & fornicatores conueniunt, vt illi qui clanculo nubunt: Et vtiq; fornicatores eſſent, niſi eis ſuffragaretur voluntas verbis expreſſa de præſenti, quæ legittimum inter eos facit matrimonium. Nã & conſenſus occultus de præſenti per verba expreſſus coniugium facit, licet non ſit tibi honeſtus contractus: ſed matrimonium non ſanxit conſenſus qui in occulto fuit. Si enim alter alterum dimiſerit, non cogitur Iudicio Eccleſię redire, & commanere quaſi cum coniuge, quia non poteſt probari teſtibus contractus, qui in occulto eſt factus. Quòd ſi ipſi qui in occulto ſibi conſenſerunt, eundem conſenſum voluntariè in manifeſtò profiteantur, tunc vtique propria voluntas ſuffragatur, & legittima vota ſuccurrunt ad ſanciendum coniugium, quod prius occultè fuerat contractum. Voluntas ergo verbis expreſſa in occulto, ad hoc ſuffragatur, vt fiat coniugium, manifeſtè verò expreſſa, ſuffragatur vt ſanciat ac roboret, ac liberum ſit Eccleſiæ de hoc iudicare. Hæc Magiſt. Et reuera mortale peccatum eſt commixtio carnalis quæ fit in vſu matrimonij clandeſtini, cùm ſit ſcandaloſa, & reddat vtrumq; coniugum infamem: & ideo à iure damnata eſt vt adulteriũ ſeu fornicatio: itẽ & propter quotidianum periculum, quo tranſitur ad ſecũda coniugia omiſſo coniuge clandeſtino, vt docet Cardinal. Caietan. Rectè intelligunt *In Summa & quæſ. additis 3. parte* Gratianus & Magiſter, ſententiam Euariſti, cum certiſsimũ ſit, non ad ſubſtantiam matrimonij, ſed ſolẽnitatem tantũ pertinere, quòd cum precibus & oblationibus à ſacerdote benedicatur, quod docetur, quod biduo vel triduo orationibus vacent, & caſtitatem cuſtodiant: quę omnia tantùm requirit Euariſtus vt legittima ſint coniugia, hoc eſt, ſolemnitates omnes habeant, quàs canonicæ & ciuiles leges requirunt.

Colloquio Eubuli & Catharinæ. Contra has veritates mouet & proponit Eraſmus in colloquijs argumenta quædam, & primò contra ingreſſum religionis ſine parentũ cõſenſu. Natura, inquit, dictat, Deus approbat, Paul. hortatur, leges humanæ ſanciunt, vt filij obediant parentibus: & tu te ſubduces ab authoritate parentum optimorum, vt pro vero patre te dedas factitio, & pro vera matre tibi aſciſcas alienam, aut potius vt pro parentibus tibi dominos ac dominas aſciſcas? Nam parentibus ita es obnoxia, vt tamen te liberã eſſe velint, vnde & liberi vocantur filijfamilias, quòd abſint à conditione ſeruorum. Nunc tu te pro libera tẽdis vltrò ſeruã reddere. Chriſtiana clemẽtia maxima ex parte ſubmouit omnẽ illam veterum ſeruitutẽ, niſi quòd in paucis regionibus adhuc reſident veſtigia. At inuẽtum eſt ſub prætextu religionis nouum ſer-

uirtutis genus. Nihil ibi licebit, niſi ex præſcripto, quicquid obuenerit tibi, illis accreſcet. Si quo pedem moueris, retraheris è fuga, perinde quaſi parentem veneno necaueris: quoq; ſit euidentior ſeruitus, commutant veſtem quam dederunt parentes, & ad exemplum priſcũ eorum, qui olim ſeruos eſſent mercati, commutant nomẽ in baptiſmo inditum, ac pro Petro ſiue Ioanne vocant Fráciſcum ſiue Dominicum.

Reſponſio ad arg. Eraſmi. In quibus Eraſmi dictis deſideratur animus erga Deum & religionem monaſticam magis pius. Natura, inquit, dictat, Deus approbat, Paulus hortatur, leges humanæ ſanciunt, vt filij obediant parentibus. Verum & indubitatũ eſt, quòd hic aſſumitur, ſed ſuos limites habet hæc obedientia, vltra quos ſe extendere non debet. In his enim quæ ad morum diſciplinam & rectam filij inſtitutionẽ, & ad vitam domeſticam pertinẽt, filius ſubiectus eſt patri: ſed Apoſtoli ſententia eſt, *Hebræ. 12.* Patres carnis noſtræ eruditores & caſtigatores habuimus, & reuerebamur eos, nonne multò magis obtẽperabimus patri ſpirituũ & viuemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum, ſecũdum voluntatem ſuam erudiebant nos, hic autem ad id quod vtile eſt in recipiendo ſanctificationem eius: hic, ſcilicet ſpirituum pater in filio ſuo inuitat & monet. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni *Matth. 19.* ſequere me. Omnis qui reliquerit domũ, vel fratres, aut ſorores, aut patrem aut matrem propter nomen meum, centuplum accipiet, *Luca 14.* & vitam æternam poſsidebit. &, Qui non odit patrem ſuum & matrem, nõ poteſt meus eſſe diſcipulus. In qua paleſtra & ſchola ad ſanctificationem exercentur ij, qui profeſsi ſunt religionem monaſticã, quod maximè fieri cõuenit ab ipſis pubertatis annis. Nam bonum eſt viro cum portauerit iugũ Domini ab adoleſcentia ſua. Et ſicut ſcribit B. Gre-*Trenor. 2. 2. li. dialog.* gorius B. Benedicto, Romani nobiles ſuos filius õmnipotenti Deo nutriendos dare cœperunt. Et ex communi conſuetudine illis officijs vel artibus pueri applicantur, in quibus ſunt vitam tranſacturi, ſub magiſtris illius artis peritis, & parẽtibus abſtrahuntur. Nam ſi puero in Grãmatica vel philoſophia inſtituendo alius à parentibus quæritur inſtitutor, multò magis quando inſtituendus eſt ad perfectionem vitæ Chriſtianæ, vt ſecundum conſilia Euangelij Chriſto ſoli ſine impedimentis viuat, eiq; ſoli placeat, quærẽda eſt alia vita, alius inſtitutor. Quòd igitur ſe ſubducit ab authoritate parentũ, hoc facit patre ſpirituum vocante, eiuſq; authoritate, quem pater carnis ſuum etiam patrẽ *Matth 3.* ac Dominum libenter agnoſcit, de quo Dominus Saluator, Patrem nolite vocare vobis ſuper terram, vnus enim eſt pater veſter qui in cælis eſt, cuius vocationi & voluntati nõ reluctatur, ſi optimus vt dicit Eraſmus, eſt parens, ſed obſequitur libenter. Et ſicut Epiſcopus non factitius eſt pater, nec Chriſtus Dominus cuius ille locum tenet, ſed verus paſtor: ſicut Rex, quem ſecundum Ariſtotelem Homerus appellat patrẽ populi, Maior *5. Ethicor.* enim eſt cognatio ſpiritus quàm carnis. De hac autem quã odioſe appellat Eraſmus ſeruitutem, dixit S. Agatha, quòd ſumma ingenuitas eſt, in qua Chriſti ſeruitus comprobatur. Et Apoſt. Paul. Cum eſſem, inquit, liber *2. Corint. 9.* ex omnibus, omnium me ſeruum feci. Quæ ſeruitus libertas potius eſt dicenda, quando in noſtram ſalutem & ſanctificationem alteri ſubijcimur. Nec hominibus ſeruitur in vita monaſtica, ſed Chriſto Domino, quãdo ſecundũ exemplum, & præpoſiti præſcriptũ ad regulam Chriſti & Euangelij exercemur, Nec hominum ſe ſeruũ facit qui profitetur religionẽ, ſed Domini, vt Deo ſeruiat mon-*1. Corint. 7.* ſtrantibus, & ad hoc dirigentibus religionis Præpoſitis, nihilque niſi ex præſcripto agat. Hæc enim vetus eſt regula monachorum, vt ſicut ex præſcripto magiſtri in omni arte agit diſcipulus, ita hic in tota vita ab Euangelij perfectione inſtituatur non recedere. Nã B. Hieronymus ad Ruſticum monachum, Ad illud tendit, inquit, oratio, vt doceã te non tuo arbitrio dimittendum, ſed viuere debere in monaſterio ſub vnius diſciplina patris conſortioq; multorum, vt ab alio diſcas humilitatem, ab alio patiẽtiam: hic te ſilentiũ, ille doceat manſuetudinem: nõ facias quod vis, comedas quod iuberis, veſtiare quod acceperis, operis tui penſum perſoluas, ſubijciaris cui non vis, laſſus ad ſtratũ venias, ambulanſq; dormites, & necdum expleto ſomno ſurgere compellaris: ſeruias fratribus, hoſpitũ laues pedes, paſſus iniuriã taceas, præpoſitũ monaſterij timeas vt Dominum, diligas vt parentẽ: credas tibi ſalutare, quicquid ille præceperit, nec de maiorum ſentẽtia iudices, cuius officij eſt obedire & implere quæ iuſſa ſunt. Idem ad Euſtochium de primo monachorum nempe Cœnobitarum genere, loquens. Prima, inquit, apud eos cõfœderatio eſt obedire maioribus, & quicqd iuſſerint facere. Et de præſcripto veſtitu. Vnus, inquit, omnium habitus, lintiamine ad tergẽdum ſolum manus vtebantur. Et alibi, *In obiurgatione graui in Sabinianũ diaconum.* Moris eſt, ait, in Aegypti, & Siriæ monaſterijs, vt tam virgo, quàm vidua, quæ ſe Deo vouerint, & ſeculo renunciantes oẽs delitias ſeculi conculcarint, crinẽ monaſteriorum matribus offerrent reſecandum, nõ intecto poſtea contra Apoſtoli Pauli voluntatem inceſſuræ capite, ſed ligato pariter ac velato. Et addit poſtea de velo & flammeo quo conſecratæ erant: tradens eundem morẽ veli & flammei tunc temporis in vſu fuiſſe, quẽ nunc noſtrum hoc ſeculum obſeruat. Quæ omnia cùm fiãt in ſanctificationem virginis conſecratæ, ad libertatem pertinent, non ad ſeruitutem. Et quod tempore Apoſtolorum veſtes monachorum commutabantur, dicit Beatus Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierar-*ca. 6 partis 2.* chia. Exutumque, inquit, veſtẽ omni monachum ſacerdos aliam induit. Nec mirum eſt ſi profeſſurus nomen aſſumat eius quem peculiariter imitari decreuit. Nec in hoc

abijcit

abijcit nomen aut veſtem à Domino in baptiſmo datam, ſed heroici ac ſtrenuioris militis ſub eodem duce veſtem induit, & nomen aſſumit militare. Addit Eraſmus, Emancipa- *Eraſmus.* runt te leges à iure parentum? Nequaquam. Licet ne tibi emere aut vendere fundum, inuitis parentibus? Minime. Vnde igitur tibi ius, vt teipſum dedas neſcio quibus, inuitis parentibus? An non tu illis clariſsima maximeq; propria es poſſeſsio? Reſpondet Catharina, In negotio pietatis ceſſant naturæ leges. Ait Eubulus, Negotium pietatis agitur in baptiſmo. Hic tantùm agitur de veſte mutanda, deq; genere vitæ, quod per ſe neq; bonum eſt, neq; malum. Quòd filius familias non poteſt vendere tunicam, ſi pubes eſt, *Reſponſio.* & plenum rationis habeat vſum, ſi quã propriam habet ex patris aut aliorum donatione, ſolum eſt ex legum diſpoſitione, contra quam facultas dari poſſet ipſam vẽdendi & communicandi, ſicut idem filius magnam habet poteſtatem in peculio alienando: Sed leges ſimiliter diſponere nõ poſſunt circa actus naturaliter liberos, qualis eſt vitæ ac ſtatus mutatio. Et parentibus à legibus interdicitur, ne filios monaſticã vitam eligentes à venerabilibus monaſterijs abſtrahant. Non eſt filius parẽtum poſſeſsio ſicut ſeruus aut ancilla, ſed natura liber eſt & ſuæ poteſtatis, quantum ad ea quæ ad ſuam pertinent perſonam, vtpote vt vel ſe obliget religioni, vel contrahat matrimonium: non autem quantum ad diſpenſationem domeſticã. Ad hoc quod dicitur, Vnde tibi ius, vt teipſum dedas neſcio quibus, inuitis parentibus? reſpõdendum hoc ius eſſe ex Euãgelio, Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & veni ſequere me. Item, Omnis qui reliquerit domum, agros, patrem & matrem, propter nomen meum, centuplũ accipiet, & vitam æternã poſsidebit: imò ex ordine naturæ hoc nobis eſt ius, qui habet, quòd ſi quid proconſul iubeat & aliud Imperator, illo contempto, huic eſſe ſeruiendum. Semper manet libertas ſequendi vocationem patris ſpirituum. Porrò irreligioſe admodum dicitur, quòd hic tantùm agitur de veſte mutanda, deq; genere vitę, quod per ſe neq; bonum eſt, neq; malum, cùm vita monaſtica conſiſtat in conſiliorũ Euangelicorũ obſeruatione, vt charitatis Dei & proximi aſſequamur perfectionem, quã non eſſe per ſe bonam, planè Euãgelio aduerſatur, quod loquitur: Si vis perfectus eſſe, vade vẽde, &c. Veſtis quidem mutatio non eſt de religionis eſſentia, ſed ei accedit.

In auth. de ſanctiſ. Epiſc coll. 9. Para. Nullã vero. *Matth. 16.*

Eraſmus. Illi iactant obedientiam, non ea laus tibi deerit ſi obedias parentib. tuis, quibus Deus iubet obedire, ſi epiſcopo tuo & paſtori tuo.

Reſponſio. Aliam obedientiam debet filius parentibus, aliam miles duci exercitus, diſcipulus magiſtro, ouis paſtori & epiſcopo: at longè aliam monachus ſuo abbati, in his videlicet quæ pertinent ad conſilia & perfectionẽ euangelicam. Multum enim refert ad quẽ ſcopum, atq; in quibus obediẽtia præſtetur. Nã adoleſcenti qui dicebat ſe cuſtodiuiſſe à iuuentute ſua omnia decalogi pręcepta, reſpõdit Dominus, Si vis perfectus eſſe, &c. Hoc enim ei adhuc deerat.

Eraſmus. Et in eodem colloquio de matrimonio inuitis parentibus contracto, ſic definiũt quidam, & matrimonium eſſe ratũ quod inſcijs aut etiam inuitis parentib. inter puerum & puellã per verba de præſenti contractũ eſt. Atqui iſtud dogma nec naturę ſenſus approbat, nec veterum leges, nam Moyſes ipſe, nec euangelica aut apoſtolica doctrina.

Reſponſio. Quod puer vel puella inſcijs aut inuitis parentibus, prohibetur matrimonium cõtrahere, in quæſtionem non venit. Et cõfitemur quòd naturæ ſenſus, veterum leges, Moyſes, & doctrina Apoſt. eis hoc vetant. Cum enim parentũ cuſtodię, curę & ſolicitudini à Deo ſint cõmiſsi, indecens eſt & magnum aduerſus eos ingratitudinis ſignum, ſine eorum directione, conſilio atq; iudicio, puellam viro nubere, & puerum ducere vxorem. Naturalis ordo & ſubiectio, eorum conſilio hoc fieri poſtulant. Sicut enim parentum eſt filijs theſaurizare, & de bono proſpicere coniugio: Ita filiorum eſt eorum audire cõſilium. Sic Abraham accerſit filio ſuo Rebeccam, eaq; ex voluntate patris ducitur: Sic Iacob iuſſu patris delegit affinem Laban. Rurſus in Deutero. ſtuprator virginis nondum deſpõſatæ numerat patri quinquaginta ſiclos, & ducit vxorem volente patre. Et ſi ſeduxerit quis virginem nondum deſponſatã dormieritq; cum ea, dotabit eam, & habebit vxorem: Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere cõſueuerunt Et Tobiæ filius tradentibus parentibus accepit Saram, Item Caue ne vnquam habitatoribus terræ illius, &c. nec vxorem de filiabus illius accipies filijs tuis. Multa ſunt eiuſmodi in veteris teſtamenti voluminibus, qua declarant curam & ſollicitudinem contrahendi matrimonij, penes patrem & matrem fuiſſe, & filios eorũ ſequutos eſſe iudicium. Et Apoſtolus Paulus, Si quis, inquit, turpem ſe videri exiſtimat ſuper virgine ſua quòd ſit ſuperadulta, & ita oportet fieri, quod vult faciat, non peccat ſi nubat. Et ſi iudicauit in corde ſuo ſeruare virginem ſuam, bene facit. Igitur & qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit, & qui non iungit, melius facit. Item B. Ambroſius, Conſulitur, inquit, puella non de ſponſalibus: illa enim iudicium ſpectat parentum. Non eſt enim virginalis pudoris eligere maritum: ſed iam deſpõſata viro de profectionis conſulitur die. Ait enim quidã Poeta in perſona mulieris, Sponſalium quidem meorum pater meus curã ſubibit: hoc enim non eſt meum. Mulier etiam ſi qua amiſſo cito marito, adoleſcentula, ſi vult nubat tantum in Domino, vt electionem mariti parentibus deferat, ne appetentiæ æſtimetur author, ſi ipſa de nuptijs ſuis electionem ſibi vendicet. Et alio loco ſcribit ad Siſynnium, Venturam in locum filiæ tuæ tu eligas

Geneſ. 24. Cap. 22. Exod. 22. *Exod. 34.* *1. Corint. 7.* *Li. 1. ca. vlt. de Abrahã.* *Euripedes in Andromach.* *Epiſt. 41.*

iudicio, cui ſies pater. Quod certè eſt æquiſſimum. Sed hoc non vertitur in quæſtioně, verum iſtud magis, An inconſultis parentibus ab ingrato filio vel filia malè contractū matrimonium, nullū ſit & inualidum. Multa namq; malè fiunt, quę tamen facta tenent. Nam idem Ambroſius qui tantam patri tribuit authoritatem in filię ſponſalibus & nuptijs, nihil dubitat coniugium filij patre inconſulto cōtractum, validum eſſe & firmū. *Ad Siſyn.* Et ſi leges ciuiles hunc contractum inualidant (de quo variæ ſunt doctorum ſententiæ, vt habet gloſa Inſtit. de nup.) correctæ ſunt per ſacros Canones. Nam diſponunt etiam, quòd filiæ tunc ſolum diſſentiendi à patre ſponſum offerente conceditur licentia, ſi indignum moribus, vel turpem ſpōſum pater elegerit, cum tamen ſcriptura teſtetur, quòd puellæ voluntas ſit requirenda, quam etiam ſpectat Apoſt. Paul. cùm dicit, Cui vult nubat, tantum in Domino, beatior autem erit ſi ſic permanſerit, ſecundum meum conſilium, &c. Si non ſe continent, nubant: melius eſt enim nubere quàm vri, ad mulieris & viri totum referens voluntatem. Quanuis autem ex parentum delectu atq; iudicio puella nubere debeat, nō tamen de matrimonio contrahendo, vel virginitate conſeruanda, parentum eſt præcipere, cùm hæc libera ſint & noſtro relicta arbitrio: vt docent B. Thomas, Richardus, & alij doctores ſcholaſtici in 4. lib. Sent. diſtinct. 29. Et quia ſacri canones non expreſſe derogant legibus diſponētibus, ſine patris conſenſu à puella & puero non poſſe cōtrahi matrimonium, videntur eas intellexiſſe tanquam præceptum honeſtatis & reuerentiæ ac gratitudinis erga parentes, & non quaſi matrimonium ſic contractum, irritum vellent & inualidum. Nam iuxta ſcripturam obligat votū & iuramentum mulieris de abſtinentia, & de affligendo per ieiunium animam ſuam in domo patris vel mariti emiſſum, quāuis irritari poſſit patre vel marito contradicente: Vbi B. *Num. 30.* Aug. annotat, nō eſſe ſimile de voto cōtinentiæ, vel abſtinentiæ à cōcubitu, hoc eſt caſtitatis in qua pares ſunt, cū lex hic authoritatē viro tribuat, non mulieri quæ viro ſubdita eſt, vt tūc perſoluēda ſint vota mulieris ſi vir approbauerit, & Apoſt. de cōiugatorū *Quæſt. 59 ſuper Numerū.* concubitu loquēs, nō ibi maiorē authoritatem viro quā fęminæ dedit: Vxori, inquit, vir debitū reddat, ſimiliter & vxor viro. Quādo ergo in hac re, inquit ipſe Aug. parem vtriuſq; voluit eſſe poteſtatem, puto quòd nobis intelligendum inſinuet, iſtam de concumbendo vel non concumbendo regulam, nō pertinere ad ea vota vbi non habent parem vir & mulier poteſtatem: ſed viri maior eſt ac propè eius ſolius eſt. Non enim ait lex, virū non debere reddere vota ſua ſi vxor prohibuerit, ſed vxorem ſi vir prohibuerit. Vnde non mihi videtur eiuſmodi votis atq; obligationibus, quæ aduerſus animam fiunt, etiam iſta debere accipi, quæ inter ſe vir & vxor de concumbendo, vel de abſtinentia cōcumbendi placita habuerūt. An aūt idem ſit iudiciū de puero & puella, de qua potiſsimū loquuntur ſcripturæ: Nā inſtitut. de nup. indicatur etiam eſſe diſcrimen, pręſens tractatio non requirit eius rei determinationem.

Primum, inquit, reuocari multo ſalubrius forct, ne nuptiæ ſine conſenſu eorū in quorum poteſtate ſunt, coeuntes, id eſt patris vel aui vel proaui, conſiſterent, quos tamen ſi æquo longius differrent, magiſtratus ad officium compelleret. Quā legem eximiè ſanctam Romanis olim fuiſſe, teſtatur titulus de ritu nuptiarum lib. pandect. iuris ciuilis 23. & alijs quoq; libris iuris ciuilis repetita: Quā ſane apud nos ſanctam haberi non ſolum è re foret contrahentium matrimoniū, qui per ætatem ſibiipſis parum conſulere poſſunt, verum etiam ex eo vnice deceret, quod apud nullos patriam poteſtatem tanti eſſe atq; apud nos oportebat. *Bucerus In Euangeliū Matth. cap. 19.*

Diximus ingratitudinem & irreuerentiā filiorum in parētes, non eſſe iuſtam cauſam matrimonium irritandi, & maximè ob eam *Reſponſio.* non eſſe inualidum ſi parentibus inconſultis contrahatur, cùm hæc contrahendi facultas libera ſit apud ſeruos etiam & ancillas, ipſis quoq; dominis contradicentibus. Et qui per ætatem ſibi conſulere non poſſunt, parentum & prudentiorum requirere & ſequi debent conſilium; quod ſi negligant, & ſuo fidant iudicio, ratum nihilominus eſt quod temere atq; imprudenter agunt: ſicut ſi emācipati, vel cum parentis imprudentis conſilio ſtultè cum aliqua cōtrahant. Et patriam poteſtatem diximus non extendi ad contractus filiorum coniugales in quib. plenè ſunt liberi, ſub parentum tamen directione ac regimine & cura. Puella enim non eſt in poteſtate patris vt ſui corporis poteſtatem non habeat, ſed quaſi filia ad educandū & inſtituendū in timore Domini: ſicut diſcipulus eſt in poteſtate magiſtri, vt in arte aliqua inſtituatur: & ideo ſecundū hoc quod libera eſt, poteſt ſe in poteſtatē alterius dare abſq; patris cōſenſu. Nec maritū ei dare poteſt parēs ſine eius conſenſu. Concludit deinde Buc.

Vt nemo ſeipſum, inquit poteſtati eximere poteſt, cui addictus eſt diuinitus, ita nemini quoq; licere patriæ ſeſe poteſtati ſubducere, & alteri per matrimonium addicere: ſi id quiſquā tentet parentes ſuos poſſe repetere quicquid ab eis promiſſionis interceſſerit. Ne autem parentes ſua poteſtate abutantur cauendum eſſe per magiſtratus. Denique illis nihil negotij exibendum, qui contra hæc ex ignorantia legis diuinæ, & Papæ legem diuinā arbitrati nuptias inierunt. *Bucerus.*

Fallitur hic Buc. quòd præſupponat per patriā poteſtatē poſſe impediri matrimon. & ſine ei⁹ permiſsione inualidū eſſe vel reſcin- *Reſponſio.* di poſſe contractū, cū talis dūtaxat ſit vt ſine ei⁹ iudicio & cōſilio liberi cōiugiū inire nō debeant, & vt curā & ſollicitudinē gerat de eis eorūq; ſalute ac viuēdi ratione. Falsū eſt igitur parentes poſſe repetere & reſcindere quicqd ab eis promiſsionis interceſſerit. Atq;

Siſynnio

Siſynni hoc B. Ambroſ. conſuluiſſet, ſi filij contractum coniugalem incõſulto patre initum iure reſcindere potuiſſet. Et quiſq; ſeipſum poteſtati cui addictus eſt diuinitus, multis modis eximere poteſt, & ſe eximit quando de vno regno migrat ad alterum, itẽ quando domum mutat, ſicut certum eſt quãdo filius emancipatur, modo quodã à patria eximitur poteſtate. Et Domini ſentẽtia eſt. Omnis qui reliquerit patrẽ & matrem, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Nemini iniuriam facit, qui iure ſuo vtitur. Mirum profectò, quòd monendi non ſunt de ſalute ſua qui manent in coniugio inconſultis parentibus contracto, ſi iure diuino inualidum eſt & nullum, cùm certum ſit non eſſe eorum coniuges, & ideo non perſeuerare in adulterio.

Multò ſanè moderatior hic eſſe videtur Ioannes Brentius, qui de huiuſmodi contractu ſic loquitur.

Brentius. In catechiſ. mo circa præceptum 4.

Grauiſſimè peccant liberi ſi contempta parentum authoritate coniugia ineant. Quod ſi verò mutuum fœdus coniugij, ſine parentum conſenſu fuerit iam initum, referendum erit, priuſquã vel diſſoluatur vel confirmetur, ad publicum vel ordinarium iudicium, vt de fœderis firmitate vel infirmitate legittime cognoſcatur. Etſi enim generalis regula eſt, quod liberi debeant inire coniugia cum parentum conſenſu, tamen nonnulli ſunt caſus, quos iuriſconſultorum eſt enumerare, in quibus licet liberis abſq; parentum authoritate matrimonium contrahere. Quare de his coniugij fœderibus quibus parentes contradicunt, legittimo iudicio cognoſcendum eſt.

Reſponſio. Rectè Brentius dicit non ſtatim improbãdum eſſe coniugium quaſi inualidum, quod initum eſt ſine parentum conſenſu, ſed referendum ad publicum & ordinarium iudicium, in quo cognoſcatur de fœderis firmitate, vel infirmitate. Nam ſi parẽtes rationem non habeant contradicendi, qui tamen conſulti contradicunt, certiſsimum eſt legittimum eſſe matrimonium. Item ſi plenum nõ habeant rationis vſum filij cõtrahentes, aut ex temulentia cõtrahunt vel coactione, nullum efficitur coniugium. Liberum enim & deliberatum requirit cõſenſum contractus coniugalis, ſicut vxorum, & plenum rationis vſum. De quo tractat Cardinalis Caieta. circa. 2. 2. B. Thomæ. In eo tamen fallitur etiam Brentius quòd arbitretur inualida eſſe matrimonij fœdera, quæ contempta parentum authoritate temerè ineuntur. Martinus verò Lutherus excipit, ſi nata eſt in huiuſmodi coniugio proles: extra quem caſum dicit in parentum poteſtate eſſe quod validum maneat vel irritetur, quaſi matrimonium ſemel initum per parentes ſeparari poſſet & irritari ſicut votum abſtinentię, ita variant qui ſuum iudicium tanquam dogmatũ regulam ſequuntur. De gradibus conſanguinitatis & affinitatis docet Martinus Bucerus, quòd illi ſoli à nuptijs arceantur, quos habet Leuiticus, vel ex Cæſarum in Codice & in Inſtitutionibus.

Bucerus. *Sunt, inquit, perſonæ quas lex Cæſarum vetat in coniugium accipere, hæ tantum, filia, neptis, proneptis, mater, auia, proauia, amita, matertera, ſoror, ſororis filia, neptis, priuigna, nouerca, nurus. ſocrus, fratris vxor, & ſoror vxoris: has & lex Dei ducere prohibet, quare conſobrinis & fratruelibus connubium inter ſe cõtrahere licet, quicquid contra leges pontificia ſtatuerint. Quis enim honeſtatis hic maiorem rationem habeat, Deo ipſo omnis honeſtatis authore? cuius legibus quãto plus reſpondent Cæſarianæ Pontificijs, tanto certè eis apud Chriſtianos plus quàm Pontificijs oportebat deferri. His profectò legibus receptis, vt multò ſanctius nuptiæ fierent, ita poſſent & honeſtiores & diuturniores perſiſtere.*

Reſponſio. Apud Eccleſiam eſſe poteſtatem de coniugijs fidelium diſponendi, & eam ſemper diſpoſuiſſe in Concilijs etiam vniuerſalib. legiſq; Moyſi virtutem expiraſſe, in ſuperioribus docuimus. Patrueles quoq; & conſobrinos iuſtiſsima ratione eſſe prohibitos à coniugio, oſtendimus ex Auguſtino & Ambroſio. Ait enim ille, Quis dubitet honeſtius hoc tempore etiam conſobrinarum prohibita eſſe coniugia, nõ ſolùm ſecundum ea quæ diſputauimus, propter multiplicandas affinitates, ne habeat duas neceſsitudines vna perſona, cum duæ poſsint eas habere, & numerus propinquitatis augeri: ſed etiã quia neſcio quomodo ineſt humanæ verecundiæ quiddam naturale atq; laudabile, vt cui debet cauſa propinquitatis verecundum honorem ab ea contineat, quamuis generatricẽ tamen libidinem. *de ciuit. Dei lib. 15 ca. 16.* Et idem, Experti ſumus, inquit, in connubijs conſobrinarum etiam noſtris temporibus, propter gradũ propinquitatis fraterno gradui proximum, quod raro per mores fiebat, ꝙ fieri per leges licebat. Nã factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur illiciti, & quod fiebat cum conſobrina, penè cum ſorore fieri videbatur, Et B. Ambroſ. Theodoſius Imperator, inquit, *Epiſt. 66.* etiam, patrueles fratres & conſobrinos vetuit inter ſe coniugij conuenire nomine, & ſeueriſsimam pœnam ſtatuit. Honeſtatis rationem in ſuis legibus habuit Deus, ſed eius quam ſtatus populi & tempus poſtulabant. Nihil enim ad perfectum adduxit lex, ſed erat pędagogus ad Chriſtum. Maior filios decet honeſtas: Sic vt in die, inquit Apoſtolus, honeſtè ambulemus. Nec conueniebat poſt magnam libertatem, imò & laxitatem quæ erat ante legem, ſubito gradus extendere, vltra quos matrimonium permitteretur. Nam eo tẽpore permittebatur vxorũ pluralitas, mãdabatur vt frater fratris ſine liberis defuncti vxorẽ acciperet: & ex ea fratri prolẽ ſuſcitaret: item vt omnes viri ducerent vxores ex tribu ſua, quæ ſuas illo tempore cauſas habebant, quas modò non habent. Arcebantur in lege à cõiugio ſolæ perſonæ, quas neceſſe eſt ſimul cõmorari, & hoc ne nimia

daretur venereæ cōmixtionis oportunitas: nunc vero ratio etiā habetur, vt B. Aug. multiplicandæ amicitiæ, & omnis inhoneſtatis ac indecētiæ vitandæ. Naturaliter enim homo parentibus debet honorificentiā, & propter eos alijs cōſanguineis, qui ex iiſdem parentib. de propinquo originē trahunt: Propter quod ſcriptura mādat, Omnis homo ad proximā ſanguinis ſui nō accedat, vt reuelet turpitudinē eius: Et quāuis eaſdē perſonas lex Cæſarea in cōiugiū accipere vetet, vetat tamē etiā alias, videlicet ne in infinitū in recta linea cōtrahi poſsit, adeo vt ſi Adā nunc viueret, nullā habere poſſet vxorē, ſicut annotat gloſ. Inſt. de nupt. Quæ etiā iubet abſtinere à ſorore vxoris mortuæ. Addit ꝓterea impedimentū cognationis legalis, videlicet vt qui per adoptionē, parentū, liberorumve loco ſibi eſſe cœperint, non poſsint inter ſe matrimonio iungi. Ac ſi qua per adoptionē ſoror tibi eſſe cœperit, quā diu quidem conſtat adoptatio, ſanè inter ſe & eam nuptiæ conſiſtere non poſſunt. Si igitur Imperator Iuſtinianus in repub. ſeculari prohibere & irritare poteſt coniugia, negari non poteſt quin idem poſsit Chriſti vicarius in ſua familia quam regendam ſuſcepit. Propter quod Lutherus contemptis omniū hominū legibus, ſolas perſonas in Leuitico nominatas arcendas docet à coniugio. Ait enim.

loco vt ſupra — *Inſtitut. de nuptijs.* — *In ſeptimo de matrimonio ad populū VVitembergen.*

Lutherus. *Duo de viginti cauſas in ſuo iure effinxit papa, quibus omnibus matrimonium vel diſsipet vel impediat, quas tamen ferè omnes & reijcio & condemno.*

Reſponſio. Sed qua authoritate eas reijcis & condemnas? Suſannam olim condemnarunt ſenes, ſed contra iuſtitiam, contra ſcripturam. Nullum huc adferri audimus ſcripturæ teſtimonium. Inſanus profectò eſſet qui propter hominis vnius ſimplicem ac temerariam aſſertionem totius Eccleſiæ relinqueret iudicium, de qua teſtatur Dominus, Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus: Ipſa has cauſas probat & obſeruandas mandat. *Matth. 18.*

Lutherus. *Numerabo tibi perſonas à Deo prohibitas ob conſanguinitatem Leuit. 18. ſunt aūt mater mea, nouerca mea, ſoror mea ex vitrico vel nouerca, filij mei filia, aut ex filia neptis, vera vel priuigna, patris mei ſoror, matris meæ ſoror. Harum perſonarum nullam licet ducere. Inde ſequitur conſobrinos inter ſeſe matrimonij lege ſociari poſſe diuina & Chriſtiana poteſtate. Præterea quod nouercæ meæ ſororem ducere queam, item patris mei ſororem quæ illi ex vitrico aut nouerca fuit: Similiter & matris meæ ſororem quæ illi ex vitrico aut nouerca obtigit: porrò neptem ex fratre aut ſorore accipere demum poſſum, quemadmodum & Abrahams Saram ſuam habuit. Ex his perſonis nulla diuino iure geneali thalamo denegata eſt. Neq; enim Deus iuriſconſultorū in morem gradus ratiocinatur, ſed rectà perſonas numerat: alioqui dum patris mei ſoror & filia fratris in eodem gradu conſiſtant, dicēdum erat mihi, quod vel fratris filiam ducere non poſſem, aut patris etiam mei ſororem ducere poſſem? Iam amitam prohibuit duci in vxorem, neptem ex fratre nō prohibuit, cùm tamen in eodem gradu ſint.*

Reſponſio. Diximus Leuit. diſpoſitionem per Chriſti mortē expiraſſe, nec vnquā fuiſſe impoſitā gentibus, ex quibus deſcendimus nos, ſed Iudæis tantum. Scimus, inquit Apoſt. quoniam quæcunq; lex loquitur, his qui in lege ſunt loquitur. Legi autem mortificati ſumus per corpus Chriſti. Item, Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia, nec vnquam ſub lege fuerunt niſi Iudæi & peregrini, qui ſponte in eorū tranſierunt coloniā. Scripturis igitur aduerſatur Luth. ad legem & Iudaiſmum nos remittēs. Et de affinitate loquens ait. *Rom. 3. Rom. 7. Rom. 6. Exod. 21.*

Lutherus. *Atqui has modò perſonas Deus vetuit, patrui mei vxorem, filij mei vxorem, fratriam, priuignā meā, priuigni & priuignæ meæ liberos, vxoris meæ ſororem, vxore mea viuente: Harum cū nulla matrimonium cōtrahere poſſum, cū reliquis poſſum, vt cum ſponſa aut vxoris meæ mortuæ ſorore, cum filia fratris vxoris meæ, cū filia patrui vxoris meæ, & quibuſq; vxoris meæ conſobrinis, neptibus & cognatis. Quod ſi frater abſq; herede ex hac vita migrarit, oportebat vxorem proximo mariti ſui conſanguineo nubere, vt prior maritus ſine herede & ſtirpe, è terra ex memoria hominum non tolleretur: et Quod vt iam non eſt præceptum, ſic nec vetitum.*

Reſponſio. Clariſsimè hic ſe prodit Luth. quod ſolos conſanguinitatis & affinitatis gradus, quos Leuit. enumerat, obſeruādos velit in cōtrahendis matrimonijs. Quis vnq̄ audiuit aut legit ſeruatā eſſe in Chriſti familia hāc legē de ducenda vxore fratris ſui ſine liberis defuncti? Et quādo docet leges Leuit. circa matrimoniū eſſe ſeruandas, nō loquitur conſequenter, dicens nō eſſe ꝓceptum ducere vxorem fratris defuncti. Nam & alio loco dicit.

Lutherus. *Iura Moſaica de fratris defuncti vxore non magis ſunt abrogata, quàm reliqua omnia.* Vbi tamen etiam addit, *Id eſt libera ſunt, nec prohibita nec præcepta.* *bigamia epiſcoporum.*

Cùm hoc ꝓceptū fuerit tēpore legis quādo ſterilis habebatur maledictus. Nūc verò, quādo tēpus eſt longè fieri ab amplexibꝰ (de quo Propheta, Nō dicat eunuchus, Ecce ego lignū aridum, quia hęc dicit dominus eunuchis, Qui cuſtodierint ſabbata mea & elegerint q̄ ego volui, dabo eis in domo mea locū & nomē melius à filijs & filiab. nomē ſempiternū dabo eis ꝙ non peribit) locū nō habet legis illius ratio quæ merè iudicialis erat. Ecce quas nouas leges fingant & adferāt homines iſti, qui vera fidei regula deſtituti ſuū iudiciū tanq̄ dogmatum normā ſequuntur. Verè ſtudenda eſt iſtorū arrogantia & ſuperbia. Sapientis ꝓceptum eſt, ne innitaris prudentiæ tuæ, ne ſis ſapiens apud temetipſum. *Eccleſ. 3. Eſai. 56.*

HAnc doctrinæ Luth. & Buceri falſitatē videns & intelligens Ioānes Brentius, eam totā improbat ac refellit in Commentarij ſuper Leuit. & docet præcepta iſta *Brentius cōtra Lutherū & Bucerum cap. 18.*

Leuitici

Leuitici nullam habere efficaciam,niſi vt cõtinent ius naturale, quod ſemper & omnes nationes obligat. Sic habet.

Nunc de ipſa Moyſi lege,pauca quæ ad hoc inſtitutum noſtrum attinẽt,dicemus. Quid enim, an non ſæpenumerò demonſtratum eſt hactenus,quòd per diuulgationem Euãgelij in totum orbem terrarum cultus Leuiticus & politia Moſaica abrogata ſint?Cùm igitur hæc ordinatio coniugij etiam ſuũ locum inter Leuitica habeat,an vnà cum alijs Leuiticis ordinationibus cõcidit?In deſcribendo ciborum diſcrimine præcipitur magna authoritate, vt Iſraelitæ non cõtaminẽt animas ſuas immundicia cibi. Ego ſum, inquit,Dominus Deus veſter.Sãcti igitur eſtote, quia ego ſanctus ſum, ne polluatis animas veſtras, &c. & tamen diſcrimen ciborũ ſublatũ eſt per Euangeliũ. Ergò ne dicemus etiã diſcrimen perſonarũ, quantum ad coniugiũ attinet,ſublatũ eſſe? Nihil minus. Ea enim abrogata ſunt,quę propriè ſunt Leuitica,quæúe propria fuerunt Moſaicę politiæ. Quæ aũt ſunt naturalia,perpetua ſunt & immutabilia. Vide mihi decalogũ, hic cõmendatur nobis magna authoritate obſeruandus.Nũ quia Moſaicus eſt? Nihil certè min⁹. Sic enim obſeruãdæ etiã eſſent aliæ Moſaicę ordinationes, & quæ in decalogo Leuitica cõtinentur, quale illud eſt, quod de obſeruando die Sabbati præcipitur nõ eſſe abrogata:Sed cõmendatur obſeruandus,quia cõtinet legẽ naturæ,& indicat,qui ſint veri fructus fidei.Idem ſentiendũ eſt de diſcrimine perſonarũ in cõtrahendis nuptijs.Hoc enim diſcrimen obſeruandũ eſt,nõ quia Iſraelitæ obſeruarunt illud, ſed quia lex naturæ exigit obſeruationẽ huius diſcriminis. Agè ergò,vbi quæremus nũc perſonas,à quarũ matrimonio abſtinẽdum eſt?Num permittetur hoc iudiciũ vnicuiuis priuato homini? Minimè omniũ. Et ſi enim ſua ſint priuatorum hominũ dona, tamen quia magna eſt humanorũ ingeniorũ diuerſitas ac etiã peruerſitas,nõ poteſt pro publica lege haberi, quod cuiuis priuato rectũ aut ſecùs videtur. Nũ requiremus hoc quicquid eſt negotij è legiſlatore quopiã?Sunt.n. quantum ad hoc inſtitutum nobis ſatis eſt, tres legiſlatores,alius eſt Moyſes,alius Rom.imperator, ſeu Romanæ leges,alius Rom. Pontifex,hi tres de nuptijs & de perſonis, à quarum matrimonio abſtinendum eſt,ſtatuerunt leges. Quem igitur ex his ſequemur, num Moyſen? At ſi Moysẽ ideo agnoſcimus, quia legiſlator eſt, non ſolùm recipienda eſt ordinatio eius de nuptijs,ſed etiam de tota eius politia, & externo cultu Dei: & in hoc ipſo negotio de nuptijs iubet Moyſes ſuperſtitem fratrẽ ducere vxorẽ fratris mortui, ac permittit polygamiam:quæ certè in noſtra politia habentur turpia & abominabilia, ac pariunt infamiam.Num agnoſcemus leges Rom. Profectò hæ ſunt nobis omni veneratione habendæ & obſeruandæ, quia ſumus Roma.ciues. Sed quantum ad hoc negotium de coniugio attinet, tantũ valere vidẽtur,quantũ valent Canones Rom. Pontificis. Adminiſtratores Romanorum legum ſubiecerunt eos Canonibus Pontificijs. Videamus igitur quantã authoritatem tribuat Euangelium Romano Pontifici,in ferendis publicis legibus.Gloriatur ſe ſucceſſorem Apoſtolorũ(Fallitur hic Brentius hæretico fermento Martini Lutheri correptus)adeoq́; vicarium Chriſti in terris. Non eſt ſeruus ſupra dominum,nec diſcipulus ſupra præceptorem. Chriſtus autem nõ venit in hunc modum, vt legislator, & vt externus monarcha,cũ rogaretur,vt hęreditatem inter fratres diuideret, ait, Quis me conſtituit iudicem?Et alias,Filius hominis non venit vt ſibi miniſtraretur, ſed vt ipſe miniſtraret. Quare Chriſtus non venit in hunc mundũ, vt nouas leges & nouas politias inſtitueret, ſed venit vt Euãgelium de remiſsione peccatorum prædicaret,ac moreretur propter peccata noſtra, & reſurgeret propter iuſtificationem noſtri. Eodem modo miſit Chriſtus Apoſtolos ſuos in hũc mundum,non vt legislatores, non vt inſtauratores nouarum politiarũ, ſed vt miniſtros Euangelij.Sicut me,inquiens,miſit pater,ita & ego mitto vos.&, Ite in vniuerſum mundũ, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Quare quãto magis Romanus Pontifex gloriatur ſe ſucceſſorem Apoſtolorum, & vicarium Chriſti,tantò minorem habet authoritatem condendarum nouarum legum.Hallucinatur hac parte,vt diximus,Ioan.Brent. Nam legislatoris verba ſunt, Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, det ei libellum repudij. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiſerit vxorem ſuam,excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit,adulterat. Hic enim veterem legem abrogat, & nouam inſtituit. Et legislatoris verba ſunt, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Item, Niſi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius ſanguinem,non habebitis vitam in vobis. Ipſe venit, vt inſtitueret nouam politiam cæleſtẽ, de qua B.Ioan.Vidi ſanctam ciuitatem Hieruſalem nouã deſcendentem de cælo, à Deo paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Non eſt aũt ciuitas ſine legibus benè inſtituta, de qua ipſe Dominus,Super hanc petram ædificabo eccleſiam, hanc nouam videlicet ciuitatem,cuius claues dedit Petro,vt quicquid ligaret ſuper terrã, eſſet ligatum & in cælis:& quodcunq; ſolueret, eſſet ſolutum & in cælis. Et poteſtate hac leges ferendi vſi ſunt & ipſi Apoſtoli. Aiunt enim,viſum eſt ſpiritu ſancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris quàm hæc neceſſaria, vt abſtineatis ab immolatis ſimulacrorum & ſanguine & ſuffocato,&c. Et Paulus confirmãs Eccleſias, præcipiebat cuſtodire præcepta Apoſtolorum & ſeniorum. De quo circa articulum 26. Quid ergo nunc ſentiendum de legib.Romanis ſeu Imperatorijs? Diximus adminiſtratores earũ ſubieciſſe ipſas cano-

Reſpõſio ad errorẽ Bren. noſtro propoſito impertinentem.

Brentius.

nibus ſeu legib.Pontificijs. Oſtendimus autem nunc, nullam eſſe prætextu Euangelij, authoritatem Pontificum in condendis legibus.Nulla igitur erit etiā authoritas earū legum, quas Romani Imperatores ſubiecerunt legib. Pontificijs: adeoq; manifeſtum eſt,quod ciuiles leges, & ſi magnam habent diuino teſtimonio authoritatem,tamē quia ſeu ſuperſtitione, ſeu ignorantia,aut deceptione adminiſtratorum cedunt Pontificijs canonib. ſuam quoq; authoritatem amittāt. Quo igitur nos in cauſa nuptiarū nunc vertemus? Lex Moyſi abrogata eſt per Euangelium:lex pontificia nullam habet authoritatem ex Euangelio, legibus Romanis ſua authoritas ſublata eſt, cùm adminiſtratores ſubiecerint eas legibus pōtificijs,hoc eſt nullis. Quid ergo faciemus? Non enim permittendum eſt,vt vnuſquiſque pro ſuo arbitrio cum qualibet coniugium ineat,ne & nos euomat terra, quemadmodum euomuit Cananæos, cùm nefarias & incœſtas nuptias contraherent.

Breuius. Cùm igitur nulla nobis reliqua ſit lex de nuptijs,ſectanda eſt lex naturæ. Rectè enim Iuriſconſultus dicit, In contrahendis matrimonijs naturale ius & pudor inſpiciēd' eſt. Sed hoc opus hic labor eſt, vt cognoſcamus quæ ſit in hoc negotio lex naturæ, & quos conſanguinitatis & affinitatis gradus naturā doceat eſſe nuptiarum impedimenta.Hic iterum nobis redeundum eſt, non ad Canones pontificios, ſed ad Moyſen & leges Romanas. Deus enim inſtituit & approbauit politiā Moſaicam, approbauit etiā politiā Romanarum legum,quemadmodum Paul. ad Rom.cap. 13. teſtatur.Ac tameſi Moſaica politia nunc abrogata eſt, ea tamen naturæ lex, quæ præter politica & Leuitica in Moyſe continetur, non eſt abrogata. Et quanquā adminiſtratores Romanarum legum ceſſerunt Canonibus pontificijs,tamen quemadmodum ille quōdam appellauit à rege ſomnolento ad vigilantem, & alius ab ebrio ad ſobriū,ita nos appellabimus à deceptis fraude ad rectè edoctos,aut à legum adminiſtratoribus ad ipſas leges, vt agnita earum authoritate intelligamus à quib. nuptijs, tam lege naturæ, quàm etiam lege poſitiua ſeu politica, abſtinendum ſit. Et poſita arbore conſanguinitatis & affinitatis iuxta leges Romanas. Hic,inquit, licet nunc videre in quibus perſonis Moyſes & Romanæ leges conueniant. Ac primum in linea recta aſcēdente & deſcendente ita conueniunt, quòd & ſi Moyſes non recenſet nominatim auias & pronepotes, tamē quia intelliguntur nomine matrū & filiarum,non eſt hac in parte vlla inter ipſos diſſenſio. Deinde in linea collaterali Moyſe,nō addit amitam magnā, & materteram magnam, ſed quemadmodū omnes perſonæ à matre in recta linea aſcendente prohibitæ ſunt, quia ſunt matres, ita quæcunq; perſonæ aſcendendo,veniunt proprie nomine amitæ ſeu materteræ, prohibitæ ſunt, quia ſunt loco matrū. Ad hæc Moyſe non ponit nominatim fratris aut ſororis filiam & neptem, ſed ſicut omnes perſonæ à filia recta linea deſcendente, ſunt prohibitæ,quia ſunt filiæ, ita omnes perſonæ à fratre aut ſorore in ipſorum recta linea deſcendente ſunt prohibitæ, quia ſunt loco liberorum:Et de nepte ex fratre aut ſorore regula eſt.Cuius filiam vxorē ducere non licet,neque eius neptem permittitur.Præterea Moyſe non numerat patruū nec auunculum,ſed vt in genealogijs ſolet plerunq; maſculorū tantùm mentio fieri,ita in deſcribendis perſonis,cum quib. nuptiæ contrahi non poſſunt, ponit Moyſe maſculum pro trūco. Vir enim caput eſt mulieris, ideoque enumerat tantùm fœminas. Quod ſi poſueris fœminā pro trunco,tunc natura ipſa docet loco amitæ & materteræ patruum & auunculum ponendū eſſe. Quanta .n. eſt propinquitas conſanguinitatis inter maſculum & amitam ſuam,tanta etiam eſt inter fœminam & amitam ſuam. Quare non fuit neceſſe has perſonas nominatim commemorare. In affinitate ſimiliter cōueniunt Moyſe & leges Romanæ, ſi naturæ ipſius ductum ſeu regulas quas recenſuimus obſeruaueris. In hoc tamen diuerſitas eſt, quòd Romanæ leges iubent abſtinere à ſorore vxoris, quam tamen Moyſe poſt mortem vxoris permittere videtur. Item Romanæ leges non iubent disertè abſtinere ab vxore patrui,quā Moyſe prohibet. Sunt & aliæ perſonæ, cū quibus in alia politia licuit contrahere nuptias, in alia nō licuit. Cum Cananæis, Amorræis & alijs gētibus, quæ in Deuteronomio recenſentur, non licuit Iſraelitis lege Moyſi contrahere nuptias,quod tamē legibus Romanis licuiſſet. In legibus Romanis prohibetur coniugium inter tutorem & pupillam, & inter alias quaſdam perſonas, quæ in Pandectis & Codice enumerantur, de quib. tamen in lege Moyſi nulla fit mentio. Sentiēdum igitur eſt, quòd inter has perſonas conſanguinitatis & affinitatis, in quib. Moyſe & Romanæ leges conueniunt, non poſſint nuptiæ conſiſtere naturali iure, quod eandem vim vbiq; apud omnes gentes habet: & ſi enim Patriarchæ quidam contraxerunt nuptias cū aliquibus perſonis in lege Moyſi prohibitis. Nam Abraham duxit Saram, quam ſcribunt fuiſſe filiam fratris Abrahæ, in vxorem: & Iacob habuit duas ſorores ſimul in vxores, attamen hæc Heroica exēpla, quæ Deus ſuo quodam conſilio vel approbauit, vel tolerauit, vt nō ſunt temerè condemnāda, ita nec ſunt imitanda. Sed manendum eſt nobis in obedientia iuris naturalis. Non eſt aūt obſcurum, quòd nuptiæ harū perſonarum de quibus Moyſe & leges Romanæ conueniūt, prohibitę ſint inter ſe naturali iure. Extant enim diuina teſtimonia de vtraque politia, Moyſaica videlicet, & Rom. quarum alterā non eſt dubium, quin Deus inſtituerit & cōfirmauerit inter Iſraelitas magnis & ſtupendis miraculis, alteram teſtatur Paulus à Deo ordinatam eſſe. Quod autem inter legiſla-

Lex naturalis ſectanda in contrahendis nuptijs.

Magna iniuria in Imperatores & principes Germaniæ.

C. de inceſtis & inutil. nupt. l. Fratris vxorem

Cap. 7.

Quo ſcripturæ teſtimonio hoc eſt perſpicuum.

legislatores præcipuarum, in toto orbe politiarũ, hoc eſt, Iudæorum & Gentium, quæ diuinitus cõfirmatæ ſunt, conuenit, hoc ius eſſe naturale perſpicuum eſt. Quare ſentiamus inter eas perſonas, de quib. Moyſe & leges Rom. conueniunt, nuptias naturali iure cõſtare non poſſe. Accedit huc, ꝙ Deus manifeſtis ſupplicijs ſignificauit, prohibitionẽ harum perſonarũ, de quib. conueniunt Moyſe & Rom. leges, naturalis iuris eſſe, & ad omnes gentes pertinere, quia ſeuerisſimè puniuit Gẽtes Cananæas & finitimas, propterea, quod contraherent nuptias ſine perſonarum diſcrimine, ad quas tamen gentes nec lex Moyſi, nec leges Romanæ, quæ nondum latæ erant, pertinebant. Sic enim ait Moyſe ad Iſraelitas, Non polluamini in vllis his, quib. contaminatæ ſunt gentes, quas ego eijciam ante conſpectũ veſtrum, & quib. polluta eſt terra, cuius ego ſcelera viſitabo, vt euomat habitatores ſuos. Et mox, Nolite ambulare in legittimis nationum, quas ego expulſurus ſum ante vos. Omnia enim hæc fecerunt & abominatus ſum eas. En Deus ipſe affirmat inceſtis gentium nuptijs terram pollutam fuiſſe. Quare manifeſtè ſignificat has nuptias naturali iure prohibitas eſſe.

Romanorũ legũ non meminit Deus, ſed Leuiticarum tantum.

De alijs autem perſonis, de quibus Moyſe & Romanæ leges nõ conueniunt, ſentiamus eas prohibitas eſſe non naturali, ſed poſitiuo ſeu politico iure. Et quia alia eſt politia Moſaica, alia Rom. nos autem non agnoſcimus Moſaicam politiam, ſed Roma. ideò in contrahendis nuptijs debemus etiam ab ijs perſonis, quas politica noſtra iura, hoc eſt, Romana prohibent, abſtinere, quatenus quidem hoc & leges ipſę, & adminiſtratores earum exigunt. Oportet eſſe ſubditos, inquit Paulus, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiã. Iam ne cum illis quidẽ perſonis, quas permittunt leges, temerè cõtrahendum eſt, ſi publica conſuetudo alio vocauerit. Duorum fratrum vel ſororum: vel fratris & ſororis liberi, poſſunt iuxta leges Moſaicas & Rom. coniungi, & tamen honeſtorum hominum eſt, vt in his & ſimilib. nuptijs nihil incõſulto legittimo magiſtratu agant. Præclarè enim dicit Iuriſcõſultus. Semper in coniunctionibus, nõ ſolùm quid liceat, conſiderandnm eſt, ſed & quod honeſtum eſt. Itaq; in nuptijs contrahendis primum omnium obſeruãdum eſt ius naturale, aduerſus quod nulla humana diſpenſatio excogitanda aut ſuſcipienda eſt. De caſibus enim, qui habent neceſſarias cauſas, & qui rariſsimè contingere ſolent, nullus hic fit ſermo. Deindę obſeruandum eſt ius politicum & publica cõſuetudo. Qua in re, quia in contrahendis nuptijs non agitur tantùm negotium conſcientiæ, verum etiam ſucceſſionis & hæreditatis, id agendum eſt, quod & boni viri honeſtum iudicant, & à legittimo magiſtratu permittitur.

Luth. & Bucerus hoc pemittunt, ex poteſtate euangelica & Chriſtiana.

Clariſsimè hic oſtendit Ioan. Brent. perplexitates & anguſtias, quas patitur in explicando perſonas prohibitas & gradus conſanguinitatis & affinitatis, in quib. matrimonium contrahi non poteſt, ex diametro cum Mart. Luthero & Bucero, imò & ſecum pugnans: quod eis facilè cõtingit, qui ſemel regulam fidei deſeruerunt, & proprium ſequuntur ingenium. Primò omnium, inquit concludẽdo, obſeruandũ eſt in nuptijs contrahendis ius naturale, aduerſus quod nulla humana diſpẽſatio ſuſcipienda eſt, exceptis caſibus qui rariſsimè contingunt. Deinde obſeruandum eſt ius politicum & publica conſuetudo. Et tertiò id agendum, quod & boni viri honeſtum iudicant. In coniunctionibus enim non ſolũ quid liceat cõſiderandũ eſt, ſed & quod honeſtũ eſt. Vbi in genere remittit ad honeſtatem, conſuetudinẽ, & iudicium boni viri, qui valdè variè iudicant, & quiſq; pro ſuo affectu & inſtitutiõe vel catholica vel hæretica. Naſcuntur ei hæ anguſtię ex eo, ꝙ in Chriſto & eius vicario nõ agnoſcit poteſtatẽ legiſlatiuã, quã oſtendimus neceſſariò ſequi poteſtatem magnæ multitudinis gubernatiuã. Eſt aũt omnium Chriſtianorũ vna Reſpub. vna ciuitas, vt dicit B. Auguſt. quanquã per ſe abſurdũ ſit dominũ domus nõ poſſe familiæ ſuæ præſcribere leges ſecundũ quas viuat in domo ſua. Moyſes. n. inquit Apoſt. fidelis erat in tota domo eius, tanquã famulus in teſtimonium eorum, quæ dicenda erant. Chriſtus verò tãquam filius in domo ſua, quæ domus ſumus nos: qui eandẽ poteſtatem peregre profecturus in eum tranſtulit, quẽ nomine ſuo eidẽ familiæ præfecit, quẽ tamen voluit omniũ domeſticorũ eſſe miniſtrum, vt quæreret & procuraret nõ ſua cõmoda, ſed eorũ duntaxat ſalutem. Qui voluerit, inquit, inter vos primus & maior fieri, erit veſter miniſter & veſter ſeruus. Et B. Hier. Propterea inter 12. inquit, vnus à Chriſto eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio. Hac poteſtate vſus eſt Apoſt. multa apud Corinthios diſponendo: Cætera, inquit, cũ venero diſponã. Fugit itaq; Brent. primò ad ius naturę, nihil docens vnde ipſum ſumi & colligi debeat, an à fine operis principali, an à ſecundario, nihil etiã diſtinguens inter ius naturæ, quod ex principijs practicis neceſſariò, & aliud, quod duntaxat probabiliter ſequitur, vel quod ſolũ eſt eis conſentaneũ & aliter fieri poſſet: quæ doctores ſcholaſtici exactiſsimè tractãt. Et in hoc fallitur, ꝙ nihil faciat diſcriminis inter ius naturę cõiugiũ dirimẽs, & ſolũ prohibens. Nullã præterea rationẽ habet multiplicãdæ amicitiæ, in cõtrahendis cõiugijs, quã tamen potiſsimũ habendã eſſe docet B. Aug. & etiã philoſophi lumine tantum naturali rationis illuſtrati. Ait. n. Plut. Quid eſt, ꝙ propinquis & cognatis non nubunt? an quod nuptijs neceſsitudines augeri volunt, & vltro citroque filias dando & accipiendo, multos tibi propinquos adiungere? Sacri verò Canones omnibus his diligenter expenſis, explicant quæ ſint impedimenta ſolum prohibentia, quæ dirimentia, & vbi ius naturalę vel diuinum

De opere monachorũ ca. 25

Hebr. 3.

Matt. 20.

Lib. 1. aduerſus Iouinianum.

De ciuitate Dei lib. 11. c. 16. in probl.

diuinum ambiguum eſt, vel ſolùm prohibẽs non dirimens, explicant & addunt, quod ei pro tempore eſt conſentaneum. Nec aliter explicat Brentius ius naturæ, quàm quòd hoc ſit, in quo conueniunt Moyſes & leges Romanæ. Hoc, inquit, eſſe ius naturale perſpicuum eſſe: Sed quo ſcripturæ teſtimonio eſt perſpicuum? Nam diſputationes, & varię doctorum ſententiæ oſtendunt obſcurum eſſe, an ſint iuris naturæ ea, in quibus politia Moſaica & Romana conueniunt, cũ certum ſit, non eſſe iure naturæ prohibitas omnes perſonas, quas Moyſes in Leuitico enumerat. Multa ſunt & alia, in quib. Brentius anguſtias ſe pati oſtendit, referens propterea tandem omnia ad boni viri iudicium. Adduximus aũt huc eius de hac re ſententiam, vt manifeſtum ſit contra Martinum Lutherum & Martinum Bucerum palàm & catholicè eum docere, atque confiteri leges Leuitici de nuptijs, locum non habere tempore noui Teſtamenti, & per Euangelium eſſe abrogatas, & diuerſum docentes ad Iudaiſmum redire, atque ad infirma conuerti elementa. Bucerus etiam & Lutherus nullã admittunt conſuetudinem, nullam honeſtatem, cuius non meminerunt leges Leuitici. Ait enim Bucerus, Quis honeſtatis hic maiorem rationem habeat Deo ipſo omnis honeſtatis authore? Et Lutherus numeratis perſonis, quæ ratione cõſanguinitatis & affinitatis in Leuitico à nuptijs prohibentur. Harũ, inquit, cùm nulla perſonarum matrimoniũ contrahere poſſunt, cum reliquis poſſunt. Inde ſequitur, conſobrinos inter ſeſe matrimonij leges ſociare poſſe diuina & Chriſtiana poteſtate, hoc eſt, ex euãgelica libertate. Nullã hi admittunt legem Rom. nullam cõſuetudinem, nullam adoptionem, nullam honeſtatem; extra perſonas à Domino in lege prohibitas. In quibus omnibus etiam aduerſatur Ioan. Brentius, qui in nuptijs præcipuam tribuit Romanis legibus authoritatem. Nec tamen ſatis ſibijpſi conſentit (vt ſupra diximus) Nam primum reijcit Romanas leges, eò, quòd ſacris Canonib. ſe ſubijciãt, quare ſuam quoque authoritatem, inquit, amittunt, & poſtea reuertendo concludit, In contrahendis nuptijs, inquit, debemus etiam ab his perſonis, quas politica noſtra iura, hoc eſt, Romana prohibent abſtinere. Et mera eſt inſania quod dicit, Appellabimus à deceptis fraude ad rectè edoctos, aut à legum adminiſtratoribus ad ipſas leges, quemadmodum ille quondam appellauit à Rege ſomnolento ad vigilantẽ, & alius ab ebrio ad ſobrium. Vbi vniuerſos Imperatores à multis ſeculis & legum adminiſtratores, homo hæretico errore ebrius, ſomnolẽtos facit & ebrios. Et ad quos iudices appellabit? Si ad Mart. Lutherum & Bucerum, hi iam ſententiam contra ipſum pronunciarunt, & quidem potiſſimum Lutherus aſſeruit eſſe contra libertatem Euangelicam, quòd aliæ leges, quàm Leuiticæ in nuptijs prohibendis locum habeant vel audiantur.

Bucerus in comment. in Matth. c. 16.

In ſermo. de matrim. An. 25. Argentorati impreſſo

Et ſi ab eorum ſectatorib. doceantur Reipublicæ adminiſtratores atq; imperatores, hi perſuadebũt, vt contẽti ſint ijſdem legibus diuinis. Alij dicent Imperatores religioſè feciſſe agnoſcendo primariam in regulandis nuptijs apud prælatos Eccleſiæ authoritatem, qui in ſua gubernatione altiorem ſcopum ſpectãt, quàm poteſtas ſecularis. Multò probabiliùs collegiſſet Bren. ex eo, quod adminiſtratores Romanarum legum eas põtificijs canonib. ſubiecerunt, ipſis hoc iudicium deferẽdo, quod in nuptijs Canones iſti ſunt obſeruandi ex authoritae ſaltẽ legũ & imperatorum, qui eos approbando ſuos fecerunt. Deberet Brentius exhibere procuratorium quo cõmiſſum eſt ei nomine imperatorum appellationem hanc interponere, quæ quia adhuc pendet, nihil eſſet innouandum, donec definitum fuerit, an rectè ſe ſacris Canonibus ſubiecerint, an malè. Plurima alia prætereo, in quibus idem Ioannes Brentius aduerſatur Luthe. & Bucero. Hi enim admittunt patruelium & conſobrinorum coniugia, ipſe tãquam infamia damnat. Probat ipſe ſicut leges Romanę, cognationẽ legalem, quæ eſt per adoptionem, quam illi tanquam libertati Euangelicæ contrariam improbant. Dicit præterea omnes perſonas à fratre aut ſorore deſcendentes, ſimiliter aſcendendo ſuper amitam in infinitum eſſe iure naturæ prohibitas, contra ipſam veritatem & eoſdem ipſos nominatos. Quando autem tandem ſe explicare non valens, omnia refert ad iudicium viri prudentis, meritò ad Concilium generale referre deberet, cui nullus vir bonus in prudentia, iudicio & authoritate præferri poteſt, in quo omnis huius controuerſiæ facta eſt definitio tempore Innocentij tertij, Concilio videlicet Lateranen. quo nunquam vllum fuit celebrius aut numeroſius viris ſanctis & doctiſſimis. Scribũtur enim in eo fuiſſe Patriarchę & prælati mille trecenti & quindecim. Verè ſcriptũ eſt de Brent. & reliquis Eccleſiæ deſertorib. Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. Vt autem plenius intelligantur, quæ ſcribit Ioan. Brentius, numerabimus perſonas, quas in Leuit. ob conſanguinitatem & affinitatem docet eſſe prohibitas, & quas iuxta leges Rom. Ob cõſanguinitatem dicit prohiberi matrem, materteram & amitam, & ex paritate rationis omnes perſonas ſupra eas aſcẽdentes, item & ſororem, & ex conſequenti omnes ex ea deſcendentes filiam & neptem. Ob affinitatem verò nouercam, vxorem patrui, vxorẽ fratris viuente adhuc fratre, ſororem vxoris viuente adhuc vxore, nurum, priuignam filiã priuigni vel priuignæ. Iuxta leges verò Rom. ob conſanguinitatem ſcribit prohibitas, matrem, auiam, proauiã, abauiam, amitam, materteram, amitam magnã & amitam maiorem, materteram magnam & maiorem, fratris filiam, fratris neptem & proneptem, ſororem, ſororis filiam, neptem & proneptem. Et ob affinitatem iuxta

eaſdem

eaſdem leges Romanas, nouercam, ſocrum, matrem ſocrus, ſocri vitrici & nouercę auiā ſocrus, ſocri, &c. Addit à latere vxorem aui & proaui, quæ ſit nouerca, vxorem fratris, ſororem vxoris, vxorem priuigni, nurum, priuignam, pronurum ſeu vxorem nepotis aut pronepotis, &c. vxoris neptem, pronepte, &c. Ex quibus manifeſtum eſt, ꝙ multo plures perſonæ iuxta Romanas leges à coniugio prohibentur, quàm vetantur à domino in Leuitic. quas omnes Brent. vult nunc eſſe prohibitas, & ſimul alias iuxta boni viri iudicium.

Caluinus. In inſtitutionib. cap 19. parag. 18.

Ioannes Caluinus quaſi nouus legiſlator & iudex à Deo miſſus, de Eccleſiæ legibus circa nuptias iudicium ſibi vendicat, imò & impietatis eas & iniquitatis damnat.

Dum è matrimonio, inquit ſacramentum fecerunt, coniugalium cauſarum cognitionem ad ſe traxerunt, & leges ſanxerunt, partim in Deum manifeſtè impias, & partim in homines iniquiſſimas.

Reſponſio.

Cognitionem cauſæ matrimonialis, ad eccleſiam pertinere ſuperius oſtendimus, quā tamen alia quadam ratione pertinere diximus ad iudicium ſeculare. Eſt enim matrimonium in officium naturæ & propagationem ciuium Reipubli. Ordinatur etiam ad multiplicationem fidelium & cultum Dei, ſecundū religionem Chriſtianam. Iniquam autem eſſe legem aliquam Eccleſiæ, vel in Deum impiā, nullo ſcripturæ teſtimonio oſtendit, ſed affirmat ſolùm. Quare iniquiſſimum eſſet ei contra ſcripturā credere, quę dicit, Eccleſiam qui non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publican⁹, quę ipſa à Chriſto teſtimonium habet veritatis, cuiuſque propterea in dogmatibus ſequenda & ſeruanda eſt ſententia, vt ſcribit B. Auguſtinus contra Petiliani Donatiſtæ epiſtolam.

Matt. 18. — Cap. 19.

Caluinus.

Quales ſunt, vt cōiugia inter adoleſcentulos, parentum iniuſſu contracta, firma rataq; maneant.

Reſponſio.

Quæ ſcriptura docet contrarium? Imò ipſa docet vota & iuramenta filij in domo patris, & mulieris in domo viri, de abſtinētia & ieiunio facta, obligare apud Deū, donec eis fuerit contradictū: quia in iſtis ſubijciūtur & ſubſunt aliis. Votis autem caſtitatis & abſtinentiæ à concubitu non ita contradici poteſt, in quibus alijs non ſubijciuntur, iuxta interpretationem B. Auguſtini. Fallitur hic Caluinus, & reliqui aduerſarij, nihil diſcernens inter prohibitionem & direptionē matrimonij. Diximus enim filio prohibitum eſſe inconſultis parentibus matrimonium contrahere, ſicut etiam contra promiſſionem alteri de contrahendo factam, contrahere, & contra votum caſtitatis: valida tamen ſunt, ſi huiuſmodi matrimonia contrahantur. Et hunc errorem manifeſtè prodit Bucerus, quando docet nihil eſſe differentiæ inter hæc verba, Accipio te in maritum: vel, Addico te mihi in vxorem: &, ſpōdeo me tibi vxorem fore. Quid enim, inquit, illa verba habent, quod non contineatur in iſtis, Spondeo me tibi vxorem fore?

In commen Matth. 19.

Caluinus.

Ne inter cognatos ad ſeptimum vſque gradum legitima ſint matrimonia, & quæ contracta ſunt diſſoluantur.

Reſponſio.

Olim ante Concilium Lateranenſ. ad ſeptimum vſque gradum perſonæ inter ſe contrahere vetabantur, vt ad plures per cōſanguinitatem & affinitatem naturalis amicitia diffunderetur: Et vſque ad ſeptimum gradum rationabiliter, vltra quem non facilè remanebat communis radicis memoria: Reſtricti ſunt autem poſtea vſque ad gradum quartum, vltra quem inutile tunc & periculoſum erat gradus conſanguinitatis prohibere iuxta ſententiam Concilij generalis. Inutile quidem, quia ad remotiores conſanguineos, quaſi nullum fœdus maioris amicitiæ, quàm ad extraneos habeatur, charitate in multorum cordibus frigeſcente, Periculoſum verò, quia concupiſcentia & negligentia præualente tam numeroſam conſanguineorum multitudinem homines non ſatis obſeruabant, & ſic laqueus damnationis multis inijciebatur ex remotiorum graduum prohibitione. Reſtricta eſt autem prohibitio vſque ad quartum gradum, eò, quòd vſque ad quartam generationem homines viuere conſueuerunt, vt ſic non poſſit conſanguinitatis memoria aboleri: Vnde Dominus in tertiam & quartam generationem peccata parentum ſe viſitaturum in filijs comminatur. Habita eſt igitur in his prohibitionibus ratio, hominum videlicet confœderatio & multiplicatio amicitiæ, & ad amicitiam, quaſi fugientem reuocandam ad quartum gradum, reſtricta eſt prohibitio. Has autem fuiſſe iuſtiſſimas rationes coniugia prohibendi, docet Beatus Auguſtinus.

Li 15. de ci. ui. Dei. c. 2.

Caluinus.

Gradus verò ipſos contra gentium omnium iura: & Moyſi quoque politiam confingunt.

Reſponſio.

Iuſta ratione Eccleſiam gradus computare aliter quàm eos leges computant, docet Alexander ſecundus, ſcribens Epiſcopis atque iudicibus per Italiam conſtitutis. Nos, inquit, Deo annuente hanc quæſtio. de varia graduum cōputatione diſcutere curauimus in ſynodo habita in Lateranen. conſiſtorio, conuocatis ad hoc opus Epiſcopis, clericis atque iudicibus diuerſarum prouinciarum. Deniq; diu ventilatis legibus in ſacris Canonibus, diſtinctè inuenimus ob aliā atq; aliā cauſam, alteram legum fieri, alteram Canonum computationem. In legibus ſiquidem ob nihil aliud ipſa graduum mentio facta eſt, niſi vt hæreditas vel ſucceſſio ab vna ad alteram perſonam inter conſanguineos deferatur. In Canonibus verò ob hoc progenies computatur, vt aptè monſtretur vſq; ad quotā generationē à conſanguineorum nuptijs ſit abſtinendū. Ibi pręſcribitur vt hęreditas ꝓpinquis modo legitimo cōferatur.

35. quæſt. 5. ca ad ſedem Apoſtolicā.

Hic

Hic verò vt ritè & canonicè inter fideles nuptiæ celebrentur. Et poſt pauca interpoſita. Vtramque tamen computationem, inquit, ſi attentè ac ſubtiliter perſpecta fuerit, idem ſenſiſſe & eandem in eis ſententiam eſſe, atque ad eundem terminum conuenire manifeſtiſsimum erit. Et hoc modo (quo ſacri Canones) prudentiſsimus, inquit, Papa Gregorius gradus computauit. Quæ ibi latè proſequitur, dicens profanum eſſe errorem eorum, qui aliter conſanguinitatis gradus cõputabant, quos in fine Decretalis ſuæ gladio perpetui anathematis iugulandos dicit. Hũc igitur profanum errorem reſuſcitat hic Ioannes Caluinus.

Caluinus. *Ne viro qui adulteram repudiauerit, alteram ducere liceat.*

Reſponſio. Marc. 10. Quæ eſt hic iniquitas, quæ erga Deum impietas? Docuimus in ſuperioribus ſententiã & iudicium Saluatoris eſſe, Omnis qui dimittit vxorem ſuam, & alteram ducit, Luc. 16. mœchatur, & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur. Viro igitur, qui adulteram dimittit, alteram ducere non licet, quia ſententia Saluatoris mœcharetur.

Caluinus. *Ne ſpirituales cognati matrimonio copulentur.*

Reſponſio. Inter cognatos ſpirituales magna eſt amicitia. Vt ergo charitas & amor multiplicetur, & ad alios per matrimonium familiaritas & amicitia quæratur, iuſta ratione ſpiritualis cognatio ex Eccleſię conſtitutione facta, eſt matrimonij impedimentum, cuius bonum & finis ſecũdarius, eſt amicitiæ multiplicatio, vt docet B. Auguſtinus. Et pauci ſunt eius gradus, in quibus matrimonium dirimit. Loco vt ſup. lib. 6. de cognatiõe ſpir cap. Vnico.

Caluinus. *Ne à ſeptuageſima ad octauas Paſchæ, tribus hebdomabibus ante natalem Ioannis, ab aduentu ad Epiphaniam nuptiæ celebrentur.*

Reſponſio. Iſta Eccleſiæ ordinatio ante multos annorum cẽtenarios obſeruata eſt, vt docet Gratianus ex Concilio Leodicenſi celebrato circa tempora Damaſi & Liberi Pontificum: Item ex Concilio Martini Papæ, & Concilio Ilerdenſi circa tempora Symmachi Papę vel Hormiſtę celebrato. 33. quæ. 5. c. Non oportet. 1. & 2 Et c. Non licet. Et iuſta ratione facta eſt hæc prohibitio, quia dum nouæ ſponſæ traducuntur, coniugum animus ex ipſa nouitate, cura carnalium occupatur, & diſſolutiones multæ in nuptijs fieri ſolent, propter quas illis temporibus, in quibus homines præcipuè ſe debent ad ſpiritualia eleuare, conueniebat prohibere ne nuptiæ celebrentur, hoc eſt ab aduentu vſq; ad Epiphaniam propter communionem, quæ ſecundum antiquos Canones in Natiuitate fieri ſolent. Et à ſeptuageſima vſque ad octauas Paſchæ, propter communionem paſchalem: & à tribus diebus ante Aſcenſionem, vſque ad octauas Pentecoſtes, propter præparationem ad communionem illo tempore ſumendam. Paſtoris namq; & animarum præpoſiti officium eſt, oues ſuas ad ſalutaria dirigere, & à noxijs atq; etiam indecentibus coercere, ac earum promouere ſalutem. Nec tamen irrita ſunt coniugia, quæ contra hoc Eccleſiæ interdictum cõtrahuntur, ſicut nec clandeſtina. Nihil itaque impietatis aduerſus Deum, nihil in homines iniquitatis continent eccleſiaſtici iſti canones, quos Ioannes Caluinus impiè, & ſine ſcripturis dicit partim im Deum impios, partim in homines iniquiſsimos. Ex quibus omnibus nunc dictis certiſsimum eſt & infallibili fide credendum, quòd matrimonia contra Canones ipſa dirimentes contracta inualida ſunt & nulla.

FINIS.

ORATIO.

ORATIONES THEOLOGICAE RVEVVARDI TAPPERI ENCHVſaui S. Theologiæ Doctoris.

Oratio prima Theologica Reuerend. D. Rueuvardi Tapperi, Cur varijs adeò technis Sathanas nitatur Chriſtianis FIDEM Catholicam ſuffurari: ſed nunquam craſſioribus & abſurdioribus, quam per Lutherum impuriſſ. Apoſtatam, eiusq́, commilitones voluptuarios, nullo ſanctimoniæ, aut pietatis encomio commendatos.

QVOD his accidit, qui immẽſi alicuius doloris ſenſu affliguntur aſsiduo, vt apud nullos nõ eius meminerint: ita ego doloris mei, (quo ex publica hac calamitate, qua nunc miſerrime conficitur & laceratur Chriſti Eccleſia, neſcio quo pacto ſingulariter afficior) non poſſum non meminiſſe, vbicunq; ſe eius offert occaſio. Non quod nouum exiſtimem, inueniri, quos nunquam defore Eccleſiæ ipſe nobis Chriſtus, atque eius prænunciarunt Apoſtoli, nũquam defuiſſe ipſa rei ſubſecuta comprobauit euidentia, Peruerſores nempe Orthodoxorum dogmatum, incentores ſatoreſq; diſsidiorũ in religione, & hominum ſeductores. Sed quod cateruatim in perditionem ſuam ruere, ſeque præcipitare videam, quod magiſtros hos animarum corruptores tam facile, tam ſecure ſequantur homines, & abduci ſe ſinant a familia Chriſti, à ſocietate Eccleſiaſtica, à doctrina, quam in ſchola Chriſti, doctore Spiritu eius, acceperunt, non ſatis mirari poſſum. Miratus eſt olim hoc ipſum, minori tamen cauſa, Apoſtolus Paulus in Galatis, quibus ſcribit, Miror, quod ſic tam cito transferimini ab eo qui vos vocauit in gratiam Chriſti, in aliud Euangelium, quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Chriſti in aliud Euangelium. Sed licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit: ſicut prædixi, & nunc iterum dico, ſi quis vobis euangelizauerit, prçter id quod accepiſtis, anathema ſit.

1. Numeri marginales reſpondent notis in orationis argumẽto collocatis.

Notum eſt pijs omnibus, quod nunquam ceſſauit Serpens ille antiquus, multis ab initio modis, à beata vita, & fœlici electorum Dei ſocietate, vnde ipſe ſua ſuperbia exciderat, auocare homines, à Deo auertere, & in extremam ac ſempiternam calamitatem (cuius ipſe iudicio cum Collegis ſuis reſeruatur) prçcipitare. Singulos (inquit Sanctus Martyr Cyprianus) circuit & explorat, an ſit aliqua murorũ pars minus ſtabilis, cuius aditu ad interiora penetret: vniuſcuiuſque ingenium & inclinationes obſeruat & ea cogitationi proponit, ad quæ nos videt propenſiores. offert oculis, quę proſtituant caſtitatem: Auribus ſermonem dulciorem, vt Chriſtianum ſoluat vigorem: linguam ad conuicia prouocat, honores promittit terrenos, vt ſpoliet cœleſtibus: quamlibet tentat euertere virtutem, modo aliqua ſit vel tenuis ſpes victoriæ: nullam tamen æquè, vt fidem Euangelicam & Chriſtianam.

Diaboli in Chriſtianos inſidiæ.

Hanc enim & Chriſti nomen, eo ſuggerente & ſollicitante, ſtatim quãdo prędicari cœperat, Sacerdotes & Magiſtratus annũciari prohibebant, quando Petrus & Ioannes eum, qui ex vtero matris claudus fuerat, & quotidie ad portam templi baiulabatur, in nomine Domini Ieſu ſanarunt, vt ambularet & exiliret, ac templum cum eis introiret: Præcipiendo, aiebant illi, præcepimus vobis, ne doceretis in nomine iſto, & ecce repleſtis Ieruſalem doctrina veſtra: hac videlicet, Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri præter nomen Ieſu.

2. Fidem et nomen Chriſti diabolus ſemper eſt perſecutus.

Deinde ob eandem cauſam Stephano lapidato, facta eſt perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Ieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per Regiones Iudææ, & Samariæ, præter Apoſtolos. Inflammauit & Imperatores, vt hanc fidem in credentibus per totum, quod latiſsimum tunc erat, Imperium Romanum extinguerent.

Perſequutiones in Chriſtianos excitabant Cæſares Ro. à Diabolo inſtigati.

Primus enim Romæ Chriſtianos, Nero, qui quintus ab Auguſto imperauit, ſupplicijs ac mortibus affecit, ac per omnes prouincias excruciari imperauit, ipſumque nomen, ait Oroſius, extirpari conatus, beatiſſimos Chriſti Apoſtolos, Petrum cruce, & Paulum gladio occidit. Succeſſerunt in eadem tyrannide Domitianus, Traianus, Marcus Antonin⁹, Seuerus, Maximinus, Decius, Valerianus, Aurelianus, Diocletianus cum Maximiano, qui omnes poſt Neronem feralia contra Chriſtianos, & fidem in Chriſtum fecerunt edicta: à quibus decem numerant perſequutiones Eccleſiæ Euſebius Cæſarienſis, Ruffinus, & Oroſius. Poſt quos Imperator Iulianus, qui arte magis, quam poteſtate Chriſtianam fidem eſt perſequutus, & honoribus magis prouocabat, vt fides Chriſti negaretur, quàm tormentis cogebat. Edicto tamen publico vetabat, ne Chriſtianus liberales literas doceret, nec diſceret. Videns autem antiquus ille ſerpens, hanc viam non ſatis proſperari & inter atrociſsimas perſequutiones Eccleſiam creſcere, magiſque Chriſti nomen, & fidem ac doctrinam per orbem totum ſpargi, & dilatari, ſicut de filijs Iſrael narrat hiſtoria Exodi: Quanto opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur & creſcebant. Quod enim de Apoſtolis teſtantur acta eorũ, quod ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quia digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati: teſtantur fide dignæ hiſtoriæ promiſcuè de fidelibus: imo de paruu-

lis & mulieribus. Nam vt auhtor eſt Socrates in hiſtoria tripartita, dum Valens Imperator Arrianus (mortuo fratre Valentiniano, cuius autoritate, quamdiu viuebat, compreſſus eſt) Eccleſijs pene omnium Ciuitatum Orientalium Epiſcopos, & Sacerdotes Catholicos, ſubſtitutis Arrianis, expuliſſet, multoſque aqua & igne necaſſet: venit in Ediſſam Ciuitatem Meſopotaniæ, vbi erat Thomæ Apoſt. Baſilica clara valde, & ornata, in qua propter loci reuerentiam Chriſtiani ſæpe conueniebant. Quod non ferens Imperator, Præfecto Ciuitatis mandauit, vt vniuerſos, qui illic poſtridie conuenirent, occideret. Qui tactus commiſeratione, ne tot hominibus mortem inferret, ne aliquis ad eam veniret, imperiale mandatum inſinuauit, quod occiderentur quoquot illic inuenirentur, Sed nemo (inquit Socrates) reſpexit neque conſilium, neque terrores eius. omnes enim altero die ad locum orationis pariter confluebant. Et cum præfectus cum multa militum manu ad Baſilicam feſtinaret, vt Imperatoris perficeret iuſsionem, quædam muliercula in paupertate degens, ſuum filium manu trahens, curſuque ad illam Baſilicam properans, Præfecti, vt eum anteuerteret, interrupit officium, Indignatus verò ipſe, mulierem ſibi iuſsit adduci, dixitque ad eam: O infelix mulier, quo ſic indecenter curris? At illa, Quo & alij ire feſtinant. Tunc ille, Non audiſti, quod pręfectus illic occiſurus eſt vniuerſos, quoſcunque repererit? At mulier, Audiui (inquit) ideoque feſtino, vt illic inter eos inueniar. Et quo (inquit) hunc paruulum trahis infantem? Tum illa ait, vt & iſte martyrium ſuſcipere mereatur. Quæ cum audiſſet vir ille, conſiderans que Chriſtianorum concurrentium animos, mox recurrens ad Principem ſuggeſsit ei, quod omnes mortē pro ſua fide ſuſcipere eſſent parati, & ab inſtituto reuocat Imperatorē. Et q̃ precor, perſequutio vere Chriſti diſcipulū à Chriſti eiuſq; fide ſeparare poterit, q̃ in tribulationibus gloriatur, & mala omnia, quaſi momētanea, futuræ fælicitatis cōparatione & mortem ipſam deſpicit, eamque deſiderat magis, quam fugiat? ſciens quod precioſa in cōſpectu Domini mors Sanctorum eius: & alium quidem clamaſſe, cælo adhuc clauſo: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt? Educ de cuſtodia & carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo: me expectant iuſti, donec retribuas mihi. Cum igitur mala, quibus hic plena ſunt omnia, hinc nos pellant, & cęleſtia ac ſempiterna ſemper manſura inuitēt bona, merito B. Cyprianus ſanctum quendam Dei Sacerdotem à Domino in ſpecie iuuenis aſsiſtentem repræhenſum ſcribit, Quid increpando (ait ei) pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis? Et reuera, quid eſt vita hæc mortalis, niſi via? & qualis ſit, quiſque apud ſe perpendat: in labore viæ laſſeſcere & tandem nolle eandem viam finire. Quis non peregre conſtitutus, in patriam regredi properat?

Perſecutio Chriſti diſcipulis optanda, & quæ ſit cauſa.

quis non ad ſuos nauigare feſtinans, ventum propicium cupidè optaret, vt velociter charos liceret amplecti? Quid non propetamus, inquit Beatus Cyprianus & currimus, vt partem noſtrum videre & parentem ſalutare poſsimus, Magnus illic charorum numerus expectat, frequens nos & copioſa turba deſiderat, iam de ſua incolumitate ſecura, & de noſtra incolumitate ſollicita. Horum itaque conſideratione, & Chriſti Magiſtri ſui promiſsis verus Chriſti diſcipulus mortem ſuperat, omniaq; mala contemnit, ne fœlicitate promiſſa fruſtretur.

Videns itaq; hæc ſerpēs antiquus, nō extingui nec impediri, ſed diffūdi magis p̃ orbē vniuerſum, per afflictiones, nomen, & fidem Chriſti: alia via aggreſſus eſt veros Chriſti milites: nēpe inſidijs & dolis, perſuaſioneq; mendaci, ſuadens Chriſtū eſſe, qualis, & vbi re vera nō eſt, eūdemq; dixiſſe & ſtatuiſſe, q̃ ſermonibus eius, & præſcriptis plane aduerſantur: & verbo eius abutitur, vt ipſum eiuſque præcepta & placita obſcuret, ita omnia inuoluens & obſcurans, vt etiam in verbis eius faciat intelligere, quod non ineſt, & quæ præcipit, faciat videri quaſi prohibita; & contra, quæ vera & ſacro ſancta ſunt ſacramenta, faciat apparere blaſphemias & impietatem in Chriſtum. Mira eſt illuſio, quæ artificio Circen, omnemque faſcinationem excellit. Hac via hominem recens conditum aggreſſus eſt, & ſermone blando, ac mendaci ipſum fefellit, & in has calamitates à fœlici ſtatu paradyſi pertraxit: Nequaquam (inquit) morte moriemini. ſcit enem Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum. Et ipſum Dominum Saluatorem verbum Dei aggreſſus, Scriptum eſt (inquit) non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit ex ore dei. & rurſum: Scriptum eſt quia angelis ſuis mandauit de te, vt in manibus tollant te, ne forte offendas ad lapidē pedē tuū. Imo Pau. Apo. ſcribit ad Cor.: Timeo ne, ſicut ſerpēs Euā ſeduxit aſtutia ſua, ita corrūpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate, q̃ eſt in Chriſto, & alio loco, Nō circūueniamur à Sathana: nō enim ignoramus cogitationes eius. Nouit enim ſuis dolis & technis illudere, faſcinare oculos mentis, vt tūc primū credāt ſe homines eſſe Chriſtianos, quādo Chriſtū & Euangeliū eius penitus abiecerūt, ſeq; in caſtris Chriſti eſſe, ſecundū eius leges militare Deo, & filio eius, quando in caſtris Antichriſti, & Sathanæ, ſecundum miniſterium eius, contra Chriſti præſcriptum militant. Mira hæc oculorum faſcinatio. Non cogit hæc via negare Chriſtū, ſed docet. Docet enim eū eſſe in penetralib', in angulis, in exercitu, cui præſidet Antichriſtus. Sic perſonata & fucata facit omnia ſuis præſtigijs. Sic Donatiſtæ apud ſe ſolos eſſe Chriſti Eccleſiam, reliquas autē per totum orbem Eccleſias eſſe Synagogas Sathanæ. Nā B. Aug. contra Epiſt. Petiliani cap. 2. Controuerſia hæc inter nos eſt, vbi vera ſit

Quibus dolis aggrediatur eos diabolus quos vi ſuperare nequiuit.

B. Paulus.

Auguſtinus.

Chriſti

Chriſti Eccleſia:apud vos,an apud nos?Et B. Cyprianus in Epiſtola ad Iubaianum, & item ad Magnum: Nouatus more ſimiarum, quę cũ homines nõ ſunt, homines imitãtur, Catholicæ Eccleſiæ auctoritatem ſibi vindicare voluit & cum ipſe in Eccleſia non eſſet,ſed contra Eccleſiam rebellis: hoc vnum ſibi vendicabat, quod cæteros faciens hæreticos, apud ſe eſſe Eccleſiam defendere præſumeret.

Cyprianus.

Et in epiſtola ad Dioſcorum Beatus Auguſtinus: Nullus iam error audet ſe extollere ad congregandas ſibi turbas imperitorum,qui nõ Chriſtiani nominis velamenta conquirat. Et hoc eſt, quod præmonuit Saluator. Attendite vos à Pſeudo prophetis, qui venient ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Veniunt autem, vt eruant oculos vobis dextros, viſum ſanæ & orthodoxæ fidei. Agunt igitur hæretici, vt non agnoſcatur Chriſtus, nec caſtra, in quibus ipſi militatur. Quemadmodum ſi militare volenti ſub Cæſare, principe noſtro clementiſsimo, & per Dei gratiam victorioſiſſimo, perſuadeatur, quod aduerſarij caſtra ſunt, in quibus Carolo militatur, aliæque leges tradantur quaſi eius,imo contra quam ſuis præſcribit militibus. Conatur igitur nobis oculos eruere, ne diſcernamus Principes & caſtra, legeſq; eorum,vt abducat quo vult ignaros, & in æternam præcipitet calamitatem.

4\. Nouit enim callidus hic veterator,fidem eſſe quaſi Lucernam, in caliginoſo hoc ſæculo lucentem, donec dies illuceſcat, & lucifer oriatur in cordibus noſtris: & ſine ea nos permanere in denſiſsimis tenebris: ipſam eſſe initium & fundamentum ſalutis, ſine qua nec Deo placere poſſumus. Efficaciorem itaque modum non habet, quam vt quos poſsit,ab ouili Chriſti, eiuſque ſeptis ſeducat, & à Catholica fide, & à religioſæ ſocietatis conſenſu deſciſcere faciat. Et in hoc vnum totis ſemper viribus incumbit. Qui enim humana fragilitate carni ſuccumbunt, eiuſque ſuggeſtionibus huius mundi illecebris conſentiunt: nondum ſecure poſsident,quam diu in ouili Chriſti,in religioſa ſocietate, ſub virga paſtoris manent, ſed magnus eiſdem, nec adeo difficilis ad ſalutem ſuam relictus eſt gradus, patet & reditus. Nec dum enim his mali ſui ſenſus interijt: ſed intus torquet, accuſat, atque ipſos etiam reuocat miſera afflictaque conſcientia, & ſanorum membrorum, quibus fidei vnitate & ordinis vinculo in vnius corporis vnitatem conglutinantur, & ſubleuãtur,commiſeratione ac calore fouentur,& cuſtodiuntur. coercentur præterea & reuocantur ſeueritate diſciplinę,cui adhuc ſubiacent,Eccleſiaſticæ.habent quoq; parata & obuia & efficacia peccatorum remedia At quos ille à fidei integritate,aut ab ouili Eccleſiæ catholicæ quaq; occaſione, quoq; prætextu ſeducere potuit: eos totos, velut ſua ipſius mẽbra; ſecure poſsidet, liberũq; in eos obtinet imperium. Vt enim ſine fide orthodoxa impoſsibile eſt placere Deo:ita extra Arcã illã, extra hoc ouile extra sãctã hãc congregationem & ſocietatẽ, nemini ſalus eſſe poteſt. Nã deficiente fide,omne iuſtitiæ & ſalutis ſublatum eſt fundamentum, & diuiſo à corporis vnitate membro, nec ſpiritus, nec virtus vlla vitalis à capite defluere poteſt:nulluſque proinde ſalutaris remedij his patet communio. ſed nec morbum quidem ſuum ſentiunt, quo lethaliter laborant: ſed amentibus & furioſis ſimiles, ſe plus ſapere, & reliquos omnes inſanire exiſtimant,ſeq; tunc primum inueniſse Chriſtum, & veram Eccleſiam intraſſe, germanãque verborum Dei intelligentiam aſſequutos,quando militiæ eius deſertores,in Regnum tranſierunt Sathanæ, quando in denſiſsimas perducti ſunt pernicioſæ infidelitatis tenebras,quas verum eſſe Euangelium & lucem ſibi perſuadent, vt iudicent tenebras lucem, & malum bonum. ſecuriſsime agunt,quaſi filij & hæredes Dei, & apertis oculis hæc clariſsime ſe videre ſibi perſuadẽt,cum ſint mancipia Diaboli,& vaſa iræ parata in interitũ.Mira certe illuſio, ſimilis ei, quæ fit in ſomnijs. Sicut ſomniat ſitiens,inquit Eſaias propheta, & viuit,& poſtquam fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit,& anima eius vacua eſt: ſic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicarunt contra montem Sion. Arbitrantur enim Chriſto & in eius exercitu militare,quando in caſtris,& ſub vexillo militant Diaboli. Non igitur malum ſuum ſentiunt. Et ſi morbos quoſdam intus ſentiunt, non quærunt vbi inueniri poſsit remedium, in Eccleſia ſcilicet Catholica, extra quam inefficacia, imo & mortifera ſunt, ac toxica, omnia noſtræ infirmitati à Chriſto inſtituta antidota. Et quæ alioqui, ſummi illis meriti, & eximiæ gloriæ futura erant inſignia: ijſdem reputãtur in perditionem & interitum. Quid enim glorioſius eſſe poterit, quid Deo gratius,quàm pro Chriſti nominis confeſsione, illatam à perſecutoribus & impijs mortem perferre libenter, & hilàriter? At hoc ipſum glorioſus ille Chriſti Martyr,& Pontifex Cyprianus,docet eſſe pœnam perfidię ac deſperationis meritum. Cum Deo (inquit aduerſus Nouatianum) manere non poſſunt, qui eſſe in Eccleſia Dei vnanimes noluerint. Ardeant licet flammis & ignibus traditi, vel obiecti beſtijs, animas ſuas ponant: non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ:nõ religioſę virtutis glorioſus exitus, ſed deſperationis interitus, occidi poſſunt,coronari non poſſunt. Quod igitur inimicus ille toto ſemper conatu incubuerit ab initio,& ſementi diuinæ dormitantibus hominibus zizaniam ſuperſeminare conatus ſit,nec nouum eſt,nec mirandum. Coniurauit enim enim in hominis perniciem à tempore,quo dictum eſt ei, Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius, ipſa conteret caput tuum,

Quare diabolus per hæreſes fidem oppugnet

Hæreticorũ quanta ſit miſeria & cæcitas.

Remedia extra Eccleſiã toxica ſunt.

Eccleſia iam olim à diabolo per doctos adminiſtros oppugnata.

& tu inſidiaberis calcaneo illius. Nec nouum eſt, quod ſtrennuos pleroſque coopera tores, optime inſtructos & ſibi deuinctos milites habet, omniq; diſciplinarum genere exercitatos. Nunquam enim huiuſmodi ei ſatellites deſuerunt ab initio. Teſtantur hoc Philoſophi, Prophyrius, Celſus, Iulianus, Arrius, Pelagius & alij innumeri, qui eruditione Catholicis non erant inferiores.

5. *Hereticorũ ſucceſſus quare ſit admirandus.*

Sed horum tantus, quem cernimus, in ſuam ipſorum & publicam perniciem ſucceſsus, omnem apud me admirationem vincit, omne ſuperat miraculum. Nam ſiue mecum reputo quid ſit, & quam magnum, quod tentant & inſtituunt, ſiue qui ipſi, homines infames, inceſti, ne Deo quidem fidem ſeruãtes, & ideo nec ipſi fide digni: quibusue artibus: etiam ſtupor mihi quidem ſubit, aliquem ſanæ mentis hominem, aut cui vel ſcintilla adhuc rationis lucet, his potuiſſe aut poſſe accedere. Acceſſerunt tamen multi, nec plebei ſolum, ſed primarij in Reipublicæ gubernatione, Duces, Comites, Ciuitates & numeroſæ Reſpublicæ: imo & magna pars Europæ, hos magiſtros, & ſacrilega eorum dogmata ſuſcepit. Iactant in primis, in lucem ſe reuocare iam annis plus mille ſepultam veritatem Euangelicam & in denſiſsimis errorum infidelitatis, & idololatriæ tenebris noſtros maiores eſſe defunctos, & ne primum quidem, & præcipuum fidei articulum, ſine quo nihil aliorum docent credi poſſe, eſſe aſſequutos. Hunc autẽ pertinaciſsimè eſſe docent, quod quiſque de ſe credat, Deum patrem ſibi eſſe propicium, omnia peccata condonaſſe, & in filium hęredem, & in gratiam ſuſcepiſſe, vt non magis homini Chriſtiano liceat dubitare, quod remiſſa ſunt ſibi peccata, quod de numero eſt electorum, & quod ſaluus erit: quam dubitare licet quod Chriſtus crucifixus & mortuus eſt pro peccatis noſtris.

Arduus atq; difficilis recentium hæreticorum conatus.

Quæ ſi ita habent, vt gloriantur: quis non intelligit difficilius illos, quam olim egerunt Chriſti Apoſtoli, negocium agere? neque enim paulo facilius eſt ſi rem per ſe æſtimemus, abrogare ritus Iudaicos, & gentilem ſuperſtitionẽ, impietatemq; deſtruere quam ea conuellere, quæ totius per Orbem diſperſæ Catholicę Eccleſię probauit authoritas, quæ tot ſæculorum conſenſu, velut Dei oracula, per ſeriem ſucceſsionis, ab Apoſtolis vſq; ad nos coluerunt omnes, & colent ſemper quotquot peſtilentiſsima iſta nouitatũ prurigine non titillantur, ſed Eccleſiæ Chriſti filij manent germani.

Ethnicorum ſuperſtitio labilis atque caduca.

Nam gẽtium Religio ſua ſe ipſius abſurditate facile conuincebat, præſertim admota luce veritatis Euangelicæ, quæ & ſua nititur probabilitate: cum etiam apud illos nemo paulo cordatior, quæ de Dijs ferebantur, non intelligeret mera eſſe figmenta, meras nugas & fabulas, in hoc vnum excogitatas ab hominibus callidis, quo numinis metu ac religione vtcunque contineretur multitudo confuſa & intractabilis, vt docet Beatus Auguſtinus lib. 6. de Ciuitat. Dei, Annij Senecę libertatem commendans, quod auſus fuerit in libris ſuis palam profiteri, quod ſenſit.

Libera Senecæ de gentiliſmo ſententia.

In libro enim, quem ſcripſit contra Superſtitiones, manifeſte confitetur, omnem iſtam ignobilem turbam Deorum, quam longo æuo longa congeſsit ſuperſtitio, ſic adorandam, vt meminerimus eorum cultum magis ad morem, quam ad rem pertinere, & eorum ſacra ſeruanda eſſe, tanquam legibus iuſſa, non vt Dijs grata.

Iudaica legis vmbra, exoriente fidei ſplendore euanuit.

Iudaicus etiam ritus ad ipſam iam coruſcantis Euangelij lucem, veluti eius vmbras quaſdam euanuiſſe, nihil mirum eſt, præſertim cum hoc ipſum ita futurum, ex ipſa Lege & Prophetis demonſtrare, & conuincere non eſſet difficile. Quod abunde præſtitit, & docet Apoſtolus Paulus in ſuis Epiſtolis: & præcipue, quam ſcribit ad Hæbræos. At per ſe incredibile eſt plane, atque ipſi etiam Euangelio Chriſti, quod omnes profitemur, contrarium, quod agunt & moliuntur iſti: nempe vt idem ille ſuam illam chariſsimam Sponſam, pro qua nihil ſibi exiſtimauit indignum, nihil graue, nihil intolerabile, ſed cum in forma Dei eſſet, exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens, & homo factus (quo vt ſibi coniunctiorem, ita Patri ſuo reconciliatam acceptamque faceret) ſeipſum in ara Crucis holocauſtum obtulit: hoc inquam per ſe incredibile eſt vt ille ipſe eam feruens amator, quam ſuo ſanguine redemit, & ſibi copulauit, ſuis omnibus diuitijs ditauit, & ornauit, Sponſam chariſsimam ita neglexerit continuo, vt ab ea ipſa annis mille quadringentis adeo alienus fuerit, vt nec Spiritum illius, nec fidem habuiſſe credatur. Ita dormitauerit ille zelotes, & peruigil eius Cuſtos, ille ardentiſsimus eius amator, vt cum laruis ipſis, atque idolis fornicari permiſerit, atque ea ipſa pro Deo colere. Laruas enim & humanas inuentiones docent eſſe ſeptem Sacramenta, quæ tota Chriſti per Orbem Eccleſia, pro efficacibus animarum antidotis venerata eſt.

6. *Eccleſiam Catholicam per annos 1500. veritate caruiſſe quam ſit abſurdum.*

Nec excipiunt ſacroſanctum quidem Baptiſmũ, nec ſacramentum corporis & ſanguinis Domini. 7. Aequè incredibile & illud q̃ hinc eſt conſequens, excęcatos continuo fuiſſe, quotquot ſucceſſerunt in Apoſtolorum vices, nihil illos retinuiſſe viuæ illius traditionis Apoſtolicæ, nihil omnes vidiſſe in ſacris literis. Et deinde poſt mille quadringentos annos, à neſcio quibus nouis Euangeliſtis tandem, propicijs bene ſuperis, reuocari in lucem veritatem & puritatem Euangelicam, reuocari Chriſtum in ſuam Eccleſiã. Quid autem quod etiam mendacem Chriſtum veritatem ipſam faciunt, qui vnitam, inędificatam illi Cephę Eccleſiam, aduerſus inferorum portas inuictam perpetuo manſuram pronunciauit? qui promiſit eandem ipſam ſingulari curæ ſibi fore, ad conſummationem vſque ſæculi? Ecce ego (ait) vobiſcum ſum omnibus diebus, vſq; ad conſummatio-

mationem ſæculi. Mendacem inſuper veritatis Apoſtolum, qui columnam & firmamentum veritatis Eccleſiam affirmat. Accedit ad hæc, dogmatum etiam ſecum pugnantium, frequenter ſeſe elidentium, communi omnium hominum ſenſui & euidenti rationi contradicentiũ, portentoſa & ipſis pene digitis palpabilis abſurditas: vt quod nullum habeat homo liberum arbitrium nec peccandi, nec bene agendi: & quod Deus nõ minus operatur & inſtingat nos ad malum, quam ad bonum. Ita enim ait Philippus. Proprium Dei opus eſt proditio Iudæ, & adulterium Dauidis, ſicut Pauli vocatio. Quod ſanctimoniales, Deo per votum conſecratæ, nubere poſsint (fracta ſponſo Chriſto fide) marito carnis: & Apoſtolum hoc mandare. Quod, qui ſemel verè Deo credit, non poſſit damnari, ſed certiſsimus ſit, quod ſaluabitur, & quod ſit de numero electorum. Iam ad dogmatiſtas illos cum reſpicio, & quibus artibus ſuum illud propagarunt Euangelium, etiam ſtupor quidam oboritur. Apoſtolorum doctrinam per ſe credibilem, & ſua luce facile effugantem gentilitatis tenebras, Iudæis etiam diuinis prophetarum oraculis perſuaſibilem, tot res commendabant orbi. Cæleſte erat imprimis quod docebant & rationi maxime conſentaneũ, Narrabant ea quæ viderant oculis, quæ auribus hauſerant, & nihil non olim multis figuris adumbratum multis oraculis prædictum proferebant. Ad hæc mirus erat doctrinæ eorundem conſenſus, vt qui doctorem eundem acceperant, Chriſti & veritatis ſpiritum. Aderat diuinæ operationis vis præſentanea, qua ſuorum doctrinam proſequebatur Deus ipſe, & euidentibus ſignis prodigijſque confirmabat. Aderat ſpiritus ille igneus, qui ſeſe illorum moribus, vultu oculiſq; promebat, quibus vndiquaque puris atque inculpatis, non minus quam miraculis, ad ſe trahebant orbem. Stupebat mundus velut ad diuinos & cœlo dimiſsos homines, cum eorum in afflictionibus alacritatem, in iniurijs lenitatem, cum ſimplicem, manſuetum, omnibus beneuolum, omnibus humanis rebus ſuperiorem, inuictum atq; huius vitæ contemptorem animum cerneret. Turbæ (inquit actuum 14. Lucas) cum vidiſsent quod fecerat Paulus, Leuauerunt vocem ſuam Licaonice dicentes: Dij ſimiles facti hominibus, deſcenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam Iouem, Paulum vero Mercuriũ, quoniam ipſe erat dux verbi. His illi Chriſto ſubiugarunt orbem armis & machinis: his artibus, his argumentis cœleſtem, & per ſe credibilem doctrinam commendabant hominibus.

Quibus modis Apoſtoli mundo Euãgelium innexerint.

8. At hi quinam ſunt, quibus ſuam merito ſalutem ſecurè credant homines contra totius Eccleſiæ, tot Sanctorum doctiſsimorumque ſententiam? quibus artibus, & argumentis agunt in perſuadenda hominibus re plane incredibili? quibus nos armis oppugnant? quibus hanc nouam ſuam doctrinam confirmant miraculis? Legimus grauiſſimas ſæpe numero tentationes ab hæreticis perpeſſam Chriſti Eccleſiã, vt qui mirando artificio, & magna vi vibrabãt torquebãtq; cœleſtiũ eloquiorum fulmina aduerſus veritatem Catholicam atq; inſuper ſimulata religionis ſpecie, & vitæ, quæ videbantur ſanctimonia, ſimpliciorib. & incautis facile imponebant. Ita Maximinus Arrianus, quã Orthodoxus ille Auguſtinus, pene ſanctius, & religioſius loqui videtur. Ita Manichæi non ſolum dictis, ſed etiam prodigioſa vitę ſeueritate pietatem ſimulabant, quo ſic incautis imponerent efficacius. Ita quoq; & Pelagius Monachus erat ſanctę & laudabilis vitæ, & alij qua plurimi eminenti doctrina, florentis orationis copia exornati, ſimulatam vitæ ſanctimoniam, ad ſimplicem Catholicæ fidei vnitatem diſcerpendam, coniunxerunt. Nam vt teſtis eſt Apoſtolus, in hypocriſi loquuntur mendacium, vt miſerandum potius, quam indignandum ſeductis videretur.

Priſcorum hæreticorũ eruditio atq; hypocriſis.

Hi vero, qui omnium ab initio hæreticorum iam multis ſæculis damnatorum abſurdiſsima quæq; atq; impijſsima commenta, ab inferis in lucem reuocant, imo omnem omnium impietatem, velut contentionis cũ illis ſtudio, longiſsimè ſuperare contendũt nouaq; adijciunt: quib. ſe artibus commendant & inſinuant, quibus hæc argumentis perſuadẽt hominibus, quibus armis & machinis oppugnant côuelluntq; pene vniuerſa, quæcunq; tot ſæclorum conſenſione, omnis Chriſti toto orbe probauit Eccleſia, Qua vita, quibus moribus in ſectas ſuas pelliciunt homines? Neque enim licet vnam dicere. tot namq; ſunt eorum ſectæ, vt dinumerari nequeant. Qua deniq; modeſtia, qua patientia, quo doctrinæ conſenſu, tam incredibilia aſtruunt? Pudet dicere, tametſi me tacente res ipſa palam loquatur.

Improbo ſcripturarum abuſu, & peruerſa intelligentia, omnium maiorum, generalium Conciliorum & Tradirionum Eccleſiæ ſuperbo contemptu, audacia, atque impudentia ſingulari res agitur, & acta eſt mendacijs execrabilibus, conuicijs amarulentis, in Præpoſitos Eccleſię, in Orthodoxos omnes, improborum conſpiratione, ſeditioſis tumultibus, licentia vitæ carnalis, & planè paganicæ. Quod & Capita ſectarũ palã ſcriptis publicis deplorant, & ingenuè confitẽtur malle ſe priſtinum illud Papę, ꝙ ipſi vocant, & Monachorum regnum quam ferre hoc genus hominum, quod inſtituunt: vt ſuorum diſcipulorum pudeat magiſtros. Cogitanti autem, quem vnum præcipue tales, tam multi, & qua in re ſequantur: multo mihi prodigioſius videtur, quod vel vnum habeant ſequacem. Minus profecto poſset mirum, minus indignum, ſtupendũque videri, ſi in Angelum lucis ſaltem ſe transformaſset iſte Angelus Sathanæ: ſi ſub ouina ſpecie tecta latuiſset lupina feritas: ſi ea fuiſſet vitæ & morum vel ſimulata

9. Luculenta Lutheranicæ ſchola pictura.

Lutheri graphica deſcriptio.

lata ſanctimonia, quæ vel incautis merito poſſet imponere: ſi in verbis vllam Chriſtianam modeſtiã præferret, in factis & dogmatibus demonſtraret conſtãtiam. Nunc autem cum fuerit vita plane Carnali, Veneris atq; inguinis ex profeſſo mancipium, & quẽ non puduit de ſe publice confiteri, ęquè non eſſe ſui arbitrij, vt ſe ſeruet abvſu & cõmixtione fęminę, quã non eſt arbitrij ſui, mas ſit, an fœmina, cum ſit preterea in verbis petulantiſſimus, & amarulentiſsimus, vt non Euangelicã doctrinam docere, ſed execrationes ſerere vbiq; videatur: quis non merito admiretur mecum, inueniri adeo multosq derelicto illo corpore, quod vnum ad Chriſti curã pertinet, hũc talem adeo ſequantur pertinaciter. & in hunc talem, poſt deſtitutam tot ſæculis ſuo ſponſo Eccleſiam, nunc tandem deſcendiſſe illum Chriſti ſpiritum, ad reſtituendam lapſam & obſcuratam Euãgelij veritatem, in animum inducere poſſint.

Germanos Luthero fauere, quare mirandum.

Et magis hoc mirandum eſt de viris Ger-
10. manis, qui religionis ſtudio & ſingulari prudẽtię, fidei, & grauitatis pręconio sẽper fuerant toto orbe commendati, & inter eos nõ plebei tantum, ſed quod primarij, & rerum publicarum moderatores ac Principes & eruditi ſingulari doctrina & ingenio præditi, quam à maioribus ſuis fidem acceperant, quam didicerant in Catholica Eccleſia, quam ante natas has ſectas vnam magis magno conſenſu cum cæteris nationibus religioſiſsime profitebantur, tam leuiter deſeruerint, tam temerè, ac inconſultè damnauerint, quæ maiores eorum viri ſapientiſsimi, glorioſæ, ſanctæque memoriæ, quæ toto orbe ab Apoſt. tempore vniuerſa credidit Chriſti Eccleſia. Quæ hæc indignitas? Quid hoc monſtri eſt? Propter huiuſmodi homines, qui ſuæ patrocinantur turpitudini, incontinentię & perfidiæ, ſuadentque licere, quod libet, vt alios ſibi ſimiles faciant, à Chriſti familia ſe ſeparare? & Paſtori, quem ouibus ſuis præpoſuit, hoſtile bellum inferre? Narrat Beatus Auguſtinus de Iouiniano, quod virginitatem ſanctimonialium, caſtorum coniugiorum meritis adæquabat; ita vt quędam virgines ſacrę prouectæ iã ætatis, in vrbe Rom. vbi hæc docebat, eo audito nupſiſse dicantur. ſed vſque ad deceptionem Sacerdotum non potuit peruenire, & cito hæreſis hæc extincta eſt, & oppreſſa. Ipſe tamen Iouinianus, vir ſanctus, Monachus & cælebs, qui nec habebat, nec habere volebat vxorem. Et nunc omnis turpitudinis mancipia, quæ ſuam turpitudinem velare conantur, vere ſtupor eſt, quod tam multis annis ſequantur etiam Sacerdotes & Magiſtratus. Narrat Lactantius, venerem, quę omnibus ſe proſtituit, fuiſſe authorem in Cyp. mulieribus, vt & ipſæ ſequerentur libidinem & voluptatem, ne ſola tanquam vile libidinis mancipium haberetur. Ita & hi volentes ſuam explere libidinem, tentant Orbi Chriſtiano perſuadere, quod monialibus & Monachis ac Sacerdotibus, non obſtante continentię voto, nuptias inire liceat, ſicque honeſto nuptiarum nomine ſuam tegant turpitudinem.

Sola diſſolutæ vitæ licẽtia ſectatores Luthero conciliauit.

Quæ igitur eſt dementia, in ſua cauſa & turpitudinis defenſione, & patricinio, horum recipere teſtimonium? quæ igitur cauſa, quod ſequantur multi magni, & docti?

Certe ſi dogmata conſideremus, quæ tradunt, ſi dolos, ſi technas, quibus nituntur, & toxicum melle liniunt: præter meram inſanamque errandi libidinem, eadem ſe offert cauſa, propter quã Lactantius libro tertio diuinarum inſtitutionum, docet Epicuri opinionem fuiſse celeberrimam. Et Beatus Hieronymus de Iouiniano, quod & ipſe multos habebat ſequaces, Ne glorieris, inquit, quod multos habeas diſcipulos: vitia fere ſequimur, non virtutes: Epicurum plures, quam Chriſtum: Iouinianum, quam Apoſtolum Paulum. Voluptatis eſt indicium, non veritatis, quod tuæ ſententiæ acquieſcunt multi. Non te loquentem probant, ſed ſuis fauent affectibus. Oſtendiſti tales diſcipulos, non feciſti: libenter ſaltantibus vltroque choream ducere geſtientibus, non opus eſt perito citharędo. Et Lactantius de Epicuri diſciplina ſcribit, ꝙ multo celebrior *Lactantius.* ſemper fuit, quam cæterorum Philoſophorum: non quia veri aliquid afferat: ſed quia multos ad populare nomen voluptatis inuitat: nemo non in vitia pronus eſt. Et vt multitudinem ad ſe contrahat, appoſita ſingulorum moribus loquitur, & cuique quod gratum arbitratur proponit. Deſidioſum vetat literas diſcere, auarum populari largitione liberat, ignauum prohibet accedere Rempublicã, & Irreligioſus ab eo audit, deſ nihil curare eorum, quę hic agũtur. Et homo aſtutus, dum ſtudet placere omnibus, turpiſſimæ voluptatis aſſertor, eius capiendæ cauſa naſci hominem docebat, & diſputabat ſapientem ſua cauſa facere omnia, & ad ſuam vtilitatem referre ait vniuerſa.

Cur multos in ſectas horrendas hodie cadere, non ſit pijs admirandum. Tertullian.

Nihil igitur magis mirandum eſt, quod 11.
multos habent ſequaces magiſtri voluptatum, quam quod multi ſecundum carnem ambulãt, ſua deſideria ſequẽtes, & ea ad nos noſtraque tempora referre licet, à quibus incipit Tertullianus librum de præſcriptionibus. Conditio (inquit) præſentium temporum etiam hanc noſtram prouocat admonitionem, non oportere nos mirari ſuper hæreſes iſtas, ſiue quia ſunt (futuræ enim prænunciabantur) ſiue quia fidem multorũ ſubuertunt. Ad hoc enim ſunt, vt fides habendo tentationem, haberet etiam probationem. Oportet enim & hæreſes eſſe, vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis. Ait enim, Dum miramur, in ſcandalum ducimur, aut quia ſcandalizamur, ideo miramur: quod tantum valeant, quaſi ex aliqua veritate veniant hæreſes, quæ apud eos

mul-

multũm valent, qui in fide non valent. In pugna pugilum & gladiatorum plerumque non quia fortis eſt, quis vincit, aut vinci non poteſt, ſed quoniam ille, qui victus eſt, nullis viribus fuit: & idem ille victor, benè valenti poſtea comparatus, etiam ſic ſuperatus recedit. Non aliter hæreſes de quorundã infirmitatibus habent quod valent, nihil valentes, ſi in beneualentem fidem incurrant. Solent quidem iſti Miriones etiã de quibuſdam magnis perſonis ab hereſi captis ædificari in ruinã. Quare ille vel illi fideliſsimi & prudentiſsimi, & vſitatiſsimi in Eccleſia, in illam partem & ſectam tranſierũt? Quis hoc dicens non ipſe ſibi reſpondet, neque prudentes, neque fideles, neque vſitatos exiſtimandos, quos hæreſes potuerint demutare? Non hoc mirum, vt probatus aliquis retro poſtea excidat. Quid ergo ſi epiſcopus, ſi diaconus, ſi vidua, ſi virgo, ſi doctor, ſi etiã Martyr lapſus à regula fuerit? An ideo hæreſes veritatem videbuntur obtinere? Ex perſonis probamus fidem, an ex fide perſonas? nemo ſapiens eſt, nemo fidelis, nemo maior Chriſtiano qui ad finem vſque perſeuerauerit. Tu homo extrinſecus vnumquemque noſti: putas, quod vides: vides autem quouſque oculos habes. ſed oculi Domini (inquit) alti: homo in faciem, Deus in præcordia contemplatur. Et ideo cognoſcet Dominns, qui ſunt eius, & plantam, quam non plantauit, eradicat, & de primis nouiſsimos oſtendit, & ventilabrum in manu portat ad purgandam aream ſuam. Auolent quantum velint, paleæ leuis fidei, quocunque afflatu tentationum: eo purior maſſa frumenti in horrea Domini reponetur. Nónne ab ipſo Domino multi ex diſcipulis ſcandalizati abierũt retrò, & diuerterunt? nec tamen propterea cæteri quoque diſcedendum à veſtigijs eius putauerunt. Nihil igitur mirandum, ait, ſi Apoſtolũ eius Phigellus, Hermogenes, Philetus, & Hymenæus reliquerunt: nec quod Eccleſiæ deſeruntur à quibuſdam. Donum Dei ſingulare eſt fides eius, & donum eſt in fidei perſeuerantia. Vobis (inquit Paulus Apoſtolus ad Philip. donatum eſt, pro Chriſto non ſolum vt in eum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini. Cùm verò multo maxima hominum pars ſecundum carnem ambulet, & ſequatur non quæ meliora, ſed quæ gratiora, & carni ſunt iocunda: nihil miremur noua hæc dogmata multos habere ſequaces. Multi (inquit Apoſtolus Paulus) ambulant, quos ſæpè dicebã vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. & Saluator: Lata eſt porta & ſpacioſa via, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui ambulant per eam. & alio loco, Multi vocati, pauci electi. Non miremur (inquam) eis plurimos eſſe diſcipulos, eos videlicet, qui ſubuerſa ſemel omnis honeſtatis ſpecie, ſecuri carnis deſiderijs frui volunt, quibus nihil gratius, quam licere quod libet: quando & Sancti nonnunqnam titillantur ſui & libertatis atque commodorum affectibus, qui à parentibus cum immoderato noſtri amore in nos ſunt transfuſi, aduerſus quos etiã iuſti toto peregrinationis ſuæ tempore, quaſi acerrimos hoſtes pugnant & luctantur, iam victi, iam vincentes. Docent 12.
enim hi noſtræ tempeſtatis Pſeudomagiſtri placentia, & puluillos conſuunt ſub omni cubito manus, & ſub omni capite, vt molliter quieſcat populus in fecibus ſuis.

Graphicá deſcriptio puluillorum, quos Euangelici noſtri voluptuarij & Epicuræi ſubſternunt.

Stupor (inquit propheta Hieremias) & mirabilia facta ſunt in terra: Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus & populus meus dilexit talia. Abſoluunt enim hominem Chriſtianum à legibus Imperatorum, à decretis Pontificum, à Canonibus Conciliorum, ab omni iure, conſtitutione, & conſuetudine humana. Nulli (inquit) hominum ius eſt, vel vnam ſyllabam conſtituendi ſuper hominem Chriſtianũ: & quicquid aliter fit, tyrannicè agitur, & iniuria. Aequalem faciũt Sacerdotibus & Epiſcopis, quemlibet Chriſtianum, etiam mulieres in poteſtate conſecrandi, & à peccatis abſoluendi. Subijciunt Epiſcopos & vicarium Chriſti, Petrique ſucceſſorem, non tantum Regibus & Principibus, ſed ſeculari magiſtratui ciuitatis, in qua degunt. Abſoluunt à votis ſemel Deo factis, & ea aduerſari euangelio docent: Monialibus ſponſo Chriſto conſecratis nubendi faciunt poteſtatem: votum caſtitatis damnare audent. Docent præterea non ieiunandum, nõ abſtinendum, vel vno die à carnibus, non confitendum ſacerdoti, non ſatisfaciendum pro peccato, non eſſe laborandum, vt ſalui ſimus, vt in cælis cum Deo regnemus: & in Chriſtum, eiusque paſsionem blaſphemos eſſe, qui hoc conantur: omnia nobis hæc à Chriſto impetrata, & donata, ſine vlla operis noſtri conditione, & modo: ſi tamen firmiter hoc credere, & nobis perſuadere poſsimus. Cui, precor hæc nõ eſſent gratiſsima? quis non amplecteretur, ſi res ita ſe haberet? Ita autem habere cupiunt voluptatum, & ſui amatores: & faciliter credunt, & ſequũtur, ad quæ natura ſumus propenſiſsimi, ſi probabili aliqua apparentia, vel in ſpecie proponantur. Et fœlicius ſucceſsit infœliciſsimũ horũ inſtitutum, quod Sathanæ ſuggeſtionibus principio omnem authoritatem, omnemq; fidem his abrogauerunt, quorum inſtitutionem, & doctrinam populus Chriſtianus ſemper fuerat ſecutus. Et Cathedram Petri, quæ ſuo iudicio omnẽ hæreſeon impietatem ſemper oppreſsit, & generalium Conciliorum etiam celebratiſſimi Concilij Niceni authoritatem euertere ſunt conati, vt liberè & impunè ſuarum impietatum virus effundere poſsint: quãdo non eſſet, qui damnaret, qui compeſceret: quando nullus eſſet in terris Iudex, qui in cauſa eorum pronũciare poſſet, qui oues, ne in præcipitium ruãt, arceret. Nam vt ſcribit ſanctiſsimus Martyr Cyprianus, nõ aliundè

Artes, quibus Epicureiſmum ſuũ heretici noſtri temporis auxerunt et promouerũt.

2. bant omnes tam Catholicæ Eccleſiæ filij, quam ſchiſmatici & hæretici: quiſque confitetur Eccleſiæ vnitatem, niſi damnabiliter ſcindi non poſſe, & æquè nullum nunc extra Eccleſiam ſaluum fieri, quam dudum extra arcam illam à diluuio. Sed quiſq; contendit vnitatem ſe ſeruare, & intra eius gremium permanere, quàm apud ſe eſſe volunt tam ſchiſmatici, quam hæretici, nos verò catholicæ Eccleſiæ filios ab eadem exteriores agere. Nam vetus eſt hæc controuerſia inter hæreticos & Catholicos, vbinam & apud quos ſit vera Chriſti Eccleſia, præſertim vtriſque profitentibus, ſe velle in fide Saluatoris permanere, in Euangelicis Apoſtoliciſque doctrinis, in vera Chriſti & Chriſtianorum religione, & iam inde ab exordio Eccleſiæ conantur hæretici defendere, eam apud ſe permanere, etiam ſtatim poſt Apoſtolos, Tertulliani & Irenæi temporib. Nam olim, vt inquit Beatus martyr Cyprianus, in epiſtola ad Iubanum, Nouatianus (ſimiarum more, quæ cum homines nõ ſint, homines imitãtur) voluit Eccleſijs Catholicis authoritatem abrogare, & cum ipſe in Eccleſia non eſſet, ſed extra Eccleſiam rebellis, hoc vnum ſibi vendicabat, quod cæteros faciens hæreticos, apud ſe eſſe Eccleſiam defendere præſumeret. Et clariſsimus doctor Auguſtinus, contra Petiliani Donatiſtæ epiſtolam ſcribens, eadẽ docet ſuo tempore accidiſſe. Quæſtio, inquit, inter nos & Donatiſtas verſatur, vbi ſit Eccleſia, vtrum apud nos, an apud illos. Quid facturi ergo ſumus? quærimus eam in verbis noſtris, an in verbis capitis ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti? puto quod in verbis illius potius eam quęrere debeamus qui veritas eſt, & optimè nouit corpus ſuum. Nouit enim Dominus, qui ſunt eius. Quæ ſunt autem verba noſtra, in quibus eam quæri non oportet, aduertite. Quicquid criminum nobis inuicem obijcimus de traditione codicum diuinorum & thurificatione, de perſequutionibus: noſtra ſunt. Si autem vera ſunt crimina, & quæ à nobis in illos, & quæ ab ipſis in nos dicuntur: faciamus quod ait Apoſtolus, donantes nobiſmetipſis, ſicut & Deus in Chriſto donat nobis, vt maligni homines. nec illi, qui forte fuerunt vel ſunt apud nos, nec qui vel fuerunt vel ſunt apud illos, impediant concordiam noſtram in vinculo pacis. Rectiſsimè conſulit Auguſtinus, in verbis Domini & ſcriptura ſacra quærendum eſſe, vbi, & apud quos eſt Eccleſia vere Chriſtiana, & non in verbis hominum, qui plerumque falſas criminationes mentiuntur aduerſus eos, quos alienos ab Eccleſia faciunt. Nam omnes Prophetæ loquuti ſunt de Chriſto & corpore eius, quod eſt Eccleſia Catholica, ſed obſcurius de Chriſto quam de Eccleſia. Præuidebant enim, inquit clariſsimus doctor Auguſtinus, contra Chriſti Eccleſiam homines facturos eſſe ſchiſmaticos, de Chriſto autem non tantam litem habituros, qui tamen de Eccleſia magnas contentiones eſſent excitaturi. Et ideo illud, vnde maiores lites futuræ erãt, planius prædictum eſt & apertius prophetatum, vt ad iudicium illis valeat, qui viderunt, & tamen foras fugerunt. Et penè vbique in aliquo inuoluto Sacramento prædicatus eſt Chriſtus à Prophetis: Eccleſia autem apertè: vt viderent illam, & qui futuri erant contra illam, & impleretur in eis nequitia, quam prædixit Paulus: Qui videbant me, foras fugerunt: ex nobis exierunt, ſed non erãt ex nobis. fugiunt autem foras quidam, non ignorantes ſe Catholicam Eccleſiam relinquere. Sicut & Deũ ſcientes & prudẽtes relinquimus, noſtris affectibus potius obſequentes, quam eligentes in domo & familia Dei ac Chriſti perſiſtere. Nam teſte Hieronymo in Commentarijs epiſtolæ ad Tit. Schiſmatici in principio rectè credunt, nec peruerſum dogma eos habere oportet. Alij verò quaſi acroaſia & cæcitate percuſsi ſunt, ſicut Sodomitæ, qui oſtium domus Loth videre & inuenire non poterant. quærunt Eccleſiam, quærunt domum, quam ingrediuntur, ſemper quærentes nunquam inuenire non poterunt. Ex hac cæcitate profecta eorum hæreſis qua Eccleſiam veram Catholicam docent eſſe inuiſibilem & ignotam hominibus, cognitam autem ſoli Deo. Quam ſequutus eſt Ioannes Huſs in Concilio Conſtantienſi damnatus, & nunc Martinus Lutherus & eius ſequaces: nec in alium finem, quam vt omnia nobis incerta faciant, quæ per eccleſiam definiũtur, vtpote eam, quam non conſtat eſſe Eccleſiam, ſimiles homini cæco, qui alios inuiſibiles pertinaciter aſſereret, quod ipſe eos videre non poſsit. Comparat Dominus Eccleſiam ſuam ciuitati ſupra montem poſitæ, quæ facilè ab omnibus conſpicitur, & abſcondi non poteſt. Et mirum, quod nobis mandatur, vt fratrem peccantem tandem Eccleſiæ denunciemus, ſi ignoramus vbi hæc inuenietur. Denſiſsimæ ſint tenebræ oportet, ſi frater fratrem & patremfamilias, ſuamq; domũ, in qua habitet, ignoret. Hæc ſcribo tibi, inquit Apoſt Paul. dilecto diſcipulo Timotheo, vt ſcias quomodo te oporteat in domo Dei conuerſari, quæ eſt eccleſia Dei viui. Mirum certè, ſi non agnouerit Timotheus domũ, in qua conuerſabatur. Sed in has tenebras ſe præcipitant, impiè & inſipienter credendo vel gratiam prædeſtinationis, quæ iam latet, vel charitate ac gratia gratum faciente, membra Eccleſiæ totumq; corpus ſuo capiti, veluti vinculo, colligari. Abijcientes propterea à corpore Chriſti alij vniuerſos, quos Dominus dãnandos nouit, etiam ſi ſanctiſsimè viuant, modo tandem ſint tentationi ceſſuri: alij vniuerſos malos, nihil deterriti Apoſtolicis & Euangelicis ſcripturis, in quibus docentur, in regno cælorum eſſe virgines prudentes & fatuas, & nuptijs Regis, quas filio ſuo pararat, non ſolùm intereſſe, ſed & menſæ & conuiuis aſsidere quendam veſte nuptiali carentem. cui propterea adeo iratus ſcribitur Rex, vt miniſtris iuſſerit, eum manibus & pe-

Hanc eandẽ verã Eccleſiam apud ſolos hodieq; Catholicos eſſe, licet eã hæreticorũ quilibet ſibi vendicet.

Cyprianus.

Auguſtinus.

D. Hieronym.

3. *Hãc veram Chriſti eſſe viſibilem Eccleſiam.*

Hæreſis Ioannis Huß & Martini Lutheri.

Paulus Apoſtolus.

4. *Eccleſia vera non modo bonos, ſed et malos complectitur.*

& pedibus ligatis proijci in tenebras exteriores, vbi eſt fletus & ſtridor dẽtium: & eum, qui peccauit in fratrem, non vult eijci nec haberi vt ethnicum & publicanum, quamdiu non contemnit audire eccleſiam. Non igitur ſeparatur peccator ab eccleſia, niſi reiectus vel ſponte recedens. Et ne in hanc tentationem veniamus, quãdo tanta eſt ſectarũ varietas & multitudo, quæ vniuerſæ confederatę ſunt & coniurarunt conſtanter & fortiſsimè contra vnicam Catholicã eccleſiam, eamq́; ſcripturis & rationibus oppugnant, Ne, inquam, veniamus in hanc tentationem, vt vel timeamus vel dubitemus Eccleſiam, in qua ex Chriſto renati ſumus, & Sacramenta percepimus, qua à primis annis ſimus inſtituti, eſſe veram illam Eccleſiam Catholicam, extra quam ſalus non continget, clariſſimè ex ſcripturis oſtendere conabimur, hãc eſſe ſolam veram illam Eccleſiam, ſectasque vniuerſas, quæ noſtro ſeculo natæ ſunt, eſſe ſynagogas Sathanæ. Magnum namque in hac hæſitatione, qua dubitatur, quæ ſit vera Eccleſia, vbi & apud quos ſit, verſatur ſalutis periculum.

Hanc ſolam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, in qua renati ſumus.

5. *Neutrales.*

Qui neutrales ſunt, expectant diſputationis euentum, vel generalis Concilij definitionem. Interim quaſi ſpectatores ſcenæ, matrem ſuam & domum neſciunt, in qua habitãt, & iam ſponte ſpectando, domum eccleſiæ exierunt & reliquerunt, vel prope ſunt vt relinquant. Hi autem ſunt, quotquot faciunt has ſectarum controuerſias, & contentionis negocium & cauſam Theologorum & Monachorum, & non potius ſuum & cõmune corporis Chriſti, cuius volunt eſſe membra. Qui non mouetur & collaborat euangelio pro qualitate ſua, exſors eſt euangelij & hæreditatis. Neutrales autem habet atque agnoſcit pro hoſtibus & aduerſarijs. Qui non eſt mecum vel affectu, inquit ſaluator: contra me eſt, & qui non colligit mecum, ſpargit. Sed priuſquam hæc aggrediamur, recitabo quo argumento acutiſsimus & liberaliter inſtitutus Auguſtinus, relicta ſecta Manichæorum, in qua multis annis vixerat, & imbiberat eorum dogmata, ſe tranſtulit ad noſtram eccleſiam verò Catholicam & Apoſtolicã. Nam de ſe ſcribit in libro contra epiſtolam Manichæi, quam vocabant fundamenti: Quæramus, inquit Manichæus, veritatem & veram Chriſti eccleſiam: quaſi ab vtriſq; neſciatur. Ita enim diligenter & concorditer quęri poteſt, ſi nulla temeraria præſumptione inuenta & cognita eſſe credatur. In eccleſia, inquit, Catholica, vt omittam ſynceriſsimam ſapientiam, ad cuius cognitionem pauci ſpirituales in hac vita perueniunt, vt eam ex minima quadam parte, quia homines ſunt, ſed tamen ſine dubitatione cognoſcant: cæteram verò turbam non intelligendi viuacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſsimam facit: vt ergo hanc omittam ſapientiam, quam in eccleſia catholica, eſſe non creditis: multa ſunt alia, quæ in eius gremio me iuſtiſsimè teneant. Tenet cõſenſio populorum atque gentium: tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: tenet ab ipſa ſede Petri, cui paſcẽdas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit, vſq; ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum: tenet poſtremo ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta eccleſia ſola obtinuit, vt cum omnes hæretici ſe Catholicos dici velint, quærẽti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel ſuam Baſilicam, vel domum audeat oſtẽdere. Iſta ergo tot & tanta Chriſtiani nominis chariſsima vincula, rectè hominem tenent credentem in Catholica eccleſia, quæ à temporibus Apoſtolorum, vſque modo continuata legitima ſucceſsione Epiſcoporum in Cathedra Petri, quem Dominus ſingulari priuilegio donauit, ei ſoli committens, vt paſceret oues ſuas, & præfectus eſſet ouilis, etiamſi propter noſtræ intelligẽtiæ tarditatem vel vitæ meritum, veritas nondum ſe apertiſsimè oſtendat. Et eodem argumento contra Donatiſtas oſtendit, quod ſunt extra Eccleſiam Catholicam, in epiſtola ad Generoſum. Si ordo, inquit, Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quanto certius & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerẽti Dominus ait, Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam? Petro enim ſucceſsit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euariſtus, Euariſto Alexander: ſic per ſingulos progrediens, vſque ad Anaſtaſium eo tempore in Petri Cathedra ſedentem. In hoc, inquit, ordine ſucceſsionis, nullus Donatiſta epiſcopus inuenitur.

Auguſtinus.

6. *Quibus argumentis nos Catholici in hac Chriſti Catholica Eccleſia cõtineri debeamus.*

Nota diligẽter hæc D. Auguſtini verba.

Cõtinua Põtificum Ro. ſucceſsio tẽpore Auguſtini.

7. *Hæreſum, noſtro tempore exortarum index.*

Et nobis liceat petere, an in tota hac ſerie, vſque ad Paulum Tertium deducta, aliquis inuẽtus fuerit epiſcopus vel Lutheranus vel Oecolampadianus, qui crediderit, corpus Chriſti eſſe panem naturalem piſtum in fornace, vel vt alter inſanit, quod panis eſt ſolum figura Chriſti crucifixi: aut qui prædicarit, nullum eſſe homini liberum arbitrium, ſed moueatur ad peccãdum & benè operandum ſolo vel naturæ vel fomitis aut ſpiritus inſtinctu, quem neceſſario ſequatur, ſicut animalia bruta. Quod ſolum duo ſunt ſacramenta, & ad Euchariſtiam ſuſcipiendam optimã eſſe præparationem, quod agnoſcit ſe eſſe in peccatis, & eorum cõſcius accedat cum fiducia, quod ibi remittentur ei. Quod pueri, dum baptizantur, verè credunt motu & actu fidei, ſicut adulti: quibus ſi motus ille auctualis fidei defuerit, nullum conſequantur ex ſacramento fructum. Quis Apoſtolorum vel diſcipulorum Chriſti prædicauit, ſacerdotes, qui ab epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus ordinantur, eſſe ſacerdotes Baal & Aſtaroth, & æqualiter oẽs Chriſtianos eſſe ſacerdotes? & Idololatras eſſe, qui offerunt in miſſa patri cæleſti dilectum, quo nihil habet charius, filium, in memoriã paſsionis? Liberum eſſe Deo ſacratis virginibus, ſe proſtituere & nubere, Chriſto ſpõſo de-

ſo deſerto. & ſexcenta ſunt ſimilia dogmata, quæ nunc ſectæ docent, quaſi certa ſcripturarum teſtimonijs comprobata. Benè loquutus eſt ſpiritus ſanctus per Eſaiam Prophetam, Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis ſuis & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eos.

8. *Quæ ſigna veram Chriſti Eccleſiã ab adulterinis diaboli Synagogis diſcriminẽt.*

Signa certiſsima, quibus poteſt diſcerni Eccleſia vera Catholica ab adulterinis & ſchiſmaticis, & doctrina catholica ab hæreſibus: ſunt vniuerſitas, antiquitas, & conſenſus, vt longè proſequitur venerabilis Chriſti ſacerdos Vincentius Lirinenſis. Illa enim Catholica eſt, hoc eſt, vniuerſalis & in vniuerſum orbem ſparſa ac diffuſa: hæ verò in angulo aliquo terrarum abſtruſæ, & loco & genti vni alligatæ, tam in arctum contractæ ſunt, vt nomen ſuum tueri haud quaquam queant, ſi fortè Catholicas quis dicere velit. Certè nulla vnquam tam latè patuit, vt eius perfidia vniuerſum peruaſerit orbem, in omnibusque prædicata fuerit gentibus, quemadmodum de Catholica Eccleſia ſcripturarum vaticinia pronunciarũt futurum, & conteſtantur eſſe factum etiam vltra mare, in Aphricam & Aquilonem, ad Oriẽtem & Occidentem. Diſcernitur etiam antiquitate. Nam Catholica Eccleſia humilium iuxta mundum Apoſtolorum tum doctrina, tum prædicatione plantata eſt, & perpetua ſucceſsione durante ad nos vſque deriuata: eoque Apoſtolica à Niceno Concilio dicta eſt. Hæ contra heri natæ, atque à ſuperbis Gigantibus, nomen ſuum celebrare cupientibus, ceu turris Babel, excitatæ, ſine maioribus & præceſſoribus, ſiue legitimis primatibus & Epiſcopis, niſi qui Dathan & Abyron ſpiritu inflati, ſeſe ipſi ingeſſerunt. Et liceat hic petere, ante natum Lutherum, an fuerit Eccleſia Catholica à temporibus Apoſtolorum, immò ſub ipſis Apoſtolis, an ab eo tempore prorſus interierit & renata, ſit peſtilentiſsimis apoſtatis Luthero & Oecolampadio, abiectis cucullis, & fide ſacræ profeſsionis Monaſticæ Deo factæ violata & ſoluta, iamiam docentibus & ſcribentibus? Quod tot ſeculis vel in angulo aliquo latuerit, vel in deſerto, vel penitus deſijſſet, non patiuntur verba Euangelij, quibus promittitur, quod aduerſus Eccleſiam portæ Inferi, nec Dæmones quidem, nec hæretici aut perſequutores ſint p̃ualituri: & quod Chriſtus ab eo tempore, vſque ad ſæculi conſummationem, ſit apud eam futurus, quod non deficiet fides eius. Et in quo eſt Sacramẽtum hoc magnum in Chriſto & Eccleſia, ſi eam reliquerit Chriſtus, celebrato quaſi diuortio plus mille annis, prout ſectarios fateri non pudet? Quomodo pronunciat Angelus Mariæ, quod regnabit in domo Iacob in æternum? & apud Oſeam prophetam. Sponſabo te mihi in fide & in ſempiternũ? Quod autem fuerint damnatæ ab Eccleſia Apoſtolica ſectæ noſtri ſæculi, quando cœperunt ſe erigere nunc in vno, iam in alio dogmate ante mille annos: nec ipſi diffitentur, nec difficile eſt ex veterum monumentis hoc luce clarius demonſtrare. Anne ipſi ſe condemnant, quando vocant per contemptum inſanos clamores, quando dicuntur eorum dogmata aduerſari Concilijs, & ſanctæ Matri Eccleſiæ? quando obijcitur eis, quod aduerſantur dogmatibus, quibus concorditer quę ab initio fuerunt Concilia, etiam Nicenum, quod præ cæteris improbant, & tota Eccleſia ab ipſis ſuis primordijs ſubſcripſerunt? His, inquam, obiectis, contemnũt & dicunt, quod ſunt inſani clamores. Et quodam loco Lutherus, Nihil eſt, quod quidam clamant, credenda, quæ definierũt Concilia, quę Hieronymus, Auguſtinus, ac alij ſcripſerunt. Oportet, inquit, cum Chriſto loqui, & purum eius verbum conſulere. Vbi ergo, quod clamat Paulus in epiſt. ad Galat. Licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis: anathema ſit: Iterum dico, ſi quis vobis euãgelizet, præter id quod accepiſtis, anathema ſit, & chariſsimo ſuo diſcipulo Timotheo, Mali homines & ſeductores proficient in peius, errantes & in errorẽ mittentes. Tu verò permane in his, quæ didiciſti, & credita ſunt tibi, ſciens in quo didiceris. Nec minus deprehenduntur ſectæ nunc natæ, eſſe Synagogæ Diaboli, & eccleſiæ adulterinæ, ſi conſideremus, quam fuerit ſemper conſtans doctrina Eccleſiæ Catholicæ, quæ ſemper idem credit, ſentit & loquitur, nempe labij vnius, cũ ſit alioqui tam immenſo locorum & ſæculorum interuallo diuiſa, nimirũ vnum corpus, vnus ſpiritus. Nunquam in Eccleſia vel vnum dogma retractatum eſt vel mutatum, nec definitum per vnum Concilium legitimum, eſt per quodcunque aliud improbatum, At hæreticæ & ſchiſmaticæ Eccleſiæ variæ ſunt, inconſtantes, inſtabiles, circumaguntur omni vento doctrinæ, nimirum ſuper arenam fundatæ, diſcordes, inuicem diſſentientes, inuicem pugnantes. Plus centum natæ ſunt ſectæ ex vnico cœnoſo & peſtilente fonte Luthero, quæ non minus ei nunc aduerſantur, quam Eccleſiæ Catholicæ. Et ipſe Lutherus, in materia Sacramentorum & præcipuis articulis noſtræ religionis ſibi aduerſatur, & retractat ac damnat dicta priora, ſemper in peius proficiens. Anne hæc ſunt maniſeſtiſsima argumenta Sathanici ſpiritus? Quis, niſi planè oculis captus, non videt, vt ſint inexcuſabiles, theſaurizãtes ſibijpſis iram in die iræ, & iuſti iudicij Dei? Vt enim certiſsimum eſt iudicium, Prophetas & Apoſtolos ab eodem veritatis authore Deo eſſe profectos, quod inter ſe ſummè conſentiant: ita ediuerſò ſignum euidentiſsimum eſt, à patre mendacij Diabolo excitatos hæreticos, quod ad vnum omnes inter ſe alij ab alijs, imò ipſi à ſeipſis diſſentiant, Quam contra Scriptores Eccleſiaſtici longè lateque per orbem diſperſi, atque etiam multis interlapſis annorum curriculis, vt

9. *Hæreſes noſtri temporũ iam olim ab Eccleſia Catholica damnatæ.*

10. *Diſcordia ſectas nuper natas, ex diabolo eſſe conuincit.*

Medio-

Mediolani Ambroſius, in Bethleem Hieronymus, in Aphrica Auguſtinus, alijque alias tam vndique ſibi conſtantia ſcripſerunt, vt omnibus eundem fuiſſe ſanctum illum verę pacis ac concordiæ ſpiritum vel aduerſario iudice euinci queat. Nunc verò audimus in eodem oppidulo, vno anno, octo decemue contrarias exoriri ſectas, non de leuibus rebus, ſed quę ſummi ſunt ac maximi momenti, in religione Christiana. Quæ omnia ad eum finem dicta ſunt, vt nemo vel minimũ moueatur vel dubitet, quin ſit vera, & Catholica Eccleſia, quæ per ſucceſsiones Epiſcoporum, in Cathedra Petri ad nos vſque continuata eſt: & ſynagogæ Sathanæ ac ſectę Diabolicæ, quotquot ſeſe nunc erigunt aduerſus eam, vel erexerunt vnquam.

ORATIO TERTIA REVEREND. D. Ruevvardi Tapperi, contra Philippum Melanchthonem in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ, de Iudice controuerſiarum in Eccleſia, quod ad Rom. Pontificem quæſtiones fidei ſemper relatæ fuerunt definiendæ.

1\. *Quòd primæ eccleſiæ Chriſti principia, ſiue fidei Chriſtianæ fundamenta ſectarij conantur euertere, vt nouam ſuam dæmoniorũ doctrinam ſtabiliant.*

NON ſolum dogmata religionis & fidei Chriſtianæ, quę ab Apoſtolorum temporib. ex eorũ traditione, in ſchola Eccleſiæ Catholicæ accepta ſunt & prædicata, noſtro ſæculo controuertuntur & damnantur: verum etiam eorum capita, à quibus quaſi principijs pendent & veluti cõcluſiones connectuntur, quorũdam nunc temeritate, potiſs. Philippi Melanchthonis, in Apologia, hoſtiliter impetuntur, quatiuntur, labefactãtur, vt falſa eſſe appareant, & funditus euertantur: quę tamen quaſi primas animorum fidelium conceptiones, firma & immobilia manere oporteret. Videt enim non poſſe ſubſiſtere, aut defendi Confeſsionis Auguſtanæ, cuius cum collegis impijs eſt author, concluſiones, ſi principijs, ad quæ neceſſariã habent conſequentiam, aduerſentur & repugnent. Verbum tamen Dei quo ſtabiliuntur, inuiolabile manet in æternum.

Tria religionis Chriſtianæ principia

Sunt autem hæc principia, authoritas ſacræ ſcripturæ, ſecundum intelligentiam Eccleſiæ Catholicæ & maiorũ traditiones: Catholica Chriſti Eccleſia, quæ per ſucceſsiones epiſcoporum in ſede Petri, ad Paulum Quartum modernum CHRISTI in terris Vicarium, Chriſto gubernante, peruenit, & ſedis Apoſtolicæ in his quæ dubia occurrunt circa ſcripturarũ ſenſus, & quęlibet fidei, religionis & morũ dogmata, iudicium & definitio. Ex his enim principijs omnem altitudinem ſe extollentem aduerſus ſcientiam Dei, hoc eſt, omnem falſitatem & perfidiam contra fidem catholicam ſe erigẽtem, quaſi firmiſsimis machinis arietibusque, maiores noſtri inſtructi, demoliti ſunt & penitus deſtruxerunt. Qui igitur ſolas ſcripturas tanquam verbum Dei agnoſcunt, & ſuſcipiunt, 2.

Verbum Dei non ſola eſt ſcriptura, ſed quicquid Deus Eccleſiæ per Apoſtolos eſt locutus.

& has ſecũdum ſenſum, quem ſibi vnuſquiſque præſumit, & non ſecundũ maiorum traditionem interpretantur: catholicam eccleſiam multo aduerſus hoſtes ſpoliãt prędidio, armiſq; robuſtis, imò eam inermem faciunt, & plurima auferunt de verbo, quod locutus eſt Dominus. Non enim minus eccleſiæ nocent Prophetæ, qui dicunt non eſſe locutum Dominum, quod tamẽ locutus eſt: quam qui vaticinantur eum eſſe locutum, quod locutus non eſt. Vtrique ſpiritum ſuum ſequuntur, vana loquuntur, vident mendacium & decipiũt populum Domini: de quibus apud Prophetã Dominus noſter conqueritur. Nõ mittebam Prophetas, & ipſi currebant: non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant. Et in Deut. Non addetis ad verbũ, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Idẽ enim & ęquale in vtroq; eſt periculum & verbi diuini iniuria. Multifariam namque, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis, nouiſsime diebus iſtis locutus eſt nobis in *Hebr. 1.* filio. Loquutus eſt autem viua prædicationis voce, nullam relinquens ſcripturam. Locutus eſt etiam in ſanctis Apoſtolis, & alijs *Galat. 1.* viris Apoſtolicis, in quibus nec loqui ceſſabit vſque ad ſeculi conſummationem. Sanctorum autem Apoſt. vnus eccleſiam admonet, nulla ſcripturarum, ſed ſolius prædicationis ſuæ facta mentione. Licet, inquit, aut angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euãgelizauimus, Anathema ſit. Et iterum dico, ſi quis vobis euãgelizauerit, prę ter id quòd accepiſtis, anathema ſit. Idem alio loco: Itaque fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, *2. Theſ. 2.* ſiue per epiſtolam noſtram. Sola enim maiorum traditione vacillante & controuerſa, adeo confuſa, incerta, & dubia fiũt in catholica religione omnia, vt nec ſcripturis ipſis ſua conſtare poſsit authoritas.

A ſola traditione Apoſtolica ſcripturæ & eccleſiæ doctrina dependent.

Ego (inquit clariſsimus doctor Auguſt.) Euangelio non crederem, niſi Eccleſiæ me compelleret authoritas. & ideo ad inquiſitiones Ianuarij *Auguſt. ad Ianuar.* ſcribit, Si, quid faciendũ ſit, diuinæ ſcripturę præſcribat authoritas, dubitandum non eſt, quin ita facere debeamus, vt legimus: nec iã quomodo faciendum, ſed quomodo ſacramentum intelligendum ſit, diſputemus. Similiter etiã, ſi quod tota per orbem frequentat Eccleſia, vt quod baptizãt infantes, quod orationem & ſacrificiũ offerunt pro defunctis, quod beatam virginem & apoſtolos inuocamus. Nam hoc quin ita faciendum ſit, diſputare inſolentiſsimæ inſaniæ eſt. Eſt enim Eccleſia, teſte Apoſtolo Paulo, columna *1. Tim. 3.* & firmamentum veritatis. Si autem naſcuntur quæſtiones (vt propter varia hominum ingenia & affectiones naſci oportet) de maiorum traditionibus, de ſcripturis & earum germano ſenſu, aut de vita & moribus fidelium, quid liceat, quid verò ſit peccatum, iudicium aliquod in Eccleſia eſſe oportet, ad quod referãtur, vt vno ſenſu, vna fide & cõcordi mente Deo noſtro & Chriſto eius ſeruiamus:

niamus: ne in Eccleſia Chriſti ſchiſmata ſint
D. Clemens & perpetuæ contentiones & pugnæ. Ex ſo-
la enim ſcriptura, ſuper quæſtionibus con-
trouerſis iudicium & ſententia expectari
non poteſt, cum de eius intellectu plerum-
que controuertatur & ſe trahi ſinat, vt di-
cit Sanctus Clemens, ad ſententiam plerū-
que repugnantem. Nec tamen reclamat, ſed
quaſi muta ſilet, & iniuriam ſuſtinet pati-
enter. Neceſſariū igitur eſt, iudicem eſſe qui
partibus auditis & examinata cauſa, ſenten-
tiam pronunciare poſsit, quæ doctrina ſan-
ctæ fidei conſonet, & quæ aduerſetur. Vtque
ſequamur ordinem, quem ſeruat Apologia
de hoc Iudicio Cathedræ Petri, primum di-
4. Refutatio apologiæ Confeſſ. Auguſt. de iudice controuerſiarum.
camus, an ſit aliquod in Eccleſia, vel domo
dei, & quis ſit, cui à Chriſto demandatur,
cuiuſque ſit officium ſententiam pronun-
ciare in quæſtionibus, quæ inter fideles in
familia Chriſti oriuntur. Iudicat enim A-
poſtolus Paulus indignum eſſe, quod non
1. Corin. 3. A minor.
ſit, qui inter fratres ſuper negotijs ſeculari-
bus ius dicat, & ideo frater cum fratre iu-
dicio contendit apud infideles. Abſurdiſsi
mum autem iudicaſſet in his, quæ religio-
nem & animarum ſalutem concernunt, ne-
minem in eccleſia eſſe, qui poteſtatem ha-
beat diſcernendi inter ſanctum & propha-
num, pollutum & mundum, legemque Dei
interpretandi. Eſt autem conſtans & conſen
tiens ab origine Chriſtianæ Religionis ſen-
tentia, quod hic iudex eſt Pontifex Roma-
nus, Chriſti in terris vicarius, & in Cathedra
Pontifex Romanus cōtrouerſiarum fidei legitim⁹ Iudex.
Petri ſucceſſor. Ait enim ante annos vnde-
cies centum Innocentius Papa, ſcribens ad
Patres Concilij Milleuitani: Diligenter &
congrue apoſtolici honoris arcam conſuli-
tis (honoris inquam illius, quem præter illa
quæ ſunt extrinſecus, ſolicitudo manet om-
nium Eccleſiarum ſuper anxijs rebus quæ
ſit tenenda ſententia) antiquę ſcilicet regu-
Semper conſtituerunt Rom. Pontificem Patres antiqui in quæſtionibus fidei Iudicem.
læ formam ſecuti, quam toto ſemper ab or-
be mecum noſtis eſſe ſeruatam. Verum hæc
miſſa facio, neque enim hoc veſtram credo
latere prudentiam, qui id etiam actione fir-
maſtis, ſcientes quod per omnes prouincias
de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa
ſemper emanant: præſertim quoties fidei ra
tio ventilatur, arbitror omnes fratres & co-
epiſcopos noſtros, non niſi ad Petrum, hoc
eſt, ad ſui nominis & honoris authoritatem
referre debere, veluti nunc veſtra retulit di-
Innocent. 1.
lectio. Ad eum enim Concilij acta miſerunt
approbanda, quos Sanctus Innocētius dicit
in hoc antiquæ regulæ formam eſſe ſecutos.
Innocent. 3.
Et Innocentius tertius maiores Eccleſiæ cau
ſas, præſertim articulos fidei contingentes,
ad Petri ſedem reformandas intelligit: qui
eum quærenti domino, quem diſcipuli di-
cerent ipſum eſſe, reſpondiſſe notauit: Tu
es Chriſtus filius Dei viui: & pro eo domi-
S. Bernhar.
num exoraſſe, ne deficiat fides eius. Item
beatus Bernardus, ſequutus concordem Ec-
cleſiæ catholicæ omnium maiorum ſuorum
doctrinam, in Epiſtola ad Innocentium Pō-
tificem: Oportet, inquit, ad veſtrum refer-
ri apoſtolatum quæque pericula & ſcan-
dala emergentia in regno Dei, ea præſer-
tim, quæ de fide contingunt. Dignum nam-
que arbitror ibi potiſsimum reſarciri dam-
na, vbi non poteſt ſentire fides defectum:
hæc quippe huius prærogatiua ſedis. Cui e-
nim alteri aliquando dictum: ego pro te ro-
gaui Petre, vt non deficiat fides tua? Ergo *Priuilegium Ro. Eccleſiæ*
quod ſequitur, à Petri ſucceſſore exigitur:
& tu aliquando conuerſus, confirma fratres
tuos. Non enim fallit Chriſti promiſsio, Tu
es Petrus, ſiue Saxum, & ſuper hanc petram
ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi
non præualebunt aduerſus eam. Secundum
enim hanc Domini promiſsionem, vt ait
Diuus Cyrillus, Eccleſia Petri Apoſtolica,
ob omni ſeductionis hæreticæ circumuen- *D. Cyrillus.*
tione manet immaculata, ſuper omnes præ-
poſitos, & Epiſcopos & primates Eccleſia-
rum, & populorū, in ſuis Pontificibus in fi-
de pleniſsima, & authoritate Petri cum a-
liæ Eccleſiæ quorundam errore ſint vere-
cundatæ, ſtabilita inquaſſabiliter ipſa ſola
regnat, ſilentium imponens & omnium ob-
turans ora hæreticorum. Et alio loco: Vt
membra maneamus in capite, in noſtro A-
poſtolico throno Romanorum Pontificum,
a quo noſtrum eſt quærere, quid credere, &
quid tenere debeamus, ipſum præ omnibus
venerantes. Quoniam eius ſolius eſt repre-
hendere, corrigere, ſtatuere, ſoluere, & li-
gare loco ipſius, quæ ædificauit & elegit, &
nulli alij, quod ſuum eſt plenum, ſed ipſi ſo-
li dedit. Et orthodoxus ille doctiſsimuſque
Hieronymus, in Oriente prope Antiochi-
am habitans, vltra tam vaſta terrarum, ma-
riumque ſpacia, apud vnam Petri Cathe-
dram, Eccleſiæ catholicæ ſenſum in quæſti-
onibus fidei, quas pertractabat, requiren-
dum cenſuit, in hæc verba ſcribens ad Da-
maſum Pontificem. Quoniam vetuſto Ori-
ens inter ſe populorum furore colliſus, in-
diſciſsam Domini tunicam & deſuper con-
textam minutatim diſcerpit, & Chriſti vi-
neam exterminant vulpes, vt inter lacus
contritos, qui aquam non habent, difficile,
vbi fons ſignatus & hortus ille concluſus,
hoc eſt, Eccleſia catholica ſit, poſsit intelli-
gi: ideo mihi cathedram Petri Apoſtolico
ore laudatam cenſui conſulendam, inde
nunc animæ meæ poſtulans cibum, vnde
olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi. Neque
vero vaſtitas tanti elementi liquentis, &
interiacens latitudo terrarum, me à preti-
oſæ margaritæ potuit inquiſitione prohibe-
re. vbicunque fuerit corpus, congregabun-
tur & aquilæ. profligato à ſobole mala pa-
trimonio, apud vos ſolos incorrupta Pa-
trum ſeruatur hæreditas. Nunc in Occidēte
ſol iuſtitiæ oritur: in Oriente autem Luci- *D. Hieronymus.*
fer ille, qui ceciderat, ſuper ſydera poſuit
thronum ſuum. Vos eſtis lux mundi, vos ſal
terræ, vaſa aurea & argentea: hic teſtacea
vaſa & lignea, virgam ferream, & æternum
operiuntur incendium. Quanquam au-
tem tui me terreat magnitudo, inuitat ta-

men humanitas. A Sacerdote victimam ſalutis, à paſtore præſidium ouis flagito. Faceſſat inuidia. Romani culminis recedat ambitio. Cum ſucceſſore Piſcatoris, & diſcipulo crucis loquor: ego nullum primũ, niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione cõſocior: ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus eſt. Si quis in arca Noe non fuerit, regnante diluuio peribit. Et quia non poſſum ſanctum domini, tot inter iacentibus ſpacijs, à ſanctimonia tua ſemper expetere: ideo hic collegas tuos Aegyptios confeſſores ſequor, & ſub onerarijs nauibus parua nauicula deliteſco. Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinũ.

Idem. Quicunque tecum non colligit, diſpergit, hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Ego interim clamito, Si quis cathedræ Petri iungitur, meus eſt. Item alibi, poſt expoſitũ à ſe Symbolum fidei, ad eundem, ait: Hæc eſt fides, Papa beatiſsime, quam in cathedra didicimus, quamque ſemper tenuimus. In qua ſi minus perite, aut parum caute forte aliquid poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri ſedem & fidem tenes. Si autem hæc noſtra confeſsio Apoſtolatus tui iudicio comprobatur: quicunque me culpare voluerit, ſe non ſolum imperitum vel maleuolum, ſed etiam non catholicum ſeu hæreticum comprobabit. Et aduerſus Ruffinum ſcribens, huius ſedis fidem etiam Angelis de cœlo præfert. Clariſsime hi Patres quos ſemper venerati ſunt omnes, quiſnam ſemper fuerit ac ſit Catholicæ atque orthodoxæ Eccleſiæ ſenſus & conſenſus, vt ad illam ſedẽ, tanquam ad orthodoxæ veritatis regulam ac magiſtram, ſuboriente aliquo hæretici flatus turbine, ſit confugiendum, in qua ſola ſeruatur, vt inquit Diuus Hieronymus, incorrupta Patrum hæreditas, viua illa Apoſtolica traditio: quam ab initio, ab ipſis Apoſtolorum principibus, accepit orthodoxa illa Catholicæ Eccleſiæ fides: quam etiam angelis de cœlo præferre non dubitat, vt neceſſe ſit omnem Eccleſiam conuenire, & omnes vbique fideles, à qua quiſquis diuiſus fuerit, quiſquis extra eam agnum comederit, prophanus eſt. Et

D. Ambro. beatus Ambroſius confitetur, ſe in omnibus ſequi magiſtram Romanam Eccleſiam.

D. Cypria. Glorioſus quoque Chriſti martyr & Eccleſiæ doctor Cyprianus, in Epiſtola ad Cornelium Pontificem Romanum, aperte pronunciare audet, quod non aliunde hæreſes ortæ ſũt, aut nata ſchiſmata, niſi inde, quod ſacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex Chriſti vice cogitatur. cui ſi, ſecundum magiſteria diuina, fraternitas obtemperaret vniuerſa, nemo aduerſum ſacerdotum collegium quicquam moueret, & nemo diſsidio vnitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet, nemo ſibi placens ac tumens ſeorſum nouam hæreſim conderet. Item in epiſtola ad Pomponium, Nec putent ſibi ſalutis conſtare rationẽ, ſi epiſcopis, & ſacerdotibus obtemperare noluerunt: cum in Deutero. dominus dicat, Et homo quicunque fuerit in ſuperbia, vt non exaudiat Sacerdotem, aut Iudicem, quicunque fuerit in diebus illis: morietur homo ille, & omnis populus, cum audierit, timebit: & non aget impie etiam nunc. Interfici Deus iuſsit ſacerdotibus ſuis non obtemperantes, Iudicibus à ſe ad tempus conſtitutis non obedientes. Et tunc gladio quidem carnali occidebãtur & manufacto, quando adhuc carnalis erat circũciſio. Sed poſtquam circumciſio ſpiritalis eſſe ad fideles ſeruos Dei cœpit: ſpirituali gladio ſuperbi & contumaces necãtur, dum de Eccleſia eijciuntur. Neque enim viuere foris poſſunt, cum domus Dei vna ſit, & nemini ſalus eſſe, niſi in Eccleſia, poſſit. Cum enim conſtet Beatum Petrum, eiuſque in cathedra ſucceſſores, à Chriſto toti familiæ & domui eius præpoſitos eſſe Paſtores & rectores: Poſuit, inquit Apoſtolus Paulus ad epiſcopos Epheſiorum vos Spiritus ſanctus regere Eccleſiam Dei quam acquiſiuit ſanguine ſuo: & eis peculiariter præ ceteris mandaſſe paſcere oues ſuas eiſque regni cælorũ claues tradidiſſe, vt quodcunque ligauerint ſuper terram, eſſet ligatum & in cœlis, & quodcunque ſoluerent ſuper terram, ſimiliter & in cœlis eſſet ſolutum: abſurdiſsimum eſt dubitare, an ad alium ſint referendæ quæſtiones, quæ inter domeſticos Dei cõtingunt, quam ad hũc toti familiæ præpoſitum. Explicans enim Beatus Ambroſius locum Apoſtoli Pauli ad Timo. hæc tibi ſcribo, inquit, vt ſcias quemadmodũ oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui: vt ſcias, inquit, quo modo Eccleſiam ordines, quæ eſt dom⁹ Dei: cuius hodie Rector eſt Damaſus. Et Beatus Bernhardus conſentiẽtem Eccleſię Catholicæ ſententiam docens, ſcribit ad Eugenium Romanum Pontificem. Cui enim non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum, ſic abſolute & indiſcrete totæ commiſſæ ſunt oues? Si me amas, paſce oues meas. Non ſolum illius, vel iſtius populus ciuitatis, regionis aut certi regni, ſed oues meas. Nihil excipitur, vbi nihil diſtinguitur. Alij Apoſtoli ſinguli ſingulas ſortiti ſunt plebes. Iacob⁹ vna contentus eſt Hieroſolymis: tibi cõmiſſa eſt ipſa vniuerſalis Eccleſia toto orbe diffuſa. Iuxta canones tuos alij in partem ſolicitudinis, tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus: tua extenditur & in illos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt. Nonne ſi cauſa extiterit, tu Epiſcopo cęlum claudere, tu ipſum ab epiſcopatu deponere, & Sathanæ tradere potes? Stat ergo inconcuſſum priuilegiũ tibi tam in datis clauibus, quã in ouibus cõmendatis. Propter quod B. Greg. Nazian. in oratione 15. alloquens Imperatorẽ & Principes. Num ſermonem ſuſcipitis liberũ? Lex Chriſti vos meæ poteſtati, meoque ſubiecit tribuna-

Act. 20.

Eccleſiæ Dei rector D. Ambroſio. Damaſus.

B. Bernhardus.

Nazianzenus.

tribunali. Imperamus enim & ipſi: & addo, imperio maiore, & perfectiore. Aut oportet potius, vt ſpiritus ſubſit carni, cœleſtiaque terreſtribus.

5.
Si imperator eſt Catholic⁹ filius eſt Ecclesiæ, non præpoſitus.

Suſcipe igitur vocem liberiorem. Scito te ouem eſſe gregis mei, Paſtoris magni agnum. Si enim Imperator Catholicus eſt, filius eſt Eccleſiæ (quod ſalua pace ipſius dicimus) non præſul Eccleſiæ. Et alius quidam ſanctus: Quod ad Religionem pertinet, diſcere ei competit, non docere. Habet priuilegia ſuæ poteſtatis, quæ adminiſtrandis legibus publicis diuinitus conſequutus eſt, & eius beneficijs non ingratus, contra diſpoſitionem cœleſtis ordinis nihil vſurpet. Ad ſacerdotes enim Deus voluit, quæ Eccleſiæ diſponenda ſunt, pertinere, non ad ſæculi poteſtates: quas, ſi fideles ſunt, Eccleſiæ ſuæ ſacerdotibus voluit eſſe ſubiectas. Non ſibi vendicent alienum ius & miniſterium quod alteri deputatum eſt. Imperatores Chriſtiani ſubdere debent executiones ſuas Eccleſiaſticis præſulibus, non præferre.

D. Ignatius.

Et hunc ordinem clariſsimus Martyr & Epiſcopus Ignatius, Apoſtolorum cōtemporaneus, ad quem Ioannes Apoſt. ſcripſit, agnoſcit, epiſtola ad Philadelphienſes.

D. Ambroſi⁹

Et beatus Ambroſius in oratione ad Auxentium: Quid honorificentius, quam quod Imperator dicatur filius eſſe Eccleſiæ? Imperator enim bonus intra Eccleſiam, non ſuper Eccleſiam eſt.

6.
Petro dicta, etiam Rom. Pontificibus dicta.

Quæcunque enim Petro ſunt dicta, & paſtorale ſpectant officium, ad eius referenda ſunt etiam in Cathedra ſucceſſores, ſecundum totius antiquitatis traditionem, quam explicant in litteris ſuis ſcriptores vniuerſi. Beatus Cyprianus, Hieronymus, Cyrillus & Bernardus, & Concilium Alexandrinum, cui interfuit beatus

Concilium Alexandrinum.
D. Athanaſius.

Athanaſius, ad Felicem Papam: Veſtræ Romanæ ſanctæ ſedi, ab ipſo Domino, poteſtas ligandi & ſoluendi ſpeciali eſt priuilegio ſuper alijs conceſſa. Ipſa enim firmamentum à Deo fixum & immobile percepit. Ipſa enim eſt ſacer vertex, in quo omnes vertuntur, ſuſtentantur, releuantur. Tu es enim, ſicut diuinum veraciter teſtatur eloquium, Petrus; & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ columnę, id eſt, Epiſcopi, qui

Epiſcopi ſunt Eccleſiæ columnæ.

Eccleſiam ſuſtinere & proprijs humeris portare debent, tibi ſunt confirmatæ, tibique claues regni cœlorum commiſit, atque ligare & ſoluere poteſtatiue, quæ in terra & in cœlis ſunt, promulgauit. Tu prophanarum hæreſum atque omnium infeſtantium depoſitor, vt princeps & Doctor caputque omnium, orthodoxæque doctrinæ & immaculatę fidei exiſtis, Vbi celeberrimum hoc Conciliū Fœlici Romano Pontifici tribuit, quæ ſanctum Chriſti Euangeliū ſcribit S. Petro.

Vt oues Chriſti perpetuæ ita et Paſtor.

Cum enim oues paſtore deſtitui non poſſunt, perpetuum eſſe oportet officium paſtorale: quod quidem in Beato Petro primum Chriſtus inſtituit perpetuo manſurum: ſicut oues, vſque ad ſeculi conſummationem, in pręſentis miſerię ouili vno ſunt manſuræ. Aſcendens enim Chriſtus in altū dedit Paſtores, in ædificationem corporis ſui, donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei in verum perfectum.

A. correlatiui.

Non enim decebat ſapientiam Patris & amorem, quo electos patris ſui eſt proſecutus, quod tantum Beato Petro viuente de paſtore ouibus prouideret: quin potius pro toto tempore, ad ſeculi conſummationem, quouſque oues transferantur in gloriam Patris, & ad paſcua perpetuo virentia. Prætereo Beatum Cyrillum in Theſauro, Hieronymum ad Damaſum Pontificem, Ambroſium in oratione ad Auxentium, Gregorium Nazianzenum in oratione ad Imperatorem & Principes eius, atque alios Patres Eccleſiaſticos, ne prolixior fiat oratio. Quos enim citauimus, conſentientem Eccleſiæ Catholicæ docent ſuper hoc articulo eſſe doctrinam: quam nunc hoſtiliter impugnat Apologia, & ſubuertere molitur. Abrogat enim, quod non ad Principes ſeculares, ſed ad ſolum Romanum Pontificem pertinet definire, quæ circa fidem & religionem controuertuntur. Super hoc itaque articulo, quem nunc vt diximus Apologia impugnat, nunquam apud Doctores Catholicos eſt diſceptatum, ſed tanquam certiſſimum religionis principiū, ſemper habitū eſt. Sicuti, quod ad Regem, & Iudices ab eo conſtitutos, referendę ſunt quæſtiones, quę inter ſubditos regni naſcuntur: & ſi in horum iudicio difficile & ambiguum aliquid eſſe contigerit, ſententia vltima à Rege expectatur: quam omnes ſequi oportet, vt nec ad dexteram, neque ad ſiniſtram ab ea declinetur: quamuis falli poſſet, & contra iuſtitiam partem grauare, eo quod nullam habet diuinæ aſsiſtentiæ promiſsionem. Ad hūc itaq; modum dubitari non poteſt, nec dubitatum eſt vnquam, quin cauſæ grauiores religionis & familiæ Chriſti, fidei videlicet & ſanctorum morum, referendæ ſint ad præpoſitum familiæ, & Iudices ab eo conſtitutos.

7.
Iudiciū Ro. Pontificis eſt infallibile ſecundum veteres Patres.
Nouam ſententiam Pariſien fere ſequuntur.

An autem & hic prępoſitus falli poſſit in ſua ſententia, quando cognoſcit circa fidem & mores fidelium, ſicut reges & Epiſcopi in ſuis Iudicibus, ab annis centum & quinquaginta cœptum eſt controuerti & diſputari in vtramque partem. Nam in his quæ facti ſunt, & aliorum requirunt teſtimonia, ipſi Pontifices in ſacris Canonibus confitentur ſe falli & fallere plerumque. in quo diſcrimen eſt inter iudicium cathedræ Petri & ſententiam ſcripturæ ſacræ. A tempore enim Concilij Conſtantienſis & Baſiliē. doctores quidam apud ſolum Concilium Oecumenicum docent eſſe infallibilis ſententiæ priuilegiū. Veteres verò ſcriptores, Petro totius familiæ Chriſti præpoſito & Romano Pontifici, ſupremó in terris poſt Petrum Chriſti vicario, vt qui ſolus claues domus acceperit, quodlibet ligandi ac ſoluendi, eiuſque cathedræ proprium eſſe hoc priuilegium infallibilis ſententię, cōcorditer ex ſcripturis tradūt. Nomina

tim enim de ſancto Petro atque in eo ſucceſſoribus eius verba Euangelij loquuntur, vt veriſimilius ſit eorum iudicio, quod niſi Concilio generali ipſum conueniat, nec ratione Petri, eiuſque cathedræ authoritate, & quaſi commiſsione. Quod & ipſa Concilia videntur agnouiſſe, etiam Nicenum & alia tria prima, quæ tanquam Euangelia ſemper venerata eſt Eccleſia catholica. Petiuerunt enim approbationem ſuarum conſtitutionum à Romano Pontifice, prout eorundem Conciliorum acta teſtantur. Romano autem Pontifici infallibile Iudicium conuenit, ratione officij & cathedræ, in qua ſedet, & hoc propter promiſsiones eidem à Chriſto factas in Euangelio. Nam ſecundum ſententiam Beati Hieronymi, & perpetuam Eccleſiæ obſeruationem, hæretici habendi ſunt, qui à ſola Petri cathedra damnantur. ex qua tamen pronunciare non debet, niſi adhibito pro qualitate negotij, conuenienti ſtudio & diligentia, ſacerdotalique iudicio eorum, qui in Apoſtolica cathedra, vna cum ipſo Domino miniſtrant, aut vicinorum etiam, & diſtantium epiſcoporum, ſi quando rei difficultas & perplexitas, aut publica vtilitas hoc ipſi præſidi videbitur exigere. ſicut & ab initio ad hanc vſque diem factum & perpetuo obſeruatum, vniuerſi teſtantur & comprobant ſcriptores Eccleſiaſtici. Non vero ſemper conuocatis ex toto orbe vndequaque ſacerdotibus & Epiſcopis. quandoquidem id raro fieri poſſet. Ait enim B. Auguſt. aduerſus Pelagia. An congregatione Synodi opus erat, vt damnaretur pernicies aperta, quaſi nulla hæreſis, niſi Synodi congregatione, ſit damnata? cum potius rariſsimæ inueniantur, propter quas damnādas neceſsitas talis extiterit, multoque ſint atque incomparabiliter plures, quæ vbi extiterunt, illinc improbari damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras deuitandæ innoteſcere potuerunt. Eſt igitur infallibile vicarij Chriſti in terris Romani Pontificis iudicium, in cauſa fidei & Religionis, quando ſyncerè veritatem requirit, & conſilium adhibet, pro qualitate rei, ſuper qua veritas requiritur. Si autem leuiter aut præcipitanter, vel non amore veritatis inueniendæ, ſed ex affectu potius, aut odio eum procedere contingeret in damnandis erroribus: falli & fallere poſſet: niſi in gratiam & ſalutem ſponſæ ſuæ, iudicij pronunciationem Chriſtus pronuuciaret. Supponunt enim Euangelicæ promiſsiones, cathedræ Petri factæ, diligentem veritatis inquiſitionem, nihilque omitti, quod humanitus fieri oportet, ne Deum tentare videatur. Non enim Romanum Pontificem impeccabilem in ſuis iudicijs faciūt prædictæ Chriſti promiſsiones. Si autem contingeret eum perperam procedere, an Deus eum volentem maledicere prohiberet, ſicut impediuit Balaam Prophetam, an potius retractari faceret eius iudicium, ſicut conſilium à Nathan Propheta datum Regi Dauid, certum non eſt. quamuis veriſimilius ſit, quod in gratiam Eccleſiæ ſuæ ſponſæ, ne vel ad tempus ſit in errore, non fineret ſententiam huiuſmodi pronunciari. Super iſto autem infallibilis veritatis priuilegio, quamuis iuxta Patrum & conciliorum ſententiam certum eſſe ipſum arbitremur, cum Apologia modo nulla eſt diſputatio, quamuis doceat, ipſum eſſe apud ſolas ſcripturas Canonicas et definitiones, quæ ſecundum eas fiunt: atque propterea non referre, à qua fiant perſona, Papa, Rege, laico quolibet, vel Concilio: & quamlibet ſententiam, à quocunque prolata fuerit, examinari permittat, an conformis ſit ſcripturis: & ſuum ſequitur iudicium & ſententiam. Sed nobis nunc eſt diſceptatio, an ſuper quæſtionibus natis inter fideles, requirendum ſit iudicium Epiſcoporum, aut Romani Pontificis, de quo diximus apud catholicos nunquam fuiſſe controuerſum, vtcunque ſe habeat quæſtio de iudicij infallibilitate. Abrogat enim Romano Pontifici & Epiſcopis, omnium controuerſiarum in cauſa fidei & Religionis cognitionem, & iudicium, eo quod ipſe Papa cum Epiſcopis, vt ait, ſint veræ pietatis & fidei hoſtes atque aduerſarij, vt qui pios & ſynceros Euāgelij doctores igne & aqua perſequuntur, propter quod nec membra quidem Eccleſiæ eſſe poſſunt. Cuilibet tamen priuato priuatum, magiſtratui autem & principibus publicum cauſę fidei & Religionis tribuit iudicium & cognitionē: ad quos etiam pertinere docet, diſcernere de reſtituendis recta fide ac vero cultu Dei apud populum ſubiectum, ipſaq; reſtituere, & tollere abuſum & impietatē. Vocat enim impietatem, quod oramus pro mortuis, quod Sanctos inuocamus, quod ſacrificium pro viuis & mortuis offerimns, quod vota caſtitatis & religionis ſeruanda doceamus. Item ſeptem eſſe Sacramenta, quod ſacerdotes poteſtatem habent corpus & ſanguinem Chriſti ex pane & vino confectare, & mille huiuſmodi: & doctores & Principes pios, qui hæc damnat, & tanquam impia & blaſphema in mortem Chriſti. A qua pietate, quę reuera impietas eſt, ſeruet nos gratia & miſericordia Chriſti Domini. Stupenda certe & diabolica eſt audacia & maledicentia Apologiæ, quod B. Auguſtinum, B. Chryſoſtomum, Bernardum & totam eccleſiam catholicam audet arguere impietatis, & quos eccleſia damnauit ſemper tanquam hæreticos & impios, commendat à pietate. Certiſsimum hoc eſt hæretici argumētum, quod Dominus in mēte autoris huius Apologiæ miſcuit ſpiritum erroris & vertiginis, deditq; ei oculos, vt non videat vſq; in hodiernum diem. De huiuſmodi autem magiſtris ait B. Bernardus: Videte detractores, videte canes, irrident nos quod oramus pro mortuis, quod ſanctorum ſuffragia imploram⁹. Porro mortuos viuentium fraudantes auxilijs, viuentes ſanctorū, qui deceſſerūt, ſuffragijs

4. Concilia generalia petunt ſua acta probari à Ro. Pontifice.

8. Quanam adhibenda Ro. Pontifici media, vt iudicium ſit infallibile.

9. Status controuerſiæ Catholicis cum Apologia.

Apologiæ audax impietas Orthodoxos PP. dānare impietatis.

gijs ſpoliantes. Quos autem hic vir ſanctus hæreticos pronunciat, Apologiam non pudet vocare doctores pios, & Romanum Pontificem ſanæ fidei hoſtem: eo quod ipſe eos & hæreticos habeat, iudicet, & perſequatur, quales eos habuerunt Patres, B. Auguſtinus, B. Chryſoſtomus & omnium ſcriptorum eccleſiaſticorum vniuerſitas. De hac igitur veriſsima ſcripturarum & concordi Patrum doctrina, quod cauſæ fidei & religionis difficiles ad Romani Pontificis referendæ ſint iudicium, audet ſcribere, non ſolum quod impia eſt, ſed & ſeditioſa aduerſus ſanctam

10\. *Apologiæ cōtumelia in Eccleſiaſt. quod ſerui ſunt rebelles et ſeditioſi.*

Eccleſiam Catholicam, & principes veræ pietatis ſtudioſos, quaſi præcipua Eccleſiæ Catholicæ membra, quibus tolli arbitratur, per hanc doctrinam, officium & dignitatem quam à Chriſto acceperunt, iudicandi ſcilicet de fidei & Religionis quæſtionibus. Papam autem & epiſcopos, hanc facultatem à Chriſto ſibi conceſſam agnoſcentes, & in ea domino miniſtrantes, pronunciat ſeruos rebelles, & ſeditioſos, qui magna inſolentia aduerſus dominam ſuam Eccleſiam catholicam inſurgunt, quam ſibi ſerui totam ſubijciunt. Vere ipſe rebellis & ſeditioſus aduerſus præpoſitum, quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam. Audiamus, precor, ineptiſsima huius ſuæ perfidiæ & maledicentiæ verba. Ex ea enim intellegimus, quam ſint inepta & infirma, quæ ſequuntur. Ait enim, Si quis conferat inter ſe Eccleſiam filij Dei & prælatos Eccleſiæ, an non Eccleſia domina eſt, prælati autem miniſtri & ſerui Eccleſiæ? Paulus de ſe & alijs Apoſtolis ait: Quis eſt Paulus, quis Apollo, niſi miniſtri, per quos crediſtis, & vt cuiq; dominus dedit? Ac rurſus, Omnia veſtra ſunt ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, vos autē Chriſti: Chriſtus autem Dei. Et iterum, Non prædicamus nos ipſos, ſed Chriſtum dominum Ieſum: nos autem ſeruos veſtros, propter Ieſum. Et ſi Apoſtoli habent certum & publicum teſtimonium Spiritus ſancti de

Apologiæ Lutheranicæ verba.

cœlo, quod doctrina eorum ſit cœleſte oraculum, cui etiam angeli cedere debeant: tamen Paulus ſubijcit eos Eccleſiæ, & facit Eccleſiam Dominam, Apoſtolos autem ſeruos eius. Quod officium Paulus ipſe & collega eius Petrus tam probe agnouerunt, vt hic grauiter cohortetur ſuos ſympresbyteros, ne dominationem aduerſus cleros, hoc eſt, hæreditatem domini quæ eſt Eccleſia, exerceāt: ille autem ingenue fateatur, quod cum ab omnibus liber eſſet, fecerit ſeipſum ſeruum omnium, vt plures lucrifaceret. Quod ſi Spiritus ſanctus palam pronunciat, Apoſtolos non eſſe dominos, ſed ſeruos veræ Eccleſię: quāto magis intelligit proximos eorum ſucceſſores eſſe Eccleſiæ ſeruos? Qui vero paulo ante noſtram memoriam, vel hiſce temporibus Eccleſiam adminiſtrare videntur, & conſecuti etiam ſunt partim principum pietate, partim eorum cōniuentia, aut ſocordia, partim ſuo ipſorum aſtu & impoſtura potentiam mundanam: nec honeſtate vitæ nec puritate doctrinæ cum maioribus quorum ſe ſucceſſores gloriantur, conferri poſſunt: ſed potius peſsimis quibusdā exemplis oſtendunt, & Apoſt. doctrinam crudeliter perſequuntur. Hos autem Prælatos quis in ſummo Eccleſiæ gradu ita collocabit, vt ſeculares Principes repellant, ſi ſuſceperint vel confitendam veram ſuam fidem, vel refutandam aliorum impietatem, quod eſt pij cuiuſuis officium? Alij quidē honeſtius de principibus ſentiūt, adimunt eis in cognitione doctrinę de religione vocem, vt ipſi loquuntur, deciſiuam ſeu definitiuā: ſed relinquunt vocē conſultiuam. Intolerabile autem eſt, quod à ſummo gradu ita deijciantur, vt manum ſuam extendere non poſsint caſuræ, & iam ruenti eccleſiæ. Itaq; cum ſolis prælatis poteſtas iudicandi & diſcernēdi de doctrina religionis vendicatur, & penes eos ſit mādandi authoritas, penes alios aūt obediendi neceſsitas: quid obſecro eſt ſeruorū aduerſus dominos & miniſtrorū aduerſus eccleſiā ſeditio, ſi hęc nō eſt? Paulus agnoſcit ſe & collegas ſuos ſeruos Eccleſiæ, cui⁹ principes veræ pietatis ſtudioſi præcipua pars ſunt: & illa mācipia tāto inferiora Apoſtolis, quanto diſtat terra à cælo, nō verentur ſe ſupra pios principes, hoc eſt, præcipuā eccleſię partem ita efferre, vt exiſtiment eos indignos, quibuſcū de religiōis doctrina colloquātur. Quare oſtendemus, inquiunt, diuina clementia adiuti, quod nō ad Prælatos illos tātum, imo ne quidem vlla ex parte ad ipſos, quippe qui iam nō ſint Eccleſiæ membra, ſed præcipue ad pios principes, & ad eos, qui tā ex miniſtrorū eccleſiæ numero, quā ex reliquo hominum, qui doctrinam Chriſti agnoſcunt, cœtu in conſilium adhibentur, pertineat de doctrina religionis cognoſcere & iudicare: idque non iuxta arbitrium humanæ prudētiæ, ſed iuxta oracula ſpiritus ſancti, quæ in libris ſacræ ſcripturæ canonicis continentur.

Quinam Iudices quæſtionum fidei, ſecundum Apologiæ adulationem.

Vere oſtenditur hic hominis huius cæcitas, quam verum ſit, quod fides eſt donum Dei, quod impertitur quibus vult, & quod dicit ipſe dominus, Confiteor tibi pater domine cœli & terræ, quia abſcōdiſti hęc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita Pater quoniam ſic fuit placitū ante te. Et alio loco: Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum: illis autem non eſt datum. Qui enim habet, dabitur ei, & qui nō habet, & quod habet, auferetur ab eo.

11\. *Quā craſſa Philip. Melanchthonis cæcitas.*

Reuera me pudet huius viri ſane docti, & in ſcripturis exercitati, quod vſq; adeo hallucinetur & cęcutiat, manifeſte Scripturā corrūpat, & in ſenſum peruerſum cōtorqueat. Verum eſſe teſtatur, ꝙ dicit Iob, quod deus apprehēdit ſapiētes in aſtutia eorum, conſilium prauorum diſsipat. Per diem conuertentur in tenebras, & quaſi in nocte ſic palpabunt in meridie. Nec ob aliam cauſam niſi quod fidei regulam ſemel reliquit illamque hoſtiliter euertere molitur. Vere donum Dei eſt fides, quod impartitur quibus vult. Deinde quod prætēdit, vere eſt hæc hominis cęcitas,

Quis enim Imperatorum vel Regum Chriſtianorum vnquam ſibi vendicauit cognitionem in quæſtionibus perplexis & difficilibus fidei, & ſanctæ religionis? Contenti fuerunt clauibus regni ſui terreni. Nemo tam impius, qui cæleſtis regni claues ſibi vnquã vſurpauerit. Quod Theodoſius Imperator Iunior & Martianus ſuis liquido demonſtrant exemplis. Vere miniſtri Corinthiorum fidelium erant Apoſtoli: ſunt & Epiſcopi, & Epiſcoporũ ſummus Romanus Pontifex, omnium miniſter & ſeruus. Sed ex hoc non conſequitur, fideles eſſe Apoſtolorum dominos & prælatos: quin potius hos eſſe fidelium & Eccleſiæ rectores, & Eccleſiam ſubditam fuiſſe, quaſi ouiculas ſuis paſtoribus. Nam Chriſtus Apoſtolorm & circumciſionis dicit ſe miniſtrum, & ſimul eorum dominnm. Vos, inquit, vocatis me magiſter & domine: et bene dicitis. Sum etenim. Idem tamen alibi dicit, Ego in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat. Non enim venit filius hominis miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam in redemptionem pro multis. Qualis autem ipſe Apoſtolorum erat miniſter & ſeruus, tales Eccleſiæ ſeruos volebat eſſe Apoſtolos, quando eodem loco pronunciat: Scitis, quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: ſed qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus. Eodẽ quoque ſenſu, Eccleſiæ & fidelium ſeruos ſe & collegas ſuos vocat & confitetur Apoſtolus Paulus. Eius namq; & loco & authoritate, ad id ipſum paſcendi officium ab ipſo miſsi fuerunt & vocati. Sicut miſit me, inquit, Pater, & ego mitto vos. Chriſtus autem quamuis Dominus & Gubernator eſſet Eccleſiæ & Apoſtolorum: non tamen eis quaſi ſeruis & ancillæ dominabatur, quorum ornatum & ſalutem quærebat, ſe nihil, nec quod ſuum eſſet. Etenim Chriſtus, inquit Apoſtolus, non ſibi placuit: ſed ſicut ſcriptum eſt, Improperia improperantiũ ceciderũt ſuper me. Lauit enim nos in ſanguine ſuo à peccatis noſtris, & fecit nos regnum & ſacerdotes Deo. Ex hoc itaque, quod Epiſcopi ſunt ſerui Eccleſię, non oportet Eccleſiam eſſe poteſtate & prælatione dominam, quæ imperare poſſet: quin potius hæc ſeruitus & miniſterium in poteſtate regendi & imperandi conſiſtit. Attendite, inquit Apoſtolus Paulus Presbyteris Epheſiorum, vobis & vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Imperãt enim, vt dicit beatus Auguſtinus, qui conſulunt, vir vxori ſicut parentes filijs, & domini ſeruis. Obediunt autem, quibus conſulitur, ſicut mulieres maritis, filij parentibus, ſerui dominis. Sed in domo iuſti viuentis ex fide, & adhuc ab illa cœleſti ciuitate peregrinantis etiam qui imperant ſeruiunt eis, quibus videntur imperare. Neq; enim dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi: nec principandi ſuperbia, ſed prouidendi miſericordia.

Quo ſenſu Epiſcopi vere ſint Eccleſiæ miniſtri: ſed tamen patresfamilias Chriſti, et ouium paſtores.

Act. 20.

Conſiſtit itaque hoc miniſterium ſeruitij Epiſcoporum in gubernatione fidelium, ad eorum vtilitatem & ſalutem: ſicut ſeruus eſt propter dominum, & bonum eius. Nam Ariſtoteles inter Regem & Tyrannum diſtinguit, quod hic ſuam gloriam, ſuam vtilitatẽ quærat, & præeſt quaſi dominus ſeruis: Rex vero in ſua adminiſtratione ſpectat populi ſalutem & pacem. Prior dominatus non poteſt eſſe in Eccleſia, ne in principibus quidem huius ſæculi, quem propterea vniuerſis, non ſolum eccleſiaſticis prohibuit, & poſt eum Apoſtoli, ne ſcilicet dominationem aduerſus Clerum, hoc eſt, Eccleſiam exerceant. Paternam vero & paſtoralem curam & dominationem, quæ eſt in populi ſubiecti ſalutem eis mandauit. Ethnicorum namque eſſe dicit, principatum dirigere, vt dominentur, vt imperent quaſi ſeruis, vt poteſtatem exerceant: Regum autem, & prælatorum maxime Eccleſiaſticorum, dominari & imperare & poteſtatem exercere, vt conſulant ſubditis, & eorum bonum promoueant, cum periculo etiam vitæ & ſalutis ſuæ. Nam bonus paſtor, exemplo Chriſti, animam ſuam ponere debet pro ouibus ſuis. Et ideo beatus Chryſoſtomus valde dehortatur à ſuſcipienda præpoſitura eccleſiaſtica, ſicuti & beatus Bernhardus, alijque Patres orthodoxi huius ſarcinæ pondus ſuo pro merito ęſtimantes. Quando igitur Epiſcopi in ſua gubernatione & dominatione non ſe ſpectant, non ſuum commodum, non gloriam, non honorem, vel quietem ſuam, ſed ſolam ouium ſalutem & bonum: ſeruiunt quidem eis, quibus dominantur, & eorundem ſunt miniſtri & ſerui in eo, quod mandant ea, quæ ad ouium ſalutem conducunt: & vetant & arcent ab his, quæ ſunt noxia. Ethnicum enim dicit, dominationem ſuam dirigere, vt dominetur, vt imperet et poteſtatẽ exerceat. Chriſtianum autem & eccleſiaſticum, dominari quidem, imperare & poteſtatem exercere, vt ſubditis cõſulant, & eorum ſalutem cum vitæ etiã periculo promoueãt. Nã bonus Paſtor, exemplis Chriſti Domini ſui animã ſuã ponit pro ouibus ſuis. Grandis eſt ſarcina paſtoralis cura & grauis, etiã humeris formidabilis. Quis ſapiens (inquit Chryſoſtomus) vult vltro ſe ſubmittere ſeruituti & periculo tali, vt det rationem pro omni eccleſia: niſi forte qui non timet Dei iudicium? abutens primatu ſuo Eccleſiaſtico ſeculariter, ita vt commutet ipſum in ſecularem? Alio igitur ſenſu Chriſtus, Apoſtoli & vniuerſi Eccleſiarum præpoſiti miniſtri ſunt, quam Dei miniſtri: & ſerui miniſtri ſunt dominorũ ſuorum, quorũ mandatis obedire debent. Eccleſia aũt fidelium & fideles, tanquã ouiculæ audire debent vocẽ ſui Paſtoris & ſequi: qui præcipiendo & mandando eis ſeruiat, earumq; ſalutẽ in omni ſuo regimine, tanq̃ ſcopũ ſpectando, ſicut ſeruus Domino ſuo

Alia officia Regis & Tyranni.

Quæ dominatio Chriſtiani vetita, et quæ mandata.

Audiant ambitioſi qui curam animarum cupiunt

ſuo viuit & laborat. Quo ſenſu interp̃tatur Oecum. verba Apoſtoli Pauli: Omnia veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors. Nam qui dona propter illos acceperunt (vnicuique enim datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem) mors ad veſtrã facta eſt caſtigationem. Omnia veſtra ſunt tanquam beneficia & dona. Sicut igitur ex ſententia Apoſtoli, nõ ſequitur, quòd Corinthij domini erant mundi, vitæ & mortis: Ità, nec quod Apoſtolorũ erãt domini. omnia, inquit, veſtra ſunt, quia veſtræ deſeruiunt ſaluti & fidei: non quod eorum ſitis domini. Et alio loco: Prædicam' nos ſeruos veſtros per Ieſum, qui hoc nobis iniunxit, vt veſtram procuremus ſalutem. Omnia (addit apoſtolus) propter vos, vt per multos in gratiarum actionem abundet gloria Dei. Omnia ſuſtineo propter electos, vt & ipſi ſalutem conſequãtur, quæ eſt in Chriſto Ieſu cum gloria cæleſti.

Seruitus Epiſcoporum eſt in diligẽti ſui officij exercitio ſitum.

ORATIO QVARTA REVEREND. Ruevvardi Tappari, Quod fides eſt donum Dei: quæ Germaniis minari videtur deſertionem.

Habita eſt anno 1535.

IN eam nunc temporum malignitatem venimus, vt quæ ſcripturæ euidenter & clariſsime pronũciant, & confirmata ſunt antiquitatis omniumq; ſæculorum et totius eccleſię decretis: quibuſdam tamen moroſis perſuaderi nõ poſsint: magis autem ex ſcripturarum claritate, velut ſplẽdidiſsimi ſolis intuitu, excæcantur & obtunduntur. Incredibile fortaſſe, quod dico, videri poteſt: ſed hi donum Dei eſſe fidem, atque in ea perſeuerantiam, non agnoſcunt. Hoc dono quos ſua pietate non dignatur Dominus, nec verba ſcripturarum intelligunt, nec noſtræ redẽptionis ac ſalutis in ſanguine propitiationis noſtræ, & aduocati myſteria penetrare poſſunt. Quin potius omnium Prophetarum viſiones & ſermones Apoſtolorum, eis ſunt quaſi verba libri ſignati, quem tamen ſibi ſolis magna arrogantia iactant, & alijs vniuerſis maiorem eius intelligentiæ partem abrogant. Videtur miſcere eis dominus ſpiritum compunctionis, & altiſsimi ſoporis, vt tenebras ponant in lucem, & lucem in tenebras. Et dedit oculos, vt videntes nõ videant, & aures, vt audientes non audiant. Impleturq; vaticinium Eſaiæ Prophetæ, Sicut ſomniat eſuriens & comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima eius. Et ſicut ſomniat ſitiens & bibit, & priuſquã fuerit expergefact', laſſus adhuc ſitit, & anima eius vacua eſt. Sic erit multitudo omniũ gentium, quæ dimicauerunt contra mõtem Sion. Menſa eorum fit coram ipſis in laqueũ & captionem, in ſcandalum & retributionẽ ipſis. Obſcurentur, inquit propheta, oculi eorum & dorſum eorum ſemper incurua. Et quemadmodum Apoſtol. Paulus myſteriorum conſcius audacter pronunciat, quod cæcitas ex parte cõtingit in Iſrael, donec, imò vt plenitudo gentium intraret. Ita fortaſsis miſſus eſt modo ſpiritus vertiginis, ſpiritus erroris, in quaſdam gentium prouincias, vt aliæ, quibus de Chriſto nondum eſt annunciatum, videant Chriſtum Domini, & intelligant qui non audierunt. De eo vaticinatus eſt apoſtolus Paulus, quod mittet Deus operationem erroris & magiſtros mendaces, vt credant mendacio hi, qui claritatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent, ſed prurientes auribus, pro ſuis deſiderijs coaceruant ſibi magiſtros. Repleuit Apoſtolus Paulus vniuerſas nationes, à Hieruſalem vſque Illyricum per circuitum, euangelio Chriſti. Nunc à Chriſto eiuſque Euangelio defecerũt, Magno Turcarum Imperatori Mahometano ſubiectæ, & præter eas, nobilis Græcia, olim eruditiſsima & ſanctiſsima. Illinc pulſum euangelium, alio & ad noſtras prouincias migrauit. Ea nunc religionis Chriſtianę in his prouincijs Germaniæ vtriuſque eſt facies, quod niſi fugientem quaſi vi quadam retineamus, niſi ſaluti noſtræ & publicæ aliter, quam huc vſque factum eſt, proſpexerimus, periculum eſt, ne expulſa nos deſerens, in exteras nationes & barbaras ſe conferat & commigret. Stupenda ſunt Dei iudicia, quæ attigit Apoſt. Paulus in epiſtola, quam ſcripſit ad Romanos, nam comparãs Iudæos Ethnicis, per Apoſtolorum prædicationem credituris, Sicut, inquit, vos aliquando non credidiſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſequuti eſtis, propter incredulitatem illorũ: ita & iſti Iudæi nõ crediderunt in veſtram miſericordiam. Concluſit enim Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur. Quorum iudiciorum rationem & abditiſsima myſteria non penetrans tantus Apoſtolus, qui raptus in tertium cælum, audierat quæ non licet homini loqui, cogitur exclamare: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit! Hunc morem & conſuetudinem iudiciorũ Dei in plurimis locis ſcripturæ commemorant, vt per temporũ opportunitates & neceſsitudines, ſalutem non ſolum ſingulorum, ſed & communitatum operẽtur. Nam Actuum 16. de Paulo, Sila, & Luca commemorant, quod vetati ſunt à ſpiritu ſancto, loqui verbum Dei in Aſia. Et tentantes ire in Bithyniam, non permiſit ſpiritus ſanctus Ieſu. Deſcendẽtibus autem in Troadem, oſtẽſa eſt Paulo viſio per noctem. Nam vir quidam Macedo viſus eſt ſtare, & deprecari tranſiens in Macedoniam: Adiuua nos. Vt autem viſum vidit Paulus, ſtatim, inquit Lucas, quæſiuimus proficiſci in Macedoniã, certi quod vocaſſet nos Deus euangelizare eis. Nouimus quoſdam in primis annis omni ſedulitate Dei præceptis & voluntati ſe accõmodare & promptiſsimè obſequi: tan-

2. Cur quibuſdam prouincijs erroris ſpiritus nunc miſſus eſſe videatur.

3. Quantopere cauẽdum, ne fides, quod metuendum eſt, Germania deſerta, alio migret.

dem verò ꝓgreſſos ſeneſcere, & deſerto domino in ſuis deſiderijs putreſcere, ac viuere vſque ad aduentum & vocationem Domini. Alios vero vocari hora nouiſsima, & ætate quaſi decrepita. Itaque vigere poſt vocationem & negotium, & laborare, vt etiam anteuertant eos, qui multo tempore in labore vineæ præceſſerant, & in finem vſque vitæ, in mandatorum Dei obſeruatione perſeuerare. Non ſecus, ſeneſcente mundo, annunciabitur alicubi euangelium Dei, vbi auidiſſimè & cum magna deuotione ſuſcipietur, alijs alio loco à fide diſcedētibus. Vobis, inquit quibuſdam Apoſtolus Paulus, oportebat primum loqui verbū Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ: ecce conuertimur ad gentes. Vt ſic veriſsimum comperiatur, quod dicit clariſsimus doctor Auguſtinus, in lib. 83. quæſt. quod vocatio Dei ſiue in ſingulis hominib. ſiue in populis atque ipſo genere humano, non ſemper, ſed per temporum opportunitates operatur. Hinc manāt in ſcripturis fulmina illa diuinæ comminationis: Erudire Ieruſalem, ne forte recedat anima mea à te, ne forte ponam te in terrā deſertam, terram inhabitabilem. Et alio loco: Terra ſæpè venientem ſuper ſe bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem ſpinas & tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima, cuius conſummatio in cōbuſtione. Et apud Lucam Parabola de ficulnea, quam quidam habebat plantatam in vinea ſua, in qua dum fructum quærēs nullum inueniret, ait ad cultorem vineæ, vt eam ſuccideret. Ex quo iam anni tres trāſiſſent, quibus quærens fructum nullum inueniſſet, Vt quid, inquit, terram occupat? Sunt iam anni XX. quod cœperunt controuerti ab hominibus factioſis dogmata noſtræ fidei ac religionis, a temporibus Apoſtolorum per manus recepta, & claris ſcripturis tradita. Et quicquid peſtilentium dogmatum ſæculis prioribus natum eſt, & mox ſuppreſſum, vel ſua abſurditate, vel Apoſtolicæ ſedis iudicio, & cenſura: nunc ab inferis reuocatur. Tam ferax eſt noſtrum hoc ſæculum à paucis annis

4. *Recentium hæreticorum cum priſcis collatio.* errorum & hæreſeon, & nihil tam ſacrum, quod non prophanetur. Et ferendum fortaſsis eſſet, ſi vel vnum vel alterum dogma, vt priſci facere ſolent hæretici, attingerent: ſicuti Sabellius patris & filij & ſpiritus ſancti perſonas confundebat, eundem docēs eſſe Patrem filium & ſpiritum ſanctum. Alio autem reſpectu & ratione, Arrius docebat Patre eſſe filium minorem, eumq; Patri ſubiectum, tradens Patrem fuiſſe, quādo non erat filius. Neſtorius negans incarnationem filij Dei, docebat filium Virginis Mariæ Ieſum non eſſe filium Dei, niſi per adoptionis gratiam. Et alij alia quædam dogmata & hæc pauca ſibi deligebant, in quibus ſingulariter ſapere & docere gloriabantur: & fere erant in argumento à captu populi alieno, nec mores hominum per ſe ſpectabant.

Nunc quaſi ruptis cataractis Inferni, & ſoluto Sathana, vt ſeducat gentes, quę ſunt ſuper quatuor angulos terrę, iuxta vaticinium Ioannis in ſacra ſua Apocalypſi, contaminantur omnia & corrumpuntur, & potiſsimum illa, quæ ſunt noſtræ imbecillitati relicta, tanquam vaſa & fontes gratiarum, quibus propitiator noſter Samaritanus medeatur vulneribus animarum ſanctarum: ſacroſancta dico ſeptem Eccleſiæ ſacramenta, quæ nunquam vllus hæreticorum, vt ſic violaret, ac contaminaret, auſus eſt tentare. Et vtinam vel ſoli perirent: ſed ob ſpeciem pietatis ſequuntur populi multi, vt verè liceat cum Hieremia exclamare: Stupor & mirabilia facta ſunt in terra. Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus ſuis, & populus meus dilexit talia. An non certum periculum, quod deſeremur à Chriſto, quaſi phrenetici emplaſtra noſtræ imbecillitatis contemnentes? Nam ex ſeptem ſacramētis quatuor reijciunt, videlicet ſacramētum Confirmationis, extremæ vnctionis, Ordinis & Matrimonij. & potius credunt, eſſe humanæ adinuētionis vel diaboli figmenta, quam Chriſti ſacramenta. Baptiſmum vero, ſacram Euchariſtiam, & ſecundam tabulam poſt naufragium Pœnitentiam, ita tractant, ſuoq; ſenſu corrumpunt, deformāt, & alterāt, vt ipſa nō agnoſcat Eccleſia Chriſti nec Chriſt⁹ ipſe. 5. *Quas ob cauſas metuendum ſit, ne Chriſti fides Germaniam deſerat.* Ita ea ſuo ſenſu & affectu proſtituūt. Et vt paucis idipſum ob oculos ponamus, audite, precor, quid doceāt de Baptiſmo paruulorum. Certiſsimè, inquiunt, nitēdum eſt hoc fundamento, neminem per alienā fidem, ſed propriam duntaxat fidem & iuſtitiam ſaluari: Neminem item ob alienam, ſed propriam incredulitatem atq; peccata damnari. Hoc clarè Dominus ipſe Marci vltimo teſtatus fuit: Quicunque crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus eſt. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Et ad Romanos primo: Iuſtus ex fide ſua viuet: & Ioan. 3. Qui non credit in eum, iam iudicatus eſt. Hæc omnia, inquit ille author & caput omnis ſeditionis & errorum, clarā adeo ſunt, vt à nemine poſsit dubitari, neceſſarium eſſe, vnumquemlibet propriā habere fidē. Sed hic iam quæritur, quid fiet de infantibus, cum vt vſu rationis nondum valent, ita per ſe nequeant credere: quādoquidem ſcriptum eſt, fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Iam infantes neq; audiunt neque intelligunt verbum Dei. Ideoque propriam fidem habere nequeunt? Ad hanc quæſtionem ſophiſtæ in Academijs & factio Papæ huiuſmodi reſponſionem excogitarunt: Infantes baptizari aliena Eccleſiæ fide, quam patrini apud baptiſmum cōfitentur: deinde vi baptiſmi remitti infantibus peccata, & infundi gratiam atque fidem propriam: ac ita renaſci eos ex aqua & ſpiritu S. ſalutemque conſequi. Et videns hanc eſſe à temporibus Apoſtolorum totius Eccleſiæ, omniumque ſanctorum & conciliorum doctrinam ab ipſis Apoſtolis traditam, vt teſtatur B.

tur B. Auguſtinus libr. 4. de baptiſmo contrà Donatiſtas, poſt doctiſsimum Pauli diſcipulum Dionyſium Areopagitam, quantulum haberet momenti, vt eo fides noſtra in rebus ad ſalutem pertinentibus niteretur: Ipſi & Patres, inquit, homines ſunt: quis fideiubebit pro eis, vt non ipſi ſimiliter nos quoque fallant? Quaſi verò ſuam ſententiam Patres in his pronunciarint, & non potius tradiderint, quod acceperat per manus Eccleſia Catholica ab Apoſtolis & viris Apoſtolicis. Quam docet Paulus Apoſtolus eſſe columnam & firmamentum veritatis. Et Saluator, Qui eccleſiam non audierit, ſiue docentem, ſiue mandātem; ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Et tandem, hic error, ait, quod infantibus citra fidem propriā ſola Baptiſmi virtute gratia datur & remiſsio peccatorū, peſtilentiſsimus eſt: à quo ſumma diligentia caueas, ſi etiam vniuerſi Patres atq; adeo omnia Concilia, quæ ab initio fuerunt, expreſſiſsimè id adſererent. Nam ex diametro pugnat cum expreſsiſsimis ſententijs ſcripturæ, in quibus Chriſtus ipſe teſtatus eſt, Quicunque crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui nō crediderit, condemnabitur. Et concludit: Baptiſmus nulli prodeſt, neq; conferendus eſt, niſi credat propria fide, ſine qua nemo baptizandus eſt. Si itaque nō poſſemus ad propoſitam quæſtionem reſpondere aliter & ſolidius, atque probare, quod pueri propriam quoque fidem poſsint habere: eſſet planè meum conſilium & ſententia, quam primum abſtinere à baptizandis pueris, ne diuinam Maieſtatem vano iſto nugamento ac plano ludibrio irrideamus & blaſphememus. Affirmamus ergo infantes, qui baptizantur, propriam habere fidem, non quidē habitualem, quæ ſit ocioſa, vt inquit, & dormitans qualitas animæ: ſed quæ actualiter credit, agnoſcendo beneficium redemptoris & propitiationē eius, & quo remiſſa ſunt omnis mundi peccata: quam remiſsionem magna fide & deuotione ꝓ ſe acceptat. Quam fidem in eis operatur Deus ad precem & apportationem compatrum & commatrum, qui in fide Eccleſiæ Chriſti pro infantibus orant, & ipſos ad baptiſmum adferunt. Et quia hominis inſani, cuius læſum eſt cerebrum, videtur eſſe, quod credat infantem recenter natum agnoſcere actu myſterium redemptionis noſtræ, & fiduciam ſuam in eo ponere: præoccupat hanc obiectionem & addit. Quid, precor, ratio eiuſq; vſus confert ad hoc, vt credas & audias verbum Dei? Nam illa eſt, quæ fidei & Dei verbo maximopere reſiſtit atque repugnat, adeo vt nemo poſsit verbum Dei vere percipere, & fidei fieri compos, niſi ratione excæcata & confuſa, ſtultus antea fiat, tamq; à ratione alienus, quàm ſunt infantes, iuxta illud Matth. cap. 18. Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quoties hæc Chriſtus inculcat, oportere nos pueros & infantes fieri, rationem condemnans? Quinimò, eo quod rationis nullū adhuc vſum habebāt, & ſtulti erant, hoc ad fidem aptiores erant, quam adulti & ratione valentes. Hæc Deus ſolus operatur, ratio vt ſtipes eſt etiam in adultis, in credendo. Hęc eſt noua iſta Theologia cælitus delapſa, cui volūt locum dare vniuerſa Concilia & doctores & viros Apoſtolicos, quos ab exordio naſcentis Eccleſiæ habuimus. Et paucis interpoſitis: quia principium doctrinæ eius eſt, ꝙ fides qua actu creditur, ſit iuſtitia hominis Chriſtiani, à qua formaliter eſt iuſtus. Nā habitus ponere, Sophiſtarum eſt, cuius iudicio ponit hominem dormientem & alijs negocijs diſtentum, non actualiter credere, quanquam nec fidem nec rationem ſentiat. Sunt enim, inquit, opera Dei, cum & vbi vult, ſecreta, cū & vbi vult, manifeſta. Anne inſipientia eorum debeat haberi manifeſta? Teſtatur ſcriptura, quod paruuli diſtātiam boni & mali ignorant, & Ionæ 4. Neſciunt quid ſit inter dexteram & ſiniſtram ſuam.

Lutherus anabaptiſmi prima iacit fundamēta.

In has anguſtias & abſurditates ſeſe immergunt, quod ſententiam communem & recepta dogmata faſtidiunt, in omnibus noua inſtituentes in occulto Dei iudicio, ne vllam in Dei iudicio habeant excuſationem, ne ſimplices quidē & rudes. Qui enim tam impia tamque abſurda docentem ſequūtur, habent quidem in alijs dogmatibus quamplurimis magiſtros vnius & alterius congregationis, quos imitantur: ſed in hac inſania quidem legi neminem. Et quid precor eum mouet? quia dicit Saluator, Qui non crediderit, condemnabitur. Paruuli baptizati ſaluantur: ergo credunt. Sed ſi circumſtantias verborum ſaluatoris penetraſſet, facilè fuiſſet cognoſcere, quod pertineat ad ſolos adultos, vt declaratur in Capitul. Maiores, de baptiſmo, & eius effectu. Nam dicitur de eiſdem, ad quos mittebantur Apoſtoli, vt prædicarent Euangelium. Euntes, inquit, in vniuerſum mundum, prædicate Euāgelium omni creaturæ. Qui crediderit: & alia quæ ſequuntur. Quid aliud igitur conſequēs eſt, qui ad veſtram prædicationem crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò contempta vel neglecta prædicatione manſerit incredulus, aut nolit credere, condemnabitur. Nihil igitur pertinet hic textus pro Baptiſmo paruulorum, niſi per quandam conſequentiam: multo minus contra ipſum, vel quod debeāt actu credere, vt ſalui fiant, per baptiſmum. Ex ſcripturis alijs conuincit ſanctiſsimus Martyr Cyprianus, in epiſtola 8. libr. 3. Paruulos recens natos baptizandos. Et Auguſtinus refert ad conſuetudinem Eccleſiæ, acceptari traditionem Apoſtolorum. Hac ſententia hominis ſceleratiſsimi moti ſunt primum rebaptizatores Neoterici, volentes ſine ſcripturis, & contra omnem rationem dici, paruulos agnoſcere ſibi remiſſa peccata, propter Chriſtum in cruce paſſum. Nec tamen ſine fide propria aliquem poſſe ſaluari tumultuati ſunt, ſicuti cū perpetuo harum prouinciarum dedecore & infamia,

7. Pueros propriam habere fidē, abſq; argumentis docent hæretici.

& mul-

& multarum animarum interitu, plus ſatis ſumus experti. De baptiſmo adultorum, & præcipuè de pœnitentia ac iuſtificatione impij, non minus aliena eſt ſententia eius: qua etiã gloriari poteſt, quod eam peperit, imò & concepit primus partum peſtilentiſ-

Catholica de paruulorum baptiſmo doctrina.

8. ſimum. Componamus, precor, vlterius doctrinam Eccleſiæ Catholicæ, quam incõuulſibiliter tenet ſemper de his tribus ſacramẽtis, cum doctrina hac noua, quæ magna ex parte cum Martino Luthero nata eſt, & eum primum habet authorem & nunc faſcinat ac corrumpit hoc ſeculo credulo ſenſus multorum. Eccleſia docet, quod paruuli baptizantur in fide Eccleſiæ, in remiſſionem peccati originalis, quanquam eodem baptiſmo adoptantur in filios Dei, & cohæredes Chriſti, nullo requiſito aſſenſu volũtatis eorum, nec vſu quocunque rationis: ſequuta inſtitutionem Pauli Apoſtoli, in epiſt. ad Epheſios dicentis: Chriſtus dilexit Eccleſiam ſuã & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans illam lauacro aquæ, in verbo vitæ. Et ad Titum: Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abũde per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum. Et tantum abeſt, vt infantes aſſentiantur baptiſmo, quod plerumque magnis fletibus reluctantur, vt teſtatur experientia. quam tamen ignorationem & rebellionem cõtemnimus in ætate illa, dicit Venerabilis Doctor Auguſtinus, vt ſacramenta, quæ illis prodeſſe nouimus, in eis etiam reluctantibus compleamus. Quam ſententiam Eccleſiæ eruditè explicat venerabilis & mellifluus Doctor Bernardus: Quod alius, inquit, inquinarat, alius lauit: ſed inquinatos à nobis lauari opus eſt, & à nobis aliena lauat aqua, quos culpa inquinarat aliena. Nec tamen ſic alienam dixerim, vt negem noſtram: alioqui nec inquinaret. ſcilicet aliena eſt, quia in Adam omnes neſcientes peccamus: noſtra eſt, quia & ſi in alio, nos tamen peccauimus, & nobis iuſto Dei iudicio imputabatur, ſed occulto. Veruntamen vt iam non ſit, quod cauſeris, ô Homo, contra obedientiam Adæ, datur tibi obedientia Chriſti. Si neſciens in Adam perijſti, & præter volũtatis aſſenſum: neſciens viuificeris in Chriſto. Neſciſti, quando ad lignum vetitum vetus Adam tetendit manus: neſciſti nihilominus, quando in ligno ſalutifero innoxias manus extendit Chriſtus. Hæc eſt confeſſio Eccleſiæ Catholicæ, quam à ſuis incunabulis ab Apoſtolis edocta, tenuit inuiolabiliter, vſq; in diem præſentem, nec ab ea diſcedet vnquam. Audiamus iam ſermonem & doctrinam, quam toto orbe ſparſit homo peccati, homo ſceleſtiſſimus, omnium malorũ noſtri ſeculi author & origo.

Lutheri de paruulorum baptiſmo hæreſis.

Hic error, quod infantibus, citra fidem propriam, ſola baptiſmi virtute gratia conferatur & remiſſio peccatorum, peſtilentiſſimus eſt, à quo, inquit, ſumma diligentia caueas, etiam ſi vniuerſi Patres, atque adeo omnia Concilia, quæ ab initio fuerunt, expreſſiſſimè ad aſſererent. Nam ex diametro pugnat cũ expreſſiſſimis ſcripturæ ſententijs, in quibus ipſe Chriſtus teſtatus eſt, Quicunque crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui non crediderit, condemnabitur: & iuſtus ex fide ſua viuet. Quid ergo, inquit ipſe, fiet de Infantibus, cum vt vſu rationis nondum valent, ita per ſe nequeunt credere. quando quidem ſcriptum eſt, Fides ex auditu, & auditus per verbum Dei. Iam Infantes neque audiunt, neque intelligunt verbum Dei: ideoque propriam fidem habere nequeunt. Ad quam, inquit ipſe, Sophiſtæ, & factio papæ huiuſmodi reſponſionem excogitarunt: Infantes baptizari fide aliena, nempe Eccleſiæ, quam patrini apud baptiſmum confitentur. Deinde, vi baptiſmi eis peccata remitti & gratiam infundi, atque fidem propriam: & ita renaſci ex aqua & ſpiritu ſancto, ſalutemque conſequi.

Quoſnam Lutherus Sophiſtas appellet.

Sed quos hic vocat Sophiſtas? certè Auguſtinum, qui fere eiſdem verbis ſententiam eandem tradit, lib. primo de peccatorum meritis & remiſſione. & epiſtola 23. quæ eſt ad Bonifacium, & ſanctiſſimus martyr Cyprianus epiſtola ad Iuba. Hieroymus, Chryſoſtomus, & quotquot vnquam fuerunt doctores Catholici in Eccleſia, imò & ipſi Apoſtoli. Verè terque quaterque beata eſt factio (ſi ita loqui liceat) Papæ, quæ vallatur tanta nube teſtium, vbi ſententia Martini ne vnum quidem, nec hæreticorum, habuit adſtipulatorem. Mater Eccleſia, inquit Venerabilis Doctor Auguſtinus, os maternum paruulis præbet, vt ſacris myſterijs imbuantur. Non poſſunt corde proprio credere ad iuſtitiam, nec ore proprio confiteri ad ſalutem. Natiuitas ergo ſpiritualis, quodammodo ſimilis eſt natiuitati carnali. In matrum vteris pueri conſtituti, non per ſemetipſos nutrimentum accipiunt, ſed ex matris nutrimento ſuſtentantur. Ita nondum habentes vſum rationis, quaſi in vtero matris Eccleſiæ, ſalutem ſuſcipiunt per actum Eccleſiæ. Si enim vnius delicto, ait Apoſtolus Paulus, multi mortui ſunt, qui non conſenſerunt in Adæ peccatum: multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti, in plures abundauit, quanquam ignorantes & reluctantes, paruulos, quos mater Eccleſia ſponſo ſuo Chriſto genuit per vterum ſuum. O mulier, inquit Dominus, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis. & ſanata eſt filia eius ex illa hora. Sic, inquit, Sophiſtæ & factio Papæ, hoc eſt, ipſi Apoſtoli, & quotcunque vnquam fuerunt Doctores Eccleſiaſtici. Audiamus quid eis videatur ad quæſtionem propoſitam.

Lutheri reſponſio ad Eccleſiæ Catholicæ doctrinam.

Si itaq; non poſſemus ad quæſtionem propoſitam, inquit, aliter reſpõdere & ſolidius, atque probare, quod pueri propriam quoque fidem poſſent habere: eſſet planè meum conſilium & ſententia, quamprimum abſtinere à baptizandis paruulis, ne diuinam maieſtatem vano iſto nugamento & planè ludibrio

dibrio

dibrio irrideamus, atque blaſphememus. Affirmamus ergo, inquit hominum impudentiſsimus, infantes, qui baptizantur, propriam habere fidem, quam in eis operatur Deus, ad precem & apportationem compatrum & commatrum, qui in fide Eccleſiæ pro infantibus orant, & ipſos ad baptiſmum afferunt. Fidem, inquit, propriam habent, nō quidem habitualem, quæ ſit ocioſa in natura qualitas, ſed qua actualiter infantes agnoſcunt beneficium redemptionis ſuæ, & magna deuotione & fiducia acceptant, credēdo ſibi eſſe peccata in gratiam Chriſti remiſſa. Hæc affirmat: ſed quibus ſcripturis & ratione, quibus patribus ea confirmat? Non eſt æquum, vt contra tot ſæculis receptam ſententiam eum ſequamur, niſi apertiſsimam & expreſsiſsimam afferat ſcripturam, & miraculis ſtabiliat: maximè, cum idem quod dicit, per ſeſe ſit abſurdiſsimum: videlicet, quod paruulus recens natus, iam agnoſcat & credat noſtrę redemptionis myſteria, & ea ad ſe deflectat, & arripiat proprio actu intellectus & voluntatis. Hic callidiſsimus ſerpens aduertens incredibile fore quod docet, ſine vllis ſcripturis & ratione, contra omnium experientiam, addit. Quid, inquit, ratio ad hoc confert, vt credas & audias verbum Dei? Num illa eſt, quæ fidei atque Dei verbo maximopere reſiſtit & impugnat, adeo vt nemo poſsit verbum Dei verè percipere atque fidei fieri compos, niſi ratione excæcata & confuſa ſtultus antea fiat, tamque à ratione alienus, quam ſunt infantes, iuxta illud Matthæi decimi octaui. Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quoties hæc Chriſtus inculcat, oportere nos pueros & infantes fieri, rationem condemnans? Quinimò, eo quod rationis nullum adhuc vſum habent infantes, hoc ad fidem aptiores ſunt, quam adulti & ratione valentes. Hic in credendo ſcilicet Deus ſolus operatur, ratio vt ſtipes eſt etiam in adultis.

Confutatio reſponſionis Lutheri.

Quis vel ſenſu communi vtens, non iudicabit homini helleboro opus eſſe, & ex moto cerebro manare hæc omnia? & tamen homo inſanus peſtilentiſsimos nominare audet quotquot aliter ſentiunt, id eſt, Eccleſiam, Apoſtolos, doctores, & quotquot vnquam fuerunt viri Apoſtolici. Nec vllam adfert ad hæc vel ſcripturam vel rationem, niſi illud ex verbo Saluatoris, Qui non crediderit, condemnabitur. Sub quo ſubſumit: paruuli baptiſmo fiunt ſalui: Ergo credunt. Sed oporteret expendere verborum ſaluatoris circumſtantias, & intellexiſſet, ad ſolos adultos pertinere, ad quos mittebantur Apoſtoli docendos: Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. & ſequitur: qui crediderit ad veſtram prædicationem, & obtemperando baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò contempta vel neglecta prædicatione non crediderit, & incredulus manſerit: condemnabitur. Nihil igitur commune habet hęc ſcriptura cum paruulis. ſcimus, inquit Apoſtolus, quoniā quæcunq; lex loquitur, his qui in lege ſunt, loquitur. Paruuli autem non ſunt legis & præcepti capaces. Et iuſtus ex fide viuit. Sed experientia nouimus, aliud eſſe vitam, aliud operationem vitæ: quæ tamen ſingula veniunt vitæ nomine. Non exercet operationem vitæ Chriſtianæ, qui non actu credit. Nec conſors eſt naturæ & vitæ diuinæ, ad quam regeneramur in baptiſmo, ſine prima animæ diſpoſitione, qua ornat templum ſuū Spiritus Chriſti animam inhabitaturus. Hęc autem eſt Fides, Spes, & Charitas. Sed qualis eſt vita, talia ſunt dona hæc. Viuit infans vita rationali: ſed ſecundū eam non operatur. Ita & de vita ſpiritus in eo. Nam Charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, per ſpiritum ſanctum, quando datur nobis. Tam munificus hoſpes ditat pauperculam animam, eam ingrediens, ſuis chariſmatibus.

9. *Anabaptiſtæ, Lutheri ſoboles.*

Ante hanc Martini prædicationem, de baptiſmo paruulorum nihil auditum eſt de Anabaptiſtis noſtro ſæculo. Sed hac doctrina inſtituti, quod non prodeſt baptiſmus ſine fide actuali, quam nouerant non ſine magna abſurditate poni in infantibus, erexerunt vexillum & mouerunt tumultus, quos plus ſatis à paucis annis audiuimus. Et in vniuerſum de baptiſmo docet, quod in eo omne peccatum remittitur, ſed nullū penitus tollitur, imò manet, quale prius erat: nec animam minus deformem aut turpem facit: ſed credenti ſibi remiſſa eſſe peccata propter Chriſtum, non imputatur ad damnationem: remoratur tamen ab ingreſſu cæli animam à corpore migrantem. Nam cum nemo, inquit, poſsit cum peccato cælum intrare, ſicuti ſecundæ Petri tertio promittit Chriſtus, cælos nouos & terram nouam expectamus, in quibus iuſtitia habitat. Putat ſatis proba conſcientia dici, animam ſolo fomite impediri ab ingreſſu.

10. *Peccatum verè tolli baptiſmo.*

Doctrina autem Eccleſiaſtica eſt, quod baptiſmus eſt regenerans & renouans, non ſolùm peccata remittens vniuerſa, vt non imputentur ad damnationem, ſed vt ne maneat quidem vllum peccatum. Nam lauit nos in ſanguine ſuo ab omnibus inquinamentis noſtris. Effundam, inquit Dominus per Ezechielem Prophetam, ſuper vos aquam mundam, & mundabimini, ab omnibus inquinamentis veſtris mundabo vos, & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum. Non propter vos ego faciam, ſed propter nomen ſanctum meum. Et vas electionis Paulus Apoſtolus docet, quod Chriſtus ſedet ad dexteram maieſtatis, in excelſis purgationem peccatorum faciens. Et Ioannes Baptiſta teſtabatur, quod agnus Dei non ſolùm remittit peccatum mundi non imputando, ſed ecce, inquit, agnus Dei, qui tollit peccata mundi, vt nullum ſit.

Apud doctrinam hæreticam æquè abominabiles, ſpurcæ ac deformes in conſcientijs ſuis manent baptizati, hoc ſolo ſalui & ab impijs diſcreti, quod peccatum ſuum agnoſcunt, confitentur atque oppugnant, & credunt ſe patri eſſe conciliatos per mortem filij, qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Mirandum valdè, quod tam ſordidam velit inhabitare cōſcientiam, qui effugit omnem fictum, iuxta ſapientis ſententiam, & aufert ſe à cogitationibus, quę ſunt ſine intellectu. Et idem de ſapientia Dei mediatore noſtro teſtatur, quód non intrabit in maleuolam animam, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Et cum nemo Catholicorum vnquam in quæſtionem vllam vertit, quin paruuli poſt baptiſmum morientes recipiantur ſtatim in ſinum Abrahæ, & ſanctorum angelorum in cælis conſortium: hic ſine ſcriptura, ſine vlla ratione, audet affirmare, ex ſolo ſuppoſito hæretico, quod in baptiſmo non tollitur peccatum, ſed manet, tamen nō imputatū ad damnationē, quod ſolus fomes remoratur paruulos ab ingreſſu cæli, quouſq; totus fuerit purgatus. Præterea alia abſurdiſsima, quæ de Baptiſmo docet, quod ſcilicet non eſt aliud, quam ſignum rememoratiuum bonæ voluntatis Dei de ſalute noſtra & in hoc inſtitutum, vt nos excitaret ad credendum, Patrem nobis placatum eſſe & propicium, propter filium ſuum, & de eodem nos aſſecuraret ac certificaret: & hic eſt proprius & optimus effectus baptiſmi, Teſtari ſcilicet de bona voluntate ac fauore Dei erga nos, propter Chriſtum filium ſuum. Et eundem ponit effectum ſacræ Euchariſtiæ & pœnitentiæ. Ex quo concludunt, quod non eſt diſcrimen inter baptiſmum Ioannis & Chriſti, niſi quod vnum futurum teſtatur, hoc alterum ſignificat eſſe factum. Et ſi ex Chriſti paſsione in pariete depicta, moueatur ad fidendū de bona voluntate Dei, quod in gratiam Chriſti non imputat nobis peccata, vel ex Lectura Euangelij: non minus conſequimur fructus, quam ſi baptiſmum ſuſcipiamus, iuncta etiam cœna dominica & pœnitentia. Et quæ poſsit eſse omnis huius impietatis origo? Semel apud ſe conſtituerat omnia tribuere fidei, non quidem Catholicæ, quam definit Apoſtolus eſſe ſubſtātiam rerum ſperandarum, argumentum non apparētium, qua intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei, & qua Noe metuens aptat arcā in ſalutē domus ſuæ, ex qua ſtatim prius dixerat iuſtū viuere: ſed, vt ipſemet fatetur, eſt ſpecialis, vſq; nunc ignorata ab Apoſtolis & Prophetis, qua ipſi firmiſsimè & certiſsimè credunt, ſe in gratiam patris recipi, & peccata ſua remitti propter Chriſtū, qui ſua morte pro noſtris peccatis ſatisfecit. Hanc fidem Deus, inquiunt, pro iuſtitia imputat coram ipſo, imò ipſa ſola eſt hominis iuſtitia. Nullum ſacramentorum ad iuſtitiam conducit, niſi in quantum excitat eum, vt hanc fidem conſequatur. Inſtitutum eſt miniſterium docendi euangelium, & porrigendi ſacramenta. Crede, inquit, tibi remiſſa eſſe peccata, ſine vlla hæſitatione, ſi potes credere, qualiſcunque fueris, ſiue mundus, ſiue ſordibus peccatorum maneas contaminatus & abominabilis: fortiter crede, & remiſſa ſunt omnia.

Hæreticorū recentium conſcientia qualis.

Abſurda Lutheri de Baptiſmo & Euchariſtia doctrina.

Inter Ioannis & Chriſti baptiſmū quid differentiæ ponāt hæretici.

II. *Fictitia Lutheri fides, omniū eius errorum origo.*

ORATIO QVINTA REVEREND. D. Ruevvardi Tapperi, De veris pertinaciæ hæreticorum cauſis. Ideoq́, non eſſe cum hæreticis diſputandum, neque amplius colloquia publica cum eis inſtituenda, vti ſub Carolo V. A. infœliciter in Germania ceſſit: ſed formula concordiæ ineundæ ſequenda, quam Theodoſius A. præſcripſit.

TANTA eſt voluntatis, noſtræque affectionis virtus & efficacia circa intellectus iudicium, vt quidam non incelebres doctores probabiliter doceant, quod ex eius imperio diſſentire poſsimus propoſitioni euidenti, & aſſentiri contrariæ, quod & album, quod coram videmus, non album ſit, ſed nigrum: ſed & primo principio & terminis & per ſe notis, reuera & ex animo diſſentire queamus & negare. Quemadmodum enim in vires inferiores, & pcipuè motiuas, ac corporis membra, ipſumq; corpus totum plenum & efficax habet imperium volūtas: quod & non ſequi nequeant vſque ad ſui etiam interitum. Ita cum principali ratione immutare & vertere pro ſuo placito poteſt rationis iudicium. Illius exempla plurima affert libr. 3. cap. 2. & 3. exemplorum memorabilium Valerius Maximus, & inter alios, quos ab animi commendat fortitudine, meminit Mucij Sceuolę, qui apud Porſenam regē pertæſus, quod dexteræ ſuæ miniſterio in cæde regis vti nequiſſet, eam foculo iniectā igne exuri eſt paſſus. Sed & homo ſe ipſum totum in ignem immobilem voluntatis ſuæ potenti imperio, ad plenam vſque incinerationem, continere poteſt, vt exempla alia, quæ idem author aſſerit, clarè teſtantur, & his annis Bruxellæ multa milia coram contemplata ſunt in hæretico quodam exuſto. Intellectus autem iudicium mutari ex voluntatis diſpoſitione, & trahi & ſequi affectionem, docet Ariſtoteles in Rhetoricis de auditoribus afficiendis. Non eadem, inquit, iudicibus videntur, cum diligunt, & cum odiunt, nec iratis & quietis: ſed vel omnia diuerſa, vel maiora. Nam reus aut nullam, aut paruam feciſſe iniuriā amanti videtur: contra verò ei qui oderit. Et in principio libri Rhetoricorum tradit, in ciuitate benè inſtituta omnia legibus oportere conſtitui, & quam minima iudicibus eſſe relinquenda: quod plerunque contingat, eos partibus litigantibus non ſimiliter eſſe affectos: quodque in iudicio nihil præter rem, de qua diſceptatur, proponi permittatur: ne oratione Rhetorica, in iram, inuidiam, in miſericordiam

I. Hæreticorū pertinaciæ cauſa prima, peruerſa voluntas.

Ariſtoteles.

diam impellendo, à certo iudicio deflectat: ne ſimiles ei ſimus, qui eam, qua vſurus eſt, regulà prius inflectit, qua vtatur. Sic enim, vt, cum iudices ament & odiant, ſua quoque vtilitas connexa ſit, non ſatis queant veritatem perſpicere, ſed propria vel voluptas, vel dolor iudicia obumbret. Et hac etiam cauſa, nemo ob immodicum ſui amorem, integer eſt iudex cauſæ propriæ. Teſtantur id ſacræ ſcripturæ, quæ in Exodo & Deuteronomio mandant iudicibus, ne munera accipiant, quæ excæcant oculos prudentium, & mutant atque ſubuertunt verba iuſtorum. Et Propheta de quibuſdam dicit, quod excæcat oculos malitia. Perſpecta itaque hac cauſa & pertinaciæ radice, quod videlicet potentiſsimum eſt voluntatis imperium in cæteras vires animæ, atque in rationis iudicium, quodque iudicia noſtra ferè noſtris reſpondent affectibus: ceſſat admiratio ſuper inflexibili circa ſua dogmata hæreticorum pertinacia, quæ cauſam naturæ ſequitur, rationem & ordinem viriũ à Deo inſtitutum ſubuertens voluntatis imperio. Nũc autem & alia multa & occulta Dei iudicia accedunt, ſecundum quæ eos deſerit, & vt ſcriptura Apoſtolica docet, in ſenſum tradit reprobum, & mittit operationem erroris, vt credant mendacio, qui noluerunt credere veritati. Et alio loco ſcripturæ: Non audiuit populus meus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi. Et ideo dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, & ibunt in adinuentionibus ſuis. Et Moyſes Propheta Domini in Deuteronom. cap. 28. Si nolueris audire vocem Domini Dei tui, percutiet te cæcitate ac amentia & furore mentis, vt palpes in meridie, ſicut cæcus ſolet palpare in tenebris, & non diriges vias tuas. Et precatur Propheta Eſaias: Excæca oculos populi huius, & aures eius aggraua & oculos eius claude, ne fortè videat oculis, & auribus audiat, & corde intelligat, & conuertatur ac ſanetur. Quæ igitur reſipiſcendi ſpes de huiuſmodi homine haberi poteſt, cuius affect⁹ malitia eſt obfirmatus, in ſenſum reprobum datus, & à Deo aduerſarij poteſtati relictus? De quo beatus Ioannes Chryſoſtomus: Sicut nauis fracto gubernaculo ducitur, quo impellit tempeſtas: ita homo diuinæ gratiæ deſtitutus auxilio, agit non quod vult ipſe, ſed quod Diabolus. Et beatus Auguſtinus in Pſalmo 77. dicit, quod in malos Diabolus poteſt, vt in ſuo pecore & mancipio. Et ideò Apoſtolus Paulus hæreticos ſubuerſos eſſe dicit, fundamento & conuerſionis initio ſublato, & proprio condemnatos iudicio. Et de eis, qui CHRISTVM audierant docentem, atque miracula & ſigna viderant, ſcribit Ioannes Euangeliſta & Apoſtolus, quod non poterant credere, quod Deus excæcauerat oculos eorum & indurauerat cor eorum. Et Apoſtolus Paulus in epiſtola poſteriori ad Timotheum: Quemadmodum Iamnes & Mambres reſtiterunt Moyſi: ita & hi reſiſtunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem: ſed vltra non proficient. Inſipientia enim eorum manifeſta erit in omnibus, ſicut & illorum fuit. Et idem Apoſtolus alio loco: Deus huius ſeculi excæcat mentes infidelium, vt non infulgeat illuminatio Euangelij, & obtuſi ſunt ſenſus eorum. Similiter & Moyſes, eo quod velamen poſitum eſt ſuper cor eorum, Nec exiſtimandum eſt, propter dogmatum abſurditatem, quod non eadem quæ docent ſentiant, nec quod vere & ex animo credant: quando potius apud ſe ſciant eſſe falſa. Nam ſcriptura clarè docet, quod errant & in errorem mittunt, qui mente ſunt corrupti, inſipientes & cæci, palpantes in meridie. Ex animo itaque mentiſque ſententia credunt vera eſſe, quæ docent, tametſi abſurdiſsima. Sicuti febricitans iudicat dulce eſſe amarum, & contra, ex palati affectione: ita ex voluntatis corruptione iudicatur eſſe malum, quod bonum eſt, & verum, quod falſum eſt. Diuturnam tamen pugnam & contentionem plerumque habent aduerſus ſemetipſos & veritatem, priuſquam ad eius diſſenſum perduci poſſint. Teſtatur palam de ſe Martinus Lutherus, quod luctatus eſt multo tempore contra conſcientiam ſuam reclamantem, quum habitum monachalem abiecturus erat, & vxorem poſt vota profeſſionis monaſticæ ducturus, & eam monialem, quæ eadem tenebatur profeſsione: nec conſcientiam & ſynderiſim reclamare, niſi tandem poſt multi temporis conſuetudinem, deſijſſe. Et hæc ſcribens gratias agit Deo de victoria, quam conceſsit in hac pugna & conflictione cum ſua conſcientia, quę iam tunc quieta erat & ſine vlla remurmuratione, quod monachus poſt profeſsionem ſolemnem, vxorem duxiſſet monachalem. Et in epiſtola quadã ad fratres Argentinenſ. ſcribit ſe impenſe deſideraſſe, quod Carolſtadius ſibi potuiſſet perſuadere, quod in ſacra Euchariſtia præter panem & vinum eſſet nihil, quodque ille magno beneficio ipſum deuinxiſſet, cũ probè perſpiciebat (inquit) hac re Papatui cum primis me valde incommodare poſſe. Verum ego captum me video, nulla elabendi via. Textus enim Euangelij nimium apertus eſt, & qui facilè cõuelli nõ poteſt, multò minus verbis aut gloſſis è capite vertiginoſo conſictis ſubuerti. Et ita perſtitit in hac ſententia veritatis corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra Euchariſtia, donec ann. 40. VVittembergæ in ædibus Martini celebraretur ſynodus, ad ineundam concordiam in quibuſdã dogmatibus, ſuper quibus ſectarum capita, cum magno ſuorum diſcipulorum ſcandalo, diſsidebant, & grauibus iniurijs ſe mutuo impetebant, pręſente cum alijs Martino Bucero. Concordarunt autem quantum ad S. Euchariſtiam, qualibet parte de ſua ſententia aliquid cedente, quod concorditer docerent & ſentirent in ſacramento eſſe corpus & ſanguinem Domini, ſed ſolùm dum adminiſtratur communicantibus, & dicitur, hoc eſt corpus meum,

Exod. 23.
Deut. 6.

Pertinaciæ hæreticorũ cauſa altera nempe occultum Dei iudicium.

B. Ioannes Chryſoſt.

B. Auguſt.

2.
Veritas pertinaci lucta tandem victa, animũ, exemplo Lutheri, deſeruit.

Synodus VVittembergenſ. in ædibus Lutheri anno 40. ſuper cõcordia de S. Euchariſtia.

quod pro vobis tradetur: ſed nec antea, nec poſt verba dicta & ſumptũ in ore ſacramentum. Ita & ex animo quę docent hæretici, & ſentiunt, tametſi abſurdiſsima, à Deo in ſenſum reprobum & inſipientiam traditi, mẽte corrupti, excæcati, vt ne in clariſsima quidem dogmatum luce quid credendum ſit videant immobiles, & à ſua ſententia & iudicio inflexibiles, vt nec ratione nec authoritatibus ſcripturæ ſacræ, quas vel reijciunt, vel quas ſuo ſenſu interpretantur, nec Patrum conſentaneo teſtimonio à ſua ſententia ſuaque adinuentione flecti poſsint. ſed & mori magis eligunt (vt diximus) ſi ſummum pertinaciæ gradum aſcenderint, quam ab his, quæ ſibi ſua electione viſa ſunt, recedere. Nimirum perſuaſi, quod pro verbo Dei & ſacroſanctæ fidei veritate moriuntur, coronam & gloriam ſanctorum martyrum accepturi. Ita occultis Dei iudicijs infatuantur, vt ſe ſolos ſapere & videre arbitrentur, nec cæcitatem ſuam agnoſcunt, iuxta Prouerbium Salomonis. Prouerbiorum vigeſimo ſexto capite ſapientior ſibi ſtultus videtur viris loquentibus ſententias, ſimiles mulieri fatuæ, cuius meminit Seneca ad

Seneca epiſt. 50. Lucilium ſuum epiſt. quinquageſima, quæ cum ſubito videre deſijſſet, nec ſe tamen cæcam agnoſceret, ſubinde rogabat pædagogum ſuum, quod alio migraret, vbi lucidum eſſet, & videre poſſet, cauſata ſcilicet domum eſſe tenebroſam, quod non videret, non ſuam cęcitatem. Et quamuis teſtati ſunt ſemper immobilem hanc perinaciam hæretici, quando diſputando cum eis congreſsio facta eſt: nunquam apertius, quam in colloquijs, quæ nouiſsimis annis habita ſunt.

3. *Obſtinata Lutheranorum cæcitas in Colloquijs quibuſdam oſtenſa.*

Primum VVormaciæ, deinde ſemel Ratisbonæ in Comitijs Ordinũ Imperij, in quibus credebantur quidem articuli aliquot prius controuerſi eſſe cõciliati, & gratulati ſunt multi, pacis Eccleſiarum amãtes, bonamq; ſpem conceperũt, quod ſuper reliquis breui conuenire poſſet. Sed audiamus, precor, quid poſt omnem hanc colloquutionẽ diſputando promouerint, quem religioſus Cæſar ordinesq; imperij conſequuti ſunt fructum ex omnibus his laboribus, ſumptibus, & moleſtijs, quam imperium & communitas pacem & concordiam. Abſoluta namque diſputatione colloquiorum, exhibent maieſtati aduerſarij & Eccleſiæ perturbatores ſcedulam, quæ ſic habet: Nos articulos conciliatos ſic intelligimus, vt res eædem in noſtra confeſsione Auguſtana & Apologia traduntur, Quid, precor, hoc eſt, quam forma ſermonis vtrinque mutata eſt, vt videri poſſit facta conciliatio, ſed ſenſus idem eſt, nec in minimo quidem à priore recedimus ſententia, quam confitemur in noſtra confeſsione & Apologia. Nam ſuper articulis huius Confeſsionis & Apologiæ conſtituta fuerãt colloquia, ad experiendum, ſi partes diſsidentes poſſent fortaſſe colloquendo ſe mutuo intelligere & concordare. Deinde addunt: Nec cui dubium ſit, quod doctrinæ genus in vniuerſũ in Eccleſijs noſtris tradatur, iterum teſtamur nos amplecti Confeſsionẽ Auguſtæ Cæſareæ Maieſtati veſtræ exhibitam, & Apologiam, quæ tradita eſt. Nec dubitamus eſſe conſenſum Catholicæ Eccleſiæ Chriſti, quæ tradita eſt in Propheticis & apoſtolicis ſcripturis, & firma teſtimonia habet Eccleſiæ Catholicæ, ac eruditorum patrum. Quis igitur fructus in his omnibus diſputationibus & colloquijs, quæ cum huiuſmodi hominibus in errore obfirmatis inſtituebantur, expectari poterit?

4. *Concordiæ cum hæreticis noſtri temporis ineundæ ſpes nulla.*

Quæ ſpes, quod inter delectos illic concertatores quicquam omnium conuenire poſſet eorum, quæ controuertebantur, vtque vel illi, qui vita, verbo, & ſcriptis aſſeruerant, & publicè docuerant nouitiam ſuam doctrinam, in quam multos etiam ex viris primarijs & principibus callidè ab Eccleſia Catholica ſeduxerant, in tali optimatum atque omnium ordinum cœtu publicè damnarent, & in noſtram, hoc eſt, Catholicam concederent ſententiam? atque fieri poſſet, quod vel falſæ vel noxiæ concordiæ gratia, illorum probaturi eſſent ſententiam omnium maiorum & totius Eccleſiæ Catholicæ iudicio damnatam, quam libris per orbem ſparſis docuerant ſcripturæ ſacræ aduerſari, & doctrinam eſſe dæmoniorum? Et vt ſpes aliqua fuiſſet concordari inter illos potuiſſe, aut de omnibus, aut de præcipuis: non erat veriſimile, cæteros vniuerſos & multos & doctos perſpicacis exactique iudicij homines libenter ceſſuros fuiſſe eorum, quantumlibet vel eruditorum, tamen paucorum iudicio, fidem receptam relinquendo: præſertim quod aduerſus tam paucos, tamque clanculario publicas in religione controuerſias tractantes, corrupti ſeu gratia ſeu promiſsis, aut muneribus eorum iudicij non defuiſſet ſuſpicio, ſi ob eas, quas alius nemo audierat, rationes aliter nunc ſtatuiſſent, quam prius & verbo & ſcripto eos docuiſſe omnibus innotuerat.

5. *Fruſtra inſtituenda in poſterum cum hæreticis colloquia.*

Fruſtra igitur, nec ſine magna fidei Catholicæ iactura, huiuſmodi cum hæreticis ineuntur diſputationes, quando neutra pars alteri cedere poteſt, reclamante ſcilicet vtrimque conſcientia: vna, propter pietatem & religionem, quam debemus omnes verbo Dei: altera, propter cauterio aduſtam peſtilenti errore conſcientiam, cordiſque duritiam, quam obfirmabant, ne vel vnum articulum damnando, agnoſcerent ſe fuiſſe ſeductores plebis, falſoſque prophetas & magiſtros mendaces. Nouit hoc hæreticorũ ingenium Tertullianus, qui in libro de hæreticorum præſcriptionibus: hæreticum (inquit) poſt vnam correptionem Apoſtolus iubet deuitari, non poſt diſputationem. adeo diſputationem interdixit, correptionem deſignans. Nihil enim proficit cõgreſsio ſcripturarum, niſi planè vt aut ſtomachi ineat euerſionem, aut cerebri. Iſta etiam hæreſis quaſdam non recipit ſcripturas, & ſi quas recipit, adiectionibus & diſtractionibus ad diſputationem inſtituti ſui interuertit: & ſi recipit,

non

non recipit integras: & ſi aliquatenus integras, nihilominus diuerſas exponens, commutata conuertit, & tantum veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum & corruptor ſtylus. Variæ præſumptiones neceſſario nolunt agnoſcere ea, per quæ reijciuntur. His autem nituntur, quæ ex falſo compoſuerũt, & quæ de ambiguitate ceperunt. Quid promoues exercitatiſsime ſcripturarum, cum ſi defenderis, negetur, & ex diuerſo, ſi quid negaris, defendatur? & quidem nihil prodes, niſi vocem in contentionem, nihil conſequeris, niſi vilem de blaſphematione laudem. Ille vero, cuius cauſa in congreſſum deſcendendum eſt ſcripturarum, vt dubitantem confirmes ad veritatem, anne magis ad hæreſes diuertet hoc ipſo motus, quod te videat nihil promouiſſe æquo gradu negandi, & defendendi diuerſa parte ſtatutum? Certè pari altercatione incertior diſcedet, neſciens, quam hæreſim iudicet. Nec credibile eſt, quod ex animo, ſententiaque Cæſaris & Principum Catholicorum huiuſmodi

6\. *Quo ſcopo Carolus V. cum Proteſtantibus colloquia permiſerit.*

inſtituta ſint colloquia; niſi fortaſsis eorum hypocriſi & ſimulatione deluſi, crediderint eos humiliter quærere veritatem, paratos eſſe eam amplecti, quando informabantur. Non enim ignorabant naturam hanc & pertinaciam hæreticorum, ſed veriſimile eſt ex ſuggeſtione aduerſariorum, ad ſimulandam non autem reuera faciendam concordiam, eſſe ſollicitata, & ob eorum importunitatem eſſe admiſſa: ne quaſi veritate & ſcripturis deſtituti, diſputationem detrectare videremur, & quaſi non parati ad ſatisfactionem & reſponſionem omni poſcenti nos rationem de ea, quæ in nobis eſt, ſpe & fide. Et certum eſt, librum Cæſareæ Maieſtati ob-

7\. *Interim Religioni perniciosum.*

truſum, & colloquutoribus deputatis ad conciliandam concordiam propoſitum, in pleriſque eo ſpectaſſe magis, vt quomodocunque tegeret ac diſsimularet; quam verè tolleret & reuera ſanaret introducta vigentiaque in religione diſsidia. Eo enim verborum artificio & inuolucro concinnatus eſt, vt in capitibus grauiſsimis, vnde pendent cætera fere omnia, orthodoxi ſimiliter penè piè orthodoxeq; poſſent intelligere, & aduerſarij nihilominus omnia ad ſuam intelligunt impietatem. Vt non ſine neceſſaria & grauiſsima cauſa R.D. Contarenus, Apoſto-

Caſparis Cõtareni de Colloquijs Germanicis memorabilis ſententia.

licæ Sedis Legatus, hæc ſapientiſsimè perpendens, nec ea quidem parte, qua conuenerunt colloquutores, recipiendum cenſuerit eiuſmodi colloquiũ, ſed vniuerſum remittendum ad examẽ ſacerdotalis iudicij & Sedem Apoſtolicam: quod non alio ſpectaret ex parte aduerſariorum ille colloquutorum conſenſus, quam vt concordiæ prætextu & ſpecie, religioni nocere poſſent efficacius. Quam rem ita ſe habere, ipſe Martinus Bucerus diſsimulare non potuit in Actis, quæ ſcribit de iſtis colloquijs. Nam vt nunc diximus, poſt omnem diſputationem & conciliationẽ Cæſareæ Maieſtati exponunt, quod articulos conciliatos ita intelligunt, & res eædem in eorum Confeſsione & Apologia additæ traduntur. Hæc enim in palliata ſimulataq́, conciliatione venabantur, vt perſuaderent populo, probata eſſe à Catholicis impia illa, quæ execramur, & non probamus dogmata, & ſic ſuos iactarent triumphos de nobis, & doctrina, quam profitemur orthodoxa & Catholica. Hoc eſt, quod conqueruntur aduerſus legatum Apoſtolicum, impeditam ſcilicet concordiam. Ipſe enim nouerat aſtutius quid amplexandum videbatur, pro admiranda ſua prouidentia, & Theologica eruditione, quam alij quidam pij viri: pij quidem, ſed qui concordiæ amore & zelo, quamuis non ſecundum ſcientiam, vel notitiam intimæ concordiæ, non ſatis perpendebant, vis illa morbi quanto efficacius noceret & liberius contagionem diffunderet ſub ſpecie amicitiæ, prætextuque concordiæ. Præcipuus enim circa dogmata

8\. *Verum concordiæ mediũ à Theodoſio Imper. pridem oſtenſum.*

religionis modus eſt, medium pacis & concordiæ, ſi dogmatum quæque diuerſitas ad maiores & Eccleſiarũ conſenſum referatur, non earum ſolum, quæ nunc ſunt, ſed & earum, quæ ab Apoſtolorum fuerunt temporibus. Hocque vſus eſt medio concordiæ religioſus Imperator Theodoſius, cuius temporibus multa erant in religione diſsidia, & per ipſum pacem conciliauit & reſtituit Eccleſijs, plurimum per hæreticos turbatis. Vtinam hoc mediũ initio clementiſsimo noſtro Imperatori ſuggeſsiſſet ſpiritus Chriſti, vel potius inſpiratum per aliorum importunitates ſequi licuiſſet. Iam Deo fauente extinctæ eſſent hæreſes omnes, & tranquilla pax reddita eſſet eccleſijs. Habitę ſunt diſputationes VVormatiæ & Ratiſbonæ, & in alijs ciuitatibus: ſed infeliciter ceſſerunt ſemper, & deteriorem hanc cauſam fidei & religionis reddiderunt. Vtinam Nectarium quẽdam Epiſcopum in conſilium adhibuiſſet, & ſopita eſſent ſchiſmata vniuerſa, & videremus pulcherrimã pacem, quæ tunc perpetua erit & Eccleſiæ. Nam vt author eſt Socrates in hiſtoria tripartita, ſuggeſtum eſt Imperatori ab Agelio & Nectario Epiſcopis, quod diſputationes non ſolùm ſchiſmata non vnirent, ſed etiam hæreſes ad contentiones maiores adducerent. Propter quod conſulebant, quod diſputationes fugeret ac contentiones, & teſtimonium ex veterum traditione faceret exhiberi. Atque in primis hæreſum præſides interrogaret, an ſermonem vellent facere de antiquis Eccleſiæ doctoribus, qui ante diuiſionẽ floruiſſent, & illos recipere, an illos velut alienos à Chriſtianiſmo reſpuerent? Et ſi quidem eos abnegarent: obijceret eis, quod ergo eos anathematizare præſumerent. Si verò de principibus non offenderentur doctoribus: tunc veterum præberent libros, per quos dogma ſuum illorum teſtimonio roboretur. Et ille, inquit Socrates, ſequutus eſt conſilium, & cauſam ſapienter inſtituebat, vocatiſque hęreſiarchis, interrogat, an ſuſciperent magiſtros Eccleſiæ, qui ante diuiſionis

inuiſibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Et Deus, qui natura inuiſibilis eſt, ait Ambroſius, vt à viſibilibus poſſet cognoſci, opus fecit, quod viſibilitate ſui opificem manifeſtarit, & ille Deus omnium eſſe crederetur, qui hoc fecit, quod ab homine fieri eſt impoſsibile. Et Auguſtinus libro ſecundo, de libero arbitrio capite decimo ſexto creaturas vocat veſtigia & motus, quibus Deus ſe inſinuat. Væ, inquit, qui derelinquunt te Domine, & oberrant in veſtigijs, qui motus tuos pro te amant, & obliuiſcũtur quod intimas. O ſuauiſsima lux purgatæ mentis ſapientia: nõ enim ceſſas innuere, quæ & quãta ſis. Et motus tui ſunt omne creaturarum decus. Artifex enim quodammodo innuit ſpectatori operis ſui, de ipſa operis pulchritudine, ne ibi totus hæreat: ſed ſpeciem corporis fabricati ſic oculis percurrat, vt in eũ, qui fabricarit, recurrat affectu. Væ qui ſe mutant à lumine tuo, & obſcuritati dulciter inhærent. Tanquam enim dorſum ad te ponentes, in carnali opere, velut in vmbra defiguntur. tamen etiam ibi, quod eos delectat, adhuc habent, de circumfulgentia lucis tuæ. Et Hugo de ſancto Victore, de arca myſtica creaturarum, inducit creaturã loquentem nobis: Vide ô homo quomodo amauit te, qui fecit nos propter te. ſeruio tibi quia factus ſum ꝑpter te, vt ſeruias illi, qui fecit me, & te: me, propter te, te propter ſe. Si ergo acceperis beneficium, redde debitum, accipe bonitatem, redde charitatem. Eſt autem hæc vnitas, à fonte Deo effuſa ſuper omnem naturam, tam grata, tam amabilis, vt nihil æquè hæreat, vt eius diuiſionem & diuortium. Nec aliud dolorem eſſe definit clariſſimus doctor Auguſtinus, quam ſenſum diuiſionis & corruptionis impatientem. Vnde clarius, inquit, apparet, quam ſit illa natura in ſui corporis vniuerſitate auida vnitatis & tenax, quod nec libenter nec indifferenter, ſed potius retinẽter & reluctãter intenditur in eam paſsionem corporis ſui, per quam eius vnitatem atque integritatem labefactari moleſtè accipit. Nec appareret. quantus inferioribus creaturis eſſet appetitus vnitatis, niſi dolore beſtiarum. Et poſt pauca: Nulla res eſt earum, quæ vel dolorum moleſtias, vel blanditias ſentiunt voluptatum, quæ non in eo ipſo, quod dolorem fugiunt, voluptatemque appetunt, diremptionem ſe fugere, vnitatemque appetere fateatur. Nec mirum: quãdo omnium bonorum principium ſit vnio, malorum verò, diuiſio atque ab vnitate receſsio. Et bonum in vnitate quadam cuiuſq; naturæ conſiſtit: & Platonici poſuerũt vnum eſſe principium, ſicut bonum. Vnde vnumquodq; vnitatem appetit, vt bonitatem & eſſe.

Hugo de S. Victore.

Dei vnitas in hominib. excellenter adparet. Eſt quidem in omnes creaturas diffuſa vnitas Dei, ſed differentius multo & excellentius ſuper creaturas rationales, quibus datum eſt, non modò vt in ſe eſſe poſsint indiuiſi, in vnum ſemper intenti, quod perſequantur in omnibus: ſed & cum alijs ſint vna natura, vnum cor, & cum Deo vnus ſpiritus. Nam de cæleſti Ieruſalem cecinit propheta, quod ædificatur vt ciuitas, cuius participatio ſit in idipſum. In ædificijs corporalibus ſic lapis cum proximo ſibi lapide tantum coniunctus eſt, non autem cum cæteris, licet in eodem ædificio ſunt compacti. In ædificio verò cæleſtis Hieruſalem ſinguli ſinguli, & vniuerſi proximis ſunt ſinguli, cohærent & conglutinati ſunt ſingulis, qui in eodem ædificio ſunt coædificati, habentq; ſinguli cum omnibus ineffabilem & incomprehẽſibilem communionem & participationem: idque per vnum illud ſummè bonum, cum quo ſimili ſunt perfectione vnum, & in quo ratione conſequenti omnes ſunt vnum. Ex quo principio colligit venerabilis Pater Anſelmus, in Proſologio, inexplicabile eſſe gaudium ſanctorum, quia in perfecta charitate innumerabilium angelorum beatorum & hominum, quia vnum ſunt: nullus minus diligit alium, quam ſeipſum, non aliter gaudebit quiſq; oro alijs, quam pro ſe ipſo, nec minus, quã ſi haberet hoc ipſum quod habet alius: ſed & magis de alterius bono gaudebit, quam is ipſe, ſi amore eſt ſuperior.

Quo loco hanc vnitatem habuerit Dominus noſter Chriſtus in Eccleſia ſua, quam in terris ex omnium gentium natione ædificat, quanto affectu eam amauerit, teſtatur oratio eius, quam facta cœna ad mõtem Oliueti progreſſurus, ad Patrem ardẽtiſsimo animo effudit. Imò eam ſolam rogaſſe videtur, ſaltem omnium, quæ tum petebat, ardentiſsimè: Pro eis, inquit, rogo, vt omnes vnum ſint. Nec contentus hac mutua inter ſe coniunctione, etiam cum ipſo Deo gregem ſuum vniri exoptat: vt & ipſi, inquit, in nobis vnum ſint. Quam ſit verò hæc vnio incomprehenſibilis, declarat, cum ſubdit: Rogo, vt omnes vnum ſint, ſicut & tu pater in me & ego in te. Et iterum: pater ſancte, ſerua eos per nomen tuum, vt ſint vnum ſicut & nos. Grandis ſane vnio ſit oportet, quam Chriſtus tanta commendatione, nempe Dei patris & vnigeniti filij ſui cõparauit. Quodque huius vnionis ſummum gradum optarit, non obſcurè ſignificat: ego in eis, vt tu in me, vt ſint conſummati in vnum. Vbi videre licet, eum ſummæ coniũctionis gradu, quantum certè poſsit natura humana ferre, omnes cum patre conglutinatos eſſe voluiſſe. Atq; hanc vnionem tota oratione ſe ſpectaſſe manifeſtè declarat, vbi cauſam addit, quare illam gloriam, quam à patre tam ſollicitè quæſierat, in ſuum gregem totã tranſtuliſſet: Vt ſint, inquit, vnum, ſicut & nos vnum ſumus.

Sed vt vniuerſa chariſmata ſpiritus S. effunderet in creaturam, vt hanc pariant vnitatem, & ſanctus Apoſtolus Ioannes ſcribit Chriſtum mortuũ eſſe, vt filios Dei diſperſos in vnum congregaret. Et Apoſtolus Pau-

lus Epheſijs, ſitis ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, vnum corpus, vnus ſpiritus, ſicuti vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ: vnus Dominus, vna fides, vnũ baptiſma, vnus Deus & pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis, vnus & mediator Dei & hominum.
2. Huius contemplatione, ad patrem peregre proficiſcens, vnum ſuo loco conſtituit vicarium, qui ſuo nomine curaret & paſceret oues, pro quibus mortuus fuerat. Propterea, ait Hieronymus aduerſus Iouinianũ, inter duodecim vnus eligitur à Chriſto, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio.

Cur vnum Chriſtus ſui loco conſtituerit in Eccleſia Vicarium D. Petrum.

Sed cur non Ioannes electus eſt virgo? ætati delatum eſt, ne adhuc adoleſcens ac penè puer progreſſæ ætatis hominibus præferretur, & magiſter bonus, qui iurgij occaſionem debuerat auferre, diſcipulis in adoleſcentem, quem dilexerat, cauſam præbere videretur inuidiæ. Et B. Cyprianus ad ſanctum Martyrem Cornelium Ro. Pontificem ſcribit, quod non aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, niſi quod ſacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus ſacerdos aut iudex vice Chriſti cogitatur. Et de ſimplicitate Prælatorum: Vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem ab vno incipiente ſua authoritate Chriſtus diſpoſuit, quãdo poſt reſurrectionem Petro dixit, paſce oues meas.

Eccleſia vna eſt, quę in multitudine latius incremento fœcunditatis extenditur, quomodo ſolis multi ſunt radij, ſed lumen vnũ, & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum. Auelle radium ſolis à corpore, diuiſionem lucis vnitas non capit: ab arbore frange ramum, fructus germinare non poteſt: à fonte præcide riuum, præciſus areſcet. Ita quiſquis ab eccleſia ſeparatus adulteræ iungitur, à promiſsis Eccleſiæ ſeparatur, nec pertinet ad Chriſti præmia, qui relinquit Eccleſiam Chriſti. Alienus eſt, prophanus eſt, hoſtis eſt. habere iam non poteſt Deum patrem, qui Eccleſiam non habet matrem. Si potuit euadere, qui extra arcã Noe fuit, & qui extra eccleſiam foris fuerit, euadet. Monet dominus & dicit, qui non eſt mecum, aduerſus me eſt: & qui non mecum colligit, ſpargit. Qui pacem Chriſti & concordiam rumpit, aduerſus Chriſtum facit. Nunc verò noſtro hoc tempore ſurgunt pſeudomagiſtri multi, qui hanc inconſutilem Domini tunicam varie ſcindunt, qui quaſi pro Chriſto & eius Eccleſia pugnantes, à matre filios ſegregant, & crudeliſsime in eius viſcera ſæuiunt, diſsidia, opiniones, & ſectas ſpargunt, & varijs hæreſibus ſanctam Eccleſiam conſpurcant. Lamentabile ſpectaculum, quod nullis lachrymis ſatis deplorari poſsit.

Collatio noſtræ tempeſtatis, cum illo Prophetarum ſæculo.

Maior eſt noſtri temporis calamitas, quã erat ea, quã Propheta Ieremias amariſsime defleuit, dum diceret, Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontẽ lachrymarum? Et plorabo die ac nocte interfectos populi mei? Et quaſi non eſſemus Eccleſiæ membra, vel ſtupida, nihil afficimur tanto fratrum noſtrorum interitu. Percutitur & vulneratur corpus noſtrum, nec ſentimus tamẽ, nec dolemus.

Annis iam ſupra XXX. hic cancer ſerpit crudeliſsimè, magnam corporis partem corripuit, perdidit, abſumpſit. Et ad nos vſque vorãdos peruenit eius contagium. Inter nos quaſi amici viuunt, qui reuera ſunt religionis noſtræ hoſtes ſæuiſsimi: nec mouemur, non de remedijs conſultamus, & quaſi ſecuri negligimus, & diſsimulamus. Quantus eſt ſalutis noſtræ & vitæ contemptus! Non de prædijs diuidendis hic litigatur, ſed de fugiendo æterno ſupplicio, & obtinenda vita certatur. Qui eccleſiam non habet matrem, inquit ſanctus Martyr Cyprianus, nõ poteſt Deum habere patrem: qui relinquit eccleſiã Chriſti, alienus eſt & hoſtis Chriſti.

Vel tandem malum iam vicinum nobis oculos aperiat, vt de remedio cogitemus & occurramus, ne & nos, fratresque & amicos abſorbeat vniuerſos. Inſidiatur occultè, & quaſi ex ſcripturis ad Chriſtum & verã eius eccleſiam Catholicam adducturus ab eis ſeparat, & ſcindit. Ita fallit, vt tunc ſe Chriſtianos veros eſſe credant, quando à Chriſto facti ſunt alieniſsimi. Tentauerunt quidam præſcribere remedia, quæ malo huic exterminando videbantur oportuna: ſed quia radicem morbi & originem non aduertebant, ad pharmacum ſæuijt magis morbus, quam ceſsit.

4.
Concordiæ conciliandæ ratio Eraſmiana.

Inter quos pręcipuus eſt Eraſmus Roterodamus, vir in ſcripturis & excellenter in literis exercitatus, cui in libello, quem edidit de ſarcienda Eccleſiæ concordia, deque ſedandis opinionum diſsidijs viſum eſt, quod hæ lites & controuerſiæ, totaque tempeſtas, qua grauiſsimè nunc affligitur Eccleſia, extingui poſſent, ſi quæque pars alteri ſeſe accommodaret, & quaſi tranſactione quadam, veluti in prophanis negotijs agitur, componantur: cum nec inter chariſsimos amicos conſtet amicitia, niſi viciſsim ad quædam vitia conniueãt, ſibiq; viciſsim cedant. Eadem, inquit, dexteritate in dogmatibus vtendũ. Nam dum illi, ſcilicet, qui dogmata recepta tuentur, nihil omninò patiuntur innouari, & hi nihil ſinunt relinqui: tempeſtas orta eſt penè inſedabilis. Et dum vtrinque nimium tenditur funiculus contentionis, fit vt vtraque pars rupto fune in tergum cadat.

Refutatio concordiæ Eraſmianæ.

Conſilium hoc incommodum eſt, & ſalua tanti viri reuerentia, per ſe noxium & exitiale. In quo nec ſecum cõſentit. Declarãs enim, in quibus velit nos cedere alijs, addit: Sed hactenus obſecundetur, vt ne moueantur immobilia, & hactenus feratur hominum infirmitas, vt paulatim inuitentur ad perfectiora. Illud autem omnibus infixum eſſe oportet, nec tantum eſſe, nec ad fouendam concordiam penitus vtile, temere deſciſcere ab his quæ maiorum autoritate tradita

dita ſunt, queque longo ſæculorum vſu conſenſuque firmata.

Quæ autem commemorat, ſuper quibus quaſi trãſigatur & condeſcendatur aduerſarijs, vniuerſa huiuſmodi ſunt, quæ maiorum autoritate ſunt tradita, & longo vſu ſtabilita. vt, quod in homine eſt arbitrium liberum, vt & cum gratia Dei à peccatis reſurgat: quod Deus ſit iudicaturus mundum ſecundum cuiuſq; opera bona & mala: quod pro defunctis orandum eſt: quod Sancti pro nobis intercedunt. Similiter longo vſu recepta ſunt Dogmata de Sacramẽtis, de Confeſsione, de adoratione Sacroſanctæ Euchariſtiæ, de delectu ciborum, & Epiſcoporum conſtitutionibus, quodque fiant miſsæ priuatæ, & ſimilibus. Nihil horum eſt, quod nõ eſt multorum ſeculorum conſenſu comprobatum, & multa in ſynodis Oecumenicis definita, ſuper quibus tranſigi & componi non poteſt, cedendo vel in minimo aduerſarijs, niſi reſciſsis prius ijs, quæ in Eccleſia ſunt definita ſecundum veritatem Catholicam, eaq; velimus abnegare, quæ in indiuiſibili conſiſtunt. Sunt quędam circa hos, quę diſputari poſſunt: ſed ſuper illis non eſt nobis præcipua controuerſia cum aduerſarijs: ſed ſuper his, quę immobilia ſunt & habita ſunt ſemper. Præterirẽ hic, quod vniuerſam hanc conuenientiam & condeſcenſionem in materia fidei damnarunt maiores noſtri, niſi locus nunc eſſet oportunus, qui quaſi exigat huius deductionem. Nam Theodoretus narrat, in hiſtoria tripartita, quod poſtquam Valens Imperator Arianus vniuerſas Eccleſias ſuis nudaſſet paſtoribus, venit Cæſaream Cappadociæ, cuius tunc præſul erat magnus Baſilius, totius orbis lumen: præmiſitque Præfectum, pręcipiens vt Baſilium flecteret, vt dogmati communicaret Eudoxij, aut facere nolens expelleretur. Audiens enim tanti viri gloriam, noluit ei primum inferre certamen, ne cum fortiter eius iacula deuitaret, cæteris fieret clarior imago virtutis. Præfectus euocauit magnum Baſiliũ, honorauit eum, & mãſuetis ſermonibus vtitur. Monet, id quod cõſulit Deſiderius Eraſmus, monet, inquã, quod haberet temporis rationem, & non eccleſiam propter paruam dogmatum ſubtilitatem vexari pateretur. Nam propter voculam Homouſion, hoc eſt, Conſubſtantiale imputabatur omnis eſſe cõcertatio. Promittit etiam Imperatoriam amicitiam, multaque beneficia propter hæc plurimis offerenda. Verum vir ille ſanctus pariter ac prudens Præfecto reſpondit, Adoleſcentibus hæc verba cõgruere. Illi, inquit, & illorum ſimiles talia promiſſa reſpiciũt: ſed qui diuinis innutriti ſunt eloquijs, corrumpi de diuinis dogmatibus ne vnam quidem ſyllabam patiuntur, ſed præ his, ſi contingat, etiam omnes mortis amplectuntur ſpecies. Amicitiam autem Imperatoris magnam cum pietate iudico, ſine qua perniciem potius hanc appello. Cumque Præfectus in eum ſæuiret, ſtultumque vocaret, quod conſilio ſuo non acquieſceret: ait ſanctus Baſilius: Hanc ſtultitiam ſemper habere exopto. Quem cum egredi tunc iuberet, vt quid deberet facere, cogitaret, & ſententiam ſuam altero die depromeret: ait Baſilius, Ego quidem etiam cras ipſe regredior, dummodo tu ſententiam non mutes, ſed vtere minis tuis. Eiuſdem ſententiæ ac iudicij fuit & magnus ille Theologus, apud Græcos celebratiſsimus, Gregorius Epiſcop. Nazianzenus, qui ſimilitudine & parabola ſuam ſententiam etiam populariter declarat. Sicut (inquit) his, quibus diſtrictis in excelſo funibus incedere diſciplina eſt, huc vel illuc declinare diſcrimen eſt, & deuiare aliquantulum, quamuis illud perexiguum videatur, interitus: omnis autem eis in hoc ſalus eſt, ſi directam inceſſus ſui viam tenent: ita & in noſtris actibus, præſertim fidem concernentibus, in quãcumq; quis partem quacunque ex cauſa declinauerit, ſiue id malitia, ſiue imperitia fecerit, extremi periculi res eſt Et, ſi præeſt, non ſibi ſoli, ſed & ceteris fiet cauſa interitus. Idem iudicat Aug. in cauſa Pelagij, & Cęleſtij q̃ miris modis eũ exercuit. Nouerunt viri hi præclariſsimi hæreticorum verſutiam, quibus ſi vel ad latum vnguem ceſſeris in veri aſſertione, amplius inſoleſcũt, & inſaniunt magis, quã reſipiſcũt. Cuius rei exemplum eſt Synodus Ariminenſis, in qua teſte Hieronymo in Dialogo aduerſus Luciferianos, ſub ſpe pacis & concordię, ſcripta eſt infidelitas. Proponebatur in Concilio, quod propter duo verba, quæ nec ſcripta inueniuntur, non oporteret ſeparari corpus Eccleſiæ, & ſufficeret profiteri, per omnia filium ſimilem genitori, tacito ſubſtãtiæ nomine. Hac fraude & conſilio, quod ſaltem nomen Subſtantiæ ſileretur, Epiſcopi Catholici, per ſimplicitatem abducti ſunt à confeſsione Concilij Niceni. Et ſolius nominis ſilentium errorem reduxit, prius in Concilio damnatum, ac animum addidit Arrianis illum defendendi. Quam ſuaſionem fraudulentam grauiter inſectatur & damnat D. Hieronymus eodem dialogo. Decreuit autem Concilium Nicenum, confitendum eſſe filium non ſolum per omnia patri eſſe ſimilem, ſed & cõſubſtantialem.

Mirum, quod eam comprobet in Annotationibus epiſtolæ ad Hebræos Deſiderius Eraſmus, ita annotans: Res ſane indigna, meo iudicio, ob quam Oriens & Occidens exitiali bello inter ſe conflictarentur, & orbis concordia turpiter ſcinderetur. Cum iudicio Eraſmi, quotquot veterum huius rei meminerunt, concorditer aduerſantur, inter quos eſt ſanctiſsimus Doctor Athanaſius, & D. Hilarius: qui ex hac cauſa fortiter elegerunt mitti in exilium. Sed & euentus damnandum eſſe clare docet, vt eſt videre apud Hieronymum aduerſus Luciferianos. Porro Eraſmus commemorans ſuper quibus velit quaſi tranſigi & componi, & ſe quaſi accommodans vtriq; parti, de libero arbitrio inquit, ſpinoſa eſt verius, quam frugifera

Capita controuerſa.

In religionis negotio non eſſe conniuendum.

Ab exemplo D. Baſilij.

Ab exemplo D. Nazianzeni.

Ab exemplo D. Auguſt.

Nihil cedendum, ab exemplo Synodi Ariminenſis.

Eraſmus Orthodoxis Patribus aduerſari oſtenditur.

diſputatio,& ſi quid quærendum eſt,in theologicis diatribis ſobriè diſcutiatur. Aliud certe ipſe Eraſmus de hac quæſtione antea iudicauit,quando iuſto volumine congreſſus eſt cum Martino Luthero ſuper materia liberi arbitrij,quaſi fidei & religionis ad credendum neceſſaria. Viſum eſt etiam aliter Amb. & Aug. Origeni & Chryſoſ. qui in ſermonibus ad populum hoc dogma tractauerunt. Nam tractatu.53. ſuper Ioannem, populũ monet orare,ne inducatur in tentationẽ, ne cum Pelagianis nimium libero arbitrio fidentes ferantur in ſuperbiam, vel nimia diffidentia deijciantur cum Manichæis in negligentiam. Et tam claram arbitratur ipſe eſſe ſententiam quod habemus liberum arbitrium,hoc eſt, poteſtatem male agendi, & cum gratia Dei bene:quam indubitatum eſt homines peccare, quod ſine libero arbitrio non contingit. Et lib.3. Hyponoſticon. pronunciat non eſſe catholicum, qui liberum negauerit arbitrium. Et vt clariora ſint quæ diximus, videamus quid aduerſarij de libero arbitrio docent,& res ipſa clamabit, non eſſe,ſuper quo conniueamus. Docent,ꝙ nullum habeamus liberũ arbitriũ, vt in nobis ſit poteſtas vitandi furtum, adulterium, homicidium, propterea quod omnia abſoluta neceſsitate eueniunt. Docent,quod Deus nos in ſcelera præcipitat, & non minus ſit author criminum, quam bonorum operum. Docent præterea, quod Deus nullo operum noſtrorum reſpectu habito,ad ſolam fidem dabit credẽtibus vitã, Itẽ ꝙ fides ſola iuſtificet. Quam ſententiam iudicauit Auguſtinus hæreſin eſſe,& ex ſcripturis confutauit in libro quem de fide & operibus ſcripſit. Quam faciemus in his dogmatibus trãſactionem,niſi fidem totam,ſcripturas,ſed & Chriſtũ ipſũ velimus abnegare? Nimius fuit Eraſmi affectus ad cõciliandam concordiã quãdo ad ea dogmata ſe demiſit immutãda, quę reuera immobilia ſemper iudicata ſũt.

De libero arbitrio Eraſmus variè loquutus cõtra veteres, ſibique contrarius.

Hæreticorũ noſtri temporis dogmata

Simile eſt,quod addit:Pij cuiuſdam affectus eſt,credere preces,ac pia opera viuorum prodeſſe defunctis: & quibus nondum hoc perſuaſum eſt,non obſtrepent ſimplicitati aliorum: ſed tanto benigniores ſint erga pauperum inopiam ſubleuandam,quo minus credunt defunctos viuorum benefactis iuuari. Quibus verbis tantum ſe demittit ad conciliandum diſsidentes, vt ipſe ab eccleſia diſſideat,& plane recedere videatur,dum in dubium reuocat ſententiam, omnium maiorum auctoritate traditam, & ab ipſis vſque Apoſtolis omnium ſæculorum vſu comprobatam. Nã B. Chryſoſtomus & Damaſcenus docent,ab Apoſt. eſſe ſancitum,quod pro defunctis oramus. Et damnatus eſt Aerius, quod docebat, non eſſe ornandum pro defunctis.

De operibus ac precibus pro mortuis.

Simili modo hallucinatur circa inuocationem ſanctorum, de qua ſcribit: Religioſi item affectus eſt credere, ſanctos ac ſanctas, quos Deus mortali corpore grauatos tanti fecit, vt ad illorum preces dæmones expulerit, mortuos ad vitam reuocauerit, nunc quoque nonnihil apud eum poſſe. At quibus diuerſa ſedit opinio,pura mente ſynceraque fide inuocent partem,filium,& ſpiritum ſanctum, ne conturbent odioſe eos, qui citra ſuperſtitionem implorant diuorum ſuffragia. Non fecit hanc condeſcenſionem Hieronymus, qui palam pronunciat Vigilantium eſſe hæreticum, & Catholicæ Eccleſiæ traditionem eſſe, quod Sancti in cœlo regnantes cum Chriſto, à nobis inuocantur, & pro nobis orant. De quo eſt homilia Chryſoſtomi in Pſalmum 50. O rem, inquit, admirandam? ò ineffabilem clementiam Dei? Dauid mortuus eſt, & Ezechiæ viuo patrocinatur? ò iuſtorum etiam poſt cõſummationem inexpugnabilis pugna virorum? Dauid mortuus, & poſt mortem ſuam inuenitur viuis tam grande præſtitiſſe ſolatium? Certe iam defecerat Dauid, & habebat multos annos requieſcens. Attamen dicit ſcriptura, Protegam ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid ſeruum meum. Credimus, inquit, ſanctorum meritis nos iuuari. Et in canonibus ſexti Concilij Conſtantinopolitani conſtitutum eſt, vt vnuſquiſque Chriſtianus ſanctos inuocet, vt pro ſe apud maieſtatem diuinam intercedant. Quod ipſum ſæpius repetitur in actis ſeptimæ Synodi vniuerſalis, in Nicæa Bythiniæ celebratæ. Simili modo oſtendi poſſet,quod nimio concordiæ affectu periculoſe hallucinatus eſt in alijs dogmatibus, quæ commemorat, vt ſuper eis componatur & tranſigatur: quæ nunc tranſimus ob temporis breuitatem. Alij fuerunt, qui efficax & præſentiſsimum remedium inuenerunt,quod tamen ob nimiam morbi pertinaciam & tyrannidem, nihil, vel parum promouit. Aduertunt enim aduerſarios docere,quod à quadringentis annis nata eſſent à doctoribus Scholaſticis noua quædã dogmata de ſacramentis,de fide,de iuſtificatione impij, de libero arbitrio, & alijs, quæ controuertuntur: Apoſtolos vero et eorum ſucceſſores,& quotquot ex maioribus vſque Apoſtolorum ætatem ſcripſerunt, eadem tradidiſſe, quæ docent ipſi. Suſceperunt laborẽ,& excuſsis veterum monumentis, luce clarius demonſtrant, à quadringentis annis nullam tradi ſententiam fidei, quam non prius Eccleſia Catholica, & quotquot ſcripſerunt maiores, vſque Apoſtolos, ſimiliter tradiderunt:eoſque in omnibus clariſsime nobis conſentire, & aduerſari nouo, quod nunc annunciatur, Euangelio. Et tam clare hoc demõſtrant, citatis ſententijs & locis librorũ, vt ipſi aduerſarij diffiteri non poſsint. Quantumuis enim poſterioribus his ſæculis & mores Chriſtiani degenerauerunt, & in tradendis diſciplinis pleriſque ceſſatum eſt: dogmata tamen religionis eadem permanſerunt ſemper, permanentque etiam vſque nunc. Id quod non dubie agnoſcunt, quicunque ſtudijs ſerio addicti, ſcriptores veteres integrè legunt. Hoc certe pharmaco emendari poterant aduerſarij, ſi informandos ſe veteribus ſaltem

De ſanctorũ inuocatione.

6. *Verum remedium ad tollendas hæreſes idoneũ.*

permiſiſſent,ita vt facturi ſępe ſint viſi.Certe in libris ſuis profitentur falſo quidem, ſed non obſcure tamen, tradituros ſe, quod ſit non ſolum in Apoſtolicis libris, ſed etiam in receptis ſcriptoribus eccleſiaſticis. Verum hæc quam vana tantum oſtentatio ſit, illud arguit, quod cum in dogmatibus plærisque clare videant, quid quo ſenſu ſcriptum reliquerint veteres, tantum abeſt tamen, vt ipſis aſſentiantur, vt etiam ſimpliciter reijciant: non vt ſophiſtas quidem papiſticos,aut hypocritas, (Nam his conuitijs eos duntaxat doctores ouerant,qui fuere proximis his annis ferme trecentis) ſed vt incommodos,& errori, vt fit,implicitos, vt ob naturę noſtrę & ingenij imbecillitatē venia digni ſint.

Calumniæ in PP. veteres quos reijciunt aduerſarij.

Cyprianus.

Sic videlicet Cypria.reijciunt, quia pœnas Canonicas exigit, vt neceſſarias,quia cælibatum probat, & relapſis remiſsionem peccatorum per eleemoſynam quærendam docet.

Ambroſius.

Ambroſium : quia cætera ieiunia voluntatis eſſe ſcribit, quadrageſimam vero neceſsitatis.

D. Hieronymus ad Marcellam. Dio. Areopagita. Baſilius. Chryſoſto.

Dionyſium : quod de Chriſmate perinde loquitur, vt de baptiſmo, nec diſcernat inter ſacramenta diuinitus inſtituta,& humanas traditiones.Baſilium:quod doctrinæ Chriſtianæ monaſticē addidit,tanquam ſtipulā granis.Chryſoſtomum : quod laudet adeuntes monumenta ſanctorum,monaſticam ornet, & mentionē faciat orationum pro mortuis .

Hierony.

Hieronymum:quia confirmat,inquiunt,ſuperſtitioſas opiniones de traditionibus humanis, & diſcrimen ac delectum ciborum laudat, ritus ſine verbo Dei inſtitutos, & quidem tāquam cultus & perfectionem.

Auguſtinus. Bernardus.

Auguſtinum: quia votis plus tribuit, quam conueniebat. Denique Bernardum: quod aſſenſerat abuſui Miſſarum, poteſtati pontificiæ, votis & cultui ſanctorum.

Gregorius. Pontifex. Max.

Denique Gregorium,ſanctiſsimum licet hominem, Pontificemque vita & eruditione laudatiſsimum, tum etiā vetrrem & ſolidum ſcriptorem, pene tamē inter ſophiſtas numerant. Quæ omnia fere ad verbum deſumpta ſunt ex libris eorum, toto orbe vulgatis,potiſsimum vero ex impio & blaſphemo libello Philippi Melanchthonis,quem de Eccleſia ædidit:

Luciferiana Luteranorū in vet. Petres arrogantia,cæcumq; iudicium.

vbi quaſi ſimiles altiſsimo, in ſolio cum Lucifero ſedentes, de omnibus maioribus et Concilijs generalibus, vt ne celeberrimo quidem illi Niceno Concilio parcant , pronunciant, damnant, & improbant pro ſuo affectu potius,quam iudicio.Nec eſt veterum ſcriptorum aliquis, quem non pronunciant lapſum eſſe, ſi contra eorum dogmata producatur.Et quidam præcipuus,apud aduerſarios non veretur ſcribere, quod parum ſe mouent,quæ in veterum ſcriptis de ſatisfactione paſsim occurrunt.Video quidem,inquit, eorum nonnullos, dicam ſimpliciter, omnes fere, quorum libri extant, hac in parte lapſos eſſe.Hoc igitur, quod dudum diximus,remedium videbatur futurum efficax, & præſens pharmacum, quo monſtratur eis, quod diſſentiunt ab vniuerſis veteribus, quotquot ab Apoſ.temporibus ſcripſerunt. Nec ſolū in vno,aut altero dogmate,in quo ipſi inter ſe fortaſsis variant, & ſuo ſenſu abundāt vt eorū ſermo prætēdit.nā alia doloſe aſſcribit Cyp.& ſingulis,quaſi ſua dogmata,& quaſi eis eſſent propria: cum tamen in vniuerſis,quæ ſingulis tribuit, conſentiant vniuerſi.vt in cælibatu, in votis monaſticis, in Sanctorum inuocatione,in oratione pro defunctis, in poteſtate Pontificis, & alijs:quæ ſingulis quaſi propria tribuit. Sed parum hoc pharmacum promouit, & tergiuerſati ſunt, quod pro parte ſua ſtant ſcripturæ:ad quas referri & examinari oportet omnium ſcriptorum ſententias, & ſolum verbum Dei manere in æternum fixum eſt & immobile. Propter quam pertinaciam & tergiuerſationem, prioris pharmaci virtus acuitur,vt fortius ac violentius fiat. Obijcitur eis quod ſcriptores Eccleſiaſtici, qui à temporibus Apoſtolorum ſua ſcripta reliquerunt, dati fuerint à Chriſto doctores & paſtores populi ſui,quos ſicut ouiculæ manſuetæ & humiles, ſine hæſitatione totus orbis ſecutus eſt,credendo quod ipſi annunciabant.Nam teſte Apoſtolo, Chriſtus ipſe dedit in Eccleſia quoſdam Apoſtolos,alios paſtores,& doctores,ad conſummationem Sanctorum, vt iam non ſimus paruuli fluctuantes,& circumferamur omni vento doctrinę, in nequitia hominum,in aſtutia,ad circumuentionem erroris. Et proponunt propterea,totam Eccleſiam Catholicam ſuſcepiſſe doctrinam,quam hi Patres à Chriſto ei præpoſiti tradiderunt: & ita eos diſſentire non ſolum à ſcriptoribus, ſed à tota Eccleſia catholica toto orbe diffuſſa. Nec maiores noſtri tradiderunt eccleſiis doctrinā,aliam q̄ inuenerant,& à ſuis maioribus acceperant. Proponunt præterea, Euangelium hoc nouum, cum ſua ac propria ſcripturarum interpretatione, nunquam fuiſſe auditum in Eccleſia Chriſti:& ita eos conſtringi execrabili anathemate, de quo Paulus ſcribit ad Galat. Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepiſtis,anathema ſit. Quæ, precor,Eccleſia vnquam accepit,hominem non habere poteſtatem vitandi periurium, vel idolatriam? Deum eſſe auctorem malorum, & cauſam quod peccamus? quod non eſt orandum pro defunctis? nec Præpoſitis noſtris obediendum? Nemo vnquam hæc docuit qui non ſtatim eſt prohibitus,& pro hæretico,ſi perſtitit,eſt damnatus.Hic torquentur vehementer, & pharmaci huius virtute grauiter cruciantur, & vel inuiti confitentur, vera eſſe quæ proponuntur, & doctrinam ſuam nunquam per Eccleſiam eſſe receptam, nec à temporibus Apoſtolorū prædicatā, vſque ad viginti quatuor annos hoſce ſuperiores. Aiunt tamē,non defuiſſe pios quoſdam,quibus ſpiritus Chriſti ſuggeſsit, quæ ipſi palam nunc docent. Nec tamen diffitentur, eos ſemper hæreticos eſſe iudicatos,quando ad publicum Eccleſiæ iudicium fuere delati. Hos pios nominant Iohannem

Quos nam ſequantur Euangelici magiſtros, & cur deplorata ſalutis.

Hus, Iohannem VVijclef, Hieronymum de
Praga, in Concilio Cõſtantienſi damnatos:
Vigilantium, contra quem ſcribit Hierony-
mus, & ſimilis notæ peſtilentiſsimos homi
nes. Vere ſtupenda res eſt hæretici hominis
pertinacia: cuius ingenium vt prodiderunt
omnium ſæculorum hæretici, ita noſtra tẽ-
peſtate, qui hæc introduxerunt, quibus mi-
ſere diſcerpitur Eccleſia in religione diſsi-
dia, nõ degenerare à ſuis illis patribus ac ꝓ-
genitoribus demonſtrant: ſed eorum ſe-
ſe produnt germanos filios. Propter quam
pertinacem voluntatem, deſperata eſt eo-
rum correctio, & ad ſanam mentem redu-
ctio. Cum enim communem Eccleſiæ & pu-
blicæ in eo authoritatis ſententiam nullius
faciant, ne rationibus demonſtrari conuin-
cique poſsit veritas fidei: & ſcripturas non
ſit difficile quocunque torquere, & ad quem
quis velit ſenſum inflectere, quas nec Or-
thodoxi omnes ſimiliter intelligunt: quod-
nam tibi reſtat eius reducendi & veritatis
fidei illi perſuadendi principium? Quid cũ
huiuſmodi homine facias? præſertim ſi in-
ſuper obfirmato animo, ſecure & abſq; for-
midine, de oppoſito aſſentiatur iam ſuæ il-
li ſentẽtiæ? Nulla ſpes eſt, quod publica diſ-
putatione aliquis fructus proueniet. Fortaſ-
ſis, quod captari poſſet cum huiuſmodi ho-
mine priuatum abſque arbitris colloquiũ,
velut inquirendæ veritatis ſtudio, & ex amo
re & beneuolentia, oportunitas. Et tunc an-
te omnia detrahendæ cauſæ hæreticæ, quam
diximus, pertinaciæ: ponendumque ob o-
culos primo in vniuerſum, humani ingenij
ſibi permiſsi quanta ſit imbecillitas, quam
multis ſit errorib. obnoxium, etiam in his,
quæ comprehendi poſſunt humana ratione
& ingenio multo magis in his, quæ ad Chri-
ſti fidem, religionemque pertinent, quorum
nullum ſua vi poſsit comprehendere, ſed v-
ni diuinæ veritati ea affirmanti ſimpliciter
inniti oportere: quam tamen non aliter, quã
aut ſcripturarum, Eccleſiæ teſtimonio nobis
commendatarum, aut eiuſdem ipſius Eccle-
ſiæ voce audiat aut intelligat. Ad hæc, ſcrip-
turas multis locis & obſcuras intellectu, &
multiplices atque difficiles, vt quis in eis
germanus ſenſus diuini ſpiritus intelligi o-
porteat, niſi ad communem Eccleſiæ ſenten-
tiam intelligentiamque reſpicias, ignores.
Sed ſi tuo ſẽſui innitaris, toto ſępe cęlo aber
raueris & turpiter hallucinatꝰ fueris. Incul-
canda modis omnibus communis ſententię
catholicę per orbem Eccleſiæ, & publicæ in
eadẽ doctrinæ certa & infallibilis authori-
tas: vtque ad hanc non ſatis attentis omni-
bus ſæculis, quotquot ab initio fuerunt hæ-
retici, ſuo magis quam communi Eccleſiæ
ſenſu, de dogmatibus ſcripturas intelligere
maluerunt: pernicioſiſsimorum in religio-
ne diſsidiorum authores incentoreſque fu-
erunt. Reuocandi præterea ipſis ad mentem
ſui ipſorum, aut quorum authoritatem ſe-
quuntur magiſtrorum euidentes planeque
palpabiles lapſus, præſertim ſi quos ipſimet

Diſputatione priuata potius ſanandi hæretici, quam publica.

Quomodo priuatim cum hæretico agendum.

deprehendentes recantauerunt poſtea, vt ex
illis ipſis, quod & in cæteris, in quibus à cõ-
muni ſententia religioſæ ſocietatis per or-
bem diffuſæ diſſentiunt, errare poſsint, cer-
to intelligant, & ſingularitatem opinionis
ſuæ ſuſpectam habeant. Quæ via ſi nihil a-
pud eos promoueat: adiuncta tum oratione
publica ad Deum, vt cordis tumore & arro-
gantia abiectis, eos illuminet, relinquendi
ſunt tanquam inſanabiles, quorum deſpera-
ta eſt ſalus: & progrediendum ad eos curan-
dos, qui ſub ſpecie pietatis, & ſcripturarum
prætextu, ab eis ſunt ſeducti, credentes ta-
men magis hæreticis, & ſimpliciter erran-
tes, quam in errore pertinaces. Ad hos ſanan
dos, & ſtabiliendos eorum animos, qui gra-
tia Chriſti lapſi non ſunt, potiſsimum con-
duceret, quod rectores populi quiſque ſuũ
agnoſceret officiũ, nec ſibi vendicaret alie
num, & pro virili, quãdo oportunum eſſet,
ſuccurreret & opitularetur, ſicut eiuſdem
corporis membra, quæ mutuis egent offici-
js. Sunt autem hi rectores Epiſcopi cum ſa-
cerdotibus, & authoritas ſecularis cum ma-
giſtratibus ſibi ſubiectis. Ad paſtores perti-
net, quod plebem ſibi commiſſam ſanam
pietatis doctrinam, & eccleſiaſtica definiti-
one certam, pro cuiuſque captu & conditio-
ne eodem vbique tenore doceant, nihil ad-
miſcentes nouum, aut peregrinum, & per-
petuo inculcent præcipua quæq;, & omni-
bus neceſſaria. Quod vt faciant, ad epiſco-
porum curam præcipue pertinet. Quorum
vt eſt ſuperintẽdere paſtoribus, & presbyte
ris, vt idonei vita & eruditione ei muneri
præficiantur: Ita quoque, vt ijdem illi ſuo
officio diligenter ſatisfaciant, & populum
recepta in eccleſia doctrina ſana ſalutari &
neceſſaria eodem vbique tenore fideliter
imbuant. Ad quod ſane profuerit, ſi per eru-
ditos pioſque ad hoc delectos authoritate
publica, ea vniuerſa in locos aliquot cõmu-
nes redigerentur. Ad hæc, ſi lectionum ſa-
crarum, quæ per anni circuitum leguntur
in eccleſia, explanationes aliquot ſuccin-
ctæ, piæ & Orthodoxæ, eadem authoritate
eorundemque conſcriberentur atque ede-
rentur loco multorum, adeoque infinito-
rum librorum ſermocinalium. & hęc præ-
ſcriberentur ac traderentur Eccleſiarum pa
ſtoribus, & diuini verbi præconibus, vt do-
cerent populum: permiſſa tamen doctiori-
bus libertate eadem ipſa iuxta diuinæ ſcrip-
turę conſentientia, teſtimonia & ſanctorum
orthodoxorumq; patrũ ſententia conſonas,
ſecundũ gratiã ipſis datam, explicãdi latius
& copioſius. Ita ſane ſimplicitati & ignorã-
tię multorum, quando nõ omnes doctos ha-
bere poſſumus paſtores, ſuccurreretur, &
proſpiceretur, vt eodem perpetuo tenore
(quod præcipuam vim habere conſeruandæ
vnitatis religionis & fidei in populo indu-
bitatum eſt) vbique inſtitueretur populus.

Quod vt ad Epiſcoporum curam & offi-
cium præcipue pertinet: ita quoque vt ad
omnium vndecunq; introductã nouitatem
diligen-

7.

Quomodo ſanandus populus ſeductus, nondũ in errore pertinax.

Epiſcoporũ officium.

diligentiſsime attenti occurrant, vt aberrātes à caulis dominicis Chriſti ouiculas, modis quibus poſſunt cōmodis, reducāt. Quos poſt tentata reductionis media omnia obſtinatę mentis pertinacia in lupos iam degenerаſſe cōſtat, & Chriſtiano gregi pernicioſos & noxios: notēt, vitādosq; omnibus præcipiant, & diſciplina Eccleſiaſtica & Canonica in eos vtantur: neue libri eorundem peſtilētes ſpargantur in vulgus, aut ab vllis legantur, diligenter proſpiciant. Authoritatis vero ſæcularis eſt agnoſcere, ſe miniſtros Dei eſſe, à quo & gladium acceperūt, vt regno eius & Chriſti filij ſui ſeruiant, clamāte Propheta Eſaia c.60. ad Chriſtum & ciuitatem, quam ædificat hic in terris eccleſiam ſuam: Gens & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit. Ideoq; eius officium eſt, vt ſua authoritate adſit, curetque, ne negligi contemnique poſsit Epiſcoporum authoritas, & refrænentur graſſantium in Chriſti ouile luporum audacia, & ferina rabies, neceſſe eſt. Ad hoc enim præcipue in Chriſti regno gladium portant, vt ſacro ſanctæ authoritatis, quam in eccleſia Chriſtus conſtituit, & per quam eandem gubernari voluit, aduerſus rebelles contumacesq; aſſertores ſint. Fidelis autem populi eſt, vt paſtorum & epiſcoporum ſuorum authoritatem religioſe ſequatur, vt vitet deſignatos ab illis hæreticos, velut immanem exitioſamq; beluam, & libros eorum atro carbone notatos à ſacris publicisque in eccleſia magiſtratibus veluti contagioſam peſtem fugiant. In hunc ſane modum ſi ſuo quemque magiſtratum debite fungentem videremus officio, facile reſtitueretur, conſeruaretur & conſtaret vnitas in Eccleſia, ſyncerae religionis & fidei pax, & concordia. Ita ſi contra plane ſe habere cernentur omnia, nec ſolum nullum in ſuo ordine & gradu, quod ſui officij eſt, facere, ſed conſtitutos ſpeculatores aut cœcos fore omnes, aut ſomno ſepultos & crapula, gregis cura neglecta, ſe probe curare, & ſuauiter indulgere genio, paſtores conuerſos in lupos, cuſtodes in diſperſores & ſeductores: oues degeneraſſe in feras pene incurabiles, inſurgentes in Paſtores ſuos & ſacros magiſtratus, quib. Chriſtus ipſas ſubeſſe voluit: Si, inquam, hoc pacto vniuerſa in Eccleſia ſeſe habeant: nunquid expectas, vt in Sunamitide illa Chriſti ſponſa videas decoram illam vnitatem & religioſam concordiam? Nūquid vt caſtrorum choros ordinata omnia? An non potius miſceri cuncta horrendis tumultibus, ſeditionibus & diſsidijs? nihil ſuo loco ſtare, ſed conuulſa perturbataq; omnia? Iam videamus obſecro, an ſuis cauſis ſua quoque euenta non exacte reſpondeant. Qualis, quæſo, iam annis, imò ſæculis aliquot adhibita cura eſt, vt doctrina & vita idonei presbyteri eligerentur? qui præeſſent docendo populo & eccleſijs? quāta libertas, immo licentia inſtituendæ plebis illis permiſſa eſt? Quam parua cura adhibita, vt doctrina ſana, ſalutari, neceſſaria & iam olim vbique recepta inſtitueretur populus? vt cuique permiſſum, ſuas inuentiones, ſua ſomnia è ſuggeſtu prędicare, ſuos affectus, ſuum morbum euomere in populū? Quantum quibuſdam nominis & gloriæ ſtudioſis & nouitatum omnium, peregrinorūque dogmatum captatoribus, & olim recepta quæcunque, de communem Eccleſiæ doctrinam in dubium reuocantibus, ex ſpeculatoribus nemine occurrente, immo nemine non applaudente, permiſſum eſt? Quā negligenter & frigide ab eiſdem itum obuiam, etiam his, qui palam lacerarunt recepta dogmata eccleſiæ? Quanta vtriſque permiſſa facultas & licentia, ſua peſtifera venena chalcographica opera ſpargendi in populum? Quanta denique populi aduerſus ſuos paſtores, rectores, & ſacros magiſtratus rebellio & contumacia? vt quos hi notaſſent, velut publicos religioſæ ſocietatis deſertores & hæreticos, illi nihilominus publica authoritate contempta, vitare nō curauerunt? Interdictos eorum venenatiſsimos libellos, veluti ſtudio ſuum quærentes exitium, eo legerunt ſtudioſius. His adde vel aduerſam, vel non ſubſeruientem Chriſto, & ſacroſanctis ab eo conſtitutis in regno ſuo magiſtratibus, aut certe inermem, inefficacem contēptamque poteſtatem ſecularem in Eccleſia, quæ & ſua ipſius decreta aduerſus declaratos publicos religionis hoſtes ſinūt impune contemni, & haberi ludibrio. Cum his, inq̄, cauſis conferamus euenta, quæ cernimus, & videmus, num ſibi exacte reſpōdeāt. Quod ſi intelligimus; intelligimꝰ quoq; his tollēdis & reparandæ, farciendæ, ſtabiliendæq; vnitati & concordiæ in domo Eccleſiaſtica, quibꝰ opus ſit: illis nempe, quæ ante memorauimus, cauſis contrarijs: ſine quibus qui ſperat efficaciter & cōſtanter mederi poſſe his malis, q̄ inundauerunt in eccleſiam; is vana ſpe ducitur, & ſua fruſtrabitur expectatione. Nā ſeueritate mandatorum Cæſareæ Maieſtatis amputātur qdem ramauli quidam: ſed radici & origini morbi nō occurritur, niſi iuſta informatione, & pia eruditione ac inſtitutione ſuper his quę nunc controuertuntur. Sic principio propagatum eſt, & toto orbe diffuſum euangelium: hoc modo & conſeruabitur. Inefficacia ſunt, quæcunque remedia morbo apponuntur, neglecto hoc vnico. Imo audeo & pronunciare, quod ne Concilium quidem Oecumenicum & vniuerſale, quod iam conuocatum eſt, multum promouebit in hac hæreſi extinguenda, neglecto hoc quod præſcripſimus. Quando paſtores ſuas neglīgūt oues, & ſeſe curant, ſe paſcunt, quæ nam ſpes, quod non per abrupta aberrabunt oues, vt diſpergantur, & fiant in rapinam & deuorationem omnium beſtiarum agri? Væ (inquit Dominus per Ezechielem) paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos. Nōn ne greges à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat, occidebatis: gregem autem meum, quod veſtri erat officij, non paſcebatis.

Principis atque magiſtratus officium.

Populi officium.

Cauſæ huius calamitatis Lutheranæ aperiuntur.

Populus iudex cõtrouerſiarũ factus à Pſeudoprophetis noſtri ſeculi.

Tribuunt turbæ enim ac populo rudi ſcripturarum intelligentiam: ſed ex ſcripturis iudicium, nec minus quam doctoribus, qui in ſtudio legis diuinæ ætatem conſumſerunt, molliunt & laxant quæcumque grauia & dura in lege Chriſti videntur, carniq; aduerſa relinquunt cuiuſque arbitratui: confeſsionem & ſatisfactionem docent eſſe impiam: vota monaſtica ſtulta eſſe prædicant, permittentes ſacerdotibus & monachis fidẽ Deo frangere, inire cõnubia. Principibus pollicẽtur, quod ſoli Chriſto ſubiecti ſũt, nulli ſacerdoti, nulli epiſcopo, quin potius quod eis cõceſſum ſit ex iure diuino, Sacerdotibus & epiſcopis, imo & Rom. Pontifici Chriſti vicario, quotquot in eorum regnis habitant, imperare, inſtituere quemq; in ſuo officio, corrigere & deſtituere, hoc eſt, quod nihilominus epiſcopis, quam laicis præſideant, nec minus in ſacris quam prophanis: & hanc poteſtatem, cum ſit iuris diuini, eſſe inabdicabilem, vt nulla ſit ipſo iure exemptio, ſi imperitia ſua Princeps aliquẽ eximi velit. Nullamque docent iuriſdictionem competere Epiſcopis nec in Clericos quidem: ſed omnia ſubiecta eſſe Regis imperio, & correctioni: ipſum eſſe in ſuo regno ſummum caput, vt dixi, in ſacris & prophanis, ſolum Chriſtum ſupra ſe agnoſcẽs. Nec ſolum Regibus ſacerdotes ſubijciunt, ſed & cuiuſq; ciuitatis magiſtratui, cuius officium putant eſſe, quod de ſacris diſponant & conſtituant ſub principe. An ne huiuſmodi docere, ſit adulari populo & magiſtratibus? & iuxta vaticiniũ Ezechielis Prophetæ, conſuere puluillos ſub cubito manus, ac ſub omni capite, vt molliter quieſcat populus cum principe in fecibus ſuis? In quæ tempora, ô bone Deus, venimus? in quibus nullum dogma tam abſurdum eſt, quod non ſuum buccinatorem & doctorem inueniat. quinimmo cõtra ſponſam tuã ſanctam eccleſiã pertinaciter pugnãt, quos dediſti ei protectores, Paſtores, & vigiles, qui eã proſtituũt, omnẽ eius ornatũ & decorẽ, tanquã hoſtes (quales re vera ſunt) eximũt & ſpoliãt, & hierarchiã funditus tollunt amici eius & cuſtodes, qui de mẽſa ei⁹ lautiſsime alũtur.

Querela pathetica contra adulatores, potiſſimum pſeudo Epiſcopos.

Hic poſtea diuino illuſtratus auxilio, palinodiam ſui erroris cecinit.

In hanc autem cœcitatem & impietatem potuiſſe venire epiſcopum aliquem, qui ſibi videatur eſſe catholicus, nemo mihi perſuaſiſſet, niſi ſuperioribus diebus incidiſsẽ in orationem quandam ſemel atq; iterum impreſſam, titulo de vera obediẽtia ſub nomine cuiuſdam epiſcopi, qui poſtea diuino illuſtratus auxilio, palinodiam ſui erroris cecinit: in qua omnem hanc impietatem rationibus & ſcripturis demonſtrare conatur, contra receptiſsimam Eccleſiæ catholicę doctrinam, à temporibus Apoſtolorum ſemper obſeruatam, & frequentiſsimis Concilijs vniuerſalibus & apertiſsimis ſcripturis euangelicis firmatam. Quam & nobiliſsimus ille Chriſti martyr & auditor Apoſtolorum S. Ignatius epiſtola ad Philadelphienſes tradit. Principes, inquit, ſubditi eſtote Cæſari, miles principibus, diaconi presbyteris. presbyter vero atq; diaconi, & omnis clerus ſimul cum populo & militibus atq; Principibus, ſed & Cæſares obediant Epiſcopo: Epiſcopus vero Chriſto, ſicut Patri Chriſtus: ita vnitas per omnia ſeruetur.

Hanc doctrinam Apoſtolicam ſemper ſecuta eſt eccleſia, & quotquot habuit catholicos doctores, & tanquam hæretici & ſchiſmatici damnati ſunt ſemper, quotquot ſpiritu vertiginis agitati, aliter in gratiã principum dicere tentauerunt: vt, tempore Iohannis 22. Marſilius de Padua, in Apologia pro Ludouico Bauaro Imperatore, quẽ Pontifex Romanus excommunicauerat. Et quid precor, ad apertas ſcripturas Euãgelicas reſpondet? Cogor hic exclamare poſt prophetam Ieremiam, & fortaſsis iuſtiori ratione: ſtupor & mirabilia facta ſunt in terra: prophetæ prophetabant mendacium, & ſacerdotes applaudebãt manibus ſuis, & populus meus dilexit talia. Quid igitur in nouiſſimo eius, quos Chriſtus in capite conſtituit, hi eoſdem in caudam trahunt. Et quid, precor, ſcripturarum citat vel rationum, pro hac tanta impietate? Primum clariſsimas ſcripturas euangelicas, quibus honorat dominus Sacerdotium, quibus ſanctorum omnis antiquitas veluti ſolidæ baſi innixa, ſacerdotium præfert imperio & regno, exſibilat verbo vno, explodit vniuerſas, nec pili eas facit. Conſideremus, inquit, quid ferant ſcripturæ, quæ ex aduerſo proferuntur. Obedite prępoſitis, inquit Paulus ad Hebræos. Item in actis Apoſtolorum: Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit epiſcopos regere eccleſiam, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Nam illud, Quodcunque ligaueris, alio pertinet, & illud, Paſce oues meas non amplius quicquam continet, quam quod de regenda Eccleſia mandatum fuiſſe iam indicamus. Indicauerat autem eam regendam per reges & magiſtratum ſæcularem. Horum ergo typum gerit Petrus, quando ei à Domino oues committuntur, & ei dicitur, paſce oues meas. Vt, hæc inquit, intelligentia, vt ipſi volunt, nimirum vt Epiſcopis & verbi dei miniſtris in eccleſia obediatur, nihil aduerſetur Regiæ poteſtati, quo min⁹ etiã ad capitis vſq; appellationẽ in eccleſia porrigatur: nõ magis quam quod generali quadã pronũciatione vxor marito, & ſeruus domino obedire iubentur. Nõ enim quod Apoſtolis, & ijs, qui eorum in locũ ſuccedunt, regimen eccleſiæ cõmittitur, aliqua in parte tollit aut derogat ei, quod ante à Deo Principibus cõmiſſum erat: videlicet, per me Reges regnant: &, admone illos principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire. Quæ cum ſimpliciter & ſine exceptione pronuncientur, impium eſt, quod noſtra interpretatione reſtringantur ad laicos tm̃ & ſecularia, cum excluſione epiſcoporum & ſacerdotũ. Quibus verbis ſimulat plene reſponſũ vniuerſis ſcripturis, quibus honoratur ſacerdoti-

2. Refutatio argumẽtorũ cõtra hierarchiam Eccleſiaſticam.

dotium Chriſti. Pro fundamento autem ſuę ſententiæ ſic ratiocinatur. Rex eſt caput ſuum regni ſui. Ex eiſdem autem perſonis conficitur regnum Angliæ, & eccleſia Anglicana, quando iam Chriſtiani ſunt & fideles eius ſubditi. Ergo eſt ſummum caput eccleſiæ Anglicanæ: ſub Chriſto tamen. Adijcit in confirmationem exempla veteris teſtamenti, ex libris Regum & Paralipo. de Salomone, Ioſaphat, Ezechia, qui de officijs ſacerdotũ & Leuitarum ſcribuntur diſpoſuiſſe: & de rege Salomone, quod abiecit à ſummo ſacerdotio Abiathar ſummum ſacerdotem. Vir mortis es, inquit, ſed hodie te non interficiam, quia portaſti arcam Dei. Eiecit autem eum Salomon, ne eſſet Sacerdos Domini. Non poſſum animum inducere, quod vir vel mediocriter in ſcripturis verſatus, ex animi iudicio & ſententia hæc docere poſsit, & adeo contemnere clariſsima hæc ſcripturarum teſtimonia, cõtra quæ leuiſsimis & ſophiſticis argumentis vſus, à communi catholico ſenſu recedens, ab ea ſe ſeparat, caputque conſtituat ac ducem grauiſsimi ſchiſmatis, quo tam florens regnum à Chriſti corpore amputatur.

Rationes Samſonis Anglici.

Non eſt conſequens, ſi Rex ſit caput Regni Angliæ, quod ſit & ſupremum caput Eccleſiæ Anglicanæ, quæ pars eſt Catholicæ Eccleſiæ. Non ita regnum alterius ciuilis & mundani regni. Nam regna ſunt plurima, nec ea oportet in Ciuili aliqua, vnaque politia conuenire. Sed domus Chriſti eiuſque Eccleſia vna eſt. Confitetur quiſque fidelis vnam ſanctam Eccleſiam Catholicam & Apoſtolicam, quam Apoſtolus Paulus ad Timotheum ſcribens, docet eſſe domum Dei, Vt ſcias, inquit, quomodo oporteat in domo Dei ambulare, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis. Hac domo quiſque ſeparatur adulterinus. Igitur à promiſsis Eccleſiæ ſeparatur, nec pertinet ad CHRISTI præmia, qui reliquit Eccleſiam Chriſti. Alienus eſt, hoſtis eſt, clamat glorioſus Martyr Cyprianus: habere non poteſt Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet matrem. Si potuit euadere, qui extra arcam Noe fuit: & qui extra Eccleſiam foris fuerit, euadet. Monet Dominus & dicit, Qui non eſt mecum, aduerſus me eſt, & qui mecum non colligit, ſpargit. Qui alibi præter eccleſiam colligit, Chriſti eccleſiam ſpargit: cuius domus rectorem dicit Petrum cũ ſucceſſoribus eſſe conſtitutum. Et Beatus Ambroſius in Commentarijs epiſtolæ primæ ad Timotheum, explicans locum, Vt ſcias, quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari: Cum totus mundus Dei ſit domus: eccleſia tamen domus eius dicitur, cuius hodie rector eſt Damaſus. Et multis in locis gloriatur ſe in omnib⁹ ſequi magiſtrã Romanam eccleſiam. Et ad eundem Damaſum ſcribens B. Hieronymus, En vetuſto Oriens inter ſe populorũ furore colliſus, indiſciſſam domini tunicam deſuper contextam, minutatim per fruſta diſcerpit, & Chriſti vineam exterminant vulpes, vt inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile, vbi fons ſignatus & ortus ille concluſus ſit poſsit intelligi. Ideo mihi & Cathedram Petri, & fidem, Apoſtolico ore laudatam, cenſui conſulendam. Beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri communione conſocior: ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus eſt. ſi quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum: quicunq; tecum non colligit, ſpargit. Si quis Cathedræ Petri iungitur, meus eſt. Nec ſuo hæc ſenſu & iudicio proprio hæc confitetur Hieronymus: ſed ſequens venerandam Patrum antiquitatem, quæ ab initio populum Chriſtianum inſtituerat, & Apoſtolorum ac totius Eccleſiæ catholicæ ſcientiam & fidem, vt dixi indubitatam, & fere ad verbum hæc mutuans à glorioſo martyre & Doctore B. Cypriano, de ſimplicitate prælatorum, & in epiſtola, ad Magnum. Qui in epiſtola ad Cornelium. Papam ſcribit quod nõ aliunde hæreſes exortæ ſunt, & nata ſchiſmata, quam quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in eccleſia ad tempus ſacerdos, & idem iudex vice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecundum magiſteria diuina, obtemperaret fraternitas vniuerſa, nec aduerſus ſacerdotum collegium quicquam moueret: nemo diſsidio vnitatis, Chriſti eccleſiam ſcinderet, nec ſibi placens ac tumens, ſeorſum foris nouam hæreſim cõderet. Et eidem ſententiæ ſemper ſubſcripſerunt doctores Græci ac totius Orientis, Imo & Aphri, ac magnus ille Athanaſius in epiſtola Synodica eius & epiſcoporum, qui interfuerunt Concilio Alexandrino, ad Fœlicem Pontificem Romanum. Et idem Athanaſius in epiſtola ad Marcum, Romanæ eccleſiæ epiſcopum ante annos mille ducentos. Hi ergo concorditer tenuerunt ſemper & ſenſum eccleſiæ ſequentes, intellexerunt, ſucceſſorem Petri Chriſti vicarium, ab eodem ouibus vniuerſis Chriſti præfectum, tanquam paſtorem, & iudicem. Et iam ouis præponitur paſtori, caro ſpiritui. Qui ſpiritu cœperunt, carne putant conſummari, niſi dicant regem eſſe paſtorem ſuo loco Eccleſiæ præfectum, & Petrum cum reliquo Apoſtolorum ac epiſcoporum choro ſub illo paſtorem eccleſiæ, & ducem. Res ipſa in ſe abſurdior eſt, & in ſua abſurditate luculentior, quam illa mereatur, vt diutius in ea occupemur.

D. Paulus.

D. Ambro.

B. Hieronymus.

D. Cypria.

D. Athanaſius.

Quod adducit exẽpla veteris teſtamenti, in quibus Reges iudicant de ſacerdotibus & de miniſterijs ſtatuunt: ex mera imperitia ꝓficiſcitur ſacerdotij Chriſti, cuius excellentiam ſupra ſacerdotium Aaron & veteris teſtamenti, magnifico ſtilo proſequitur Apo. Paulus in epiſtola ad Hebræos, in epiſtola 2. ad Corint. Ipſe, inquit, idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti. Quod ſi miniſtratio damnationis in gloria eſt, multo magis

abundat

abundat miniſterium iuſtitiæ ſpiritus in gloria.

Non igitur oportet, ſi ſacerdotibus veteribus & legis tempore, & primis naturæ, ſuperiores fuerint Reges: quod & noui teſtamenti miniſtris & ſacerdotibus. Quā ſacerdotij varietatem in honore & dignitate, cōſiderans, & magno ſententiarum pondere & ſermonis copia conferens noſtrum ſacerdotium ſimul cum poteſtate Regali ex ſcripturis docet B. Chryſoſt. libro 3. de dignitate Sacerdotali. Qui terram, inquit, incolūt atque in ea verſantur, his commiſſum eſt, vt ea quę in eccleſia ſunt, diſpenſent: ijs datum eſt vt poteſtatem habeant, quam deus ipſis, neque angelis neq; archangelis datam eſſe voluit. Neq; enim ad illos dictum eſt, Quæcūq; alligaueritis in terra, erunt alligata & in cœlo, & quæcumq; ſolueritis in terra, erunt ſoluta & in cœlo. Habent quidem & terreſtres principes vinculi poteſtatem: verum corporum ſolum: id autem, quod dico, ſacerdotū vinculum, ipſam etiam animam contingit, atq; ad cœlos vſq; pertingit, vſque adeo, vt quecumq; inferne ſacerdotes confecerint, illa eadem Deus ſuperne rata habeat, ac ſeruorum ſententiam dominus confirmet. Iam quid ipſum hoc aliud eſſe dicas, niſi omnem rerum cæleſtium poteſtatem illis à Deo conceſſam? Quorumcumq; enim, ait, remiſeritis peccata, remittuntur, & quorū retinueritis ſunt retenta. Quę poteſtas hac vna maior eſſe poteſt, pater omnifariam filio poteſtatē dedit: cæterum video ipſam eandē omnifariam poteſtatem à filio illis traditam, & eo in cælos aſſumpto, illi in principatum iſtū producti ſunt. Quid multa? Rex aliquis ſi cui ex ſubditis ſuis honorem hunc impertitus fuerit, vt poteſtatē habeat, quoſcunq; velit in carcerem conijciendi, eoſdemque rurſus relaxandi: is nimirum beatus, & admirand⁹ omniū iudicio fuerit. At vero qui à Deo tanto maiorem accepit poteſtatem, quanto cœlum terra precioſius eſt, quanto animæ corporibus præſtant: hic ita ne vilem adeo dignitatem accepiſſe nonnullis videri debet? corporis lepram purgare, ſeu vt verius dicā haud purgare quidem, ſed purgatos probare, Iudæorum ſacerdotibus ſolis licebat: neq; neſcis, quanta cum ambitione, quanto cum ſtudio ac cōcertatione ſacerdotalis dignitas id tēporis acquireretur. At vero noſtris ſacerdotibus non corporis lepram, verum animæ ſordes non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus cōceſſum eſt. Quare iudicio, inquit, meo, qui iſtos deſpiciunt, contemnuntq; multo ſceleratiores ac maiori digni ſupplicio fuerint, quam fuerit Dathā. Ille enim tametſi principatū ad ſe non ſpectantem ſibi vindicauit, tamen miram quandam de eo principatu opinionem animo cōceperat. Id quod declarat ingens rei cupitæ ſtudium. Hi autem cum iam ſacerdotalis honos incrementum multo maius, tum præſtantiam ampliorem acceperit, quam ille, tamen multo maiora audent. Et alia proſequens: quanquam, inquit, non ſolum in bene merendo, ſed & puniendo maxima ſit poteſtas indulta ſacerdotibus. De quo & B. Ambroſius licet ſanctus, non tamen vniuerſalis Eccleſię Epiſcopus, pro culpa, quæ ab alijs ſacerdotibus nō adeò grauis videbatur, Theodoſium Magnum Imperatorē excommunicans, ab Eccleſia excluſit: qui etiam in ſuis ſcriptis oſtendit, quod aurum non tam precioſius ſit plumbo, quam regia poteſtate ſit altior ordo ſacerdotalis, circa principiū ſui paſtoralis ita ſcribens. Honor, fratres, & ſublimitas epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori comparas & principum Diademati: longe erit inferius, quā ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippe cum videas Regum colla ſubmitti genibus ſacerdotū. Et B. Gregorius Naziāzenus in oratione ad Imperatorem et nobilitatem eius: Nam ſi ſermonem ſuſcipitis liberum, lex Chriſti vos meæ poteſtati, meoque ſubijcit tribunali. Imperamus enim & ipſi: addo, Imperio maiori, & perfectiore. An oportet potius, vt Spiritus ſubſit carni? cœleſtiaq; terreſtribus? Suſcipe igitur vocem liberiorem: ſcito te ouem eſſe gregis mei, paſtoris magni agnum, & alia, quæ ſequuntur. Quantum diſtant hæc ſanctiſsimorum Patrum verba ab his, quæ oratio VVintonienſis Epiſcopi oſtendit, quod non alio referri debent verba Saluatoris, Quæcunque alligaueris ſuper terram: & paſce oues. Sed prolixius fortaſsis hæc proſequor, quam tempus poſtulat.

B. Chryſoſtomus.

Ambroſius.

ORATIO OCTAVA REVEREND. D. Rueuvardi Tapperi, qua origo errorum huius ſæculi circa magiſtratus à Deo inſtitutos oſtenditur, & augmenta hæreticorum, tam Anabaptiſtarum, quam Lutheranorum, diſſoluuntur: vnum eſſe Chriſti Eccleſiæ demōſtrans Paſtorem Petrum, eiuſque ſucceſſorem: cui omnes Chriſti oues parere oportet.

EX nobis prodierunt his diebus frenetici quidam Anabaptiſtę, qui vt liberius, abſque pœnæ, aut correptionis metu, animi ſui arbitrio viuāt, vniuerſam Eccleſiæ Dei politiam, ſanctam Regum, Principū, Dominorum, ac Magiſtratuū poteſtatem abolent: perinde ac ſi nullum deceret Chriſtianum, vllam harum habere dignitatem; quæ tamē ſunt ſanctæ Dei ordinationes, in publicam omnium ſalutem inſtitutæ. Sed non minus inſaniunt, qui nouum Regnum, quod Chriſtus in terris conſtituit, ſine politia & Magiſtratibus eſſe docent, ipſumque vniuerſum, totam videlicet Eccleſiam, ſubijciunt politiæ & Magiſtratui Ciuili: pertinaciter docentes omnem Iuriſdictionem & coertionem reſidere apud Magiſtratum Ciuilem, nullamque eſſē apud eos, quos Chri-

1. Hæreſes noſtri temporis de vtroque magiſtratu.

ſtus Regno ſuo, ſuæque familiæ præpoſuit. Quid enim abſurdius eſt, quam quod oues ſine Paſtore palantes reliquerit, vel quod ouicularum Paſtor, & membrorum caput ſubijciatur gubernationi? Tolerabilior namq; & minus abſurdus eſt ordinis defectus, quam contra rerum naturam peruerſio. Nam inter mala, quæ ſub ſole ſunt, vidit Eccleſiaſtes, Stultũ in dignitate ſublimi poſitum, & diuites ſedere deorſum. Vidit præterea ſeruos

Eccleſ. 10. in equis, & Principes ambulantes ſuper terram, quaſi ſeruos. Abſurdius eſt, quod iſti docent, in dignitate ſublimi poſitas oues & Paſtores ſedere deorsũ. Et quſũ iuſſerit Chriſt' oues auſcultare: Paſtoribus oues ſubeſſe, pedes & reliqua membra capiti: Et tam ſint abſurda, vt inter mala nihil tale ſe vidiſſe fateatur? Attamen callidus ille antiquus ſerpens, hoſtiſque humani generis, intelligens ſuis artibus, ſuiſq; technis nulla in re ſe magis proficere, quam ſi vt primis illis noſtris Parentibus, Deo: ita & nobis, ſacris ab eo conſtitutis, ordinatiſque magiſtratibus non obedire perſuaſerit: immo nullos, Chriſtũ in ſuo Regno conſtituiſſe magiſtratus, nullum ordinẽ. (Inde enim & Dei, & cultus eius, vniuerſæque Religionis neglectum conſequuturum videt.) Ita nulli rei, excitatis ad hoc ſuis Apoſtolis, ſtudet diligentius, aut accuratius: præſertim cũ hoc ſibi videat ceſſiſſe fœliciter. Vniuerſi enim fere ſectarij noſtri ſæculi, tametſi in multis ab inuicem ſint diuiſi, in hac tamen inſana hæreſi conſentiunt concorditer, nullam apud Præpoſitum familiæ Chriſti eſſe authoritatem præcipiendi, coercendi iuſq; dicendi. Et ob inſitæ omnibus appetitionis cuiuſdam (niſi ratione moderetur) inordinatæ, libertatis inquam, cognatæque ſuperbiæ ac gloriæ igniculum, ſecularibus principibus facile ab eis perſuadetur, non ſubijci, non teneri ſacerdotali authoritate, & legibus. Et aures arrigunt tametſi pij alioqui Principes, cum ſua ſibi iura detracta à Sacerdotibus audiũt. Et facile creduntur, quæ per ſe arrident: & incitantur ad quæcunque ſibi vendicanda, modo, quæ perſuadentur, ſibi deberi optimo iure intelligant. Atque ethnicam fere dominationem, interdictam à Chriſto, inſtillatam ab his conſultoribus concipientes, animoque meditantes, interim obliuiſcuntur, quod Chriſtianæ Eccleſiæ membra ſint, quod oues Chriſti, quod Chriſti Regno ſeruiant, Regnique præpoſitis obedientiam debeant, veluti ſibi, qui in eorũ Regno ſunt, incolæ. Et hæc, vt diximus, concorditer fere omnes qui nunc Eccleſiam ſuis dogmatibus conturbant, &, vt gloriantur, ſcripturarum authoritate docent. Nam hæreticorum conſuetudo fuit ſemper, denſiſsime citare ſcripturas ad ſua dogmata firmanda, ſed contortas ad ſuam impietatem, non ſecundum germanam earum intelligentiam. Et Anabaptiſtę nihil ſe ſine ſcripturis docere gloriãtur, quæ ſanæ pro eorum inſania non minus sũt apparentes & in ſpecie probabiles, quam

2. Cur noſtri temporis hereſes patronos paßim inueniant.

3. Argumentorum, quibus vtũtur Anabaptiſtæ, diſſolutio.

ſunt, quas pro ſuo errore citant iſti. Nam tẽporibus B. Auguſtini, ex ſcriptura euangelica hic error occupauit viros quoſdam liberaliter inſtitutos. Nam Marcellinus vir clariſsimus ſcribit beato Auguſtino, quibuſdam, inter quos ponit virum illuſtrem Voluſianum, videri, quod prædicatio, & doctrina Chriſti, Reipublicæ morib. nulla ex parte conueniat, cuius hoc conſtat eſſe præceptum, vt nulli malum pro malo reddere debeamus, & percutienti præbere alterã maxillam, & pallium dare perſiſtenti tunicam tollere, & cum eo, qui nos angariare voluerit, ire debere ſpatio itineris duplicato: quę omnia Reipublicę moribus aſſerunt eſſe contraria. Nam quis ſibi tolli ab hoſte aliquid patiatur? vel Romanæ Prouinciæ deprædatori non mala velit belli iure reponere? Quibus reſpondens Auguſtinus, epiſtola ſequente ad eundem Marcellinũ, numero epiſtolarum quinto, ſcribit non opus eſſe, vt diutius reſpondendo laboret, quando conſideratur, quod optimi quique Reipublicæ adminiſtratores propenſiores fuerunt ſemper ad ignoſcendum, quam ad vindicãdum. Imo, inquit, poterant gubernare, atque augere Rempublicam, quam ex parua & inopi magnam opulentamque fecerunt, qui accepta iniuria ignoſcere, quã perſequi maluerunt. Quinimo Cæſaris vtique Adminiſtratoris Reipublicæ mores extollens Cicero, dicebat, quod nihil obliuiſci ſolet, niſi iniurias. Deinde oſtendit veram ſcripturarum intelligentiam, quæ huic ſententiæ fauere videbantur, maiori ſane apparentia, quam alteri dogmati, quod ſcilicet præeſſe debet ouicula ſuo Paſtori, caput pedibus, ne ceſsitate impoſita Paſtori, vt quod iuſſerit ouicula, ſequatur Paſtor, & quod diſcipulus præſtare debeat Magiſtro. Scripturæ, quas pro hoc ſuo dogmate in eccleſia nunquam audito ſtabiliendo adducunt, hæ ſunt. Citãt enim imprimis, quod Apoſtolus Paulus ad Romanos ſcribit, Omnis anima (citra aliquã exceptionem) ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit. Non enim eſt poteſtas, niſi à Deo. Et eæ quæ ſunt, à Deo ordinatæ ſunt. Itaq; qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. & quæ ſequuntur. Diuus item Petrus 2. prioris epiſtolæ capite: Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deũ, ſiue Regi, quaſi præcellenti, ſiue ducib' tanquam ob eo miſſis, ad vindictam male factorum, laudem verò bonorum. Ex quibus ſcripturis monent, quod quiuis apud ſe cogitet, qualis fuerit horum architect' qui aduerſus verbum Dei hanc inuenerunt quarũdam perſonarum exceptionem à poteſtate quæ à Deo ordinata eſt. & ex eis colligunt, nullum hominum ordinẽ hoc tempore huic infami ſectę Anabaptiſtarum magis conſentire, quam eum qui ſe ſacerdotalem aut eccleſiaſticũ nominat. Quos perſpicimus (inquiũt) callide ab his ſe poteſtatibus exemiſſe, quo liberius poſsint, nullo reclamante,

4. Chriſtianos omnes vni Petro ſubiectos eſſe contra Lutheranorum ſententiam. Rom. 13.

1. Pet. 2.

pro

pro ſua libidine vitam tranſigere: eũ tamen
ne litteram quidem ex vniuerſa ſcriptu-
ra in huius rei confirmationem afferre que-
ant: & facile inuenerint, quod in epiſtola ad
Rom. ſcribit Apoſtolus Paulus quod omnis
anima ſublimioribus poteſtatibus ſit ſubie
ćta. De quibus doctoribus vere dici poteſt,
quod habet B. Pau. 2. ad Tim. 3. Quemadmo-
2. Timo. 3. dum Iamnes & Mambres reſtiterunt Moyſi:
ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti
mẽte, reprobi circa fidẽ, ſeductores, errãtes,
& in errorẽ mittentes. Et implent, quod B.
Petrus ſcribit, homines indoctos & inſtabi-
les deprauare loca difficilia in epiſtolis Pau.
ſicut & cęteras ſcripturas ad ſuã ipſorũ ꝑdi-
Refutatio tionẽ. Quantum aũt ponderis habeant ad ſta
Lutherani- biliendũ ſuum dogma ſuperius citatæ ſcrip
torum argu turæ, ex epiſtola ad Rom. & prima epiſtola
mentorum. B. Petri primum videamus: deinde, quam a-
perte ſcripturis ſacris aduerſetur, dogmaq;
Eccleſiaſticum verbo Dei plane conſentiat.
Rom. 13. Facile (inquiunt) inuenerint in epiſtola ad
Rom. quod omnis anima citra exceptionem
aliquam ſublimioribus poteſtatibus ſubdi-
ta ſit. Certe inuenimus & libenter amplecti
mur: ſed ſimul animaduertimus Apoſtolicũ
ſermonem generalem eſſe de his, quicunq;
prędití ſunt authoritate. Quod etiam anno-
tauit mellifluus Doctor Bernardus, in epi-
ſtola, quam ſcripſit ad Henricum Senonen-
ſem Archiepiſcopum, ex eo oſtendens, Ab-
batem debere obedientiam Epiſcopo. Non
enim dicit omnis anima ciuilibus poteſtati-
bus ſubdita ſit: ſed omnis anima, omniſque
homo ſubditus ſit poteſtatibus ſublimiori-
bus: nempe quiſq; ei, quẽ Deus ſua diſpoſitio
ne ei præpoſuit. Nec ſcriptura dicit. Omnis
anima ſublimiori poteſtati ſubiecta ſit, qua-
ſi de vno dũtaxat loqueretur gradu, cui om-
nem animã velit eſſe ſubiectam: ſed plurali
ter Poteſtatibus ſublimioribus: multos in-
ducẽs principatus, multaſq; ſubiectiones, vt
ait Sanctus Epiſcopus Io. Chry. in Commẽt.
Epiſtolæ ad Rom. Nam iuxta hanc Apoſtoli
ſententiam, Serui Dominis, famuli & ancil-
lę patrifamilias, vxor marito, monachus ab-
bati ſuo, omnes deniq;, qui vel ſua volunta-
te, vel ex ſtatu & conditione Reipub. cuius
partes ſunt, vel ex ſuæ natiuitatis ſorte al-
teri ſubiecti ſunt, illi obedientiam debent.
Itaq; quum non idem in omni ordine ſupe-
rioritatis & ſubiectionis debetur ſuperiori
bus poteſtatibus à ſubditis, concludens il-
lam generalem ſententiam, infert: Reddite
ergo omnibus debita: cui tributum, tribu-
tum: cui vectigal, vectigal: cui honorem, ho-
norem: clare inſinuans, non idem deberi
omni gradui ſuperioritatis. Nam apud Ma-
lachiam Prophetam legitur, filius honorat
patrem, & ſeruus timet dominum ſuum. Si
ego pater ſum, vbi eſt honor meus? & ſi do
minus ego ſum, vbi eſt timor meus dicit Do-
minus exercituũ. Et loquẽs de poteſtate ciui
li quæ gladiũ habet, dicit: Ideo enĩ & tribu-
ta pręſtatis. Miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ip
ſi ſeruientes, quod proprie ei tributa debẽ-
tur, alijs aũt vectigalia, alijs honor & timor.
Reddite inquit, omnibus debita, non tm̃ Ma
giſtratibus ciuilibus, ſed cui vectigal, vecti-
gal: cui tributũ, tributũ. Nõ enim omnibus,
q̃bus debemus eſſe ſubiecti, debẽtur iſta vni
uerſa: ſed vni tributum, alteri vectigal, ter-
tio honor, alij timor. Sed & ipſa ratio Apo-
ſtoli, quæ perſuadet omnes omnibus ſuperi-
oribus poteſtatib. obedientiam debere, con
uincit illum ita, vt diximus, vniuerſaliter
loqui, & non tantũ de poteſtate ſeculari, aut
Magiſtratu ciuili. Quoniam, inquiũt, à Deo
hæc ita ordinata ſunt, cuius ordinationi qui
reſiſtunt ſibi ipſis damnationẽ acquirunt. A
Deo ſiquidem ordinatũ eſt, vt ſit ordo inter
homines vt hic pręſit, & cęteris imperet: ille
ſubſit & obſequatur alterius imperio: ne cũ
cta temere ferantur, & quemadmodum vn-
dę (vt B. Chryſoſtomi verbis vtar) ita & Po
puli hucatq; illuc circũducerentur. Et quo-
niam honoris atq; conditionis ęqualitas, in- *B. Chryſoſto*
quit idem Chryſoſt. pugnas & diſsidia ple- *mus.*
runq; inducit, multos fecit Principatus, mul
taſq; ſubiectiones, vtpote viri & vxoris, filij
& patris, ſenis & adoleſcentis, ſerui & domi
ni, Principis & ſubditi, Præceptoris & diſci-
puli. Nec mireris, inquit, q̃ in hominib⁹ hũc
ordinem inſtituit: quando idem & in corpo
re noſtro conſtituit. Neq; enim hic paris ho-
noris fecit omnia: ſed hoc equidem minus,
illud vero potius: & hæc quidem membris
reliquis imperantia, illa vero ſeruientia.
Quod & in beſtijs eſt videre, vt in apibus, in
gruibus, in gregibus omniũ agreſtium. Quĩ
& mare ab iſtã diſciplina deſtitutũ non eſt,
ſed illic quoq; multa piſciũ genera ſub vno
reguntur, ac militant, longaſq; velut pere-
grinationes ſuas exequuntur. Hactenus ferò
Chryſoſt. In hunc modum vnus quilibet ho
mo, quicunque tandem is fuerit, ſeu Apoſt.
ſeu Propheta, ſeu Epiſcopus, ſeu Sacerdos,
ſeu Monachus, ſeu Prætor, ſeu Conſul, ſeu
Rex, ſeu Imperator, quicunq; tandem is fue
rit, ſibi ſupereminẽti poteſtati obedientiã
dependere debet. Si quæ tamen illi pote-
ſtas ſupereminet: ea enim reſtrictione o-
pus eſſe, res ipſa cogit intelligere. Nam
ſuprema in terra, & nulli alteri ſubordi-
nata authoritas, ſoli Deo ſubiectionem de-
bet & obedientiam. Quod vero genera-
lem illam ſuam atq; adeo diuinam ſententi-
am in ciuilibus & huius ſæculi poteſtatibus
velut in exemplo, diligentius executus ſit:
hoc fecit, vt obſtrueret ora quorundam lo-
quentium iniqua, per quos apud gentes blaſ
phemabatur nomen domini & Chriſtiana
Religio, quaſi doceret ſubditos rebellare
Magiſtratibus, & ſeruos dominis. Ita enim 5.
pleriq; ſentiebant de doctrina Apoſtolorũ, *Cur Apoſt.*
quod omnes velut propoſito pilio euoca- *ciuilis legiti-*
rent in libertatem, & veluti ſeditioſi, rerũ- *mæ poteſtati*
que nouatores omnia ad euertendum leges *etiam Ethni*
communes & facerent & docerent. Paulus *ca parendũ*
ergo vt ſe & Chriſti religionem purgaret *docuerint.*
infamia, illam quam præmiſit generalem
ſententiam, & veluti animi quandam com-

munem conceptionem, in publicis poteſtatibus & Magiſtratibus ciuilibus diligentius exequitur: reuertitur tamen tandem ad communem & generalem ſententiam, dicens: Reddite ergo omnibus debita à qua veluti communi animi conceptione, argumētum hoc inceperat. Ita quoque & eodem cōſilio à generali regula, quam nemo negare
1.Petri.2. poteſt, cœpit Petrus Apoſtolus, Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, hoc eſt, quiſque ſuo ſuperiori & ſtatuto, quod eo quaſi creatur & conditur: ab eo, inquam, cui eſt ſubditus ſecundum ipſas humanarum ſocietatum leges ac ordinem. Hoc ipſum deinceps ſpeciatim perſequens, ſiue Regi, inquit, tanquam præcellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſsis. Et deinceps: ſerui ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis. Et capite ſequēti, de vxoribus, quod ſubijciantur ſuis maritis: Omni ergo humanæ creaturæ nobis præpoſitæ, hoc eſt, vt loquitur Apoſt. Paulus, omni ſublimiori, aut ſuperiori poteſtati, quiſq; ſecundum Dei ordinationē & voluntatem, debet obedientiā quam adeo non tollit lex Chriſti & euangelica, vt etiā confirmet. Hoc modo hūc locū epiſtolæ B. Petri, interpretatur Venerabilis
Venerabilis Beda. Beda. Omnis humanæ creaturæ, inquit, hoc eſt, omni dignitati hominū, omni perſonæ, ſiue principatui, cui nos diuina diſpoſitio ſubdi voluerit. Hoc eſt enī quod dicit, propter deū: quia non eſt poteſtas, niſi à Deo, Et qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit Eſt aūt frequens in epiſtolis Paulus Apoſt. in exhortando ad hāc ſubiectionem, quam Chriſtiani debēt magiſtratui politico: propterea quod multi hunc errorem ſequebantur, quod Populus Dei Principibus Ethnicis nullam debeat obedientiam. Nā & in epiſt. ad Titū admoneri vult ab eo ſubditos, quod Principibus & poteſtatibus obediant. Vbi in commentarijs B. Hiero. Hoc inquit, præ-
B.Hieronymus. ceptum & hic, & in epiſtola ad Rom. propterea puto editum, quia Iudę Gali. per illud tempus dogma illud vigebat, & plurimos habebat ſectatores, Cuius & in Actis Apoſt.
Act.17. fit mētio q̄ inter alia hoc quaſi ꝓbabile proferebat ex lege, nullū debere dominum, niſi ſolum Deum, vocari, & eos qui ad Templū decimas deferunt, Cæſari tributa non debere. Quam hęreſim ita creuiſſe dicit, vt etiam Phariſęorum & multam pártem Populi conturbaret: & ad dominum quoque noſtrum referretur hæc quæſtio, liceat Cæſari dari tributum, an non? Non igitur ex his ſcripturis epiſtolarum Beatiſsimorum Petri & Pauli Apoſtolorum probatur, quod oporteat Epiſcopos totumq; clerum ſubeſſe poteſtati Politicæ: quin potius contrarium, q̄ Magiſtratus cum ſuo imperio ſubſit Præpoſito, quem Chriſtus ſuæ familiæ præfecit: eo tamen coaſſumpto. Quoniam autoritate politica præditi ſunt Chriſti oues & domeſtici eius, & ciuibus ſanctæ ciuitatis, quam hic in terris dominus ędificat, vna cū illo & Chriſtus peregre profecturus ſuper familiam domus Præpoſitum conſtituit & Rectorem, cū plena facultate ligandi & ſoluendi, pro pace & ſalute familiæ. Nam ex eis clarißime docetur, quod quiſque ſubeſſe & parere debet poteſtati, quia Deo ſubiectus eſt, quod ſeruus domino, quod familia ei, quem paterfamilias præfecit, membrum capiti. Sūt autem reges & Magiſtratus politici, quando in Chriſti fidem iurauerunt, domeſtici, & de familia eius, conciues ſanctorum, ſanctæque ciuitatis Ieruſalem, quam hic in terris Deus ædificat, & ouiculæ commiſſæ curæ Paſtoris, ſi tamen ad Chriſti ouile pertinent, & inter Chriſti oues numerari debēt. Æquiſsimum igitur eſt quod Præpoſito familiæ & domus, & Paſtori, cuius curæ concrediti ſunt, obediant: & abſurdiſsima ordinis inuerſio, quod contra domeſtici imperēt Patrifamilias, eiuſq; nomine gubernāti.

Petrus eiuſque ſucceſſores Ro. Pontifices, domus Dei Rectores.

Petrum autem & eius Succeſſores in Cathedra Romana Pōtifices eſſe quos præfecit Chriſtus ſuæ familiæ peregre hinc profecturus, teſtantur ſcripturę Euangelicę ac Apoſtolicæ, & ab annis ſupra mille & quingentos, tota Eccleſia Catholica, & omnis Patrum antiquitas, & generalia Chriſtianæ Eccleſiæ Concilia. Quæ ſecutus Diuus Ambroſius in Commentarijs primæ epiſtolæ ad Timotheum, circa locum: Hæc tibi ſcribo, vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei cōuerſari: dicit, cuius hodie Rector eſt Damaſus. Is enim illo tempore ſedit in Cathedra Petri, & nunc Paulus Tertius. Cum enim hu- 6.
ius dominus & familię ac huius regni, quod dominus venit nouum cōſtituere in terris, & aliquando tradet Patri ſuo integrum, ex omnibus ad hoc electis conſtans, aliæ ſint leges, alius finis, alia forma gubernationis, quam in Politia ciuili, neceſſe eſt alium eſſe præpoſitum, alium Rectorem, inſtructumq; authoritate potentiori, quæ etiam attingat & liget animam. Ei enim dicitur, Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cęlis: & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. &, quorum remiſeritis peccata, remittūtur eis: & quorū retinueritis, retenta ſunt. Quæ pertractans B. Chryſoſt. li. 3. de dignitate ſacerdotali, Qui terram incolunt, atq; in ea verſantur, ijs cōmiſſum eſt, vt ea quæ in cęlis ſunt diſpenſēt: ijs datum eſt, vt poteſtatem habeant, quam Deus Optimus neq; Angelis, neq; Archągelis datam eſſe voluit. Neq; enim ad illos dictum eſt, Quæcunq; alligaueris in terra, erūt alligata & in cęlo: & quæcunque ſolueris in terra, erunt ſoluta & in cœlo. Habent quidem & terreſtres Principes vinculi poteſtatem: verum corporum ſolum. Id autē, quod dico, Sacerdotum vinculum ipſam etiam animam contingit, atque ad cœlos vſq; pertingit: vſque adeo, vt quæcunque inferne ſacerdotes cōfecerint, illa eadem Deus ſuperne ratahabeat, ac ſeruorum ſententiam dominus confirmet. Iam quid ipſum hoc aliud eſſe dicas, niſi omnium rerum cœleſtiū

Præpoſitus domus Dei erat Damaſus teſte Ambroſius.

B.Cryſoſt.

pote-

poteſtatem illis à Deo conceſſam? Quorumcunque enim, ait, peccata remiſeritis remittuntur: quorumcunque retinueritis retenta ſunt. Quæ nam poteſtas hac vna maior eſſe queat. Pater filio omniſariam poteſtatẽ dedit. Cæterùm video ipſam eandem omniſariam poteſtatem à filio illis traditã. Quid multa? Rex aliquis, ſi cui ex ſubditis ſuis, honorem hũc impartitus fuerit, vt poteſtatem habeat, quoſcunque velit in carcerem conijciendi, eoſdemq; rurſus relaxandi: is nimirum beatus & admirandus iudicio omnium fuerit. At verò qui à Deo tanto maiorem accepit poteſtatem, quanto cælum terra precioſius eſt, quanto etiam animæ corporibus præſtãt, apud aliquem cum ſuo munere ſordeſcere poteſt? Inſania eſt manifeſta, deſpicere tãtum iſtum principatum. Quo ſermone omnem ſuam ſententiam pronũciat beatus Chryſoſtomus, de dogmate aduerſariorum Eccleſiæ.]

7. *Omnes Chriſtianos paſtori ouiũ Chriſti Petro ſubiectos eſſe oportet.* Cum enim quiſq; Chriſtianus ſit ouicula Chriſti: ei ſubiectam eſſe oportet, cui dixit dominus, Paſce oues meas, paſce agnos meos, hoc eſt, paſtoraliter rege oues & agnos. Non enim paſcere, ſolum eſt pabulum verbi Dei & ſacramenta miniſtrare. Nam B. Paulus in *Act. 20.* Actis c. 20. teſtatur presbyteris Epheſiorum, quod Spiritus ſanctus poſuit eos epiſcopos regere eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Nam vt paſtoris eſt præeſſe gregi ſuo, ita & iudicare, mandare, imperare, quæ ſunt pro gregis ſalute, ac ædificatione fidei, ſpei, & charitatis. Et ligare & ſoluere, remittere & retinere, verba ſunt poteſtatem habentia & abſolutam gubernationem. Nam *Gregorius Nazianzen.* & inuiti ligantur & retinentur. Hinc Gregorius Epiſcopus Nazianzenus, in oratione, q̃ magna ex parte habuit ad Imperatorem & principes, qui tum ei aderant: Quid de vobis dicemus principes, & in poteſtate cõſtituti? Iam enim ad vos ſermo noſter ſe vertit. num ſermonem ſuſcipitis liberum? Lex Dei, inquit, vos meæ poteſtati, meoque ſubijcit tribunali. Imperamus enim nos ipſi, & imperio maiori atque perfectiore. Niſi (quod abſurdiſsimum eſt) fortaſsis oporteat, vt ſpiritus ſubſit carni, cæleſtia terreſtribus. Et ad Imperatorem ſe vertens: Suſcipe igitur vocem liberiorem. Scito te ouem eſſe gregis mei, Paſtoris magnĩ agnũ. Agnoſcebat quippe in ſe poteſtatem, vt quicquid ſolueret, *B. Hieron.* vel ligaret in terra, in cælis ratũ haberetur. Et ſanctus Hieronymus libro primo aduerſus Iouinianum, Propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis occaſio tollatur. Et B. Cyprianus ſanctiſ- *B. Cyprian.* mus Chriſti martyr, ad Cornelium Papam & martyrem: Neque enim aliunde hæræſes obortæ ſunt aliquando, aut nata ſchiſmata, quam quod ſacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in eccleſia ad tempus ſacerdos & Iudex vice Dei cogitatur. Mera igitur calumnia eſt, accuſare Eccleſiam Chriſti, quod contra verbum Dei, tradit exemptionem ordinis Eccleſiaſticorum à poteſtate ſæculari. Hanc inquam poteſtatem, omnesque ea 8.

Poteſtates omnes ſeculares ſubeſſe Præpoſitis Eccleſiæ. præditos, Eccleſiaſticis Prælatis ſubeſſe, vt oues ſuis Paſtoribus, à quibus ligari poſſunt & ſolui, clariſsimè docet verbum Dei, & à temporibus Apoſtolorum vniuerſa Chriſti per orbem Eccleſia. Atque hoc eſt quod beatus Paulus Corinthios interrogabat, cuperèt ne ad eos ipſe cum virga veniret, an cum charitate & ſpiritu lenitatis: per virgam in- *1. Cor. 4.* telligens ſine dubio correctionem. Vnde & capite ſequenti Corinthium tradidit Sathanæ, in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus eſſet. Et in alijs literis, ad eoſdem: Hæc abſens ſcribo, ne cum præſens fuero, durius agam ſecundum poteſtatem, quam Dominus dedit mihi. Qua poteſtate fretus ſcribit Timo- *Ad Titum.* theo, vt arguat, increpet: Et Tito, vt dure redarguat ſuos Cretenſes. Et apertius hanc Iuriſdictionis facultatẽ exprimit ad Timotheum ſcribens, dum iubet eos, qui peccant, coram omnibus ita argui, vt & cæteri timorem habeant. Sola certè paſtoris ſollicitudo, ſola monitio, non multum timoris incutit, præſertim quibus ingenium cõtigit durius. Et omnem tergiuerſandi locum adimunt *Ordo iudicij præpoſitis Eccleſiæ datus.* etiam inuitis (vbi aduerſus presbyterum, inquit, Accuſationem ne admiſeris, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus) vocabula accuſationum & teſtium: Item num teſtes ſint admittendi & quot, quoq; numero? quis neſcit ſpectare ad formam & ordinem iudicij? de *B. Bernard.* quo & B. Bernardus, libro de conſideratione ad Eugenium, tractaus verba beati Petri, Ecce duo gladij hic, notat ſaluatorem reſpondiſſe, ſatis eſſe, non nimis. Vterque, inquit, gladius eſt eccleſiæ, & ſpiritualis & materialis: Sed is quidem pro eccleſia, ille verò & ab eccleſia exercendus: ille ſacerdotis, is militis manu: ſed ſane ad nutum ſacerdotis, & iuſſum Imperatoris. Quando enim Imperator & principes facti ſunt Chriſtiani, & Regno Chriſti aſſcripti, & facti, vt diximus conciues ſanctorum & domeſtici Dei: cœperunt ſubeſſe præfecto domus, quam ſunt cum ſuo magiſtratu ingreſsi: ei videlicet, 9. quem Dominus ſuper familiam ſuam con- *Principum in Eccleſia locus & officium Chriſtianum.* ſtituit. Non enim ipſi mox vt in familiam Chriſti gratioſè ſuſcipiantur, admittuntur adhuc veluti neophyti, & ſuper familiam Chriſti conſtituuntur, eo cedente, qui ante eam gubernabat. Suam tamen ſeruant authoritatem, ſuum Imperium: Sicut puer admiſſus per baptiſmum in ſocietatem ſanctorum, iure patrio non ſpoliatur, nec Dominus imperio in ſeruos. In regno autem Chriſti nullum accipiunt, nec habent Imperium in his, quæ regno ſunt propria. Eam etiam quam habent authoritatem, conferre nunc debent in ſalutem eccleſiæ ac fidelium, id eſt, domeſticorum Chriſti, tanquam Reipublicæ: cuius facti ſunt partes & mẽbra. Nam veluti pater Chriſtianus aliter inſtituere & gubernare debet filium ſuum, quam ethnicus. ita & princeps ſecularis, ſi Chriſtianus eſt, aliter ſuos debet ſubditos gubernare. In omni enim ſua functione ſpectare debet, q̃d

Chriſto Domino ſuo placeat, quomodo gloriam & honorem eius pro ſuo vſu & auctoritate promoueat. Ethnicus autem non ſpectat, niſi quæ naturalis bonitas ſuggerit, & quæ decent in populi gubernatione. Hoc Eſaias Propheta vaticinatus eſt, & terribiliter comminatus. Aperientur portæ tuæ iugiter (loquitur enim Eccleſię Chriſti ſub nomine Hieruſalem) die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur. Gens enim & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit, & gentes ſolitudine vaſtabuntur, & venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi. Et vocabunt te ciuitatem domini Syon, ſancti Iſrael. Quo vaticinio Pro-

Eſaias.

10. pheta docet verum officium poteſtatis ciuilis & regalis, quando eſt in Principe Chriſtiano. Eſt enim ſeruire Eccleſiæ, regno Chriſti, eiusque adminiſtrationi, non quidem ipſum regnum adminiſtrare, ordinare & diſponere: ſed defendere fidem, Eccleſiã, eiuſque rectores, & conſtituta, ritus, ac cæremonias, vt ſit verus propugnator Eccleſiæ regni Chriſti, & eorum qui Eccleſiæ ſunt. Nam vt legitur in Clementina vnica de Iureiurando, Imperator priuſquam Italiam ingreditur, tactis ſacroſanctis euãgelijs iurat, quod Eccleſiam Romanam & fidem Catholicam pura fide, totisq; viribus conſeruabit reuerenter, & etiam defendet, omnemque hæreſim, ſchiſma, & hæreticos quoslibet fautores, & receptores & defenſores ipſorum exterminabit pro poſſe. Et Carolus Imperator religioſiſsimus, in Edicto VVormatienſi dicit, ſe ſuosque maiores fuiſſe fideliſsimos Romanæ Eccleſiæ, & defenſores Catholicæ fidei ſacrarumque cæremoniarum, decretorum, conſtitutionum, ſanctorum deniq; rituum, ad honorem Dei, augmentum fidei, & ſalutem animarũ. Et alio loco dicit, ſe Chriſtianæ fidei verum & ſupremum propugnatorem.

Officiũ principis Chriſtiani quid poſtulet.

Iuramẽtum Imperatoris Romani.

ORATIO NONA REVEREN. D. Ruevvardi Tapperi, De Prouidentia Dei: quam Philoſophis dubiam & incognitam fides Chriſtiana verè illuſtrat, cauſasq; docet, curnam boni hic fere affligantur, mali verò hæretici, adeoq; Athei bonis iſtis perituris paſſim floreant: à quibus cruentum BELLVM Eccleſiæ Dei nunc impendere ſpiritu prædicit Prophetico.

Anno 1538. in licentia D. Iacobi Cremeri & M. Iodoci Horrẽbeeck

MAGNA fuit olim controuerſia inter huius mundi ſapientes ac Philoſophos, de prouidẽtia & gubernatione Dei, An omnia, quæ in hoc mundo fiunt bona & mala, contineat & complectatur. Conſiderabant quidam eorum, in his rebus huius mundi inferioris, et pręcipuè in rebus humanis multã varietatẽ, cuius nulla apparebat iuſta ratio. Nec referri poterat ad hominum merita bona vel mala. Omnia quippe videbant æqualiter prouenire iuſto & impio, vnumque vtriuſque exitum, & plerunque fœlicius ſuccedere impijs, quam iuſtis. Et arbitrati ſunt 1.
nullo nos ordine diuinæ prouidẽtiæ gubernari, ſed omnia agi vel caſu, vel neceſsitate materiæ, vel cauſarum inferiorum naturæ impulſu, ſuos effectus producentium, ſecundum latentes quaſdam virtutes eis ab initio impreſſos. Animos ſuos inducere non poterant, vt crederent, iuſto bonoq; Deo authore, hominesque curante & gubernante, tantam confuſionem ordinisque perturbationem, inconſtantiam, & indignitatem poſſe contingere. Eget pecunia, qui liberaliter in pauperes effunderet. Auarus omniũ rerum ſuarum tenaciſsimus, diues eſt, & ampliſsima poſsidet patrimonia, quę nec in ſuos, nec alienos vſus expendere nouit. Iuſtus quærit panem in ſudore vultus ſui, & tota die laborans nequit ſuccurrere ſuis, familiæque neceſsitatibus. Alius ſcortator peſsimus & impius, delicijs, omnique abundantia fruitur, imò & perit iuſtus, ſecundum vaticiniũ Prophetæ, & non eſt qui recogitet in corde ſuo. Et conqueritur Apoſtol. Paulus, quod ſancti æſtimati ſunt veluti oues occiſionis. Et nos, inquit, vſque in hanc horam eſurimus, ſitimus, nudi ſumus, & colaphis cædimur, maledicimur, perſequutionẽ patimur, blaſphemamur, tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus. Econtrariò de impijs loquitur ſcriptura, quod domus eorũ ſecuræ ſunt, & pacatæ. Nec virga vlla Dei ſit ſuper illos. Nullam in his iuſtitiæ faciem, nullã iuſtæ adminiſtrationis rationem penetrare potuerunt. Nam viris iuſtis diſtribui bona, & indignis tolli, malisq; mala & ſupplicia rependi, iuſtitię leges, iuſtaq; gubernatio exigere videtur. Quod verò iuſti grauibus affligãtur ſupplicijs, & contemnãtur, maliq; honorentur, iniquiſsimũ videtur, omnisq; iuſti ordinis & gubernationis ſubuerſio. Huiuſmodi igitur rerum omniũ confuſione & indignitate, huius ſeculi ſapientes traducti ſunt in errores, vt quidam eorum inſipientiſsimè crederent, nullum eſſe Deum, vel dubitarent, ancipiti opinione de Deo ſentiẽtes. Nam Protagoram dixiſſe affirmant, neſcire ſe, vtrum dij ſint, an omninò nõ ſint. Quos fere ſequutus eſt M. Cicero, negãs Deum eſſe futurorũ præſcium, in lib. 2. de diuinatione, vt ſcribit de eo clariſ. doctor Aug. lib. 5. de Ciuit. Dei. Epicurus verò & ſequaces eius Deum quidẽ eſſe dixerunt, ſed ad ſeſe conuerſum, nolle quicquã negotij ſibi exhiberi, neq; alia curare. Ariſtoteles autẽ Philoſophorũ princeps, quid in hac re certe grauiſsima ſenſerit, non ſatis ex libris eius conſtat, & ſtuduiſſe videtur, ne palã & clarè proderet ſuã ſentẽtiam. Opinãtur tñ, ex veterib. plurimi, eũ ſenſiſſe orbes cæleſtes vſq; ad lunã, Dei prouidentię ſubeſſe, & eorũ, quæ ſub luna ſunt, gubernationẽ reliquiſſe fatorum neceſsitati. Sed pulſæ ſunt hæ tenebræ à cordibus fidelium, per fidei illuſtrationem, qui firmiſsimè credunt & con-

Fides pijs Dei prouidentiam oſtendit.

D. Paulus.

Cicero Dei prouidentiã negat.

Epicuræi.

Ariſtoteles.

Chriſtianorũ de prouidentia Dei ſententia.

& concorditer docent ex ſcripturis ſacris, omnia fieri ſecundum ordinem diuinæ prouidentiæ. Clamant enim ſcripturæ, quod Rex omnis terræ Deus, quod præcipit ſoli, & nó oritur. Et in Euangelijs ſaluator, Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro? Veſtri aũt capilli capitis omnes numerati ſunt. Et Petrus Apoſtol. Omnem ſollicitudinem veſtram proijcite in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis. Attamen variant qui pro fidelibus ſe gerunt, an ſecundum cuiuſque merita bona vel mala, qualitas vitæ diſponatur. Et quibuſdam non rectè intelligentibus, neq; interpretantibus ſcripturas, viſum eſt, quod meritorum diuerſitas ſit cauſſa, quod in hac vita ſit tam varia naſcendi conditio, vt vnus ſit diues, alter pauper, vnus cæcus vel claudus, ægrotus vel ſtultus, aut natura indocilis, contumax & proteruus, & alius optimis naturæ dotibus præditus. Nam cũ ſit, inquiunt, optimus & ſapientiſsimus gubernator huius mundi, ſingulis diſpenſat ſecundum dignitatem & merita. Hoc enim requirit iuſtitia diſtributiua. Et conſiderantes hanc varietatem fortunæ, non poſſe ad huius vitæ merita referri: cum plerumque proſperentur Ethnici, & peſsimi quique, qui Deum nõ agnoſcunt, & Dei cultoribus aduerſentur omnia, (cuius exemplum clariſsimum habemus in Chriſto Saluatore noſtro, eiuſque Apoſtolis ac ſanctis martyribus.) Et abundãt tabernacula prædonum, qui audacter prouocant Deum, cum ipſe dederit omnia in manus eorum.

Quatenus ſingulis deus prouideat.

2\. *Origenis error exploſus, de animarũ ſubſiſtentia ante corpora*

Magnus ille Origenes in libris ſuis περὶ ἀρχῶν, id eſt, de principijs, ſcripſit Deum bonum omnes animas ſimul ab initio condidiſſe bonas, & factas eſſe malas ex libero ſuæ voluntatis arbitrio: & ſententiã Apoſtoli de Iacob & Eſau, quod priuſquam aliquid boni aut mali egiſſent, dictum eſt, Maior ſeruiet minori, interpretatur: priuſquam aliquid boni vel mali egiſſent in hac vita. Et ſecundum ſæculi prioris merita, priuſquam corpori animæ vnirentur, ſingulis arbitratus eſt à Deo optimo & iuſtiſsimo Gubernatore bona & mala diſtribui, paupertatem & diuitias, infirmitatem & incolumitatem, cæteraſq; quas videmus in hominibus varietates. Sed hunc errorem diligentiſsimi Origenis ſatis confutauit in euangelijs ſaluator, dum interrogantibus diſcipulis de cæco nato, quis peccaſſet, vt cæcus naſceretur, vel ipſe vel parentes eius, reſpondit: Neque hic, neque parentes eius: ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo. Et patientiſsimus Iob de Domino dicit, quod innocentem & iuſtum ipſe conſumit, quódque multiplicat vulnera eius ſine cauſa. Et ſapiẽs palam profitetur apud Deum: ipſum quoq;, qui non debet puniri, condemnas, & externum exiſtimas à tua virtute. Nec conuenit interpretatio Origenis progreſſui apoſtoli, in capite nono ad Romanos, cuius inſtitutũ eſt, omnia referre ad odium & dilectionem Dei, præueniendo opera, quæ magis ait eſſe eorum ſequelam & effectus, quam cauſam vel occaſionem. vt ſecundum electionem, inquit, propoſitum Dei maneat non ex operibus, ſed ex voluntate, dictum eſt ei ſcilicet Rebeccæ matri, quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Et concludit: Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerantis eſt Dei. Et cui vult miſeretur, & quod vult indurat. Ex quibus clariſsimè conſtat, preſentis ſeculi bona & mala nõ diſtribui pro meritis nec huius nec vitæ alterius: ſed promiſcue bonis & malis, ſecundum beneplacitum conſilij Dei gubernatoris vniuerſi. Quis, inquit, ſcriptura libri Iob, Deo dicere poteſt, Cur ita facis, ſi ſubuertit etiam omnia. vel quis contradicet, ſi in vnũ coarctauerit? Et ſcriptura in libr. Sap. Quis tibi imputabit, ſi perierint nationes, quas tu feciſti? Ipſe nanq; operatur omnia ſecundum conſilium & beneplacitũ voluntatis ſuæ. Sed ex his ipſis ſcripturis aliud naſcitur dogma, à veritate fidei alienũ: quod nullo habito rerum ordine, omnia Deus operatur ſicut vult: neque aliam eſſe querendam cauſam eorum, qui circa eos in hoc mũdo gerũtur, quare ſic fiant, niſi quod Deus ea ſic fieri velit: cum tamen nihil velle poteſt, niſi ſapientiſsimè iuſtiſque rationibus & cauſis. Neque irrationabilis & iniqua eius volũtas eſſe poteſt. Omnia, inquit propheta, quæ feciſti, in vero iudicio feciſti. Nõ eſt autem verum iudicium, niſi cuique quod ſuum eſt, ſibique debitum, tribuatur. Et teſtatur ſcriptura, quod reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Sed ſi hoc dicendum: iam relabi videmur in errorẽ prius confutatum, quod cuique pro merito ſuo fit à Deo retributio in hoc ſeculo.

Deus nihil inordinate facit aut temerè.

Verè grandis eſt hic quæſtio, & ad penetrandum difficillima, in qua ſudauit propheta Dauid, eiusque contemplatione cõfitetur, quod penè moti ſunt pedes ſui, & penè effuſi ſunt greſſus. Quia zelaui, inquit, ſuper iniquos, pacem peccatorum vidẽs. In labore hominum non ſunt, & cũ hominibus non flagellabuntur. Tranſierunt in affectum cordis, cogitauerunt & loquuti ſunt nequitiam, iniquitatem in excelſis loquuti ſunt. Quomodo (inquit ipſe) ſcit Deus quę fiũt, & ſi eſt ſcientia in excelſo? Iniuſtus eſt, qui malos patitur, & ſinit ꝓſperare. Ego laui inter innocentes manus meas: & tamen fui flagellatus tota die. Tandem concludens: exiſtimabam vt cognoſcerem quæſtionis veritatem: ſed hic labor eſt ante me. Laborioſa nimis eſt hæc quæſtio ante oculos meos. Et Propheta Abacuc huius rei difficultate & mole preſſus, vociferatur ad Dominum, Quare reſpicis contemptores? & taces, conculcãte impio iuſtiorem ſe? Et facies hominis quaſi piſces maris, & quaſi reptilia nõ habentia ducem, neque principes.

3\. *Quæſtio de prouidentia Dei merito pios omnes exagitauit. Pſal. 71.*

Et huius quæſtionis materia eſt præcipua, imò & vnicum argumentum, quod prolixa diſputatione agitur per totum librum Iob. Ad quam ex ſcripturis ſacris & Moralis & Religioſus doctor Caſsianus reſpondet, ex collatione

4\. *Boni ac pij cur hic affligantur. Caſsianus.*

Vene-

Venerabilis patris & Abbatis Theodori, ad qnem huius quæſtionis gratia acceſsit, cum quibuſdã fratribus, admirantibus, & ſcandalizatis de Dei iudicijs, quod ſanctiſsimi quidam Monachi in ſolitudine Aegypti commorantes interempti eſſent repentè, à diſcurrẽtibus Sarracenorum latrunculis. Hinc, inquit Abbati, de prædictorum virorum nece querimoniam fudimus, admirantes tantam Dei patientiam, quod viros tanti meriti, tantarumq; virtutum, taliter perimi permiſiſſet, tanti, inquam, meriti, vt qui alios quoq; ſuæ ſanctitatis põdere de huiuſmodi liberare tẽtatione debuerint, ne ſeipſos quidem prærìpuerint de manibus impiorũ, aut cur Deus tm̃ facinus in ſuos famulos admitti conſenſiſſet? Quibus verbis ille Abbas reſpondit. Hæc, inquit, quæſtio illorum ſolet animos permouere, qui parum fidei vel ſcientiæ poſsidẽtes, merita ſanctorum vel præmia, quæ non in præſenti redduntur, ſed repoſita ſunt in futurum, arbitrantur in huius temporalis vitæ breuitate reſtitui. Cęterùm nos, qui nõ ſumus in hac vita, tantũ ſperantes in Chriſto, ne ſecundum Apoſtolũ miſerabiliores ſimus omnibus hominibus, nihil trepidare debemus in noſtræ ſententiæ ac fidei definitione, iniuſtitiam ſcilicet, vel incuriam rerum humanarum Deo (quod dictu quoque nefas eſt) aſſcribentes: quia ſanctos viros, recteque viuentes in tentatione non protegat, nec bonis ea, quæ bona ſunt, nec mala malis retribuat in præſenti. Ne cum illis damnari mereamur, quos Sophonias propheta caſtigat, quod dicunt in cordibus ſuis, Non faciet Dominus benè, ſed neque faciet malè: vel certè cum illis inueniamur, qui huiusmodi querimonijs Deum blaſphemare dicuntur apud prophetam Malachiam, Omnis qui facit malum, bonus eſt in conſpectu Domini, & tales ei placent: aut certè, vbi eſt Deus iuſtitiæ? Vanus eſt qui ſeruit Deo, aut quod emolumentum, quia cuſtodimus præceptum eius? & ambulamus triſtes corã Domino? Ergo beatos nunc dicimus arrogãtes, ſiquidem ditati ſunt facientes impietatem, & tentauerũt Deum, & ſalui facti ſunt. Quamobrem, inquit, vt hanc ignorationem, quæ prauiſsimi huius erroris radix & cauſa eſt, poſsimus euadere, primum noſſe debemus, quid verè ſit bonum, quid malum, & ita demum ſuper his non vulgi, ſed veram ſcripturarum definitionem tenentes, minimè infidelium hominum decipiemur errore.

Tria in mundo.

Tria ſunt in hoc mundo: bonum, malũ, & medium. Debemus itaq; noſſe, quid propriè bonum, quid malum, quidve ſit mediũ: vt noſtra fides vera ſcientia communita, in cunctis tentationibus inconcuſſa perduret.

Virtus præcipuum in rebus humanis bonum: peccatum, contra.

Nihil in rebus duntaxat humanis principale bonum eſſe credendum eſt, niſi virtus animi ſola: quæ fide ſyncera nos ad diuina perducens, illi in commutabili bono facit iugiter inhærere. Nihil malum, niſi peccatum ſolum: quod à bono Deo nos ſeparans, malo diabolo copulat, & ad perpetuam ducit gehennæ calamitatem.

In mundo quæ media.

Media autem ſunt, quæ pro affectu & arbitrio vtentis in vtranq; partem deriuari & declinari poſſunt: vt puta, diuitiæ, poteſtas, honor, robur corporis, ſanitas, pulchritudo, infirmitas carnis, iniuriæ & cætera his ſimilia, quæ pro qualitate & affectu vtentis vel ad bonam partem poſſunt proficere, vel ad malam. Nam diuitiæ proficiunt frequenter ad bonum, ſecũdum Apoſtolum Paulum, qui diuitibus huius mundi præcipit, vt facilè tribuant, communicẽt indigentibus, theſaurizent ſibi fundamentum bonum in futurum, vt per has apprehendant veram vitam. Et ſecundum euãgelium, boni ſunt, qui faciunt ſibi amicos de mammona iniquitatis. Quæ rurſum retorquẽtur in malum, cum ad regendum tantummodo vel ad luxuriam congeruntur, & non diſpenſantur ad vſus indigentium. Quales erant diuiti illi, cuius meminit in Euangelijs ſaluator, quod cogitabat intra ſe, dum ager ei vberes fructus attulerat: Quid faciam? non habeo, quo congregem fructus meos. Et tandem poſt multum cogitatum: hoc faciam, deſtruam horrea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi bona mea, & dicam animæ meæ. Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce:, comede, bibe, epulare. Nec tacet ſaluator, quam malè ei hæ opes ceſſerint. Dixit, inquit, illi Deus: ſtulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti, cuius erunt? Et concludit. Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues. de ipſa etiam morte & vita, quia mediæ ſunt, vel ſancti Ioanni vel Iudæ natiuitas proteſtatur. Vnius nanque initium ſibi ita profuit: vt alijs quoque gaudium ortus eius contuliſſe dicatur: cum ſcriptum ſit, Et multi ſuper eius natiuitate gaudebunt. De alterius verò dicitur vita: bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. De morte quoque hominis omniumq; ſanctorum dicitur: precioſa eſt in conſpectu Domini, mors ſanctorum eius. De Iudæ autem & malorum morte: Mors peccatorum peſsima. Infirmitas etiam carnis quam ſit interdum commoda, Lazari illius pauperis vlceroſi beatitudo denotat. Cuius cum nulla 5.

Calamitates pijs vtiles.

alia virtutum merita ſcriptura commemorat, pro hoc ſolo, quod egeſtatem & infirmitatem corporis patientiſsimè tolerauit, ſinũ Abrahæ poſsidere beatiſsima ſorte promeruit. Egeſtas quoque, perſequutiones, ac iniuriæ, quæ mala totius vulgi opinione cenſentur, quam ſint vtiles & neceſſariæ, ex hoc liquido comprobatur, quod ſancti viri non ſolùm eas nunquã vitare voluerunt, verumetiam in virtute ſumma, vel appetentes, vel fortiter tolerantes, Amici Dei effecti, æternæ vitæ ſunt ſtipendia conſequuti, inquit B. Paul. Apoſt. in infirmitatibus, in cõtumelijs, in neceſsitatibus, in ꝑſequutionib9, in anguſtijs ꝑ Chriſto. (Cum.n. infirmor, tunc potẽs ſum. quia virtus in infirmitate perficitur. Et alio loco: Gloriamur in tribulationibus. Et idcirco qui ſummis huius ſeculi diuitijs & hono-

honoribus ac poteſtatibus extolluntur, non ex his principale bonũ obtinuiſſe credendi ſunt, quod in ſolis virtutibus eſſe definitur, ſed medium quiddam. Quia ſicut iuſte, rectè ac neceſſariè vtentibus, vtilia hic eſſe reperiuntur, & commoda: occaſionem namq; operis boni fructusque, in illius vitæ æternitate parturiũt: Ita illis, qui malè opibus abutuntur, inutilia ſunt & incõmoda, atq; occaſionem peccati mortisq; concinnant. Has itaq; cauſas fixas atque immobiles retinẽtes, ſcientesque nihil eſſe bonum, niſi virtutem ſolam, quæ ex timore Dei ac dilectione deſcendit: nec malum quicquam eſſe, niſi peccatum ſolum, & ſeparationẽ à Deo, quo nemo nec diabolus quidem, nec Deus ipſe nos nolentes ſeparare poteſt, niſi cordis noſtri ignauia corrupta voluntate: ad propoſitam quæſtionem recurramus. Vniuerſa, quæ putantur quaſi mala nobis ab inimicis, vel à quibuſcunq; alijs irrogari, non ſunt credenda mala eſſe, ſed media. Nõ enim talia ſunt, qualia putat eſſe ille, qui intulit animo ſæuiẽdo: ſed qualia cenſerit ille, qui ſuſtinet. Ideoque cum illata fuerit mors viro ſancto, non ei malũ illatum eſt, ſed medium quiddam. Nam quod peccatori malum eſt, iuſto requies eſt, & abſolutio fit malorum. Et ideo nec vir iuſtus ex hac morte aliquot patitur detrimentum: ſed id quod ei acceſſurũ fuerat neceſsitate naturæ, maximi inimici nequitia, non ſine præmio vitæ perennis excepit, ac debitum mortis humanæ, quod inexcuſabili lege reddendum eſt, cum fructu vberrimo paſsionis, ac magnæ remunerationis mercede perſoluit. Hæc omnia fere ad verbum venerabilis ille ſenex, ſpiritu Chriſti illuſtratus, Theodorus Abbas, apud Caſſianum Collatione 5. Ex quibus clariſsimam rationẽ & cauſam intelligim' magnæ varietatis commodorũ & incõmodorum, felicitatis & aduerſitatis: quod hoc tẽpore iuſtiſſimo Dei iudicio plerumq; diſpenſantur: nõ pro meritis, ſed ſecundum quod cuiuſq; ingenio, naturę & viribus conuenire in ſua ſapientia proſpexerit. Sumus enim veluti in paleſtra conſtituti, ad colluctandum & certandũ cum hoſte noſtro Principe tenebrarũ: ſumus veluti in ſtadio, ad certandũ pro brauio vitæ incorruptibilis & immortalis. Nouit Dominus, quid nobis conueniat magis, paupertas an diuitiæ, ſanitas an morbus, gloria vel ignominia. Quod ſingulorum pro victoria reportanda, pro brauio ex ſuo curſu obtinendo nouerit magis promouere, ipſis pro ſua benignitate diſtribuit & diſpenſat. Nam omnes vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, inquit myſteriorum Dei conſcius Apoſtolus Paul. Et vertex Apoſtolorum Petrus. Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. Et, fidelis Deus eſt, qui non patietur nos tẽtari ſuper id, quod poſſumus: ſed faciet etiam cum tentatione prouẽtum, vt poſsimus ſuſtinere. Et ideo, inquit beatus Chryſo. eos, qui deuotius Deo obtemperãt,

Vita hæc paleſtra eſt, quæ Dei athletas exercet, atque optimos quoſque maximis laboribus, vt magis illuſtrentur & honorentur.

Chryſoſt.

veluti fortiſsimos athletas, magnis laboribus & grauiſsima calamitate exercet. Imbecilliores verò, qui tales perferre non poſſunt, leuioribus, vel ad bona duntaxat opera hortatur. Sed dices, inquit: Nunquam plurimi iuſti & fortiſsimi athletę in requie, in diuitijs & cum honore vitam agunt: mali verò in ignominia, ſummiſque aduerſitatibus. Sed & huius rei cauſam ſi inquirere velimus, id profectò dicimus, Deum noſtra omnia nõ vno modo ſolitum eſſe diſponere: ſed cum ſit miſericordiſsimus, & potentia affluentiſsimus, plures nobis ſalutis vias parare. Cum itaq; plures ſint, qui futuri ſeculi ac reſurrectionis fidem non habent, vel dormitantem habent: veluti in breui tabula futuri iudicij imaginem oſtendit, cum punit malos, bonosque remunerat. Quod cum in illo iudicio ſupremo generaliter futurum ſit: etiam nunc ex parte aliqua ideo fit, vt qui longinquum illud iudicium fere deſperat, vel ſaltem his, quæ in hoc ſeculo contingũt, admoniti, manſuetiores atque meliores fiãt. Si enim nullus hic omnino puniretur malus, nullusque honoraretur bonus, plurimi virtutem, veluti malorum cauſam aſpernarentur, & fugerent, vitia verò veluti bonorum lætorumque omnium occaſionem perſequerentur. Ideoque nonnullos hic peccatores vlciſcitur, & quoſdam pro rectè factis in oculis omniũ præmijs donat, vt & ex eo, quod nõ omnibus facit, reſurrectionis aſſerat fidem, & compellat cogitare, huiuſmodi præmia in aliud tempus eſſe reſeruata. Nunquam enim cum iuſtus ſit Deus, tot ſineret ſiue malos impunitos ex hac vita migrare, ſiue bonos hic irremuneratos commodis & cruciatibus affici, ſi nõ vtriſq; varia in futuro ſeculo præmia pro meritis paraſſet. Aliquos etiam malos ante iudiciũ ſupplicijs afficit, vt profundiſsimo quaſi ſomno ſepultos excitet, & ad meliorẽ mẽtem inuitet. Nam malorum punitione plurimi timore corripiũtur & corrigũtur, ne eadẽ patiantur. Docet hoc in Euangelijs ſaluator. Nam cum profecti ad eum quidam mortem nũciaſſent eorum, qui ſub turre Siloe occubuiſsẽt: Putatis, inquit, quod hi Galilæi peccatores præ cæteris fuerunt, quia talia paſſi ſunt? Non, dico vobis: ſed niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis. clarè commõſtrans, ideo quoſdam fuiſſe punitos, vt reliqui eorum caſibus admoniti, pœnitẽtiam agãt & meliores fiant. Et Apoſtolus Paul. in epiſt. 1. ad Corin. Cum iudicamur, hoc eſt, affligimur morbis, vel etiam morte propter indignã manducationem corporis Domini, à Domino corripimur tanquam à patre filij, vt non cum hoc mũdo damnemur. Tam bonus eſt Dominus, vt ne minimum quidem hec proſperitatis, nec calamitatis inferat, quod non nouit (ſi velimus) nobis eſſe ſalutare. Nos, inquit B. Chryſoſtomus, ſi millies peccemus, illumque auerſemur: ipſe tamẽ ſaluti noſtræ proſpicit, nunquam deſiſtit, vt ſiquidem fuerimus conuerſi, ſeruemur. ſin autem in vitijs perſeue-

Fortiſſimos quoſq; Deus exercet maximis calamitatibus et aduerſis grauiſſimis.

Cur pij plurimi paſſim ſuauiter viuant.

7.

Cur quidam peccatores hic aliquando grauiſſime puniantur, non tamen vniuerſi.

Deus clementiſſimus omnes curat etiam peccã-

ris & aſſiduè eum oſ ſuſceantes.

perſeuerauerimus: ipſe tamē quod ſuum eſt, feciſſe aduertatur. Addit: Videtur quidem eiectio illa de Paradyſo, ligniq́ue vitalis in-
8. hibitio mortiſq́ue mulctatio, & in vniuerſum calamitas, in quam per peccatum venimus, cruciātis eſſe atque punientis. Sunt autem iſta omnia ſigna clementiæ, & quidem non minus quam beneficia illa priora, quæ Adam conditus acceperat. Et ſi enim materiale id quod dicimus videtur: veriſsimum eſt tamen. Ea quippe quæ fiebant, quādo ſcilicet de paradiſo expulſus in hāc lachrymarum vallem & exilium venit, diuerſa videntur à prioribus beneficijs, vno tamē concordiq́ue fine ſibi inuicem conſentiebant, videlicet vt hominū ſaluti conſuleret. Nam hominem à principio paradyſo expulit, quia ex honore ſibi pręſtito deterior eſt effectus, nec ipſum ferre poterat. Nam ſi experti Domini ſeueritatem, preſsiq́ue multa mole miſeriarum, ne ſic quidem peccare deſiſtimus: quo ſcelerum progreſſa nō eſſet audacia noſtra, ſi nos affluentes delicijs & ocio conſtituiſſet Deus? Demum oſtendens, quod magis ſaluti noſtræ conuenit, affici varijs afflictionibus, quam ab his eſſe alienū: quodq́ue illum veteranum ſeductorem ſathanā, qui nobis author eſt mortis & peccati, nō penitus extinxit, nobis conſuluit, ſummaq́ue erga nos cura illum relinquit, qui etiā aduerſaretur & impugnaret. Hæc ergo Dei prouidentia, hæc eius cura & ſolicitudo erga nos, nobis eſſe debet quaſi perpetua anchora, ad quam confugiamus, quicquid nobis acciderit: hoc perſuaſi, quod tantus eſt eius amor, & cura quaſi patris erga nos, vt non ſiuiſſet, ſit aduerſum, ſit proſperum, accedere, ſi non noſſet ſaluti noſtræ magis conuenire. Nec ob aliud hunc paupertate & inopia exercet, alterum diuitijs honorat, vnum morbis, alium corporis robore, vnum prolis defectu, & ſterilitate, alium fœcunditate: quam quod ſingulorum proſpiciens ingenia, apponit antidotum, quod affectibus eius, affectuumq́; naturæ conuenienti, communi, & proprietati melius nouit conuenire. Quemadmodum variè affectis corporibus medicus alias parat potiones & pharmaca, vni dulcia, alteri amara, quibuſdā calida, alijs frigida, & inter mille laborātes paucisſimis omnia eadē. Nō aliter medetur affectibus noſtris Deus, vario genere commodorum & incōmodorum. Et ſicuti Medicus nūc medetur hoc pharmaco, eidem autem poſtea, quādo erit progreſsioris ætatis, alio, ſi etiam eodem morbo laborat: ita quoſdā nunc erigit Deus, poſtea humiliat. Hoc profectus eſt affectu, propter affectus mutationem, mirificus hic ſermo à patientiſsimo Iob, Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo. Hæc erit & veſtra conſolatio in omnibus, quæ occurrerint, eruditi domini Baccalaurij, quibus nunc honorem Licentiæ in facultate S. Theologiæ impartiemur. Neſcio tamen an ne plus oneris humeris veſtris imponemus, quam honoris. Eſt quidem multis honor virtutibus ſudoribusq́; veſtris debitus: ſed nemo eſt mortaliū, qui illum pro ſua dignitate deferre poteſt, Deoq́ue omniū iudici æquiſsimo illum deferendum in cōſeſſu ſanctorum Angelorum, ciuiumq́ue omnium cæleſtium relinquimus. Et tenuem 9.

Cur vita ſit omnibus moleſta, et cruciatibus aſpera, morbiſque iniucunda.

Deus medicorum more varia varijs parat pharmaca, omnibus ſalutaria.

quandam illius vmbram deferemus, magis propter infirmiores, vt veſtro exemplo prouocentur & glorificent patrem, qui in cælis eſt, quam quod vos magnoperè eum expectetis. Onus autem, quod imponemus, grande eſt, & nūquam grauius, quam noſtro hoc ſæculo, in quo Euangelium habet aduerſarios multos. Verè plurimi nunc ſunt adulterantes & corrumpētes verbum Dei, & ipſi quaſi gladio verbis accincti contra euangeliū pugnant. Inſtituti ſunt accuratiſsimè in literis humanioribus in Græcis, in Hebræis, in Latinis: valent mundicia & elegātia ſermonis: nō ſunt in ſcripturis inexercitati: valent ingenio, aſtutia & inuentione. Aptiſsima ſunt Sathanę inſtrumenta, ad corrumpendum orbem, ad pugnandum contra Chriſti ſpōſam ſanctam Eccleſiam, vt eam proſtituant. Aduerſus hos in prælium vos nunc committimus. Iam prælium certè anceps & dubium: niſi diligentiſsimè proſpexeritis, & habitaueritis in adiutorio altiſsimi, & commoremini in protectione Dei cæli: hoc eſt, niſi ad hanc ſanctam anchoram confugiatis, cuius prius meminimus. Nam quod ſcribit Venerabilis pater Auguſtinus de officio epiſcopi, Presbyteri & Diaconi, quod nihil eſt hoc tēpore facilius, leuius, & hominibus acceptabilius, ſi perfunctoriè atque adulatoriè res agatur: ſed nihil apud Deum miſerabilius, triſtius, & damnabilius, & nihil in hac vita, maximè, inquit, hoc tempore difficilius, laborioſius & periculoſius, Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi officio: ſed apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur, quo noſter Imperator præcipit. Hoc optimo iure dici poteſt de Licentia in facultate Theologiæ. propter quod & maiorem nunc requirit eruditionem, & morum vitęque totius integritatem, atque animi conſtantiam, quam ſæculis ſuperioribus: quibus non tamen cruentum bellum imminebat. Sed vos tāquam optimi tyrones, in omnibus & per omnia eſtis in- 10.
ſtituti & exercitati, didiciſtis & humiliari & abundare, primum inſtituti in diſciplinis liberalibus, & lauream adepti in laudatiſsimo pędagogio Falconis, doctorum virorum in omni facultate & diſciplina à multo tempore fœcūdiſsimo parente, in quo veſtrum alter cum magna gloria, & iuuētutis fructu, Logicam & Phyſicam præfectus lectioni ordinariæ docet. Et qua gloria verſati ſitis in paleſtra Theologica, adſunt teſtes multi, vt ſuperuacaneum ſit illi immorari. Morum grauitatem ipſi teſtamini eis, quotquot oculos in vos conijciunt. Progredimini, fungamini officio, quod nunc imponitur, quod grāde quidem eſt, ſed dulceſcet, ſi ſpectetur merces copioſa, quam rependet in cælis Dominus ipſe in ſęcula benedictus.

Cur quidam publicis ſtudiorum honoribus exornandi, & potiſſimum hoc ſæculo, quo tā multi Euangelio infeſti hoſtes aduerſantur illud adulterantes.

Quales nunc hoſtes eccleſiæ Chriſti.

Definit. 40.

Cruentum bellum Eccleſiæ impendere prædicit D. Ruewardus.

ORATIO

ORATIO DECIMA REVEREN. D. Rueuvardi Tapperi, Euchuſani, Decani atq; Cancellarij Louanienſis, qua Confeſsionis Saxonicæ potiſsima refellit capita, dolenterq; agnoſcit abuſus Romanæ CVRIAE inexcuſabiles: qui vt tollantur, & Eccleſia certo reformanda ſit, vbi oſtendit, illam refutare aggreditur, totamque Saxonum panopliam Concilio Tridentino oppoſitam in meris conſiſtere calumnijs liquido demonſtrat.

Habita anno Domini 1552. in Licentia Vvilhelmi Lindani, cõtra confeſsionem Saxonicam, Concilio Tridentino oblatam, quã vir eximius ex Concilio Tridentino reuertebatur.

EDITA eſt his diebus confeſsio doctrinæ Saxonicarum eccleſiarum, è quibus primo tanquam è ſentina & peſtilenti fonte, in magnam Europæ partem innumeræ hæreſes & ſchiſmata ab annis triginta effuſa ſunt, & miris modis infecta, lacerata & diuulſa Eccleſia catholica: & ſcripta non ab vno aliquo profeſſore, ſed in frequenti celebrique ſynodo VVittembergæ celebrata Anno 1551. die decima Iulij: ad quam vicinarum eccleſiarum paſtores & profeſſores Academiarum conuenerant. qui etiã ſua nomina, vt in ſynodis Oecumenicis antiquitus fieri conſueuit, vſq; triginta ſubcripſerũt. Inter quos tamen præcipui, qui orbi libris ſcriptis innotuerunt, ſunt Iohaunes Bugenhagius Pomeranus, Paſtor eccleſiæ VVitebergenſis & Superintendens, hoc eſt Epiſcopus in Electoratu Saxoniȩ: qui primus tã quã primarius Epiſcopus, ſiue Archiepiſcopus & præſidens huius execrandi Concilij (nam conuocatum eſt aduerſus Oecumenicum & generale eccleſiæ Catholicæ Concilium, quod Tridenti erat congregatum) ſubſcripſit. Philippus Melanchthonus, Ioachimus Camerarius artium Profeſſor in Academia Lipſenſi, Alexander Aleſius, Facultatis Lipſenſis in Theologia Decanus, & Eraſmus Sarcerius, Paſtor Lipſenſis. Teſtantur autem hi omnes, huius Confeſsionis doctrinam ſine diſcordia, ſaltem in fundamento, ſe amplecti, & in omnibus ſuis eccleſijs ſonare, eſſeq; vere purã & incorruptam Domini noſtri Ieſu Chriſti doctrinam, congruentem cum ſcripturis propheticis, Apoſtolicis & ſymbolis, & cum veteri & puriore eccleſia: & hoc intelligi poſſe ex vetuſtis ſincerioribus ſcriptoribus. Ideoq; ob definitionem, iudiciumq; Concilij Tridentini, ſe non relicturos, & hanc veritatem eſſe abiecturos. Nec ſolam fidei ſuæ Confeſsionem hic tradunt, ſed & explicationem & controuerſiarum fontes ſe demonſtraturos pollicentur, vt ſit non pura confeſsio, ſed & ſuæ fidei reddẽs rationẽ & ſatisfaciens, iuxta admonitionem B. Petri, omni eam poſcenti. Pollicetur & titulus, quod Chriſtianus lector videbit, quinam è Catholicæ eccleſiæ gremio reſilierint, & per quos ſtet, quo minus eccleſiæ pia concordia ſarciatur. Quam confeſsionẽ dum Auguſtæ Vindelicorum proſtare latinam & Germanicam reperiſsem, ſpecioſo titulo illectus comparaui, & gauiſus ſum ad magnificas has pollicitatiões, maxime quod ſcripturas & præcipua fundamenta, quibus doctrina hæc noua nititur, in paruo opuſculo, paruoque labore cognoſcere & intelligere poſſem: nihil dubitans, imo certiſsime confidens, ſuæ fidei explicationem manifeſtam fore, ipſos eſſe, qui Eccleſiæ Catholicæ gremium reliquiſſent, & infirma eſſe nouæ huius doctrinæ fundamenta. Nec opinione & ſpe fruſtratus ſum. Nam cum eam attente legere cœpiſsẽ, ſtatim primo capite multas inueni calumnias aduerſus Eccleſiã veterẽ, q̃ propterea veram eſſe & Catholicã Chriſti eccleſiam nõ agnoſcunt, q multis erroribus ethnicis & hæreſibus, vt ſcribunt, ſit proſtituta: ſuum autem cœtum, & qui nouam hãc ſequuntur doctrinam, veram eſſe Chriſti eccleſiam, ſicut olim Donatiſtæ, tempore B. Auguſtini, apud ſe ſolos veram eccleſiam gloriabantur. Affingunt enim, & per calumniam ei imponunt, quod multa tradat dogmata & doceri mandet, quæ re vera ſunt impia, ſed quæ non docet ipſa, ſed tanquam hæretica damnat & damnauit ſemper. Deinde dum ſuæ doctrinȩ reddunt rationem, deprehendi infirmam eſſe, & quæ virum prudentẽ, & in ſcripturis vel mediocriter exercitatum ne minimum quidem mouere debeat, aut poſsit, vt in quocunq; dogmate, à veteris eccleſiæ doctrina aut fide recedat.

Calumniæ in Eccleſiam Catholicã.

Sunt enim inanes ratiocinationes, vel ſcripturæ perperam & proprio eorum ſenſu, contra patrum Orthodoxorum interpretationem, intellectæ. Deprehendi etiam totam confeſsionem, in quantum noua eſt, & à veteri doctrina diſſentit, ex diametro pugnare cum purioris & veteris eccleſiæ fide & doctrina. Quod e veſtigio, ſine vllo labore, apertis libris ex vetuſtis Patribus ſyncerioribus monſtrari poſſet. 2. De abuſibus vero & lapſu diſciplinæ, quibus totum Eccleſiæ corpus eſt contaminatum, modo non agitur cũ aduerſarijs. Et agnoſcimus ipſi, & ingenue confitemur, gemimus, & deploramus, in corpore eccleſiæ, à planta pedis vſq; verticẽ capitis, non eſſe ſanitatem, & corrupta eſſe omnia, præſertim in ſtatu Eccleſiaſtico, omneſque ſua quæ ſunt, quærere, & ſtudere auaritiæ: atque per diſpenſationes ſuper beneficiorum pluralitate, & ſuper alijs plurimis, ſuper quibus nec Chriſtus ipſe diſpenſare poſſet, per commendationes Abbatiarum, & Epiſcopatuum, per monſtroſas prouiſiones, regreſsus & retrogeſſus, omnia eſſe venalia, ſub prætextu tamen neſcio cuius cauſæ rationabilis, quæ ex more, nullo facto examine prætexitur, et bullis inſeritur ſemper: multamq; propterea in capitibus eccleſiæ damnabilem eſſe hypocriſin. De his, inquam, cum aduerſarijs non agimus. Sunt enim tam notoria hæc vitia, vt multum cæcutiat, qui ea nõ videt: & inſanus ſit qui vel excuſare conatur. Quis enim non videt, quantus ſit ſacrorum Canonum circa diſciplinã ne-

Abuſus eccleſiæ Rom. deplorat & cæcitatem prælatorum auarorum atque damnabilem ipſorum hypocriſin.

Romæ diſpenſatur, in quibus Chriſtus ipſe non poſſet diſpenſare.

neglectus? quis non gemit, nullam fieri illorum executionem, niſi circa beneficia, & ea quæ ad forum pertinēt contentioſum: quorum ſi ſeuera eſſet obſeruatio, & Prælati, quorum eſt eos exequi, ſuo non deeſſent officio in his, quæ mores, & diſciplinam concernunt: florentiſsima eſſent omnia in Eccleſia, nec opus eſſet vniuerſalibus Cōcilijs ad reformandam eccleſiam epiſcopos fatigare, & cum magna ſalutis iactura, ad ſeptennium oues ſuis deſtitui paſtoribus. Nec ex Concilijs fructus vllus expectatur, quam diu defuerint, qui concluſa & definitiones zeloſe exequantur. Et ideo memorabilis eſt Reuerendiſsimi cuiuſdam Cardinalis ſententia, qui rogatus à Sanctiſsimo D. N. Adriano VI. meo quondam in his ſcholis Præceptore, ac Præſidente mihi ſemper obſeruando, quid iudicaret ad reformandam Eccleſiam in primis conducere? dicitur reſpōdiſſe, & ter idem repetiuiſſe: Beatiſsime Pater, ſeruentur Canones: nullis nouis opus eſt: ſed qui ante annorū centenarios ſunt cōſtituti, ſeruētur, & nō ſolas chartas occupēt, ſed mentibus & moribus fidelium inſcribantur per Epiſcoporum ſedulam exequutionē.

Iſta cenſura D. Cardinali Caietano tribuitur.

Exemplum habemus recens in Synodis diœceſanis & prouincialibus ad Cæſareæ Maieſtatis monitionem, nouiſsimis his annis apud nos celebratis. Nam ſi ſeruarentur Canones, diſponentes ſuper deſtitutione Paſtorum, Abbatum, & Epiſcoporum, quando eam merentur, præeſſent eccleſijs paſtores idonei, ſine quibus nulla eſt ſpes reformandæ eccleſiæ. Nūc autem in pluribus Præpoſitis locum habet, & impletur *Zachariæ* prophetæ vaticinium. Ecce ego ſuſcitabo paſtorem in terra, qui derelicta non viſitabit, diſperſum non quæret, & contritum non ſanabit, & id quod ſtat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum diſſoluet. O Paſtor, & idolum, derelinquens gregem! Fieri non poteſt, quod grex Dominicus bene habeat, quando eiuſmodi paſtores habet præpoſitos. Agnoſcimus hæc omnia non minus, quam aduerſarij, qui doctrinæ ſuę gratiā, fauorem & plauſum abuſuum commemoratione conciliant. Nam de neglectu officij apud Epiſcopos, quod Satrapas magis agunt, quam epiſcopos, prolixa oratione ipſi etiam præfantur. Sed diuerſa eſt ratio morum & diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quā multis modis lapſam eſſe diffiteri non poſſumus: & alia ratio doctrinæ & fidei orthodoxæ, q̄ ſana, integra & incorrupta manſit & manet, etiam in moribus corruptiſsimis. Rogauit enim Chriſtus Dominus, qui pro ſua reuerētia eſt exauditus, pro Petro, totaq; Eccleſia, quod non deficiat fides eius. Diſciplinæ autem reſtitutionem & eccleſiæ reformationem in capite & membris, quotquot ſunt pij, vehementer deſiderant: quæ & fiet, quādo dominus miſertus eccleſiam ſuam ſponſam chariſsimam reſpicere, & piorum preces exaudire dignabitur. Ea autem ſanctis moribus reſtituta, in Prelatis præcipue ſicut fumus diſpergentur & euaneſcent vniuerſę

Zachariæ 2. Ex ſedula Paſtorū reſidentia, ſolum expectāda ſeria Eccleſiæ reformatio. O Paſtor & idolum.

hæreſes, & omnes errores.

Attentius igitur in hac Confeſsione & in eccleſiam criminationes, & teſtimonia, quibus ipſa probatur, legens, mox arrepto calamo, à capite vſque calcem adnotare cæpi domgata, quæ falſo eccleſiæ aſſcribit, & in quibus à veteri doctrina diſsidet, & quid deſideretur in argumentis, quæ afferuntur, & in quo deficiant, & in quibus huius prophanæ Synodi Patres cæcutiant & hallucinentur. Rei namque indignitas & deuotio, quā ex profeſsione matri noſtrę omniū Catholicorum Eccleſiæ, & Chriſto ſponſo eius, atque Catholicæ fidei debemus omnes, me tunc hæc ſcribere, & nunc in celeberrimo hoc auditorio declamare coegit. Accuſatur enim illa in præfatione, quod dogmata falſa, ethnica, & hæcetica acceperit, eaq; filijs ſuis proponat, & tanquam hæreticos tyrannice igni & aqua perſequatur, qui ea nō ſuſcipiant, quaſi impudētiſsima meretrix, quæ ipſa multis adulteris, hoc eſt, erroribus proſtituta, etiam filias proſtituat, & meretricari cogat. Quis enim Chriſtianæ profeſsionis memor, & matris cōmunis, quæ nos in Chriſto genuit, eccleſiæ Catholicæ, quam apoſtolus Paulus pronunciat eſſe firmamentum & columnam veritatis, & cui promiſit Chriſtus, quod portæ inferi nunquam aduerſus eam præualerent, falſas has criminationes, calumnias ac mendacia apertiſsima, quibus falſo diffamatur, ferat patienter? Nec modo primum in hac confeſsione aſperguntur calumniæ, ſed ab initio, quando nouitas hæc dogmatū ſuſcitata eſt in eccleſia. His enim artibus noua hæc doctrina facta eſt plauſibilis, & à multis acceptata, & vetus contemni cœpit, & accenſa odia aduerſus eam.

5. Catalogus calumniarū confeſsionis Saxonicæ in Catholicam Chriſti Eccleſiam.

Vehementer autem admiratus ſum & obſtupui quod viros prudentes, & varia lectione inſigniter eruditos non puduerit, has calumnias tam apertas manifeſtaſq́ue criminationes in ſanctam eccleſiam toti orbi ſynodaliter ſcribere, & proponere, idq́; in ſuæ Confeſsionis principio: cum ignorare non potuerint, ſtatim deprehendi poſſe, meras eſſe calumnias, à quibus ſuam incipiunt fidei confeſsionem. Niſi hac fortaſsis confidētia, quod theologos vident fere omnes eſſe quaſi canes mutos, qui latrare vel ſua imperitia nequeant, vel nimio ſuæ quietis amore nolint. Nouerunt enim bellum fore perpetuum, ſi ſemel cum huius generis aduerſarijs congrediantur. Si autem tam imperitos theologos arbitrantur, quod non aduertant aſtutias, dolos, & ſophiſtica eorum argumēta: grauiter falluntur. Vidimus enim & audiuimus in Concil. Trid. multos epiſcopos & magiſtros quorum eruditionē Theologię ad ſtuporem vſq; omnes admirabamur. Fateri tamen cogimur, inter eos, qui per inſignē eruditionē cauſam Chriſti defendere valēt, raros eſſe, quos accendit zelus decoris domus Dei, vt ſuſcipiant prælia Domini, & ſanctæ religionis noſtræ cauſam defendāt. Quibus certe periculum eſt ne cum ſeruo pigro, qui pecuniam Domini in ſudario repoſitam, in

6. Doctiſsimi Epiſcopi in concilio Tridentino. ſed rari cauſam Chriſti ſcriptis defendunt, cauſeque manent muti.

terra

terra fodit, damnentur, & in tenebras exteriores proijciantur, ligatis manibus in ſupplicium ſempiternum. Vel potius, ſi nefas ſit de tantis viris præſumere, quod ſcientes mentiantur, certe circumuenti ex aliorum falſa narratione, arbitratur eccleſiam docere, quæ ſemper damnauit. Ipſi enim ſua narratione ſatis oſtendunt, quod ſcholam Eccleſiæ Catholicæ nunquam intrauerunt, neque audierunt magiſtros, qui in ea docẽt. His igitur artibus & mendacijs noſtro ſæculo impugnata eſt Eccleſia, & aduerſus eam accenſa odia apud principes & populum, præcipue in Germania, & ſeducta corda ſimplicium. Quis enim pius & Catholicæ ac euangelicæ veritatis amator, non odiret & exterminaret cœtum, qui ſub nomine Chriſti & Euangelij, dogmata euangelio aduerſantia ſequitur, & aqua ac igne amplecti cõpellit? & quis veterem eccleſiam ſic proſtitutam non deſpiceret? quis in eius permaneret cõmunione? Et quis pius nouam hanc doctrinam, nouamque Eccleſiam, multisque modis commendatam non amplecteretur? Quæ certe noua, aut alia eſſe non poteſt, quam quæ ab initio à Chriſto ſupra firmam petram erecta, & Apoſtolorum & ſucceſſorum miniſterio vſque ad ſæculi conſummationem per eum ædificatur & extruitur. Chriſti enĩ firma & infallibilis eſt ꝓmiſsio, Ego vobiſcum ſum vſque ad ſæculi conſummationem. Nam ſicut vnum eſt baptiſma: ita eadem & vna ſemper eſt eccleſia, vna fides, quam ab Apoſtolorũ temporibus, quotquot Deo placuerunt ſecuti ſunt ſemper. Alia autem, quæ eſt aduerſariorum, noua eſt ab annis 35. nata, & ignota patribus & vetuſtæ eccleſiæ. Non igitur poteſt eſſe Catholica, & fides Catholicæ, eccleſiæ, quæ nunquã fidem, aut doctrinam mutauit. Profecit quidem doctior facta, ſed nunquam reiecit docendo, quod ſemel accepit. Nouit enim grauem Apoſt. Pauli ſentẽtiam: Miror quod ſic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Chriſti, in aliud euangelium quod non eſt aliud. niſi ſunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere euangelium Chriſti. Sed licet nos, aut angelus de cœlo euangelizet vobis, præter quam quod euãgelizamus vobis, anathema ſit. Iterum dico, ſi quis vobis euãgelizauerit, præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Audiamus nunc Cõfeſsionem, vt certo conſtare poſsit, vera eſſe quæ dicimus. Incipit autem, vt diximus, à falſa commemoratione doctrinæ veteris eccleſiæ, vt eius abſurditate & impietate gratiam ſibi conciliet & fauorem. Maxime, inquit, neceſſarium eſt in eccleſia extare doctrinam de Pœnitentia, & de fide, accipiente remiſsionem peccatorum, incorruptam & perſpicuam. Manifeſtum eſt autem, de hac præcipue parte doctrinæ eccleſiaſticæ multos pernicioſos errores & labyrinthos tradi, & confirmari ab aduerſarijs. Extant enim libri, qui inde vſq; à trecentis annis in multorum manibus ſunt, & hos errores veluti explicant. Quanta, inquit, contumelia eſt aduerſus filium dei, quod dicunt homines mereri remiſsionem peccatorum proprijs operibus, & iuſtos eſſe impletione legis? Deinde cumulant errores: cum nemo ſciat, quando ſatis habeat operum. Iubent homines perpetuo dubitare, an habeant remiſsionem peccatorum & an placeant Deo. Hic de mediatore filio Dei, & de fide accipiente gratuitã remiſsionẽ peccatorũ, & vincente dubitationem, ſilentium eſt in aduerſariorũ ſcriptis. Hi errores prorſus ethnica ſomnia ſunt, & complectuntur aliud magnum chaos errorum. Quæ verba paululum expendamus, vt intelligatur, ſi quid contineant veritatis, vel potius meras in eccleſiã calumnias. Vere neceſſarium eſt in eccleſia extare doctrinam de Pœnitentia & fide, accipiente remiſsionem peccatorum, incorruptam & perſpicuam. Et hinc colligimus doctrinam Confeſsionis de Pœnitentia ac fide eſſe peſtilentem & peruerſam, cũ à Martino Luthero primum ſit tradita, & antea Eccleſię Cathoclię, imo & hæreticis ignota. Eſt enim vna ex hæreſibus, quas primum ipſe inuenit, contra ſcripturas & concordem Patrum ſententiam. Quando enim in eccleſia auditũ eſt, ꝙ peccator terrore gehẽnæ ob peccata admiſſa concuſſus, remiſsionem cõſequitur peccatorum, ſi credat filium Dei in cruce pro peccatis ſuis oblatum, & confidat ſibi peccata remiſſa, priuſquam vitæ melioris habeat propoſitum? ſibique diſpliceat, quod patrem ſuum offenderit? Nunquã hanc doctrinam Eccleſia Catholica tradidit, nunquam eam ſecuta eſt. Quam abſurdiſsimum eſt, vſque hęc noſtra tempora, deſtitutã fuiſſe doctrina neceſſaria de fide, & Pęnitentia. Non eſt igitur noua hæc doctrina Pœnitentiæ incorrupta, ſed noxia, & auertens à vera Pœnitentia, quam docent ſcripturæ propheticæ & apoſtolicæ. Nam in Actibus Apoſtolorum ſcribit B. Lucas quod Apoſtolus Paulus docebat publice & per domos in Deum Pænitentiam, non ob ſupplicium & fidẽ in dominum noſtrum, Ieſum Chriſtum. Et in epiſtola 2. ad Corinthios, quæ ſecundum Deum triſtitia eſt, Pœnitentiam in ſalutẽ ſtabilem operatur. Nam ante annos fere mille ſcripſit B. Gregorius, cum ex peccato pœna metuitur, & amiſſa Dei facies non amatur, timor ex tumore eſt, non ex humilitate, ſuperbit etiam qui peccatum, ſi liceat impune non deſerit. Et Simoni Mago ait. B. Petrus Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Vbi B. Petrus monens Simonẽ vt Deum roget, ſi forte ipſi remittatur cogitatio cordis ſui, plene deſtruit hanc fidem, quæ peccatorum remiſsionẽ acipit. Si enim rogare oportet, vt peccata remittantur, ſicut & antiqui docent, quod Patrem oremus, Dimitte nobis debita noſtra: orare autem, vt ipſi tradunt, non contingit ſine hac fide: vel inanis eſt Oratio, ꝗa prius fides remiſsionẽ peccatorum apprehendit, & aſſequuta eſt:

Marginalia:

7. Saxonici Theologi falluntur vehementer, & quibus artib. Eccleſiam oppugnent. Eccleſia Dei Catholica non docet, quæ Saxones ei per calumniam aſfingunt.

Galat. 1.

1. Calumnia Saxonicæ confeſsionis in eccleſiam Catholicam.

Refutatio eiuſdem calumniæ.

8. Nouam Pœnitentiæ doctrinam inuehunt Saxonici Theologi.

9. Quod fides non apprehẽdit peccatorum remiſsionem, ſed orandum iubet D. Petrus, vt peccata remittantur.

vel inanis eſt hęc fides & cõtra Scripturã, docẽtem nos orare, Dimitte nobis debita noſtra.

Et Ezechiel, Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta, & fecerit iudicium & iuſtitiam in voto, & cordis deſiderio: tunc viuet & non morietur. Et alio loco: Proijcite à vobis omnes iniquitates veſtras, & facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum. Nulla hic mentio fidei apprehendentis remiſsionem peccatorum, & cor nouum & ſpiritum nouum: imo potius excluditur, quando requirit propheta propoſitum præcepta omnia cuſtodiendi, & ſine eo impium manere in morte, quodque ipſe odio peccati & iniquitatis, vt contra Deum eſt, à ſe proijciat ea. Et quando beatus Petrus Simonem hortatur, quod roget Deum, ſi forte ei remittatur cogitatio cordis eius, & Dominus in oratione Dominica, quod oremus, dimitti nobis debita noſtra, cũ ſine fide hac apprehendente iuſtitiam & peccatorum remiſsionem non contingat orare: ſic enim interpretantur ſententiam Apoſtoli, Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? fide ſcilicet hac ſpeciali. Aduerſatur hęc doctrina ſcripturis, quę docent orandum eſſe pro remiſsione peccatorum, & cordis nouitate: cum oratio præſupponat, ſecundum eorum doctrinam, cordis nouitatem, & peccatorum remiſsionem, ſicut fidem, quæ primo loco hæc aſſequitur, & oblata apprehendit, priuſquam Deum orare contingat. Non igitur incorrupta eſt doctrina Confeſsionis de Pœnitentia & fide apprehendente Iuſtitiam: ſed, vt dudum diximus, ſcripturis clariſsime aduerſatur, auertens à vera pænitendi forma. Fides Catholica apprehendit verbum Dei, & quicquid loquitur, ſiue doceat, & afferat, ſiue promittat aut comminetur. Promiſsionem autem ſequitur certa expectatio eius quod promittitur: & comminationes, metus mali comminati & expectatio certa, niſi per verã pęnitentiam ira Dei placetur. Nã p Ieremiam prophetã loquitur Dominus, Repente loquar aduerſus gentẽ & aduerſus regnũ, vt eradicẽ, deſtruam, & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod loquutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei, & ſubito loquar de gente & regno, vt ædificem & plãtem illud. Meminit quidem ſcriptura fidei viuæ & mortuæ, ſiue inanis, & per dilectionem operantis fidei magnæ et modicæ: apprehendentis autem iuſtitiam, nuſquam. Quod autem Apoſtolus docet nos fide iuſtificari, & quod gẽtes, quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam: Iuſtitiam autem quæ ex fide eſt: Iſrael verò ſectando legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit. quare? quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus: non intelligit fide, quaſi manibus, apprehendente iuſtitiã oblatam, ſed aſſequente ex gratia propitiationis Chriſti, de qua certa fide perſuaſus eſt, non quaſi ex merito operum. Et ideo dicit iuſtitiam eſſe ex fide, non autem fide quaſi manibus apprehendi. Sed ex fide operante pœnitentiam, & veram Dei dilectionem, confertur remiſsio peccatorum & vera peccatorum iuſtificatio. Quomodo ſe interpretatur Apoſtolus ipſe cap. 10. Idem videlicet eſſe verbum fidei, quod prædicat, & de quo capitibus ſuperioribus diſſeruerat, & verbum, de quo ſcriptura in Deutero. quod prope eſt in ore tuo, & in corde tuo, Nam in Deut. certum eſt ſermonem fieri de dilectione Dei, & conuerſione plena ad Deum. Apoſtolus igitur interpretatur, quæ dixit in capitibus ſuperioribus. vbi ne meminit quidem reuerſionis ad dominum, nec dilectionis Dei, & textum Deuter. qui ne meminit quidem verbo vllo fidei. Iuſtificamur igitur, interpretante Apoſtolo Paulo, fide ex dilectione pœnitentiam operante, non operibus aut operum merito, quamuis non ſine operibus pœnitẽtiæ. Et noſtra de Pœnitentia doctrina perſpicua eſt, nullis labyrinthis perplexa, nec vllum habet errorem, quin potius doctrina Confeſsionis. Nos enim ſimpliciter docemus, quod impius, ſi gemat & vere doleat ab peccatum commiſſum, ſeq; emendare & viuere ſecundum leges familiæ Chriſti proponat, ſi ſacerdoti peccata ſua confiteatur cum ſpe veniæ, per ſacramentum abſolutionis, ex Chriſti propitiatione omnium conſequitur remiſsionem. Nam Chriſti eſt inſtitutio, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: imo ſolum ſufficit plerumque confitendi propoſitũ. Doctrina hæc nihil habet perplexitatis, nihil labyrinthi, ſicut aduerſariorũ doctrina habet. docet enim, quod fide apprehenditur iuſtitia, hoc eſt ſi credat patrẽ ſibi propitiũ ob victimã filij in cruce oblatam, modo tamen fides ſit talis, quod eam ſequitur dilectio Dei ex toto corde, nouitas vitæ, & plena ſui reſignatio in omnem voluntatem & beneplacitum Dei. Quamuis enim paſsim loquantur, quod ſola fide iuſtificamur: quando tamen argumentis vrgentur ex ſcripturis, Qui non diligit manet in morte, & ſimilibus: explicant ſuam fidem & interpretantur non eſſe, niſi adſit vera ob Deum offenſum pænitentia, & totius ſui in Dei beneplacitum reſignatio. Ita perplexa eſt eorum de pœnitentia doctrina, non ſolum, vt diximus, contra ſcripturas. Eadem namque requirunt, & plura quæ nos, vt impij fiat iuſtificatio. Sed eccleſia Catholica docet, quędam eorum neceſſario præcedere. Ipſi vero docent neceſſario ſequi, & ſola fide accipi iuſtitiã & remiſsionem peccatorum, antequã ſecundum Deum pœnitemus de peccatis, vel Deũ diligimus: & ita alia via contingere hæc Dei beneficia, quam vera pœnitentia, & ſacerdotis remiſsione: alio torquẽtes verba ſaluatoris. Quorũ remiſeritis peccata: ad Euangelij ſcilicet prędicationẽ. Quod aũt addũt, nos docere homines mereri remiſsionẽ peccatorũ ex proprijs operib. calumnia eſt.

Fide iuſtificari, quo ſenſu D. Paul' doceat.

Doce-

10. *Calumnia depellitur Saxonica.*

Docemus enim & nos, quod vere contumelia eſt aduerſus filium Dei, & eius propitiationem homines mereri remiſsionem peccatorum proprijs operibus, tãtum abeſt, vt eccleſia & gymnaſia hoc doceant. Imo tãquam vere hæreticum & Pelagianum damnant. Nouerunt enim ſententiam B. Pauli: iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes, qui credunt in eum. Non enim eſt diſtinctio. Omnes enim peccauerũt, & egent gratia Dei. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem Deus poſuit ꝓpitiatorẽ ꝑ fidẽ in ſanguine ipſius, vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificet eum, qui ex fide eſt Ieſu Chriſti: & Iſrael non eſt iuſtitiam aſſecutus, quia quaſi ex operibus, non ex fide. Mera igitur calũnia eſt, quod Confeſsio Eccleſiam accuſat, quod docet nos mereri remiſsionẽ peccatorũ operibus noſtris, nam ſi ex operibus eſt iuſtitia, Chriſtus gratis mortuus eſt. Docemus enim peccata non remitti, niſi ob victimã in cruce oblatã: cuius ſanguine lauamur à peccatis noſtris, modo veteris vitæ nos pœniteat & ꝓponamus vitã meliorẽ, cũ expectatione veniæ, ob Chriſti ꝓpitiationẽ. Sine q̃bus operibus internis nulla fit peccatorũ remiſſio. Non tñ horum merito, ſed ob ſolam victimã in cruce oblatã: cui omnis impij iuſtificatio & peccatorũ remiſsio ſecundũ ſcripturas attribui debet. Imo docemus nullũ eſſe meritum ante peccatorum remiſsionem, iuxta ſententiam Apoſt. Pau. Si ex operibus, iam non ex gratia. Eſt autẽ ex gratia peccatorũ remiſsio.

11. *Saxonum calumnia refutatur.*

Alia Saxonũ calumnia refellitur.

Similis eſt calumnia, quod dicit Confeſsio nos docere, iuſtos eſſe impletione legis. Docemus enĩ gratis nos iuſtos fieri, vt legẽ impleamus: nõ autẽ ex lege vel operibus iuſtificari. Nouimus enim interpretationem Beati Auguſtini circa locum Pauli ad Roman. 2. factores legis iuſtificabuntur: quod ſit loquutio ſimilis cum iſta, homines creabũtur. Nam ſicut creatione fit, quod ſint homines, non autem prius ſunt homines, quam creamur: ita non qui ante erant factores legis, poſtea iuſtificabuntur: ſed iuſtificabuntur, hoc eſt, iuſti fient, vt ſint factores legis. Non igitur impletione legis iuſtos fieri vel eſſe docemus, ſed poſt Auguſt. gratis ob Chriſti propitiationem iuſtos fieri, vt legẽ impleant: dicente apoſtolo Paulo, quod impoſsibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato peccatũ damnauit in carne, vt iuſtitia legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnẽ ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum.

Factores legis iuſtificantur.

13. *Calumniam aliam Saxonicam refellit.*

Eſt & calũnia, quod Confeſsio addit: Cum nemo ſciat, quando ſatis habeat operum, iubent homines perpetuo dubitare, an habeant remiſſionem peccatorum & an placeant. Non enim docemus, ex operibus fieri peccatorum remiſsionem, & ſic nullum operum numerum ad hanc requirimus, vt Deo placeamus. Sed ſi adſit ſolus dolor de peccatis, vt diximus, ob Dei offenſam, cum propoſito vitam emendandi, accedente ſacerdotis abſolutione, certi ſumus, & certiſsime ſine vlla vacillatione cõfidere poſſumus, nos Deo placere & peccata eſſe remiſſa. Fatemur tñ, quod cõtingit hominem dubitare, an Deo placeat, et remiſſa ſint peccata, vel ob animi puſillanimitatẽ, vel quia admiſit peccatum, quod dubitat eſſe mortale, vel dubitat, an vere, & ex animo propoſuerit peccata & peccatorũ occaſiones cauere: an potius affectu adhuc eis adhæſerit. Et quẽ, precor, vel obſcurũ doctorẽ legiſtis, qui iubet facta Confeſsione dubitare, an ſint remiſſa peccata? metuere tñ ſemper monet Eccleſiaſticus, De propitiato, inquiẽs, peccato noli eſſe ſine metu. Sed aliud eſt metuere, ne non ſint remiſſa: aliud dubitare, an remiſſa ſint peccata.

14. *Certitudo hæreticorũ de ſalute ſcripturis aduerſatur.*

Et Apoſt. Pau. hortatur, vt cũ metu & tremore ſalutem operemur. Securitatem, quã docet Confeſsio, & certitudinem improbamus, tamquã alienam à ſcripturis: qua quis debeat certo ſtatuere, quod Deo placeat, vt remiſsa ſint ſibi peccata: cũ Apoſt. Pau. de ſe dicat, Et ſi nihil mihi cõſcius ſum, non tñ in hoc iuſtificatus ſum. Prauum enim eſt cor hominis, & inſcrutabile. quis cognoſcet illud? ne ipſe quidem ſpiritus hominis ſatis cognoſcit, quid eſt in homine. De mediatore, ait Confeſsio, filio Dei, & de fide, accipiente remiſsionem, & vincente dubitationẽ, ſilentium eſt in aduerſariorum ſcriptis. Mira certe impudentia huius Synodi, quod diſſimulant ſe legiſſe magiſtrum in Sententijs diſtinctione 19. li. 3. vbi latiſsime tractat de mediatore Chriſto, quodque ſolus ſit mediator, & quotquot doctores circa illam ſcribunt. & diſtinctione 25. quod fides mediatoris ſemper fuit neceſſaria, nec vlli ſine ea vnquam contigerit ſalus. Quod & habet articulus vnus venerandæ Facultatis noſtræ Theologicæ inter eos, qui circa huius ſæculi materias controuerſas per eam ſunt editi.

15. *Falſa affingunt catholicis Saxones.*

De fide autem accipiente remiſsionẽ peccatorum, non mirum eſt, ſilentium eſſe in libris noſtris, cum & in Patrum monumentis & ſcripturis ſacris nulla eius fiat mentio. Nã ignota fuit ſemper eccleſijs, quouſque Martinus Luth. ſathanæ inſpiratione eam, vt diximus, prædicauit, & libris ſcriptis annũciauit. Eſt enim hæc doctrina, quod remiſsionẽ habet peccatorũ qui credit ob Chriſti propitiationẽ peccata ſibi dimiſſa, eius euãgel. In libris noſtris ſcriptis, poſt hanc fidẽ annũciatam frequens eſt eius improbatio, & mẽtio: de quo & articulus vnus eſt eum improbãs. Euacuat enim, vt diximus, orationem, qua precamur nobis debita remitti, & cor nouum infundi. Prius enim quam hæc precemur, fide, ſine qua non contingit ſecundum eos hæc orare, iam ea accipimus.

Fides Lutheranorum ſcripturis & patribus ignota.

Finis decadis orationum Theologicarum Reuerend. D. Rueuvardi Tapperi. VVilhelmus Damaſi Lindani eas ſua ad autographa recenſui.

AVREVM REVERENDI D. RVEvvardi Louanienſis Decani corollarium, de veris afflictæ hæreſibus Germaniæ, ac potiſſimum Belgicæ cauſis, vna cum ſolidis earundem ſanandarum remedijs, vt ad concordiam cum catholica Chriſti Eccleſia reducantur.

Cauſæ colla pſæ apud Belgas Religionis.

AD cognoſcendum, quibus medijs poſsint reſtitui & ſaluari fides & religio in his prouincijs Germaniæ inferioris, Cæſareæ Maieſtati ſubiectis, operæpretiũ eſt videre & cognoſcere, quæ ſint potiſsimũ cauſæ propter quas lapſæ ſunt in varios errores, & quoſdam plus quam ethnicos.

1. Negligentia magiſtratus Regij, Conſiliariorum et Aulicorum.

Et diligenter conſiderantibus videntur præcipuæ cauſæ eſſe tres: quarum prima eſt negligentia Gubernatorum & Conſiliorũ Prouincialium: ex qua in Magiſtratibus Ciuitatum, & alijs officiarijs iuſtitiæ miniſtris non ſolum neglectus ſui officij eſt ſequutus, ſed & fauor hæreticorum, & error multorum ſuppoſitorum: quorum in curia & exemplo magna pars populi varijs erroribus corrupta eſt, multique in populo nutant atque vacillant: & qui optimi ſunt, minus, quam ſolent, fidei & religioni ſunt affecti & deuoti, quã maieſtas & reuerentia Chriſti, quẽ noſtræ fidei & Religionis authorem habemus, requirũt. Adhæc negligẽtius hanc Chriſti cauſam curant, quod quibuſdam etiam maioribus perſuaſum ſit, quod iſtæ controuerſiæ dogmatum, quæ citra annos 25. ortæ ſunt, ſolum concernunt quaſdam opiniones Theologorum & monachorum: & ideò alios debere eſſe quaſi ſpectatores. Quę perſuaſio, valde pernicioſa eſt, & ex ea videtur magna parte profectus eſſe in Conſilijs & Magiſtratibus atq; officijs Principis, neglectus iuſtitię, & fauor & credulitas hęreticorum, & applauſus ac riſus, ſi detegerentur vel Doctorum Eccleſiaſticorum, ut Religioſorum defectus & lapſus, & errores aliqui in ſpecie veri proponerentur.

Vnde orta in Reipu. capitibus negligentia iuſtitiæ, ac incuria Religionis conſeruandæ.

2. Epiſcoporũ dormitantia & officij ſui ignorantia.

Secunda cauſa eſt, negligentia Epiſcoporum, & Prælatorum ignorantia officij ſui. Rarus eſt Epiſcopus, qui agnoſcit ſe à Deo datum eſſe ſpeculatorem domui Iſrael, vt inſonet buccina, quando videt gladium venientem, quodq́ue ſanguinem pereuntium de manibus eorum ſit requiſiturus domin9, ſi vel non ſint ſpeculati, vel nõ inſonent buccina, vt legitur Ezechiel 33. Epiſcopus enim Paſtor eſt præfectus ouibus Chriſti, vt eas ſeruet contra inſidias luporum & hæreticorum: qui multi nunc circumambulant gregem Domini: quin & latent inter oues, & perdunt in ſilentio, ita tecti velleribus ouillis, & aſtuti, vt oues non ſolum non fugiãt, ſed ſequãtur lupos, eorum anhelitu & afflatu faſcinati. Super has oues ſibi concreditas ex officio debet Epiſcopus vigilare, obſeruare aduentum luporum, vt arceat, & valetudinem ouium curet, vt quod infirmum eſt cõſolidet, quod ægrotum, ſanet, iuxta mandatum Domini apud Ezechielem 34. Nunc tantum abeſt vt iſta præſtent, vt magis in eos competat maledictio Domini apud eundem Prophetam: Hæc dicit Dominus Deus, væ Paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemet ipſos! Nonne greges à paſtoribus paſcuntur? & quæ mala ſequentur ex hac dormitatione Paſtorum, non tacet prophæta ore Domini. Viuo ego dicit Dominus Deus, quia eo quod facti ſunt greges in rapinã, & oues meę in deuorationem omnium beſtiarum agri, eo quod nõ eſſent Paſtores: neq; enim quæſieruut Paſtores gregem meum, ſed paſcebãt paſtores ſemetipſos, & greges meos nõ paſcebãt: faciam, vt non amplius paſcant gregem meũ. Et quia nouerũt lupi officium illorum nunc ex iniuria, vel amore huius ſæculi impediri, quod non ſtudent præſtare: inde patet liber acceſſus & introitus lupis, vt mactent & perdant pro ſua tyrannide, & inexplicabili nequitia: niſi quos Dominus ſingulari ſua electione & prouidentia cuſtodire dignatur.

Officium Epiſcopi quod quam graue.

Vnde luporũ huius ſæculi Euangelicorum tanta per Belgica copia.

3. Scandaloſa Eccleſiaſticorum vita & neglectus diuini cultus.

Tertia cauſa eſt ſcandaloſa vita eccleſiaſticorũ, & neglectus nimius cultus diuini in officijs priuatis & publicis. Nam magna pars eorũ ſunt homines penitus inutiles, diuini & humani iuris imperiti, & ocioſi, gulæ & luxuriæ dediti, mancipia ventris, auari, plurales in beneficijs: quorum ne vni quidẽ ſeruiunt, nec ſeruire ſunt idonei, mirum quæſtum facientes ex aucupatis beneficijs, venatores, & quaſi aucupes Sacerdotiorum & dignitatum, beneficia copulantes beneficijs: ne cogitantes quidem de vllo officio reddendo. Iſtæ videntur mihi eſſe præcipuæ cauſæ, quod late propagantur errores, & mala dogmata per has prouincias. Et certum eſt, quod quotidie incrementum ſument incurabile: niſi celeriter occurratur. Operæpretium igitur erit, in vtroque ſtatu, ſpirituali & ſeculari, Canonicam Eccleſiæ facere reformationẽ, vt tollantur ſcãdala in vtroq; ſtatu q̃ putantur cauſę potiſsimæ eſſe hæreſum huius temporis. Quæ niſi fuerint ſublatę, non eſt, noſtro quidem iudicio, vlla ſpes religionis reſtituẽdæ, aut fidei conſeruandæ. Quare nunc pacis tẽpore, quũ Dominus cælitus in terram mittere dignatus eſt, ſumma cura enitendum eſt omnibus Deum timentibus, & fidei ac Religionis ſynceritatem zelantibus, et præcipue Cæſareæ Maieſtati, vt eliminatis erroribus, fides et religio auita reſtituatur et colatur in vnitate fidei Author pacis Deus benedictus, cum Chriſto filio eius in ſecula. Et veriſimile eſt hanc pacem à Deo datam, vt Dominus Imperator nunc hebita oportunitate, in tempore vacans à bellis, præſtet opere, quod multis iam eſt annis meditatus, & experiatur fidelitatem & religionem Maieſtatis ei9 erga ſe. Cũ igitur hæ ſint radices, ex quibus peſsimæ hæreſes & errores proceſſerunt, & multorũ animos in his prouincijs

Cur pacem Deus dederit Carolo V. Anno 15.

corru-

corruperunt, & conſiderato, quod nec vlla ſit ſpes reſtituẽdæ religionis & fidei, niſi hæ malę radices euellantur, ſaltem quantum patitur huius ſæculi malitia & infirmitas: & ſuccedat negligentiæ & ignorantiæ officij, vigilantia & notitia eorum, quæ cuique ex officio ſuo incumbunt: Inſuper conſiderato, quod magnus ſit Dominus, cui in fide & religione Chriſtiana ſeruitur: quodq; tanti habeat hanc fidem & religionem, vt ipſe ſolus ſit eorũ author, & ipſe per filium, quem in hoc miſit in mundum, prę̨ſcripſerit, quod hac fide ſola, hac reuerentia, & religione ipſe coli deſiderat, quodq; cultus ſecundũ aliã fidem offendat, & ad iram prouocet: ad hæc, quod pręcipua ratio reformãdi Eccleſiã pendeta b epiſcopis & poteſtate ſęculari: vtriſq; munus ſuum obeuntibus, Epiſcopis quidem circa ſuos officiarios primũ, deinde per eos circa clerum ſuæ Diœceſis: Clementiſsimo verò Imperatore, circa Conſilia Prouincialia, & per ea circa magiſtratus, & tum circa minores officiarios iuſtitię diligenter occupato: ſponte ſequerētur omnium bonorum reſtitutio fidei, religionis & optimæ vitæ in ſubditis reliquis maieſtatis eius. Et ſicut fungentibus officio ſuo Epiſcopis circa ſuos officiarios, & Clerũ ſuæ diœceſis, ſtatim & per ſe ſequeretur reformatio Cleri: ita ſi Conſilia Prouincialia eſſent, qualia ex officio ſibi impoſito deberent: Magiſtratus inferiores benè fungerentur ſuis muneribus. Circa iſta igitur duo, Epiſcopos, inquam, & Conſiliarios cum officiarijs ſæcularibus, debet eſſe cura Cæſareæ Maieſtatis, ſi velit extirpari hæreſes in his Prouincijs, & reſtitui religionem & fidem Patrum verè Catholicam, vt à ſeculo fuit.

Remedium quale adhibendũ circa Senatores Conſiliorum Prouincialium. Eſt igitur ordinandum per Cæſaream maieſtatem, & cum effectu exequendum, quod Conſiliarij & Iudices in Conſilijs Prouincialibus ſint viri prudentes & Deum timentes, qui odiant auaritiam & munera, qui odiant ſectas & nouitates vniuerſas, & præcipuè quæ ab his ann. viginti quinq; natę ſunt, qui zelum habeant auitæ religionis & fidei, & tales ſe exhibeant populo & alijs, quod hæc opinio de eis habeatur, & glorientur ſe eſſe antiquæ fidei ac religionis patrum ſectatores: & ex animo exequantur edicta Imperialia, & ſecundum ea proſequantur officium ſuum, non ad oculum ſeruientes, nec alia ſpectantes. Nam vſque nunc multi non aliud ſpectare videntur, quam vt accuſati habeant quod excuſent apud Cæſaream Maieſtatem, vel apud sereniſsimã Dominam Reginam. Et ſi inueniantur inter eos ſuſpecti, vel fauentes erroribus iſtis & nouitatibus, vel credentes: deſtituantur confuſi & puniantur ſecundum qualitatem exceſſus, nec vllus habeatur reſpectus inter paruũ & magnum. Nam paucorũ exemplum plurimum ædificabit, & deterrebit alios, & multos cõfirmabit in fide & religione. Super iſto facta eſt ordinatio per Cæſaream Maieſtatem anno 40. 4. Octobris, quo ad magiſtratus oppidorum: ſed nulla fit mẽtio Conſiliariorum, vt qui per eius Maieſtatem debeant priuari & argui: ſed exequutionem nullam audiuimus factam. Igitur diligens fiat inquiſitio ex mandato Maieſtatis eius, de ſuis Conſilijs prouincialibus, & Conſiliarijs, qui ſint ſuſpecti de ſectis, qui fauentes, qui errantes: & poſt eam, proſequutio ad deſtitutionem ſtatus & ſuppliciũ, prout exceſſus merebitur. Nam corde ægrotante, non poſſunt benè valere membra, & ſi ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur? Si Cæſarea Maieſtas curet ea, quæ dicta ſunt circa Officiarios ſuos: Deo aſpirante, corruptio, quę nunc latiſsimè ſerpſit, veluti nix à facie ignis liqueſcet, & ſpõtè reſtituentur omnia, quæ lapſa ſunt, Deo cooperante, & fungentibus officio ſuo Epiſcopis, de quibus poſtea erit ſermo. Nam teſtatur Eccleſiaſticus, Qualis eſt rector ciuitatis, tales & inhabitantes in ea. Et alio loco apud Salomonem in Prouerbijs: Rex, qui ſedet in ſolio Iudicij ſui, diſsipat omne malũ intuitu ſuo. *A Politicis conſiliarijs et magiſtratibus efficax errorum extirpatio inchoanda.*

Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes miniſtros habet impios. Ea eſt natura hominum, & præcipuè harũ Prouinciarum, quod ſtudent maioribus ſuis placere, & propenſiſsimi ſunt ad ſequendum eorum mores, vitam & religionem. Renouētur ordinationes de impreſſoribus librorum, venditoribus, & emptoribus, publicatæ anno 40. die 25. Septemb. quas etiam opus eſt recognoſcere, ne forte ſint nimis ſeueræ, & boni iudices non audeant exequi, & iudicacent magis eſſe cõminationes, quam efficaces ordinationes. Ex libris malis hęreticorum magnas vires acceperunt errores, & latiſsimè fuerunt ſparſi. Non minor cura habenda eſt circa præla & excuſionem librorum, quam circa monetã & monetarios: eo quod plus detrimenti adferre poſsint Reip. Videtur igitur, quod non debet cuilibet permitti facultas imprimendi: ſed approbandi ſint publica authoritate, præmiſſa examinatione eorum ſuper fidelitate, fide, & religione ac timore Dei. Et præcipuè Antvverpiæ vigilare oportet, & deſignare cum ſtipendio viſitatores librorum. Diſponit & de iſto ordinatio prædicta. Fiat ordinatio de Ludimagiſtris, quod ſint probatæ vitæ, timentes Deum, alieni à ſectis, & habentes bonum teſtimonium apud omnes, priuſquam admittantur. De quibus habeat cognoſcere paſtor loci cum duobus, aut tribus viris probatis eiuſdem loci, quibus etiam præſcribantur libri, quos debeant & poſſent legere. Nam quod eis relinquatur arbitrium legendi, quod placet, non eſt ſine periculo, nec affert fructum iuuentuti, quam docent, & facilè poterit fieri ordinatio, qui libri iuuentuti conueniant, ſecundum varios gradus & ſcientiam, quam aſſequuti ſunt ex viris doctis, & Deum timentibus, qui in illa harena ſunt exercitati: Quod colloquia Eraſmi in totum prohibeantur prælegi iuuentuti, ſecundum quod iudicauit Facultas Theologica Pa- *Circa libros malos vigilandum.* *Circa Ludimagiſtros.* *Colloquia Eraſmi ſcholis explodenda.*

ca Pariſienſis Anno.... & Cardinales 4. cum Epiſcopis & Abbatibus 6. deſignatis per Paulum Modernum Pontificem, ad colligẽdum articulos, ſuper quibus oporteret primum Eccleſiam reformare, anno 38.

Requirat Epiſcopos & moneat eos Cęſar. Maieſtas officij ſui, quod habeant Officialẽ, ſigilliferum, & virum aliquem inſignis eruditionis & exemplaris vitæ, pro ſuo primario Cõſiliario & Vicario: quibus prouideat de competenti ſalario. Non requirat ab eis, nec quibuſuis officiarijs annuum cẽſum, cuius occaſione multa ſæpè naſcuntur ſcandala, & iniquè premuntur innocentes. Hi habeãt cognoſcere de qualitatibus, vita & moribus, ac ſcientia cuiuſque promouendi ad ordinem ſacrum, ne nimis cito alicui manus imponatur, vt idonei & ſatis probati admittantur, & alij reijciantur pro ſemper, vel ad tempus: donec vita & exemplo probati inuenti fuerint. Per hos viros viſitet Eccleſias ſeculares ac regulares: reformet, corrigat, ſi quid inuenerit reformandum, aut corrigendum: ſuſpendat ab officio & beneficio ad tẽpus, vel priuet, ſecundum qualitatem exceſſus. Nam ſi reſtituatur diſciplina Canonica, & exerceatur: bona ſpes erit, quod Clerus reformabitur. Vnde pendent fere mala omnia & bona, teſtante B. Chryſoſtomo. Non audiantur appellationes friuolæ: & hæc viſitatio fiat aſſumptis Prælatis regularibus, in viſitãdo Regulares eccleſias: & ſæcularibus, in viſitando ſæculares: & authoritate Apoſtolica, exemptas: ordinaria, non exemptas. habebũt hi prouidere de Archipresbytero, vt officium ſuum Canonici faciant. Mandetur iudicibus ſæcularibus, vt aſsiſtãt Epiſcopis & iudicibus eccleſiaſticis. Cæſarea Maieſtas moneat & oret ſanctiſsimum dominum Papam, & ſequatur conſilium illorum Cardinalium & epiſcoporum, in reformatione ſuæ curiæ: maximè quod ad illa, de quibus ita fuerunt per eum adiurati. Non eſt ſpes, quod vnquam ſine illis reſtitui poteſt fides & religio, quodque ipſe diſponat de beneficijs, maximè curatis, & de parum idoneis aut nolentibus reſidere.

Curia epiſcopi vt reformanda.

Ordinandi.

Viſitatio.

De Archipresbytero.

Curia Rom. vt reformãda.

REFVTATIO EST EIVSDEM R. D. Ruevvardi *quorundam falſorum remediorum aulicorum, cum explicatione veri remedij, ad Belgicam ab hæreſibus liberandum, potiſſimum comparati.*

CIRCA primum articulum, quod tam latæ per has prouincias hæreſes variæ, & fere quotidie nouæ naſcãtur, & ſpergãtur, variæ ſunt cauſæ: apud quoſdam vna, apud alios aliç. Qui ſunt vltimo ſupplicio affecti, expoſuerũt cauſas & occaſiones, quibus ipſi ſeducti ſunt & peruerſi. Alij veriſimiliores ſunt, quos mouerunt aliæ occaſiones. Itaque non videtur ad exſtirpandas hęreſes & errõres ſatis eſſe, quod occurratur occaſionibus, quas pauci quidam habuerunt pro cauſa erroris. Cauſa fidei communis eſt omni Chriſtiano, non eſt peculiaris cauſa Prælatorum vel eccleſiaſticorum. quamuis eorũ profeſſio & ſtatus requirat maiorem curam & ſolicitudinem circa communem ſalutem animarum. Nam de manibus eorum animæ pereuntes eorum negligẽtia requirendæ ſunt. Et ſi totum vel potiorem partem velit Imperialis maieſtas ablegare à ſe, & committere eis: periculum eſt, quod nõ ſequetur fructus. Ipſa debet ſe gerere, tanquam requirentem & ſollicitantem eorum officium, nec tamen reliqui officio ſuo deeſſe.

Circa articulum ſecundum, Multis viris prudentibus videtur, quod principalior cauſa harũ hæreſeon tam latè ſperſarum, ſit negligentia officiatorum principis: qui, donec cauſa fieret ferè deſperata, nimis diſsimulauerunt, nec debitam ſeueritatem iuſtitiæ exercuerũt in infectos & tranſgreſſores mãdati Imperialis: imò fauerunt magis, & deſiderant etiam Conſilia prouincialia in ſuis ſuppoſitis eſſe ab eis immunia. Non eſt credendum, quod auſi fuiſſent attentare ſimplices pauci, quæ attentarunt, ſi vidiſſent cordatam ac ſeriam mãdati imperialis exequutionem. Et dicitur ſatis cõſtare primarijs viris, qui ſunt apud Reginã, de quibuſdam huiuſmodi: & tamen taceri de gubernatoribus oppidorum, notorium eſt, nec poſſet tergiuerſando celari. Si huiuſmodi aliquot pro ſuo merito punirentur, vel ſaltem ante tempora aliquot puniti fuiſſent, veriſimile putant, quod nunquam tantam vim ſerpendo ſumpſiſſent iſtæ hæreſes.

Ex inſufficientia paſtorum, & præcipuè primarij paſtoris diœceſis Epiſcopi, id eſt, qui alios paſtores tanquam oues ſuas dirigere, paſcere & coercere debet ex officio ſuo, multa proficiſcuntur mala ſi ſunt imperiti; ſcandaloſè viuentes, vel ſi etiam periti & vitæ repræhenſibilis, tamen fugiunt indignationem, ſectantur quietem & commoda ſua, & incõmoda fugiũt magis, qnam ſalutem & interitum animarum. Conqueritur D. Paulus, quod multi non ſyncerè tractarent verbum Dei etiam ſuo tempore. His malis omni cura occurrendum eſt, & eo magis, quod ſi etiam diligentiſsime ſuper eis vigilatur, non expurgabitur vniuerſum malum. Et officium præcipuum epiſcopi eſt, his occurrere, qui ſint inſufficientes, negligentes, magis ſua quærentes, quam ſaluas reddere Chriſto animas depoſitas. & difficillimũ erit remedium. erit forte temporarium, ſed non diuturnum, nec multi temporis. Multi non ſine graui cordis gemitu deplorant iſtas prouincias, quod deſtitutæ ſunt veris paſtoribus Epiſcopis. Habẽt quidem epiſcopos, ſed quaſi non haberent, minima videtur eis eſſe cura, vbi oporteret omnem eſſe. Vtinam Deus vel tandem hoc inſpiret animo Imperat. quod ſtudeat præfici ſuis prouincijs dignos Epiſcopos,

ſcopos, & non tam prouideat hominibus, quam Prouincijs, quos promouet. Qui ſi onus epiſcopolę & officium aduerterent: agnoſcerent etiam angelicis humeris importabile, nec facilè ſuos ſubmitterēt. In quibuſdam oppidis Hollādiæ digni & idonei ſunt Curati, qui nec officio ſuo deſunt, nec defuerunt toto iſto tempore, quando propagatæ ſunt hæreſes: nec tamen populus totus ſeruatus eſt illæſus. Vnde alias cauſas eſſe oportet, præter inſufficientiam Paſtorum. Quidam eorum habet annis fere 4. hæreticū ſua in parochia prędicantem: quantumlibet clamauerit aduerſus eum apud eos, quorū erat prohibere, nihil proficit. In culpa erant officiati principis.

In Gelria & oppidis quibuſdam non ſunt meliores, nec magis idonei Curati: tamen quia princeps ſyncerus eſt, & magiſtratus vel officiarij metu proſpicitur, nullus vel paruus eſt defectus. Item ſunt Curati & Prælati non inferiores, quam eſſe ſolent. Aliunde igitur malum nobis inuehitur. Item plaga & manus Domini vel propter peccata notoria paſsim inualeſcit, vel quod non fit iuſtitia, ſed potius in multis iratus Deus hāc nobis plagam infert.

Quidam pij viri bonæ vitæ & mediocriter docti, ante aduentum huius hæreſis, præfuerunt his annis ecclesijs: ſed ſeducti ſunt & corrupti, & facti aliorum corruptores boni & idonei præficiuntur, ſed fiunt peſtilentes. Aduerſus hos deberēt vigilare diſciplina & ſeueritas eccleſiaſtica, quam nō poteſt exercere, niſi epiſcopus. Qui ſi negligat, vel quod res huiuſmodi parum ſit ei cordi, quis precor obſeruabit Paſtorem, & ſuper vigilem vigilabit? Hinc naſcuntur fere omnia mala. Item conqueruntur Epiſcopi in ſua functione, ſi aliquando fungantur officio, ſe prohiberi ab officiatis Principis, qui ipſi facere nequeunt, vel non ſciunt, & prohibent alios benefacere, & fungi officio ſuo.

Circa tertiū. In perplexitatibus rectè conſulere, nō eſt niſi eminentis ſcientiæ Theologicæ, ad quam non tenentur Paſtores Eccleſiarum: & imponere pœnitentiam delinquentibus, iuxta decreta Canonum, vt oportet: ſed quod nouerit ſalutare eſſe pœnitenti. Sunt nanque pœnitentię nunc arbitrarię. Verū eſt, illa tria eſſe neceſſaria Paſtori: ſed ſi degeneret à bona & exemplari conuerſatione, ſi abutatur ſua doctrina, cuius precor officium eſt ſuper hoc vigilare, niſi epiſcopi? qui ſi dormiat, malo homine ſuper ſeminante zizania, quis prohibebit? quis aduertet? niſi iam multis corruptis? Huius ergo debet eſſe, prouidere ouibus bonum & diligentem Paſtorem, & cū eccleſiæ multæ ſint, & pauci viri valentes etiam mediocri eruditione, qua iam maiori opus eſt, quam alijs ſæculis, & vita integra ac incontaminata, vbi inuenientur, qui præficiantur? Quanta ſalus patriarum eſſet ſequutura, ſi faceret Imperator rotulam ſtudioſorum, qui ſunt in vniuerſitate, & illis prouideret de curis vacantibus ad ſuam præſentationem, & reſidere faceret, & ſecundum quantitatem curarū præficeret perſonas qualificatas. Tunc ſpes eſſet, quod multa inſignia ingenia inuitarentur ad ſtudia ſcripturarum, quę iam neglecta & ſine ſpe neceſſariorum vitæ coguntur ſectari ſtudia diuerſa.

Circa quartum. In patria Hollandiæ fere vniuerſas eccleſias habet cōferre Imperator, qui ſi dignos viros ſtuduiſſet præficere, vel ſaltē tales, qui idoneos ſubſtituiſſent: nō eſſet querimonia iſta aduerſus curatos Hollādiæ, vbi tamē præcipuè peſtis hæreſum ſperſa eſſe dicitur. Audiui à quodam Lutherano per iuſtitiam moriente, quod aulicus quidā obtuliſſet plus offerēti deſeruituram paſtoratus, & ex hoc ſe primum ſcādalizatum cepiſſe occaſionem hæreſium.

Circa quintum. Regulariter non grauantur penſionibus curæ, niſi ad medietatē fructuum, & nunquam niſi relicta competenti ſuſtentatione paſtoris. Et ſi iuſtā de hoc querimoniam haberēt: facillimè illuc impetraretur reductio. Ex vita turpi & inhoneſta nō ſolùm paſtorum, (quanquā eorum maximè) ſed & aliorum ſacerdotum, populus ſcandalizatur, ſupra quos debet eſſe ſollicitudo Epiſcopalis & ſeueritas.

Circa ſextum. Lapis iſte offenſiōis eſt, ſed non ſolus: ſed nec præcipuus. fortaſsis & ideò, niſi ſimul occurratur, & alijs periculum eſt, quod nullus, vel admodū paruus ſequetur fructus.

Circa ſeptimum. Cordatos eſſe oportere epiſcopos, qui negotium & cauſam animarū ita ſyncere promouerēt, qui nec fauore, nec affectu, nec à . . . tangerētur in re huiuſmodi. Et ſi nō ex animo faciant, ſed ſolum ad complacēdum pro nunc Imperiali Maieſtati, ſtatim totum frigeſcet. Cum his, qui inidonei inueniuntur, ſi reſignare nolint, nec ipſi reſidere, procedatur ſecundum Canones.

Circa octauum: deberet Pōtifex ſummus admoneri ſuper iſtis ab Imperatore, & ſupppliciter orari, quod dignaretur aſsiſtere, & non ſolùm non ponere impedimentum.

Circa nonū. In exceſsibus & alijs melius eſt ſeruare Canonicam cōſtitutionem, quod laudabiles conſuetudines obſeruentur. quæ ſi alicubi nimis populum grauent, moderatio eſt apud Epiſcopum.

In ſequētibus vſque 14. niſi habeatur epiſcopus, vel vices gerēs, amator gregis Dominici & animarum, parum promouebunt ordinationes. Nam penſiones in totum abolere non expedit. Sunt enim qui ſeruiunt Eccleſiæ in alijs, vel docendo, vel prædicando, vel ſcribēdo: quibus plus ſtipēdij, & abunde de neceſſitate vitę prouideri debet. Qui niſi habeāt ſuper beneficia pēſiones, vel aliundè ꝓuideatur: excludentur neceſſaria mēbra & ꝓcipua eccleſię. Oportet igitur eſſe Superintendentē, qui ſingulis rationib. & cauſis inſpectis, vel admittat vel neget cauſa cognita. Quod paſsī beneficia grauētur, nulla vel admodū modica cauſa exiſtēte intolerabile eſt.

In ge-

bum Dei, ſed quidquid Deus Eccleſię per Apoſtolos eſt loquutus.

3. A ſola traditione Apoſtolorum pendere ſcripturas, etiam Eccleſiæ Chriſtianæ dogmata.

4. Refutatio Apologiæ Cōfeſsionis Auguſtanæ, de Iudice controuerſiarum in Catholica Dei Eccleſia, quod is ſolus ſit Rom. Pontifex. quod conſentanea orthodoxorum patrum demonſtratur concordia.

5. Imperator ſi Catholicus eſt, filius eſt Eccleſiæ atque ouis: diſcere ipſius eſt, nō docere, qui intra eſt, non ſupra Eccleſiam.

6. Petro dicta ad officium paſtorale pertinentia, etiam pertinent ad legitimos eius in cathedra ſucceſſores.

7. Iudicium Romani Pontificis in cauſa fidei, eſt ſecundum veteres PP. infallibile.

8. Quænam adhibenda Romano Pont. media, vt eius iudicium ſit infallibile.

9. Status controuerſiæ Catholicis cum Apologia Confeſsionis Auguſtanæ.

10. Apologiæ contumelia in epiſcopos Eccleſiaſticos, quod ſerui ſunt rebelles & ſeditioſi in principes, refutata.

11. Quam craſſa Philippi Melanch. cæcitas: cuius cauſa oſtenditur, quod fidei regulam ſemel reliquit.

12. Quo ſenſu Epiſcopi verè ſint Eccleſiæ miniſtri, ſed tamen patresfamilias Chriſti, & ouium paſtores.

4. In eam nos temporum calamitatem.

Fidem eſſe donum Dei, & cur metuendum, ne Germanijs auferatur.

1. Fidei eſſe donum Dei.

2. Cur quibuſdam Prouincijs ſpiritus erroris nunc videatur miſſus.

3. Quanto ſtudio fides in Germanijs ſit retinenda, ne alio migret: cuius maximum oſtenditur periculum.

4. Collatio huius ſæculi hæreticorum cum priſcis illis, qui vnum aut alterum renouabant dogma.

5. Cauſæ exponūtur, cur nam metuendum, ne fides Chriſti Germanias deſerat.

6. Pueros baptiſmo Chriſti & fide parentum atque Eccleſiæ ſaluari, non propria fide ſua.

7. Nullo argumento nixi docent aduerſarij, pueros propriam habere fidem.

8. Exponitur quidnam habeat doctrina Catholica de baptiſmo paruulorum.

Anabaptiſtæ Lutheriſmi ſoboles.

9. Ex inſana Lutheri doctrina de baptiſmo paruulorum, natos eſſe Anabaptiſtas.

10. Peccatum vere tolli baptiſmo.

11. Origo impiorum errorem Lutheri, ex fictitia ſua fide ſpeciali, Patrib. ignotiſsima.

5. Tanta eſt voluntatis.

Cauſa pertinaciæ hæreticorum.

1. De veris pertinaciæ hæreticorum cauſis, quæ ſunt affectus erga errorem electum malitia obfirmatus.

2. Exemplo Lutheri oſtenditur, longa mentis malæ lucta veritatem animo relunctantem vinci tandem.

3. Pertinaciam ſuam & obſtinatam animi cæcitatem Lutherani in Colloquijs VVormatienſi & Ratiſponenſi liquido ſunt orbi conteſtati.

Concordia cum eis ſpes nulla.

4. Nullam eſſe ſpem concordiæ inter Catholicos & noſtri ſeculi hæreticos ineundę.

Colloquia in poſterū fruſtra.

5. Fruſtra inſtituenda in poſterum cum hæreticis colloquia.

6. Quo pio ſcopo Carolus V. cum proteſtantibus colloquia permiſerit, aut clementer indulſerit.

Interim Religioni perniciosum.

7. Librum concordiæ Carolo V. oblatum nocere religioni veræq; religionis concordiæ ineundæ.

8. Verum concordiæ medium à Theodoſio pridem oſtenſum.

Pax Eccleſiarum vnde reſtituenda.

9. Pax Eccleſijs diſsidentibus quomodo rectè reſtituenda.

6. In Sacris.

Vnitas et cōcordia fidei Apoſtolicæ omnibus neruis tuenda.

1. Laus eſt vnitatis & admirandarum eius operationum, pro qua Chriſtus ſuæ Eccleſiæ præſtanda tum ardenter ſub mortem orauit, Ioann. 17.

2. Cur vnum Chriſtus ſuo loco in Eccleſia inſtituerit vicarium D. Petrum, & eius ſucceſſorem Rom. Pontificem.

Cauendum Belgarum incendium hæreticum.

3. Deplorat pijs lachrymis ſæuiſsimā iſtam per Lutheranos, Caluiniſtas & Anabaptiſtas corporis Chriſti diuulſionem, hortaturque ad remedia inuenienda, tempeſtiueque adhibēda, ne totam inficiant prouinciam Belgicam.

Eraſmiana cōcordia refutata, quod noxia fidei.

4. Falſa quorundam remedia, potiſsimum Eraſmi Roterodami, refutātur ab exemplis DD. Baſilij, Nazianzeni, & Auguſtini. Hæreticis enim ſi cedas, magis inſoleſcunt. quod Ariminenſis Synodus teſtatur.

Eraſmus PP. Orthodoxis aduerſatur.

5. Eraſmum patrib. Orthodoxis aduerſari de homouſio, libero arbitrio, de precib. pro defunctis, atque ſanctorum inuocatione.

Diſputatio cum hæreticis an ineunda, & qualis

6. Verum remedium oſtenditur, tollendis ſchiſmatibus idoneum. Cum enim patres omnes contemnant euangelici, & ſcripturas, ſuo pro arbitrio, quo volunt trahant, diſputatione priuata potius ſeruādi, quā publica.

Plebs infecta vt ſananda.

7. Qua ratione ſanādus populus ſeductus, nondū in errore pertinax, & Catholici quonam modo ſtabiliendi.

Cauſæ huius calamitatis per Germanias.

8. Cauſæ huius calamitatis Lutheranæ aperiuntur, quod & paſtores & magiſtratus ſuū non faciunt officium.

9. Religio Chriſti conſeruāda eodem modo, quo fuit ab Apoſtolis plantata.

7. Sicut non alia.

Cōtra Samſonem Angli cum hæreſeō cauſa eſt, aulicorum adulatio.

1. Quod adulatio aulicorum potiſsima eſt hæreſon nunc graſſantium cauſa.

Ro. pontificis excellentia ſupra omnes Reges.

2. De excellenti Romani Pontificis authoritate ſupra reges, & principes Chriſtianos ſæculares.

7. Ex nobis prodierunt.

Vigentium hæreſeon cauſæ quæ.

1. Errores hæreticorum noſtri ſæculi exponit, Anabaptiſtarum quidem circa Magiſtratum Politicum, Lutheranorum verò circa Eccleſiaſticos paſtores, oſtendens verumq; à Chriſto in ſuo Eccleſiæ Chriſtianę regno inſtitutum.

2. Cauſas aperit, cur fœdiſsimi iſti errores tot inueniant patronos & applauſores, non ſolùm in populo, ſed in aulis principum, etiam piorum, atque adeo Catholicorum.

3. Argumenta, quibus Anabaptiſtæ nituntur clarè diſſoluuntur.

Chriſtianos omnes vni Petro ſubiectos.

4. Argumentis Lutheranorum reſpondet contra excellentiam politicorum ſupra Eccleſiaſticos, illudque D. Apoſtoli ad Rom. 13. Omnis anima, generaliter de omni præpoſito eſſe accipiendū, tam Eccleſiaſtico, quàm politico.

5. Cur apoſtoli tam ſerio hortantur omnes ad ſuperiorum obedientiam, etiam paganorum & idololatrarum.

6. Præpoſitum domus Dei D. Damaſum fuiſſe ait B. Ambroſius: vbi illius explicatur poteſtas ex D. Chryſoſtomo.

7. Omnes Chriſtianos paſtori ouium Chriſti Petro ſubiectos eſſe oportet.

8. Poteſtates omnes ſeculares ſubeſſe præpoſitis Eccleſiæ,

Principum locus in Eccleſia & officium Chriſtianum.

9. Principes per Baptiſmum fiunt ouiculæ Chriſti, ſuā retinētes in ſuos authoritatem, vt pater in filios: ſed quam in vſum & auxilium Catholicę Eccleſię debent conuertere.

10. Officium principis Chriſtiani quid poſtulet.

9. Magna fuit olim.

Prouidentiā Dei oſtendit pijs fides Chriſti.

1. Fidem Chriſtianā tenebras quæſtionum Philoſophicarum de prouidentia Dei illuſtrare, cur boni affligantur, & mali atque hæretici, adeoque Athei ſubinde ad tempus quoddam hic floreant.

2. Origenis error exploſus de animarum ſubſiſtentia ante corpora.

3. Pios omnes quæſtio de prouidentia Dei meritò exagitauit ſemper.

Boni at pij cur hic affligantur.

4. Cauſæ aperiuntur, cur nā boni paſsim affligātur, & mali bonis perituris efflorescāt.

5. Calamitates pijs vtiles demonſtrantur.

6. Fortiſsimos quoſque Deus exercet, maximè publicis calamitatibus & aduerſitatibus grauiſsimis.

7. Cur quidam ſceleratorum hic aliquando puniantur crudeliſsimè.

8. Deus medicorum more omnibus hic ſalutaria parat pharmaca.

Prophetia de bello Euangelicorum contra Catholicos.

9. Contra Euangelij hoſtes quidam publicis ſtudiorum honoribus ordinādi ſunt, potiſsimum hoc ſæculo.

10. Ab Euangelij adulteratoribus impendere pijs Dei cultoribus cruentum bellum.

10. Edita eſt.

Refutatio Confeſsionis Saxonicæ.

1. Confeſsionis Saxonicæ Concilio Tridentino anno 1550. propoſitæ confutatio, quod calumnioſè falſa dogmata, immò impia Catholicæ adfingit Eccleſiæ.

Romanæ curiæ abuſus.

2. Agnoſcit gemens varios Roma. Eccleſiæ abuſus in diſpenſationibus, quod in ijs diſpenſatur, in quibus Chriſtus non poteſt diſpenſare, ac de damnabili capitum Eccleſiaſticorum hypocriſi.

Eccleſia ſolida refor-

3. Nō Concilijs generalibus, ſed canonum veterum obſeruatione reformādam eſſe Eccleſiam, ſedula paſtorum vniuerſorum reſidentia, ab exemplo Adriani ſexti Romani Pontificis.

matio eſt, Reſidentia Eccleſiaſticorū. vt officium faciāt.

4. Diſtinguendam eſſe fidei doctrinā à moribus & diſciplina Eccleſiaſticorū, ſuæ profeſsioni non reſpondentium.

Calumniæ Saxonum in Catholicos.

5. Catalogus calumniarum Confeſsionis Saxonicæ, in Catholicam Chriſti Eccleſiam: Concilium Tridentinū doctiſsimos habuiſſe Epiſcopos: ſed raros, qui cauſam Chriſti ſcriptis agant, quos illi ſeruo pigro pecuniā dñi ſui in terris fodienti ſimiles demōſtrat.

Refutantur calumniæ Lutheranorum.

7. Eccleſia nunquam fidem mutauit, nec ea docuit, quæ Confeſsio Saxonica ei per calúnias affingit.

Saxones nouam inuehere doctrinā.

8. Quod nouam pœnitentię doctrinam inuehant Saxonici.

Fides ſpecialis figmētum eſt Lutheri.

9. Quod fides apprehendens iuſtitiam, figmentum eſt Lutheranorum, & ſcripturis, orthodoxiſque patribus ignotum ſimul & aduerſarium, magiſque perplexam eſſe hanc doctrinam, quam Catholicorum eſt.

Meritum.

10. Quod calumnia eſt, nos docere homines ſuis proprijs operibus mereri peccatorū remiſsionem.

Iuſtificatio an per opera

11. Quod iuſtificamur fide, ſed nō ſine operibus, non tamen illorum merito.

Iuſti an impletione legis.

12. Alia calumnia in Catholicis refellitur, quod docemus iuſtos eſſe impletione legis.

Dubitatio.

13. Alia retunditur calumnia, quod nos doceamus dubitare de peccatorum remiſsiōe.

Certitudo de ſalute quædam temeraria.

14. Certitudinem hæreticorum de ſalute aduerſariam eſſe ſcripturis diuinis.

Diſsidiū calūnijs fouent Lutherani exitiale Germanijs, ni occurratur.

15. Quod falſa affingunt dogmata Catholicis Saxones, vt funeſtum iſtud alant Eccleſiarum Germaniæ diſsidium, nobis omnib[9] ni tempeſtiuè occurratur, certo exitiale.

ARGVMENTVM COROLLARII ad AA. Carolum V. & Ferdinandum Imperatores, Eiuſdem R.D. Ruevvardi Louanienſis Decani.

1. Ad cognoſcendum.

Ad Carolum V. A de ortu hæreſeon & remedijs earundem.

Fontes veros tres aperit, vnde in Belgium hæreſes nunc graſſantes & ortę ſunt & inualuerūt, deinde verò contra eaſdem exponit remedia, quę ſi fuiſſent adhibita, iam florida ſtaret Belgica, hæreſibus nunc paſsim pernicioſè tentata.

2. Circa primum articulum.

Ad Reginā Mariam de vero Belgij remedio cōtra graſſantes hæreſes.

Refutatio eſt quorundam falſorum remediorum, à quibuſdam aulicis Sereniſs. Reginæ Mariæ Vngariæ ſuggeſtorum: cum explicatione veri remedij, ad ſanādum Belgicam potiſsimum comparati.

3. Ante paucos dies.

Ad Ferdinādi A. ſuggeſtionem, de Remedijs Germaniæ ſanandæ.

Conſultatio eſt clariſsimorum doctorum Louanienſ. Theologorum, ad A. Ferdinandi ſuggeſtionem, ſuper remedio Germaniæ ſanandæ atque ad concordiam eum Catholica Chriſti eccleſia certo reducendæ: quæ videtur eſſe S. Facultatis Theologicę Louanienſ. Scripta enim eſt manu DD. Hentenij, & DD. Tiletani additionibus caſtigata, & R.D. Ruevvardi tandem ſtylo abſoluta.

RVE-

RVARDI DE ENCHVSEN Sacræ Theologiæ profeſſoris quæſtio Quotlibetica de effectibus quos conſuetudo operatur in foro conſcientiæ &c. pronunciata publice Louanij in Scholis Artium. Anno domini. M.CCCCC.XX. in Decembri.

VTrum iudex ſæcularis impediens venerabile ſacramentum euchariſtiæ miniſtrari ſceleratis ad mortem ducendis per aliquam conſuetudinē à mortali peccato excuſari poteſt. Pro cuius ſolutione primo tractabo de effectibus, quos operatur conſuetudo in foro conſcientię, Deinde de venerabili ſacramento euchariſtiæ, an ſit præcepti diuini in articulo mortis, & ſimul ad quæſtionem reſpondebo.

Propoſitio.

Conſuetudo varie accipitur.

Pro priori præmitto, ꝙ hoc nomen cōſuetudo varie accipitur. Primo pro frequentia actuum, qui ſunt in noſtra poteſtate. Et poſſunt actus frequētari ab vno priuato homine: vel a diuerſis membris eiuſdem communitatis, & ſecundum hoc aliqua conſuetudo dicitur eſſe priuata, & alia publica ſiue communis. In qua ſignificatiōe vtimur nomine conſuetudinis in communi ſermone. Secundo accipitur pro lege obligante, vel permittente vt id fiat, quod fieri ſolet, lege inquam tali ex frequentia actuum inducta, hoc modo capitur in principio decretorum, quando conſuetudo diffinitur eſſe ius quoddam moribus inſtitutum. Tertio capitur vt non differat, à præſcriptione, niſi quod per præſcriptionem acquiritur ius priuato, per conſuetudinem vero nullum ius priuato. Hoc eſt ſolum certis quibuſdam, ſed in communi & publico acquiritur. vt dicit Panorm. in ca. finali de conſuetu. Exemplum. Si aliquis tranſiens frequenter & multo tempore per fundum vicini ſui, tādem acquirat in fundo ſeruitutem, vt tranſire poſſit domino contradicente, eſt præſcriptio. Si vero paſſim à varijs de communitate tranſitur, eſt conſuetudo. Sæpe tamen hæc nomina confunduntur, & accipiuntur pro eodem. In hac ſignificatione capitur in titulo de conſuetu. & tā frequenter in canonibus & gloſſis, & apud canoniſtas quaſi nullam aliam ſignificationem haberet. Hæc autē conſuetudo aliquando concurrit cum derogatione legis ſuperioris, & ita cum cōſuetudine ſecundo modo accepta, aliquando ſine ea, quā diſtinctionē non obſeruantes ſummiſtæ omnia confundunt, & perplexa faciunt quæ de conſuetudine loquuntur. Præmiſſa hac diſtinctione, ponam pro primo articulo quinque propoſitiones.

Propoſitio prima.

Prima propoſitio eſt. Conſuetudo hominis priuati nec legi derogat, nec legem facit, quæ propoſitio intellecta de lege cōmuni & publica nullam habet dubitationem, cum illam condere ad ſolam ſpectet autoritatem publicam, & admodum parum operatur ad talis legis immutationem ſola hominis priuati conſuetudo, & ideo eam ſolum deducam de lege priuata. Et probo, quia ſolis ſubditis lex imponitur, nam ſocius in ſocium, & par in parem, nullum habet imperium, ergo nec idē in ſeipſum. Et ridiculū eſſet dicere quod aliquis obligatur lege, quā tollere poteſt, dum vult, qualiter eſſet de iſta lege priuata cum eiuſdē ſit legem tollere cuius eſt cōdere. Ex qua propoſitione infero tria correlaria: Primū eſt. Qui præmiſſa matura deliberatione decernit & firmiter proponit certo die ieiunare, vel pauperi dare eleemoſynam, ex huiuſmodi decreto & propoſito nullo modo obligatur, etiamſi voluerit & intenderit ſe obligare. Ex quo vlterius ſequitur. Si tale propoſitum habēs decernat pro maiori firmitate, quod dabit pauperib. vnum ſtuferum, ſi propoſitum & decretum non impleuerit, nō implens nō tenetur illā pœnam ſoluere dādo pauperibus vnum ſtuferum, quamuis intendiſſet ſe obligare, non enim magis obligat decretum conditionatum extante conditione, quale eſt iſtud ſecundum, quam decretum abſolutum.

Correlarium primum.

Probo iſtud correlarium, quia ſi aliqua obligatio naſceretur illa veniret ex lege quā ſibi videtur impoſuiſſe, aut ex voto vel promiſſione. Non primum ſicut patet ex declaratione propoſitionis, nec ſecundū, quia ibi nullum eſt factum votum vel promiſsio, cū hæc ſolum fiant ad alterum Et idem etiā ſatis patet ex capitulo. Literaturam, de vo. & vo. redemp. Et ſicut voluntas, qua volo eſſe ſanct⁹ vel doctus, non ſtatim parit ſanctitatem vel ſcientiam, ita nec intentio ſe obligādi parit verā obligationem, ſi non adeſt opus, ex quo nata eſt ſequi obligatio, puta votum vel promiſsio, aut iuramentum, ad quæ tunc obligatio prope ſequitur, non ex dicta intentione. Cuius ſententiæ etiam eſt Angelus in ſumma in verbo votum primo. §. ſeptimo. Pro cuius maiori declaratione infero ſecundum correlarium Sicut intentio ſe obligandi nunꝗ parit veram obligationem, ita non eſt neceſſaria ad rationem voti, iuramenti, vel promiſſionis, ſed eis omnino impertinēs. Patet quia ex hoc ſolo completur ratio iuramēti, & naſcitur vinculum eius, quod aliquid affirmatur ſub atteſtatione nominis diuini. Et quæcunq; fuerit affirmantis intentio, fieret deo irreuerentia, ſi non fiat, quod eo in teſtē vocato affirmauit eſſe futurum. Et certū eſt eum obligari ex huiuſmodi iuramento quāquam inter iurandum non intendiſſet implere quod iurabat, & probabilius eſt ſi etiā noluiſſet ex iuramento ſuo obligari, hinc patet quod non ſtatim iuramentum doloſum dicendū eſt in conſcientiā non eſſe obligatorium. Et idem puto de matrimonio doloſe contracto, in quo plures confeſſores etiam docti periculoſiſsime falluntur, & fallunt, putantes ſtatim matrimonium eſſe nullum in foro conſcientiæ, ſi fraudulenter & doloſe audiunt eſſe contractum, cum tamen

Correlarium ſecundum.

ſolus dolus qui excludit intentionem contrahendi, faciat matrimonium eſſe nullum. Exquo ſequitur primo, Si aliquis contrahat cum aliqua, quamuis intendit non ſeruare fidem, quam tamen promittit vt copulam extorqueat, non minus naſcitur verum matrimonium.

Secundo ſequitur, Probabile eſt, quod cõſentiens in aliquã, & conſenſum debite exprimens, contrahit verum matrimonium, quamuis ex huiuſmodi conſenſu nolit ad aliquid obligari, dummodo abſoluto conſentiat, ſine modo & conditione, & hęc ſunt compoſsibilia, propter concurſum erroris, vt quia putat non contrahi matrimonium, niſi expreſſe & formaliter velit ſed obligare. Vel putat eam eſſe conſanguineam in tertio gradu, & ideo ex conſenſu ſuo nihil ſequitur iuxta Ca. vnicum, de ſpon. & matri. libro ſexto. Et ideo audacter omnia promittit vt copulam extorqueat. Probo iſta, quia obligatio eſt effectus, qui ex contractu ſequitur & extra eius ſubſtantiam. Iam diſſenſus in effectum non ſuſpendit nec impedit cauſam, ne effectum pariat, ſicut ſtuppa comburitur, ſiue approximans eam igni velit ſiue nolit, & fortiter alterum percutiens, non minus lædit ſi eum lædi nolit. Ex quibus concludo quod regulariter eſt verum matrimonium, quod à ſimplicibus doloſe contrahitur. Et admodum difficile eſt, verbis promiſſorie & donatiue prolatis, non habere intentionem neceſſariam, ad veram promiſsionem & donationem, quamuis facile ſit dicere animo ea ſic mendaci. Et ſicut nunc declaraui de Iuramento, ita ſimiliter declarari poteſt de voto & promiſsione. Ex hoc enim quod prima deliberatione, promiſsiue dicimus deo vel homini nos aliquid facturos, quod ad eos ſpectat, eſt verum votum, & promiſsio, nec minor obligatio naſcitur, quam ſi formaliter & expreſſe intendiſſemus nos obligare. Nam fidelitas debita deo & hominibus, ex qua ſola debent impleri vota & promiſſa, requirit taliter dicta impleri. Et notanter dico quando promiſsiue dicimus nos aliquid facturos, quia ſi ſolum enunciatiue prædicendo ſcilicet operis noſtri futuritionem, ſecundum noſtram veriſimilem coniecturam, ac ſi ſimile quid enunciaremus ei de altero, non eſt votum nec promiſsio. Et doctores dicentes requiri intentionem & animum ſe obligandi, ſolum volunt requiri animum & modum dicendi promiſsiue, quem quilibet facilius apud ſe experiri poteſt, quam proprijs verbis exprimere, ſicut modum dicendi optatiue, imperatiue, aut deprecatiue. Similiter intelligo diffinitionem legis quam ponit Cancellarius Pariſienſis in fine tractatus de poteſtate eccleſiaſtica, in qua dicit, quod lex eſt ſignum notificatũ rectę rationis volentis teneri ſeu ligari creaturam & cæt. Cum ad rationem legis ſufficiat quod notificetur imperioſa ordinatio ſuperioris de aliquo faciendo.

Tertium correlarium infero, quamuis nemo ſibi legem ferre poſsit, poteſt tamen facto ſuo id efficere, vt incipiat eum de nouo ligare lex communis iuris naturalis, diuini & humani. Nam vouentem incipit ligare lex diuina, & naturalis, ad votum implendum, & habente conſcientiam erroneam ne contraueniat. Contra hanc propoſitionem primam eſt vna obiectio, & altera contra primum correlarium. Dimittens conſuetudinem ieiunandi certo die, vel dicendi certas orationes diu ſeruatam patitur remorſum conſcientiæ, ergo in dimittendo peccat. conſequentia tenet, quia conſcientia ſolum remurmurat de malo, ſicut ſoli bono cõgaudet. Propter quod dicit apoſtolus gloriam noſtram eſſe teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Altera eſt ex homilia tertia Gregorij ſuper Ezechielem. Qui bona inquit agunt, ſi meliora agere deliberant. & poſt deliberata non faciunt, licet in bonis prioribus perſeuerent, in conſpectu tamen dei ceciderunt ex deliberatione. Ex quo verbo opinatur gloſa in ca. Litteraturã de vo. & voti redemptio. & Canoniſtæ, quod propoſitum firmum, obligat in conſcientia, quamuis ad nullam procedatur promiſsionem. *Corr. tertij.*

Ad priorem reſpondeo, quod ſi conſcientia remordet, & arguit dimittentem ſuam conſuetudinem tanquam de peccato eſt erronea, eamque contemnere oportet & deponere. Et falſum eſt quod de ſolo malo cõſcientia remurmuret, remurmurat enim de omni eo, quod exiſtimatur eſſe malum, quamuis in ſe ſit vere bonum, vel indifferens.

Secundo dico, quod conſcientia ſæpe arguit nos quod meliora dimittimus, adhortatur enim ad optima, ſed ſicut dictat illa nõ eſſe neceſſaria, ſed ſolum ſub concilio ſi non fallitur, ita nec omiſsionem iudicat eſſe peccatum, cui conſcientiæ non eſt peccatum difformari, ſicut ſequi & amplecti non oportet, ea quæ ſunt concilij. Ex quo infero pro conſolatione timoratarum conſcientiarum, quamuis patiantur frequenter remorſum conſcientiæ, in lectione horarum, & alijs operibus ſuis, non ideo in animo deijciantur, tanquam ſtatim contra conſcientiam peccauerint. Nam iſte remorſus & contriſtatio naſci poteſt ex hoc ſolo, quod deficiunt à fine intento, ea ſcilicet diligentia, deuotione ac feruore, in quibus eſſe deſyderant, & à quibus contingit inculpabiliter deficere propter noſtram infirmitatem, Nec ſunt in noſtra poteſtate cum ſint ſingularia DEI dona, quæ aliquando nobis ſine culpa noſtra denegat DEVS, vt agnoſcamus noſtram infirmitatem, & paupertatem, & diſcamus ea eſſe à DEO donata, dum nobis adſunt, & quando deſunt ab eo ſolo petenda. Nec ad extremum feruoris

ac diligentiæ gradum tenemur. Summe tamen caueatur ne in illis tempore exercitij operis formetur conſcientia quaſi de peccato, nam contra hanc agens ædificat ad gehennam. Et quia prior remorſus & contriſtatio, ad hanc conſcientiam proxime diſponit, ideo conſultum eſt vt non amittatur tempore exercitij operis. Ad alteram obiectionem quæ eſt ex Gregorio dicò quod loquitur de recedente à meliori propoſito propter pauorem & torporem mentis,& animi leuitatem & inconſtantiam, ac diſſidentiam de auxilio Dei, ſicut ipſemet ſe exponit. Nec cenſetur quis mittere manū ad aratrum & reſpicere retro, niſi poſt exordia boni operis ad mala reuertatur, quæ reliquit iuxta interpretationem eius. Patet ergo quam debili fundamento innituntur qui propter illud dictum Grego. opinantur propoſitum firmatum deliberatione obligare.

Nota.

Propoſitio Secunda.

Secunda propoſitio eſt. Conſuetudo communis ſiue totius communitatis poteſt facere legem, qua ſinguli illius cōmunitatis in foro conſcientiæ obligabuntur. Pro cuius probatione præmitto quod ex conceſsione iuris naturæ præueniēdo omnē conſtitutionem iuris diuini poſitiui,& humani, in communitate eſt iuriſdictio & poteſtas ſtatuendi legem pro vtilitate boni communis, hanc alicui vni cōmiſit, propterea quod per ſe eam difficulter exercere poteſt & exequi, hic eſt quem vocamus principem, regem vel ſuperiorem communitatis, in qua commiſsione populus ſe non exuit, nec à ſe abdicat iuriſdictionem & poteſtatem legiſlatiuam, ſed alteri quaſi vicario & miniſtro ſuo committit, vt recte ſentit gloſſa.c.fi.xxiij.q.iij. fundans ſe in c. dominus eadem cauſa. q. ij. Et talem intelligit eſſe conceſsionem quam inſti.de iure na.gen.& ciui.populus in principem omnem poteſtatem & imperium dicitur cōceſsiſſe. Non enim cenſetur populus ſe ſeruum feciſſe, aut plus in principem trāſtuliſſe, quā tranquillo, ac ſalutari regimini ſuo expediat, immo cum hæc poteſtas ex iure naturali communitati cōueniat, videtur eſſe ab ea inabdicabilis. Sicut ab vnoquoque priuato inabdicabilis eſt poteſtas ſui directiua in finem, & beatitudinem ſuam. huic fundamento innituntur doctores & canones ſupponentes in Collegijs, Capitulis,& vniuerſitatibus, iuriſdictionem & poteſtatem ſtatuendi, nedum in rebus paruis,(vt Panormit. male eā reſtringit in ca. cum omnes, de conſtitut.) ſed in vniuerſis quæ membra ſua concernunt, vt recte ſentit glo. ca. 2. de verbo.ſig.li. ſexto. fateor tamen quod ſuperiore irritante talia ſtatuta,& ordinationes nō amplius obligant, quouſq; tamen reuocata non ſunt, quamquam nec approbata, valida ſunt. Simile eſt de voto & iuramento vxoris aut filiæfamilias, quæ vere obligant ante approbationē mariti vel patris, quibus tamen irritantib. nulla manet obligatio, iuxta textum numer. xxx. & ea quæ Auguſtinus ibi tractat. Hic tamen diſtinguere oportet inter poteſtatem ſecularem & eccleſiaſticam. nam omnis princeps ſecularis perfectæ communitati præſidens, ab ea ſuam poteſtatem habet,& ideo eius ſtatuta irritare non poteſt, ipſa reclamante. Dixi notanter perfectæ communitati pręſidens, ad excludēdum poteſtatem paternam,& mariti in vxorem, quę primo pri.& marito conueniunt ex conceſſione iuris naturæ. Sed poteſtas eccleſiaſtica non eſt à communitate, cui per eam præſidetur, nam immediate à domino dictum eſt Petro,& in eo ſucceſſoribus eius, Paſce oues meas, Ego dabo tibi claues regni cælorum. Et quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis. Propter quod ſummus pontifex, totius eccleſiæ, cui præfectus eſt, ſtatuta ac conſuetudines reuocare poteſt & irritare, tāquam vniuerſis ſuperior ſicut ſingulis. nec obſtat quod quidam ex epiſtola. 36. quarti libri Regiſtri Grego. allegat Gregorium & omnes prædeceſſores ſuos recuſaſſe nomen epiſcopi vniuerſalis, quia vt ex ſequentibus patet, intelligit epiſcopum vniuerſalem eum, qui eſt ſolus epiſcopus per excluſionem aliorum. Nam epiſtola 34. eiuſdem libri dicit epiſcopos eſſe ſuæ curę commiſſos, Et agit contra Ioannem epiſcopum Conſtantinopolitanum, vt eum deponat. Et conqueritur quod Salontanæ vrbis epiſcopus, eo neſciente ordinatus ſit,& adulatorie & temerarie cōcilium Calcedonenſe illud nomen Romanis epiſcopis obtuliſſet, niſi in aliquo vero ſenſu etiam communi eis conueniret. Hac ſuppoſitione præmiſſa ſatis clara eſt propoſitio, quia nihil refert quocunque modo ſtatuta vel leges promulgentur, facto ſcilicet vel verbo, dummodo ſufficienter conſtet de mente legiſlatoris. Loquuntur enim opera noſtra ſicut & verba & mentis conceptus manifeſtant vt dicit Auguſtinus homilia 3. in primam canonicam Ioannis. Et apoſtolus dicit quoſdam factis deum negare. Et potiſsimum per actus multiplicatos, interior volūtatis motus,& rationis cōceptus declaratur. Et hoc ſolo modo intelligitur conſuetudo facere legem, ſcilicet tanquam legis promulgatio. Quapropter ſi promulgatio nō ponatur eſſe de ratione legis intrinſeca, rectius diceretur quod conſuetudo legem promulgat, quam quod legem facit. Circa hanc propoſitionem ſunt aliquæ difficultates valde perplexæ.

Prima eſt, quomodo communitas laica poteſt ſua conſuetudine facere legem eccleſiaſticam, qualis videtur eſſe lex ieiunandi in profeſtis ſanctorum, ſoluendi iura ſepulturæ,& ſumendi ſacramentum euchariſtiæ,& extremæ vnctionis. Nam poteſtatem legiſlatiuam maiorem non habet quam princeps ſuus ſæcularis, cuius ſtatuta etiam in fauorem eccleſiæ facta declarantur eſſe nulla in ca. Eccleſia ſanctæ Mariæ de conſti. *Prima difficultas.*

Secunda difficultas. Secunda difficultas, cum poteſtas legiſlatiua nō ſit apud ſingulos de cōmunitate ſed vniuerſos, mirum eſt, quomodo ex actib. ſingulorum, quales ſunt actus cōſuetudinarij, poſsit fieri lex, nam facta non cenſentur eſſe collegij vel cōmunitatis, niſi collegialiter concludantur & præſtetur conſenſus in cōmuni, iuxta ca. in Geneſi de elec. & notata doctorum ibidem.

Tertia difficultas. Tertia difficultas, qua intētione actus fieri debēt à cōmunitate, & à quota parte, & quāto tempore, vt aliquando legē faciāt, & quomodo conſuetudo debet eſſe rationabilis, q̄ difficultates oēs pendent nō à iure humano, canonico, vel ciuili, ſed preciſe à iure naturali, & diuino, quib. canones innituntur, veritatē in quibuſdā eorū determinantes, ſine noui iuris inductione, vt fatetur etiā Panor. in ca. fin. de cōſuetudine, nec de alijs negari poteſt. Pro prima difficultate ſufficit ꝓ veritate propoſitionis, quod cōmunitas laica poteſt inducere cōſuetudinem obligatoriā in illis in quib⁹ habet iuriſdictionem. Quę vero ſunt illa, impertinens eſt propoſitioni, tamē pro ſolutione difficultatis motæ, & vt ſciatur in quibus rebus cōmunitas laica poteſt ſtatuere, expedit præmittere quibus finibus diſtinguntur poteſtas eccleſiaſtica & ſecularis, ex quo ſtatim depræhendetur q̄ ſunt temporalia & quæ ſpiritualia, penes quæ in canonib. & apud doctores hæ poteſtates diſtinguūtur, & in quibus materijs, ſinguli decernere, ſtatuere, & leges ferre poſſunt. Eſt aūt finis poteſtatis ſecularis, nō diuitiæ, non voluptas cōmunitatis ſibi cōmiſſæ. Imo nec pax & tranquillitas temporalis, ſed ipſam viuere ſecūdū virtutes maxime morales in quibus conſiſtit felicitas naturalis & politica. Et poteſtatis eccleſiaſticæ finis eſt, vt perducatur cōmunitas ſibi commiſſa, ad fœlicitatem regni cœleſtis, quā Chriſtus nobis ꝓmiſit. Nam cū gubernatore cōmunitatē ſit ipſam dirigere & mouere ad ſuū finem, ſecūdum duplicē eius finem, naturalē ſcilicet & ſupernaturalē, duplex eſt eius gubernatio, & duę poteſtates eius directiuæ. Hinc ſtatim patet quod poteſtas eccleſiaſtica ex architectonica & præceptiua reſpectu poteſtatis ſecularis, tanquā ea quæ eſt finis ſuperioris ad quem alterius finis ordinatur, iuxta proceſſum Ariſto. 1. Ethicor. Hinc etiam patet quā late extenditur poteſtas ſecularis, ad omnia ſcilicet quæ vtilia ſunt ad viuendū, ſecundū virtutē maxime moralē, & ergo vt apparet, præcipere poteſt ſuis, vt deo & ſanctis honorem debitū impendant, & ſoluant miniſtris eius ſtipendiū debitum, & vniuerſaliter oēs actus virtutum moraliū; Nam punire poteſt ſacrilegia, periuria, & vniuerſaliter omne crimen quod eſt contra ius naturæ, ſicut hoc latiſsimè deducit Panormi. in ca. Cū ſit generale. de foro cōpetenti, niſi forte vbi ratione periculi, pontifex ex cauſa, quædā reſeruauit poteſtati eccleſiaſticæ, vel ipſi principes in Conſilijs ceſſerunt. Eſt enim principis ſecularis parare materiam ſecundū virtutes morales, quæ apta ſit per pontifices eleuari, ac perduci ad regna cœlorum. Iſta latiſsimè tractat B. Thomas in fine 1. libr. de regimine principis. Et Panormi. ca. ſupra allegato ſatis conformiter eandem materiam determinat. Præter hanc poteſtatem, in qua princeps ſecularis ſubſtitutus eſt, videtur mihi probabiliter, quod communitati chriſtianorum, ſimul in eodem collegio vel ciuitate viuentium conuenit poteſtas legiſlatiua, in ordine ad fœlicitatem æternam immediate. Sūt enim chriſtiani non ſolum ciues terrenæ cōmunitatis ſed etiam cœleſtis Hieruſalem, cōciues ſanctorum & domeſtici dei vt dicit Apoſtolus ad Epheſ. 2. & vt huius ciuitatis ſunt mēbra, probabiliter mihi videtur conuenire eis dicta poteſtas. videtur enim conueniſſe fidelibus tempore legis naturæ, ſine ſpeciali diuinitus facta communicatione, videtur etiam conuenire patri reſpectu familiæ ſuæ, quam ita dirigere poteſt præceptiue ad fœlicitatem æternam, ſicut ad finem naturalem. Et ſicut vnuſquiſq; naturaliter mouetur deſyderio ad fœlicitatem cœleſtem, & ſe ac membra ſua ad eam dirigere poteſt. Ita videtur communitas fidelium, ſua membra ad eam poſſe imperioſe mouere, de qua poteſtate eccleſiaſtica, quando alicui vni totius communitatis cōmittitur, ſiue vocetur decanus, ſiue abbas, vel abbatiſſa, eſt idem iudicium, quod de poteſtate ſeculari, quātum ad hoc, quod primo communitati cōuenit, & ſuperiori ſolū ex eius cōmiſsione, quodque non magis ab hac poteſtate ſuperior deſtitui poteſt per prælatos eccleſiæ, quam ſuperior laicus & ſecularis à ſua, eſt valde probabile.

Reſponſio ad ſecundā difficultatem. Ad ſecundam reſpondeo, quod non eſt neceſſe communitatem localiter congregari, vt facta cenſeantur eſſe communitatis, & nō ſingulorum ſtando in limitibus iuris naturę & diuini, ſed ſufficit quod fiant à partib. cōmunitatis inquātum partes ſunt, maxime ſi de conſenſu aliorum membrorum conſtet circa idem factum, hoc ſentit gloſ. poſt Hoſtien. ca. 1. de rebus eccleſiæ, non alie. li. 6. Nā localis congregatio nihil poteſtatis tribuit communitati, quamuis vtilis ſit ad mature tractandum, ſed multa ſunt quæ tractatu nō indigēt, vel propter modicitatem, vel quia ſunt prius ſatis tractata, & quod aliqua irrita & inualida ſunt, niſi communitate localiter conuocata, & in communi conſentiente. vt in ca. in Geneſi. & in ca. Quia propter de elec. hoc eſt ex humana pontificis ordinatione, quæ vltra materiam ſuam extendi non debet.

Reſponſio ad tertiam difficultatem. Ad tertiam difficultatem in qua multa petūtur, dico primo, quod conſonū eſt æquitati naturali, vt in factis cōmunitatis p̄ualeat maior & ſanior pars, prout declaratur, & ſupponitur in multis canonibus. Ex cauſa tamē ſtatuitur in quibuſdam, vt duę partes cōſentiant. nam determinari poteſt naturalis poteſtas & ab effectu ſuo per præuenientē irritationē impedīri, ſicut certū eſt, de poteſtate contra-

trahendi matrimonium cum attinenti in 3. gradu. Dico ſecundo de tempore, quod nullum certum tempus eſt iure determinatū, vt lex conſuetudinaria introducatur: nam canones loquentes de conſuetudinis præſcriptione intelliguntur & expreſſe loquūtur, de conſuetudine qua præiudicatur iuri alterius, vt licet hoc in ſingulis intueri. Et ideo dico in genere loquendo, quod tamen tempus requiritur vt maior & ſanior pars cōmunitatis iudicet facto ſuo, quod velit ipſam à tota cōmunitate pro lege ſeruari, & quouſq; hoc factum non eſt, nulla cōmunitatis conſuetudo obtinet vim legis obligatoriæ. De intentione vero qua debet conſuetudo à populo ſeruari, vt aliquādo legem faciat, ex dictis facile patet, quod ſcilicet intētione promulgandi legem, & eam imponendi ſingulis de cōmunitate, debet ergo prius in populo eſſe volūtas, & ordinatio legiſlatiua quā explicare & promulgare intendat ſuis actibus, quos frequēter iterat, cum fungatur hic officio & vice legislatoris, vt doctiſsime deducit B. Tho. prim 2. q. 97. art. 3. cuius ſententiā refert, & ſequitur. Arch. in Roſario diſt. 11. Ex quo infero quod non ſatis eſt vt cōſuetudo vim legis obtineat, quod ſeruetur à cōmunitate tāquam bona & expediens, vel etiam tanquam debita & obligatoria, ſed ſeruari debet intentione faciendi & promulgādi debitum legis, quæ ſi non præceſsit, ſeruatur ex errore populi, tanquā debita & obligatoria. Simile eſt de ſoluente indebitum quod putat eſſe debitum, qui ex hoc debitor non conſtituitur nec dare cenſetur.

Conſuetudines obligatoria admodū paucæ. Secundo infero quod admodū paucæ ſunt conſuetudines populi chriſtiani, quæ obligant in foro conſcientiæ ex vi conſuetudinis. dico notanter ex vi conſuetudinis, quia ratione ſcandali, & turbationis, quæ veriſimiliter ex earum violatione ſequeretur, ſæpe in conſcientia obligant, in quo caſu loquuntur ca. quæ allegat Gratianus diſtinct. 11. & 12. ſicut clare patet ex epiſtolis Auguſt. ad Caſulanum, & ad inquiſitiones Ianuarij, ex quibus multa ſumuntur. Si obieceris. Turpis eſt pars quæ non conformatur ſuo toti, ergo oportet omnem conſuetudinem bonā ſeruare, quæ eſt in communitate, in qua viuimus. Preterea in canonibus mandatur vt cōſuetudo rationabilis & præſcripta ſeruetur, ergo nihil reſpicere oportet ad intentionē populi. Ad primum reſpondeo, quod turpis eſt pars quę non conformat ſe toti, in quibus oportet, & ideo ſi in caſu ſcandali, vel vbi conſuetudo eſt obligatoria, vel pręcepta ſeruari, aliquis ſe toti non conformaret, eſſet pars turpis. Certū eſt apud omnes quod non in quolibet bono oportet toti conformari, alias omnis conſuetudo eſſe obligatoria, etiam in actibus mere liberalib. Ad ſecundū dico. Si mandetur in genere obſeruari conſuetudo rationabilis & præſcripta, intentio mandantis eſt vt ſeruetur pro tali qualis eſt, argumento eorum quæ dicuntur in ca. Exijt qui ſeminat de verbo. ſigni. lib. 6. Et etiam illi canones loquuntur ſicut dixi de conſuetudine, qua præiudicatur iuri alterius, quæ obſeruari mandatur in foro exteriori, fortaſsis tamen in quibuſdā certis materijs conſuetudinem ſeruare eſt neceſſarium ex mandato ſuperioris, non ex vi conſuetudinis, ſicut probabiliter puto eſſe in ca. ad apoſtolicam de Simonia.

Lex quando rationabilis. De rationabilitate conſuetudinis, hoc eſt legis conſuetudinariæ dico quod eadem requiruntur ad rationabilitatem legis & conſuetudinis. eſt enim vna legis ſpecies. Et tūc lex eſt rationabilis, quando eſt lata ab habēte authoritatem, ad bonum commune, ſecūdum iudicium prudentis, vt aūt legi derogetur per aliquos actus nulla requiritur eorū rationabilitas, ſed ſufficit ſi non ſint irrationabiles, hoc eſt ſi legi naturali & diuinæ nō aduerſentur, ſicut dicit cōſolatorius doctor Cancella. Pariſienſis. lectione quarta de vita ſpirituali animæ & in alijs multis locis, & tunc ſolum iudicāda eſt corruptela. Imo addit & veriſsime, quod per peccatum & malitiam ſubditorum, & ſic per conſuetudinem irrationabilem lex abrogari poteſt. Et non mirum quia illa facere poteſt, quod inutiliter perciperetur, quod prius vtiliter mandatum erat. Ceſſante aūt legis vtilitate, ſimul ceſſat eius vis obligatoria, de quo latius in quarta propoſitione dicam. In actib. autem quæ legē conſuetudinariā faciēt, requiritur rationabilitas hoc eſt cōformitas ad rectam rationem, hęc tamen nō ſufficit, quia nō eſt rationabile legē fieri, de omni illo quod bonum eſt fieri & expediēs cōmunitati. Ex hac 2. propoſitione infero corrolarie quod communitas poteſt diſpēſare, & abrogare & ſimplici verbo tollere legem, quā ſua conſuetudine induxit, eiuſdem enim eſt tollere legē cuius eſt condere, ſubducendo authoritatē quam condendo impertiuit. Et procedit correlarium etiam de conſuetudine & lege cōfirmatis, per ſuperiorem, cum eius confirmatio nullam nouam obligationē adducat, ſed ſolum præexiſtentem approbat & ratificat: vt ſentit Panor. ca. Dilecto, de preben. & dig. Nam ſublato principali, quale eſt in propoſito ſtatutum vel conſuetudo, ſimul cadit acceſſorium. Nec obſtat quod omnia noſtra facimus, quibus noſtram impertimur authoritatem, quia quamuis noſtra approbatione, fauore, aut defenſione, nōn tū talia, qualia eſſent ſi à nobis primarie emanaſſent. In propoſito aūt ſuperior relinquit factū aliorum confirmando vt ex terminis patet. Simile eſt de viro approbante vota vxoris. Ex quo vlterius ſequitur, quòd cōſuetudo ieiunandi, vel celebrandi aliquid feſtum obligatoria, perderet virtutem legis, ſi curatus vel magiſtratus de conſenſu populi denuntiaret, q placeret eam amplius non ſeruari. De tranſgreſsione vero conſuetudinis quale peccatum eſt, mortale ſcilicet an veniale, idem dicendum eſt, quod de tranſgreſsione legis, ſi in eadem materia à ſuperiore promulgaretur.

Propoſitio tertia. Tertia propoſitio eſt. Conſuetudo communitatis poteſt abolere legem ſuperioris eccleſiaſtici & ſecularis,ſed non naturalem vel diuinam. Secunda pars propoſitionis clara eſt,quia ius naturale ſemper idē manet vt dicitur v.diſtinct. In principio & v. Ethico. & Bernar.in lib.de diſpenſa.& præcepto.dicit Ius diuinum eſſe inuiolabile & neceſſarium,in cuius obſequium,mores noſtri,tempora,loca,& omnis commoditas captiuari debent,ei locum tribuēdo, vt etiam dicitur in c.finali de conſue.

Lex abrogatur multipliciter. Primæ partis declarationi præmitto,quod multipliciter lex abrogatur.Primo ſi expreſſe reuocat eam legiſlator. Secūdo puto probabiliter,quod abrogatur ſi ab ea recedit legiſlator,non curando ſi non ſeruetur. Nam dicit Cancel.Pari.lectio.iiij.de vita ſpi. animæ,quod cenſendus eſt reuocare legem ſuperior quando cognoſcit ſubditos paſsim, & publice tranſgredi illam abſq; contradictione, aut ſi cōtradicit, dānoſe & ſolis verbis contradicit, cum deberet vti factis, allegat B. Thomā & Henricum de Ganda. alioquin inquit alio loco. Conſtitutiones poſiti uæ non eſſent niſi in laqueum,offenſiones& ſcandalum,nedum inſipientium,ſed & ſapientium.Eandem ſententiā ſępe ſequitur Petrus de palu.Nec obſtat quod multa per pati entiā tolerātur,quę ſi deducta fuerint in iudiciū exigente iuſtitia, nō debent tolerari, vt dicitur ca.Cum iam dudum.de pręben.& dig.quia talia multa ſunt,nō omnia,illa ſcilicet,quę iuri diuino & naturali aduerſant̄, in quib. diſsimulatio hominis nihil poteſt immutare:fateor tamē quod iſta abrogatio non eſt ſine ſcrupulo,nec iudicāda niſi à prudentibus. Tertio lex abrogatur,quādo incipit eſſe pernitioſa, vel inutilis cōmunitati, nam ſicut in poteſtate ſuperioris, non eſt lege decernere quod eſt pernitioſum,vel inutile,ita lex prius vtilis ſuam efficaciam perdet, quando facta eſt inutilis:vt patet ex cōditionib. legis quæ ponuntur in ca. Erit autem 4. diſt. Et præter hæc ſuſpenditur legis obligatio,quādo ſtatim poſt publicationē, ſubditi adferunt apparentem exceptionem & cauſam, propter quā legem illam ferri nō conuenit. iuxta.ca. Si quando de reſcriptis. nam ſi legiſlator tunc vellet legem ſuam ad ſtatim obligare , eſſet voluntas irrationabilis, nec obligaret ſubditos. Et ſæpe legis obligatio omnino ceſſat,ſi populus nolit legem acceptare.iuxta ca.In iſtis 4.diſtinc.vbi dicitur quod leges inſtituuntur quādo promulgantur & firmantur cum moribus vtentium approbātur. Cuius ratio eſt,quia regulariter non expedit ſubditis imponere quæ auerſantur & non approbant, maxime quādo ſunt natura pertinaces & immanſiui , & ideo non approbatio populi facit ordinationem non eſſe expedientē & prudentialē, & per cōſequēs nec dignā nomine legis. Sūt tamen quædā,quæ poſſunt populo etiā inuito imponi propter vtilitatē incōparabiliter maiorem,quā eſt mala turbatio. Quo præmiſſo ponā quaſdā ꝓpoſitiones minus principales,declaratiuas tertiæ ꝓpoſitionis. Prima eſt,Cōmunitas poteſt abrogare legē ſui ſuperioris,expreſſe eam reuocando,ſi ei imperium & authoritatē conceſsit,ſed non illius qui aliūde ſuā poteſtatem habet. Prima pars patet, qa talis cōmunitas eſt ſupra ſuū principem,& ſimiliter ſecunda,quia vniuerſa communitas eſt illo principe inferior.Eſt hic difficultas, ān extēſo imperio principis, cōmunitas quæ prius ſola habebat poteſtatē caſſandi leges eius, eam amittat ſi maior eſt cōmunitas,quæ imperio dn̄i ſui accreuit:nā quæ pri⁹ tota erat,poſtea videtur eſſe minor pars,cuius non eſt hæc poteſtas & autoritas. Reſpōdeo hic ꝓbabiliter,quod vnitas ſuperioris non facit vt oēs ſubditi eius faciant vnam cōmunitatem: nec princeps hoc facere poteſt ſine cōſenſu eorū,cum ſit eis prçiudiciale.Simile eſt de epiſcopo, qui præficitur duob.epiſcopatibus,qui non ſtatim ſit vnus epiſcopatus,ex capitis vnitate.Secūda ꝓpoſitio minus principalis:Conſuetudo cōmunitatis etiam ſecundū partem minorē oſtendit ſuperiorem reuocaſſe legem ſuā ad min⁹ interpretatiue probatur.quia oſtendit ſuperiorem nō curare, quod lex ſua negligitur, quomodo ex paucorū paucis actibus lex poteſt abrogari, maxime in principio,ſicut dicit Panor.cap. primo de Treuga & pace.

Tertia propoſitio eſt. Conſuetudo abrogat legem faciēdo ei deeſſe cōditiones, ſine quibus lex dici non meretur.Probatur quia conſuetudo facit legem tempori & loco nō cōuenire,facit etiā eam eſſe inutilē & pernitioſam,cū difficile ſit aſſueta relinquere, & ita de alijs cōditionib⁹,ſine quibus lex humana eſt tyrannica & humana præſumptio. Et omnium iſtorū ratio eſt,quia lex eſt prudentialis ordinatio,quę variatur ſecundum mutationē ſtatus,& qualitatis,loci,tēporis, & materiæ. Ex nunc dictis patet quod actus cōſuetudinarij per quos lex tollitur aliquādo fiunt ſine peccato,aliquando cū peccato.

Propoſitio quarta. Quarta propoſitio eſt. Cōſuetudo quæ eſt quędā preſcriptio ſeruitutis vel iuris alieni non excuſat à peccato ſi nō ſubeſt ſufficiens cauſa,propter quā alius ſuo iure priuari poteſt,aut ſeruitute grauari,quā probo. Quia neminē poteſt princeps ſine cauſa re ſua priuare vel noua ſeruitute grauare, vt aperte colligitur ex epiſt. Am.ad Marcel.ſororem ſuā,& ex oratione quā habuit cōtra Auxentium,nā princeps in rebus ſuorū habet ius defenſionis & gubernationis,& in neceſsitate reipublicę vendicationis,ſed nō proprietatis,non enim habet proprietatem in eis ex conceſsione iuris naturę,vel diuini, vt puto certum eſſe,& populus non plus iuris in ipſum tranſtulit,q̄ neceſsitas boni communis requirit, nec intendebat ſe facere ſeruū, ſed manere in naturali libertate, quod nō oportet longius declarare de principe ſeculari. Princeps aūt eccleſiaſticus vt ſummus pontifex maiorē videtur habere poteſtatem circa bona eccleſiaſtica,ſed hæc poteſtas eſt diſpē

ſatoris,non dñi,aut proprietarij,vt tenet Panor.ca.Conſtitutus. de reſcriptis, & glo. in ca. Can. de verbo. ſig. Et dicit Cancellarius Pariſiẽſis de poteſtate eccleſiaſtica cõſideratione.12. hoc deciſum eſſe in conſilio Conſtantienſi. Nam dominium bonorum eccleſiaſticorum,eſt apud particulares eccleſias, collegia,aut conuentus, ſicut apertè ſequitur ex ca.Exijt,qui ſeminat lib.6. de verbor. ſignifi.E clemẽtina exiui de paradyſo,vt habeatur differentia inter bona,data fratribus minoribus & alijs capitulis vel conuentib. Et poteſt idem probari ex intentione eorũ, qui ſua eccleſiæ relinquunt, qui intendunt ſua dare certo conuentui, vel capitulo,vel eccleſiæ ad vſum ibidem Deo ſeruientium, ſub certo onere & modo, non Pontifici.Ex quo ſequitur,quod primaria diſpenſatio bonorum eccleſiaſticorum, ſpectat ad totum collegium vel cõmunitatem,cuius ſunt,vel ad eum,cui ab eis eſt commiſſa,ad ſummum verò Pontificem, quãdo negligitur ab alijs, vel malè adminiſtratur. Domini enim eſt diſponere de rebus ſuis. Nec alius rectè ſe intromittit,ſi debite eas diſpenſat.Et probabiliter puto,quod non alia facultas diſpenſandi bona eccleſiaſtica,ex iure diuino ſummo Pontifici conuenit, niſi fortaſsis per accidens,ratione miniſtrorum, in quorũ vſus ſunt deſtinata, quos ipſe videtur vniuerſos poſſe pro ſuo arbitrio inſtituere,de quo ego valdè dubito.Immò mihi videtur probabilius,quod ſicut Abbatis cum ſuo conuentu eſt monachum acceptare, & inſtituere, ita decani cum ſuo collegio eſt aſſumere miniſtros ſuæ eccleſiæ, niſi aliud habeat fundatio,vel hac poteſtate mereantur priuari ob ſuam culpam,vel ei ceſſerint. Nec poteſt alius quiſpiam rationabiliter de hoc ſe intromittere,ſicut nec in collatione Burſarũ, vel diſtributione portionum menſæ ſancti ſpiritus,niſi cui ex fundatione, vel eius cõmiſſione conuenit.Scio ſummum Pontificẽ eſſe caput,vicarium ſuper totam eccleſiam, ſed capitis ſunt ſua officia, non omnia,imò multa ſunt aliorum membrorũ corporis Chriſti. Poteſt quidem rationabiles leges facere, circa adminiſtrationem eorum, quorum intereſt, ſed illam non poteſt illis tollere nec adminiſtrare. Intelligo de poteſtate à Chriſto ei conceſſa. Si tamen poteſtas,omnia benficia conferendi, vt apud eũm præuentio locum habeat,conceſſa ſit ei in generalibus conſilijs ego neſcio. Non credo aliquod conſilium voluiſſe præiudicare iuribus aliorum; & intentioni rationabili fundatorum,extra caſum magnæ vtilitatis, & ideò puto probabiliter, quod ſæpè in foro conſcientiæ, eſt inualida beneficiorum impetratio,quæ paſsim & indifferenter in omnibus,in vrbe procuratur. Et idem puto de aſsignatione penſionum, & commendarione monaſteriorum ſine libero conſenſu eorum,quorum intereſt,cũ per illas, bona eccleſiaſtica in alienum,& alterius vſum trãſferantur, quã ſunt deſtinata,& cum iniuria Domini actu poſsidentis. Ex quibus infero Correlarium,quod ſine magna cauſa, ſummus Pontifex non poteſt bona vnius eccleſiæ transferre ad aliam, vel vnius monaſterij ad aliud,vel dare alteri in cõmendãs, ſicut nec bona priuata vnius eccleſiaſtici ad alterum,vel legatum vni pauperi ad alterum. probatur,quia verum dominium ac proprietatem habent monaſteria & eccleſia in illis, ſicut priuatus Eccleſiaſticus vel laicus in ſuis, ſicut prius declaraui. Et quid naturalius vel æquius, quã quod tam pia ac ſancta fundatorum voluntas, non tam cito violetur.Scio eſſe ſcriptum,nedum in Clementinis,ſed etiam in corde hominis, quod deſtinata largitioni fidelium in certos vſus, in illos,& non in alios debere conuerti,& ſaluã eſſe in hoc Apoſtolicæ ſedis non voluntatẽ, ſed ſolam authoritatem. Et mihi videtur ꝙ non aliam authoritatem ſedes Apoſtolica habeat,circa bona monaſteriorum vel capitulorũ ex iure diuino, quã habeat princeps ſecularis circa pecuniam,quã ſinguli ciuitates in publico ærario habent pro ferendis ſui oppidi oneribus,cuius diſpoſitionẽ non aliam nec maiorem habet, quã pecuniæ ſingulorum. Nec iſta eſt mea ſolius ſententia ſed eandem tenet, & mihi publicè dicendi occaſionem & audaciam dedit cõſolatorius doctor Cancellarius Pariſienſis, in tractatu de poteſtate eccleſiaſtica,& etiam in multis locis alijs.Difficulter mõſtrari poſſet,quod ſedes Apoſtolica ex conceſsone Conciliorũ,& ſic quaſi ceſsione eccleſiarum, plus poteſtatis habeat,maximè extra caſum vrgentẽ magnæ vtilitatis.Ex quibus facilè conſtare poteſt, an authoritate ſedis Apoſtolicæ paſsim & indifferenter remitti poſſunt, ea quæ debentur monaſterijs, vel alijs locis eccleſiaſticis,vel cõponi, vt pars ſoluatur quæ nec ipſa vertitur in vtilitatem cõmunitatis, cui debetur, multò minus compoſitio fieri poteſt ſuper vſuris,per vnum vſurarium ab alio extortis, ſicut vt pulchrè proſequitur colẽdiſsimus magiſter noſter Athẽſis cuius anima in pace quieſcat, in vna quæſtionum quas ſcripſit circa tertium ſententiarũ. Patet etiam quid dicendum ſit de priuilegio, ſi quod concedatur principi ſeculari,vt per omnẽ terram ſuã diſponat, de prælatis,quo videntur capitula,abbatiæ, & cõuentus ſpoliari poteſtate & iure ſibi ex iure naturali & diuino vt apparet competentibus. Nec magis poſſunt hoc iure priuari, quã iure aſſumẽdi nouos monachos, vel facultas Theologiæ,aut iuris iure inſtituendi burſarios in ſuis collegijs. Nõ poſſunt aliud ſentire,nec puto quod quiſquam aliud ſentiet, ſi materiam ad prima principia,iuris naturę & diuini reſoluat, & contemnat ſuperficialem & literalem ſenſum capitulorũ, & canonũ,de quib.nõ vereor dicere, quod prior dixit Apoſtolus de lege diuina: Litera occidit, ſpiritus viuificat.Sed his fortaſsis multorũ iudicio plus ſatis,quæ omnia induxi ad oſtendendum,quod nec princeps ſecularis nec ec-

cleſiaſticus poteſt ſuos priuare rebus ſuis, vel grauare, ſine cauſa ſufficienti, prout dicit propoſitio. De cauſa autem quæ ſit ſufficiens, vt per viam conſuetudinis, vel præſcriptionis, aliquis poſsit grauari, vel re ſua priuari, ſentio idem cum Henrico de Gandauo. quotlibeto. 8. q. 22. & B. Thoma quodlibeto. 12. arti. 25. & reuerendiſsimo patre Cardin. Darthuſ. preceptore meo, à quorum ſententia non admodũ diſſentiunt canoniſtæ. Quod eſt ſola culpa illius, qui grauatur, vel priuatur re ſua. Probatur, quia ſi alia cauſa eſſet, illa videretur eſſe quies, pax, & tranquillitas Reipub. ſed illa non requirit innocentem re ſua priuari, vel eum verè ſeruitute grauari, cũ illis ſufficienter conſulatur, ſi non admittatur actio illius, contra quẽ preſcriptum eſt, tunc enim lites forenſes ceſſabunt non minus, quàm ſi translatio dominij facta eſſet, quod latiſsime declarant, & probant Henricus de Gandauo. & reuerendiſs. Cardin. Darthuſ. Nec quæuis minima culpa, vel negligentia meretur hanc pœnam ſpoliationis rei ſuæ, ſed videtur quod ad minus debeat eſſe mortaliter culpabilis, quæ raro accidit circa temporalia, quæ magis contemnere oportet quã amare, & circa quæ pauci admodum negligentes inueniuntur, ſequitur ergo, quod rariſsimè in conſcientia, & conſpectu Dei excuſat præſcriptio vel iſta cõſuetudo, eum, qui illo titulo, vel rem vel ſeruitutem ſibi vendicat vel tenet. Et verè ipſemet Imperator, à quo iura præſcriptionum & conſuetudinum manauerunt, vocat præſidium præſcriptionis, impiũ, & improbam temporis allegationem in authentico, vt eccleſia Roma. centum annorum præſcriptione gaudeat. Ex quibus infero quædam corrolaria, Primũ. Nulla conſuetudine excuſari poſſunt Canonici, qui à fratre nouiter recepto, notabilem pecuniæ ſummam recipiunt, quã inter ſe diſtribuant, & quamuis receptio illa fieri poteſt, vt non ſit proprie Simonica, ſemper tamen iniuſta eſt, propter quod Papa in ca. Iacob. de Simonia, illam cõſuetudinem reijcit & contemnit. Cuius ratio facilè ex dictis colligi poteſt tam clara, vt nemo auaritia non excæcatus non videat eſſe iniuſtum. Et videtur, quod ſola ignorantia inuincibilis, poſsit hic excuſare, cum ſit iuris diuini regulariter. Secundum Correlarium eſt. Nulla conſuetudo excuſare poteſt capitula vel prælatos, in vſurpando fructus beneficij litigioſi, in præiudicium habentis verum ius, ſi etiam darent pauperibus, quod per locũ à minori deduci poteſt ex ca. quia ſæpè de elec. & elec. poteſtate lib. 6. Et ratio ex dictis facilè colligitur, cùm in nulla culpa ſit is, qui verum ius habet, propter quam aliqua conſuetudine grauari poſsit. Tertiũ Correlarium. Nulla conſuetudine excuſari poteſt maritus, pro ſua voluntate diſtrahens dotem vxoris inuitè, nec ipſa grauari poteſt per aliquam cõſuetudinem debitis, quæ maritus ſua prodigalitate contraxit. iuxta cap. penult. de conſuetudine. Idem iudicium ferendum eſt de gabellis, telonijs, aſsiſijs, & alijs grauaminibus impoſitis, vtpura ne feræ capiantur ab his, quibus damna faciũt. quod que damna non reparantur per eos, qui ſibi eas appropriant, & in mille ſimilibus, quæ nunquam ſiunt iuſta ex ſola conſuetudine, ſi etiam mille annis bona fide eſſent ſeruata. Multa habentur pro iuribus ex conſuetudine, vel præſcriptione, quæ ſi radicitus examinentur, inuenientur eſſe iniuriæ & violentiæ, oppreſsiones & tyrannides, valdè lamentabile eſt, quod multi viri etiam docti paralogiſantur, & falluntur in hac materia, putantes, quod præſcriptio & conſuetudo idem operantur in conſcientia, quod in foro exteriori. Parum momenti hic habent capitula, quæ ſolũ procedunt in foro exteriori, vt fatẽtur multi Canoniſtę & omnes Theologi. Attendatur ſcriptum eſſe in cordib. noſtris. Ne alteri faciamus, quod nobis fieri nolimus. De præſcriptione verò iuriſdictionis & poteſtatis Eccleſiaſticæ in excõmunicando, in miniſtrando ſacramenta, in eligẽdo, & inſtituendo, ac conferendo beneficia Eccleſiaſtica, quantũ in foro conſcientiæ operatur, propter maximam materiæ perplexitatem, difficilè eſt determinare, à quo tamen multa pendent. nam ſi conſuetudo non dat ius conferendi, tunc inualida eſt collatio beneficiorum, quæ ſoli conſuetudini innititur, & ſi beneficium eſt curatum, inualida eſt abſolutio ſacramentalis, quæ impenditur parochianis, & ſic de multis alijs, quæ inde ſequuntur. Mihi probabilius videtur, quod nihil dictorum præſcribitur ſine culpa eius, in cuius præiudicium eſt, vel quia ipſe ſine culpa ſua non poteſt iure ſuo priuari, vel Pontifex cenſetur nolle priuare eum innocentem. Scio B. Bernardum de conſideratiõe ad Eugeniũ lib. 3. ſentire inualidã eſſe exemptionẽ à prælatis immediatis, ſi paſſim & ſine magna cauſa fiat. Scio etiam non deeſſe, qui probabiliter putant, nõ poſſe curatis indifferenter caſus reſeruari, cùm ſint veri hierarchæ, habentes ſuam poteſtatem immediatè à Chriſto, quæ vt tolli non poteſt, ita nec minui, niſi hoc expediat ſuæ eccleſiæ.

Quinta propoſitio eſt. Poteſtas ſecularis non poteſt pręſcribere, nec cõſuetudine obtinere iuriſdictionem vel poteſtatem mere eccleſiaſticam, probatur, quia nihil obtinetur via præſcriptionis vel conſuetudinis, niſi transferente lege vel canone, quibus ſolis innitũtur. Et ideò impręſcriptibiles ſunt res, quarum præſcriptioni lex & canon non aſsiſtunt. In quo differt conſuetudo præſcriptiua, ab ea, quæ eſt abrogatiua, & conſtitutiua legis, quæ per nullam reſiſtentiam ſuperioris impeditur fundata in iure naturali & diuino. Sed hanc poteſtatem & iuriſdictionem ſpiritualem lex dare non poteſt, cũ eius cõditor de ea non poſsit diſponere. Et canon non ſolũ non concedit, ſed & reſiſtit, ne ius ſpirituale à laico præſcribatur, vt patet in cap. cauſam de præſcriptionibus in

ca. ſacro-

ca.ſacroſancta. & ca Maſſana.de elect.& ca. Eccleſia S. Mariæ, de conſtit. Et concorditer hoc tenent Canoniſtæ, ex quo fundamento etiam deduci poteſt, an conſuetudo inducta contra clericos, vt partem aſsiſiarũ ſoluant, vel aliter grauentur, vnquam poſsit in conſcientia excuſare grauantes, cũ canones reſiſtant conſuetudinibus, quæ ſunt contra libertatem eccleſiaſticam, & principes ſeculares, pro nulla negligentia clericos punire poſsũt. Et probabilius eſt, ꝙ nec per Papam tolli vel minui poteſt immunitas à ſoluendis grauaminibus, ſine conſenſu vel culpa clericorum, cũ priuilegia immunitatis clericorum magis innitantur donationi, remiſſioni, ac ceſsioni principũ ſecularium, quã nudo priuilegio, ad voluntatem concedentis reuocabili. Hoc ſolũ probabiliter teneo, ſemper paratus in iſto, vt in alijs omnib. acquieſcere meliori informationi, & ſententiæ meæ cedere.

Secundus articulus admodum patũ difficultatis habet, & ideò paucisſimis ipſum ab ſoluam, ponendo quaſdam propoſitiones, ex quibus inferã Correlarium reſponſiuũ. Prima propoſitio. Sumere venerabile ſacramentum Euchariſtiæ non cadit ſub præcepto diuino. Probatur, quia illud præceptũ promulgaretur à ſaluatore Ioannis. 6. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitã in vobis, vel Matth. 26. Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum. Item hoc facite in meam commemorationem, ſed in his locis nullum præceptum promulgatur. Nam in loco priore Ioan. 6. Saluator loquitur de manducatione ſpirituali, quæ fit fide firmã per dilectionem operante, ſicut interpretatur B. Auguſt. & ipſemet Saluator, dum dicit. Qui manducat meam carnem, &c. in me manet, quaſi manducare & bibere ſit in ipſo manere. Et poſtea. Verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus ſunt & vita. Et verba adducta ex 26. cap. Matth. ſecundum Auguſt. de verbis domini, ſunt verba ir ſtitantis, non præcipientis, Præterea vterque locus ita loquitur de bibendo ſanguinem, ſicut de manducanda carne, ſed ex antiquiſsimo ritu eccleſiæ, & determinatione conſilij Conſtantienſis, certum eſt, non eſſe præceptum diuinum vt laici ſacramentaliter bibant, quanquam nec ſit eis diuino præcepto prohibitum; nam in primitiua eccleſia, ſub vtraque ſpecie communicabant, vt patet ex Apoſtolo primæ ad Corinthios. 11. Imò adhuc tempore Cypriani. & Auguſti. ſicut patet ex epiſtolis & ſermonibus eorum. Eadem propoſitio probari poteſt, ex ritu ſanctorum patrum eremitarum. Quam propoſitionem tenent Alexander de Hales. ſanctus Thomas in quarto. beatus Bonauentura. & ferè omnes Theologi. Et quamuis præcipuus & delicatior cibus & potus animi noſtri, ſit corpus & ſanguis Domini, propter quod comparatur adipi frumenti, altilibus, vitulo ſaginato, & ſimilibus, ſunt tamen alia fercula & potus, quæ neceſsitati famis & ſitis ſpiritualis ſufficiunt, & eundem cibum & potum, qui ſumuntur ſub ſacramento. Saluator Ioannis 6. docet ſumere ſine ſacramento vt conſimiliter reficiant. Qui venit, inquit ad me, non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet in æternum. Et Ioannis 4. dum loquitur cum mul. ſamaritana. de aqua viua ſaliente in vitam æternam. hinc Auguſti. Crede, inquit, & manducaſti. Secunda propoſitio. Ex præcepto eccleſiæ quilibet Chriſtianus, qui ad annos diſcretionis peruenit, tenetur ſemel in anno recipere venerabile ſacramentum Euchariſtiæ. Et conſuetudo populi Chriſtiani habet, vt petatur & ſumatur à morituro. Prima pars nota eſt ex capi. Omnis vtriuſq; ſexus de penitent. & remiſ. Circa ſecundam partem dubium eſt, an hæc cõſuetudo ſit præceptiua, & ſimiliter de cõſuetudine ſumendi extremam vnctionem & confirmationem, de quo in propoſito nihil refert, ſatisſit, ꝙ non ligat iſtos ſceleratos cùm in illo hominum genere locum nõ habeat. Tertia propoſitio. Iſti ſcelerati ex cõſpectu ſuæ indignitatis, poſſunt ſinguli dicere cum Centurione. Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum, & cum Petro. Exi à me Domine, quia homo peccator ſum. Nam B. Auguſtinus in epiſtola ad Ianua. dicit vtrunque honoraſſe ſaluatorem, Zacheum, & Centurionem, quamuis diuerſo & fere contrario modo. vnum non audendo ſuſcipere, alterum non audendo propter ſuam neceſsitatem, & Domini reuerentiam prætermittere. Contemptum ſolum, inquit, non vult cibus iſte, ſicut nec manna faſtidiũ. Nihil offendent Deum, ſi dixerint ſinguli. Peccaui in cælum & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnum ex mercenarijs, quorũ non eſt ſedere in menſa, & comedere filiorum panem, noluitque ex ſui deſpectu manducare de vitulo ſaginato. Scio quod regulariter Deo patri noſtro gratius eſt, quod de agno Paſchali, propter nos occiſo, aſſato, & parato manducemus & epulemur, quia præcipuè quærit, vt fructificemus ex gratia oblata nobis, nobis etiam eſt vtilius & ſalubrius, ſed tamen ediuerſo, non diſplicet Deo humilitas, ex qua ad eius aſpectum accedere veremur, & noſtri contemptus ſi moueant nos, ne ore ſtatim prius polluto, & adhuc peccatis ſanguinolento eum ſumamus. Quarta propoſitio. Diſpenſator familiæ domini præfectus, poteſt ex cauſa quoſdam de familia, etiam filios, non admittere ad menſam Domini. Probatur, Quia hoc aliquando poteſt conuenire honori, & reuerentiæ domini, & ſaluti eius, qui nunc repellitur. Nam ſi cum domino inciperet, ex frequentia familiarius agere, & eum minus reuereri, quam conuenit, diſpenſatoris eſt non admittere, cum ipſe ſaluti familiæ habeat intendere, & dare in tempore tritici menſuram, & nõ ſolum ſi ſaluti eius qui repellitur expediat, ſed etiam ſi neceſſarium ſit ſaluti aliorum membrorum

omnibus paratus cedere, & acquieſcere meliori informationi.

Quomodo dicit Apoſtolus ad Corinthios ſexto, de ſe & coapoſtolis, quod erant tanquam nihil habentes, & omnia poſsidentes, cùm videantur eſſe contraria, omnia poſsidere, & nihil habere. Hæc apparens contrarietas, primum diſſoluitur, ſi dicantur nihil habuiſſe actu, & omnia poſſediſſe in ſpe, quomodo filiusfamilias nihil habet, nullius enim dominus aut proprietarius eſt, & tamen eius ſunt, in ſpe omnes diuitiæ patris. Ita Apoſtoli & omnes iuſti ex eo, quod filij Dei ſunt eius hæredes & cohæredes Chriſti, ad Romanos octauo: & ex hoc in certa expectatione hæreditatis & gloriæ filiorum Dei, quæ tota & integra abſque aliqua ſui diuiſione eis obueniet. Sicut ergo Dei ſunt omnia. Tui, inquit, propheta ſunt cæli, tua eſt terra, & apud alium Dominus dicit, Meum eſt aurum, meum eſt argentum: Ita iuſti omnium dominium, omnium poteſtatem & ius expectant, & iuxta infallibile promiſſum veritatis. Super omnia bona ſua conſtituet eos. Sed quia iſte ſenſus non ſatis videtur textui conuenire, in quo ex præcedentibus videtur velle Apoſtolus, quod omnia actu poſsidebant, quãuis nihil habẽtes. Ideo difficilior videtur concordia. Præmittit enim. Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes, ſicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes & omnia poſsidentes. Et ideò beatus Auguſtinus in expoſitione Pſalmi ſexageſimi octaui hanc apparentem contrarietatem diſſoluit, per hoc quod Apoſtolus non dicit abſolutè, nihil habentes, nec abſolutè triſtes, aut egentes, ſed cũ particulis diminutiuis, dicit quaſi triſtes, ſicut egentes, tanquam nihil habentes, tales enim reputabantur. Ipſe autem populi opinionem corrigens, dicit eos non eſſe verè egentes, non eſſe nihil habentes, ſed ſemper gaudentes, omnia poſsidentes, & tam copioſè, vt multos ſuis diuitijs locupletarent. Sed quomodo precor Apoſtolus, & alij iuſti, etiam nunc omnia poſsident, quomodo verè omnia habent, qui veraciter Domino confitentur. Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te, ſi omnia reliquerũt, quomodo omnia poſsident, res mira ſed tamen veriſsima, quam propter ſui nouitatem Apoſt. frequẽter celebrat. Nam in Epiſtola ad Romanos octauo. Qui proprio filio ſuo, & cæter. quomodo non etiam omnia cum illo nobis donauit, non, inquit, vt Auguſtinus dicit, donabit. Et alibi. Omnia veſtra ſunt, & ſæpius idem; hic dico duo.

Primò, quod omnia, quæ ſunt in domo domini, ſunt ſeruorum & maximè filiorum, in actu, quoad vſum, ſi eis indigeant, ita vt liberam habeant facultatem eis vtendi pro ſua neceſsitate & indigentia, omniaque eis indigentibus ſubſeruiunt, etiam ipſe paterfamilias, nec minus eis languentibus aſsiſtunt, & parata ſunt omnia, quam ipſi domino, hoc ſenſu ſecundum interpretationem Athanaſij, Omnia ſunt filiorum Dei. Scimus, inquit Apoſtolus, quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, in ſalutem & vtilitatem eorum his, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti, hoc eſt, qui verè ſunt filij, qui non merebuntur exhæredari. Et eſt hic modus loquendi apud vos vulgaris, vt familia, & filij Domini dicant. Ecce nos poſsidemus hunc agrum, nos habemus hæc domi noſtræ. Conſimiliter Paulus cognoſcens ſe domeſticum & filium Dei, dicit ſe omnia habere & poſsidere.

Secundò dico ex præcedentibus, quod nedum iuſti omnia poſsident, in Chriſto, quaſi domino & patre ſuo, ſed verè ipſi omnium Domini ſunt, omnibus enim vti poſſunt, modò caueant de iniuria alterius. Et verius omnia poſsident, ſuo diuino & naturali dominio, quam habentes in eis ſolum dominium ciuile & politicum. Hi enim magis poſsidentur, & ſubditi ſunt diuitijs, quam eas poſsident, & dominentur. Quid enim eſt poſsidere, quam in poteſtate habere & dominari, & qui verius dominantur, quam qui eas calcant & contemnunt, vtentes tamen pro ſua neceſsitate & commoditate. Dominio ciuili ſinguli religioſi ceſſerunt, & fratres minores etiam vniuerſi, vtentes rebus pro ſua neceſsitate, non vſi iuris ciuilis aut politici, ſed alio multò diuiniore, iuris ſcilicet diuini & naturalis, quo ſerui facultatem habent vtendi rebus domini, & filij rebus patris, ſecluſo omni iure ciuili & politico, quo iure vtebatur Chriſtus, in his, quæ erant ei ad victum neceſſaria, vtebantur & Apoſtoli, vtuntur & nunc religioſi, maximè fratres minores, habent enim ius tale, quale habet pater ſuus, quale habet dominus ſuus, cuius eſt terra & plenitudo eius, qui nullum ius ciuile, nullum politicum in aliquo habet; & quale eſſet in vtente, ſi nulla eſſet facta rerum diuiſio, vtuntur re ſua, ſed non ſua ciuiliter, ſed titulo charitatis, vel iuris, per quod ſedari poſsit illa contentioſiſsima diſputatio, quam agit Ioãnes vigeſimus ſecundus in multis extrauagantibus, vt apparet, contra determinationem conſilij Nicolai Papæ, in conſilio Viennenſ. quæ habetur in capitul. Exijt de paradyſo. Ex quo inferunt quidam Correlarie, quod quilibet abutens re, quæ eſt ſua ciuiliter, committit furtum, quia contrectat rem alterius, vt ad vſum ſibi non conceſſum domino inuito, ſicut Gerſon in multis locis proſequitur. Nemo enim iuſtorum contentus eſt, vt res ſuæ aſſumantur in contemptum & irreuerentiam domini ſui. Ita ergo intelligi poteſt, nihil habentes ciuiliter, nullius dominium politicum & ciuile, quod ortum habet ex lege Imperatoris, quod eſt ſolum quaſi nihil habere, & omnia poſsidentes titulo

titulo & iure charitatis, vel etiam in Chriſto patre & domino ſuo.

Secunda quæſtio ſine argumẽtis eſt. Quomodo in publicis ſermonibus promittitur populo pax & proſperitas temporalis, cùm tamen dicat Apoſt. Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patiẽtur. ſecundæ ad Tim.3. Hic primum moueri poteſt, quomodo vniuerſaliter dicitur, quod omnes qui volunt, &c. cùm multi videãtur iuſtè viuere, quibus omnia fœliciter ſuccedunt, nec vllam experiuntur perſecutionẽ vel moleſtiam. Vbi reſpondere poſſem poſt Nicolaũ de Lyra, quod ſi qui tales ſunt, qui piè viuunt, & nullam patiuntur tribulationem, propter raritatem & paucitatem, quaſi nulli eſſent reputantur. Nec propterea ſcriptura minus generaliter loqui debet. Hoc inq̃ reſpõdere poſſem, niſi idẽ Apoſt. clariſſimè hunc ſenſum excluderet, ad Hebr.12. dicens, quod Deus flagellat omnẽ filium quẽ recipit, & ne vllum excipias ſubiũgit. Quis enim filius, quem nõ corripit pater, q̃ ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes, ergò adulteri & non filij eſtis. Quem locum tractans Auguſtin. in ſermone de paſtoribus. Para, inquit, te flagellari, aut certè non quæras recipi in filium, omnem filium quem recipit flagellat. Exceptus es à numero filiorum, ſi es exceptus à paſsione flagellorum. Ita omnem filium flagellat, vt & vnicum, qui ad hoc carne indutus eſt, vt ſine flagello non eſſet. Qui ergo flagellat vnicũ filium ſine peccato, nunquid relinquet adoptiuum cum peccato. Si putas te non habere tribulationes, nondum incepiſti eſſe Chriſtianus. Nũquid tempus eſt, vt incipiat iudicium à domo Dei, & ſic iuſtus vix ſaluabitur, vt ſciatur quam terribilis finis eorum, qui non credunt Euangelio. Incipe viuere in Chriſto, & probabis verum eſſe, quod dicit Apoſtolus. Omnes qui piè volunt, &c. Chriſtus aduerſarios habet multos. Sunt enim Antichriſti multi, quos omnes inimicos habebit, qui Ieſu amicitiam expetit. Nemo ergo ſine alicuius exceptiõe iuſtè viuit, ſi non patitur tribulationem. Et quamuis nõ ſemper in ſe aut in rebus ſuis, cruciatur tamẽ, & eò grauiùs, quo eſt magis iuſtus, quia læduntur illi, quibus charitatis vinculo deuinctus eſt, puta Deus vel proximus. Cùm enim honor Dei læditur, quod fit in tranſgreſsione legis eius, vel ſanctum nomẽ eius blaſphematur, quis eum tanquam patrem & dominum amat, & veneratur, & hoc videns non grauiter affligitur? Sic dicit Auguſt. in epiſtola. ad Seb. Quid tam perſequitur vitã bonorum, quã vita iniquorum, non modo, cũ cogit mutari, quod diſplicet, ſed cũ cogit dolere quod videt. Similiter cùm læditur proximus, quem, ſi piè viuimus, vt noſipſos diligimus, condolemus ei, & compatimur, non ſolũ cum malis pœnalibus ſubijcitur, ſed maximè ſi in malum culpæ ſciens & gaudens labitur. Vnde Apoſt. Quis infirmatur, & ego non infirmor, quo ad malum pœnæ, & quis ſcandalizatur, & ego non vror, quo ad malum culpę. Imò Orige. lib.4. commen. in epiſt. ad Rom. tractans locum Apoſt. Non ſolùm autem, ſed & gloriamur, per multa oſtendit iuſtos non minus tribulari in proſperitate per anxietatem ne in mollitiem reſoluantur, quam per aduerſitatem.

Ex his reſpondeo ad quæſtionem poſt B. Auguſt. in ſermone de paſtorib. quod ſuper arenam ædificant domos conſcientiæ audiẽtium, & non ſupra petram, qui temporaliũ proſperitatem promittunt, ſi legem Dei ſeruauerint, à peccatis recedendo. Potius, inquit prædicandum eſt. Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in timore, & prępara animã tuam ad tentationem. Si enim doctus fuerit populus, ſperare proſpera ſeculi, ipſa, inquit, proſperitate corrumpitur, ſuperaduenientẽ verò aduerſitate, ſauciatur, aut fortaſsis extinguitur. Et ne deijciatur & formidet ad ſeruitutem accedere, vbi tribulatio ferenda eſt, cõſolaberis dicens. Fidelis Deus qui non patietur, &c. & ab omni tentatione eripiet te Dominus. Aliud tempus nunc eſt, quàm ante Chriſti aduentum erat, quo in remunerationem temporalia promittebantur.

FINIS.

INDEX

INDEX SENTENTIARVM IN VTROQVE TOMO CONTENTARVM, PRIOR NVMERVS INDICAT TOMVM, SECVNDVS PAGInam: *a, priorem paginæ partem, b verò poſteriorem.*

A.

ABraham prius iuſtus ex operibus iuſtificatus tom.2. pag. 4.b
Abſolutionem à mulire impenſam dicunt hæretici tantum valere, quam ſi à ſacerdote impendatur: & quæ à ſacerdote ludenre tantum, quantum à ſeriò proſerēte, modo alrer ſe credat abſolutum to. t. 8,a
abſolurio ab omnibus cenſuris & peccatis tempore neceſſitatis à quolibet ſacerdote impendi poteſt tom.1. 88. a
ad Abſoluendum dicit Durandus non requiri iure diuino iuriſdictionem ſed rantum ordinem. to. 1.87.b. & ſequent.
abſolutio à cenſuris & peccatis an rempore neceſſitaris ab hæretico accipi poſſir & debear. to. 1. 88.a
aburens re quę eſt ſua ciuiliter committit furtum. tom.2. pag.
actus imperarus cuiuſque potenriæ rationi ſubiectæ naturaliter ſequitur imperium volunratis etiam in operibus grariæ. to.1. 201.a
accidentia in Euchariſtia quomodo maneant ſine ſubiecto. to.2. 196.b
actus boni ſimul in eodem cum habitu malo. to. 2. pag. 17.a
actio ſacerdotis etiam priuatim & ſecreto celebrātis publica & torius Eccleſiæ. to.2. 261.b
Adam & ſancti Angeli quomodo alia fide ſint iuſtificari quam nos iam iuſtificamur. to. 2. 5.a
ab Adæ peccaro in nos transfuſo ſicut intrinſecè dicimur peccatores, ira per iuſtitiam Chriſti intrinſecè dicimur iuſti. to. 2. 11.à
adoptio impedimentum matrimonij. to. 2. 318. a
adoratio Euchariſtiæ quò referenda. ro.2. 197.b
adorarur Chriſtus adoratione latriæ & duliæ. ro. 2. pag. 198.b
adorandus Chriſtus in Euchariſtia exiſtens eodem cultu, quo eum Angeli adorant in cælis. tom.2. pag. 199.a
contra Adulatores pſeudoprophetas & epiſcopos querela to. 2. 361.a
adulatio pſeudoapoſtolorum noſtrarum calamitatūm cauſa. ro.2. 360.a
adulatorum aulicorum vnde nunc tanta copia? to. 2. 360.b
adulrer eſt qui dimiſſa etiam adulera vxore, aliam ducit. ro. 2. 291.b
affinitas contrahitur eriam ex cōmiſcenrium fornicaria coniunctione. ro. 2. 280.b
agni paſchalis vſus primarius erar vt offerretur, ſecundarius vr ederetur, ſic & corpus Chriſti in Euchariſtia hos haber vſus? to.2. 261.b
Albertus Pigius lapſus in materia de iuſtificatione. rom. 2. 20.b
amicus ſyncetus quo melior eo tarior. to. 2. 360.a
amor Dei propter ſeipſum, & dolor de peccatis ob Dei offenſam eſſe non poſſunt, ſine cognitione quòd Deus ſit, & qualis ſir in ſe. to. 2. 46.a
amor ſui quis non repugner charitari. ro. 2. 16.a
amare poſſumus Deum etiā ante iuſtificationem. to. 2. 67.b
Ambroſij non eſſe ſenrentiam illam qua ptobat Eraſmus virum poſſe adulteranrem vxorem dimirtere non aurem ediuersò, ſed à falſarijs Ambroſio inſertam. ro. 2. 296.a
Ambroſius Catarinus lectione Eraſmi ſeductus & corruptus. to. 2. 262.a
Anacletus papa quomodo excōmunicauerit præſentes ſacro, & non communicantes. tom.2.
Angelis etiam neceſſe fuir renaſci denuo. to. 1. 29.à
Angeli ſine fide nec iuſtificati nec beati. to. 2. 5.a
Angelica ſufficienria omnis à Deo, ſicut humana. to.2. ibid.
Angeli per ſolam ſublimationem in conſortium naturæ diuinæ iuſti ſunt. tom. 2. 5.b
Angeli an iuſtificari ſint ex fide Chriſti naſcituri non certo conſtat. rom. 2. 5.a
Angelis malis etiam ſi potuiſſenr juſtificari, non fuiſſer neceſſaria fides propitiarionis in ſanguine Chriſti. rom.2. 5.a
animam eſurire & eam ſitire idem eſt, & proinde idem ſimul eſt & cibus & porus eius. to. 2. 216.a
animarum cura quam ardua. tom. 2. 342.b
animarum ſubſtanriā ante corpora Origenes credidit. tom. 2. 369.a
Apologiæ Auguſtanæ obiectiones aduerſus confeſſionem, & earum ſolutiones. tom. 1. 125.a & ſequent. & 133 & ſeq.
Apologiæ cōfeſſionis Auguſtanæ refurario de iudice controuerſiarum. io. 2. 336. a & ſeq.
Apologiæ ſtarus. tom 2. 340.b
Apologia omnes parres impietatis damnar. ibid.
Apologiæ contumelia in Eccleſiaſticos. ro. 2. 341.a
Appetitio vel refuratio libera eſt vel determinata ſecundum quod præcedens iudicium eſt rale. tomo 1. 183.a
aqua pro vino vtentes in ſacramento alraris non conſecrant, nec vrentes vino in baptiſmo baptizant. rom. 2. 237.b
arbor bona & mala quæ ſint & quæ harum radices vel fructus. to. 1. 251.b
arbor bona in ſcripturis eſt homo bonæ volunraris & mala arbor malæ voluntatis. to. 2. 107.b
arriculorum qui hoc libro tractantur ordo & methodus. to. 1. 1.a
àttritus inrerdum verum ſuſcipit ſacramentum ſine eius effectu, inrerdum & cum effectu. to. 1. 111.a
atrritio varijs modis contingit. to.1. 110.a
Auxilium Dei ſufficiens an omnibus pararum ſir, niſi propria culpa impediarur. to. 1. 205 a & ſequ. item 216.b
dicentes Auxilium Dei cuiliber adulro adeſſe pro loco & tempore, vr ſi ad vlreriora poſsit præparare, non ſentiunt cum Pelagio. tom.1. 219.a
auxilium Dei ſufficiens an omnibus aliquando adſit, non pari modo loquuntur doctores. to.1. 220.b & ſequent.

B.

BAptiſmus & eius efficacia vbi tradatur. tomo 1. 1.b
Baptizandos paruulos neganr Anabaptiſtæ, quia credere nequeunt: quod alij hæretici deuitare cupientes, aſſerūt infantes credere & intelligere. tom. 1. 8.a
baptiſmi neceſſitas nō eſt tantum præcepti, ſed potiſsimum propter eius effectum. ro.1. 27.b
baptiſmi præceprum quando cœpit obligare. to.1. 28.b
baptiſmi defectum ſupplet martyrium & plena cordis conuerſio. ro 1. 29. b & ſeq.
baptiſmo rollitur omnis culpa & pœna. tom. 1. 33. a & ſeq. item 47.b & ſeq.
in Baptizatis non ſolùm non impurarur, ſed nec eſt peccatum. to.1. 33.b & ſeq.
baptizati ſunt verè, licet non plenè iuſti: non partim iniuſti vt vult Lutherus. to.1. 45.b & ſeq.

baptizati patiuntur in ſe bellum ciuile, & hinc nūc caro dicuntur nunc ſpiritus. tom. 1. 46.b & ſeq.
baptizati ſunt filij Dei. tom. 1. 48.a
batiſmi fructus varij, quo etiam futura peccata quodam ſenſu tolluntur ibid. 6. & ſeq.
baptiſmus iterari nequit. tom. 1. 49.a
baptiſmi ſacramentum non à Ioanne, ſed à Chriſto inſtitutum: & horū baptiſmata male diſtinguunt hæretici. to. 1. 53.a & ſeq.
baptiſma multiplex in ſcripturis. ibid.b
baptiſmus quomodo ſit interrogatio bonę conſcientiæ. to. 1. 60.b
ante Baptiſmū poteſt catechumenus conſequi peccatorum remiſſionem. to. 1. 153.a
Baptiſmus, Cōfirmatio, & Ordo characterem imprimunt. to. 2. 144.b
baptiſmus quem habeat effectum. to. 2. 13.a
baptiſmus ſicut & alia fere ſacramenta conſiſtit in actione & vſu. to. 2. 170.b
baptizari eſt infanti credere. to. 2. 246.a
baptizato ſicut conceditur poteſtas ſumendi corpus Chriſti, ita ordinato datur poteſtas ipſum conficiendi. to. 2. 246.a
de Baptiſmo doctrina Lutheri. tomo 2. 265.a
& eiuſdē doctrina de baptiſmo paruulorū. ibid.
item baptiſmi effectus ſecundum eundem. ibid.
de Baptiſmo paruulorum doctrina Eccleſię catholicæ. tom. 2. 346.a
beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates quomodo intelligendum. to. 2. 29.a
benedictio hęc creſcite & multiplicamini, &c. contulit vim generatiuam non ſolum hominibus, ſed & alijs animalibus to. 2. 275.a
beneficij litigioſi fructus recipientes nulla conſuetudine excuſari poſſunt tom. 2. 392.a. Nec poſſunt dari pauperibus ibid.
Berengarius eandem hæreſin poſtquā ter quaterve publicè reuocauit, quare non ſit traditus brachio ſeculari. to. 2. 172.b
Berengarius primus hæreticus circa ſacramentum Euchariſtiæ to. 2. 183.b
non Bibam amodo de hoc genimine vitis quomodo intelligendum. to. 2. 207.a
Bigamia nō contrahitur ex defectu ſignificationis qua Deus coniungitur animæ iuſtæ, ſed ex defectu ſignificationis qua Chriſtus coniungitur cū Eccleſia. to. 2. 276.a
blaſphemia eſt, quod poſt baptiſmum in nobis ipſis iniuſti manētes, in Chriſto tantum iuſti ſumus & Deo placentes to. 2. 11.b
blaſphemia eſt, quòd iuſtitiæ Chriſti imputatione tantum placeamus Deo. to. 2. 27.a
boni & ſimul mali ſunt quidam, ſed ab eo quod præualet nomen accipiunt. t. 1. 46.a & ſeq.
bonorum à malis diſcretio, & meliorum à minus bonis partim à Deo eſt partim à libero arbit. & ideo nunc huic nunc illi tribuitur: diſcretionem hanc Auguſtinus ſæpius ad Deū refert, tāquam ad cauſam primariam & originalem, interdum etiam ad liberum arbitrium. to. 1. 207.b
bonum non eſt hominem eſſe ſolum quomodo intelligendum. to. 2. 289.a
bonum naturæ quia à Deo creatore non à Chriſto redemptore, ideo non placet Deo in Chriſto vel ob chriſtum. to. 2. 106.a
bonum, malum, & medium tria ſunt in mundo conſideranda. to. 2. 370.a
Bullingero Caluino & Zuinglio paruuli non naſcuntur filij iræ. to. 1. 53.a

C.

CAluinus miratur ſacerdotes arceri à matrimonio. to. 2. 284.b
Caluini argumenta contra ſacramētum pœnitentiæ. tom. 1. 93.a
Caluinus fruſtra gloriatur ſe ſequi D. Auguſtinū de libero arb. cum æquè illi contradicat ac cæteris. to. 1. 240.b
Caluinus tollit omnem voluntatis actiuitatem in operibus ſalutis. ibid.
canones duplices irritantes & prohibentes matrimonia. to. 2. 305.a
canones morum ceſſant obligare, ceſſante cauſa, ob quam lati erant: ſed non ita canones de matrimonijs. to. 2. 308.b
canones non expreſſe derogant legibus diſponentibus, ne ſine parentum conſenſu liberi contrahant to. 2. 316.a
canonici non poſſunt recipere pecuniam à fratre nouiter recepto. to. 2. 392.a
caput 6 Ioannis quomodo præter ſententiam Caietani ſit intelligendum. to. 2. 244.b
caro Chriſti ſecundum ſe inadorabilis. to. 2. 220.a
carne ſeruire legi peccati non tollit iuſtitiam noſtram, imò nec minuit. to. 2. 18.b
caro non prodeſt quicquam quem habeat ſenſum. to. 2. 169.b & ſeq.
caro in ſcripturis eſt aliud quam corpus. to. 2. 17.a
Carolo V. imperatori permiſſa fuit electio Pontificis Rom. & diſpoſitio ſedis Apoſtolicæ. tom. 2. 266.b
caſuum reſeruationem quidam dicunt non reſpicere propriè peccata, ſed tantum excommunicationem. to. 1. 87.b
caſuum reſeruationes factæ ſine magna eccleſiæ vtilitate an ſint validæ. to. 1. 88.b
in Caſuum reſeruationibus magni contingunt in Eccleſia abuſus. to. 1. 89.a
Caſparis Contareni de colloquijs Germanicis memorabilis ſententia. to. 2. 351.a
cauſa libera & naturalis quæ dicatur. to. 1. 181.a
cauſa proxima qua vnus alio eſt ſanctior conatus hominis eſt in vſu gratiæ Dei. to. 1. 195.a
cauſa 2. quo ſenſu dicatur Dei inſtrumentum in agendo to. 1. 199.b.
cauſa 2. poteſt neceſſariò moueri à prima, & ſimul non neſſariò moueri to. 1. 200.a
cæremonijs ſacramentorum, licet non ipſis per ſe, iuſtificamur. to. 1. 12.b
certitudo quid. to. 2. 82.a
certius eſt quod creditur quam quod videtur. to. 2. 39.a
certus ſum, quod neque mors, neque vita, &c. quomodo intelligendum. to. 2. 54.a
certitudo hæreticorum de ſalute ſcripturis aduerſatur. to. 2. 377.b
charitas ordinata quæ, to. 2. 2.a
charitas facit hominem Deo gratum, ſicut albedo facit album. to. 2. 19.b
charitas & cupiditas non omninò excludunt ſe ab eodem ſubiecto. to. 2. 17.b
charitatis actus quomodo debeat exerceri. tomo 2. 38.b
charitatis actus perfectus eſſe nō poteſt in homine peccaore, ſicut actus fidei & ſpei ibid.
charitas totum virtutum chorum adducit. t. 2. 2.a
charitatis opera & principia in tabulis aut chartis deſcripta, ſunt lex operum & litera occidens. tomo 2. 4.a
Chriſti ſolius virtute ſacramenta ſunt efficacia, & ab eo inſtituta, licet per alios inſtituere potuiſſet. to. 1. 3.a
Chriſti gloria nō tollitur ſed augetur, ex eo quod nos poſſumus ſatisfacere. to. 1. 152.b
Chriſti mediatoris officium quo ad paſſionis myſterium to. 1. 155.a & ſeq.
Chriſtus homo proprium & priuatum aliquid voluit. tom. 2. 16.b
Chriſti morte ſola tanquam merito, quomodo à peccatis iuſtificemur. to. 2. 7.b
Chriſtus fuit angelis & hominibus redemptio, ſed diuerſimodè. to. 2. 5.b
Chriſtus in extremo iudicio non erit miſericors pater ſed iuſtus iudex. to. 2. 17.b
Chriſtus debet ſanctis regnum cælorum to. 2. 18.b
Chriſtus in Euchariſtia manet quādiu manet ſpecies panis & vini. to. 2. 171.a & ſeq.
Chriſtus quomodo ſecundum carnem vixiſſe dicatur, quod videtur vitioſum. to. 2. 176.a
Chriſtus eſt totus ſub qualibet parte hoſtiæ poſt conſecrationem diuiſæ to. 2. 230.a

Chri-

Chriſtus ſeipſum in manibus ſuis portabat in cœna nouiſſima. to. 2. 170.b
Chriſtus in nobis eſt corporaliter per communionem corporis & ſanguinis ſui, & non ſolùm per charitatem to. 2. 178.a
Chriſmatis vſus fuit in Eccleſia temporibus Apoſtolorum to. 2. 144.a
clericos exactionibus grauantes an excuſari poſſint in conſcientia to. 2. 393.a
Communio ſub vtraq; ſpecie prohibenda Bohœmis & Germanis to. 2. 223.b
communicare ſub vtraq; ſpecie oſtenditur ex ſcripturis nullo modo neceſſarium to. 2. 224.b
communio ſub ſpecie panis tantum obſeruata à Chriſto & ab Apoſtolis to. 2. 217.b
communionis laicorum ſub ſpecie panis tantum, multæ iuſtæ ſunt cauſæ to. 2. 226.b
à Communione qui abſtinere debeant to. 2. 228.a
communio laica quæ ſit to. 2. 243
communio actiua vel paſſiua malorum & excommunicatorum duobus tantum caſibus vitanda. tom. 1. 5.b
communicare qui dicatur aliorũ peccatis. to. 1. 6.b
ommunitas laica conſuetudinem obligatoriam inducére poteſt in quibus habet iuriſdictionem. tom. 2. 388.a
communitas legem conſuetudinariã abrogare poteſt. to. 2. 390.a
conciliorum de ſacramento pœnitentiæ definitiones. tom 1. 93.a
concupiſcentia in renatis Luthero eſt peccatũ imputabile to. 1.37.a Caluino vero 62.a
concupiſcentiã in nondum renatis propriè eſſe peccatum difficile eſt intelligere to. 1. 36.b
confeſſio an ſit neceſſaria pars ſacramenti pœnitentiæ to. 1. 90 b
confeſsionis Auguſtanæ & Apologiæ Melãchthonis errores circa pœnitentiæ ſacramentum to. 1. 102.a & ſeq.
confeſſio peccatorum varia. to. 1. 120.b
confeſsio ſpecialis omnium peccatorum eſt neceſſaria. to. 1. 121.a & ſeq. non tamen omnium ſimpliciter. 130.b
confeſſio ſpecialis ſingulorũ ideo requiritur, quia contritio ſpecialis requiritur, & etiam propter iudicij naturam. to. 1. 122.a
confeſſio iure diuino præcipitur. to. 1.126.a & ſeq.
confeſſionem non eſſe præceptam quo ſenſu dixerit Hugo de S. Victore. ibid.
confeſſa peccata publicandi mos tollitur t. 1. 127.b
confeſſio an ex neceſſitate debeat fieri ſecretè. to. 1. 128.b
confeſſurus quam diligentiam adhibere debeat vt omnia peccata confiteatur. to. 1. 129.a
confeſſarius adiuuare tenetur infirmitatem confitentis. to 1. 130.a (& ſeq.
confeſſionis ſolus ſacerdos eſt miniſter. tom. 1. 13.b
cõfeſſionis Auguſtanæ, Melanchthonis & Caluini circa confeſſionem errores to. 1. 133.b & ſeq.
confeſſionis præceptũ ſemper incluſum eſt in præcepto communicandi: & vno conceſſo alterum conceditur. to. 1. 135.b
confeſsionis præceptũ quam ſit antiquũ to. 1. 136.a
confeſſionem non abſtulit Nectarius, ſed aliquid aliud. to. 1. 137.b
confeſſionem eſſe neceſſariam non negat Chryſoſtomus to. 1. 140.b
confirmationis ſacramentum quomodo à Chriſto inſtitutum to. 2. 142.b. Vbi tradatur, to. 1. 2.a
cõfirmationis proprius effectus nõ eſt pugnare contra hoſtes inuiſibiles, ſed tantũ viſibiles. t. 2. 145.b
confirmatio quomodo ſit ſacramentum neceſſarium. to. 2. 149.b
confirmationis ſacramento character imprimitur to. 2. 144.b
confirmationis ſacramentum quando, quibus, & quam diu datum ſit. to. 2. 140.a
confirmationis effectus aliquando contingit ſine ſacramento, ſed non ſine eius voto. to. 2. 145.a
confirmati maiorem gloriam conſequuntur poſt mortem quam ſolum baptizati. to. 2. 146.a
confirmatio quo ſenſu baptiſmũ excellat t. 2. 152.b
confirmationis & extremæ vnctionis contemptus, quomodo ſit mortale peccatum, & quomodo nõ to. 2. 150.b
Confidere licet virtutib. & operib bonis. to. 2. 72.a
coniuges quomodo ſint vna caro to. 2. 280.b
coniunx adulterans ſicut & negans debitum coniugale, violat fidem matrimonij. to. 2. 301.b
coniuges ſine culpa ſua frequenter continere debẽt to. 2. 297.a
coniuges clandeſtini exercentes actum matrimonialem, mortaliter peccant. to. 2. 313.b
conſcientia non ſolùm de malo, ſed de omni quod malum eſſe putatur, remurmurat. t. 2. 396.b
conſcientiarum timoratarũ conſolatio. t. 2. 386.b
contra conſcientiam agens ædificat gehennam tomo 2. ibid.
conſuetudinis variæ acceptiones tom. 2. 385.a
conſuetudo aliquando concurrit cum derogatione legis ſuperioris aliquando ſine ea. to. 2. 390.a
cõſuetudo hominis priuati nec legem derogat nec legem facit. to. 2. 385.a
conſuetudo magis legem promulgat quã facit. to. (2.389.a
conſuetudinaria lex vt introducatur nullum tempus certum in iure determinatum eſt ibid.
conſuetudo quando vim legis obtinet quãdo non to. 2. ibid.
conſuetudines paucæ ſunt quæ ex vi conſuetudinis obligant in foro conſcientiæ ibid. ex alijs cauſis tamen obligare poſſunt ibid.
conſuetudo quando rationabilis. ibid.
conſuetudinis tranſgreſſio quale peccatum ſit. tomo 2. 389.b
conſuetudo cõmunitatis poteſt abolere legem ſuperioris eccleſiaſtici aut ſecularis, nõ tamen naturalem aut diuinam. to. 2. 390.a
conſuetudinarij actus per quos lex tollitur aliquãdo fiunt ſine peccato, aliquãdo cum peccato. tomo 2. 390.b
continere non licet coniugato, niſi altero coniuge volente. to. 2. 295.b
cõtritio quib⁹ modis ab attritiõe differat t. 1. 109.b
contritio ſine qua peccatum non remittitur quænam ſit to. 1. 113.b
contritio quæ pars eſt ſacramenti pœnitentiæ neceſſariò reſpicit reliquas eius partes. to. 1. 114.a
cõtritio ſpecialis de ſingulis peccatis eſt, & ſemper fuit neceſſaria to. 1. 121.b
corpus cuius Chriſtus eſt caput complectitur etiã angelos. to. 2. 5.b
corpus Chriſti in Euchariſtia eſt etiam ſignum, ſed eiuſdem corporis in cruce immolati to. 2. 168 a
corpus in forma conſecrationis Hoc eſt enim corpus meum, ſignificat tantũ alteram partem compoſiti. to. 2. 193.b
corpus Chriſti quomodo vocetur in ſcripturis panis. to. 2. 204.b
corpus & ſanguinem Chriſti rectè & ſanctè adoramus to. 2. 211.b & ſeq.
Corpus Chriſti rectè circumfertur in proceſsionibus to. 2. 213.b
corpus Domini non dijudicare quid ſit. to. 2. 183.b
cor nouum creare, cor carneũ ex lapideo facere, & ſupplere quod deeſt infirmæ volũtati longè differunt. to. 1. 242.b
corporale dicitur duobus modis to. 2. 176.a
creatura rationalis ſicut ex gratia eligitur & prædeſtinatur ita ex gratia vocatur & iuſtificatur. to. 2. 5 a
credentes in Deum quomodo iuſtificantur. t. 2. 12.a

D.

DEſperatio contingere poteſt ſtante vera fide ſalutis. to. 2. 48.a
Dei ſermo multiplex. to. 1. 21.b
Dei offenſa cum in contritione dicitur ratio diſplicentiæ peccati quid contineat. to. 1. 113.b
Deus neminem punit vt iram exerceat vel diſſipet. tom. 1. 161.b
Deus frequẽter conqueritur quod quidam nec beneficijs nec caſtigationibus emendẽtur. to. 1.162.a

Dei maior eſt gratia & nobis gloria maior quod non tota pœna ſtatim cũ culpa remittatur, ſed in hoc dignetur nos haberi cooperatores. to. 1. 179. b
Deus multas ob cauſas immittit flagella. t. 1. 180. b
Deus ſolus poteſt efficaciter mouere voluntatem quocunque voluerit. ſic tamen vt ipſa liberè cogat. to. 1. 190. b & ſeq. An prius natura cauſet quam cauſa ſecunda tam in operibus gratię quã naturæ. to. 1. 199. b
Deum quod in ſe eſt omnibus gratiã impartiri, ſed quoſdam ponere obſtaculum ſcripturis conforme eſt: ſed an hoc ſemper faciat ſunt opiniones: to. 1. 210. a
Deum ſecũdum merita præſentia vel futura ſuam dare gratiam, prædeſtinare vel reprobare ſonãt plurimæ ſcripturæ ac patrum authoritates to. 1. 212. a & ſeq.
Deum auctorem eſſe cuiuſuis peccati primũ dixit Melanch. to. 1. 226. b ſed poſtea reuocauit. 228. a
vt Deus nos adiuuet nos cooperari debemus, non ſolis votis apud eum agere to. 1. 242. a & b
à Deo accepimus animam viuentem, à quo accepimus ſpiritum viuificantem per quæ ad diuerſa opera ei cooperamur to. 1. 243. b
Dei inſpiratio aliud eſt ab eius doctrina: quæ ſæpè miſcet Caluinus to. 1. 249. b
Deus mouere poteſt intellectum aut effectum, vt non poſſint non ſequi. ibid. Non imperat aliquid impoſsibile. tom. 2. 23 b. Non damnat hominem pro eo quod non poteſt vitare. ibid. Pro iuſtis habere nõ poteſt qui ſunt iniuſti to. 2. 25. b. Propter ſe amandus eſt, nõ propter noſtrum commodum. tom. 2. 45. b
Deus quid ſignificet to. 2. 66. b
Deus quomodo non aliter nos liberare potuit à dãnatione, quam incarnatione Chriſti t. 2. 165. a
Deus maximè vnus eſt to. 2 352. b. Vnitas eius in hominibus oſtenditur to. 2. 353. a
Deus in creaturis cognoſci poteſt ibid.
Dij an ſint dubitat Pythagoras to. 2. 368. b
Deum futurorum præſcium negat Cicero. ibid.
Dei prouidentiam negãt Epicurei ibid. Ariſtoteles quoque infra globum lunæ prouidentiam ſe extendere negat. ibid.
Deus nihil inordinatè facit aut temerè to. 2. 369. b
Deus omnes curat etiam peccantes & aſsiduè eum offenſantes to. 2. 372. a
Deus medicorum more varia varijs pharmaca parat omnibus ſalutaria. ibid. Fortiſsimos quoſq; maximis exercet calamitatibus to. 2. 371. b
Diaconus non iungitur in ordinatione, ſed ſolus ſacerdos to. 2. 269. a
Diaconi quorum ſit mentio in Actis, & de quibus loquitur Paulus ſecundum Caietanum non fuerunt eiuſdem generis. ibid. b
Diaboli in Chriſtianos inſidiæ to. 2. 325 a
Diabolus quibus dolis aggrediatur quos vi ſuperare non poteſt. to 2. 326. b
Diabolus quare hæreſi fidem impugnet to. 2. 327. a
Dilectionis præceptum quomodo in hac vita impleri poſsit, & quomodo non to. 1. 67. & ſeq.
dilectio ex toto corde, anima, & mente, quomodo intelligenda. to 2. 75. a
diſpoſitio efficax & proxima ad iuſtificationem eſt pœnitentia. to. 2. 66. a
diſpenſationes ſine neceſsitate vel communi vtilitate factæ reprehenduntur to. 1. 89. a b
in Diſputationem reuocanda non ſunt quæ ſemel rectè iudicata ſunt to. 1. 4 a nec quæ Eccleſiã per totum orbem credit. 32. a (350. b
diſputationes publicæ cum hæreticis non ineundæ
diſputatione priuata ſanandi hæretici. to. 2. 358. a
poſt Diuortium non licet ſecundas inire nuptias. to. 2. 290. a
diuortium tantum ſignificat ſeparationem non cũ alio coniunctionem to. 2. 303. a
diuortio innocens ſeparatus, religionem profiteri & ſacros ordines ſuſcipere poteſt. ibid.
dolor de peccatis propter Dei offenſam eſſe non poteſt ſine cognitione Dei quod & qualis ſit. tomo 2. 46. a

E.

Eccleſiæ vox nuſquam ſecurius auditur quam in concilio Oecumenico to. 1. 4. a
Eccleſiæ à Chriſto probatæ factum eſt in ſingulis argumentum to. 1. 32. a
extra Eccleſiam non eſt ſalus. to. 2. 327. b ſed remedia extra eum ſunt toxica ibid.
eccleſia iã olim à doctis miniſtris oppugnata ibid.
eccleſiam a ſuo ſponſo 1400. annis relictam fuiſſe incredibile eſt. to. 2. 328. b quæq; inde ſequantur abſurda ibid. & ſeq.
eccleſia eſt vnica nullo populo aut tempore cõcluſa t. 2. 332. a
eccleſiam verã apud ſolos catholicos eſſe t. 2. 333. a
eccleſiam apud ſe eſſe contendunt hæretici ibid.
eccleſiam eſſe viſibilem ibid. b
eccleſiam malos & bonos complecti ibid.
in Eccleſia quæ retinuerint Auguſtinũ to 2. 334. a
eccleſia vera quibus notis ab hæreticorum conciliabulis diſtingui poſſit. to. 2. 335. a
eccleſiæ doctrina ſemper fuit eadem ibid. b
Eccleſiæ Rom. priuilegium t. 2. 337 b non errat in fide. ibid.
eccleſijs diſſidentibus quomodo pax reſtitui poſſit. to. 2. 352. a
in Eccleſia cur Chriſtus vnum inſtituit vicarium D. Petrum. to. 2. 354. a
eccleſiæ hoſtes quales nunc ſint tom. 2. 372. b
eccleſiæ ciuenũ bellum imminere ſpiritu prophetico prædicit auctor. to. 2. 372. b
eccleſiæ Romanæ abuſus deplorat auctor & cæcitatem prælatorum auarorum & damnabilẽ eorum hypocriſin. to. 2. 373. b
eccleſiaſticorũ ſcandaloſa vita & diuini cultus neglectus cauſę ruinę religionis in Belgio t. 2. 378. b
Eccleſiaſtes ſeu concionator pijs promittẽs proſperitatem temporalẽ ædificat ſuper arenam. to. 2. 296 b
Electio eſt propriè actus libertatis, & eſt tam intellectus quam voluntatis to. 1. 183. a
Epiſcopus ſolus ordinarius miniſter ſacramenti Confirmationis. to. 2. 144. a
Epiſcopus non tantum iuriſdictione, ſed & gradu, dignitate & poteſtate ſuperior presbytero. to. 2. 270. b
Epiſcopi duo depoſiti quod conſenſiſſent Imperatori duas habere vxores to. 2. 298. b
Epiſcopi ſunt Eccleſiæ columnæ to. 2. 339. a
Epiſcopi quo ſenſu ſint Eccleſiæ miniſtri t. 2. 342. a & quo paſtores & patresfamilias ibid.
Epiſcopis qualis competat dominatio. to. 2. 342. b
epiſcoporum officiũ tempore hæreſeon. to. 2. 358. b
epiſcoporum officium laborioſum in ſe, acceptabile corã hominibus, miſerabile apud Deũ, ſi malè adminiſtretur, ſi benè, nihil beatius to. 2. 372. b
epiſcoporum officium quod & quam graue. tomo 2. 378. a
epiſcoporum dormitantia cauſa lapſæ religionis in Belgio. ibid.
Eraſmus primus noſtro ſæculo docuit poſt diuortium licere innocẽti aliud inire matrimoniũ, in quo hæritici pleriq; eum ſequuntur. to. 2. 262. b
Eraſmus docet vxori non eſſe parem poteſtatẽ virum dimittendi, quæ eſt viro dimittẽdi vxorem tom. 2. 296. a
Eraſmus docet coniugium filijs ſine parentum conſenſu nullum eſſe, & ſimiliter profeſſionem religionis to. 2. 309. b
Eraſmus ridet habitus ſecularis in religioſum mutationem item mutationem nominis to. 2. 313. b
Eraſmi concordiæ conciliandæ ratio. tom. 2. 354. b eiuſdem refutatio ibid.
Eraſmi iudiciũ de libero arb. to. 2. 356. a de precib. pro mortuis ibid. de ſanctorũ inuocatione. ibid.
Eraſmi colloquia iuuentuti prohibenda t. 2. 379. b
eſcam eandem & potum ſpiritualem quomodo patres manducauerint & biberint. tom. 2. 171. b
Ethnicorũ multa bona opera, licet non ſint pietatis, agnoſcit Auguſt. & eſſe Dei dona. to. 1. 191. a
Euangelici verbi vſus quis ſit. to. 1. 9. a

Euan.

Euangelium præter efficaciā quam habet ex ipſius auditu & intellectu, poteſt talem habere, qualem Sanctorum reliquiæ, vel alia ſacra. ibid.
Euangelij & Sacramenti diſcrimen, to. 1. 8. b
Euchariſtiæ efficacia vbi tradatur, to. 1. 2. a
Euchariſtiæ inſtitutionis prima ratio quæ ſit, to. 2. pag. 215. b
Euchariſtiæ inſtitutio quibus verbis facta ſit, ib. a
Euchariſt. inſtitutio facta ſub vtraq; ſpecie. ibid. b
ad Euchariſtię ſacramentum vt eſt ſacrificium pertinet perfecta repræſentatio paſſionis Chriſti, tomo. 2. 235. b
Euchariſtiam vt eſt ſacrificium, inſtituit Chriſtus ſub vtraq; ſpecie, to. 2. 241. b.
Euchariſtię vtraq; parte totum contineri Chriſtum recte fatetur confeſſio VVirtembergenſis, to. 2. 242. b
Euchariſtiæ communionē ſub vtraq; ſpecie in Bohœmiam inuexit Iacobellus quidam, to. 2. 243. a
Euchariſtiæ ſacramentum non conſiſtit in actione & vſu, ſicut alia ſacramenta, to. 2. 171
de Euchariſtiæ vſu non poſſe intelligi caput S. Iohannis, non rectè aſſerit Caietanus, to. 2. 244. b
Euchariſtia eſt non ſolum oblatio, ſed verum ſacrificium, to. 2. 253. b
Euchariſtia aufertur in omnem finem & vſum in quem ſacrificia vetera offerri ſolent, to. 2. 255. a
Euchariſtia valet ad remiſſionem peccatorum, & non tantum ad reatum peccatorum abolēdum. Ibidem.
Euchariſtiæ oblatio & ſacrificium à Chriſto in cruce peractum, differunt quoad efficaciæ generalitatem. ibid. b
Euchariſtia valet ad quālibet neceſſitatē, to. 2. 256. a
per Euchariſtiæ oblationem domus liberata à ſpiritibus malignis. ibidem
Euchariſtia prodeſt defunctis. ibidem
Euchariſtia non ſolis ſumentib. prodeſt, to. 2. 260. b
Euchariſtia ex antiquiſſimo Eccleſiæ vſu ſeruatur & portatur ad infirmos, to. 2. 220. b
de Euchariſtia concordia Lutheranorum VVittēbergæ inita, to. 2. 340. b
Euchariſtiam ſumere non eſt de præcepto diuino, to. 2. 393. a
Euchariſtiam ſumere ſemel in anno tenetur omnis qui ad annos diſcretionis peruenit, ibid. b
Euchariſtia vt ſumatur & petatur à morituro conſuetudo populi habet, ibidem
Euchariſtia ex rationabili cauſa etiam in articulo mortis poteſt negari ibid.
an Euchariſtia ſceleratis & morti adiudicatis in articulo mortis poſſit negari. ibid.
Euchariſtiā prohibens dari ſceleratis & condemnatis Iudex ſecularis iniuſtè agit nec poteſt excuſari à peccato mortali per cōſuetudinē, to. 2. 394. a
Euchariſtia ad mortem damnatis duabus aut trib⁹ horis antequam moriuntur dari debet vt ſpecies ante mortem reſoluantur. ibid. b
Excommunicatorum & malorum communionem duobus tantum caſibus vitare debemus, to. 1. 6. a
Exemptiones ſine magna Eccleſiæ vtilitate factæ, an ſint validæ, to. 1. 89. a. b

F.

FAbiola ab Hieronymo reprehenſa quod relicto adultero nupſiſſet alteri viro, to. 2. 303. b
Facere quod in ſe eſt non eſt facere quantum poteſt ex his quæ à ſe habet, to. 1. 217. b. & ad quid iſtud ſecundum conducat, to. 1. 220. a
Facienti quod in ſe eſt Deum adeſſe in neceſſarijs ad ſalutem, intelligit B. Thomas de præuento diuina motione. ibid.
Fidem iuſtificare non infert ſacramenta non iuſtificare, to. 1. 18. b
Fidem qua in ſacramētis iuſtificamur Melanchthō tandem agnoſcens, intelligit fiduciam. ibid.
Fides qualis requiratur vt ſacramentum ſuſceptū ſit efficax. ibid.
de Fide neceſſaria in ſacramentorum ſuſceptione diſſident à Luthero Melanchthon, Zuinglius, & Bucerus, to. 1. 20. b
Fides propria vel aliena, aut alia quęuis benedictio an ſine baptiſmo iuſtificet, to. 1. 31. a
Fidem ſuſcipiētes metu gehēnæ vel deſiderio beatitudinis ſunt vere Chriſtiani & ſaluādi, t. 1. 85. a. b
Fides intellectum illuminans neceſſaria eſt ad iuſtificationem, to. 2. 2. a
Fides in hac Apoſtoli ſententia: Iuſtificamur ex fide & non ex operibus, quid ſignificet, to. 2. 3. b
Fides nunquam in ſcripturis excludit opera pœnitentiæ, ibidem
Fides toto vitæ curſu etiā iuſtis neceſſaria, to. 2. 4. b
Fides morienti neceſſaria. ibidem
Fides propitiationis in ſanguinem Chriſti ſoli pœnitenti neceſſaria. ibidem
Fides propitiatoris & mediatoris eadem, to. 2. 6. a
Fides propitiationis locum non habet vbi nullum eſt peccatum, to. 2. 4. b
Fides mediatoris diſtincta & expreſſa eſt nunc neceſſaria, to. 2. 6. b
Fides quæ iuſtificat, to. 2. 8. a
Fides ſine pœnitentia non iuſtificat, to. 2. 8. b
Fide ſola iuſtificari impium quam habeat ſententiam. ibid.
Fides eſt regula dirigens pœnitentem, to. 2. 9. b
Fides quomodo ſit minus quàm ſcientia, to. 2. 38. b
Fides verbò Dei nititur, to. 2. 39. a
Fidei & ſpei actus, perfecti eſſe poſſunt in peccatore. ibid. b
Fidei & ſpei actus quomodo exercendi. ibidem
Fides manens fides à charitate ſeparatur, to. 2. 40. a
Fidei formatæ & informis videtur eſſe idem numero actus. ibidem
Fides quomodo per dilectionem operatur. ibid. b
Fides mortua ficta & probata quę ſit ſecundum Bernardum, to. 2. 42. a
Fides Catholica quam latè ſe extendat, to. 2. 45. a
Fidei beneuolentiæ Dei erga nos nō meminit ſcriptura, to. 2. 46. b
Fidei certitudo ſuperat ſcientiam & euidentiam, to. 2. 47. a
Fidei officium quod ſit. ibid. b
Fidei certitudo quomodo differat à ſpei certitudine, to. 2. 48. a
ex Fide naſcitur fiducia, ex fiducia audacia, t. 2. 49. b
Fides iuſtificat nō tantum quia initium ſalutis, ſed quia fundamentum & radix vnde impetrantur reliqua, to. 2. 59. a
Fide ſola iuſtificari aliud eſt, quam iuſtificari fide & non ex operibus, to. 2. 69. b
Fides Dei iudicio diſponenti de loco in locum migrat, to. 2. 343. b
Fidem repellentibus minatur Deus, to. 2. 344. a
Fides Lutheri fictitia omnium errorum eius eſt origo, to. 2. 348. a
Fides integra manet etiam in moribus corruptiſſimis, to. 2. 374. a
Fide nos iuſtificari quo ſenſu doceat Paul. t. 2. 376. a
Fides mediatoris vbi à Catholicis tractetur, tom. 2. 377. b.
Fides apprehendens remiſſionem peccatorum Catholicis ignota. ibidem
Fides quibus cauſis in Belgio lapſa, to. 2. 378. a
Fidelis cum vult poteſt ſe in operibus fidei & charitatis aut pietatis exercere ſine alia ſpeciali diuina motione quam horum habituum conſeruatione, to. 1. 202. a. attamen vt his habitibus vti velit debet præcedere diuina motio, to. 1. 203. a
in Fide inſtructus ſi antea ſit ei immiſſus à Deo pius affectus, poteſt ſine alio Dei auxilio ſe determinare ad credēdum relicta infidelitate, to. 1. 202. a
Finis verum neceſſariò an liberè ametur, to. 1. 184. a
Fornicatio vnica & per ſe cauſa diuortij perpetui, to. 2. 299. b

G.

GElaſius papa quomodo dicat nō ſine ſacrilegio fieri diuiſionem eiuſdem myſterij corporis & ſanguinis Domini, to. 2. 243. a
Germaniam ne fides deſerat cauendum, to. 2. 343. b & cauſa cur id metuendum, to. 2. 344. b
Germanos Lutherū ſeq mirādū eſt, & cur, t. 2. 330. a

Gratia ad quodlibet opus pietatis agendum requiſita quæ ſit, & quæ naturam ſanans & ſic ad merendum eleuans, to. 1. 188. a. & ſeq.
ſine Gratia poteſt homo multa bona agere, ſed nõ talia quæ ſunt pietatis, to. 1. 186. b. & ſeq.
Gratia habitualis & virtutes infuſæ, licet conducant, nõ ſunt tamen neceſſariȩ ad vlla opera pietatis præſtanda. ibid.
Gratiæ bonus vſus an ſit liberi arbitrii, to. 1. 192. b
ad Gratiæ mouentis vſum, an alia ſpecialis gratia requiratur, to. 1. 193. b. & ſeq.
Gratia vel adiutorium ſpeciale quid ſit, to. 1. 195. a
Gratia ſicut non deſtruit naturam, ita non impedit eius cauſalitatem, to 1. 311. b
Gratia dans poſſe credere & reſiſtere peccato, pœnitere, bene operari vel perſeuerare, non ſemper dat hæc operari, to. 1. 202. b
Gratia vel inſpiratio ad aliquod opus data ſemper ſufficit ad hoc faciẽdum vel ſaltē ad impetrandũ per orationem, id quod ad illud ſufficit. ibid.
Gratiam ſufficientem etiam ſi dicatur Deus paratus omnibus dare, non poteſt dici æqualem omnibus dare, to. 1. 206. a
ſine Gratia Dei nemo poteſt petere, quærere aut pulſare, to. 1. 214 a. b
Gratiæ Dei non derogat quod ex ſe poſsit homo facere aliquid, cuius intuitu Deus det illi fidem & vlteriora auxilia, to. 1. 218. a. b
Gratiæ initiũ non eſt ex nolentibus fieri volentes nec ipſa Dei electio, to 1. 250. b
Gratia quã confert ſacrament. Ordinis, to. 2. 268. a
Gratia ex ſacram. Matrimonij expectãda, t. 2. 274. b
Grauius eſt peccatũ duas ſimul habere vxores quã altera dimiſſa vnicam habere, to. 2. 299. b
Gratis iuſtificari, eſt nihil eorũ quæ præcedunt iuſtificationem ipſam mereri, to. 2. 10. a

H.

Habitus virtutum quãuis Deo placeant, non tamen excludunt peccatum & iram Dei, to. 2. 4. a
Habituales inclinationes ad bonum & ad malum quomodo ſimul ſint in eadem anima, to. 2. 16. b
Hæretici docent ſacramenta tãtum eſſe ſigna Dei erga nos ad excitandã fidem, nec magis efficacia eſſe nouæ legis ſacramẽta quàm veteris, to. 1. 7. b
Hæreſis & adulterium legittimæ cauſæ diuortii, to. 2. 279. a
Hæreſes nõ tolluntur permiſſionibus, ſed cõtrarijs conſtitutionibus, to. 2. 224. b
Hæreſi cur fidem impugnet Diabolus, to. 2. 327. a
Hæreticorum quanta ſit miſeria. ibid.
Hæreticis martyrium eſt pœna perfidiæ & deſperationis meritum. ibid. b
Hæreticorũ ſucceſſus admirandus, & cur, to. 2. 328. a
Hæreticorum recentium conatus arduus eſt & difficilis. ibid.
Hæretici ſua doctrina & fucata pietate Eccleſiam ſæpe tentârunt, to. 2. 329. b
Hæreticorum recentium dogmata, eadem de cauſa tam multi hodie ſequuntur, qua olim homines Epicurum & Iouinianum, to. 2. 330. b
in Hæreſin multos cadere etiã pios, non dat præiudicium noſtræ fidei. ibid.
Hereſes ortæ ex eo quod nõ obediatur ſummo Pontifici, to. 2. 332. a
Hæreſes noſtri temporis iam olim ab Eccleſia damnatæ ſunt, to. 2. 335. b
Hæreſes nuper natas ex Diabolo eſſe conuincit dogmatum diſcordia. ibid.
Hæreticorũ recentiũ cum priſcis collatio, t. 2. 344. a
Hæreticorum pertinaciæ quæ cauſa, to. 2. 348. b
Hæretici quod docẽt credunt & ſentiũt, to. 2. 349. b
cum Hæreticis noſtri temporis concordiȩ incundȩ ſpes nulla, to. 2. 350. b
cum Hȩreticis noſtris fruſtra diſputatur, to. 2. 350. a
Hæretici ſcripturas cumulatiſſime allegant, to. 2. 364. a
ad Hæreſes tollendas verum & idoneum remedium to. 2. 356. b. Aliud Theodoſij ad concordiam cum hæreticis incundam, to. 2. 351. b
cum Hæreticis concordia ineundæ ratio Eraſmi Roter. to. 2. 354 b. eiuſdem refutatio. ibidem
Hæreticus quomodo priuatim admonendus & ſanandus, to. 2. 358. a
ab Hæreticis ſeductus ſed nondum in errore pertinax quomodo ſanandus. ibid. b
Hæreſes noſtri temporis de vtroq; magiſtratu, to. 2. 363. b
Hæretici moderni licet diuerſi aduerſiq;, tamen cõueniunt in pontificis poteſtate impugnanda, to. 2. 364. a
Hiſtoria cuiuſdã mulieris ad martyriũ vltrò properantis & puerulum ſuum trahentis, to. 2. 326.
Hierarchia Eccleſiaſtica & argumentorum contra hanc refutatio, to. 2. 361. b
Hoc facite in meã &c. hinc non certò conſtat an Eucharistia ſub vtraq; ſpecie cõſecrari, itẽ an ſub vtraq; ſpecie celebrans communicare debeat, to. 2. 232. b
Hoc, quid demonſtret in cõſecratione corporis Domini, to. 2. 168. b. & 205. b
Hoc facite &c. ſunt verba inſtitutionis Euchariſtiȩ to. 2. 215. a & b
Homo dupliciter Deo debitor efficitur, to. 1. 157. b
Homo facultatem habet acceptandi ac refutãdi ea quæ per intellectum proponuntur, to. 1. 183. a & ſeq. Cuius facultatis radix eſt intellectus indeterminatio. ibidem
Homo idem rectus ſecundum mentem & obliquus ſecundum carnem, to. 2 16. a
Homo omnis eſt vel bonus vel malus, ſed non omnia hominum opera ſunt bona vel mala, ſed quȩdam media, to. 2 107. b

I.

IN Iacob & Eſau deſignantur in ſcripturis oẽs electi & omnes reprobi, to. 2. 5. a
Ex ignorantia vel impotẽtia agere differt ab eo quod eſt ignoranter vel impotenter agere, t. 1. 205. b
Impotentia credendi vel ſe cõuertendi ſi nullo modo ſit volita propria voluntate ſemper excuſat, to. 1. 204. b
Impotentia vel ex peccato Adæ cõtrahitur vel propriam ſequitur voluntatẽ: prima non imputatur nec eius effectus ſine propria voluntate. ibid.
Impedimenta matrimonij duplicia, impedientia, & dirimentia, to. 2. 304. a
Imperator ſi catholicus ſit, filius eſt Eccleſiæ non præpoſitus, to. 2. 339. a
Infantes propriam habere fidem alioquin non eſſe baptizandos vult Lutherus, to. 2. 345. a. id abſq; argumentis docet. ibid. b
Intellect⁹ indeterminatio radix eſt eligẽdi, t. 1. 183. a
Intellectus plerunq; in iudicando ſubeſt affectioni voluntatis. ibid. b
idem Intellectus eſt principium omniũ cognitionũ etiam earum quæ diuina reuelatione habentur to. 1. 190. a. latius 192. a
Interdictum & ceſſatio à diuinis ob quam cauſam fiat, to. 2. 494. a
Iohan. Brent. contra Luth. & Bucer. de gradibus affinitatis & conſanguinitatis, to. 2. 318. a
Iohan. Brentius docet gradus affinitatis & conſanguinitatis petendos à natura & legibus Romanis, to. 2. 320. a
Iouinianus ipſe celebs virgines nubere fecit, to. 2. 230. a
Iudicij diuini duo genera, vindictȩ & caſtigationis, quæ ſola ratione differunt, to. 1. 182. b. & ſeq.
Iudiciũ intellectus quantã habeat vim, to. 2. 348. b
Iudicij Præpoſitis Eccleſiæ dati ordo, to. 2. 367. b
Iuramenti ratio completur quando aliquid affirmatur ſub atteſtatione nominis diuini, tom. 2. 385. b
Iuramentum ſub atteſtatione nominis diuini etiã abſq; intentione obligat. ibidem
Iuramentum Imperatoris Romani, to 2. 368.
Iuriſdictionis poteſtas an iure diuino ſoli papæ, an omni ſacerdoti competat, to. 1. 87. b
Iuſtitia quadruplex, to. 1. 70. b. & to. 2

In Iuſtis eadē eſt potentia propinqua operandi quę fuit in Adam ante peccatum, ſed non eadē potentia perſeuerandi, to. 1. 202.a
Iuſtis duobus ſimiliter à Deo adiutis fieri poteſt vt vnus perſeueret & non alius, to. 203.a
Iuſtificationis cauſæ quæ ſint, to. 2. 28.b
Iuſtificatio impij quomodo ſit gratuita, to 2. 10.a
Iuſtificationē cōſiſtere in ſola remiſſione peccatorum aut imputatione iuſtitiæ Chriſti hæreticū, to. 2. 13.b
Iuſtificationis noſtræ formalis & vnica cauſa eſt iuſtitia Dei, qua nos iuſtos facit, to. 2. 12.b
ad iuſtificationem requiritur pœnitentia formalis to. 2. 8.b
Iuſtificatio hominis eſt multo maius beneficium quam Angelorum vel Adæ, to. 2. 6.a
Iuſtificatio impij ex fidei operib⁹ diſpoſitiuè & nō per modum meriti, to. 2. 3.b
Iuſtificamur in Chriſto effectiuè per eius meritū, victimam, &c. to. 2. 25.a
Iuſtificari ſignificat etiam iuſtum pronunciari, to. 2. 20.b
Iuſtificamur gratis, to. 2. 10.a
Iuſtificationis impij quomodo nūc fides, nunc pœnitentia ſit principaliot cauſa, to. 2. 9.a
Iuſtificari etiam dicitur homo qui in iuſtitia creſcit, to. 2. 1.a
Iuſtificationis effectus quis. ibid.b
Iuſtum eſt quod rectum, adæquatum, & ſuę regulę eſt reſpondens. ibidem
Iuſtitia quam ſcripturæ commendant, nō eſt iuſtitia operum, to. 2. 2.a
Iuſtitia legis variè à Paulo in epiſtolis nominatur, to. 2. ibidem
Iuſtitia legis eadem apud Paulum eū morali philoſophorum iuſtitia. ibidem.b
Iuſtitia fidei eadem cum iuſtitia operū ex fide profectorum, to. 2. 4.a
Iuſtitia quam Paulus tribuit fidei aſſcribit Iacob⁹ operibus. ibidem
Iuſtitia legis eadem cum iuſtitia ex operib. to. 2. 2.b
Iuſtitia fidei quare ſola vocetur iuſtitia Dei, to. 2. 3.a
Iuſtitia fidei ſola diſcernit filium à ſeruo. ibid.
Iuſtitiæ augmentum eſt ex operibus fidei vt ex merito, to. 2. 4.a
Iuſtitia vel fides nuſquā in ſcripturis vocatur merces, to. 2. 3.a
ad Iuſtitiam primam neceſſaria eſt fides propitiationis, ad ſecundā fides remunerationis, to. 2. 4.b
Iuſtitia fidei triplex, habitualis, acquiſita & actualis, to. 2. 8.a
Iuſtitia qua iuſti ſumus eſt qualitas meriti inherēs & intrinſeca, to. 2. 10.b
Iuſtitia eadem, eadē vita, & idem ſpiritus per Chriſtum nobis reſtituuntur, quæ Adam ſibi intrinſecè peccando perdidit, to. 2. 11.b
per Iuſtitiam fidei ſumus naturæ diuinæ cōſortes ſicuti ferrum candens habet ignis conſortium, to. 2. 12. & ſeq.
Iuſtitia moralis infuſa pars iuſtitiæ fidei, to. 2. 12.b
Iuſtitia noſtra etſi non ſit perfecta, eſt tamen vera, to. 2. 13.b. & ſeq.
Iuſtitia omnis impletur impletis præceptis de diligendo Deo & proximo. ibid.
ſecundum Iuſtitiam operum fiet retributio mercedis æternæ, to 2. 7.b
Iuſtitia noſtra licet imperfecta, ferri poteſt ſeuerū Dei iudicium, to. 2. 17.b
Iuſtitia noſtra impura eſt propter coexiſtentiā maculatū quę ſunt in operationib. animę, to. 2 19.a
Iuſtitia Chriſti participatio eſt iuſtitię Dei, t. 2. 20.a
Iuſtitia noſtra recta eſt, ſi non conſentiamus peccato, licet non pura, to 2. 14.b
Iuſtitiam in Adam per pœnitentiā reparatā fuiſſe auctiorem & intenſiorem, quam ante lapſum, veriſimile eſt, to. 2. 15.a
Iuſtitia fidei nō conſiſtit in actionibus, ſed habet ſe per modum habitus ſeu ſtatus, to. 2. 22.a
Iuſtitia Chriſti hominis creata, nec per eſſentiam iuſtitia, to. 2. 26.a
Iuſtitia Chriſti iuſtos nos eſſe quatuor modis intelligitur, ibid. & ſeq.
Iuſtitia & nouitas mentis eſt prior natura adoptione, to. 2. 28.a
Iuſtitia legis, & iuſtitia in lege, ex lege & per legem quomodo differant apud Paulum, to. 2. 70.a
Iuſtitia diſtributiua tantum, & non commutatiua locum habet in Chriſto, to. 2. 121.b
Iuſtorum opera verè Deo placere & mereri vitam æternam, to. 2. 129.b
Iuſtus licet de præmio certus, non eſt tamen certus de perſeuerantia, & ideo nunquam eſt ſecurus de ſalute, to. 2. 77.a
Iuſti quomodo efficimur & ſumus, to. 2. 377.a
Iuſti quomodo nihil habentes & omnia poſſidentes, to. 2. 395.a
Ius naturale & diuinū ſemper manet idē. to. 2. 390.a
pro Iuribus multa habentur quæ ſi examinetur iniuriæ & oppreſſiones erunt, to. 2. 392.b

L.

Laici quia non poſſunt facere, id eſt, conſecrare, non poſſunt etiam bibere ſanguinē Chriſti, to. 2. 221.b
Leo primus quare præceperit ſub vtraq; ſpecie cōmunicari, to. 2. 218.b
Lex Dei eſt charitas cui prudentia carnis ſubijci nequit, to. 1. 243.b
Lex non violatur quamdiu finis legis non excluditur, to. 2. 22.a
Lex quando dicenda rationabilis, to 2. 389.b
Lex quando abrogari poteſt. ibidem
Lex abrogatur multipliciter, to. 2. 390.a
Legem tranſgreditur qui loquitur verbū otioſum aut iocoſè mentitur, to 2. 23.b
Leges Leuitici de gradibus affinitatis & cōſanguinitatis abrogatæ, to. 2. 306.a
Leges & Canones in Repub. Chriſtiana neceſſarij, to. 2. 306.a
Legem obligantem nemo ſibi ipſi imponere poteſt, to. 2. 385.a
Legis definitio, to. 2. 386.a
Leges facto ne an verbo ferantur, parum refert, dūmodo ſufficienter conſtet de mente legiſlatoris, to. 2. 387.b
Legis vtilitate ceſſante, ceſſat eiuſdem vis obligatoria, to. 2. 389.b
Liberum arbitrium quid ſit & quod ſit in homine, to. 1. 181.a
Liberum arbitriū à Deo neceſſitari poteſt nō cogi: cōmuniter tamē ab eo mouetur iuxta naturam ſuam, id eſt contingenter. ibidem
Libertas ad velle & non velle, naturaliter ſequitur omnem naturam intellectiuam, to. 1. 184.b
Libertas arbitrij in quo per ſe conſiſtat, to. 1. 185.a
Liberi arbitrij quatuor ſtatus in homine. ibid.
ſuper Libertate a neceſſitate ineuitabilis inclinationis, eſt & ſemper fuit nobis altercatio cum hęreticis, to. 1. 185.a
Liberum arbitrium effectiuè ſe habet ad opera iuſtitiæ, to. 1. 189.b
poſt Liberi arbitrij primū velle ſic in ipſo agit Deus vt illud etiam liberè cogat quod vix poteſt intelligi, to. 1. 190.a
Liberum arb. nihil poteſt agere niſi Deo primum mouente & ſequente, to. 1. 191. & ſeq.
Libero arbitrio poteſt homo illuminatus à Deo pœnitere, to. 1. 192.a
Liberi arb. quæ ſint partes, to. 1. 193.a
Liberum eſt iuſto nō acquieſcere tentationi, ſimiliter peccatori præuento Dei vocatione. ibidem.b
Libertatem arbitrij concernentes variæ ponuntur propoſitiones, to. 1. 194.b. & ſeq.
Liberum non eſt arb. circa ea in quib. nullū aut determinatum tantū poteſt eſſe iudiciū, to. 1. 203.b
Liberum arbitrium in triplicibus rebus operatur in homine, to. 1. 217.b
Lib. arb. improbāt Luth. to. 225. a. Melanch. ibid. b. & ſeq. Caluin. 231. a. pro lib. arb. poſtea ſcripſit Melanch. cōtra ea quæ prius ſcripſerat, to. 1. 226.b
Liberè gratiā recipimus ſed nō niſi à Deo t. 1. 296.a
Libero ſoli arbit. tribuitur bonū pro malo eligere, quamuis libera & ſancta electio ſit à Deo. ibid.

libertatem arb. non ſtatim concedit quiſquis ſpontaneitatem admittit to. 1. 185.a
libertatem per gratiam haberi dicit Auguſtinus, vocat facultatem iuſte viuendi ac perſeuerandi, to. 1. 251.a
liberi arbitrij corruptio quomodo ſit ſimilis curuitati tibiæ, to. 2. 106.b
Lutheri obiectiones contra numerum Sacramentorum, to. 1. 13.a. contra contritionem, to. 1. 116 & ſeq.
libertas carnis, quam hæretici noſtri prædicant, graphicè deſcribitur, to. 2. 331.b
lutheranicæ ſcholæ pictura luculenta, to. 2. 329.b
lutheri graphica deſcriptio. ibid.
lutheri cum propria conſcientia lucta, tomo. 2. pag. 349.b
lutheranorum obſtinata cæcitas in colloquijs non nullis oſtenſa to. 2. 350.a
lutheranicæ calamitatis cauſæ nonnullæ aperiuntur, to. 2. 359.a. & ſeq.

M.

MAgdalena & ſimiles quibus Chriſtus in perſona remiſit peccata, obligabantur credere ſe eſſe à peccatis liberatos, to. 2. pag. 78.a
Maledictiones veteris teſtamenti & leges, primo reſpiciunt mala temporalia to. 2. 24.a
Maledictio apud Paulum eſt reatus ſupplicij futuri ſeculi. ibid.
Mali miniſtri etiam notorij non minuunt efficaciam ſacramentorum, to 1. 5.b
Mali in extremo iudicio infra condignum punien rur, & iuſti intra condignum præmiabuntur, to. 2. 122.a
Mariam dicendum eſſe matrem Dei non Chriſti decreuit Concilium Ephesi. contra hæreſin Neſtorianam, to. 2. 224.b
Maritus typus eſt Chriſti & Vxor Eccleſiæ, tom. 2. pag. 274.b
Martinus Bucerus docet matrimonium per magiſtratum ſecularem ſolui debere, to 2. 286.a
Martinus Bucer. damnat cœlibatum & virginitatē tom. 2. 237.a
Martinus Buc. profeſſus ordinem & regulam prædicatorum, vnde apoſtatauit, to. 2. 237.b
Martinus Lutherus mauult plures ſimul haberi vxores. quam priori dimiſſa aliam duci, tom. 2. pag. 299.b
Martinus Lutherus vult hominem diuortio ſeparatum aliud inire matrimonium, to. 2. 300.a
Martinus Lutherus aperte aſſerit eum mentiri qui dicit ſe continere non poſſe: ibidem tamen multis affirmat impoſſibile eſſe continere, tom. 2. pag. 302.a
Martinus Lutherus fatetur ſe hæc verba: Hoc eſt corpus meum, non potuiſſe à ſua ſignificatione detorquere, to. 2. 170.a
Martinus Lutherus docet ſimul cum corpore & ſanguine Chriſti manere panem & vinum, tom. 2. 186.a
Martyrium requirere formalem peccatorum diſpicentiam probabile eſt, to. 1. 113.b
Matrimonij ſacramentum vbi tradatur, to. 1. 2.a
Matrimonium eſſe ſacramentum nouæ legis gratiam conferens, to. 2 274.a
Matrimonium eſſe indiſſolubile ex ſua inſtitutione, to. 2. 272.b
Matrimonium eſſe indiſſolubile ex ſignificatione coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, to. 2. 274.a
Matrimonij ſacrament. gratiam confert ex opere operato. ibid.
In matrimonio requirit Paulus ſpiritualem & gratuitum amorem non qualemcunq;. Ibidem. b
Matrimonij officium quod eſt gratiæ naturæ vires excedit. ibid.
Matrimonium nouæ legis tranſlatum in ordinem ſpiritualium quale non fuit in veteri lege, to. 2. 275.a
Matrimonium veteris legis non fuiſſe ſacramentū magnum in Chriſto & Eccleſia. ibid.b
Matrimonium ſignificat duplicem cōiunctionem Dei videlicet cum anima iuſta & Chriſti cum Eccleſia. ibid.
Matrimonium etiam non conſummatum indiſſolubile propter ſuam ſignificationem, tom. 2. 276.b
Matrimonium ratum & iam non conſummatum non poſſe à Papa per diſpenſationem diſſolui, tom. 2. 277.a
Matrimonij indiſſolubilitas magis ex ratione Sacramenti, quam ex inſtitutione, to. 2. 278.b
Matrimonium nō ſolui per ſuſceptionem ordinis ſacri ſicut per profeſſionem religionis approbatæ, to. 2. 280.b
Matrimonium non conſummatum ſolui, altero coniugum ad religionem conuerſo, to. 2. 280.a
Matrimonium catechumenorum ſi alter baptizetur & alter nolit cohabitare ſicut oportet ſoluitur, to. 2. 281.b
Matrimonij plures fines, to. 2. 299.a
Matrimonium infidelium eſt ſacramentum verū ſed non ratum, to. 2. 301.b
Matrimonia contra canones ipſa dirimentes contracta, irrita & nulla, to. 2. 304.a
Matrimonij impedimenta ipſum inualidantia & irritantia. ibidem.b
Matrimonium pluribus ex cauſis impeditur, quam alia ſacramenta. to. 2. 305.a
Matrimonialis contractus ſubeſt poteſtati Eccleſiaſticæ & ſeculari to 2. 206.b
Matrimonia quare ratione conſanguinitatis aut affinitatis prohibeantur, to. 2. 307.b
Matrimonia olim prohibita vſq; ad ſeptimū gradum cōſanguinitatis & affinitatis, ſed poſtea reuocati hi Canones, to 2. 308
ad matrimonium ſufficit ſolus conſenſus contrahentium, to. 2. 309.b
Matrimonīi inuitis parentibus, & clandeſtinè contrahere differunt, to. 2. 310.a
Matrimonij contractus clandeſtinus ſine teſtibus factus obligat in conſcientia, & dirimit matrimonium quod ſubſequitur. ibid.
ad matrimonium contrahendum ſupplet malitia ætatem minorem, to. 2. 311.b
Matrimonium cōtrahere poteſt quis ante annum ætatis ſuæ 15. ſed non poſſet tum religionē profiteri, etiam ſi plenum rationis vſum habeat. ibidem.
Matrimonium contractum tali dolo qui excludit intentionem contrahendi, nullum eſt. Alius vero dolus matrimonium non facit irritum, to. 2.
Melanchthon damnat omnem vitæ auſteritatem ſponte aſſumptam quod tamen eſt contra ſcripturam, to. 1. 173.a & b
Melanchthon retractat quæ ſcripſerat aduerſus liberum arbitrium, to. 1. 226.& ſeq.
Melanchthon prima fidei noſtræ fundamenta impugnat, to. 2. 336.a
de Merito bonorum operum doctrina catholica, to. 2. 377.a
Motus primi à concupiſcentia cauſati nō ſunt peccata, to. 1. 35.a. huius ratio, 203.b

N.

NAturali lumine poteſt homo bona opera facere, licet non talia quę ſunt pietatis, to. 1. 186.b. & ſeq.
Naturæ ductu potuerunt Ethnici nō ſolum Deum cognoſcere, ſed & glorificare. ibid.
Neceſſitas inferri non poteſt ex inſeparabilitate, aut indeclinabilitate, vt patet in Deo, tom. 2. 245.a
Nectarij factum circa confeſſionem ſacramentalem, to. 1. 137.a.& ſeq.
Nemo eſt ita ſceleratus qui amiſerit naturale lumen rationis, to. 2. 100.a
Neſtorius fatetur Mariam eſſe Chriſti matrem ſed non Dei, to. 2. 224.b

Neutra-

Neutrales,qui nec cum Eccleſia catholica nec contra ſentiunt, hoſtes ſunt Eccleſiæ. to.2. 334.a.

Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, &c. Cyprian. Innocen. & Auguſtin. docent etiam infantibus applicari. tom.2. 245. b.

Nouatiani damnati quod ſacramentum pœnitentiæ negarent. tom.1. 83.a.

Nouatus quid circa pœnitentiam reliquerit & quid damnauerit. tom. 1. 139.a.

O.

Obedientiam longè maiorē debet monachus Abbati,quam filius patri aut diſcipulus magiſtro.tom. 2. 315 a.

Obligandi ſeipſum intentio non obligat ſine iuramento aut voto.tom.2. 115 b.

Obligandi intentio nihil facit adiuramentum vel votum. Ibidem.

Obliquitas in homine,quomodo ſit recta & iuſta. tom.2. 16.b.

Opera ſupererogationis Deo grata ſunt contra Melanchthon.tom.1. 173 a & ſeq.& 177.b.

Opera pietatis, vt opera,vel vt libera,fiunt à libero arbitrio:vt autem pietatis opera, fiunt à gratia to.1. 200.a.

Opus ſalutis totum eſt à Deo,& totum à libero arbitrio contra Caluinum.tom. 1. 243.a.

Opera fidei potiſſima tom.2. 3 a.

Opera iuſtitiæ fidei ſunt opera Chriſti per nos tanquam membra ſua operantis,quę propterea Deo patri placent. Ibidem.

Opera iuſtorum in Chriſto facta eſſe peccata blaſphemum tom. 2 17.b.

Opera bona non mereri vitam æternam tanquam mercedem, hæreticum.tom.2. 85 b.

Opera bona homines non ſolùm operantur, ſed & benè ea operantur,tom. 2. 99.a.

Opera bona non omnia merentur retributionem. tom. 2. 100.a.

Opera bona,quomodo perfecta,& quomodo imperfecta.tom. 2. 117 a.

Opera omnia eſſe præcepti & nulla ſupererogationis, hæreticum. tom.2. 136.b.

Opera bona non omnia fiunt ex ſpiritu fidei & charitatis.tom.2. 100.a.

Opera noſtra ſicut & verba loquuntur. tom.2. 187.

Opinamur etiam, quæ ſunt fidei, ſi non habeamus rationem verbi Dei.tom.2. 37.a.

Oratio fidei quæ intelligatur apud Iacobum,cùm dicit Oratio fidei ſaluabit infirmum to. 2. 148 b.

Ordo quo hoc libro tractantur articuli. tom 1. 1.a.

Ordo Sacramentum & eius officia vbi tradatur. to.1. 2.a.

Ordo in conuerſione peccatoris tom 1. 115.b.

Ordinis miniſter ſolus Epiſcopus. tom.2. 264.b.

Ordinis materia,forma & effectus. tom. 2. 268.a.

Ordo ſola manuum impoſitione ab Apoſtolis conferebatur ſine verbis in ſcriptura expreſſis.Ibid. b

Ad Originalis deletionem ſemper neceſſarium fuit aliquod Sacramentum. tom.1. 29 a.

Originale malum Zuinglio eſt morbus non peccatum:Pelagio verò natura eſt.tom.1. 36 b 37.a.

Originales peccati acceptiones apud catholicos.to.1. 37.b.

Originale peccatum Guilhelmo Pariſienſi duobus modis accipitur. Ibidem.

Originalis peccati materiale & formale iuxta B. Thomam.tom.1 40 a.

Originale peccatū minus eſt minimo veniali.Ibi b.

Originale an propriè peccatum.tom.1 36.b.

Originale peccatum quomodo ſit proprij nominis peccatum.tom.1. 41.a. & 44.a. Et quod non ſit propriè peccatum. tom. 1. 45.a.

Originali peccato ſumus peccatores,non qualis erat Adam tranſgrediendo, ſed qualis permanſit poſt tranſgreſſionē,& quomodo. to.1. 42 a.

Originale peccatum propriè non eſt concupiſcentia, ſed auerſio mentis à Deo cum inordinata cōuerſione.tom.1. 43 b. & ſeq & 45 a.

P.

Pacem cur Deus dederit Carolo quinto annos 1.tom.2. 378. b.

Papa an poſſit errare. tom. 2. 319.b.& ſeq.

Papa controuerſiarum iudex.tom.2. 337.a.

Papa ſtatuta & conſuetudines reuocare & irritare poteſt & cur. tom.2. 317. b.

Papa eſt vniuerſalis ſuperior tom. 2. Ibidem.

Papa quam poteſtatem habeat in bona Eccleſiaſtica.tom.2. 390.b.

Papæ ſub ectos eſſe oportere omnes Chriſtianos tom.2. 301.a.

Vide Pontifex.

Paruulis & adultis ſubita morte præuentis retribuenda merces ſecundum merita Chriſti. to. 2. 8.a.

Paruuli quomodo dicantur præuaricatores legis, tom.1. 42.a.

in Paruulis quomodo dicat Augu. eſſe pœnæ meritum.tom.1. 43. b.

Paruuli ſaluari nequeunt ſine baptiſmo contra Caluinum, Zuinglium, Bullingerum,& Bucerum.to.1. 49.b.

Vide Originale concupiſcentia, & Baptiſmus.

Paruuli ſine baptiſmo diſcedentes nulla fide, voto vel benedictione parentum ſaluari poſſunt. to.1. 54. & ſeq.

Paruulis quam fidem tribuat Lutherus cum ſuis,vt in ſacramento iuſtificentur.tom.1. 55.b.

Paſſionis Chriſti efficaciam,tam in baptiſmo,quàm in pœnitentia quiſque ſuſcipit ſecundum ſuam diſpoſitionem & pœnitentiam. to.1. 167.a.

Pater cæleſtis non remittit peccata, niſi reſpiciendo in faciem filij ſui.tom.2. 7.b.

Patrueles & conſobrini iuſtiſſimè à matrimonio prohibiti. tom. 2. 317.b.

Paulum habuiſſe perfectiorem fidem, ſpem & charitatem,quam Adam ante peccatum .to.2. 74 a.

Paulum in mundo adhuc exiſtentem habuiſſe maiorem charitatem & iuſtitiam,quàm multos ſanctos in cælis.tom.2. 15. a.

Paulus docens hominem ex fide & non ex operibus iuſtificari quomodo non aduerſetur D. Iacobo, qui docet Abrahamum ex operibus iuſtificatum. tom 2. pag 3.b.

Paulus in epiſtolis opponit gratiæ & fidei opera noſtra & opera legis. tom. 2 7.b.

Pauli locus,Omnes qui piè volunt viuere, &c.exeutitur.tom.2. 196. a.

Peccata non ſunt primi motus cauſati à concupiſcētia.tom.1. 35. a.

Peccata omnia & eorum reatus plenè tolluntur in baptiſmo.tom.1. 34.b.

Vide baptiſmus & Originale.

Peccatum eſſe eadem res nunc dicitur,nunc non peccatum,quod Caluinus non aduertit.tom.1.66 b.

Peccatum ſæpius non contritione, ſed abſolutione deletur tom.1. 84.b.

Peccata retinere,non propriè pertinet ad ſacramentum, ſed tantum remittere.tom.1. 83. a.& 84.a.

Peccati imperfecta diſplicentia varijs modis contingit.tom.1. 100.a.

Peccatum vnum non poteſt ſine alio remitti, ſeu retineri, & ideo ſingula ſunt cōfitenda.t.1.123.a.b.
Peccata nō eſt neceſſe ſcribere, ne obliuiſcamur, ad confitendum. tom.1. 130.a.
Peccata venialia confiteri non eſt opus. Ibidem.b.
Peccatorum recogitatio magis requiritur ad conterendum, quam ad confitendum. Ibid.a.
Peccati præteriti nunquam debemus obliuiſci exemplo Dauid tom.1. 147.a.
Peccato variæ pœnę diuerſimodè reſpondēt.t.1.156.a.
Peccatorum remiſſio fit gratis, ad quā tamen aliquid conferre debemus.tom.1. 165.a.
Peccatorum remiſſio aliud eſt quàm reconciliatio, quā ſolius Chriſti merito aſſequimur. to.1 166.b.
Peccati remiſſi quomodo dicatur Dominus non recordari, & quomodo recordari, & ſic de ſimilibus locutionibus.tom.1. 168.a.
Peccatorum debet eſſe acerba punitio, etiam vltronea, & horum dantur exempla. tom.1. 171.b.
Sine peccato nemo viuit, benè tamen ſine crimine. tom.1. 178 b.
Peccatum non eſt, nec virtus, quod ex neceſſitate eſt. tom.1. 182.a.
Peccatum non eſt non conuerti, quando non poteſt quis habere gratiam qua conuertatur: ſicut non credere cùm nō poteſt, quia non habet à quo audiat Euangelium.tom.1. 203.b.
Peccandi neceſſitas, quæ eſt ex noſtra infirmitate ponitur ineuitabili quo ad vniuerſa non quo ad ſingula tom 1. 204.a b.
Ad Peccatum imputari non poteſt, quod non eſt ex propria voluntate, vel in propria poteſtate. Ibidem.b.
Ad Peccatum quid non ſufficiat & quid requiratur. tom.1. 239.b.
Peccatorū remiſſio natura prior iuſtificatione. to.2. 34.a.
Peccatum eſſe quidquid ante fidei ſacramentum ſuſceptum ſalſum eſt.tom.2. 69.a.
Peccati mortalis & venialis vnde ſumenda diſtinctio. tom.2. 112.b.
Peccata mortalia aliquando per confirmationem remittuntur tom.2. 145.
Peccatum originale, & iuſtitia fidei, an ſint in eſſentia animæ an in voluntate.tom.2. 12.b.
Ad Perſeuerandum non ad operandum eget homo alio auxilio Dei, quàm præuia immiſſione pij affectus ad bonum.tom.1. 202.b.
Perſecutiones Eccleſiæ decem. tom. 2. 325.b.
Pertinaciæ hæreticorum cauſæ. tom. 2. 348.b.
Petrus cur potius Chriſti vicarius electus, quam Ioannes.tom.2. 354 a.
Perfectio iuſtitiæ multiplex.tom.2. 71.a.
Perfectio charitatis quæ à nobis in hac vita requiratur.tom.2. 128.a.
Perfectio iuſtitiæ in hac vita magis conſtat remiſſione peccatorum, quam perfectione virtutum.to.2. 133.b.
Petrus Dreſenſis primus auctor communionis ſub vtraque ſpecie in Bohœmia. tom.2. 220. b.
Philippus Melanchthon damnat, dicentes ſacramenta ex opere operato gratiam conferre. tomo 1. 10 b.
Philippus Melanch. Cotolſtadium vituperat.tom.2. 177.b.
Pighij & Catharini error de peccato Originali excuſatur.tom.1. 44.b.
Plerophoria non vnicam habet in ſcripturis ſignificationem.tom.2. 49.b
Pœnæ variæ manent hic & in futuro ſæculo dimiſſo peccato. tom 1. 145.a
Pœna in futuro ſæculo debita differt ab ea, quam Deus in præſenti ob peccatum infligit.tomo 1. 150.a.
Pœnam dimiſſa culpa nunc remitti nunc remanere. Ibidem. b. & ſeq.
Pœna poſt remiſſam culpam qualis maneat tom.1. 155.b. & ſeq.
Pœnæ variæ reſpondent peccato.tom.1: 156 a.
Pœnæ diuturnitas & acerbitas cui reſpondeant. Ibi.
Pœna futura commutatur in præſentem, per ſacerdotem virtute clauium. Ibidem.
Pœnæ non à ſacerdote impoſitæ, ſed vltro aſſumptæ.non ſunt propriè ſatisfactio, ſed compenſatio vel redemptio Ibidem.b.
Pœnæ noſtræ an poſſint eſſe ſatisfactoriæ pro culpa & pœna æterna. Ibidem.& ſeq.
Pœnitentiæ ſacramentum & eius efficacia.to.1. 1.b. & vbi ſit a Chriſto inſtitutum.tom 1. 83.a.
Pœnitentia quid ſit & quod donum Dei eſt. tom.1. 82. a b & quod dicitur reſipiſcentia. Ibidem.
Pœnitentia an diſtinguatur à fide & amore Dei, vel à conuerſione ad Deum. Ibid.
Pœnitentię propriè ſacramentum eſt. tom.1. 83 a.
Pœnitentia ſacramentum & item Ordinis, quoad ſecundarium eius actum iiſdem Chriſti verbis inſtitutum tom.1. 83.a.
Pœnitentiæ ſacramento verè remittuntur, non annumerantur remitti peccata. Ibidem b.
Pœnitentiæ & Baptiſmi idem eſt aliquis effectus. Ibidem.
Pœnitentiæ ſacramentum an verè fuerit in veteri lege tom.1. 84.a.
Pœnitens interdum nec Deum, nec creaturam, vt vltimum finem diligit. Ibidem.
Pœnitentiæ ſacramenti neceſſitas colligitur ex verbis Chriſti tom 1. 86.a.
Pœnitentia magis neceſſaria eſt, quam pœnitentiæ ſacramentum.tom.1. 89 b.& ſeq.
Pœnitentiæ ſacramentum neceſſarium eſt, non tantum neceſſitate finis, ſed & præcepti. tom.1.90.a.
Pœnitentiæ ſacramentum per modum iudicij exercetur, ideò partes habet ſimiles iudicio. Ibidem.
Pœnitentiæ partes quales ſint & quam neceſſariæ. Ibidem. & ſeq.
Pœnitentiæ partes ſumuntur ex fine, quæ eſt reconciliatio.tom 1. 91.a.
Pœnitentiæ partes ſunt quodam modo iuris naturalis.tom.1. 92.a.
Pœnitentiæ ſacramentum in quibus conſiſtat. to.1. 90.b & 96 a.
Pœnitentiæ cur ſecunda dicitur poſt naufragium tabula tom.1. 91 a.b.
Pœnitentiæ tres actiones iuxta Auguſtin. tomo 1. 95.a.
Pœnitentiæ ſacramento peculiare eſt, quod promittitur datio ſpiritusſancti, priuſquā poteſtas detur illud exercendi. tom. 1. 100.a.
Pœnitentia ab hæreticis dicitur ſequi remiſſionem peccatorum fide apprehenſam.tom.1. 101.a.b.
Pœnitentiæ partes quas ponunt hæretici to.1.102.a.
Pœnitentiæ pars aliqua quomodo poteſt non eſſe ſenſibilis.tom.1. 110.b.
Pœnitentia etiam futurum reſpicit.tom 1. 119.a.
Pœnitentiæ actus duo complectitur.tom.1. 120 a.
Pœnitentiam veram agere eſt difficilè. Ibidem.
In Pœnitentiæ foro inueniuntur quæ omni iudicio competunt.tom.1. 126.a.
Pœnitentiæ qui ſunt digni fructus. tom.1. 147.a.
Pœnitentiæ opera multiplicia.tom.1. 156.b & ſeq.
Pœnit. varij fructus pręcepti & nō pręcepti.t.1.174 b.

Pœnitentiam à ſacerdote impoſitam nolle acceptare an ſit peccatum & quale. tom. 1. 170. a.
Pœnitentiæ proprius effectus quis. tom. 2. 9. a.
Pœnitentiæ propria ratio quæ conſiſtit in odio peccati, non requirit fidem propitiationis. Ibid.
Pœnitentia, immediata cauſa remiſſionis peccatorum & iuſtificationis. Ibidem.
Pœnitentia vt complectitur propoſitum emendandi & ſpem veniæ, neceſſariò requirit fidem propitiationis. Ibidem.
Pœnitentia includit ſpem veniæ. Ibidem.
Pœnitentia eſt ex communi fide Catholica, ſpes veniæ ex fide propitiationis. Ibidem.
Per Pœnitentiam tanquam diſpoſitionem Deum inuitãtem, ſed ex Chriſti propitiatione tanquã merito iuſtificamur. Ibidem.
Pœnitentia vt talis non requirit propoſitum à peccatis poſthac abſtinendi, tamen contrarium eſt dicere ſecurius. Ibidem.
Pœnitens non ex pura patris cœleſtis gratia veniam peccatorum aſſequitur tom. 2. 7. a.
Pœnitens ex ſuis operibus Chriſti ſanguine aſperſus, veniam peccatorum aſſequitur. Ibid.
Pontificum Rom. ſucceſſio tempore Auguſt. tom. 1. 334. b.
Pontifici Rom. dicta ſunt, quæ D. Petro dicta ſunt. tom. 2. 339 a.
Pontifex Rom. an errare poſſit in controuerſiis fidei iudicandis ante annos 150. diſputari cœpit. to 2. 339. b.
Pontifex quænam adhibere debeat media, vt iudicium ſuum ſit infallibile tom. 2. 340 a.
Vide Papa.
Poſſumus aliquid agere ſine gratia, & non peccare. tom. 1. 217.
Ex Poteſtate cõſecrandi corpus Chriſti proficiſcuntur aliæ poteſtates alia ſacramenta adminiſtrandi aut ſunt eadem poteſtas. tom. 1. 131. a.
Poteſtas contrahendi matrimonium aut religionem profitendi, &c. naturalis eſt, & illo poteſt etiam ſeruus vti inuito Domino. tom. 2. 312 a
Poteſtas abſoluẽdi à peccatis iudiciaria eſt & falſum eſt eam in ſola Euangelij prædicatione conſiſtere. tom. 2. 272 a
Poteſtati ſeculari ſummam in Eccleſia rerum tribuentium argumenta eorundemque refutatio. to. 2. pagin. 346 & ſeq.
Poteſtati cuiuis legitimæ etiam Ethnicæ, cur Apoſt. parendum docuerint. tom 2. 165 b.
Poteſtates omnes ſeculares ſubeſſe præpoſitis Eccleſiæ tom. 2. 167 b.
Poteſtatis ſecularis finis. tom. 2. 380. a.
Poteſtatis Eccleſiaſticæ finis. Ibidem.
Poteſtas ſecularis & Eccleſiaſtica quibus finibus diſtinguantur. Ibidem.
Poteſtas ſecularis non poteſt præſcribere nec conſuetudine obtinere iuriſdictionem vel poteſtatẽ mere Eccleſiaſticam. tom. 2. 392. b.
Poteſtas ſecularis in diſpoſitione ſpiritualium nullũ miniſterium ſibi commiſſum habet. tom. 2. 394 a. nec conſuetudo ei aliquam dare poteſt. Ibidem.
Præceptum primũ de Dei dilectione, quo pacto præcipitur & impleri poteſt in hac vita. tom. 1. 67. & aliquot ſequent.
Præceptum idem eſt de confeſſione, de eius integritate & de examine conſcientiæ tom. 1. 130. a.
Ex Præceptis ſcripturæ ſacræ doctores concludunt voluntatis libertatem. tom 1.
Præceptum de diligendo Deo & proximo non perfectè hîc impletur. tom. 2. 13. b.
Prædeſtinatio quid ſit. tom. 1. 220 b.
De Prædeſtinatione & reprobatione videtur aliter loqui Auguſt. quàm alij doctores, quia diuerſimode iſta accipiunt. tom. 1. 225 a. b.
Prædeſtinatis omnib. ſemper procuratur audiendũ Euangelium ſecundum quod veniant to. 2. 6. a.
Presbyter in ſcripturis variã habet ſignificationem. tom. 2. 150. b.
Præſcium eſſe Deũ futurorum negauit Cicer. ne homini cogeretur adimere liberum arbitrium. to. 1. 182. b.
Præſentia corporalis Chriſti, apud Apoſtolos non impediebat ſpiritum ſanctum, ſed corporalis conuerſatio. tom. 2. 161.
Principes ſubeſſe, non præeſſe Epiſcopo. tom. 2. 361. b. contraria argumenta refutantur. Ibid. & ſeq.
Principum in Eccleſia locus & officium. tom. 2. 167 b.
Princeps ſecularis vel eccleſiaſticus non poteſt ſubditos priuare bonis ſuis. tom. 2. 384. a. vel ſi poſſit quando id locum habet.
Priuilegiũ, quo poſſit quis eligere quemuis ſacerdotẽ in ſuum confeſſarium improbatur. tom. 1. 131. a.
Promiſſio ſalutis quomodo ſit implicita conditione non innocentiæ, ſed operum. tom. 2. 33. a.
Promiſſionis fides quomodo non ruat, ſi operibus fulciri debeat. Ibidem.
De prouidentia Dei magna olim fuit controuerſia tom. 2. 378. a.
De Prouidentia Dei quæſtio meritò pios omnes exagitauit tom. 2. 369 b.

Q.

Qvicunque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, &c. quomodo intelligendũ. tom. 2. 23 a
Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, excepta cauſa fornicationis, &c. quomodo intelligenda exceptio. tom. 2. 293. b.
Quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt, quem habeat ſenſum. tom. 2. 108. b.

R.

Reatus quis ſit, quem idem dicit eſſe Auguſt. quod peccatum. tom. 1. 44. b.
Reconciliatur non ſolùm qui offendit, ſed qui offenſus eſt tom. 2. 396. b.
Redemptio Chriſti magis illuſtratur ex eo, quod etiam nos poſſumus ſatisfacere. to 1. 152. b & 177. b.
Reformatio neceſſaria in vtroque ſtatu. to. 2. 168. b.
Reformatio expectanda eſſet ex ſedula paſtorum reſidentia. tom. 2. 374. a.
De Reformatione Eccleſiæ memorabilis ſententia cuiuſdam Cardinalis. Ibidem
Reformationis normam circa ſingulos ſtatus præſcribit Ruardus. tom 2. 378. & aliquot ſequent.
Reformationis à quibuſdam aulicis conceptæ refutatio. tom. 2. 380. a & ſeq.
Regis & tyranni diuerſa officia. tom. 2. 132 b.
Religionis probatæ ingreſſus ſoluit matrimonium, non conſummatum. tom. 2. 281. b.
Religionis profeſſio valida etiam inuitis parentibus. tom. 2. 310. b.
Religionis profeſſio valida facta completa anno ætatis profitentis. Ibid.
Religionis profeſſio inuitis parentibus laudabilis, ſed contractus matrimonij inuitis parentibus culpabilis. tom. 2. 311. a.
Religioſæ mulieres crines olim reſecabant & velo & flammeo olim conſecrabantur. tomo ſecundo. 314. b.
Religionis ingreſſum improbat Eraſmus multis rationibus. tom. 2. 313. b.

Religionis

Religionis Chriſtianæ 3. principia. tom. 2. 336.a.
In Religionis negotio nihil immutandum aut conniuendum. tom. 2. 355.a
Religio quibus cauſis in Belgio lapſa. to. 2. 378.a.
Remedium ſiue diuortium Euangelicum ſolùm eſt ſeparatio, quoad thorum & cohabitationem. to. 2. 292.b.
Ad Remiſſionem peccati putant quidam ſolam peccati deteſtationem ſine vllo alio actu ſufficere. tom. 2. 5.b.
Rex & Magiſtratus tam Eccleſiaſticus, quàm ſecularis poteſtatem habet leges ferendi teſtimonio ſcripturæ. tom. 2. 305 b.

S.

SAcerdos actu abſoluendo frequenter remittit peccata. tom. 1. 118.
Sacerdotes quo ritu conſecrentur. tom. 1. 131.b.
Contra Sacerdotes & Epiſcopos a Magiſtratu inſtitutos: & quod non omnes Chriſtiani æqualiter ſint Sacerdotes. tom. 1. 132.a. & ſeq.
Sacerdotium nouæ legis à Chriſto inſtitut. tom. 2. 270.a.
Sacerdotium propriè conſiſtit in conſecrandi, remittendi, retinendique peccata poteſtate. Ibidem.
Sacerdotium duplex in ſcripturis, ſicut & duplex regnum tom. 2. 265.b.
Sacramentorum in genere numerus, auctor, & miniſtri. tom. 1. 1.a.
Sacramenta quid ſint, & quod eis tranſeuntibus maneat eorum effectus. Ibid.
Sacramenti vocabulum quare aſſumpſerit Eccleſia, & quam ſacrum ſit habitum, licet Zuinglio inuiſum. Ibidem.b.
Sacramentorum ſingulorum efficacia vbi tradatur. Ibidem. & ſeq.
Sacramentorum inſtitutio ab eo eſt, à quo ipſorum efficacia tom. 1. 2.b & ſeq.
Sacramentorum inſtitutionem quo ad ſignificationem & efficaciam, potuit Chriſtus conferre miniſtris, ſed non fecit. Ibidem.
Sacramentorum inſtitutionem, quo ad materiam & formam, an Chriſtus alijs contulerit, & an ipſa Sacramenta per alios inſtituerit. Ibid. & ſeq.
Sacramenta ſingula in quibus conſiſtant to. 1. 3.a.
Sacramenta characterem imprimentia & irreiterabilia. Ibid. b.
Sacramentorum numerus vnde habeatur. to. 1. Ibid.
Sacramentorum certitudo & de ſingulis comprobatio. tom. 1. 4.a. b.
Sacramenta quare in externis rebus ac verbis inſtituta. Ibidem.b.
Sacramenta gratiam ex opere operato conferre quid ſit. tom. 1. 5.a. & ſeq 10.a.
Sacramento nihil accedit aut decedit ex miniſtri vita, quamdiu ab Eccleſia toleratur. tom. 1. pag 5.a. & aliquot ſequent.
Sacramenta ſuſcipiens à malis miniſtris, quando dicitur ponere obicem, tom 1. 6.b.
De Sacramentis 12 Canones Côcil. Tridentini. to. 1. Ibidem.
Sacramentorum vſus non eſt, vt ſint ſigna voluntatis Dei erga nos, ad excitandam fidem; ſed vt operentur & ſignificent ſalutares effectus. to. 1. 7. b.
Sacramenti ratio & definitio ſecundum hæreticos. tom. 1. 8.a. & 12.a.
Sacramentorum & Euangelij eundem ponût vſum hæretici, contra Paulum. tom. 1. 8 b.
Sacramenta non opus eſt adminiſtrari vulgari idiomate, cùm habeant effectum, etiam in non intelligentibus. tom. 1. 9.a.
Sacramentorum diuerſorum, ſicut varij ſunt effectus, ita diuerſæ ad ea debent eſſe præparationes. Ibid.b.
Sacramentum tam baptiſmi, quàm pœnitentiæ Eccleſia tribuit interdum non intelligentibus. tom. 1. 10.b.
Sacramentorum numerus ac varij modi accipiuntur apud hæreticos. tom. 1. 13 b. & ſeq.
Sacramentorum vſus & finis iuxta hæreticos. Ibid.
Sacramentorum exhibitio requirit intentionem in miniſtro contra Caluinum. tom. 1. 15.b. & ſeq.
Sacramenta iuſtificant ſicut & fides. tom. 1. 16.b.
Sacramentorum efficax ſignificatio, quomodo accipienda. tom. 1. 22.a.
Sacramentorum efficaciam & neceſſitatem improbat Zuinglius. tom. 1. 23.b.
Sacramentorû numerus & efficacia rurſus aliter improbatur. tom. 1. 24. b
Sacramentorum formas & diſcrimen inter noua & vetera, improbant hæretici. tom. 1. 25 a.b.
Sacramenta nouæ legis alias habent promiſſiones quam veteris contra Caluinum. tom. 1. 26.b.
Sacramentum aliquod ſemper fuit neceſſarium ad peccati originalis deletionem. tom. 1. pag. 29 a.
Sacramentum baptiſmi vel pœnitêtiæ in voto, item fides aliena ſeu quiduis aliud poſt inſtituta hæc ſacramenta an iuſtificet. tom. 1. pag. 31.a.
In Sacramentorum formis quia effectiuæ ſunt, ſignificatur effectus ſequi, quantum eſt ex parte ſacramenti tom. 1. 6.b.
Sacramenta omnia, præterquam Euchariſtiæ, conſtant verbo & elemento. tom. 2. 207.b.
Sacramentum hoc magnum eſt, dico autem, &c. intelligit Paulus per ſacramentum vinculum, quod ſecutum eſt contractum coniugalem. to 2. 277.a.
Sacrificium quid ſit ſecundum Auguſtinum. tom. 2. 247.b.
Sacrificia differunt ab oblationibus tom. 2. 248.a.
Sacrificium Miſſæ intermittendum tempore Antichriſti. tom. 2. 362.b.
Sanctificationis varia genera traduntur propter locum 1. Cor. 7. tom. 1. 50.b.
Sanctificare & iuſtificare re ſunt eadem. to. 2. 31.b.
Sanctus quis ſit, & quæ ſit ſanctitas. Ibidem.
Sanguinem Chriſti ſub propria ſpecie omnes bibebant tempore Cypriani & Ambroſij & Euchariſtiam in manus ſumebant. tom. 2. 218.b.
Sanguis Chriſti potus cibalis. tom. 2. 225 a.
Sanguis Chriſti ſub ſpecie panis, non ex vi ſacramenti, ſed naturali concomitantia. tom. 2. 229.b.
Sanguis Chriſti non in ſacramento fluidus, ſed in totius corporis Chriſti venis, ſicut ſanguis hominis. tom. 2. 230.b.
Satisfactio ante abſolutionem ſolet imponi & peragi. tom. 1. 148.a.
Satisfacere ac deprecari poſſumus pœnas remiſſo peccato teſtantes. tom. 1. 148.a. & ſeq.
De Satisfactiõe articulus loquitur propriè de ea, quę ſacerdotis arbitrio impoſita eſt. to. 1. 151.a. & 157 a.
Satisfactionis noſtræ neceſſitas non tollit plenitudinem redemptionis & ſatisfactionis Chriſti. to. 1. 151 b. & ſeq.
Satisfactionis Chriſti plenitudo ex eo magis illuſtratur quod nos fecerit potentes ſatisfacere. to 1. 152.b.
Satisfecit Chriſtus pro omnibus etiam impijs ſufficienter & cauſaliter, non effectiuè. tom. 1. 153.a.
Satisfacere poſſumus pro temporali pœna & hic & in futuro, ſine applicatione ſatisfactionis Chriſti, licet hanc virtutem ab eius paſſione habeamus. tom. 1. 152.a. & 151. b.
Satisfactio tantum quo ad ſufficientiam non eſt pro-

propriè ſatisfactio. tom. 1. 154.b
ſatisfactione, ac remanere peccato remiſſo pœnā improbant hæretici.to. 1. 158.b & ſeq.
ſatisfactionibus noſtris redimimus pœnas purgatorij to. 1. 172.b & ſeq.
ſatisfactionem etiam pro pœna temporali fieri nō poſſe, in peccato mortali probabilius eſt. ibid.
ſatisfactio an fieri poſſit per opera alias debita. tomo 1. 174.a
ſatisfactiō pœnæ reſtantis, ſi à ſacerdote nō iniungatur an ſit in præcepto pro hac vita to. 1. 175.b
ſatisfactionem à ſacerdote impoſitam an liceat recuſare.tom. 1. 176.a
ſatisfactio noſtra dupliciter poteſt cōſiderari ibid.
ſatisfactio fit per opera ſupererogationis. nam illa Deo grata ſunt. to. 1. 177.b & ſeq.
ſcandalum quid.to.2. 227.b
ad Scandalum vitandum, faciendum vel omittendum quidquid fieri vel omitti poteſt ſalua veritate vitæ. ibid.
ſcire quomodo in ſcripturis frequenter accipiatur to. 2. 88.b
ſcholaſticorum ſententia dicētium Deum ſemper adeſſe facienti quod in ſe eſt, vnde deſumpta ſit. to. 1. 214.a
ſcriptura non ſecundum tropum intelligenda, niſi quando ſermonis proprietas ſenſum facit abſurdum.to. 2. 167.
ſcripturæ in quibus fiunt promiſsiones vel comminationes in genere ſunt certę, infallibiles, ſicut verbum Dei, ſed ſumptiones non ſunt certæ. to. 2. 75.b
ſcripturarum iudex an ſit Eccleſia. to. 2. 337.a
ſcripturarum iudex fit à pſeudoprophetis noſtri ſeculi commune vulgus. to. 2. 361.a
ſecuritas mater eſt negligentiæ to. 1. 109.a
ſecuritatem nullam eſſe in hoc mundo. tomo 2. 94.a
ſecuritas quid. to. 2. 51.b
contra Securitatem ſalutis. to. 2. 377.b
ſepultura priuari poteſt à iudice homo propter ſcelera morti adiudicatus. to. 2. 394.b
ſemina quædam & inclinationes in homine quaſi media inter charitatem & cupiditatem. tomo 2. 107.b
ſeruire licet Deo intuitu vitæ æternæ tanquā mercedis to. 2. 122.a
ſigna præſentis gratiæ Dei & electionis diuinæ tomo 2. 79.a
ſpei Theologicæ actus debet exerceri ſub conſideratione gratiæ & liberalitatis. to. 2. 39.b
ſpes in ſpecie ſibi applicat, id quod promittitur in genere, fides hoc non poteſt, ſed in genere ſe continet. to. 2. 48.a
ſpei certitudo differt à certitudine fidei ibid.
ſpei obiectum nō bonum arduum poſſidendum ſe quod poſsideri eſt poſſibile. to. 2. 49.b
ſpei definitio quomodo intelligenda to. 2. 82.b
Spiritus ſanctus datur ad varia munera. tomo 1. 99.b
Spiritus Chriſti aliter adiuuat nō inhabitās quam habitans. to. 1. 192.a
Spiritus ſancti motus non ſemper eſt efficax, quia multi ei reſiſtunt. to. 1. 249.b
Summiſtæ erant conſuetudinis acceptiones malè diſtinguendo.
Supererogationis opera Deo ſunt grata cōtra Melanchthonem. tomo 1. 123.b. & ſequent. & 177. b. & ſequent.

T.

Tempus huius vitæ non eſt retributionis, ſed futuræ. tom. 1. 146.b
Teſtamentum nouum & vetus ſubſtantia idē eſſe docet Caluinus to. 1. 26.b
Timor præparat ad veram pœnitentiam & charitatem. to. 1. 115. b. & 116.b
Timor potiſsimum gehennæ conuertit à caducis ad Deum. to. 1. 116.b
Timorem & tremorem ſimul cum certa vitæ æternæ fiducia coniuncta habere debemus quamdiu ſumus in hac vita. to. 2. 33. a
Thalmudici docebant virum pro ſolo libitu voluntatis poſſe vxorem repudiare, to. 2. 286.a
Thomas Caietanus contra communem Theologorum ſententiam ſentit de diſpenſatione ſuper matrimonio rato ſed nondum conſummato. to. 2. 277.b
Thomas Caietanus ex ſcriptis Eraſmi ſeductus & in errorem lapſus. to. 2. 392. a
de Tranſubſtantione panis & vini in corpus & ſanguinem domini. to. 2. 193.a
Tropus ſeu figura in ſcripturis ſacris obſeruanda. to. 2. 167.b
Tropus qui excludat veritatem præſentiæ Chriſti nō eſt in his verbis Domini: Hoc eſt corpus meū. to. 2. 168.a
Tropum aliquem neceſſario requirit conſecratio calicis. ibid.b
Tropum non eſſe in ſcripturis agnoſcendum, niſi quando ſenſus alioquin abſurdus eſſet. tom. 2. 167.b

V.

Valentiniani Imperato. lex qua permittebat duas habere vxores non diu ſubſtitit. to. 2. 303.a
Velle & perficere opus bonum diuerſimodè in nobis operatur Deus. to. 1. 201.a
Venialium non eſt neceſſaria ad ſalutem confeſſio, contritio, nec propoſitum abſtinendi. tom. 1. 130.b
Verbum de quo ait Dominus, Iam vos mundi eſtis propter verbum &c. quod ſit. to 1. 22.b
Verbum Dei quare ſemini aſſimulatur. tomo. 1. 202.b
Verbum Dei ſunt etiam traditiones Eccleſiæ. to. 2. 45.a. 336.
Veritas triplex qua dicit Gerſon dimitti peccata ſine ſacramentorum perceptione. to. 1. 108.b
Veritas pertinaci luctā tādem victa animum deſerit, exemplo Lutheri. to. 2. 349.b
Virtutum vel iuſtitiæ fructus, vt tales non dicūtur fructus pœnitentiæ. to. 1. 147.a
Virtus conſecrationis eſt in verbis conſecrationis & etiam in ſacerdote. to. 2. 194.a
Virtutes eſſe connexas philoſophorum non Apoſtolorum eſt ſententia. to. 2. 23.b
Virtutes quomodo nobis inſint à natura. tom. 2. 100.b
Virtus præcipuum in rebus humanis bonum. to. 2. 370.b
Vitam æternam meremur nō ex applicatione meriti Chriſti, ſed ex dignitate accepta ex morte ei⁹ to. 1. 154.b
Vitæ auſteritatem ſponte aſſumptam damnat Melanchthon contra ſcripturæ teſtimonia, tom. 1. 173.a b
Vita æterna & gratia & debitum. to. 1. 119.a
Vitæ monaſticæ deſcriptio & commendatio. to. 2. 314.a
Vita cur omnibus moleſta. to. 2. 372.a
Vita hæc paleſtra eſt. to. 2. 371.a
Vnctio extrema & eius efficacia vbi tradatur to. 1. pag. 2.a.
Vnctio infirmorum apud Iacobum non inſtituitur, ſed Apoſtolus ad eam à Chriſto inſtitutam hortatur. to. 2. 147.a
Vnctio infirmorum quare extrema dicta. Ibid.b
Vnctio de qua apud Marcum longè alia quàm ea de qua Iacobus agit. to 2. 148.a
Vnctio extrema non adhibenda niſi ſpiritualiter viuenti. to. 2. 149.a
Vnctionem extremam quanti fecerit S. Malachias to. 2. 147.a
Vnctionis extremę effectus primarius quis, tom. 2. 149.a
Vnitas Dei. to. 2. 352.b

vnitatem in Eccleſia quantoperè diligat Deus. tomo 2. 353.b
vnio principum cauſa eſt omnium bonorum, diuiſio verò atq; ab vnitate receſſio, malorum ibid. a
vocati ad nuptias qui non venerunt, in libera erant voluntate vt non venirent. to. 1. 193. b
vocationem Dei multi ſequi poſſent qui non ſequuntur. to. 1. 207ſa
voluntas an interdum neceſſitetur à paſſione. tomo 1. 184.a
voluntatis & intellectus primi actus, licet ab eis effectiuè procedant, hoc tamen eſt naturaliter, & à Deo auctore naturæ & gratiæ. to. 1. 190 a
voluntate aliter procedit velle quam operari, ſimiliter hæc à Deo diſsimiliter procedunt. tomo 1. 201. a
voluntate aliquid eſſe vel fieri dupliciter intelligitur. tom. 1. 239. b
voluntatem à Deo excitari, non idem eſt, quod infirmam ex ſe adiuuari tom. 1. 242. a
voluntas bona à Deo eſt, ſed bonus eius vſus etiam à nobis eſt. to. 1. 244. a
voluntatem moueri vt obſequatur ſi libeat aliud eſt quàm formari vt bona ſit, aliud etiam eſt moueri vt libeat & velit. to. 1. 246. a
volũtatem in homine eſſe aliud eſt quam eum habere liberam boni ac mali electionem. t. 1. 249. a
voluntas peruerſa prima cauſa pertinaciæ hæreticæ. to. 2. 348.b
vota omnia commutantur in votum religionis tomo 2. 281. a
vota promiſsionis ac iuramenta impuberum parentes irritare poſſunt to. 2. 311.b
votum alicuius vouentis non habentis plenum rationis vſum non obligat apud Deum ibid.
vxor virum adulterantem dimittere poteſt, ſicut vir vxorem. to. 2. 290. a
vxorum pluralitas vnde illicita. to. 2. 297. b
vxorum pluralitatem non eſſe contra ius naturæ ſicut eſt maritorum pluralitas. to. 2. 299. a
vxoris dotem diſtrahens maritus pro ſua voluntate ipſa inuita nulla cõſuetudine excuſari poteſt, ſicut nec ipſa grauari poteſt debitis quæ maritus ſua prodigalitate contraxit. tom. 2. 391. a

FINIS INDICIS.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Typis Godefridi Kempenſis
Anno M. D. LXXXII.